424

MEDICI ANTIQVI OMNES, QVI LATINIS LITERIS DIVERSORVM MORBORVM

genera & remedia persecuti sunt, undique conquisiti, & uno uolumine comprehensi; ut eorum, qui se medicinæ studio dediderunt, commodo consulatur.

ab infinitis mendarum aspergínibus, quibus scatebant, vix paucis acutioribus viris perceptibiles, in pristinum prope nitorem, sublatis errorum plus denis millibus, restituti; ita ut à quouis mediocriter literis Grecis & Latinis instructo, & rei medicæ perito, intelligi queant. Opera & Herculeo pene labore, vigilijs[q] Nic. Nancelij Trachyeni, Nouiodunensis, apud Turones medici.

Index in omnes plenissimus.


Admonitio. Sed nouus sibi compilandus, consummata noua & ampliore impressione.

Accessit eiusdem Nancelij commentarius amplissimus in Strabum Gallum, poëtam & medicum insignem, catalogus medicorum comprehensum.

Ex prima Nancelij recognitione.

Authorum nomina sequens pagina aperiet.







Tum Nic. Nancelij.

VENETIIS, M. D. XLVII.

MEDICINAE STVDIOSIS,

Typographus S.

SI ita EST, ut medicina corporibus prosit: non dubito, quin à uobis magnam inierim gratiam, cùm omnes, qui olim de re medica latinè scripserunt, studiosè conquisitos, quosdam etiam tanquam ex tenebris eductos, uno uolumine edendos curaui. omnium morborum mentionem, & uniuscuiusque remedia reperietis. nam ut eorum aliquis aliquid omiserit, omnes tamen simul omnia præstabunt. ita ex multis scriptoribus, quasi membris in unum corpus conformata medicina, malè affectos curabit, bene ualentes tuebitur. recentiorum scripta non attigimus, quia fuisset & infinitum, & superuacaneum, quippe cùm à ueteribus, quos impressimus, nihil uideatur esse prætermissum. Valete.

Alia Nancelij epistola aliunde tibi petenda.

Medicorum latinorum nomina, qui in hoc uolumine continentur.

Hos omnes summa diligentia & attentione perlectos per totum quinquennium, Nic. Nancelius Nouioduni, apud Turones Medicus, horis succisiuis, correxit, & in statum longè meliorem, σὺν θεῷ, vindicauit. Perlege, & iudica.

Sequere potiùs hunc in excudendo, ordinem.

Au. Cornelius Celsus.

Cælius Aurelianus (dimidia sui parte auctior)

Scribonius Largus.

Marcellus.

C. Plinius Secundus. sed falso inscriptus.

Qu. Serenus.

Æmilius Macer. cu commento Atreciani.

Strabus Gallus. comentarijs nouis Nancelij illustratus.

Lu. Apuleius.

Ant. Musa. falsò inscriptus.

Theodorus Priscianus.

Soranus Ephesius. idem & falsò inscriptus.

Trotula.

Admonitio ad Typographum.

Reliquos authores post Celsum proximos, videat Corrector typographicus ut sedulò corrigat, quia minus curiosè interpuncti, remotiores non paulò diligentius Celsum diligentissime notaui.

Volo autem authores omnes ita excudi quomodo hic codex, & libri vulgo in[illegible] habent; & quæ correxi, addi in margine & nota aliqua, sed semper varia ac mult[illegible] distingui, quæ comunis sit textui, & cor[illegible] omi: aut quò facilius sit, distingui literis alphabeti Græci aut Latini, α β γ. a b[illegible]

Porro comodius videretur, dictiones, quæ sunt in textu corrigendæ, unam seu plures, alio & diverso charactere pingi, à toto: vel lineam dictioni corrigendæ, uni vel pluribus subscribi[illegible]

vel his notis [ ] dirimi

Inutilis index deinceps futurus.

HERBARVM ET REMEDIORVM, DE QVIBVS IN HISCE LIBRIS MEDICIS TRACTATVR, PLENISSIMVS INDEX.

Corrigendus, & nouis typis alter accomodandus

In quo animaduertendum est, a primam, b alteram folij faciem denotare.

anodynon

culturæ

felicina

rapæ

FINIS.

Hic index reformandus erit, & de integro concinnandus, toti volumini certior & correctior, accommodandus.

Titulus initio libri praefigendus, totam faciem occupans, sic erit illustrior.

Auli, sive Aurelij Cornelij Celsi:
De re medica libri octo,
operis ab eo scripti de artibus,
pars sexta.

Inter excudendum, confer Marcelli & Scriptorum exemplaribus Hen. Stephani, Tornesij, & siqua sunt emendatiora, & varias lectiones annota: mihi enim non vacat istis leviioribus curis intendere. Interim tamen Celsum cum Stephani codice diligenter contuli.

Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de ijs omnibus conscripsit artibus, sed amplius rei militaris, & rusticae etiam & medicinae praecepta reliquit, [illegible] ut eum scisse omnia illa credamus, ait Fab. Quintilianus lib. [illegible] cap. [illegible] [illegible] Columella [illegible]

+ Ego male passim correxi orizam per i latinum, cum debeat scribi per y. sic ergo [illegible]

AVRELII CORNELII CELSI ARTIVM LIBER SEXTVS, IDEM MEDICINAE LIBER PRIMVS.

V T ALIMENTA sanis corporibus agricultura, sic sanitatem ægris medicina promittit. hæc quidem nusquam non est. siquidem etiam imperitissimæ gentes, herbas, aliaque prompta in auxilium uulnerum, morborumque nouerunt. Verũtamen apud Græcos aliquantò magis, quàm in cæteris nationibus, exculta est. ac ne apud hos quidem a' prima origine, sed paucis ante nos sæculis: utpote cùm uetustissimus auctor Aesculapius celebretur. qui quoniam adhuc rudem, & uulgarem hanc scientiam paulò subtilius excoluit, in deorum numerum receptus est. Huius deinde duo filij Podalirius, & Machaon bello troiano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem cõmilitonibus suis attulerunt. quos tamen Homerus non in pestilentia, neque in uarijs generibus morborum aliquid attulisse auxilij, sed uulneribus tantummodò ferro, & medicamentis mederi solitos esse proposuit. ex quo apparet, has partes medicinæ solas ab his esse tentatas, easque esse uetustissimas. Eodemque auctore disci potest, morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, & ab ijsdem opem posci solitam. uerique simile est, inter non nulla auxilia aduersæ ualetudinis, plerunque tamen eam bonam contigisse, ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria tentarant. siquidem hæc duo, corpora prius in Græcia, deinde apud nos afflixerunt. Ideoque multiplex ista medicina, neque olim apud Græcos, neque apud alias gentes necessaria, uix aliquos ex bonis ad senectutis principia perducit. Ergo etiam post eos, de quibus retuli, non nulli clari uiri medicinam exercuerunt, donec maiore studio, literarum disciplina agitari cœpit. quæ ut animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiæ pars habebatur: ut & morborum curatio, & rerum naturę contemplatio, sub ijsdem auctoribus nata sit; scilicet ijs hanc maximè requirentibus, qui corporum suorum robora, quieta cogitatione, nocturnaque uigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiæ professoribus peritos eius fuisse accepimus; clarissimos uerò ex his, Pythagorã, & Empedoclem, & Democritum. Huius autem (ut quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignus, ab studio sapientię disciplinam hanc separauit: uir & arte, & facundia insignis. Post quem, Diocles Carystius, deinde Praxagoras, & Chrysippus, tum Herophilus, & Erasistratus sic artem hãc exercuerunt, ut etiam in diuersas curandi uias processerint. Iisdemque temporibus, in tres partes medicina diducta est, ut una esset quæ uictu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci nominauerunt. Eius autem, quæ uictu morbos curat, longè clarissimi auctores etiam altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ sibi cognitionem uendicauerunt; tanquam sine ea trunca, & debilis medicina esset. Post quos Serapion primus omnium, nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu tantùm, & experimentis eam posuit. quem Apollonius, & Glaucias, & aliquantò post, Heraclides Tarentinus, & aliqui non mediocres uiri secuti, ex ipsa professione, se ἐμπειρικοὺς appellauerunt. Sic in duas partes ea quoque, quæ uictu curat, medicina diuisa est, alijs rationalem artem, alijs usum tantùm sibi uendicantibus; nullo uerò quidquam post eos, qui supra comprehensi sunt, agitante, nisi quod acceperat: donec Asclepiades, medendi rationem ex magna parte mutauit. Ex cuius successoribus Themison nuper ipse quoque quædam in senectute deflexit. Et per hos quidem maximè uiros, salutaris ista nobis professio increuit. Quoniam autem ex tribus medicinæ partibus ut difficillima, sic etiam clarissima est ea, quæ morbis medetur: ante omnia de hac dicendum est. Et quia prima in ea dissensio est, quòd alij sibi experimentorum tantummodò notitiam necessariam esse contendunt: alij, nisi corporum, rerumque ratione comperta, non satis potentem usum esse proponunt: indicandum est, quæ maximè ex utraque parte dicantur, quo faciliùs nostra quoque opinio interponi possit. Igitur ij, qui rationalem medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt; abditarum, & morbos continentium causarum notitiam, deinde euidentium; post hæc, etiam naturalium actionum, nouissimè partium interiorum. Abditas causas uocant, in quibus requiritur, ex quibus principijs nostra corpora sint; quid secundam, quid aduersam ualetudinem faciat. Neque enim credunt posse eum scire quomodo morbos curare conueniat, qui, unde hi sint, ignoret: neque esse dubium, quin alia curatione opus sit, si ex quatuor principijs, uel superans aliquid, uel deficiens, aduersam ualetudinem creat (ut quidam ex sapientiæ professoribus dixerunt) Alia si in humidis omne uitium est, ut Herophilo uisum est: alia, si in spiritu, ut Hippocrati: alia si sanguis in eas uenas, quæ spiritui accommodatæ sunt, trãsfunditur, & inflammationem, quam Græci φλεγμονὴν nominant, excitat: eaque inflammatio talem motum efficit, qualis in febre est, ut Erasistrato placuit. alia, si manantia corpuscula, per inuisibilia foramina subsistendo, iter claudunt, ut Asclepiades contendit. Eum uerò rectè curaturum, quem prima origo causæ non fefellerit. Neque uerò inficiantur, experimenta quoque esse necessaria: sed ne ad hæc quidem aditum fieri potuisse, nisi ab aliqua ratione, contendunt. Non enim quidlibet antiquiores uiros ægris inculcasse: sed cogitasse, quid maximè conueniret: & id usu explorasse, quod antè coniectura aliqua duxisset. neque interesse, an initia pleraque explorata sint, si a' consilio tamen cœperunt. & id quidem in multis ita se

habere. Sæpe uerò etiam noua incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc usus ostenderit: & ideo necessarium sit, animaduertere, unde ea cœperint; sine quo, nemo mortaliũ reperire possit, cur hoc, quàm illo potius utatur. & ob hæc quidem, in obscuro positas causas persequuntur. Euidentes uerò has appellant, in quibus quærunt, initium morbi calor attulerit, an frigus, fames, an satietas, & quæ similia sunt. Occursurum enim uitio dicunt eũ, qui originem non ignorarit. Naturales uerò corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus, & emittimus, cibũ, potionemque, & assumimus, & cõcoquimus. Itemque per quas, eadem hæc in omnes membrorum partes digerũtur: tum requirunt etiam, quare uenæ nostræ modò submittant sese, modò attollant: quæ ratio somni, quæ uigiliæ sit. sine quorum notitia, neminem putant uel occurrere, uel mederi morbis, inter hæc nascẽtibus, posse. Ex quibus, quia quam maximè pertinere ad rem concoctio uidetur, huic potissimùm insistunt; & duce alij Erasistrato, atteri cibum in uentre contendunt: alij, Plistonico Praxagoræ discipulo, putrescere: Alij credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui. Accedunt que Asclepiadis æmuli, qui omnia ista uana, & superuacua esse proponunt: Nihil enim concoqui, sed crudam materiam sicut assumpta est, in corpus omne diduci. Et hæc quidem inter eos parũ constant: Illud uerò conuenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc, alium, si illud uerum est. Nam si teritur intus, eum quærendum esse, qui facillimè teri possit. Si putrescit, eum, in quo hoc expeditissimum est. Si calor concoquit, eum qui maximè calorem moueat. At nihil ex his esse quærendum, si nihil concoquitur: Ea uerò sumenda, quæ maximè maneut, qualia assumpta sunt. Eademque ratione, cũ spiritus grauis est, cùm somnus aut uigilia urget, eum mederi posse arbitrantur, qui prius illa ipsa, qualiter eueniant, perceperit. Præter hæc cum in interioribus partibus, & dolores, & morborum uaria genera nascantur, neminem putant his adhibere posse remedia, quæ ipse ignoret. Necessarium ergo esse, incidere corpora mortuorum, eorumque uiscera, atque intestina scrutari. Lõgeque optimè fecisse Herophilum, & Erasistratũ, qui nocentes homines à regibus ex carcere acceptos, uiuos inciderint, considerarintque, etiam spiritu manente, ea quæ natura antè clausisset, eorumque posituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, leuorem, contactum; processus deinde singulorum, & recessus; & siue quid inseritur alteri, siue quid partem alterius in se recipit. Neque enim, cùm dolor intus incidit, scire quid doleat, eum, qui qua parte quodque uiscus intestinùm ue sit, non cognouerit: Neque curari id quod ægrũ est, posse ab eo, qui, quid sit, ignoret. Et cum per uulnus, alicuius uiscera patefacta sunt, eum, qui sanæ cuiusque colorem partis ignoret, nescire quid integrum, quid corruptum sit. Ita ne succurrere quidem posse corruptis. aptiusque extrinsecus imponi remedia, compertis interiorum & sedibus, & figuris, cognitaque eorũ magnitudine, similesque omnia, quę posita sunt, rationes habere. Neque esse crudele, sicut plerique proponunt, hominum nocentium, & horum quoque paucorum supplicijs, remedia populis innocentibus sæculorum omnium quæri. Contrà hi, qui se ἐμπειρικοὺς ab experientia nominant, euidentes quidem causas, ut necessarias amplectuntur; obscurarum uero causarum, & naturalium actionum quæstionem ideo superuacuam esse contendunt, quoniam incomprehensibilis natura sit. non posse uerò comprehendi, patere ex eorum, qui de his disputarunt, discordia, cùm de ista re, neque inter sapientiæ professores, neque inter ipsos medicos conueniat. Cur enim potiùs aliquis Hippocrati credat, quàm Herophilo? Cur huic potiùs, quã Asclepiadi? Si rationes sequi uelit, omnium posse uideri non improbabiles. Si curationes, ab omnibus his egros perductos esse ad sanitatẽ. Ita neque disputationi, neque auctoritati cuiusquã fidem derogari oportuisse. Etiam sapientiæ studiosos, maximos medicos esse, si ratiocinatio hoc faceret. nunc illis uerba superesse, deesse medendi scientiam. Differre quoque pro natura locorũ genera medicinæ; & aliud opus esse Romę, aliud in Aegypto, aliud in Gallia. Quod si morbos eædem causæ facerẽt ubique, remedia quoque ubique eadem esse debuissent. sæpe etiam causas apparere, ut puta lippitudinis, uulneris, neque ex his patere medicinam. Quòd si scientiam hanc non subijciat euidens causa, multò minùs eam posse subijcere, quę in dubio est. Cùm igitur illa incerta incomprehensibilisque sit, à certis potiùs, & exploratis petendum esse præsidium, idest his, quæ experientia in ipsis curationibus docuerit, sicut in cæteris omnibus artibus. Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem, disputatione, sed usu fieri. ac nihil istas cogitationes ad medicinam pertinere. Eo quoque disci, quòd qui diuersa de his scripserint, ad eandem tamen sanitatem homines perduxerint. id enim fecisse, quia non ab obscuris causis, neque à naturalibus actionibus, quæ apud eos diuersæ erant, sed ab experimentis, pro ut cuique responderant, medendi uias traxerint. ne inter initia quidem ab istis quæstionibus deductam esse medicinã, sed ab experimentis. Aegrorũ enim, qui sine medicis erant, alios, propter auiditatem, primis diebus protinus cibum assumpsisse, alios, propter fastidium, abstinuisse; leuatumque magis eorum morbum esse, qui abstinuerant. Itemque alios in ipsa febre aliquid edisse, alios paulò ante eam, alios post remissionem eius: optimè deinde ijs cessisse, qui post finem febris id fecerint. Eademque ratione, alios inter principia protinus usos esse cibo pleniore, alios exiguo; grauioresque eos factos, qui se implerent. Hæc similiaque cum cotidie inciderent, diligentes homines notasse, quæ plerunque meliùs responderent; deinde ægrotantibus ea præcipere cœpisse. sic medicinam ortam, subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernentem à salutaribus. Repertis deinde medicinę remedijs, homines de rationibus eorum disserere cœpisse; nec post rationem medicinam esse inuentam; sed post inuentã medicinam, rationem esse quęsitã. Requirere etiã, si ratio idem doceat quod experientia, an aliud. Si idem, superuacuam esse. si aliud, etiam contrariam. Primò tamen remedia exploranda summa cura fuisse. nunc uero iam explorata esse; neque ulla, aut noua genera morborum reperiri, aut nouam desiderari medicinã. Quòd si iam incidat mali genus aliquod ignotũ, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandũ obscuris, sed

ris, sed eum protinus uisurum, cui morbo id proximum sit, tentaturumque remedia similia illis, quæ uicino malo sæpe succurrerint; & per eius similitudinem opem reperturũ. Neque enim se dicere, consilio medicum non egere, & irrationale animal, hanc artem posse præstare: sed has latentium rerum coniecturas, ad rem non pertinere; quia nõ intersit, quid morbũ faciat, sed quid tollat: neque ad rẽ pertineat, quomodo, sed quid optime digeratur, siue hac de causa concoctio incidat, siue de illa; & siue concoctio sit illa, siue tantum digestio. Neque quærendum esse, quomodo spiremus; sed quid grauem, tardumque spiritũ expediat. neque quid uenas moueat, sed quid quæque motus genera significent. Hæc autem cognosci experimentis, & in omnibus eiusmodi cogitationibus in utraque partem disseri posse. Itaque ingenium & facundiã uincere, morbos autem non eloquentia, sed remedijs curari. Quæ si quis elinguis, usu discreta bene norit, hunc aliquanto maiorem medicum futurum, quàm si sine usu linguam suam excoluerit. Atque ea quidẽ, de quibus est dictum, superuacua esse tantummodò. Id uerò quod restat, etiam crudele, uiuorum hominũ aluum, atque præcordia incidi, & salutis humanæ præsidem artem, non solùm pestem alicui, sed hanc etiã atrocissimam inferre; cùm præsertim ex ijs, quæ tanta uiolentia quærantur, alia non possint omnino cognosci, alia possint etiam sine scelere. nã colorem, læuorem, mollitiem, duritiem, similiaque omnia, nõ esse talia inciso corpore, qualia integro fuerint. quia cùm corporibus inuiolatis, hęc tamẽ metu, dolore, inedia, cruditate, lassitudine, mille alijs mediocribus affectibus sæpe mutentur; multò magis uerisimile est, interiora, quibus maior mollities, lux ipsa noua sit, sub grauissimis uulneribus & ipsa trucidatiõe mutari; neque quidquam esse stultius, quã quale quidque uiuo homine est, tale existimare esse moriente, immò iam mortuo. Nam uterum quidem, qui minus ad rẽ pertineat, spirante homine posse diduci: simulatque uerò ferrum ad præcordia accessit, & discissum transuersum septum est, quod membrana quadã superiores partes ab inferioribus diducit (διάφραγμα greci uocant) hominem protinus animam amittere. Ita demum mortui præcordia, & uiscus omne in cõspectum latrocinantis medici dari, quod necesse sit tale esse, quale mortui sit, non quale uiui fuit. Itaque consequi medicum, ut hominem crudeliter iuguletꝫ non ut sciat, qualia uiui uiscera habeamus. Si quid tamen sit, quod adhuc spirante homine, conspectui subijciatur, id sæpe casum offerre curantibus: Interdum enim gladiatorem in harena, uel militem in acie, uel uiatorem a latronibus exceptum, sic uulnerari, ut eius interior aliqua pars aperiatur; & in alio, alia sita, sedem, positum, ordinem, figura, similiaque alia cognoscere prudentem medicum, non cædem, sed sanitatem molientem; idque per misericordiam discere, quod alij dira crudelitate cognouerint. Ob hęc ne mortuorũ quidẽ lacerationẽ necessariam esse; quæ etsi nõ crudelis, tamen fœda sit, cùm aliter pleraque in mortuis se habeant. Quantũ uerò in uiuis cognosci potest, ipsa curatio ostendat. Cùm hæc per multa uolumina, per quę magnæ cõtentionis disputationes a medicis sæpe tractata sint, atque tractentur; subijciendum est, quę proxima uero uideri possint. ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimiũ abhorrẽtia, media quodãmodo inter diuersas sententias: Quod in plurimis cõtentionibus deprehendere licet sine ambitione uerũ scrutantibus, ut in hac ipsa re. Nã quę demũ causæ uel secundã ualitudinẽ pręstent, uel morbos excitent; quomodo spiritus, aut cibus uel detrahatur, uel digeratur, ne sapiẽtiæ quidẽ professores scientia cõprehendunt, sed coniectura persequuntur. cuius autẽ rei nõ est certa notitia, eius opinio certũ reperire remediũ non potest. Verumque est, ad ipsam curandi rationẽ, nihil plus conferre, quã experientiã. Quãquã igitur multa sint ad ipsas artes propriè nõ pertinentia, tamen eas adiuuat, excitando artificis ingeniũ. Itaque ista quoque naturę rerũ contemplatio, quãuis nõ faciat medicũ aptiorẽ, tamen medicinæ reddit perfectũ. Verique simile est, & Hippocratẽ, & Erasistratũ, & quicũque alij non cõtenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturã ex aliqua parte scrutati sint, nõ ideo quidẽ medicos fuisse, uerũ ideo quoque maiores medicos extitisse. Ratione uerò opus est ipsi medicinæ, etsi non inter obscuras causas, neque inter naturales actiones, tamen sæpe. Est enim hæc ars coniecturalis, neque respondet ei plerunque non solum coniectura, sed etiam experientia. & interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur, sicut assueuit. Rarius, sed aliquando tamen, morbus quoque ipse nouus est; quem non incidere, manifestè falsum est, cùm ætate nostra, quædam, ex naturalibus partibus carne prolapsa, & arente, intra paucas horas expirauerit; sic ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium inuenerint. quos ego nihil ideo tentasse iudico, quia nemo in splendida persona periclitari coniectura sua uoluerit, ne occidisse, nisi seruasset, uideretur. Veri tamen simile est, potuisse aliquid cogitare, detracta tali uerecũdia; & fortasse responsurum fuisse id, quod aliquis esset expertus. Ad quod medicinæ genus, neque semper similitudo aliquid confert; & si quando confert, tamen id ipsum rationale est, inter multa similia genera & morborum, & remediorum, cogitare, quo potissimùm medicamento sit utendum. Cũ igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inueniat, quod non utique fortasse, sed sæpius tamen etiam respondeat. Petet autẽ nouum quoque consilium non ab rebus latentibus (istæ enim dubiæ, & incertę sunt) sed ab ijs, quę explorari possunt, idest, euidentibus causis. Interest enim, fatigatio morbum, an sitis, an frigus, an calor, an uigilia, an fames fecerit; an cibi, uinique abundantia, an intemperantia libidinis. neque ignorare hunc oportet, quæ sit ægri natura; humidum magis, an magis siccum corpus eius sit; ualidi nerui, an infirmi; frequens aduersa ualetudo, an rara; ea, quæ cùm est, uehemens esse soleat, an leuis; breuis, an longa: quod is uitæ genus sit secutus, laboriosum, an quietum; cum luxu, an cum frugalitate: ex his enim, similibusque, sæpe curandi noua ratio ducenda est. Quamuis ne hæc quidem sic præteriri debent, quasi nullam controuersiam recipiant: Nam & Erasistratus, non ex ijs fieri morbos dixit, quoniam & alij, & iidem aliàs, post ista non febricitarent. & quidam medici sæculi nostri, sub auctore (ut ipsi uideri uolunt) Themisone, contendunt,

nullius causæ notitiam quidquā ad curationes pertinere; satisque esse, quædam communia morborum intueri. si quidem horum tria genera esse, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum. Nam modo parum excernere ægros, modò nimium; modò alia parte parum, alia nimium. Hæc autem genera morborum modò acuta esse, modò longa; & modò increscere, modò consistere, modò minui consueuerunt. Cognito igitur eo, quod ex his est; si corpus adstrictum est, digerēdum esse; si profluuio laborat, continendū; si mixtum uitium habet, occurrendum subinde uehementiori malo. & aliter acutis morbis medendū, aliter uetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter iam ad sanitatem inclinantibus. Horum obseruationē, medicinam esse; quam ita finiunt, ut quasi uiam quandā (quam μέθοδον græci nominant) eorumque, quæ morbis communia sunt, contemplatricem esse contendunt; ac neque rationalibus se, neque experimenta tantùm spectantibus annumerari u olunt, cùm ab illis eò homine dissentiant, quòd in coniecturā rerum latentium, nolunt esse medicinam; ab ijs eò, quòd parum artis esse in obseruatione experimentorū credunt. Quod ad Erasistratum pertinet, primū ipsa euidētia, eius opinioni repugnat; quia rarò, nisi post horum aliquid, morbus uenit. Deinde non sequitur, ut quod alium non afficit, aut eundem aliâs; id ne alteri quidem, aut eidem, tempore alio noceat. Possunt enim quædam subesse corpori, uel ex infirmitate eius, uel ex aliquo affectu, quæ uel in alio non sunt, uel in hoc aliâs non fuerunt. eaque per se non tanta ui concitant morbum; tamen obnoxium magis alijs iniurijs corpus efficiunt. Quòd si contemplationem rerum naturæ (quam temerè medici sibi uendicant) satis comprehendisset, etiam illud scisset, nihil omnino ob unam causam fieri; sed id pro causa apprehēdi, quod contulisse plurimum uidetur. Potest autem id, dū solum est, non mouere, quod iunctum alijs maximè mouet. Accedit ad hæc, quòd ne ipse quidē Erasistratus, qui trāsfuso in arterias sanguine, febrem fieri dicit, idque nimis repleto corpore incidere repperit; cur ex duobus æque repletis, alter in morbum inciderit, alter omni periculo uacarit (quod quotidie fieri apparet) non discreuerit. Ex quo disci potest, ut uera sit illa transfusio; tamē illam non per se, cùm plenum corpus est, fieri, sed cùm horum aliquid accesserit. Themisonis uerò æmuli, si perpetua, quæ promittunt, habent, magis etiam quā ulli, rationales sunt. Neque enim, si quis non omnia tenet, quæ rationalis alius probat, protinus alio nouo nomine artis indiget: si modò, quod primum est, non memoriæ soli, sed rationi quoque insistit. Si, quod uero propius est, uix ulla perpetua præcepta medicinalis ars recipit, ijdem sunt, quod ij, quos experimenta sola sustinent; eò magis, quoniam si compresserit aliquem morbus, an fuderit, quilibet etiam imperitissimus uidet. Quid autem compressum corpus resoluat, quid solutum teneat, si à ratione tractum est, rationalis est medicus. Sicut ei, qui se rationalem negat, confiteri necesse est, ab experientia, empiricus est. Ita apud eum, morbi cognitio extra artem; medicina intra usum est. Neque adiectū quidquā empiricorum professioni, sed demptum est; quoniam illi multa circunspiciunt; ij tantùm facillima, & non plus quā uulgaria. Nam & ij, qui pecoribus ac iumentis medentur, cùm propria cuiusque ex multis animalibus nosse non possint, communibus tantummodò insistunt. Et exteræ gentes, cùm subtilem medicinæ rationem non nouerint, communia tantùm uident. Et qui amplè ualitudinarios nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. Neque, Hercules, istud & antiqui medici nescierunt, sed ijs contenti non fuerunt. Ergo etiam uetustissimus auctor Hippocrates dixit mederi oportere, & communia, & propria intuentem. Ac ne isti quidem ipsi intra suam professionem consistere ullo modò possunt. si quidem & compressorum, & fluentium morborum genera diuersa sunt; faciliusque id in ijs, quæ fluunt, inspici potest. Aliud est enim, sanguinem, aliud bilem, aliud cibum uomere; aliud deiectionibus, aliud torminibus laborare; aliud sudore digeri, aliud tabe consumi: Atque in partes quoque humor erumpit, ut in oculos, auresque. quo periculo nullum humanum membrū uacat: nihil autem horum sic, ut aliud curatur. Ita protinus in ijs à cōmuni fluētis morbi cōtemplatione, ad propriam medicina descendit. Atque in hac quoque rursus alia proprietatis notitia sæpe necessaria est, quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus, opitulantur. si quidem certæ quædam res sunt, quę in pluribus uentrem aut astringunt, aut resoluunt; inueniuntur tamen, in quibus aliter, atque in cæteris, idē eueniat. In his ergo communium inspectio contraria est, propriorum tantùm salutaris. & causæ quoque æstimatio sæpe morbum soluit. Ergo etiā ingeniosissimus sæculi nostri medicus, quē nuper uidimus, Cassius, febricitanti cuidā, & magna siti affecto, cū post ebrietatē eū premi cœpisse cognosceret, aquā frigidā ingessit; qua ille epota, cùm uini uim miscendo fregisset, protinus febrē somno & sudore discussit. Quod auxilium medicus opportunè prouidit, non ex eo, quòd aut strictum corpus erat, aut fluebat; sed ex causa, quę antè præcesserat. Estque etiam proprium aliquid & loci, & temporis, istis quoque auctoribus; qui cùm disputant, quemadmodum sanis hominibus agendum sit; præcipiunt, ut grauibus aut locis, aut temporibus, magis uitetur frigus, æstus, satietas, labor, libido; magisque ut conquiescat ijsdem aut locis, aut temporibus, si quis grauitatem corporis sentit; ac neque uomitu stomachum, neque purgatione aluum solicitet. Quæ uera quidem sunt; à communibus tamen ad quædam propria descendunt. nisi persuadere nobis uolunt, sanis quidē considerandum esse, quod cœlum, quod tempus anni sit; ęgris uerò nō esse; quibus tantò magis omnis obseruatio necessaria est, quantò magis obnoxia offensis infirmitas est. Quin etiam morborum in ijsdem hominibus alię, atque alię proprietates sunt; & qui secundis aliquando frustrà curatus est, contrarijs sępe restituitur. Plurimaque in dando cibo discrimina reperiuntur, ex quibus, contentus uno ero. nam famem facilius fert adolescens, quàm puer; facilius in denso cœlo, quā in tenui; facilius in hyeme, quā æstate; facilius uno cibo, quā prandio quoque assuetus; facilius inexercitatus, quā exercitatus homo sustinet. Sæpe autem in eo magis necessaria cibi festinatio est, qui minus inediam tolerat. Ob quæ, competit

petit

petit, eum qui propria nō nouit, communia tantum intueri debere; eumque qui nosse propria potest, illa quidem non oportere negligere, sed ijs quoque insistere. Ideoque cum par scientia sit, utiliorem tamen medicum esse amicum, quā extraneum. Igitur ut ad propositum meum redeam, rationalem quidē puto medicinam esse debere; instrui uero ab euidentibus causis; obscuris omnibus, non a' cogitatione artificis, sed ab ipsa arte reiectis. Incidere autem uiuorum corpora, & crudele, & superuacuū est; mortuorum corpora discentibus necessarium. Nam positum, & ordinem nosse debent; quæ, cadauera melius, quàm uiuus & uulneratus homo, repræsentant. sed & cætera, quæ modò in uiuis cognosci possunt, in ipsis curationibus uulneratorum paulò tardius, sed aliquandō mitius, usus ipse monstrauit. His propositis, primùm dicam quemadmodum sanos agere conueniat; tum ad ea transibo, quæ ad morbos, curationesque eorum pertinebunt.

Quemadmodum sanos agere conueniat. Cap. I.

Sanus homo, qui & bene ualet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet; ac neque medico, neque iatrolipta egere. Hunc oportet uarium habere uitæ genus; modò ruri esse, modò in urbe, sępiusque in agro. nauigare, uenari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat. illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti. modò ungi, modò id ipsum negligere. nullum cibi genus fugere, quo populus utatur. interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere. modò plus iusto, modò non amplius assumere. bis die potiùs, quā semel cibum capere, & semper quàmplurimum, dummodò hūc concoquat. Sed ut huius generis exercitationes, cibique necessarij sunt, sic athletici superuacui; nā & intermissus, propter ciuiles aliquas necessitates, ordo exercitationis, corpus affligit; & ea corpora, quæ more eorū repleta sunt, celerrimè & senescunt, & ægrotant. Concubitus uerò neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus, corpus excitat; frequens soluit. Cùm autem frequens non numero sit, sed natura, ratione ætatis & corporis; scire licet, eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idē interdiu peior est, noctu tutior. ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum uigilia labor statim sequitur. Hæc firmis seruanda sunt; cauendumque, ne in secunda ualetudine, aduersæ præsidia consumantur.

Quæ stomacho imbecilli seruanda sint. Cap. II.

At imbecillis stomacho (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene' cupidi literarū sunt) obseruatio maior necessaria est: ut quod uel corporis, uel loci, uel studij ratio detrahit, cura restituat. Ex ijs igitur, qui bene concoxit, manè tutò surget. qui parum, quiescere debet. & si manè surgendi necessitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquiescere; ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere. Qui crudum sine præcordiorum dolore ructat, is ex interuallo aquam frigidam bibere, & se nihilominùs continere. Habitare uerò ædificio lucido, perflatum æstiuum, hibernum solem habente; cauere meridianum solem, matutinum & uespertinum frigus; itemque auras fluminum, atque stagnorum: minimeque nubilo cœlo, soli aperienti se committere, ne modò frigus, modo calor moueat. quæ res maximè grauedines, distillationesque concitat. Magis uerò grauibus locis ista seruanda sunt, in quibus etiam pestilentiam faciunt. Scire autem licet, integrum corpus esse, cū quotidie manè urina alba, dein rufa est. Illud, concoquere; hoc, concoxisse significat. Vbi experrectus est aliquis, paulùm intermittere; deinde, nisi hyems est, fouere os multa aqua frigida debet. longis diebus meridiari potiùs ante cibum; sin minus, post eum. per hyemem potissimùm, totis noctibus conquiescere. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem. Quem interdiu uel domestica, uel ciuilia officia tenuerūt; huic tempus aliquod seruandum curationi corporis sui est. Prima autem eius curatio, exercitatio est; quæ semper antecedere cibum debet; in eo, qui minùs laborauit, & bene concoxit, amplior. in eo, qui fatigatus est, & minùs concoxit, remissior. Commodè uerò exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio; atque hæc non utique plana, commodior est. siquidem meliùs ascensus quoque & descensus cum quadam uarietate corpus moueat; nisi tamen id perquàm imbecillum est. melior autem est sub diuō, quàm in porticu. melior, si caput patitur, in sole, quàm in umbra. melior in umbra, quam parietes, aut uiridaria efficiunt, quàm quæ tecto subest. melior recta, quàm flexuosa. Exercitationis autem plerunque finis esse debet, sudor; aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem sit; idque ipsum modò minùs, modò magis faciendum est. Ac ne ijs quidem athletarū exemplo, uel certa esse lex, uel immodicus esse labor debet. Exercitationē rectè sequitur modò unctio, uel in sole, uel ad ignem; modò balneum, sed conclaui quàm maximè, & alto, & lucido, & spatioso. Ex his uerò neutrum sępe fieri oportet; sed sępius alterutrum, pro corporis natura. Post hæc, paulùm conquiescere opus est. ubi ad cibum uentum est, nunquam utilis est nimia satietas: Sæpe etiam inutilis nimia abstinentia. sæpe, si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quàm in esca. Cibus a' salsamentis, oleribus, similibusque rebus meliùs incipit. Tum caro assumenda est; quæ assa optima, aut elixa est. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt: quoniam & plus propter dulcedinem assumitur; & quod modo par est, tamen ægriùs concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet; in imbecillo coacescit. si quis itaque hoc parum ualet, palmulas, pomaque, & similia meliùs primo cibo assumit. Post multas potiones,

quæ aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est. post satietatem, nihil agendum. Vbi expletus est aliquis, facilius concoquit, si quidquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includit; tum paulisper inuigilat, deinde bene dormit. Si quis interdiu se impleuit, post cibum, neque frigori, neque æstui, neque labori se debet committere. neque enim tam facile hæc inani corpori, quam repleto, nocent. Si quibus de causis futura inedia est, labor omnis uitandus est.

Obseruationes quædam prout res nouæ accidunt, & prout corporum genera, & sexus, & ætates, & tempora anni sunt. Cap. III.

Atque hæc quidem pene perpetua sunt. Quasdam autem obseruationes desiderant & nouæ res, & corporum genera, & sexus, & ætates, & tempora anni. Nam neque ex salubri loco in grauem, neque ex graui in salubrem transitus satis tutus est. Ex salubri in grauem, prima hyeme; ex graui in eum, qui salubris est, prima æstate trãsire melius est. Neque uero ex multa fame, nimia satietas; neque ex nimia satietate, fames idonea est. Periclitaturque & qui semel, & qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque ex nimio labore, subitum otium; neque ex nimio otio, subitus labor sine graui noxa est. Ergo cùm quis mutare aliquid uolet, paulatim debebit assuescere. Omnem etiam laborẽ facilius uel puer, uel senex, quàm insuetus homo sustinet. Atque ideo quoque nimis otiosa uita, utilis non est; quia potest incidere laboris necessitas. Si quando tamen insuetus aliquis laborauit; aut multò plus, quàm solet, etiam si qui assueuit; huic ieiuno dormiendum est; multò magis, si etiam os amarum est, uel oculi caligant, aut uenter perturbatur: Tum enim non dormiendum tantummodo ieiuno est, sed etiam in posterum diem permanendum, nisi citò id quies sustulit. Quod si factum est, surgere oportet, & lentè paululum ambulare. At si somni necessitas non fuit, quia modicè magis aliquis laborauit; tamen ingredi aliquid eodem modo debet. Communia deinde omnibus sunt, post fatigationem cibum sumpturis, ubi paulum ambulauerunt, si balneum non est, calido loco, uel in sole, uel ad ignem ungi, atque sudare. si est, ante omnia in tepidario residere. Deinde ubi paulùm conquieuerint, intrare, & descendere in solium. tum multo oleo ungi, leniterque perfricari, iterum in solium descendere. Post hæc, os aqua calida fouere, deinde frigida. Balneum iis feruens idoneum non est. Ergo si nimium alicui fatigato pene febris est, huic abundè est, loco tepido demittere se inguinibus tenus, in aquam calidam, cui paulum olei adiectum; deinde totum quidem corpus, maximè tamen eas partes, quæ in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui uinum, & paulùm contriti salis sit adiectum. Post hæc, omnibus fatigatis, aptum est cibum sumere, eoque humido uti. aqua, uel certe diluta potione esse contentos, maximeque ea, quæ moueat urinam. Illud quoque nosse oportet, quòd ex labore sudanti, frigida potio perniciosissima est: atque etiam cùm sudor se remisit, itinere fatigatis, inutilis: A' balneo quoque uenientibus, Asclepiades inutilem eam iudicauit. quod in iis uerum est, quibus aluus facilè, nec tutò resoluitur, quique facilè inhorrescunt. perpetuum in omnibus nõ est, cùm potius naturale sit, potione æstuantem stomachum refrigerari, frigentem calefieri. quod ita præcipio, ut tamen fatear ne ex hac quidem causa sudanti adhuc frigidum bibendum esse. Solet etiam prodesse post uarium cibum, frequentesque dilutas potiones, uomitus, & postero die longa quies, deinde modica exercitatio. Si assidua fatigatio urget, inuicem modò aqua, modò uinum bibendum est; raroque balneo utendum. Leuatque lassitudinem etiam laboris mutatio; eumque, quem nouum genus eiusdem laboris pressit, id quod in consuetudine est, reficit. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est, insolitum contrà lassat. quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum est. propriè quædam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere, frequens frictio; post iter, primùm sedile, deinde unctio; tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quã inferiores foueat. Si quis uerò exustus in sole est; huic in balneum protinus eundum est, perfundendumque oleo corpus, & caput. deinde in solium bene calidũ descendendum est. tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At ei qui perfrixit, opus est in balneo primũ inuoluto sedere, donec insudet; tum ungi, deinde lauari. cibum modicũ, deinde potiones meracas assumere. Is uerò qui nauigauit, & nausea pressus est; si multam bilem euomuit, uel abstinere cibo debet, uel paulum aliquid assumere. Si pituitam acidam effudit, utique sumere cibũ, sed assueto leuiorem. Si sine uomitu nausea fuit, uel abstinere, uel post cibũ uomere. Qui uerò toto die, uel in uehiculo, uel in spectaculis sedet, huic nihil currendum, sed lentè ambulandum est: Lenta quoque in balneo mora, dein cœna exigua, prodesse consueuerunt. Si quis in balneo æstuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum. si id non est, eodem modo frigida aqua assumpta. Ante omnia autem, norit quisque naturam sui corporis; quoniam alij graciles, alij obesi sunt; alij calidi, alij frigidiores, alij humidi, alij sicci. alios astricta, alios resoluta aluus exercet. raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis uerò homo implere se debet, plenus extenuare; calidus refrigerare, frigidus calefacere; madens siccare, siccus madefacere. itemque aluum firmare is, cui fusa: soluere is, cui astricta est. Succurrendumque semper parti maximè laboranti est. Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio: & si post prandium est, balneum, contracta aluus, modicum frigus hyeme, somnus & plenus, & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos, & potiones maximè dulcia & pinguia, cibus & frequentior, & quantus plenissimus potest concoqui. Extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendit, magisque si salsa est: in ieiunio balneum, inurens sol, & omnis calor, cura, uigilia, somnus nimiùm uel breuis, uel longus: lectus per æstatem terra; hyeme durũ cubile: cursus, multa ambulatio, omnisque uehemens exercitatio,

exercitatio, uomitus, deiectio, acidę res & austerę, & semel die assumptæ epulę, & uini non perfrigidi, ie iuno potio in consuetudinem adducta. Cùm uerò inter extenuantia posuerim uomitum, & deiectionẽ, de his quoque propriè quędam dicenda sunt. Eiectum esse ab Asclepiade uomitũ in eo uolumine, quod de tuenda sanitate composuit, uideo. neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidie eijciendo, uorandi facultatem moliuntur. paulò etiam longiùs processit; idem purgationes quoque eodem uolumine expulit. & sunt hę perniciosę, si nimis ualentibus medicamentis fiunt. Sed hæc tamen submouenda esse, non est perpetuum: quia corporum, temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum & modo, & non nisi cùm opus est, adhibeantur. Ergo ille quoque ipse, si quid iam corruptum esset, expelli debere confessus est. Ita non ex toto res condemnanda est: sed esse eius etiam plures causæ possunt. estque in ea, quædam paulò subtilior obseruatio adhibenda. Vomitus utilior est hyeme, quàm æstate: Nam tum & pituitæ plus, & capitis grauitas maior subest. inutilis est gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus. utilis est plenis, & biliosis omnibus, si uel nimiùm se replerunt, uel parum concoxerunt. nam siue plus est, quàm quod concoqui possit; periclitari, ne corrumpatur, non oportet. Si uerò corruptum est, nihil commodius est, quàm id, qua uia primùm expelli potest, eijcere. Itaque ubi amari ructus cum dolore, & grauitate precordiorum sunt; ad hunc protinus confugiendum est. Item prodest ei, cui pectus æstuat, & frequens saliua, uel nausea est, aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est. Similiterque ei, qui uel cœlũ, uel locũ mutat; hisquẽ, quibus, si per plures dies non uomuerunt, dolor precordia infestat. Neque ignoro, inter hęc precipi quietẽ. quę non semper contingere potest, agendi necessitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxurię causa fieri non oportere confiteor: interdum ualetudinis causa rectè fieri experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui ualere, & senescere uolet, hoc quotidianum habeat. Qui uomere post cibũ uolet, si ex facili facit, aquam tantùm tepidam antè debet assumere; si difficiliùs, aquę, uel salis, uel mellis paulum adijcere. At qui manè uomiturus est, antè bibere mulsum, uel hyssopum, aut esse radiculam debet: deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere. Cætera, quę antiqui medici preceperunt, stomachum omnia infestant. Post uomitum, si stomachus infirmus est, paulum cibi, sed huius idonei, gustandum; & aquę frigidę cyathi tres bibendi sunt. Si autem uomitus, fauces exasperauit; qui uomuit, si manè id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde cœnare. si post cœnam, postero die lauari, & in balneo sudare. Hinc proximus cibus, mediocris utilior est; isque esse debet cum pane hesterno, uino austero meraco, & carne assa, cibisque omnibus quàm siccissimis. Qui uomere bis in mense uult, meliùs consulet, si biduo continuârit, quàm si post quintum decimum diem uomuerit; nisi hæc mora grauitatem pectori faciet. deiectio autem, medicamento quoque petenda est, ubi uenter suppressus, parum reddit. ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt. Quid enim inter hæc adiuuare possunt quies, & inedia, quæ per illas maximè eueniunt? Qui eijcere uolet, primùm cibis, uinisque utetur his, quæ hoc præstant. dehinc si parum illa proficient, aloen sumat. Sed purgationes quoque ut interdum necessariæ sunt; sic ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus; & ob hoc infirmum erit; cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit. Calefacit autem unctio, aqua salsa, magisque si calida est: omnia salsa, amara, carnosa: si post cibum est balneum, uinum austerum. Refrigerat in ieiunio & balneum, & somnus, nisi nimis longus est, & omnia acida; aqua quàm frigidissima, oleum si aquæ misceatur. Humidum autem corpus efficit labor maior, quàm ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, post hac ambulatio, & uigilia. Per se quoque ambulatio multa, & uehemens, & matutina exercitatio, & non protinus cibus adiectus; ea genera escæ quæ ueniunt ex locis frigidis, & pluuijs, & irriguis. Contrà siccat modica exercitatio, fames, unctio sine aqua, calor, sol modicus, frigida aqua, cibus exercitationi statim subiectus, & is ipse ex siccis, & æstuosis locis ueniens. Aluum astringit labor, sedile, creta figularis corpori illita; cibus imminutus, & is ipse semel die assumptus ab eo, qui bis solet: exigua potio, neque adhibita nisi cùm cibi quis quantum assumpturus est, cepit: post cibum, quies. Contrà soluit aucta ambulatio, atque esca post motus, qui post cibum est: subinde potiones cibo immixtæ. Illud quoque scire oportet, quòd uentrẽ uomitus solutum comprimit, compressum soluit. Itemque comprimit is uomitus, qui statim post cibũ est; soluit is, qui tardè superuenit. Quod ad ætates uerò pertinet, inediam facillimè sustinent mediæ ętates, minùs iuuenes, minimè pueri, & senectute confecti. quò minùs fert facilè quisque, eò sæpius debet cibum assumere; maximeque eo eget, qui increscit. Calida lauatio, & pueris, & senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius. neutri ætati, quæ inflationes mouent. Iuuenum, minus quæ assumant, & quomodo curentur, interest. Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerunque in senectute contrahitur: Quibus in adolescentia fuit astricta, sæpe in senectute soluitur. Melior est autem in iuuene, fusior; in sene, astrictior. Tempus quoque anni considerare oportet. hyeme plus esse conuenit: minus, sed meracius bibere. multo pane uti: carne potiùs elixa: modicè oleribus. semel die cibum capere, nisi si nimis uenter astrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum est, uel calorem mouentibus. Venus tum non æquè perniciosa est. At uere, paulum cibo demendum, adijciendumque potioni; sed dilutius tamen bibendum est. magis carne utendum: magis oleribus transeundum paulatim ad assa ab elixis. Venus eo tempore anni tutissima est. Aestate uerò, & potione, & cibo corpus sæpius eget: ideo prandere quoque commodum est. Eo tempore aptissima sunt & caro, & olus: potio quàm dilu-

tissima, ut & sitim tollat, nec corpus incendat: Frigida lauatio, caro assa, frigidi cibi, uel qui refrigerent. Vt sæpius autem cibo utendum, sic exiguo est. Per autumnum, propter cœli uarietatem periculum maximum est. Itaque neque sine ueste, neque sine calciamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus. neque sub diuo nocte dormire, aut certè bene operiri. Cibo uerò iam paulò pleniore uti licet: minus, sed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quæ immodicè toto die plerunque sic assumuntur, ne quid ex densiore cibo remittatur. Ita non hæc, sed consumatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus quàm in his noxæ est: Sed his uti non sæpius, quàm alio cibo, conuenit. Denique aliquid densiori cibo, cùm id accedit, necessarium est demi. Neque æstate uerò, neque autumno, utilis uenus est; tolerabilior tamen per autumnum; æstate uerò, & toto (si fieri potest) abstinendũ.

De his, qui aliqua parte corporis laborant; & primum de his, quibus caput infirmum est. Cap. IIII.

Proximum est, ut de his dicam, qui parteis aliquas corporis imbecillas habent. cui caput infirmum est, is si bene concoxerit, leniter perfricare id manè manibus suis debet. nunquam id, si fieri potest, ueste uelare, aut ad cutem tonderi. Vtileque lunam uitare, maximeque ante ipsum lunæ solisque concursum. sed nusquam post cibum progredi. Si cui capilli sunt, eos quotidie pectere; multùm ambulare; sed si licet, neque sub tecto, neque in sole. Vbique autem uitare solis ardorem, maximéque post cibũ, & uinum. potiùs ungi, quàm lauari. nunquam ad flammam ungi, interdum ad prunam. Si in balneũ uenit, sub ueste primùm paulùm in tepidario insudare, ibi ungi; tum transire in calidarium; ubi sudabit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere; tum tepida uti, deinde frigida; diutiusque ea caput, quàm cæteras partes perfundere; deinde id aliquandiu perfricare, nouissimè detergere, & ungere. Capiti nihil æquè prodest, atque aqua frigida: Itaque is, cui hoc infirmum est, per æstatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subijcere. Semper autem, etiam si sine balneo unctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet; caput tamen aqua frigida perfundere. sed cùm cæteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad ceruices aqua descendat; eamque (ne quid oculis, alijsue partibus noceat) defluentem, subinde manibus ad os regerere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facilè concoquat: isque si ieiunio caput læditur, assumendus etiam medio die est. si non læditur, semel potiùs. Bibere huic assiduè uinum dilutum, leue, quàm aquam, magis expedit; ut cùm caput grauius esse cœperit, sit, quò confugiat; eique ex toto neque uinum, neque aqua semper utilia sunt. medicamentũ utrumque est, cùm inuicem assumitur. Scribere, legere, uoce contendere, huic opus non est, utique post cœnam; post quam, ne cogitatio quidem ei satis tuta est; maximè tamen uomitus alienus est.

De his qui lippitudine, grauedine, destillatione, tonsillisq; laborant. Cap. V.

Neque uerò his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquæ frigidæ prodest; sed his etiam, quos assiduæ lippitudines, grauedines, destillationes, tonsillæque malè habent. his autem non caput tantùm quotidie perfundendum est, sed os quoque multa frigida aqua fouendum est. præcipueque omnibus, quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est, ubi grauius cœlũ Austri reddiderunt. cumque omnibus inutilis sit post cibum, aut contentio, aut cogitatio animi; tum his præcipuè, qui uel capitis, uel arteriæ dolores habere consuerunt, uel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam grauedines, destillationesque possunt, si quàm minimè eum, qui his opportunus est, aërem, uel loca, aquasque mutet: si caput in sole protegit, ne incendatur, ne'ue subitum ex repentino nubilo frigus id moueat: si post concoctionem ieiunus caput radit. Si post cibum neque legit, neque scribit.

Ad solutam aluum remedia. Cap. VI.

Quem uerò frequenter citata aluus exercet, huic opus est pila, similibusque superiores partes exercere; dum ieiunus est, ambulare; uitare solis nimium ardorem, continua balnea; ungi citra sudorem; nõ uti cibis uarijs, minimeque iurulentis, aut leguminibus, oleribus'ue his, quę celeriter descendunt; omnia denique fugere, quæ tardè concoquuntur. Venatio, durique pisces, & ex domesticis animalibus, assa caro maximè iuuant. Nunquam uinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem, aut dulce, sed austerum, & plenius, neque id ipsum peruetus. Si mulso uti uolet, id ex decocto melle faciendum est. Si frigidæ potiones uentrem eius non turbant, his utendum potissimùm est. Si quid offensæ in cœna sensit, uomere debet, idque postero quoque die facere: tertio, modici ponderis panẽ ex uino esse, adiecta uua, uel olea, uel ex defruto, similibusque alijs; deinde ad consuetudinem redire. Semper autem post cibũ, conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamuis leui dimoueri.

Remedia ad coli dolorem. Cap. VII.

At si laxius intestinum dolere consueuit, (quod κῶλον nominant) cùm id nihil, nisi genus inflationis sit; id agendum est, ut concoquat aliquis, ut lectione, & alijs generibus exerceatur; utatur balneo calido, cibis

do, cibis quoque, & potionibus calidis; denique omnimodo frigus euitet: item dulcia omnia, leguminaque, & quidquid inflare consueuit.

Quę agenda sint stomacho laborantibus. Cap. VIII.

Si quis uero stomacho laborat, legere clare debet; post lectionem ambulare; tum pila, uel armis, alioue quo genere, quo superior pars mouetur, exerceri. Non aquam, sed uinum calidum bibere ieiunus. Tum cibum bis die assumere, sic tamen ut facile concoquat. Vti uino tenui, & austero; & post cibum, frigidis potionibus potius. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, præcordiorum dolor, nausea, & nolentium uomitus: in ieiuno, dolor capitis; quæ in quo non sunt, is firmi stomachi est. Neque credendum utique nostris est, qui cum in aduersa ualetudine, uinum, aut frigidam aquam concupierunt, delitiarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent. At qui tarde concoquunt, & quorum ideo pręcordia inflantur, quiue propter ardorem aliquem noctu sitire consuerunt; antequam conquiescant, duos tresue cyathos per tenuem fistulam bibant. Prodest etiam aduersus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum uel ungi, uel lauari assidue; uinum frigidũ bibere, & post cibum, magnam potionem, sed, ut supra dixi, per syphonem. deinde omnes potiones aqua frigida includere. Cui uero cibus acescit, is ante eum, bibere aquam egelidã debet, & uomere. At is, cui ex hoc frequens deiectio incidit, quoties aluus ei constiterit, frigida potione potissimum utatur.

Quid obseruandum sit dolore neruorum laborantibus. Cap. IX.

Si cui uero dolere nerui solent (quod in podagra, chiragraue esse consueuit) huic quantum fieri potest, exercendum id est quod affectum est, obijciendumque labori, & frigori; nisi cum dolor increuit. Sub diuo quies optima est. Venus semper inimica est. Concoctio, sicuti in omnibus corporis affectibus, necessaria est: Cruditas enim id maxime lædit; & quoties offensum corpus est, uitiosa pars maxime sentit. Vt concoctio autem omnibus uitijs occurrit, sic rursus alijs frigus, alijs calor: Quę sequi quisque pro habitu corporis sui debet. Frigus inimicum est seni, tenui, uulneri, præcordijs, intestinis, uesicæ, auribus, coxis, scapulis, naturalibus, ossibus, dentibus, neruis, uuluæ, cerebro. Idem summam cutẽ facit pallidam, aridam, duram, nigram. ex hoc horrores, tremoresque nascuntur. At prodest iuuenibus, & omnibus plenis: erectiorque mens est, & melius concoquitur, ubi frigus quidem est, sed caueatur. Aqua uero frigida infusa præter quam capiti, etiam stomacho prodest: Itẽ articulis, doloribusque, qui sunt sine ulceribus. item rubicundis nimis hominibus, si dolore uacant. Calor autẽ adiuuat omnia, quæ frigus infestat. item lippientes, si nec dolor, nec lachrimæ sunt. Neruos quoque, qui contrahuntur; præcipueque ea ulcera, quæ ex frigore sunt: Idem corporis colorem bonum facit, urinam mouet. si nimius est, corpus effœminat, neruos emollit, stomachum soluit. Minime uero aut frigus, aut calor tuta sunt, ubi subita insuetis sunt. Nam frigus lateris dolores, aliaque uitia; frigida aqua, strumas excitat. Calor concoctionem prohibet, somnum aufert, sudorem digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit.

Obseruatio in pestilentia. Cap. X.

Est etiam obseruatio necessaria, qua quis in pestilentia utatur adhuc integer, cum tamen securus esse non possit. Tum igitur oportet peregrinari, nauigare. Vbi id nõ licet, gestari, ambulare sub diuo ante æstum leniter, eodemque modo ungi; & ut supra comprehensum est, uitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem; multoque magis se continere, si qua grauitas in corpore est. Tũ neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est: minimeque post cibum aut balneum. neque ieiuno, neque cœnato uomendum est. neque mouenda aluus; atque etiam si per se mota est, comprimenda est. Abstinendum potius, si plenius corpus est. Itemque uitandum balneum, sudor, meridianus somnus, utique si cibus quoque antecessit; qui tamen semel die tunc commodius assumitur; insuper etiam modicus, ne cruditatem moueat. Alternis diebus inuicem modo aqua, modo uinum bibendum est. quibus seruatis, ex reliqua uictus consuetudine quam minimum mutari debet. Cum uero hæc in omni pestilentia facienda sint, tum in ea maxime, quam Austri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt, ubi graui tempore anni discesserunt ex suis sedibus, uel ubi in graues regiones uenerunt. Ac si cætera, res aliqua prohibebit, utique abstinere debebit. Atque ita a uino ad aquam, ab hac ad uinum, eo, qui supra positus est modo, transitus ei esse.



INSTANTIS autem aduersæ ualetudinis signa complura sunt; in quibus explicandis, non dubitabo auctoritate antiquorum uirorum uti, maximeque Hippocratis; cùm recentiores quoque medici, quamuis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc illum optime præsagisse fateantur. Sed antequam dico, quibus præcedentibus, morborum timor subsit; non alienum uidetur, exponere, quæ tempora anni, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora maximè tuta, uel periculis opportuna sint; quod genus aduersæ ualetudinis in quoque timeri maximè possit. Non quò non omni tempore, in omni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitus hominum, per omnia genera morborum, & ægrotent, & moriantur; sed quòd frequentius tamen quædam eueniant. Ideoque utile est scire unumquenque, quid, & quando maximè caueat.

Quæ anni tempora, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora, uel tuta, uel morbis opportuna sint, & quod ualetudinis genus in quoque timeri possit. Cap. I.

Igitur saluberrimum uer est; proxima deinde ab hoc hyems; periculosior æstas; autumnus longè periculosissimus. Ex tempestatibus uerò, optimæ æquales sunt, siue frigidæ, siue calidæ; pessimæ, quæ uariant maximè. quo fit, ut autumnus plurimos opprimat: Nã ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, simulque etiam uespertinis frigus est. Corpus ergo, & æstate, & subinde meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur. Sed ut eo tempore id maximè fit; sic quandocũque euenit, noxium est. Vbi æqualitas autem est, tamen saluberrimi sunt sereni dies; meliores pluuij, quàm tantùm nebulosi, aut nubili; optimique hyeme, qui omni uento uacant; æstate, quibus Fauonij perflant. Si genus aliud uentorũ est, salubriores septentrionales, quàm subsolani, uel austri sunt. sic tamen, ut hæc interdum regionum sorte mutentur. Nam ferè uentus ubique à mediterraneis regionibus ueniens, salubris; à mari, grauis est. Neque solùm in bono tempestatum habitu, certior ualetudo est; sed priores morbi quoque, si qui inciderunt, leuiores sunt, & promptius finiuntur. Pessimum ergo cœlum est, quod ægrũ fecit; adeo ut in id quoque genus, quod natura peius est, in hoc statu, salubris mutatio sit. At ętas media tutissima est, quę neque iuuentæ calore, neque senectutis frigore infestatur. Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet. Corpus autem habilissimum, quadratum est, neque gracile, neque obesum. Nam longa statura ut in iuuenta decora est; sic matura senectute conficitur. gracile corpus, infirmum; obesum, hebes est. Vere tamẽ maximè quæcunque humoris motu nouantur, in metu esse consuerunt. ergo tum lippitudines, pustulæ, profusio sanguinis, abscessus corporis (quæ ἀποστήματα græci nominant) bilis atra (quam μελαγχολίαν appellant) insania, morbus comitialis, angina, grauedines, destillationes oriri solent. hi quoque morbi, qui in articulis, neruisque modò urgent, modò quiescunt, tum maximè & inchoantur, & repetunt. At æstas non quidem uacat plerisque ab his morbis, sed adijcit febres, uel continuas, uel ardentes, uel tertianas, uomitus, alui deiectiones, auricularum dolores, ulcera oris, cancros, & in cæteris quidem partibus, sed maximè obscenis, & quidquid sudore hominem resoluit. uix quidquam ex his in autumnum nõ incidit; sed oriuntur eo quoque tempore, febres incertæ, lienis dolor, aqua intercutem, tabes (quam græci φθίσιν nominant) urinæ difficultas (quam στραγγουρίαν appellant) tenuioris intestini morbus, quem ἰλεὸν nominant: Fit item lenitas intestinorum (quæ λειεντερία uocatur) coxæ dolores, morbi comitiales. Idemque tempus, & diutinis malis fatigatos, & ab ęstate tantùm proxima pressos interimit, & alijs nouis morbis conficit, & quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quę per hyemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus pestilentiæ patet, cuiuscunque ea generis est, quamuis uarijs rationibus nocet. Hyems autem, capitis dolores, tussim, & quidquid in faucibus, in lateribus, in uisceribus mali cõtrahitur, irritat. Ex tempestatibus, Aquilo tussim mouet, fauces exasperat, uentrem astringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolores lateris, & pectoris: Sanum tamen corpus spissat, & mobilius, atque expeditius reddit. Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolores mouet, aluum soluit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Cæteri uenti, quò uel huic, uel illi propiores sunt, eò magis uicinos his, illisue affectus faciunt. Denique omnis calor, & iecur, & lienem inflammat, mentem hebetat; ut anima deficiat, ut sanguis prorumpat, efficit. Frigus, modò neruorum distentionem, modò rigorem infert (Illud σπασμὸς, hoc τέτανος græcè nominatur) nigritiem in ulceribus, horrorem in febribus excitat. In siccitatibus acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longæ febres, alui deiectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio neruorum, quam παράλυσιν græci nominant. Neque solùm interest, quales dies sint, sed etiam quales antè præcesserint: Si hyems sicca, septentrionales uentos habuit; uer autem, austros, & pluuias exhibet; ferè subeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus; ideoque præcipuè in mulieribus. Si uerò Austri, pluuiæque hyemẽ occuparunt; uer autẽ frigidũ, & siccum est; grauidæ quidem fœminę, quibus tũ adest partus, abortu periclitãtur. hę uerò quæ gignũt, imbecillos, uixque uitales edunt. cęteros lippitudo arida, &, si seniores sunt, grauedines, atque destillatiões malè habẽt. At si à prima hyeme, Austri ad ultimũ uer continuarunt, laterũ dolores, & insania febricitantiũ (quã φρενῖτιν appellant) quam celerrimè

lerrime rapiunt. Vbi primo calor a primo uere orsus, æstatem quoque similem exhibet; necesse est multũ sudorem in febribus subsequi. At si sicca æstas, Aquilones habuit, autumno uero imbres, Austrique sunt; tota hyeme, quæ proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam etiam tabes oriuntur. Sin autem autumnus quoque æquè siccus, iisdem Aquilonibus perflatur; omnibus quidem mollioribus corporibus (inter quæ, muliebria esse proposui) secunda ualetudo contingit. durioribus uerò instare possunt & aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim longæ, & ij morbi, qui ex atra bile nascuntur. Quod ad ætates uerò pertinet; pueri, proximique ijs, uere, optimè ualent, & æstate prima tutissimi sunt: Senes æstate, & autumni prima parte; Iuuenes hyeme, quique inter iuuentam, senectutemque sunt. inimicior senibus hyems, æstas adolescentibus est. Tum si qua imbecillitas oritur, proximum est, ut infantes, tenerosque adhuc pueros serpentia ulcera oris (quæ ἄφθας Græci nominant) uomitus, nocturnæ uigiliæ, aurium humor, circa umbilicum inflammationes exerceant. Propria etiam dentientium, gingiuarumque exulcerationes, distentiones neruorum, febriculæ interdum, alui deiectiones, maxillæque caninis dentibus orientibus male habent. quæ pericula plenissimi cuiusque sunt, & cui maximè uenter astrictus est. At ubi ætas paulum processit, glandulæ, & uertebrarum, quæ in spina sunt, aliquæ inclinationes, strumæ, uerrucarum quædam genera dolentia, (ἀκροχορδόνας Græci appellant) & plura alia tubercula oriuntur. Incipiente uerò iam pube, ex iisdem multæ, & longæ febres, sanguinis ex naribus cursus. maximeque omnis pueritia primùm circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. Si qua etiam genera morborum in infantem inciderũt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœmina, primis menstruis finita sunt, ferè longa sunt: Sæpius tamen morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur. Adolescentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maxime obiecta est; fereque iuuenes sunt, qui sanguinem expuunt. Post hanc ætatem, laterum, & pulmonis dolores, lethargus, cholera, insania, sanguinis per quædam etiam uelut ora uenarum (αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant) profusio. In senectute, spiritus, & urinæ difficultas, grauedo, articulorum, & renum dolores, neruorum resolutiones, malus corporis habitus (καχεξίαν Græci appellant) nocturnæ uigiliæ, uitia longiora aurium, oculorum, etiam narium; præcipueque soluta aluus; & quæ sequuntur hanc, tormina, uel læuitas intestinorum, cæteraque fusi uentris mala. Præter hæc, graciles, tabes, deiectiones, destillationes, item uiscerum, & laterum dolores fatigant. Obesi plerunque acutis morbis, & difficultate spirandi strangulantur, subitoque sæpe moriuntur: quod in corpore tenuiore uix euenit.

De notis aduersæ ualetudinis futuræ. Cap. II.

Ante aduersam autem ualetudinem, ut supra dixi, quædam notæ oriuntur; quarum omnium commune est, aliter se corpus habere, atque cõsueuit; neque in peius tantum, sed etiam in melius. Ergo si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet: quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultrà progredi possunt; ferè retrò, quasi ruina quadam, reuoluuntur. Peius tamen signum est, ubi aliquis contra cõsuetudinem emacruit, & colorem, decoremque amisit. quoniã in ijs quæ superant, est quod morbus demat; in ijs quæ desunt, non est quod ipsum morbum ferat. Præter hæc, protinus timeri debet, si grauiora membra sunt, si crebra ulcera oriuntur, si corpus supra consuetudinem incaluit, si grauior somnus pressit, si tumultuosa somnia fuerunt, si sæpius expergiscitur aliquis, quàm assueuit, deinde iterum soporatur: si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem, insudat, maximeque circa pectus, aut ceruices, aut crura, uel genua, uel coxas: Item si marcet animus, si loqui, & moueri piget, si corpus torpet, si dolor præcordiorum est, aut totius pectoris, aut qui in plurimis euenit capitis; si saliuæ plenum est os, si oculi cum dolore uertũtur, si tempora astricta sunt, si membra inhorrescunt, si spiritus grauior est, si circa frontem intentæ uenæ mouentur, si frequentes oscitationes, si genua quasi fatigata sunt, totumue corpus lassitudinem sentit: Ex quibus sæpe plura, nunquàm non aliqua febrem antecedunt. In primis tamen illud considerandum est, nunquid sæpius horum aliquid eueniat; ac ideo neque corporis ulla difficultas subsequatur: Sunt enim quædam proprietates hominum, sine quarum notitia, non facilè quidquam in futurum præsagiri potest. Facilè itaque securus est in ijs aliquis, quæ sæpe sine periculo euasit: Ille solicitari debet, cui hæc noua sunt; aut qui ista nunquàm sine custodia sui, tuta habuit.

Quæ bona in ægrotantibus signa sint. Cap. III.

Vbi uerò febris aliquem occupat, scire licet, non periclitari, si in latus, aut dextrum, aut sinistrum (ut ipsi uisum est) cubat, cruribus paulùm reductis; qui ferè sani quoque iacentis habitus est; si facilè conuertitur, si noctu dormit, si interdiu uigilat, si ex facili spirat, si non conflictatur, si circa umbilicum, & pubem, cutis plana est, si præcordia eius sine ullo sensu doloris æqualiter mollia in utraque parte sunt: quòd si paulò tumidiora sunt, sed tamen digitis cedunt, & non dolent; hæc ualetudo, ut spatium aliquod habebit, sic tuta erit. Corpus quoque quod æqualiter molle, & calidum est, quodque æqualiter totum insudat, & cuius febricula eo sudore finitur, securitatem pollicetur, quando iã ad sanitatem uenit corpus: Sternutamentum etiã inter bona indicia est: Et cupiditas cibi uel a primo seruata, uel etiam post fastidium orta. neque terrere debet ea febris, quæ eodẽ die finita est; ac ne ea quidem,

quæ quamuis longiore tempore euanuit, tamen ante alteram accessionem ex toto quieuit sic, ut & corpus integrum (quod εἰλικρινὲς Græci uocant) fieret. Si quis autem incidit uomitus, mixtus esse & bile, & pituita debet; & in urina subsidere album, leue, equale; sic, ut etiã si quæ quasi nubeculę innatarint, in imum deferantur. At uenter ei, qui à periculo tutus est, reddit modò mollia figurata, eodem fere tempore, quo secunda ualetudine assueuit; modò conuenientia ijs quæ assumuntur. Peior cita aluus est. Sed ne hæc quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est; aut si procedente tempore, paulatim contrahitur, & russa est; neque fœditate odoris similem aluũ sani hominis excedit. Ac lumbricos quoque aliquos sub fine morbi descendisse, nihil nocet. Si inflammatio in superioribus partibus dolorem, tumoremque fecit, bonum signum est sonus uentris inde ad inferiores partes euolutus; magisque etiam si sine difficultate cum stercore excessit.

Mala signa ægrotantium. Cap. IIII.

Contra, grauis morbi periculum est, ubi supinus æger iacet, porrectis manibus, & cruribus: ubi residere uult in ipso acuti morbi impetu, præcipueque pulmonibus laborantibus. ubi nocturna uigilia premitur, etiam si interdiu somnus accedit. Ex quo tamen peior est, qui inter quartam horam, & noctem, quàm qui matutino tempore ad quartam. Pessimum tamen est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim fere sine continuo dolore esse non potest. Aequè uerò signum malum est, etiam somno ultra debitum urgeri; peiusque, quò magis se sopor interdiu, noctuque continuat. Mali etiam morbi testimonium est, uehementer, & crebrò spirare; à sexto die cœpisse inhorrescere; pus expuere, uix excreare, dolorem habere continuum, difficulter ferre morbum, iactare brachia & crura, sine uoluntate lachrymare, habere humorem glutinosum dentibus inhærentem, cutem circa umbilicum & pubem macram; præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta; magisque si hæc dextra parte, quã sinistra sunt; periculosissimum tamen est, si uenæ quoque ibi uehementer agitantur. Mali etiam morbi signum est, nimis celeriter emacrescere: caput, & pedes, manusque calidas habere, uentre, & lateribus frigentibus; aut frigidas extremas partes, acuto morbo urgente; aut post sudorem inhorrescere, aut post uomitum, singultũ esse, uel rubere oculos; aut post cupiditatem cibi, post'ue longas febres, hunc fastidire; aut multùm sudare, maximeque frigido sudore; aut habere sudores non per totum corpus æquales, quique febrem non finiant; & eas febres, quæ quotidie tempore eodẽ reuertantur, quæ'ue semper pares accessiones habeant, neque tertio quoque die leuentur, quæ'ue continuent, ut per accessiones increscãt, per discessiones tantùm molliantur, nec unquã integrum corpus dimittant. Pessimum est, si ne leuatur quidem febris, sed æquè concitata continuat. Periculosum est etiam, post arquatum morbum, febrem oriri; utique si præcordia, dextra parte dura manserunt, ac dolentibus ijs, leua. Nulla acuta febris leuiter terrere nos debet. neque unquam in acuta febre, aut à somno, non est terribilis neruorum distentio. timere etiam ex somno, mali morbi est. Itemque in prima febre protinus mentem esse turbatam, membrum'ue aliquod esse resolutum. ex quo casu quamuis uita redditur, tamen id fere membrum debilitatur. Vomitus etiam periculosus est sinceræ pituitæ uel bilis; peiorque, si uiridis, aut niger est. At mala urina est, in qua subsidunt uel rubra, aut liuida: deterior, in qua quasi fila quædam tenuia, atque alba. pessima ex ijs, si tanquàm ex furfuribus factas nubeculas repræsentat. diluta quoque, atque alba uitiosa est, sed in phreneticis maximé. Aluus autem mala est ex toto suppressa: Periculosa etiam, quæ inter febres fluens, conquiescere hominem in cubili non patitur; utique si quod descendit, est perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut spumans. Præter hæc, periculum ostendit id quod excernitur, si est exiguum, glutinosum, leue, album, idemque subpallidum; uel si est aut liuidum, aut biliosum, aut cruentum, aut peioris odoris, quàm ex consuetudine. Malum est etiam, quod post longas febres sincerum est.

al. longi morbi

De signis longæ ualetudinis. Cap. V.

Post hæc indicia, notum est longum morbum fieri. sic enim necesse est, nisi occidit. Neque ulla alia spes in malis magnis est, quã ut impetum morbi, trahendo, aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præstet. Protinus tamen signa quædam sunt, ex quibus colligere possumus, morbum & si non interemerit, longius tamen tempus habiturum. Vbi frigidus sudor inter febres non acutas, circa caput tantùm, & ceruices oritur; aut ubi febre non quiescente, corpus insudat; aut ubi corpus modò frigidum, modò calidum est, & color alius ex alio fit; aut ubi, quod inter febres, aliqua parte abscessit, ad sanitatem non peruenit; aut ubi æger pro spatio, parum emacrescit. Itẽ si urina modò liquida, & pura est, modò habet quædam subsidentia; si leuia, atque alba, rubra'ue sunt, quæ in ea subsidunt; aut si quasdam quasi maculas repræsentat; aut si bullulas excitat.

De indicijs mortis. Cap. VI.

Sed inter hæc quidem proposito meo, spes tamẽ superest. Ad ultima uerò iam uentum esse, testantur nares acutæ, collapsa tempora, oculi concaui, frigidæ, languideque aures, & imis partibus leniter uersæ, cutis circa frontem dura, & intenta, color aut niger, aut perpallidus; multoque magis, si ita hæc sunt,

hæc sunt, ut neque uigilia præcesserit, neque uentris resolutio, neque inedia: Ex quibus causis interdū hęc species oritur, sed uno die finitur: Itaque diutius durans, mortis index est. Si uerò in morbo uetere, iam triduo talis est, in propinquo mors est; magisque, si præter hæc, oculi quoque lumē refugiūt & illachrymant; quæque in ijs alba esse debent, rubescunt, atque in ijsdē uenulæ pallent; pituitaque in ijs innatans nouissimè angulis inhærescit; alterque ex his minor est; ijque aut uehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt; perque somnum palpebræ non committuntur, sed inter has, ex albo oculorū aliquid apparet; neque id fluens aluus expressit; eædemque palpebræ pallent; & idem pallor, labra, & nares decolorat. eademque labra, & nares, oculique, & palpebræ, & supercilia, aliqua'ue ex his peruertuntur; isque propter imbecillitatem, iam non audit, aut non uidet. Eadem mors denuntiatur, Vbi ægri supini cubant, ijsque genua contracta sunt; ubi deorsum ad pedes subinde delabitur; ubi brachia, & crura nudat, & inæquabiliter dispergit, neque ijs calor subest; ubi hiat, ubi assiduè dormit; ubi ijs qui mentis suæ non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet; ubi ulcus, quod aut antè, aut in ipso morbo natum est, aridum, & aut pallidum, aut liuidum factum est. Illa quoque mortis indicia sunt, ungues, digitique pallidi, frigidus spiritus; aut si manibus quis in febre, & acuto morbo, uel insania, pulmonis'ue dolore, uel capitis, in ueste floccos legit, fimbrias'ue diducit; uel in adiuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit. Dolores etiam circa coxas, & inferiores partes orti, si ad uiscera transierunt, subitoque desierunt, mortem subesse testantur; magisque, si alia quoque signa accesserunt. Neque is seruari potest, qui sine ullo tumore febricitans, subitò strangulatur, aut deuorare saliuam suam non potest: Cui'ue, in eodem febris, corporisque habitu, ceruix conuertitur, sic ut deuorare æquè nihil possit; aut cui simul & continua febris, & ultima corporis infirmitas est; aut cui, febre non quiescente, exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat; aut qui febre ęquè nō quiescente, simul & delirio, & spirandi difficultate uexatur; aut qui, epoto ueratro, exceptus distentione neruorum est; aut qui ebrius obmutuit; is enim febre, adiecta neruorum distentione, consumitur; nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solui debet, loqui cœpit. Mulier quoque grauida acuto morbo facilè consumitur; & is, cui somnus dolorem auget; & cui protinus in recenti morbo, bilis atra, uel infrà, uel suprà se ostendit; cui'ue alterutrum modò se prompsit, cum iam longo morbo corpus eius esset extenuatum, & affectum. sputum etiam biliosum, & purulentum, siue separatim ista, siue mixta proueniunt, interitus periculum ostendunt: Ac si circa septimum diem tale esse cœpit, proximū est, ut is circa quartumdecimum diem decedat; nisi alia signa meliora, peiora'ue accesserint. quæ quò leuiora, grauiora'ue subsecuta sunt, eò uel seriorem mortem, uel maturiorem denunciant. Sudor quoque frigidus in acuta febre, pestiferus est. atque in omni morbo, uomitus, qui uarius, & multorum colorum est; præcipueque si malus in hoc odor est. Ac sanguinem quoque in febre uomuisse, pestiferum est. Vrina uerò rubra, & tenuis, in magna cruditate esse consueuit; & sæpe, antequàm spatio maturescat, hominem rapit. Itaque si talis diutiùs permanet, periculum mortis ostendit. Pessima tamen est, præcipueque mortifera, nigra, crassa, mali odoris; atque in uiris quidē, & mulieribus, talis deterrima est: In pueris uerò, quæ tenuis, & diluta est. Aluus quoque uaria, pestifera est, quæ strigmentum, sanguinem, bilem uiridem, aliquid modò diuersis temporibus, modò simul, & in mixtura quadam, discreta tamen repræsentat. Sed hęc quidem potest paulò diutius trahere: In præcipiti uerò iam esse denunciat, quæ liquida, eademque uel nigra, uel pallida, uel pinguis est; utique si magna fœditas odoris accessit. Illud interrogari me posse ab aliquo scio; si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti à medicis conualescant; quosdamque fama prodiderit, in ipsis funeribus reuixisse. Quinetiam uir iure magni nominis, Democritus, ne finitę quidem uitæ satis certas notas esse proposuit, qbus medici credidissent; adeo illud nō reliquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent. Aduersus quos, ne dicam illud quidem, quòd in uicino sæpe quædam notæ positæ, non bonos, sed imperitos medicos decipiunt, quod Asclepiades funeri obuius, intellexit, eum uiuere, qui efferebatur; ne protinus crimen artis esset, si quod professoris sit; Illa tamen moderatiùs subijciam: Coniecturalem artem esse medicinam; rationemque coniecturæ talem esse, ut cùm sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaque uix in millesimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cùm per innumerabiles homines respondeat. Idque non in ijs tantum, quæ pestifera sunt, dico; sed in ijs quoque, quæ salutaria. Si quidem etiā spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit. Quæque medendi causa reperta sunt, nonnunquam in peius aliquid conuertunt: Neque id euitare humana imbecillitas, in tanta uarietate corporum potest. Sed est tamen medicinæ fides, quæ multò sæpius, perque multò plures ægros prodest. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse & salutis, & mortis.

De notis, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit. Cap. VII.

Sed cùm proposuerim signa, quæ in omni aduersa ualetudine communia esse consuerunt; ea quoque transibo, ut, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit notas, indicem. Quædam autem sunt, quæ ante febres; quædam, quæ inter eas, quid aut intus sit, aut uenturum sit, ostendunt. Ante febres, si caput graue est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt; circa caput aliquis pituitæ impetus timeri potest. Si sanguis, aut calor abundat; proximum est, ut aliqua parte profluuium sanguinis fiat. Si sine causa quis emacrescit; ne in malum habitum corpus eius recidat, metus est. Si præcordia dolent, aut inflammatio grauis est, aut non toto die concocta fertur urina, cruditatē esse

manifestum est. Quibus diu color sine morbo regio, malus est, hi uel capitis doloribus conflictantur, uel terram edunt. Qui diu habent faciem pallidam, & tumidam; aut capite, aut uisceribus, aut aluo laborant. Si in continua febre, puero uenter nihil reddit, mutaturque ei color, nec somnus accedit, ploratque is assi due; metuenda neruorum distentio est. Frequens autem destillatio in corpore tenui, longoque, tabem timendam esse testatur. Vbi pluribus diebus non descendit aluus, docet aut subitam deiectionem, aut febriculam instare. Vbi pedes turgent, lōgæ deiectiones sunt. Vbi dolor in imo uentre, & in coxis est, aqua intercutis instat. sed hoc morbi genus ab ilibus oriri solet. Idem propositum periculum est ijs, quibus uoluntas desidendi est, uenter nihil reddit, nisi & ægre, & durum, tumor in pedibus est. idemque modo dextra, modo sinistra parte uentris inuicem oritur, atque finitur. sed a iecinore id malum proficisci uidetur. eiusdem morbi nota est, Vbi circa umbilicum, intestina torquentur (στρόφον Græci nominant) coxæque dolores manent, eaque neque tempore, neque remedijs soluuntur. Dolor autem articulorū, pro ut in pedibus, manibus ue, aut alia qualibet parte sic est, ut eo loco nerui cōtrahantur; aut si id membrum ex leui causa fatigatum, æque frigido, calido que offenditur; podagrā, chiragram ue, uel eius articuli, in quo id sentitur, morbum futurum esse denuntiat. Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit, dein fluere desijt, hi uel capitis doloribus conflictentur, necesse est; uel in articulis aliquas exulcerationes graues habeant; uel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus fœminis menstrua non proueniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, uel quælibet alia pars morbo infestetur. Eademque ijs pericula sunt, quibus articulorum uitia, dolores, tumoresque sine podagra, similibusque morbis oriuntur, & desinunt. Vtique si sæpe tempora ijsdem dolent, noctuque corpora insudant, si frons prurit, lippitudinis metus est. Si mulier a partu uehementes dolores habet, neque alia præterea signa mala sunt; circa uigesimum diem, aut sanguis per nares erumpet, aut in inferioribus partibus aliquid abscedet. Quicūque etiam dolorem ingentem circa tempora, & frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet; magisque, si iuuenis erit, per sanguinis profusionem; si senior, per suppurationem. Febris autem, quæ subito sine ratione, sine bonis signis finita est, fere reuertitur. Cui fauces sanguine, & interdiu, & noctu replentur, sic, ut neque capitis dolores, neque præcordiorū, neque tussis, neque uomitus, neque febricula præcesserit; huius aut in naribus, aut in faucibus, ulcus reperietur. Si mulieri ex inguine febricula orta est, neque causa apparet, ulcus in uulua est. Vrina autem crassa, ex qua quod desidet, album est; significat circa articulos, aut circa uiscera, dolorem, metumque morbi esse. Eadem uiridis, aut uiscerum dolorem, tumoremque cum aliquo periculo subesse, aut certe corpus integrum non esse testatur. At si sanguis, aut pus in urina est, uel uesica, uel renes exulcerati sunt. Si hæc crassa, caruncuIas quasdā exiguas, quasi capillos habet, aut si bullat, aut si male olet, & interdum quasi harenam, interdum quasi sanguinem trahit; dolent autem coxæ, quæque inter has, superque pubem sunt; & accedunt frequentes ructus, interdum uomitus biliosus, extremæque partes frigescunt, urinæ crebra cupiditas, sed magna difficultas est, & quod inde excretum est, aquæ simile, uel russum, uel pallidum est, paulūm tamen in eo leuamenti est, aluus uero cum multo spiritu redditur; utique in renibus uitium est. Aut si paulatim destillat, uel si sanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent; in eadem uesica uitium est. Calculosi uero his indicijs cognoscuntur. Difficulter urina redditur, paulatimque, interdum etiam sine uoluntate destillat: Eadem harenosa est; nonnunquam aut sanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur: Eamque quidam promptius recti, quidam resupinati, maximeque ij, qui grandes calculos habent, quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo, dolorem leuant: Grauitatis quoque cuiusdam in ea parte sensus est, atque ea, cursu, omnique motu augentur: Quidam etiam, cum torquentur, pedes inter se subinde mutatis uicibus implicant: Fœminæ uero, oras naturalium suorum manibus admotis scalpere crebro coguntur: Nonnunquam si digitum admouerunt, ubi uesicæ ceruicem is urget, calculum sentiunt. At qui spumantem sanguinem excreant, his in pulmone uitium est. Mulieri grauidæ, sine modo fusa aluus, elidere partum potest. Eidem si lac ex mammis profluit, imbecillum est, quod intus gerit. duræ mammæ, sanum illud esse testantur. Frequens singultus, & præter consuetudinem, continuus, iecur inflammatum esse significat. Si tumores super ulcera subito esse desierunt, idque a tergo incidit; uel distentio neruorum, uel rigor timeri potest: At si a priore parte id euenit, uel lateris acutus dolor, uel insania expectanda est: Interdum etiam huiusmodi casum (quæ tutissima inter hæc est) profusio alui sequitur. Si ora uenarum, sanguinem solita fundere, subito suppressa sunt, aut aqua intercutis, aut tabes sequitur. eadem tabes subdit, si in lateris dolore orta suppuratio, intra quadraginta dies purgari non potuit. At si longa tristitia, cum longo timore, & uigilia est, atræ bilis morbus subest. Quibus sæpe ex naribus fluit sanguis, his aut lienis tumet, aut capitis dolores sunt; quos sequitur, ut quædam ante oculos tanquam imagines obuersentur. At quibus magni lienes sunt, his gingiuæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit. quorum si nihil euenit, necesse est in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant. Quibus causa doloris, neque sensus eius est, his mens labat. Si in uentrem sanguis confluxit, ibi in pus uertitur. Si a coxis, & ab inferioribus partibus, dolor in pectus transit, neque ullum signum malum accessit, suppurationis eo loco periculum est. Quibus sine febre, aliqua ex parte dolor, aut prurigo cum rubore, aut calore est, ibi aliquid suppurat. Vrina quoque, quæ in homine sano parum liquida est, circa aures futuram aliquam suppurationē esse denunciat. Hęc uero cū sine febre quoque, uel latentium, uel futurarum rerū notas habeant, multo certiora sunt, ubi febris accessit; atque etiam aliorum morborū tū signa nascuntur. Ergo protinus insania timēda est, ubi expeditior alicuius, quā sani fuit,

sermo est: subitaque loquacitas orta est: & hæc ipsa solito audacior. aut ubi raro quis, & uehementer spirat: uenasque concitatas habet, præcordijs duris, & tumētibus. Oculorum quoque frequens motus; & in capitis dolore, offusæ oculis tenebræ: uel nullo dolore substante, somnus ereptus, continuataque nocte, & die, uigilia: uel prostratum contra consuetudinem, corpus in uentrem sic, ut ipsius alui dolor id non coegerit: Itē robusto adhuc corpore insolitus dentiū stridor, insaniæ signa sunt. Siquid etiā abscessit, & anteq̃ suppuraret, manēte adhuc corpore, insolita febre subsedit; periculū affert primū furoris, deinde interitus: auris quoque dolor acutus, cū febre cōtinua, uehemētique, sæpe mentē turbat: & ex eo casu, iuniores interdū intra septimū diē moriuntur, seniores tardius: quoniā neque æquè magnas febres experiūtur: neque æquè insaniunt. ita sustinent, dum his affectus intus uersatur. Suffusæ quoque sanguine, mulieris mammæ, furorem uenturum esse testantur. Quibus autem longæ febres sunt, his aut abscessus aliqui, aut articulorum dolores erunt. Quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat his neruorum distentio. Si angina subitò finita est, in pulmonem id malum transit: idque sæpe intra septimum diē occidit: quod nisi incidat, sequitur, ut aliqua parte suppuret. Deinde, post alui longam resolutionem, tormina: Post hęc, intestinorū læuitas oritur. Post nimias destillationes, tabes. post lateris dolores, uitia pulmonum: post hæc, insania. Post magnos feruores corporis, neruorum rigor, aut distētio. Vbi caput ulneratum est, delirium. ubi uigilia torsit, neruorum distentio, ubi uehementer uenę super ulcera mouentur, sanguinis profluuium erit. Suppuratio uerò pluribus morbis excitatur: Nā si longæ febres, sine dolore, sine manifesta causa remanent: in aliquam partem id malum incumbit: in iunioribus tamen: nam in senioribus, ex eiusmodi morbo, quartana ferè nascitur. Eadem suppuratio fit, si præcordia dura, dolentia ante uigesimum diem, hominem non sustulerūt: neque sanguis ex naribus fluxit, maximeque in adolescentibus: utique si inter principia, aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt: sed cū inferioribus partibus aliquid abscessit. aut si præcordia tumorem mollem habent: neque habere intra sexaginta dies desinunt: hęretque per omne id tempus febris. Sed tum in superioribus partibus fit abscessus: ac si inter ipsa ulcera non fuit, circa aures erumpit. Cumque omnis longus tumor, ad suppurationē ferè spectet: magis se tendit is, qui in præcordijs, quàm is qui est in uētre: & is qui supra umbilicū, quàm is qui infra est. Si lassitudinis etiam sensus in febre est: uel in maxillis, uel in articulis aliquid abscedit. Interdum quoque urina tenuis, & cruda sic diu fertur, ut alia salutaria signa sint: Ex quo eo casu, plerūque infra trāsuersum septum (quod διάφραγμα Græci uocant) fit abscessus. Dolor autem pulmonis, si neque per sputa, neque per cucurbitulas, neque per sanguinis detractionem, neque per uictus rationē, finitus est, uomicas aliquas intus excitat aut circa uigesimum diem, aut circa XXX, nonnunquam etiam circa sexagesimū. numerabimus autem ab eo die, quo primùm febricitauit aliquis, aut inhorruit, aut grauitatē eius partis sensit. sed hæ uomicæ modò à pulmone, modò à contraria parte nascuntur. Quod suppurat, ab ea parte, quā afficit, dolorem, inflammationemque cōcitat, ipsum calidius est: & si in partem sanam aliquis decubuit, onerare eam ex pondere aliquo uidetur. Omnis etiam suppuratio, quæ nondum oculis patet, sic deprehendi potest: Si febris non dimittit: eaque interdiu leuior est, noctu increscit: multus sudor oritur: cupiditas tussiendi est, & pene nihil in tussi excreatur: oculi caui sunt: malæ rubēt: uenæ sub lingua inalbescūt; in manibus fiunt adunci ungues; digiti, maximeque summi pallent: in pedibus tumores sunt: spiritus difficilius trahitur: cibi fastidium est: pustulæ toto corpore oriuntur. Quod si protinus initio dolor & tussis fuit, & spiritus difficultas: uomica uel ante, uel circa uigesimum diem erumpet. si serius ista cœperint, necesse est quidem increscant: sed quò minus citò affecerint, eò tardius soluentur. Solent etiā in graui morbo, pedes cum digitis, unguibusque nigrescere. quòd si non est mors consecuta, & reliquū corpus inualuit: pedes tamen decidunt.

Quæ notæ in quoque morbi genere uel spem, uel pericula ostendant. Cap. VIII.

Sequitur ut in quoque morbi genere proprias notas explicem, quę uel spem, uel periculum ostendāt. Ex uesica dolente, si purulenta urina processit, inque ea læue, & album subsedit, metum detrahit. In pulmonis morbo, si sputo ipse leuatur dolor: quamuis id purulentum est: tamen æger facile spirat, facile excreat, morbum ipsum non difficulter fert: potest ei secunda ualetudo contingere. Neque inter initia terreri conuenit, si protinus sputum mixtum est ruffo quodam, & sanguine; dummodò statim edatur. Laterum dolores, suppuratione facta, deinde intra quadragesimum diem purgata finiuntur. Si in iecinore uomica est, & ex ea fertur pus purum, & album, salus ei facilis. id enim malum in tunica est. Ex suppurationibus uero eæ tolerabiles sunt, quæ in exteriorem partem feruntur, & acuuntur: Et ex his quę intus procedunt, hæ leuiores, quæ contra se cutem non afficiunt: eamque & sine dolore esse, & eiusdem coloris, cuius reliquæ partes sunt, sinunt esse. Pus quoque, quacūque parte erumpit, si est leue, album, & unius coloris, sine ullo metu est: & quo effuso, febris protinus conquieuit: desierūtque urgere cibi fastidium, & potionis desiderium. si quando etiam suppuratio descendit in crura, sputumque eiusdem factum pro ruffo, purulentum est: periculi minus est. At in tabe, eius, qui saluus futurus est, sputum esse debet album, ęquale totum, eiusdemque coloris, sine pituita; eique etiā simile esse oportet, si quid in nares à capite destillat. Longè optimum est, febrem omnino non esse. secundū est, tātulum esse, ut neque cibū impediat, neque crebrā sitim faciat. Aluus in hac ualetudine, ea tuta est, quę cotidie coacta, eaque conuenientia iis, quę assumuntur, reddit. Corpus id, quod minimè tenue, maximeque

lati pectoris, atque setosi est: cuiusque cartilago exigua, & carnosa est. Super tabē, si mulieri quoque suppressa menstrua fuerunt: & circa pectus, atque scapulas dolor mansit, subito que sanguis erupit, leuari morbus solet: Nam & tussis minuitur, & sitis atque febriculæ desinunt. Sed iisdem fere, nisi redit sanguis, uomica erumpit: quæ quò cruentior, eò melior est. Aqua autem inter cutem minime terribilis est, quæ nullo antecedēte morbo cœpit, deinde quę longo morbo superuenit: Vtique si firma uiscera sunt: si spiritus facilis: si nullus dolor: si sine calore corpus est: æqualiterque in extremis partibus macrū est: si uenter mollis: si nulla tussis, nulla sitis: si lingua ne per somnum quidem inarescit: si cibi cupiditas est: si uenter medicamentis mouetur: si per se excernit mollia, & figurata: si extenuatur: si urina & uini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutatur: si corpus sine lassitudine est, & morbum facilè sustinet. siquidem in quo omnia hæc sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bona spe est. Articulorum uerò uitia, ut podagræ, chiragræque, si iuuenes tentarint, neque callum induxerunt, solui possunt: maximeque torminibus leniuntur: & ex quocunque modo uenter fluit. Item, morbus comitialis ante pubertatem ortus, non ægrè finitur: & in quo, ab una parte corporis, uenientis accessionis sensus incipit: optimum est à manibus, pedibus'ue initium fieri: deinde à lateribus: pessimū inter hæc, à capite. Atque in his quoque ea maxime prosunt, quæ per deiectiones excernuntur. Ipsa autem deiectio sine ulla noxa est, quæ sine febre est: si celeriter desinit: si contracto uentre, nullus motus eius sentitur: si extremam aluum spiritus sequitur. Acria tormina quidem periculosa non sunt, si sanguis, & strigmenta descendunt: dum febris, cæteræque accessiones huius morbi absint: adeo ut etiam grauida mulier non solùm reseruari possit, sed etiam partum reseruare. Prodestque in hoc morbo, si iam ætate aliquis processit. Contrà intestinorum leuitas faciliùs à teneris ætatibus depellitur: utique si fieri urina, et ali cibo corpus incipit. Eadem ætas prodest & in coxæ dolore, & humerorum, & in omni resolutione neruorum. Ex quibus, coxa si sine torpore est: si leuiter friget: quamuis magnos dolores habet: tamen & facilè, & maturè sanatur: resolutumque membrum si nihilominus aliter fieri sanum potest: oris resolutio, etiam aluo cita finitur: omnisque deiectio lippienti prodest. At uarix ortus, uel per ora uenarum subita profusio sanguinis, uel tormina insaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad scapulas uel manus tendunt, uomitu atræ bilis soluuntur. & quisquis dolor deorsum tendit, sanabilior est. Singultus sternutamento finitur. Longas deiectiones supprimit uomitus. Mulier sanguinem uomens, profusis menstruis liberatur. Quę menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo uacat. Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit, sternutamento leuatur. Aestiua quartana fere breuis est. Cui calor, & tremor est, saluti deliriū est. Lienosis bono tormina sunt. Deniqueipsa febris (quod maxime mirum uideri potest) sæpe præsidio est. nam & præcordiorum dolores, si sine inflammatione sunt, finit: & in iecinoris dolore succurrit: & neruorum distentionem, rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit: & ex difficultate urinæ, morbum tenuioris intestini ortum, si urinam per calorem mouet, leuat. At dolores capitis, quibus oculorum caligo, & rubor, cum quadam frontis prurigine, accedunt: sanguinis profusione, uel fortuita, uel etiam petita, summouentur. Si capitis, ac frontis dolores ex uento, uel frigore, aut æstu sunt; grauedine, & sternutamentis finiuntur. Febrem autem ardentem (quam Græci καῦσον uocant) subitus horror exoluit. Si in febre aures obtusæ sunt: si sanguis e naribus fluxit, aut uenter resolutus est, illud malum desinit ex toto. Nihil plus aduersus surditatem, quàm biliosa aluus potest. Quibus in fistula urinæ, uti minuti apices (quos φύματα Græci uocant) esse cœperunt: iis, ubi pus ea parte profluxit, sanitas redditur. Ex quibus cùm pleraque per se proueniant: scire licet, interea quoque, quæ ars adhibet, naturam plurimùm posse. Contrà si caput febre cōtinenti dolet, neque quidquam reddit: malum atque mortiferum est: maximeque id periculum est pueris à septimo anno ad quartum decimū. In pulmonis morbo, si sputum primis diebus non fuit: deinde à septimo die cœpit, & ultra septimum mansit: periculosum est. Quantoque magis mixtos, neque inter se diductos colores habet, tantò deterius. & tamen nihil peius est, quàm sincerum id edi: siue ruffum est, siue cruentum, siue album, siue glutinosum, siue pallidum, siue spumans. nigrum tamen pessimum est. In eodem morbo, periculosa sunt tussis, destillatio, etiam (quod aliâs salutare habetur) sternutamentum: Periculosissimumque est, si hæc secuta subita deiectio est. Fere uerò quæ in pulmonis, eadem in lateris doloribus, & mitiora signa, & asperiora esse consueuerunt. Ex iecinore si pus cruentum exit, mortiferum est. At ex suppurationibus pessime sunt, quæ intus tendunt, sic, ut exteriorem quoque cutem decolorent: Ex his deinde, quæ in exteriorem partem prorumpunt, quæ maximę, quæque planissimę sunt. Quòd si ne rupta quidem uomica, uel pure extrinsecus emisso, febris quieuit: aut quamuis quierit, tamen repetit: item si sitis est, si cibi fastidium, si uenter liquidus, si pus est liuidum, & pallidum; si nihil æger excreat, nisi pituitam spumantem: periculum certum est. Atque ex his quidem suppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere senes moriuntur: ex cæteris, iuniores. At in tabe, sputum mixtum, purulentum, febris assidua, quæ & cibi tempora eripit, & siti affligit, in corpore tenui, periculum subesse testatur. Si quis etiā in eo morbo diutiùs traxit: ubi capilli fluunt: ubi urina, quædam araneis similia subsidentia ostendit: atque in his odor fœdus est: maximeque ubi post hęc, orta deiectio est: protinus moritur: Vtique si tēpus autumni est: quo fere, qui cætera parte anni traxerunt, resoluuntur. Item pus expuisse in hoc morbo, deinde ex toto spuere desisse, mortiferum est. Solent etiam in adolescentibus, ex eo morbo, uomicæ, fistulęque oriri: quę non facilè sanescunt, nisi si multa signa bonę ualetudinis subsecuta sunt. Ex reliquis uerò minime facilè sanantur uirgines; aut eę mulieres, quibus super tabem menstrua suppressa sunt.

Cui uero sano subitus dolor capitis ortus est, dein somnus oppressit, sic ut stertat, neque expergiscatur; intra septimum diem pereundum est; magis si cum aluus ita non antecesserit: Si palpebræ dormientis non coëunt, si album oculorum apparet. quos tamen ita mors sequitur, si id malum non est febre discussum. At aqua inter cutem, si ex acuto morbo cœpit, ad sanitatem rarò perducitur. utique si contraria his, quæ suprà posita sunt, subsequuntur. æquè in ea quoque tussis spem tollit. Item si sanguis sursum, deorsumque erupit, & aqua medium corpus impleuit. Quibusdam etiam in hoc morbo, tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt: Hi quidem tutiores sunt, quàm qui suprà comprehensi sunt, si attenduntur: sed ferè fiducia secundæ ualetudinis opprimuntur. Illud iure aliquis mirabitur; quomodo quædam simul & affligunt nostra corpora, & parte aliqua tueantur: Nam siue aqua inter cutem, quem impleuit, siue in magno abscessu multum puris coiit, simul id omne effudisse, æquè mortiferum est, ac si quis sani corporis uulnere factus exanguis est. Articuli uerò, qui sic dolent, ut super eos, ex callo, quædam tubercula innata sint, nunquam liberantur. quæque eorum uitia, uel in senectute cœperunt, uel in senectutem ab adolescentia peruenerunt, ut aliquando leniri possunt, sic nunquam ex toto finiuntur. Morbus quoque comitialis post annum quintum & uigesimum ortus, ægrè curatur; multoque ægriùs is, qui post quadragesimum annum cœpit; adeo ut in ea ætate aliquid in natura spei, uix quidquam in medicina sit. In eodem morbo, si simul totum corpus afficitur, neque antè in partibus aliquis uenientis mali sensus est, sed homo ex improuiso concidit; cuiuscunque is ętatis est, uix sanescit. Si uerò aut mens læsa est, aut neruorum facta resolutio, medicinæ locus non est. Deiectionibus quoque si febris accessit, si inflammatio iocinoris, aut præcordiorum, aut uentris; si immodica sitis, si longius tempus, si aluus uaria, si cum dolore est; etiam mortis periculũ subest. maximeque, si inter hæc, tormina uetera esse cœperunt. Isque morbus maximè pueros absumit usque ad annum decimum. cæteræ ætates faciliùs sustinent. Mulier quoque grauida eiusmodi casu rapi potest; atque etiam si ipsa conualuit, partum tamen perdit. Quin etiam tormina ab atra bile orsa, mortifera sunt. aut si sub his, extenuato iam corpore, subitò nigra aluus profluxit, aut intestinorum lęuitas. Periculosior est, si frequens deiectio est; si uenter omnibus horis, & cum somno, & sine hoc profluit; si similiter noctu, & interdiu; si quod excernitur, aut crudum est, aut nigrum; & præter id, etiam leue, & mali odoris sit; si sitis urget; si post potionem, urina non redditur (quod euenit, quia tunc liquor omnis non in uesicam, sed in intestina descendit) si os exulceratur; si rubet facies, & quasi maculis quibusdam colorum omniũ distinguitur; si uenter est quasi fermentatus, pinguis, atque rugosus; si & cibi cupiditas non est. Inter quæ cùm euidens mors sit; multò euidentior est, si iam longum quoque id uitium est; maximeque si etiam in corpore senili est. Si uerò in tenuiore intestino morbus est, uomitus, singultus, neruorum distentio, delirium, mala sunt. At in morbo arquato, durum fieri iecur, perniciosissimum est. Quos lienis malè habet, si tormina prehenderunt, deinde uersa sunt uel in aquam inter cutem, uel intestinorum lęuitatem; uix ulla medicina periculo subtrahit. Morbus intestini tenuioris, nisi resolutus est intra septimum diem, occidit. Mulier ex partu, si cum febre, uehementibus etiam, & assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis est. si dolor, atque inflammatio est in his partibus, quibus uiscera continentur, frequenter spirare, signum malum est. Si sine causa longus dolor capitis est, & in ceruices, ac scapulas transit, rursusque in caput reuertitur; aut a' capite, ad ceruices; scapulasque peruenit, perniciosus est; nisi uomicam aliquam excitauit sic, ut pus extussiretur: aut nisi sanguis ex aliqua parte prorupit, aut nisi in capite multa prurigo, toto'ue corpore pustulæ ortæ sunt. Aequè magnum malum est, ubi torpor, atque prurigo peruagantur modò per totum caput, modò in parte; aut sensus alicuius ibi quasi frigoris est; eaque ad summam quoque linguam perueniunt. Et cùm in iisdem abscessibus auxilium sit, eò difficilior sanitas est, quò minùs sæpe sub his malis illi subsequuntur. In coxæ uerò doloribus, si uehemens torpor est, frigescitque crus, & coxa, aluusque nisi coacta non reddit; idque quod excernitur, mucosum est; iamque ætas eius hominis quadragesimum annum excessit; is morbus erit longissimus, minimeque annuus; neque finiri poterit nisi aut uere, aut auctumno. Difficilis æquè curatio est in eadem ætate, ubi humerorum dolor uel ad manus peruenit, uel ad scapulas tendit, torporemque, & dolorem creat; neque bilis uomitu leuatur. Quacunque uerò parte corporis, membrum aliquod resolutum est, si neque mouetur; & emacrescit, in pristinum habitum non reuertitur; eoque minus, quò uetustius id uitium est, & quò magis in corpore senili est. Omnique resolutioni neruorum, ad medicinam non idonea tempora sunt hyems, & autumnus: aliquid sperari potest uere, & æstate. Isque morbus mediocris, uix sanatur; uehemens, sanari non potest. Omnis etiam dolor minùs medicinæ patet, qui sursum procedit. Mulieri grauidæ, si subitò mammæ emacruerunt, abortus periculum est. Quæ neque peperit, neque grauida est, si lac habet, a' menstruis defecta est. Quartana æstiua breuis, auctumnalis ferè longa est; maximeque quæ cœpit hyeme appropinquante. si sanguis profluxit, deinde secuta est dementia, cum distentione neruorum; periculum mortis est. Itemque si medicamentis purgatum, & adhuc inanem, neruorum distentio oppressit; aut si in magno dolore, extremæ partes frigent; neque is ad uitam redit, qui ex suspendio, spumante ore detractus est. Aluus nigra, sanguini atro similis, repentina, siue cum febre, siue etiam sine hac, perniciosa est.

De morborum curationibus. Cap. VIIII.

Cognitis indicijs, quæ nos, uel spe consolentur, uel metu terreant; ad curationes morborum transeundum est. Ex his quædam communes sunt, quædam propriæ. communes, quæ pluribus morbis opitulantur: propriæ, quæ singulis. antè de communibus dicam. Ex quibus tamen quædam non ægros solùm, sed sanos quoque sustinent; quædam in aduersa tantùm ualetudine adhibentur. Omne uerò auxilium corporis, aut demit aliquam materiam, aut adijcit, aut euocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat, aut mollit. Quædam uno modo tantùm, sed etiam duobus inter se non contrarijs adiuuant. Demitur materia, sanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, uomitu, frictione, gestatione, omnique exercitatione corporis, abstinentia, sudore; de quibus protinus dicam.

De sanguinis detractione per uenas. Cap. X.

Sanguinem incisa uena mitti, nouum non est: sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, nouum est. Item mitti iunioribus, & fœminis uterum non gerentibus, uetus est. In pueris uerò idem experiri, & in senioribus, & in grauidis quoque mulieribus, uetus non est. si quidem antiqui primam, ultimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus iudicabant, persuaserantque sibi, mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea uerò usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum; aliasque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ uires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida non est, parum ualet, malè sanguis emittitur: Emoritur enim uis, si quæ his supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier ualens, tutò curantur. Maximè tamen in his medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest. Mulierique prægnanti, post curationem quoque uiribus opus est non tantùm ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Non quidquid autem intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus faciendum est; cùm præcipua in hoc ars sit, quæ non annos numeret, neque conceptionem solam uideat, sed uires æstimet; & ex eo colligat, possit necne superesse, quod uel puerum, uel senem, uel in una muliere, quod duo corpora simul sustineat. Interest enim inter ualens corpus, & obesum; inter tenue, & infirmum. Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem eiusmodi sustinent; celeriusque ea, si nimiùm est pinguis, quis affligitur. Ideoque uis corporis melius ex uenis, quàm ex ipsa specie æstimatur. neque enim solùm hæc consideranda sunt, sed etiam morbi genus quod sit. utrùm superans, an deficiens materia læserit: Corruptum corpus sit, an integrum. Nam si materia uel deest, uel integra est, istud alienum est. At si uel copia sui malè habet, uel corrupta est, nullo modo meliùs succurritur. Ergo uehemens febris, ubi rubet corpus, plenæque uenæ tument, sanguinis detractionem requirit. Item uiscerum morbi, neruorumque resolutio, & rigor, & distentio; quidquid denique fauces difficultate spiritus strangulat; quidquid subitò supprimit uocem; quisquis intolerabilis dolor est; & quacunque de causa ruptum aliquid intus, atque collisum est. Item malus corporis habitus, omnesque acuti morbi, qui modò (ut suprà dixi) non infirmitate, sed onere nocent. fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem uix pati posse uideatur. Sed si nullum tamen appareat aliud auxilium; periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque uia fuerit adiutus; in hoc statu, boni medici est ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit; faterique, quantus in hac ipsa re sit metus. & tum demum si exigetur, sanguinem mittere. de quo dubitari in eiusmodi re non oportet. satius est enim anceps auxilium experiri, quàm nullum. idque maximè fieri debet, ubi nerui resoluti sunt; ubi subitò aliquis obmutuit; ubi angina strangulatur; ubi prioris febris accessio penè confecit, paremque subsequi uerisimile est, neque eandem uidentur sustinere ægri uires posse. Cum sit autem immine crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est. neque enim semper concoctionem res expectat. Ergo si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem uomit; quamuis paulò antè sumpsit cibum, tamen protinus ei demenda materia est; ne si subsederit, corpus affligat. Idemque etiam in alijs casibus repentinis, qui strangulabunt, dictum erit. At si morbi ratio patietur, tum demū nulla cruditatis suspitione remanente, id fiet. Ideoque ei rei uidetur aptissimus aduersæ ualetudinis dies secundus, aut tertius. sed ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic nunquam utile post diem quartum est, cùm iam spatio ipso materia & exhausta est, & corpus corrumpit; ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Quòd si uehemens febris urget, in ipso impetu eius, sanguinem mittere, hominem iugulare est. Expectanda ergo remissio est; si non decrescit, sed crescere desijt, neque speratur remissio; tunc quoque, quamuis peior, sola tamen occasio non omittenda est. Ferè etiam ista medicina, ubi necessaria est, in biduum diuidenda est. satius est enim in primum leuare ægrum, deinde perpurgare; quàm simul omni ui effusa, fortasse præcipitare.

tare. Quòd si in cura quoque aquæ, quæ inter cutem est, ista respondet; quantò magis necesse est, in sanguine respondeat. mitti uerò is debet, si totius corporis causa fit, ex brachio. si partis alicuius, ex ea ipsa parte, aut certè quàm proxima. quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachijs, iuxta talos. Neque ignoro, quosdam dicere, quàm longissimè sanguinem inde, ubi lædit, esse mittendum. sic enim auerti materiæ cursum; at illo modo, in id ipsum, quod grauat, euocari. sed id ipsum falsum est: Proximum enim locum primò exaurit: Ex ulterioribus autem, catenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne uenit quidem. Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractum est, ex brachio potius sanguinem mittendum esse. Si quod in humero uitium est, ex altero brachio; credo, quia si quid parum cesserit, opportuniores hæ partes iniuriæ sunt, quàm quæ iam malè habent. Auertitur quoque interdum sanguis, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur: Desinit enim fluere quà uolumus, inde obiectis, quæ prohibeant, alio dato itinere. Mittere autem sanguinem, cùm sit expeditissimum, usum habenti, tum ignaro difficillimum est. iuncta enim est uena arterijs, his nerui. ita si neruū scalpellus attigit, sequitur neruorum distentio, eaque hominem crudeliter consumit. At arteria incisa, neque coit, neque sanescit; interdum etiam, ut sanguis uehementer erumpat, efficit. Ipsius quoque uenæ, si fortè præcisa est, capita comprimuntur, neque sanguinem emittunt. At si timidè scalpellus demittitur, summam cutem lacerat, neque uenam incidit. Nō nunquam etiam ea latet, neque facilè reperitur. Ita multæ res id difficile inscio faciunt, quod perito facillimum est. Incidenda ad medium uena est; ex qua, cùm sanguis erumpit, colorem eius, habitumque oportet attendere: Nam si is crassus, & niger est, uitiosus est; ideoque utiliter effunditur. Si rubet, & pellucet, integer est. eaque missio sanguinis adeo non prodest, ut etiam noceat; protinusque is supprimendus est. Sed id euenire non potest sub eo medico, qui scit, ex quali corpore sanguis mittendus sit. Illud magis fieri solet, ut æquè niger assiduè, ac primo die profluat. quod quamuis ita est, tamen si iam satis fluxit, supprimendus est; semperque antè finis faciendus est, quàm anima deficiat. deligandumque brachium, super imposito expresso ex aqua frigida penicillo; & postero die, auerso medio digito, non autem scalpello, uena ferienda, ut recens coitus eius resoluatur, iterumque sanguinem fundat. Siue autem primo, siue secundo die sanguis, qui crassus, & niger initio fluxerat, & rubere, & pellucere cœpit; satis materiæ detractum est, atque quod superest, sincerum est: Ideoque protinus brachium deligandum; habēdumque ita est, donec ualens cicatricula sit; quæ celerrimè in uena confirmatur.

De sanguinis detractione per cucurbitulas. Cap. XI.

Cucurbitularum uerò duo genera sunt, æneum, & corneū. Aenea, altera parte patet, altera clausa est. Cornea, altera parte æquè patens, altera foramen habet exiguum. In æneam, linamentum ardens conijcitur, ac sic os eius corpori aptatur, imprimiturque, donec inhæreat. Cornea, per se corpori imponitur; deinde ubi ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superque cera cauum id clausum est, æquè inhærescit. Vtraque non ex his tantùm materiæ generibus, sed etiam ex quolibet alio rectè fit. At si cætera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius oris compressioris, ei rei cōmodè aptatur. ubi inhæsit, si concisa antè scalpello cutis est, sanguinem extrahit. si integra est, spiritum. Ergo ubi materia, quę intus est, lædit, illo modo; ubi inflatio, hoc imponi solet. Vsus autem cucurbitulæ præcipuus est, ubi non in toto corpore, sed in parte aliqua uitium est, quam exhauriri ad confirmandam ualetudinem satis est. Idque ipsum testimonium est, etiam scalpello sanguinem, ubi membro succurritur, ab ea potissimū parte, quę iam lęsa est, esse mittendum. quòd nemo cucurbitulam diuersę parti imponit (nisi cùm profusionem sanguinis eò auertit) sed ei ipsi, quę dolet, quęque liberanda est. Opus etiam esse cucurbitula potest in morbis longis, quamuis etiam spatium aliquod accessit, siue corrupta materia, siue spiritu malè habēte. In acutis quoque quibusdam, si & leuari corpus debet, & ex uena sanguinem mitti, uires non patiuntur: Idque auxilium ut minus uehemens, ita magis tutum: Neque unquam periculosum est, etiam si in medio febris impetu, etiā si in cruditate adhibetur. Ideoque ubi sanguinem mitti opus est, si incisa uena, præceps periculum est, aut si in parte corporis etiā uitiū est; huc potius confugiendum est. cū eo tamen, ut sciamus, hîc ut nullum periculum, ita leuius præsidium esse; nec posse uehementi malo, nisi æquè uehemens auxilium succurrere.

De deiectione. Cap. XII.

Deiectionem autem antiqui uarijs medicamentis, crebráque alui ductione, in omnibus ferè morbis moliebantur, dabantque aut nigrum ueratrum, aut filiculam, aut squamam æris (quam λεπίδοχαλκον græci uocant) aut lactucę marinę lac (cuius gutta, pani adiecta, abundè purgat) aut lac, uel asininum, uel bubulum, uel caprinum; eique salis paulum adijciebant, decoquebantque id; & sublatis his, quę coierant, quòd quasi serum supererat, bibere cogebant. Sed medicamenta stomachum ferè lædunt. ideoque omnibus catharticis aloë miscenda est. Aluus si uehementiùs fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo nunquam

in aduersa ualetudine medicamentum eius rei causa recte datur, nisi ubi is morbus sine febre est: Vt cùm ueratrum nigrum, aut atra bile uexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut ijs, quorum nerui parte aliqua resoluti sunt, datur. At ubi febres sunt, satius est eius rei causa, cibos, potionesque assumere, qui simul & alant, & uentrem molliant. Suntque ualetudinis genera, quibus ex lacte purgatio conuenit. Plerunque uerò aluus potius ducenda est; quod ab Asclepiade quoque sic uituperatum, ut tamen seruatum sit, uideo plerunque sæculo nostro præteriri. Est autem ea moderatio, quam is secutus uidetur, aptissima; ut neque sæpe ea medicina tentetur; & tamen semel sumptum, uel bis, non omittatur: Si caput graue est; si oculi caligant; si morbus maioris intestini est (quod Græci κῶλον nominant) si in imo uentre, aut in coxa, dolores sunt; si in stomachum quædam biliosa concurrunt; uel etiam pituita eò se, humor'ue aliquis aquæ similis confert; si spiritus difficilius redditur; si nihil per se uenter excernit. utique si iuxtà quoque stercus est, & intus remanet; aut si stercoris odorem, nihil deijciens, æger ex spiritu suo sentit; aut si corruptum est, quod excernitur; aut si prima inedia febrem non sustulit; aut si sanguinem mitti, cùm opus sit, uires non patiuntur, tempus'ue eius rei præterijt. aut si multum ante morbum aliquis potauit; aut si is, qui sæpe, uel sponte, uel casu purgatus est, subitò habet aluum suppressam. Seruanda uerò illa sunt, ne ante diem tertium ducatur; ne ulla cruditate substante; ne in corpore infirmo, diuque aduersa ualetudine exhausto; ne'ue in eo, cui satis aluus reddit quotidie, qui'ue eam liquidam habebit; ne in ipso accessionis impetu; quia quod tum infusum est, aluo continetur; regestumque in caput, multò grauius periculum efficit. pridie uerò abstinere debet æger, ut aptus tali curationi sit. Eodem die, ante aliquot horas, aquam calidam bibere, ut superiores eius partes madescant; tum immittenda in aluum est (si leui medicina contenti sumus) pura aqua; si paulò ualentiori, mulsa; si leni, ex aqua, in qua fœnum græcum, uel ptisana, uel malua decocta sit: Si reprimendi causa, ex uerbenis. acris autem est marina aqua, uel alia, sale adiecto; atque utraque decocta commodior est: Acrior fit, adiecto uel oleo, elunitro, uel melle quoque. Si acrior est, eò plus extrahit, sed minus facile sustinetur. Id quod infunditur, neque frigidum esse oportet, neque calidum, ne alterutro modo lædat. Cùm infusum est, quantum fieri potest, continere se in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati deiectionis protinus cædere. ubi necesse est, tum demum residere. fereque eo modo dempta materia, superioribus partibus leuatis, morbum ipsum mollit. Cùm uerò, quoties res coegit, desidendo aliquis se exhausit, paulisper debet conquiescere; & ne uires deficiant, utique eo die cibum assumere. qui plenior, an exiguus sit dandus, ex ratione eius accessionis, quæ expectabitur, aut in metu non erit, æstimari oportebit.

De uomitu. Cap. XIII.

At uomitus, ut in secunda quoque ualetudine sæpe necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitauit. Ergo omnibus, qui ante febres, horrore, & tremore uexantur; omnibus, qui cholera laborant; omnibus etiam cum quadam hilaritate insanientibus; & comitiali quoque morbo oppressis, necessarius est. Sed si acutus morbus est (sicut in cholera) si febris est, ut inter horrores; asperioribus medicamentis opus non est; sicut in deiectionibus quoque suprà dictum est: satisque est, ea, uomitus causa sumi, quæ sanis quoque sumenda esse proposui. At ubi longi ualentesque morbi, sine febre sunt, ut comitialis, aut insania; ueratro quoque albo utendum est; id neque hyeme, neque æstate rectè datur; optimè uere, tolerabiliter autumno. quisquis daturus erit, id agere antè debet, ut accepturi corpus humidius fit. Illud scire oportet; omne eiusmodi medicamentum, quod potui datur, non semper ægris prodesse, semper sanis nocere.

De frictione. Cap. XIIII.

De frictione uerò, & gestatione, adeo multa Asclepiades, tanquam inuentor eius, posuit, quod in eo uolumine, quod communium auxiliorum scripsit, cùm trium tantum faceret mentionem, uini. S. & aquæ, & gestationis; tamen maximam partem in hoc consumpserit. Oportet autem neque recentiores uiros in his fraudare, quæ uel repererunt, uel rectè secuti sunt: & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere. Neque dubitari potest, quin latius quidem & dilucidius ubi, & quomodo frictione utendum esset, Asclepiades præceperit; nihil tamen repperit, quod non a uetustissimo auctore Hippocrate, paucis uerbis cõprehensum sit; qui dixit, frictione, si uehemens sit, durari corpus; si lenis, molliri; si multa, minui; si modica, impleri. Sequitur ergo, ut tũ utendũ sit, cũ aut astringendũ corpus sit, quod fluens est; aut molliendũ, quod induruit; aut digerendũ in eo, quod copia nocet; aut alendum id, quod tenue, & infirmum est. Quas tamen species si quis curiosius æstimet,

quod

(quod iam ad medicum non pertinet) facilè intelliget, omnes ex una cauſa pendere, quę demit. Nã & aſtringitur aliquid, eo dempto, quod interpoſitum, ut id laxaretur, effecerat. & mollitur, eo detracto, quod duriciem creabat, & impletur, non ipſa frictione, ſed eo cibo, qui poſtea uſque ad cutem digeſtione quadam relaxatam, penetrat. Diuerſarum uerò rerum, in modo, cauſa eſt. Inter unctionem autem, & frictionem, multum intereſt: Vngi enim leuiterque pertractari corpus, etiam in acutis, & recentibus morbis oportet, in remiſſione tamen, & ante cibum: Longa uerò frictione uti, neque in acutis morbis, neque in creſcentibus conuenit; præter quàm cùm phreniticis ſomnus ea requiritur. Amat autem hoc auxilium ualetudo longa, & etiam a' primo impetu, inclinata. Neque ignoro, quoſdam dicere, omne auxilium neceſſarium eſſe in creſcentibus morbis, non cùm iam per ſe finiuntur. quod non ita ſe habet: Poteſt enim morbus, etiàm qui per ſe finem habiturus eſt, citiùs tamen adhibito auxilio tolli. quod duabus de cauſis neceſſarium eſt; ut & quàm primũ bona ualetudo contingat; & ne morbus, qui remanet, iterum, quamuis leui de cauſa, exaſperetur. Poteſt enim morbus minùs grauis eſſe quâm fuerit; neque ideo tamẽ ſolui; ſed reliquijs quibuſdam inhærere; quas admotum aliquod auxilium diſcutit. Sed ut leuata quoque aduerſa ualetudine, rectè frictio adhibetur; ſic nunquam adhibenda eſt, febre increſcente. Verùm, ſi fieri poterit, cùm ex toto corpus ea uacabit; minùs certè cùm ea remiſerit. Eodem autem modo in totis corporibus eſſe debet; ut cùm infirmus aliquis implendus modò eſt in partibus; aut quia ipſius membri imbecillitas id requirit, aut quia alterius. Nam & capitis longos dolores, ipſius frictio leuat: non in impetu tamen doloris. & membrum aliquod reſolutum, ipſius frictione confirmatur. Longè tamen ſæpius aliud perfricandum eſt, cùm aliud dolet; maximeque cùm a' ſummis, aut a' medijs partibus corporis euocare materiam uolumus; ideoque extremas partes perfricamus. Neque audiendi ſunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus ſit: Id enim ex uiribus hominis colligẽdum eſt. Et ſi is qui perinfirmus eſt, poteſt ſatis eſſe, quinquagies: ſi robuſtior, poteſt ducenties eſſe faciendum: Inter utrunque deinde, prout uires ſunt. Quo fit, ut etiam minùs ſæpe in muliere, quàm in uiro; minùs ſæpe in puero, uel ſene, quâm in iuuene, manus dimouendæ ſint. Denique, ſi certa membra perfricantur, multa, ualentique frictione opus eſt: Nam neque totum corpus infirmari citò per partem poteſt; & opus eſt, quàm plurimum materiæ digeri, ſiue id ipſum membrum; ſiue per id, aliud leuamus. At ubi totius corporis imbecillitas, hanc curationem per totũ id exigit, breuior eſſe debet, & lenior; ut tantummodò ſummam cutem emolliat; quò faciliùs capax ex recenti cibo, nouæ materiæ fiat. In malis iam ægrum eſſe teſtatur, ubi exterior pars corporis friget, interior cum ſiti calet, ut ſuprà poſui. Sed tunc quoque unicum in frictione præſidium eſt; quæ ſi calorem in cutem euocauit, poteſt alicui medicinæ locum facere.

De geſtatione. *Cap.* XIIII.

Geſtatio quoque, longis etiam, & inclinatis morbis aptiſſima eſt: utilisque eſt, & his corporibus, quæ iam ex toto, febre carent, ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt; & his, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur. Aſclepiades etiam in recenti, uehementique febre, præcipueque ardente, ad diſcutiendam eam, geſtatione dixit utendum eſſe. ſed id periculoſè fit; meliusque quiete eiuſmodi impetus ſuſtinetur. ſi quis tamen experiri uolet, ſic experiatur. ſi lingua non erit aſpera; ſi nullus tumor, nulla duricies, nullus dolor uiſceribus, aut capiti, aut præcordijs ſuberit. & ex toto, nunquam geſtari corpus dolens debet, ſiue id in toto, ſiue in parte eſt; niſi tamen ſolis neruis dolentibus; neque unquam in recenti febre, ſed in remiſſione eius. Genera autem geſtationis plura ſunt adhibenda, quę ſunt, & pro uiribus cuiusque, & pro opibus; ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obſint. Geſtationum leniſſima eſt naui, uel in portu, uel in flumine: uehementior in alto mari, naui; uel lectica, aut ſcanno; acrior, uehiculo. Atque hæc ipſa, & intendi, & leniri poſſunt. ſi nihil horum eſt, ſuſpendi lectus debet, & moueri. ſi ne id quidem eſt; at certè uni pedi lecti ſubijciendus funiculus eſt; atque ita lectus huc, & illuc manu impellendus. Et leuia quidem genera exercitationis, infirmiſſimis conueniunt: Valentiora uerò, his qui iam pluribus diebus febre liberati ſunt; aut his, qui grauium morborum initia ſic ſentiunt, ut adhuc febre uacent (Quod & in tabe, & in ſtomachi uitijs, & cùm aqua cutem ſubijt, & interdum in morbo regio fit) aut ubi quidam morbi (qualis comitialis, qualis inſania eſt) ſine febre, quamuis diu manẽt. In quibus affectibus, ea quoque genera exercitationum neceſſaria ſunt, quæ comprehendimus eo loco, quo, quemadmodum ſani, neque firmi homines ſe gererent, præcepimus.

De abſtinentia. *Cap.* XVI.

Abſtinentiæ uerò duo genera ſunt; alterum, ubi nihil aſſumit ęger; alterum, ubi non niſi quod oportet. Initia morborũ primũ famem, ſitimque deſiderant; ipſi deinde morbi, moderationem; ut neque aliud quã expedit, neque eius ipſius nimiũ ſumatur. Neque enim cõuenit, iuxta inediã, protinus ſacietatẽ eſſe. Quod ſi ſanis quoque corporibus inutile eſt, ubi aliqua neceſſitas famem fecit; quãto inutilius eſt in cor-

pore etiam ægro? Neque ulla res magis adiuuat laborantem, quàm tempestiua abstinentia. Intemperãtes homines apud nos, ipsi cibi tempora curantibus dant: Rursus alij, tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum uendicant. Liberaliter agere se credunt, qui cætera, illorum arbitrio relinquunt; in genere cibi liberi sunt: quasi quæratur, quid medico liceat, non quid ægro salutare sit; cui uehemẽter nocet, quoties in eius, quod assumitur, uel tempore, uel modo, uel genere peccatur.

De sudore. Cap. XVII.

Sudor etiam duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est, & harenæ calidæ, & laconici, & clibani, & quarundam naturalium sudationes, ubi è terra profusus calidus uapor, edificio includitur; sicut super Baias in myrtetis habemus. Præter hæc, sole quoque, & exercitatione is mouetur. Vtiliaque hæc genera sunt, quoties humor intus nocet, isque digerendus est. Ac neruorum quoque quædam uitia sic optimè curantur; sed cætera infirmis possunt conuenire. solet exercitatio, tantùm robustioribus; qui tamen sine febre, uel initio morbi, uel etiam grauibus morbis tenentur. Cauendum autem est, nequid horum, uel in febre, uel in cruditate tentetur. At balnei duplex usus est. nam modò discussis febribus, initium cibi plenioris, uiníque firmioris, ualetudini facit; modò febrẽ ipsam tollit; fereque adhibetur, ubi summam cutem relaxari, euocarique corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidiùs eo utebantur: Asclepiades audacius. Neque terrere autem ea res, si tempestiua est, debet: & ante tempus nocet. Quisquis febre liberatus est, simulatque ea uno die non accessit; eo, qui proximus est, post tempus accessionis, tutò lauari potest. At si circuitum habere ea febris solita est, sic, ut tertio, quarto'ue die reuertatur; quandocunque non accessit, balneum tutum est. Manentibus uerò adhuc febribus, si hæ sunt lentæ, lienesque iam diu malè habent; rectè medicina ista tentatur, cum eo tamen, ne pręcordia dura sint, ne'ue ea tumeant, ne'ue lingua aspera sit, ne'ue aut in medio corpore, aut in capite dolor ullus sit, ne'ue tũ febris increscat. At in his quidem febribus, quæ certum circuitum habent, duo balnei tempora sunt; alterũ, ante horrorem; alterum, febre finita. In his uerò, qui lentis febriculis diu detinentur; cùm aut ex toto recessit accessio; aut si id non solet, certè lenita est; iamque corpus tam integrum est, quàm maximè esse in eo genere ualetudinis solet. Imbecillus homo iturus in balneum, uitare debet, ne antè frigus aliquod experiatur: Vbi in balneum uenit, paulisper resistere, experiríque, num tempora astringantur, & an sudor aliquis oriatur. Illud si incidit, hoc non secutum est, inutile eo die balneum est; perungendus est is leniter, & auferendus est; uitãdumque omni modo frigus, & abstinentia utẽdum. At si temporibus integris, primùm ibi, deinde alibi sudor incipit; fouendum os aqua calida, tum in solio desidendum est; atque ibi quoque uidendum, num sub primo contactu aquæ calidę, summa cutis inhorrescat; quod uix tamen fieri potest, si priora rectè cesserunt. certum id autem signum inutilis balnei est. Antè uerò, an posteaquàm in aquam calidam se demittat, aliquis perungi debeat, ex ratione ualetudinis suę cognoscat. Ferè tamen (nisi ubi nominatim, ut postea fiat, id præcipietur) moto sudore, leuiter corpus perungendum, deinde in aquam calidam demittendum est. atque hîc quoque habenda uirium ratio est: Neque committendum, ut per æstum anima deficiat; sed maturius is auferendus, curioseque in uestimẽtis inuoluendus est: ut neque ad eum frigus aspiret; & ibi quoque, antequam aliquid assumat, insudet. Fomenta quoque calida sunt, milium, sal, harena; quodlibet eorum calefactum, & in linteum coniectum. Si minore ui opus est, etiam solum linteum: At si maiore, extincti titiones, inuolutique panniculi, & sic circundati. Quin etiam calido oleo replentur utriculi, & in uasa fictilia, ad similitudinem, quas lenticulas uocant, aqua conijcitur; & sal sicco linteo excipitur, demittiturque in aquam bene calidam: tum super id membrum, quod fouendum est, collocatur; iuxtaque ignẽ ferramenta duo sunt, capitulis paulò latioribus; alterumque ex his demittitur in eum salem, & aqua super leuiter aspergitur. ubi frigere cœpit, ad ignem refertur; & idem in altero fit; deinde inuicẽ in utroque. inter quæ descendit salsus, & calidus succus, qui contractis aliquo morbo neruis opitulatur. His omnibus commune est, digerere id quod uel præcordia onerat, uel fauces strangulat, uel in aliquo membro nocet. Quando autem, quoque utendum sit, in ipsis morborum generibus dicetur.

Qui cibi, potiones'ue, aut ualentis, aut mediæ, aut imbecillæ materiæ sint. Cap. XVIII.

Cùm de his dictum sit, quæ detrahendo iuuant, ad ea ueniendum est, quæ nos alunt, idest cibum, & potionem: hæc autem non omnium tantùm morborum, sed etiam secundæ ualetudinis communia præsidia sunt; Pertinetque ad rem, omnium proprietates nosse. primùm, ut sani sciant, quomodo his utantur: deinde ut exequentibus nobis morborum curationem, liceat species rerum, quæ assiduè necessarię erunt, subijcere. neque necesse est subinde singulas eas nominare. Scire igitur oportet, omnia legumina, quæque ex frumentis panificia sunt, generis ualentissimi esse (id ualentissimum uoco, in quo plurimũ alimenti est) itẽ omne animal quadrupes domesticum; omnẽ grandẽ ferã, quales sunt caprę, ceruus, aper, onager; omnẽ grandem auem, quales sunt anser, & pauo, & grus; omnes belluas marinas, ex quibus cetos est, quæque his pares sunt; Item mel, & caseum: quò minus mirum est, opus pistorium ualentissimũ esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat. In media uerò materia, numerari ex oleribus debere ea, quorum radices, uel bulbos assumimus: Ex quadrupedibus, leporẽ; aues omnes, à minimis ad phœnicopterũ. itẽ pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidi'ue saliuntur. Imbecillissimam uerò materiam esse, omne olus, & quidquid

in cauliculo

in cauliculo nascitur;qualis est cucurbita,& cucumis,& capparis;omnia poma,oleas,cocleas,itemque conchilia. Sed quamuis hæc ita discreta sunt;tamen etiam quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiunt;aliaque res,alia uel ualentior est,uel infirmior. Si quidē plus alimenti est in carne,quàm in ullo alio. Firmius est triticum,quàm milium;id ipsum,quàm hordeum; & ex tritico,firmissima siligo, deinde simila; deinde cui nihil ademptum est (quod αὐτόπυρον græci uocant) infirmior est. ex polline infirmissimus cibarius panis. Ex leguminibus uerò,ualentior faba,uel lenticula,quàm pisum. Ex oleribus,ualentior rapa,napique,& omnes bulbi(in quibus cepam quoque,& allium numero)quàm pastinaca, uel quæ specialiter radicula appellatur. Item firmior brassica,& beta,& porrum,quàm lactuca , uel cucurbita,uel asparagus. At ex fructibus surculorum,ualentiores uuæ, ficus, nuces , palmulæ , quàm quæ poma propriè nominantur. Atque ex his ipsis firmiora,quæ succosa,quàm quę fragilia sunt. Itemque ex his auibus,quæ in media specie sunt,ualentior ea,quæ pedibus,quàm quæ uolatu magis nitiitur; & ex his quæ uolatu fidunt, firmiores sunt quæ grandiores aues,quàm quæ minutæ sunt,ut ficedula,& turdus. Atque eæ quoque , quæ in aqua degunt,leuiorem cibum præstant,quàm quæ natandi scientiam nō habent. Inter domesticas uerò quadrupedes,leuissima suilla est,grauissima bubula. Itemque ex feris,quò maius quodque animal,eò robustior ex eo cibus est. Piscium que eorum,qui ex media materia sunt,quibus maximè utimur;tamē grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoque fieri possunt,qualis lacertus est. deinde qui quamuis teneriores, tamen duri sunt,ut aurata,coruus,scarus,oculata;tum plani;post quos,etiam leuiores lupi,mulique;& post hos omnes, saxatiles. Neque uerò in generibus rerum tantummodò discrimen est;sed etiam in ipsis,quod & ætate fit, & membro,& solo,& cœlo,& habitu. nam quadrupes animal omne,si lactans est,minus alimenti præstat: Item quò tenerior pullus cohortalis est. In piscibus quoque media ætas , quæ nondum summam magnitudinem impleuit. Deindè ex eodem sue,ungulę,rostrum,aures,cerebellum. Ex agno,hędo'ue,cum pectiolis,totum caput aliquantò,quàm cætera membra,leuiora sunt;adeo ut in media materia poni possint. Ex auibus,pectora,colla,alæ'ue,rectè infirmis annumerantur. Quod ad solum uerò pertinet, frumentum quoque ualentius est collinum,quàm campestre. leuior piscis inter saxa editus,quàm in harena:leuior in harena,quàm in limo. Quò fit,ut ex stagno, uel lacu,uel flumine,eadem genera grauiora sint: Leuiorque qui in alto,quàm qui in uado uixit. Omne etiam ferū animal,domestico leuius;& quodcunque humido cœlo, quàm quod sicco natum est. Deinde eadem omnia pinguia,quàm macra;recentia, quàm salsa;noua, quàm uetusta,plus alimenti habent. Tum res eadem magis alit iurulenta,quàm assa;magis assa,quàm elixa. Ouū durum,ualentissimæ materiæ est;molle, uel sorbile, imbecillissimæ . Cùm quæ panificia omnia firmissima sint;elota tamen quędam genera frumenti,ut alica,oriza,ptisana,uel ex iisdem facta sorbitio , uel pulticula: Et aqua quoque madens panis,imbecillissimis annumerari potest. Ex potionibus uerò,quæcunque ex frumento facta est;itemque lac,mulsum,defrutum,passum; uinum, aut dulce, aut uehemens, aut mustum, aut magnæ uetustatis,ualentissimi generis est. At acetum,& id uinum,quod paucorum annorum, uel austerum,uel lene est,in media materia est: Ideoque infirmis nunquam generis alterius dari debet. Aqua omnium imbecillissima est. firmiorque ex frumento potio est, quò firmius fuit ipsum frumentum. firmior ex eo uino,quod bono solo,quàm quod tenui;quodque temperato cœlo,quàm quod aut nimis humido, aut nimis sicco,nimiumque, aut frigido, aut calido natum est . Mulsum,quò plus mellis habet; defrutum, quò magis incoctū est;passum,quò ex litiore uua est,eò ualentius est. Aqua leuissima,pluuialis est,deinde fontana;tum ex flumine,tum ex puteo;post hæc,ex niue,aut glacie. grauior his, ex lacu;grauissima,ex palude. Facilis etiam,& necessaria cognitio est,naturam eius requirentibus. nam leuis pondere apparet; & ex his quæ pondere pares sunt,eò melior quæque est,quò celeriùs, & calefit, & frigescit, quoque celeriùs ex ea,legumina percoquuntur. ferè uerò sequitur,ut quò ualentior quæque materia est , eò minùs facilè concoquatur;sed si concocta est,plus alat. Itaque utendum est materiæ genere,pro uiribus; modusque omnibus pro genere sumendus. Ergo imbecillis hominibus,rebus infirmissimis opus est. mediocriter firmos,media materia optimè sustinet. & robustis apta ualidissima est. Plus deinde aliquis assumere ex leuioribus potest;magis in his,quæ ualentissima sunt,temperare sibi debet.

Quæ natura,ac proprietas cuiusq; rei sit,qua uescimur. Cap. XVIII.

Neque hæc solo discrimina sunt;sed etiam aliæ res boni succi,aliæ mali sunt,quas εὐχύλους,uel κακοχύλους græci uocant: Aliæ lenes,aliæ acres;aliæ crassiorem pituitam in nobis faciunt,aliæ tenuiorem; aliæ idoneæ sunt stomacho,aliæ alienæ sunt. Itemque aliæ inflant,aliæ ab hoc absunt:aliæ calefaciunt,aliæ refrigerant; aliæ facilè in stomacho acescunt,aliæ non facilè intus corrumpuntur. aliæ mouent aluū, aliæ supprimunt. aliæ citant urinam,aliæ tardant. Quædam somnum mouent , quædam sensus excitant . Quæ omnia ideo noscenda sunt,quoniam aliud aliter,uel corpori,uel ualetudini conuenit.

Quæ res boni succi sint. Cap. XIX.

Boni succi sunt,triticum,siligo,alica,oriza,amilum. Item & lenes sunt,& stomacho aptę, & calefaciūt, tragū,ptisana,lac,caseus mollis,omnis uenatio,omnes aues,quę ex media materia sunt. Ex maioribus quoque,hę,quas suprà nominauimus . Medij inter teneros,durosque pisces,ut mullus, & lupus,uerna,lactuca, urtica,malua,cucumis,cucurbita,ouum sorbile,portulaca,cochleæ, palmulæ. ex pomis,quodcunque neque

acerbum,neque acidum est. Vinum dulce,uel lene;passum,defrutum;oleæ,quę ex his duobus,in alterutro seruatę sunt;uuluæ,rostra,trunculique. In summa,omnis pinguis caro,omnis glutinosa,omne iecur.

Quæ res mali ſucci ſint. Cap. XXI.

Mali uerò succi sunt,milium,panicum,hordeum,legumina,caro domestica permacra, omnisque caro salsa,omne salsamentum,garum,uetus caseus,cicer,radicula,rapa,napi, bulbi, brassica , magisque etiam cyma eius,asparagus,beta,cucumis,porrum,eruca,nasturcium, thymum, nepeta, satureia, hyssopum, ruta, anethum,fœniculũ , cuminum, anesum,lapatium,sinapi,& allium,cepa,lienes,renes,intestina,pomũ quodcunque acidum,uel acerbum est,acetum,omnia acria,acida,acerba,oleum,pisces quoque saxatiles , omnesque qui ex tenerrimo genere sunt,aut hi qui rursus nimium duri,uirosique sunt, ut ferè quos stagna,lacus,limosi'ue riui ferunt,qui'ue in nimiam magnitudinem excesserunt.

Quæ res lenes,quę'ue acres ſint. Cap. XXII.

Lenes autem sunt sorbitiones,pulticula,laganum,amilum,ptisana,pinguis caro,& quæcunque glutinosa est: Quod ferè quidem in omni,quæ domestica fit,præcipuè tamen in ungulis,trunculisque suum, in pectiolis,capitulisque hędorum,& uitulorum,& agnorum,omnibusque cerebellis. Item si qui propriè bulbi nominantur,lac,defrutum,passum,nuclei pinei. Acria sunt,omnia nimis austera,omnia acida,omnia salsa;& mel quidem quò melius est,eò magis. Item allium,cepa,eruca,ruta,nasturcium,cucumis,beta,brassica,asparagus,sinapi,radicula,intubus,ocymum,lactuca,maximaque olerum pars.

Quæ res craſſiorem,quæ'ue tenuiorem pituitam faciant. Cap. XXIII.

Crassiorem autem pituitã faciunt oua sorbilia,alica,oriza,amilum,ptisana,lac,bulbi, omniaque ferè glutinosa. Extenuant eandem omnia salsa,atque acria,& acida.

Quæ res ſtomacho idoneæ ſint. Cap. XXIIII.

Stomacho autem aptissima sunt,quæcunque austera sunt , etiam quæ acida sunt , quæque contacta sale modico sunt: Item panis sine fermento,& elota alica,uel oriza,uel ptisana,omnis auis,omnis uenatio, atque utraque,uel assa,uel elixa: Ex domesticis animalibus,bubula. Si quid ex cæteris sumitur,macrum potius,quàm pingue. Ex sue,ungulæ,rostra,aures,uuluæ,sterilesque. Ex oleribus,intubus,lactuca, pastinaca, cucurbita elixa,siser. Ex pomis,cerasum,morum,sorbum,pirum fragile,quale crustuminum , uel neauianum est. Item pira,quæ reponuntur,Tarentina,atque signina. Malum orbiculatum, aut scaudianum , uel amerinum,uel cotoneum,uel punicum absinthium. Vuæ ex olla,molle ouum,palmulæ, nuclei pinei,oleę albæ ex dura muria,eædẽ aceto intinctæ,uel nigrę,quæ in arbore bene permaturuerunt,uel quæ in passo, defruto'ue seruatę sunt. Vinum austerum,licet iam asperum sit, item resinatum . Duri ex media materia pisces,ostrea,pectines,murices,purpuræ,cochleę;cibi,potionesque, uel frigidę, uel feruentes, absinthium.

Quæ res alienæ ſtomacho ſint. Cap. XXIIII.

Aliena uerò stomacho sunt,omnia tepida,omnia salsa,omnia iurulenta,prædulcia, omnia pinguia, sorbitio,panis,itemque,uel ex milio,uel ex hordeo; oleum, radices olerum, & quodcunque olus ex oleo, garo'ue estur;mel,mulsum,defrutum,passum,lac,omnis caseus,uua recens,ficus,& uiridis, & arida;legumina omnia,quęque inflare consueuerunt. item thymum,nepeta,satureia,hyssopum, nasturtium,lapatium, lapsanum,iuglandes. Ex his autem intelligi potest,non quidquid boni succi est,protinus stomacho conuenire,neque quidquid stomacho conuenit,protinus boni succi esse.

Quæ inflant,aut inflationem leuant. Cap. XXVI.

Inflant autẽ omnia ferè legumina,omnia pinguia,omnia dulcia,omnia iurulenta,mustũ, atque etiã id uinũ,cui nihil adhuc ętatis accessit. Ex oleribus,aliũ,cepa, brassica, omnesque radices,excepto sisere, & pastinaca;bulbi,ficus etiã aridę,sed magis uirides;uuę recẽtes,nuces omnes,exceptis nucleis pineis; lac, omnisque caseus;quidquid deinde subcrudum aliquis assumpsit. Minima inflatio fit ex uenatione, aucupio, piscibus,pomis,oleis,conchilijs,ouis,uel mollibus,uel sorbilibus,uino uetere. Fœniculum uerò,& anetum inflationes etiam leuant.

Quæ res,aut calefaciunt,aut refrigerant. Cap. XXVII.

At calefaciunt piper , sal , caro omnis iurulenta , allium , cepa , ficus arida , salsamentum , uinum,& quò meracius est , eò magis . refrigerant olera , quorum crudi caules assumuntur , ut intubus,

& lactuca:

& lactuca: Item coriandrum, cucumis, elixa cucurbita, beta, mora, cerasia, mala austera, pira fragilia, caro elixa, præcipueque acetum, siue cibus ex eo, siue potio assumitur.

Quæ res intus facilè uitiantur, uel minimè corrumpuntur. Cap. XXVIII.

Facilè autem intus corrumpuntur, panis fermentatus, & quisquis alius, quàm ex tritico est; lac, mel; ideoque lactantia, atque omne pistorium opus, teneri pisces, ostrea, olera, caseus, & recens, & uetus, crassa uel tenera caro, uinum dulce, mulsum, defrutum, passum; quidquid deinde uel iurulentū est, uel nimis dulce, uel nimis tenue. At minimè intus uitiantur, panis sine fermento, aues, & ex potius duriores, aurati pisces, neque solùm aurata pura, aut scarus; sed etiam lolligo, locusta, polypus. Item bubula, omnisque dura caro; eademque aptior est, si macra, si salsa est: omniaque salsamenta, cochleæ, murices, purpuræ, uinum austerum, uel resinatum.

Quæ res aluum mouent. Cap. XXVIII.

At aluum mouent, panis fermentatus, magisque si cibarius, uel hordeaceus est: brassica, si sub cruda est, lactuca, anethum, nasturcium, ocymum, urtica, portulaca, radicula, capparis, allium, cepa, malua, lapatiū, beta, asparagus, cucurbita, cerasia, mora, uua, omnia mitia, ficus etiam arida, sed magis uiridis, uuæ recentes pingues, minutæ aues, cochleæ, garum, salsamenta, ostrea, pelorides, echini, musculi, & omnes ferè conchulæ, maximeque ius earum, saxatiles, & omnes teneri pisces, sepiarum atramentū, si qua caro assumitur pinguis, eadem uel iurulenta, uel elixa, aues quæ natant, mel crudum, lac, lactantia omnia, mulsum, uinum dulce, uel salsum, aqua, tenera omnia, tepida, dulcia, pinguia, elixa, iurulenta, salsa, diluta.

Quæ res aluum astringunt. Cap. XXIX.

Contra astringunt, panis ex siligine, uel ex simila, magis si sine fermento est, magis etiam si ustus est; intenditurque uis eius etiam si bis coquitur. pulticula uel ex halica, uel ex panico, uel ex milio. itemque ex iisdem sorbitio, & magis si hæc antè fricta sunt. lenticula, cui uel beta, uel intubus, uel ambubeia, uel plantago adiecta est; magisque etiam si illa antè fricta est; per se etiam intubus, uel ex plantagine, uel ambubeia fricta, minuta olera, brassica bis decocta, dura oūa, magisque si assa sunt; minutę aues, merula, palumbus; magisque si in posca decoctus est; graues quoque aues, quę magis currunt, quā uolant, lepus, caprea, iecur ex his, quę seuū habent, maximeque bubulū, ac seuū ipsum; caseus, qui uehementior uetustate fit, uel ea mutatione, quā in caseo transmarino uidemus; aut si recens est, ex melle, mulso ue decoctus. Itē mel coctū, pira immatura, sorba, magisque ea, quæ torminalia uocantur; mala cydonia, & punica, oleę uel albę, uel permaturæ, myrta, palmulæ purpureæ, murices, uinum resinatū, uel asperū, itē meracum, acetū mulsum, quod inferbuit, item defrutū, passum, aqua uel tepida, uel prægrigida, dura (idest ea quæ tardè putrescit, ideoque pluuia potissimum) omnia dura, macra, austera, aspera, tosta; & in eadem carne, assa potius, quàm elixa.

Quæ res urinam mouent. Cap. XXXI.

Vrinam autem mouent, quęcunque in horto nascentia, boni odoris sunt, ut apium, ruta, anethum, ocymum, menta, hyssopum, anesum, coriandrum, nasturcium, eruca, fœniculum. Præter hæc, asparagus, capparis, nepeta, thymum, satureia, lapsanum, pastinaca, magisque agrestis, radicula, siser, cepa. Ex uenatione, maximè lepus, uinum tenue, piper, & rotundum, & longum, sinapi, absinthium, nuclei pinei.

Quæ res somnum mouent, aut sensus excitant. Cap. XXXII.

Somno uerò aptū est papauer, lactuca, maximeque ęstiua, cuius cauliculus iā lacte repletus est, morū, porrum. Sensus excitant nepeta, thymum, satureia, hyssopum, præcipueque puleium, ruta, & cepa.

Quæ res corpus aut erodant, aut reprimant, aut refrigerent, aut calefaciant, aut durent, aut emolliant. Cap. XXXIII.

Euocare uerò materiā multa admodū possunt: sed ea, quę ex peregrinis medicamentis maximè constant, aliisque magis, quā quibus ratione uictus succurritur, opitulantur, in pręsentia differā. Ponā ea uerò, quę prompta, & his morbis, de quibus protinus dicturus sum, apta, corpus erodunt; & sicco, quod mali est, extrahunt. Habent autē hanc facultatē semina erucę, nasturcij, radiculę, pręcipuè tamen omnium, sinapi; Salis quoque, & fici eadem uis est. Leniter uerò simul & reprimunt, & molliunt, lana succida, uel aceto, uel uino, quo oleum adiectum est: contritæ palmulæ, furfures in salsa aqua, uel aceto decoctæ. At simul reprimunt, & refrigerant, herba muralis (parthenium, uel perdicium appellant) serpillum, puleium, ocymum, herba sanguinalis (quam græci πολύγονον uocant) portulaca, papaueris folia, capreolique uitium, coriandri folia, hyoscyamum, muscus, siser, apium, solanum (quam στρύχνον græci uocant) brassicæ folia, intu-

bus, plantago, fœniculi semen, contrita pira, uel mala, precipuéque cydonia, lenticula, aqua frigida, maxime que pluuialis, uinum, acetum, & ex horum aliquo magis madens uel panis, uel farina, uel spongia, uel cinis, uel lana succida, uel etiam linteolum, creta cimolia, gypsum, melinum, myrteum, rosa, acerbum oleum, uerbenarum contusa cum teneris caulibus folia; cuius generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamaris, ligustrum, rosa, rubus, laurus, hedera, punicum malum. Sine frigore autem reprimunt, cocta mala cydonia, malicorium, aqua calida, in qua uerbenæ coctæ sunt, quas supra proposui, puluis uel ex fece uini, uel ex myrti folijs, amarę nuces. Calefacit uero ex qualibet farina cataplasma, siue ex tritici, siue ex farris, siue hordei, siue erui, uel lolij, uel milij, uel panici, uel lenticulæ, uel fabæ, uel lupini, uel lini, uel fœni græci; ubi ea deferbuit, calidaque imposita est: Valentior tamen ad id, omnis farina est ex mulso, quàm ex aqua, cocta. Prę terea cyprinum, irinum, medulla, adeps ex felle iuncta oleo, magisque si uetus est, sal nigrū, git, piper, quinquefolium; ferèque quæ uehementer & reprimunt, & refrigerant. Durant, quæ calefaciunt, & digerunt, & emolliunt. Præcipuèque ad emolliendum potest cataplasma ex lini, uel fœni græci semine. His autem omnibus, & simplicibus, & permixtis uariè medici utūtur; ut magis quid quisque persuaserit sibi, appareat, quàm quid euidenter compererit.

LIBER TERTIVS.

De morborum generibus. Cap. I.

PROVISIS omnibus, quæ pertinent ad uniuersa genera morborum; ad singulorum curationes ueniam. Hos autē in duas species græci diuiserunt, aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt. Idque, quoniam non semper eodem modo respondebant, eosdē alij inter acutos, alij inter longos retulerunt. Ex quo plura eorum genera esse manifestum est. Quidā enim breues utique sunt, qui citò uel tollunt hominem, uel ipsi citò finiuntur. Quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitiū est. Tertiumque genus eorū est, qui modò acuti, modò longi sunt. idque non in febribus tantummodò (in quibus frequentissimum est) sed in alijs quoque fit. Atque etiam præter hos, quartum est, quod neque acutum dici potest, quia non perimit; neque utique longum; quia si occurritur, facilè sanatur. Ego cùm de singulis dicam, qui cuiusque generis sit, indicabo. diuidam autem omnes, in eos, qui in totis corporibus consistere uidentur, & eos, qui oriuntur in partibus. Incipiam a prioribus, pauca prefatus de omnibus. In nullo quidem morbo minus fortuna sibi uendicare, quàm ars, potest; utpote cùm repugnante fortuna, nihil medicina proficiat. magis tamen ignoscendum medico est, parum proficienti in acutis morbis, quàm in longis. Hîc enim breue spatiū est, intra quod, si quod auxilium nō profuit, æger extinguitur. ibi, & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet; adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens æger sine illius uitio pereat. Longus tamen morbus, cùm penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est. & acutus quidem quò uetustior est, longus autem quò recentior, eò facilius curatū. Alterum illud ignorari non oportet, quòd non omnibus ægris eadem auxilia cōueniunt. Ex quo incidit, ut alia, atque alia summi auctores, quasi sola uendicarint, prout cuique cesserant. Opportet itaque, ubi aliquid non respondit, non tanti putare auctorem, quanti ægrum; & experiri aliud, atque aliud; sic tamen, ut in acutis morbis citò mutetur, quod nihil prodest; in longis (quos tempus ut facit, sic etiam soluit) non statim condemnetur, si quid non statim profuit. minus uerò remoueatur, si quid paulum saltem iuuat; quia profectus tempore expletur.

Quomodo morbi cognoscantur, & an increscant, an consistant, an minuantur; & qua ratione ab initio, qui languere incipit, curari debeat. Cap. II.

Protinus autem inter initia scire facile est, quis acutus morbus, quis longus sit; non in his solis, in quibus semper ita se habet; sed in his quoque, in quibus uariat. Nam ubi sine intermissionibus, accessiones, & dolores graues urget; acutus morbus est. Vbi lenti dolores, lentæue febres sunt, & spatia inter accessiones porriguntur, accedùntque ea signa, quæ in priore uolumine exposita sunt; longum hunc futurū esse manifestum est. Videndum etiā est, morbus an increscat, an consistat, an minuatur; quia quedā remedia increscentibus morbis, plura inclinantibus conueniunt. eaque, quę decrescentibus apta sunt, ubi acutus increscens urget, in remissionibus potius experienda sunt. Increscit autē morbus, dū grauiores dolores, accessionesque ueniunt; hæque, & antequā proximę reuertūtur, & postea desinunt. Atque in longis quoque morbis, etiam tales notas non habentibus, scire licet increscere, si somnus incertus est, si deterior cōcoctio, si fœdiores deiectiones, si tardior sensus, si pigrior mens, si percurrit corpus frigus, aut calor, si idē magis pallet. ea uerò quæ contraria his sunt, decedentis eius notæ sunt. Præter hæc in acutis morbis serius æger alendus est, nec nisi iam inclinantis, ut primo dempta materia, impetum frangat. in longis maturius, ut sustinere spatium aduenturi mali possit. Ac si quando is non in toto corpore, sed in parte est; magis tamen ad rem pertinet, uim totius corporis molliri, quàm proprię partes ægrę sanentur. Multum etiam interest, ab initio quis rectè curatus sit, an perperam. quia curatio minus his prodest, in quibus assiduè frustra fuit. si quis temerè habitus, adhuc integris uiribus uiuit, admota curatione, momento restituitur. Sed cùm ab his cœperim, quæ notas quasdam futuræ aduersæ ualetudinis exhibent; curationum quoque principium

cipium ab animaduersione eiusdem temporis faciam. Igitur si quid ex his, quæ proposita sunt, incidit, omnium optima sunt, quies, & abstinentia. Si quid bibendum, aqua. idque interdum uno die fieri satis est: Interdum, si terrentia manent, biduo, proximeque abstinentiā, sumendus est cibus exiguus, bibenda aqua; postera die etiam uinum. deinde inuicem alternis diebus, modò aqua, modò uinum; donec omnis causæ metus finiatur. Per hæc enim sæpe instans grauis morbus discutitur; plurimique falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem, aut exercitatione, aut balneo, aut coacta deiectione, aut uomitu, aut sudationibus, aut uino sperant. non quò non interdum id incidat, aut non decipiat; sed quò sępius fallat; solaque abstinentia sine ullo periculo medeatur. cùm præsertim etiam pro modo terroris moderari liceat; & si leuiora indicia fuerint, satis sit a' uino tātùm abstinere; quod subtractum plusquàm si cibo quid demitur, adiuuat. si paulò grauiora; satis sit, non aquam tantùm bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere. interdum panis quoque minus, quàm pro consuetudine assumere; humidoque cibo esse contentū, & olere potissimùm. satisque sit, tum ex toto a' cibo, a' uino, ab omni motu corporis abstinere, cùm uehementer notæ terruerunt. Neque dubium est, quin uix quisquam, qui non dissimulauit, sed per hæc maturè morbo occurrit, ægrotet.

De febrium generibus. Cap. III.

Atque hæc quidem sanis facienda sunt, tantùm causam metuentibus. sequitur uerò curatio febrium; quod & in toto corpore, & uulgare maximè morbi genus est. Ex his, una quotidiana, altera tertiana, altera quartana est. Interdum etiam longiore circuitu quædam redeunt: sed id raro euenit. In prioribus, & morbi sunt, & medicinæ. At quartanæ quidem simpliciores sunt; incipiunt fere' ab horrore, deinde calor erumpit; finitaque febre, biduum integrum est. ita quarto die reuertitur. Tertianarum uerò duo genera sunt; alterum, eodem modo, quo quartana, & incipiens, & desinens; illo tantùm interposito discrimine, quòd unū diem præstat integrum, tertio redit. Alterum longè perniciosius, quod tertio quidem die reuertitur; ex octo autem, & quadraginta horis, fere' sex & triginta per accessionem occupat; interdum etiā uel minùs, uel plus: neque ex toto in remissione desistit, sed tantū leuius est. id genus plerique medici ἡμιτριταῖον appellant. quotidianæ uerò uariæ sunt, & multiplices: Aliæ enim protinus a' calore incipiunt, alię a' frigore, alię ab horrore. Frigus uoco, ubi extremæ partes membrorum inalgescunt; horrorem, ubi totum corpus intremit. Rursus aliæ sic desinunt, ut ex toto sequatur integritas: aliæ sic, ut aliquantùm quidem minuatur ex febre, nihilominùs tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera accessio accedat; ac sæpe alię uix quidquam, aut nihil remittant, sed ita ut continuent: Deinde aliæ feruorem ingentem habent, aliæ tolerabilē; aliæ quotidie pares fiunt, aliæ impares: atque inuicem altero die leniores, altero uehementiores; alię tempore eodem postridie reuertuntur, aliæ uel seriùs, uel celeriùs; aliæ diem noctemque, accessionem, & decessionem implent, aliæ minùs, aliæ plus; aliæ cùm decedunt, sudorem mouent, aliæ non mouent. atque aliàs per sudorem ad integritatem uenitur, aliàs corpus tantùm imbecillius redditur. Accessiones etiam modò singulæ singulis diebus fiunt, modò binæ, pluresue concurrunt. ex quo sępe euenit, ut quotidie plures accessiones, remissionesque sint; sic tamen, ut una quęque alicui priori respondeat. Interdum uerò accessiones quoque confunduntur, sic, ut neque notari tempora earum, neque spatia possint. Neque uerum est, quod dicitur a' quibusdam, nullam febrem inordinatam esse, nisi aut ex uomica, aut ex inflammatione, aut ex ulcere. facilior enim semper curatio foret, si hoc uerum esset. Sed quod euidentes causæ faciunt, facere etiam abditæ possunt. neque de re, sed de uerbo controuersiam mouent: qui, cùm aliter, aliterque in eodem morbo febres accedant, non easdem inordinatè redire, sed alias, aliasque subinde oriri dicunt. quod tamen ad curandi rationem nihil pertineret, etiam si uerè diceretur. Tempora quoque remissionum modò liberalia, modò uix ulla sunt.

De curationum diuersis generibus. Cap. IIII.

Et febrium quidem ratio maximè talis est. Curationum uerò diuersa genera sunt, prout auctores aliqui habent. Asclepiades, officium esse medici dicit, ut tutò, ut celeriter, ut iocundè curet. id notum est: sed fere' periculosa esse nimium & festinatio, & uoluptas solet. qua uerò moderatione utendum sit, ut, quantū fieri potest, omnia ista contingant (prima semper habita salute) in ipsis partibus curationum, cōsiderandū erit. & ante omnia, quæritur, primis diebus æger qua ratione continendus sit. Antiqui, medicamentis quibusdam datis, concoctionem moliebantur, eò quòd cruditatem maximè horrebant; deinde eam materiam, quæ lędere uidebatur, ducēdo sępius aluum, subtrahebant. Asclepiades medicamēta sustulit; aluū non toties, sed fere' tamē in omni morbo subduxit. febre uerò ipsa precipuè se ad eius remediū uti professus est. Conuellendas enim uires ęgri putauit, luce, uigilia, siti ingenti; sic, ut ne os quidē primis diebus elui sineret. Quò magis falluntur, qui p omnia iocundā eius disciplinā esse contendunt; & is enim ulterioribus quidē diebus, cubantis etiā luxurię subscripsit; primis uerò, tortoris uicē exhibuit. Ego autē medicamētorū dari potiones, & aluū duci nō nisi raro debere, concedo. & id nō ideo tamē agendū, ut ęgri uires conuellantur, existimo; quoniā ex imbecillitate, summū periculū est. minui ergo tantùm materiam superantē oportet; quę naturaliter digeritur, ubi nihil noui accedit. Itaque abstinēdus a' cibo primis diebus est; in luce habendus ęger (nisi infirmus) interdiu est: quoniā corpus ista quoque digerit; isque cubare quā maximo conclaui

debet. Quod ad sitim uerò, somnumque pertinet; moderandum est, ut interdiu uigilet, noctu, si potest, cõquiescat. ac neque potet, neque nimium siti crucietur. Os etiam eius elui potest, ubi & siccũ est, & ipsi fœtet. quamuis id tempus aptum potioni non est: Commodeque Erasistratus dixit, sæpe interiore parte humorem non requirente, os, & fauces requirere, neque ad rem, male haberi ægrum, pertinere. Ac primo quidem sic tenendus est. Optimum uerò medicamentum est, opportune cibus datus, qui quando primũ dari debeat, quæritur. Plerique ex antiquis tardè dabant, sæpe quinto die, sæpe sexto. & id fortasse, uel in Asia, uel in Aegypto, cœli ratio patitur. Asclepiades, ubi ægrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibo destinabat. At Themison nuper, non quando cœpisset febris, sed quando desisset, aut certè leuata esset, considerabat; & ab illo tempore, expectato die tertio, si non accesserat febris, statim; si accesserat, ubi ea, uel desierat; uel si assiduè inhærebat, si certè se inclinauerat, cibum dabat. Nihil autem horum utique perpetuum est: Nam potest primo die primus cibus dandus esse, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto, aut quinto; potest post unam accessionem, potest post duas, potest post plures. Refert enim, qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni. minimeque in rebus multum inter se differentibus, quod intermittendum nõ est, perpetuum esse præceptum temporis potest. In morbo, qui plus uirium aufert, celerius cibus dandus est. itemque eo cœlo, quo magis digerit. Ob quam causam, in Africa nullo die æger abstineri rectè uidetur. Maturius etiam puero, quàm iuueni: æstate, quà hyeme, dari debet. Vnum illud est, quod semper ubique seruandum est; ut ægri uires subinde assidens medicus inspiciat; & quandiu supererunt, abstinentia pugnet; si imbecillitatem uereri cœperit, cibo subueniat. Id enim eius officium est, ut ægrum neque superuacua materia oneret, neque imbecillitatem fami prodat. Idque apud Erasistratum quoque inuenio, qui quamuis parum docuit, quando uenter, quando corpus ipsum exinaniretur; dicendo tamen, hæc esse uisenda, & tum cibum dandum, cùm corpori deberetur; satis ostendit, dum uires superessent, dari non oportere; ne deficerent, consulendum esse. Ex his autem intelligi potest, ab uno medico multos non posse curari; eumque (si artifex est) idoneum esse, qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæstui seruiunt, quoniam is maior ex populo est; libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatẽ non exigunt. Ut in hac ipsa re: Facile est enim dies, uel accessiones numerare his quoque, qui ægrum rarò uident. ille assideat, necesse est, qui, quod solum opus est, uisurus est; quando nimis imbecillus futurus sit, nisi cibum acceperit. In pluribus tamen, ad initium cibi, dies quartus aptissimus esse consueuit. Est autem alia etiam de diebus ipsis dubitatio; quoniam antiqui potissimùm impares sequebantur; eosque, tanquam tunc de ægris iudicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant, dies tertius, quintus, septimus, quartusdecimus, uigesimus primus; ita ut summa potentia septimo, deinde quartodecimo, deinde uni & uigesimo daretur. Igitur sic ægros nutriebant, ut dierum imparium accessiones expectarent: deinde postea cibum, quasi leuioribus accessionibus instantibus, darent; adeo ut Hippocrates, si alio die febris desisset, recidiuam timere sit solitus. Id Asclepiades iure ut uanũ repudiauit: neque in ullo die, quia par, impárue esset, his uel maius, uel minus periculum esse dixit. Interdum enim peiores dies pares fiunt, & opportuniùs post eorũ accessiones, cibus datur. Nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur; fitque grauior, qui remissior esse consueuerat. atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam uim antiqui fatebãtur. Qui cùm octauum, primi naturam habere contenderent, ut ab eo secundus septenarius numerus inciperet; ipsi sibi repugnabant, non octauum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendum, quasi potentiorem: Plus enim tribuebant nono, & undecimo. Quod cùm fecissent, sine ulla probabili ratione, ab undecimo non ad tertiumdecimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quẽ septimus dies liberaturus sit, quartum esse grauissimũ. Ita, illo quoque auctore, in die pari, & grauior febris esse potest, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrunque efficacissimum apprehendit; idest, quartum, septimum, undecimum, quartumdecimum, decimumseptimum. In quo, & ab impari, ad paris rationem transit. & ne hoc quidem propositum cõseruauit, cùm a septimo die, undecimus, non quartus, sed quintus sit. adeo apparet, quacũque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri. Verùm in his quidem antiquos tunc celebres, admodum pythagorici numeri fefellerunt; cùm hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri, & ex his coniectare, quando dandus cibus sit. Illud autem magis ad rem pertinet, scire, num oporteat dari, cùm iam bene uenæ conquieuerunt; aut etiam num manentibus reliquijs febris: Antiqui enim quàm integerrimis corporibus alimentum offerebant: Asclepiades, inclinata quidem febre, sed adhuc tamẽ inhærente, in quo unam rationem secutus est; non quò non sit interdum maturiùs cibus dandus, si maturè timetur altera accessio; sed quò scilicet quàm sanissimo dari debeat: Minùs enim corrumpitur, quod integro corpori infertur. Neque tamen uanum est, quod Themisoni uidebatur; si duabus horis integer futurus esset æger, satius esse tunc dare, ut ab integro corpore potissimùm diduceretur. Nam si diduci tam celeriter posset, id esset optimum. Sed cùm hoc, breue tempus non præstet; satius esse, principia cibi a decedente febre, quàm reliquias ab incipiente excipi. Ita si longius tempus secundum est, quàm integerrimo dandus est; si breue, etiam antequàm ex toto integer fiat. Quo loco uerò integritas est, eodem est remissio, si qua maximè in febre continua potest esse. Atque hic quoque quæritur, utrùm tot horæ expectandæ sint, quot febrem habuerunt: an satis sit primam partem earum præteriri, ut ægris iocundius insidat, quibus interdum non uacat. Tutissimum est autem, antè totius accessionis tempus præterire. quamuis ubi longa febris fuit, potest indulgeri ægro maturiùs, dum tamen antè minimè pars dimidia prætereatur. Idque non in ea sola febre, de qua proximè dictum est, sed in omnibus ita seruandum est.

De febrium

De febrium ſpeciebus, & ſingularum curationibus; & primò quando cibus febricitantibus dandus ſit. Cap. V.

Hæc magis per omnia genera febrium perpetua ſunt: nunc ad ſingulas earum ſpecies deſcendam: Igitur ſi ſemel tantùm acceſſit, deinde deſijt: eaque uel ex inguine, uel ex laſſitudine, uel ex æſtu, alia'ue ſimili re fuit, ſic, ut interior nulla cauſa metum fecerit: poſtero die, cùm tempus acceſſionis ita tranſijt, ut nihil mouerit, cibus dari poteſt. At ſi ex alto calor uenit: & grauitas uel capitis, uel præcordiorum ſecuta eſt: neque apparet, quid corpus confuderit; quãuis unam acceſſionem ſecuta integritas eſt: tamen quia tertiana timeri poteſt, expectandus eſt dies tertius: & ubi acceſſionis tempus præterijt, cibus dãdus eſt, ſed exiguus; quia quartana quoque timeri poteſt: Et die quarto demum, ſi corpus integrum eſt, eo cum fiducia utendum. Si uerò poſtero, tertio'ue, aut quarto die ſecuta febris eſt: ſcire licet, morbum eſſe. Sed tertianarũ, quartanarumque (quarum & certus circuitus eſt, & finis integer: & quia liberaliter quieta tempora ſunt) expeditior ratio eſt: De quibus ſuo loco dicam. Nunc uerò eas explicabo, quę quotidie urgent. Igitur tertio quoque die cibus ægro commodiſſimè datur: ut alter febrem minuat: alter uiribus ſubueniat. Sed his dari debet (ſi quotidiana febris eſt, quæ ex toto deſinat) ſimul atque corpus integrum factum eſt: ſi, quãuis non acceſſiones, febres tamen iunguntur: & quotidie quidem increſcunt: ſed ſine integritate tamen remittunt: cùm corpus ita ſe habet, ut maior remiſſio non expectetur: Si altero die grauior, altero leuior acceſſio eſt, poſt grauiorem: fere' uerò grauiorem acceſſionem leuior nox ſequitur. quò fit, ut grauiorem acceſſionem nox quoque triſtior antecedat. At ſi continuatur febris: neque leuior unquam fit: & dari cibum neceſſe eſt: quando dari debeat, magna quidem diſſenſio eſt. Quidam, quia fere' remiſſius matutinum tempus ægris eſt; tunc putant dandum. quod ſi reſpondet, non quia mane eſt: ſed quia remiſſior eſt æger, dari debet. Si uerò ne tunc quidem ulla requies ægris eſt: hoc ipſo peius id tempus eſt: quod cùm ſua natura melius eſſe debeat, morbi uitio non eſt: ſimulque inſequitur tempus meridianum: à quo, cùm omnis æger fere' peior fiat: timeri poteſt, ne ille magis etiam quàm ex conſuetudine urgeatur. Igitur alij ueſpere, tali ægro cibum dant: Sed cùm eo tempore fere' peſſimi ſint, qui ægrotant: uerendum eſt, ne ſi quid tunc mouerimus, fiat aliquid aſperius. Ob hæc, ad mediam noctem decurro: ideſt, finito iam grauiſſimo tempore, eodemque longiſſimè diſtante: ſecuturis uerò antelucanis horis, quibus omnes fere' maximè dormiunt: deinde matutino tempore, quod natura ſua leuiſſimum eſt. Si uerò febres uagæ ſunt: quia uerendum eſt, ne cibum ſtatim ſubſequantur: quandocúque quis ex acceſſione leuatus eſt, hunc debet aſſumere. At ſi plures acceſſiones eodem die ueniunt: conſiderare oportet, pares nè per omnia ſint (quod uix fieri poteſt) an impares. Si per omnia pares ſunt: poſt eam potiùs acceſſionem cibus dari debet, quæ non inter meridiem, & ueſperũ deſinit. Si impares ſunt: conſiderandum eſt, quo diſſent. Nam ſi altera grauior, altera leuior eſt: poſt grauiorem dari debet. ſi altera longior, altera breuior: poſt longiorem. ſi altera grauior, altera longior eſt: conſiderandum eſt, utra magis affligat: illa, ui; an hæc tempore: & poſt eam dandus eſt. Sed plane' plurimum intereſt, quantæ, qualeſque inter eas remiſſiones ſint. Nam ſi poſt alteram febrem motio manet: poſt alteram integrum corpus eſt: integro corpore, cibo tempus aptius eſt. Si ſemper febricula manet, ſed alterum tamen longius tempus remiſſionis eſt: id potiùs eligendum eſt: adeo ut, ubi acceſſiones continuãtur, protinus inclinata priore, dandus cibus ſit. Et enim perpetuum eſt, ad quod omne conſilium dirigi poteſt: cibum quàm maximè ſemper ab acceſſione futura reducere: & hoc ſaluo, dare quàm integerrimo corpori. quod non inter duas tantùm, ſed etiam inter plures acceſſiones ſeruabitur. Sed cùm ſit aptiſſimum tertio quóque die cibum dare: tamen, ſi corpus infirmum eſt, quotidie dãdus eſt: multoque magis, ſi continentes febres ſine remiſſione ſunt, quantò magis corpus affligunt; aut ſi duæ, plures'ue acceſſiones eodem die ueniunt. Quæ res efficit, ut & à primo die protinus cibus dari quotidie debeat, ſi protinus uenæ conciderunt: & ſæpius eodem die, ſi inter plures acceſſiones, ſubinde uis corpori deeſt. Illud tamen in his ſeruãdum eſt: ut poſt eas febres minus cibi detur, poſt quas, ſi per corpus liceret, omnino non daretur. Cùm uerò febris inſtet, incipiat, augeatur, conſiſtat, decedat, deinde in deceſſione conſiſtat, aut finiatur: ſcire licet, optimum cibo tempus eſſe, febre finita. deinde, cùm deceſſio eius conſiſtit. tertium, ſi neceſſe eſt, quãdocunque decedit; cætera omnia periculoſa eſſe. Si tamen propter infirmitatem, neceſſitas urget; ſatius eſſe, conſiſtente iam incremento febris, aliquid offerre, quâm increſcente. Satius eſſe inſtante, quâm incipiente: cum eo tamen, ut nullo tempore is, qui deficit, non ſit ſuſtinendus. Neque hercule ſatis eſt, ipſas tantùm febres medicum intueri: ſed etiam totius corporis habitum: & ad eum, dirigere curationem, ſeu ſuperſunt uires, ſeu deſunt: ſeu quidam mali affectus interueniunt. Cùm uerò ſemper ægros ſecuros agere conueniat, ut corpore tantùm, non etiam animo laborent: tum præcipuè, ubi cibum ſumpſerunt. Itaque ſi qua ſunt, quæ exaſperatura eorum animos ſunt: optimum eſt, eadem ægrotantium notitiæ ſubtrahere. ſi id fieri non poteſt: ſuſtinere tamen poſt cibum uſque ſomni tempus; & cùm experrecti ſunt, tunc exponere.

Quando potiones febricitantibus dari expediat. Cap. VI.

Sed de cibo facilior quidem cum ægris ratio eſt: quorum ſæpe ſtomachus hunc reſpuit, etiam ſi mens concupiſcit. De potione uerò, ingens pugna eſt: eoque magis, quò maior febris eſt. Hæc enim ſi-

tim accendit, & tum maximè aquam exigit, cùm illa periculosissima est. Sed docendus æger est ubi febris conquieuerit, protinus sitim quoque quieturam; longioremque accessionem fore, si quod ei datum fuerit alimentum. Ita celeriùs eum desinere sitire, qui non bibit. Necesse est tamen, quantò faciliùs etiam sani, famem, quàm sitim sustinent, tantò magis ægris in potione, quàm in cibo, indulgere. Sed primo quidem die nullus humor dari debet; nisi subitò sic uenæ conciderunt, ut cibus quoque dari debeat. Secundo uerò, cæterisque etiã, quibus cibus non dabitur; tamen si magna sitis urgebit, potio dari potest. Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret; ubi aut bilis ægrum, aut cruditas malè habet, expedire quoque per modicas potiones misceri nouam materiam corruptæ. Illud uidendum est, ut qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque; ubi sine illo datur, deligantur, aut cùm ægrum dormire cupiemus: quod ferè sitis prohibet. Satis autem conuenit, cùm omnibus febricitantibus nimius humor alienus sit, tũ præcipuè esse fœminis, quæ ex partu in febres inciderunt. Sed cùm tempora cibo, potioniq́ue, febris, & remissionis ratio det; non est expeditissimum, scire, quando æger febricitet, quando melior sit, quando deficiat; sine quibus dispensari illa non possunt. Venis enim maximè credimus, fallacissimæ rei; quia sæpe istæ leniores, celeriores'ue sunt, & ætate, & sexu, & corporum natura. Et plerunque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnunquã etiã incipiente febre, subeunt, & quiescunt; ut imbecillus is uideri possit, cui facilè laturo grauis instat accessio. Contrà sæpe eas concitat, & resoluit sol, balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus; adeo ut, cùm primum medicus uenit, solicitudo ægri dubitantis, quomodo ille se habere uideatur, eas moueat. ob quam causam, periti medici est, non protinus ut uenit, apprehendere manu brachium. sed primùm residere hilari uultu, percontarique quemadmodũ se habeat; & si quis eius metus est, eum probabili sermone leuire. tum deinde eius corpori manum admouere. quas uenas autem conspectus medici mouet, quã facilè mille res turbant? Altera res est, cui credimus, calor, æquè fallax. nã hic quoque excitatur æstu, labore, somno, metu, solicitudine. Igitur intueri quidem omnia etiã ista oportet: sed his non omnia credere; ac protinus quidem scire, non febricitare eum, cuius uenæ naturaliter ordinatæ sunt; tepor que talis est, qualis esse sanis solet. Non protinus autem sub calore, motuque, febrem se se concipere: sed ita, si summa quoque arida inæqualiter cutis est; si calor & in fronte est, & ex imis præcordijs oritur; si spiritus ex naribus cum feruore prorumpit; si color aut rubore, aut pallore nouo mutatus est; si oculi graues, & aut persicci, aut subhumidi sunt; si sudor cùm fit, inæqualis est; si uenæ nõ æquis interuallis mouentur. Ob quam causam, medicus, neque in tenebris, neque à capite ægri debet residere; sed illustri loco, aduersus eum, ut omneis notas ex uultu quoque cubantis perspiciat. Vbi uerò febris fuit, atque decreuit, expectari oportet, num tempora, partes'ue corporis aliæ paulum madescant, quæ sudorem uenturum esse testentur. ac si qua nota est, tunc demum dare potui calidam aquam; cuius salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Huius autem rei causã, continere æger sub ueste satis multa manus debet; eademque, crura, pedesque contegere; quia malè plerique ægros in ipso impetu febris, pessimeque, ubi ardens ea est, malè habent. Si sudare corpus cœpit, linteum tepefacere oportet, paulatimque singula membra detergere. At ubi sudor omnis finitus est; aut si is non uenit; ubi, quàm maximè potuit, idoneus esse cibo æger uidetur; sub ueste leniter ungendus est, tum detergendus; deinde ei cibus dandus. Cibus autem febricitãtibus humidus est aptissimus, aut humori certè quàm proximus; utique ex materia quàm leuissima, maximeque sorbitio. eaque, si magnæ febres fuerunt, quã tenuissima esse debet. Mel quoque despumatum huic rectè adijcitur, quò corpus magis nutriatur; sed id, si stomachum offendit, superuacuum est, sicut ipsa quoque sorbitio. Dari uerò in uicem eius potest uel intrita ex aqua calida, uel alica elota: Si firmus est stomachus, & compressa aluus, ex aqua mulsa: si uel ille languet, uel hæc profluit, ex posca. Et primo quidem cibo id satis est: secundo uerò aliquid adijci potest, ex eodem tamen genere materiæ, uel olus, uel conchilium, uel pomum. Et dum febres quidem increscunt, hic solus idoneus cibus est: Vbi uerò aut desinunt, aut leuantur; semper quidem incipiendum est ab aliquo ex materia leuissima; adijciendum uerò aliquid ex media; ratione habita subinde, & uirium hominis, & morbi. Ponendi uerò ægro uarij cibi (sicut Asclepiades præcepit) tum demum sunt, ubi fastidio urgetur; neque satis uires sufficiunt; ut paulum ex singulis degustando, famẽ uitet. At si neque uis, neque cupiditas deest, nulla uarietate solicitandus æger est, ne plus assumat, quàm concoquat. Neque uerum est, quod ab eo dicitur, faciliùs cõcoqui cibos uarios: eduntur enim faciliùs: ad concoctionem autem, materiæ genus, & modus pertinent. Neque inter magnos dolores, ut neque increscente morbo, tutum est, ægrum cibo impleri; sed ubi inclinata iam in melius ualetudo est. Sunt aliæ quoque obseruationes in febribus necessariæ. atque id quoque uidendum est, quod quidam solum præcipiunt, an astrictum corpus sit, an profluat. quorum alterum, strangulat quod continet; alterum digerit. nam si astrictum est, ducenda aluus est, mouenda urina, eliciendus omni modo sudor. In hoc genere morborum sanguinem etiam misisse, concussisse uehementibus gestationibus, corpus in lumine habuisse, imperasse famem, sitim, uigiliam, prodest. Vtile est etiam ducere in balneum; prius demittere in solium, tum ungere; iterum ad solium redire, multaque aqua fouere inguina; interdum etiam oleum in solio cum aqua calida miscere; uti cibo rarius, & serius, tenui, simplici, molli, calido, exiguo, maximeque oleribus, qualia sunt, lapatium, urtica, malua, uel iure etiam cõcharum, musculorum'ue, aut locustarum; neque danda caro, nisi elixa est. At potio esse debet magis liberalis, & ante cibum, & post hunc, & cum hoc, ultra quàm sitis coget. Poteritque à balneo etiam pinguius, aut dulcius dari uinum. poterit semel, aut bis interponi græcum salsum. Contrà uerò, si corpus profluet, sudor coercendus, quies adhibenda erit; tenebris, somnoque, quandocunque uolet, utendum. nõ nisi leui gestatione, corpus agitandum; & pro genere mali, subueniendum.

subueniendum. Nam si uenter fluit, aut si stomachus non continet, ubi febris decreuit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, & uomere cogere, nisi aut fauces, aut præcordia, aut latus dolet, aut uetus morbus est. Si uerò sudor exercet, duranda cutis est, uel nitro, uel sale, quæ cum oleo miscentur. At si leuius id uitium est, oleo corpus ungendum est: si uehementius, rosa, uel melino, uel myrteo, cui uinum austerum sit adiectum. Quisquis autem fluore æger est, cùm uenit in balneum, priùs ungendus, deinde in solium demittendus est. Si in cute uitium est, frigida quoque, quàm calida aqua meliùs utetur. Vbi ad cibum uentum est, dari debet is ualens, frigidus, siccus, simplex, qui quàm minimè corrumpi possit, panis tostus, caro assa, uinum asperum, uel certè subausterum; si uenter profluit, calidum; si sudores nocent, uomitusque sunt, frigidum.

Quomodo pestilentes febres curari debeant. Cap. VII.

Desiderat etiam propriam animaduersionem in febribus, pestilentiæ casus. In hac minimè utile est, aut fame, aut medicamentis uti, aut ducere aluum. Si uires sinunt, sanguinem mittere optimum est, præcipueque si cum dolore febris est. Si id parum tutum est, ubi febris aut tenuata est, aut leuata est, uomitu pectus purgare. Sed in hoc maturiùs, quàm in aliis morbis, ducere in balneum opus est; uinum calidum, & meracius dare, & omnia glutinosa: inter quæ quoque carnem generis eiusdem. Nam quò celeriùs eiusmodi tempestates corripiunt, eò maturiùs auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda sunt. Quòd si puer est, qui laborat, neque tantum robur eius est, ut sanguis mitti possit, siti ei utendum est, ducenda aluus, uel aqua, uel ptisanæ cremore; tum demum is leuibus cibis nutriendus. Et ex toto, non sic pueri, ut uiri, curari debent. Ergo, ut in alio quoque genere morborum, parciùs in his agendum est. Non facilè sanguinem mittere, non facilè ducere aluum, non cruciare uigilia, fame'ue, aut nimia siti, conuenit. Vomitus post febrem eliciendus est: deinde dandus cibus ex leuissimis; tum is dormiat: postero quoque die, si febris manet, abstineatur: Tertio, ad similem cibum redeat. Dandaque opera est, quantum fieri potest, ut inter opportunam abstinentiam, cibosque opportunos, omissis cæteris, nutriatur. Si uerò ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio est; sed in ipsis accessionibus, oleo, & aqua refrigerandus est; quæ miscenda manu sunt, donec albescant; & conclaui tenendus, quò multum, & purum aerem trahere possit; neque multis uestimentis strangulandus, sed admodum leuibus, tantùm uelandus est. Possunt etiam super stomachum imponi folia uitis in aqua frigida tincta. Ac ne siti quidem nimia uexandus est. alendus maturiùs est, idest, à die tertio; & ante cibum, iisdem perungendus. Si pituita in stomacho coiit, inclinata iam accessione, uomere cogendus est; & tunc dandum frigidum olus, aut pomum, ex his, quæ stomacho conueniunt. Si siccus manet stomachus, protinus uel ptisanæ, uel alicæ, uel oryzæ cremor dandus est, cum quo recens adeps cocta sit. Cùm uerò in summo incremento morbus est, utique non ante diem quartum, magna siti antecedente, frigida aqua copiosè præstanda est, ut bibat etiam ultra satietatem; & cùm iam uenter, & præcordia ultra modum repleta, satisque refrigerata sunt, uomere debet. Quidam ne uomitum quidem exigunt; sed ipsa aqua frigida, tantùm ad satietatem data, pro medicamento utuntur. Vbi utrumlibet factum est, multa ueste operiendus est, & collocandus ut dormiat. Fereque post longam sitim, & uigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus uenit, per quem ingens sudor effunditur. idque præsentissimum auxilium est: Sed in his tamen, in quibus præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens, uel in thorace, uel in pulmone, uel in faucibus; non ulcus, nō deiectio, non profluuiū alui fuit. Siquis autem in eiusmodi febre, leuiter tussit, is neque uehementi siti conflictatur, neque bibere aquam frigidam debet; sed eo modo curandus est, quo in cæteris febribus præcipitur.

Curatio semitertianæ febris, quæ hemitritæos dicitur. Cap. VIII.

At ubi id genus tertianæ est, quod ἡμιτριταῖον medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat: Habet enim plerunque frequentiores accessiones, decessionesque, ut aliud morbi genus uideri possit; porrigitque febris inter horas uigintiquatuor, & triginta sex; ut quod idem est, non idem esse uideatur. Et magnoperè necessarium est, neque dari cibum, nisi in ea remissione, quæ uera est; & ubi ea uenit, protinus dari; plurimique sub alterutro curantis errore, subitò moriūtur. Ac nisi magnoperè aliqua res prohibet, inter initia sanguis mitti debet; tum dari cibus, qui neque incitet febrem, & tamen longū eius spatium sustineat.

Curatio lentarum febrium. Cap. IX.

Nonnunquam etiam lentæ febres, sine ulla remissione, corpus tenent; ac neque cibo, neque ulli remedio locus est. In hoc casu, medici cura esse debet, ut morbum mutet: Fortasse enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum sit adiectum, corpus eius pertractandum est. quoniam interdum sic euenit, ut horror oriatur, & fiat initium quoddam noui motus; exque eo, cùm magis corpus incaluit, sequatur etiam remissio. In his, frictio quoque ex oleo, & sale, salubris uidetur. At si diu frigus est, & torpor, & iactatio corporis; non alienum est, in ipsa febre, dare mulsi tres, aut quatuor cyathos; uel cum cibo uinum bene dilutum: Intenditur enim sæpe ex eo febris, & maior ortus calor, simul & priora mala tollit, & spem remissionis in ea curatione ostendit. Neque hercule, ista curatio noua est, qua nunc quidam

traditos sibi ægros, qui sub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrarijs remedijs sanant. si quidē apud antiquos quoque ante Erophilum, & Erasistratum, maximeque post Hippocratem, fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis uestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem, sitimque excitaret. Deinde ubi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat; ac si mouerat sudorem, explicuisse se ægrum iudicabat. si non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum uomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus suillam assam, & uinum homini dabat. Si nō liberauerat, decoquebat aquam, sale adiecto, eamque bibere cogebat, ut mouendo uentrem purgaret. & intra hæc omnis eius medicina erat, eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis successores non refecerant, quàm nunc est his, quos Erophili, uel Erasistrati æmuli diu tractos non expedierunt. Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina; quia plures, si protinus à principijs excepit, interemit. Sed cùm eadem omnibus conuenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuuat. Ideoque eiusmodi medici melius alienos ægros, quàm suos nutriunt. Sed est circunspecti quoque hominis, & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere; quia curationem, ubi id quod est, non recipit; potest recipere id, quod futurum est.

Remedia in febribus ad capitis dolorem, & præcordiorum inflammationem, & ariditatem, & scabritiem linguæ. Cap. X.

Considerandum etiam est, febres ne solæ sint, an alia his quoque mala accedant. idest, num caput doleat, num lingua aspera, num præcordia intenta sint. Si capitis dolores sunt, rosam cum aceto miscere oportet, & in id ingerere; deinde habere duo pittacia, quæ latitudinem frontis, longitudinemque æquent. Ex his inuicem alterum in aceto, & rosa habere, alterum in fronte; aut intinctam ijsdem lanam succidam imponere. Si acetum offendit, pura rosa utendum est: Si rosa ipsa lædit, oleo acerbo. si ista parum iuuant, teri potest uel iris arida, uel nuces amaræ, uel quælibet herba ex refrigerantibus. Quorum quidlibet ex aceto impositum, dolorem minuit; sed magis aliud in alio. Iuuat etiam panis cum papauere iniectus, uel cum rosa, cerussa, spuma ue argenti. Olfacere quoque uel serpillum, uel anethum non alienum est. At si in præcordijs inflammatio, & dolor est; primò super imponenda sunt cataplasmata reprimentia; ne si calidiora fuerint, plus eò materiæ concurrat. Deinde ubi prima inflammatio se remisit, tunc demum ad calida, & humida ueniendum est, ut ea quæ remanserint, discutiant. Notæ uerò inflammationis sunt quatuor, rubor, & tumor cum calore, & dolore. (Quò magis errauit Erasistratus, qui febrem nullā sine hac esse dixit.) Ergo si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est: Hunc enim statim ipsa febris soluit. At si neque inflammatio, neque febris, sed tantùm præcordiorum dolor est; protinus calidis, & siccis fomentis uti licet. Si uerò lingua sicca est, & scabra, detergēda primū penicillo est ex aqua calida: deinde ungēda mixtis inter se rosa, & melle. Mel purgat, rosa reprimit, simulque siccescere non finit. At si scabra non est, sed arida; ubi penicillo detersa est, ungi rosa debet, cui ceræ sit paulum adiectum.

Remedia contra frigus, quod febrem præcedit. Cap. XI.

Solet etiam ante febres esse frigus; idque uel molestissimū morbi genus est. Vbi id expectatur, omni potione prohibendus æger est: hæc enim paulò antè data, multùm mali adijcit. Item maturius ueste multa tegendus est. admouenda partibus his, pro quibus metuimus, sicca & calida fomenta; sic, ne statim uehementissimi calores incipiant, sed paulatim accrescant. Perfricandę quoque eæ partes manibus unctis ex uetere oleo sunt, eique adijciendum aliquid ex calefacientibus: Contentique medici quidam una frictione, etiam ex quolibet oleo, sunt. In harum febrium remissionibus, nonnulli tres, aut quatuor sorbitionis cyathos, etiamnum ultrà manente febre, dant. deinde ea bene finita, reficiunt stomachum cibo frigido, & leni. Ego tum hoc puto tentandum, cùm parum cibus semel, & post febrem datus, prodest. sed curiosè perspiciendum est, ne tempus remissionis decipiat: Sæpe enim in hoc quoque genere ualetudinis, iam minui febris uidetur, & rursus intenditur. Itaque ei remissioni credendum est, quæ etiam immoratur, & iactationē, fœtoremque quendam oris (quem ὄζειν græci uocant) minuit. Illud satis conuenit, si quotidie pares accessiones sunt, quotidie paruum cibum dādum. si impares, post grauiorem cibum; post leuiorem, aquā mulsam.

Curatio horroris in febribus. Cap. XII.

Horror autem eas ferè febres antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur: Ideoque tutissimæ sunt, maximeque curationes admittunt. Nam ubi incerta tempora sunt, neque alui ductio, neque balneum, neque uinum, neque medicamentum aliud rectè datur. incertum est enim, quando febris uentura sit; Ita fieri potest, ut si subitò uenerit, summa in eo pernicies sit; quod auxilij causa sit inuentum. Nihilque aliud fieri potest, quàm uti primis diebus bene abstineatur æger. deinde sub decessu febris eius, quæ grauissima est, cibum sumat. At ubi certus circuitus est, facilius omnia illa tentantur; quia facilius proponere nobis & accessionum, & decessionum uices possumus. In his autem, cùm ueterauerunt, utilis famis non est: Primis tantummodò diebus ea pugnandum est; deinde diuidenda curatio est, & antè horror, tum febris discutiēda. Igitur cùm primùm aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam

dam

dam aquam subsalsam, & uomere eum cogere. nam ferè talis horror ab his oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt. Idem faciendum est, si proximo quoque circuitu æquè cessit; sæpe enim sic discutitur. Iamque quod genus febris sit, scire licet: Itaque sub expectatione proximæ accessionis, quæ instare tertia potest, deducendus in balneum est; dandaque opera est, ut per tempus horroris in folio sit. si ibi quoque senserit, nihilominùs idem sub expectatione accessionis quartæ faciat: si quidem eo quoque modo sæpe id discutitur. si nec balneum quidem profuit; ante accessionem, alium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere; si quidem ea quoque assumpta, calorem mouent, qui horrorem non admittit: Deinde eo modo, quo in frigore præceptum est, antequàm inhorrescere possit, operiatur: Fomentisque protinus ualidioribus totum corpus circundare conuenit, maximæque inuolutis extinctis testis, & titionibus. Si nihilominùs horror perruperit, multo oleo calefacto inter ipsa uestimenta perfundatur; cui æquè ex calefacientibus aliquid sit adiectum. adhibeaturque frictio, quantam is sustinere poterit; maximeque in manibus, & pedibus; & spiritum ipse contineat. neque desistendum est, etiam si horror est: Sæpe enim pertinacia iuuantis, malum corporis uincit. Si quid euomuit, danda aqua tepida, iterumque uomere cogendus est; utendumque eisdem est, donec horror finiatur. Sed pręter hęc, ducenda aluus est, si tardiùs horror quiescit; si quidem id quoque exonerato corpori prodest. Vltima quoque post hæc auxilia sunt, gestatio, & frictio. Cibus autē in eiusmodi morbis maximè dandus est, qui mollem aluum præstet: Caro glutinosa; uinum, cùm dabitur, austerum.

Curatio quotidianæ febris. Cap. XIII.

Hæc ad omnes circuitus febrium pertinent. discernendæ tamen singulę sunt, sicut rationem habent dissimilem. si quotidiana est, triduo primo magnoperè abstinere oportet; tum cibis altero quoque die uti. Si res inueterauerit, post febrem, experiri balneum, & uinum; magisque si horrore sublato, hæc superest.

Curatio tertianæ febris. Cap. XIIII.

Si tertiana uero, quę ex toto intermittit, aut quartana est; medijs diebus, & ambulationibus uti oportet, alijsque exercitationibus, & unctionibus. quidam ex antiquioribus medicis, Cleophantus in hoc genere morborum, multò ante accessionem, caput ægri multa calida aqua perfundebat; deinde uinum dabat. quod, quamuis pleraque eius uiri præcepta secutus est Asclepiades, rectè tamen præterijt: Est enim anceps. Ipse, si tertiana febris est, tertio die post accessionem, dicit aluum duci oportere. quinto, post horrorem, uomitum elicere. deinde post febrem (sicuti illi mos erat) adhuc calidis dare cibum, & uinum. sexto die, in lectulo detineri: sic enim fore, ne septimo die febris accedat. Id sæpe fieri posse, uerisimile est. Tutius tamen est, ut hoc ipso ordine utamur, tria remedia, uomitus, alui ductionis, uini potus, per triduum, idest, die tertio & quinto, & septimo tentare. nec uinum, nisi post accessionem, die septimo bibat. Si uerò primis diebus discussus morbus non est, inciditque in uetustatem; quo die febris expectabitur, in lectulo se cōtineat; post febrem perfricetur; tum cibo assumpto, bibat aquam. postero die, quo cibo uacat, & ab exercitatione, unctioneque, aqua tantùm contentus conquiescat: Et id quidem optimum est. Si uerò imbecillitas urgebit, & post febrem, uinum; & medio die, paulum cibi debebit assumere.

Curatio quartanæ febris. Cap. XV.

Eadem in quartana facienda sunt. Sed cùm hęc tardè admodùm finiatur (nisi primis diebus discussa est) diligentiùs ab initio præcipiendum est, quid in ea debeat fieri. Igitur si cui cum horrore, febris accessit, eaque desijt; eodem die, & postero, tertioque continere se debet, & aquam tantummodò calidam primo die post febrem sumere; biduo proximo (quantum fieri potest) ne hanc quidem. si quarto die, cum horrore febris reuertitur, uomere sicut antè pręceptum est; deinde post febrem, modicum cibum sumere, uini quadrantem. Postero, tertioque die abstinere; aqua tantummodò calida, si sitiet, assumpta; septimo die, balneo frigus præuenire; abstinere, continere se debet, & aqua tantummodò calida, si sitiet; ac tum ita nono die, balneo frigus pręuenire; si febris redierit, ducere aluum. ubi ex eo corpus conquieuerit, inunctione uehementer perfricari; eodem modo sumere cibum, & uinum; biduo proximo se abstinere frictione seruata. decimo die, rursus balneum experiri; & si postea febris accessit, æquè perfricari: uinum copiosius bibere: ac si proximum est, quies tot dierum, ut abstinentia, cum cæteris quæ præcipiuntur, febrem tollant. Si uerò nihilominùs remanet, aliud ex toto sequendum est curationis genus; idque agendū, ut quod diu sustinendum est, corpus facilè sustineat. Quò minùs etiam curatio probari Heraclidis Tarentini debet, qui primis diebus ducendam aluum, deinde abstinendum usque in septimum diem, dixit. Quod ut sustinere aliquis possit; tamen etiam febre liberatus, uix refectioni ualebit. adeo si febris sæpius accesserit, concidet. Igitur si tertiodecimo die morbus remanebit, balneum neque ante febrem, neque post eam, tentandum erit; nisi interdum iam horrore discusso. Horror ipse per eadem, quæ suprà pręscripta sunt, expugnandus. Deinde post febrem, oportebit ungi, & uehementer perfricari; cibumque & ualidum, & fortiter assumere. uino uti quantum libebit. postero die, cùm satis quieuerit, ambulare, exerceri, ungi, perfricari fortiter, cibum accipere sine uino; tertio die abstinere. quo die uerò febrē expectabit, antè surgere, & exerceri; dareque operam

non oportet, ut in ipsam exercitationem, tempus febris incurrat: sic enim sæpe illa discutitur. At si in opere occupauit, tum demum se recipere. In eiusmodi ualetudine, medicamenta sunt, oleum, frictio, exercitatio, cibus, uinum. Si uenter astrictus est, soluendus est. Sed hæc facile ualidiores faciunt. si imbecillitas occupauit, pro exercitatione gestatio est. Si ne hanc quidem sustinet, adhibenda tamen frictio est. si hæc quoque uehemens onerat, intra quietem, & unctionem, & cibum, sistendum est, dandaq; opera est, ne qua cruditas in quotidianam id malum uertat. Nam quartana neminem iugulat: sed si ex ea, facta quotidiana est, in malis æger est. Quod tamen, nisi culpa uel ægri, uel curantis, nunquam fit.

Curatio duarum quartanarum. Cap. XVI.

At si duæ quartanæ sunt, neque hæ, quas proposui, exercitationes adhiberi possunt; aut ex toto quiescere opus est; aut si id difficile est, leuiter ambulare, considere, diligenter inuolutis pedibus, & capite. Quoties febris accessit, & desijt, cibum modicum sumere, & uinum, reliquo tempore, nisi imbecillitas urget, abstinere. Aut si duæ febres pene iunguntur, post utranque cibum sumere: deinde uacuo tempore, & moueri aliquid, & post unctionem, cibo uti. Cùm uerò uetus quartana rarò, nisi uere soluatur; utique eo tempore attendendum est, ne quid fiat, quod ualetudinem impediat. Prodestque in uetere quartana mutare subinde uictus genus; a' uino ad aquam, ab aqua ad uinum; a' lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire; esse radicem, deinde uomere; iure'ue pulli gallinacei uentrem resoluere; oleum ad frictiones adijcere; calefacientia ante accessionem sorbere; uel aceti cyathos duos, uel unum sinapis, cum tribus Græci uini salsi; uel mixta paribus portionibus, & in aqua diluta, piper, castoreum, laser, myrrham. Per hæc enim, similiaque, corpus agitandum est, ut moueatur ex eo statu, quo detinetur. Si febris quieuit, diu meminisse eius diei conuenit; eoque uitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim reuertitur, nisi a' sano quoque aliquandiu timetur.

Curatio quotidianæ febris, quæ ex quartana facta sit. Cap. XVII.

At si ex quartana, quotidiana facta est; cùm id uitio inciderit, per biduum abstinere oportet: frictione uti; aquam tantummodò uesperi potui dare. tertio die sæpe fit, ne febris accedat. Sed siue fuit, siue non fuit, cibus post accessionis tempus est dandus. at si manet, per biduum abstinentia, quanta maxime imperari corpori potest; frictione quotidie utendum est.

De tribus insaniæ generibus; & primo de eius curatione, quæ à Græcis phrenitis dicitur. Cap. XVIII.

Et febrium quidem ratio exposita est. supersunt uero alij corporis affectus, qui huic superueniunt. ex quibus, eos, qui certis partibus assignari nō possunt, protinus iungam. Incipiam ab insania; primamque huius ipsius partem agrediar, quæ & acuta, & in febre est; Græci φρενῖτιν appellant. Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione ægros desipere, & loqui aliena. Quod non quidem leue est, neque incidere potest, nisi in febre uehementi; non tamen æquè pestiferum est: Nam plerunque breue esse consueuit; leuatoque accessionis impetu, protinus mens redit. Neque id genus morbi, remedium aliud desiderat, quā quod in curanda febre præceptum est. Phrenitis uerò tum demum est, cùm cōtinua dementia esse incipit; aut cùm æger, quamuis adhuc sapiat, tamen quasdā uanas imagines accipit. perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est. Eius autem plura genera sunt; si quidem ex phreniticis alij hilares, alij tristes sunt; alij facilius continentur, & intra uerba desipiunt: alij consurgunt, & uiolenter quædam manu faciunt. atque ex his ipsis, alij nihil nisi impetu peccant, alij etiam artes adhibent; summamque speni sanitatis in captandis maiorum operum occasionibus præbent, sed exitu deprehenduntur. Ex his autem, eos qui intra uerba desipiunt, aut leuiter etiam manu peccant, onerare asperioribus coërcitionibus superuacuum est: Eos uerò, qui uiolentius se gerunt, uincire conuenit, ne uel alteri, uel sibi noceant. Neque credendum est, si uinctus aliquis, dum leuari uinculis cupit, sanum iam se fingat; quamuis prudenter, & miserabiliter loquatur; quoniam is dolus insanientis est. Fere uerò antiqui tales ægros in tenebris habebant, eò quòd eis contrarium esse exterreri; & ad quietem animi, tenebras ipsas conferre aliquid iudicabant. At Asclepiades, tanquam tenebris ipsis terrentibus, in lumine habendos esse dixit; neutrum tamen perpetuum est: alium enim lux, alium tenebræ magis turbant. reperiunturque, in quibus nullum discrimen deprehendi, uel hoc, uel illo modo possit. Optimum itaque est, utrunque experiri; & habere eum, qui tenebras horret, in luce; eum qui lucem, in tenebris. At ubi nullum tale discrimen est, æger (si uires habet) loco lucido; si non habet, obscuro continendus est. Remedia uerò adhibere, ubi maxime furor urget, superuacuū est: simul enim febris quoque increscit. itaque tum nihil, nisi continendus æger est. Vbi uerò res patitur, festinanter subueniendū est. Asclepiades perinde esse dixit, his sanguinem mitti, ac si trucidentur; rationem hanc secutus, quòd neque insania esset, nisi febre intenta; neque sanguis, nisi in remissione eius, rectè mitteretur. Sed ipse in his somnum multa frictione quæsiuit; cùm & intentio febris, somnum impediat; & frictio, non nisi in remissione eius utilis sit. Itaque hoc quoque auxilium debuit præterire. Quid igitur est? Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda. & continuata quoque febris, habet tempora, quibus & si non remittit, nō tamen crescit: Estque hoc, ut non optimum, sic tamen secundum remedij tempus. Quòd si uires ægri patiuntur,

tiuntur, sanguis quoque mitti debet. Nec minus deliberari potest an aluus ducenda sit. Tum interposito die conuenit caput ad cutem tondere, deinde aqua fouere, in qua uerbenæ aliquæ decoctæ sint, uel ex reprimentibus; aut prius fouere, deinde tondere, & iterum fouere; ac nouissime rosa caput, naresque implere; offerre etiam naribus rutam ex aceto contritam; mouere sternutamenta, medicamẽtis in id efficacibus. Quæ tamen facienda sunt in his, quibus uires non desunt. Si uero imbecillitas est, rosa tantum caput, adiecto serpillo, similiue aliquo, madefaciendum est. Vtiles etiam in quibuscunque uiribus herbæ duæ sunt, solanum, & muralis; simul ex utraque succo expresso, caput impleatur. Cum se febris remiserit, frictione utendum est. parcius tamen in his, qui nimis hilares; quàm in his, qui nimis tristes sunt. Aduersus omnium autem sic insanientium animos, gerere se pro cuiusque natura necessarium est. Quorundã enim uani metus leuandi sunt; sicut in homine prædiuite famem timente incidit, cui subinde falsæ hæreditates nunciabantur. Quorundam audacia coercenda est; sicut in his fit, in quibus continendis plagæ quoque adhibentur. Quorundam etiam intempestiuus risus, & obiurgatione, & minis prohibendus est. Quorundam discutiendæ tristes cogitationes; ad quod symphoniæ, & cymbala, strepitusque proficiunt. Sæpius tamen assentiendum, quàm repugnandum est. paulatimque, & non euidenter, ab his, quæ stulte dicentur, ad meliora mens eius abducenda est. Interdum etiam elicienda ipsius intentio. ut fit in hominibus studiosis literarum, quibus liber legitur, aut rectè, si delectantur; aut perperàm, si id ipsum eos offendit. emendando enim, conuertere animum incipiunt: Quin etiã recitare, si qua meminerunt, cogẽdi sunt. Ad cibum quoque quosdã non desiderantes reduxerunt hi, qui inter epulantes eos collocauerunt. Omnibus uerò sic affectis somnus & difficilis, & præcipuè necessarius est: sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiã ad mentem ipsam componendam, crocinum unguentum cum irino in caput datum. Si nihilominus uigilant hi, quidam somnum moliuntur, potui dando aquam, in qua papauer, aut ὑοσκύαμος decocta sit; alij mandragoræ mala puluino subijciunt; alij uel amomum, uel sycamini lachrymam fronti inducunt (hoc nomen apud medicos reperio: Sed cùm græci morum, συκάμινον appellãt, mori nulla lachryma est. sic uero significatur lachryma arboris in Aegypto nascentis, quam ibi συκόμορον appellant) Plurimi, decoctis papaueris corticibus, ex ea aqua, subinde spongia os, & caput fouẽt. Asclepiades ea superuacua esse dixit, quoniam in Lethargum sæpe compellerent. Præcipit autem, ut primo die a' cibo, potione, somno abstineretur; uespere ei daretur potui aqua; tunc frictio admoueretur lenis, ita ut ne manum quidem, qui fricaret, uehementer imprimeret: postero deinde die, iisdem omnibus factis, uespere ei daretur sorbitio, & aqua; rursusque frictio adhiberetur: Per hanc enim nos consecuturos, ut somnus accedat. Id interdum fit, & quidem adeo, ut illo confitente, nimia frictio etiam lethargi periculum afferat. Sed si sic somnus non accessit, tum demum illis medicamentis accersendus est; habita scilicet eadem moderatione, quæ hìc quoque necessaria est; ne, quem obdormire uolumus, excitare postea non possimus. Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta cadens; uel gestatio post cibum, & noctu, maximeque suspensi lecti motus. Neque alienum est, si neque sanguis antè missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso, cucurbitulam admouere. quæ quia leuat morbum, potest etiam somnũ facere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda est: Nam neque implendus æger est, ne insaniat: neque ieiunio utique uexandus est, ne imbecillitate, in cardiacum incidat. Opus est autem cibo infirmo, maximeque sorbitione, potione aquæ mulsæ, cuius ternos cyathos bis hyeme, quater æstate dedisse, satis est. Alterum genus insaniæ est, quod spatium longius recipit; quia ferè sine febre incipit; leues deinde febriculas excitat; & consistit in tristitia; quam uidetur bilis atra contrahere. In hac, utilis detractio sanguinis est. Si quid hanc prohibet, prima est abstinentia; secunda, per album ueratrũ, uomitumque purgatio. post utrumlibet, adhibenda bis die frictio est: si magis ualet, frequens etiam exercitatio. In ieiuno uomitus; cibus sine uino dandus ex media materia est: Quam quoties posuero, scire licet, etiam ex infirmissima dari posse, dum ne ea sola quis utatur; ualentissima tantummodò esse remouenda. Præter hęc, seruanda aluus est quàm tenerrima: remouendi terrores, & potius bona spes afferenda. quęrenda delectatio ex fabulis, ludisque, quibus maximè capi sanus assueuerat. Laudanda, si qua sunt, ipsius opera, & ante oculos eius ponenda. Leuiter obiurganda uana tristitia. Subinde admonẽdus, in his ipsis rebus, quę solicitant, cur non potius lętitię, quàm solicitudinis causa sit. Si febris quoque accessit, sicut alię febres, curanda est. Tertium insanię genus, est ex his longissimum; adeò ut uitam ipsam non impediat; quod robusti corporis esse consueuit. Huius autem ipsius species duę sunt: Nam quidam imaginibus, non mente falluntur (qualem insanientem Aiacem, uel Orestem, poetarum fabulę ferunt) quidam animo desipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia uidendum est, tristes, an hilares sint. In tristitia, nigrum ueratrum, deiectionis causa; in hilaritate, album ad uomitum excitandum, dari debet. idque si in potione non accepit, pani adiiciendum est, quò facilius fallat. nam si bene se purgauerit, ex magna parte morbum leuabit. Ergo etiam si semel datum ueratrum, parum profecerit; interposito tempore iterum dari debet. Neque ignorare oportet, leuiorem esse morbum, cum risu, quàm seriò insanientium. Illud quoque perpetuum est in omnibus morbis, ubi ab inferiore parte purgandus aliquis est, uentrem eius antè soluendum esse; ubi a' superiore, comprimendum. Si uerò consilium insanientem fallit, tormentis quibusdam optimè curatur. Vbi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, uinculis, plagis coercendus est. Cogendus est, & attendere, & ediscere aliquid, & meminisse. sic enim fiet, ut paulatim metu cogatur considerare, quid faciat. Subitò etiã terreri, & expauescere in hoc morbo, prodest: Et ferè, quidquid animũ uehementer perturbat. Potest enim quædam fieri mutatio, cũ ab eo statu mens, in quo fuerat, abducta est. Interest etiã, si ipse sine causa subinde rideat, an mœstus, demissusque sit. nam demens hilaritas, terroribus his, de quibus supra dixi, melius curatur. si nimia

tristitia est, prodest lenis, sed multa, bis die, frictio: Item per caput aqua frigida infusa; demissumque corpus in aquam, & oleum. Illa cōmunia sunt; Insanientes uehementer exerceri debere; multa frictione uti; neque pinguem carnem, neque uinum assumere; cibis uti post purgationem, ex leui materia quàm leuissimis. nō oportere esse uel solos, uel inter ignotos, uel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant. mutare debere regiones; & si mens redit, annua peregrinatione esse iactandos. Raro, sed aliquando tamen, ex metu delirium nascitur. Quod genus insanientium specie, similique uictus genere curandum est; præterquàm quod in hoc insaniæ genere solo, recte uinum datur.

Cardiaci morbi curatio. Cap. XIX.

Huic morbo præcipuè contrarium est id genus, quod καρδιακὸν à Græcis nominatur; quamuis sæpe ad eum phrenitici transeunt. Siquidem mens in illis labat, in hoc constat. Id autem nihil aliud est, quàm nimia imbecillitas corporis, quod, stomacho languente, immodico sudore digeritur. Licetque protinus scire, id esse, ubi uenarum exigui, imbecillique pulsus sunt: Sudor autem supra consuetudinem, & modo, & tempore, ex toto thorace, & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit; pedibus tantummodò, & cruribus siccioribus, atque frigentibus. At ubi id morbi genus est, curatio prima est, supra pręcordia imponere, quę reprimāt, cataplasmata; secunda, sudorem prohibere. id præstat acerbum oleum, uel rosa, uel melinum, aut myrteum. quorum aliquo corpus leuiter perungendum; cæratumque ex aliquo horum, tum imponendū est. Si sudor uincit, delinendus homo est, uel gypso, uel argenti spuma, uel cimolia creta; uel etiam subinde horum puluere respergendus. Idem pręstat puluis ex contritis aridi myrti, uel rubi folijs; aut ex austeri, & boni uini arida fece. Pluraque similia sunt; quæ si desunt, satis utilis est quilibet ex uia puluis iniectus. Super hæc uero, quò minùs corpus insudet, leui ueste debet esse contectus, loco non calido, fenestris patentibus, sic, ut perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium est, imbecillitati iacentis, uino, ciboque succurrere. Cibus non multus quidem, sed sæpe tamē, nocte, ac die dandus est, ut nutriat, neque oneret. is esse debet ex infirmissima materia, & stomacho aptus. nisi autem necesse est, ad uinum festinare non oportet. si uerendum est, ne deficiat; tum & intrita ex hoc; & hoc ipsum austerum quidem, sed tamen tenue, meracum, egelidum, subinde, & liberaliter dandum est; adiecta polenta, si modò is æger parum cibi assumit. idque uinum esse debet, neque nullarum uirium, neque ingentium; recteque tota die, ac nocte, uel treis heminas æger bibet. si uastius corpus est, plus etiam. Si cibum non accipit, perunctum antè perfundere aqua frigida conuenit, & tum dare. Quòd si stomachus resolutus, parum continet; & ante cibum, & post eum, sponte uomere oportet; rursusque post uomitum, cibum sumere. si ne id quidem manserit, sorbere uini cyathum; interpositaque hora, sumere alterum. si id quoque stomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis super illinendum est. qui ubi inaruerunt, efficiunt, ut uinum in stomacho contineatur; exque eo toti corpori calor, uenisque uis redeat. Vltimum auxilium est, in aluum, ptisanæ, uel alicæ cremorem, ex inferioribus partibus inijcere; si quidem id quoque uires tuetur. Neque alienum est, naribus quoque æstuantis, admouere quod reficiat, idest rosam, & uinum: Et si qua in extremis partibus frigent, unctis, & calidis manibus fouere. per quæ si consequi potuimus, ut & sudoris impetus minuatur, & uita prorogetur, incipit iam tempus ipsum esse præsidio. Vbi in tuto esse uidetur, uerendum est tamen, ne ad eandem imbecillitatem citò recidat. Itaque uino tantùm remoto, quotidie ualidiorem cibum debet assumere, donec satis uirium corpori redeat.

De lethargo, & eius curatione. Cap. XX.

Alter quoque morbus est aliter phrenitico contrarius. In illo, difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est. At in hoc, marcor, & inexpugnabilis pene dormiendi necessitas; λήθαργον græci nominant. atque id quoque genus, acutum est; & nisi succurritur, celeriter iugulat. Hos ægros quidam subinde excitare nituntur, admotis his, quæ per sternutamenta euocantur; & his, quæ odore fœdo mouent; qualis est pix cruda, lana succida, piper, ueratrū, castoreum, acetum, allium, cepa; iuxtà etiam galbanū incendunt, aut pilos, aut cornu ceruinum: si id non est, quodlibet aliud. Hæc enim cùm comburuntur, odorem fœdū mouent. Tharrias uerò quidam accessionis esse id malum dixit; leuarique, cùm ea decessit. Itaque eos, qui subinde excitant, sine usu, malè habere. Interest autem, in decessione expergiscatur æger, an cùm febris nō leuetur; aut leuata quoque ea, somnus urgeat. Nam si expergiscitur, adhibere ei, ut sopito, superuacuū est. neque enim uigilando melior fit; sed per se, si melior est, uigilat. Si uerò continens ei somnus est, utique excitandus est: sed his temporibus, quibus febris leuissima est, ut & excernat aliquid, & sumat. Excitat autē ualidissimè, repentè aqua frigida infusa, post remissionem. Itaque perunctum oleo multo corpus, tribus, aut quatuor amphoris, totum per caput perfundendum est. Sed hoc utemur, si æqualis ægro spiritus erit, si mollia præcordia: Sin aliter hæc erunt, ea potiora, quæ suprà comprehensa sunt. Et quod ad somnum quidem pertinet, commodissima hæc ratio est. Medendi autem causâ, caput radendum; deinde postea fouendum est aqua, in qua laurus, aut ruta decocta sit. Altero die, imponendum castoreum, aut ruta ex aceto contrita, aut lauri baccæ, aut hedera cum rosa, & aceto. Præcipueque proficit & ad excitandum hominem, naribus admotum, & ad morbum ipsum depellendum, capiti, frontiue impositum sinapi. Gestatio etiā in hoc morbo prodest; maximeque opportunè cibus datus, idest, in remissione, quāta maxima inue-

niri

niri poterit, aptissima autem sorbitio est, donec morbus decrescere incipiat, sicut si quotidie grauis accessio est, hæc quotidie detur: Si alternis, post grauiorem sorbitio, post leuiorem mulsa aqua. Vinũ quoque cum tempestiuo cibo datum, non mediocriter adiuuat. quòd si post longas febres, eiusmodi torpor corpori accessit, cætera eadem seruanda sunt. Ante accessionem autẽ tribus, quatuórue horis, castoreum, si uenter astrictus est, mixtum cum scamonea; si non est, per se ipsum cum aqua dandum est. Si præcordia mollia sunt, cibis utendum est plenioribus: Si dura, in iisdem sorbitionibus subsistendum; imponendumque est præcordiis, quod simul & reprimat, & emolliat.

De aqua inter cutem, hoc est hydropico morbo. Cap. XXI.

Sed hic quidem acutus est morbus: Longus uerò fieri potest, eorum, quos aqua inter cutem male habet (nisi primis diebus discussus est) ὕδερον græci uocant. Atque eius tres species sunt: Nam modò uentre uehementer intento, creber intus ex motu spiritus sonus est. modò corpus inæquale est, tumoribus aliter, aliterque per totum id orientibus. modò intus in unum aqua contrahitur, & moto corpore, ita mouetur, ut impetus eius conspici possit. Primum τυμπανίτην, secundum λευκοφλεγματίαν, uel ὑπὸ σάρκα, tertium ἀσκίτην græci nominant. Communis tamen omnium est, humoris nimia abundantia; ob quam, ne ulcera quidem in his ægris facilè sanescunt. Sæpe uerò hoc malum per se incipit: Sæpe, alteri uetusto morbo (maximeque quartanæ) superuenit. Facilius in seruis, quàm in liberis tollitur: quia cùm desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam; promptius his succurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus, Chrysippi discipulus, apud Antigonum regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari. Cumque alter medicus, Epirotes, Philippus se sanaturum polliceretur; respondit, illum ad morbum ægri respicere, se ad animum, neque eum res fefellit. Ille enim, cùm summa diligentia non medici tantummodò, sed etiam regis, custodiretur, tamen malagmata sua deuorando, bibendoque suam urinam, in exitium se præcipitauit. Inter initia tamen, non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia. At si malum inueterauerit, non sine magna molestia discutitur. Metrodorum tamen Epicuri discipulum referunt, cùm hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret necessariam sitim; ubi diu abstinuerat, bibere solitum, deinde euomere. Quòd si redditur, quidquid receptum est, multum tædio demit. si à stomacho retentum est, morbum auget: Ideoque in quolibet tentandum non est. Sed si febris quoque est, hæc in primis submouenda est, per eas rationes, per quas huic succurri posse propositum est. Si sine febre æger est, tum demum ad ea ueniendum est, quæ ipsi morbo mederi solent. Atque hic quoque, quæcunque species est, si nondum nimis occupauit, iisdem auxiliis opus est. multum ambulandum. currendum aliquid est. superiores maximè partes sic perfricandæ, ut spiritum ipse contineat. euocandus est sudor, non exercitatione tantummodò, sed etiam in harena calida, uel laconico, uel clibano, similibusque aliis, maximeque utiles naturales & siccæ sudationes sunt; quales super Baias habemus in myrtetis. balneum, atque omnis humor alienus est. Ieiuno rectè catapotia dantur, facta ex absinthii duabus, myrrhæ tertia parte. Cibus esse debet ex media quidem materia, sed tamen generis durioris. Potio non ultra danda est, quàm ut uitam sustineat: optimaque est, quæ urinam mouet. Sed id ipsum tamen mouere cibo, quàm medicamento, melius est. Si tamen res coget, ut ex his aliquid detur, præstantius id decoquendum, eaque aqua potui danda. Videntur autem hanc facultatem habere, iris, nardũ, crocum, cinnamum, amomum, cassia, myrrha, balsamum, galbanum, ladanum, oenanthe, panace, cardamomum, hebenus, cupressi semen, uua taminia (quam σταφίδα ἀγρίαν græci nominant) abrotanum, rosæ folia, acorum, amaræ nuces, tragoriganum, styrax, costum, iunci quadrati & rotundi semen; illud κύπειρον, σχοῖνος hoc græci uocant. Quæ quotiens posuero, non quæ hic nascuntur, sed quę inter aromata afferuntur, significabo. Primò tamen, quæ leuissima ex his sunt, idest, rosæ folia, uel nardi spica, tentanda sunt. Vinum quoque utile est, & austerũ, sed quã tenuissimũ. Commodũ est etiã lino quotidie uentrẽ metiri, & quà comprehendit aluum, notam imponere, postero die uidere, si plenius corpus sit, an extenuetur: Id enim quod tenuatur, medicinam sentit. Neque alienũ est, metiri & potionẽ eius, & urinã: Nã si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ ualetudinis spes est. Asclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, se abstinentia bidui, & frictione usum: tertio die, iam & febre, & aqua liberato, cibum & uinum dedisse, memoriæ prodit. Hactenus communiter de omni specie dici potest: Si uehementius malum est, diducenda ratio curandi est. Ergo si inflamatio, & ex ea dolor creber est, utilis quotidianus, aut alterno quoque die post cibũ, uomitus est. Fomentis siccis, calidisque utendum est. Si per hæc, dolor non finitur, necessariæ sunt sine ferro cucurbitulæ. Si ne per has quidem tormentum tollitur, incidenda cutis est, & tum his utendum. Vltimum auxilium est, si cucurbitulæ nihil profuerunt, per aluum infundere copiosè aquam calidam, eamque recipere. Quin etiam quotidie ter, quaterúe opus est uti frictione uehementi, cum oleo, & quibusdam calefacientibus. Sed in hac frictione, à uentre abstinendum est. Imponendum uerò in eum crebrius sinapi, donec cutem erodat; ferramentisque candentibus, pluribus locis uenter exulcerandus est, & seruanda ulcera diutiùs. Vtiliter etiam scilla cocta delinitur cutis; sed diu post has inflammationes abstinendũ est ab omnibus inflantibus. At si id uitiũ est, cui λευκοφλεγματία nomen est; eas partes quæ tument, subiicere soli oportet; sed non nimium, ne febricula incidat. si is uehemẽtior est, caput

uelandum est; utendumque frictione, madefactis tantum manibus aqua, cui sal, & nitrum, & olei paulũ sit adiectum: sic, ut aut pueriles, aut muliebres manus adhibeantur, quò mollior earum tactus sit. Idque, si uires patiuntur, ante meridiem, tota hora; post meridiem, semi hora fieri oportet. Vtilia etiam sunt cataplasmata, quæ reprimunt, maximeque si corpora teneriora sunt. Incidẽdum quoque est super talũ, quatuor fere digitis, ex parte interiore, quà per aliquot dies, frequens humor feratur; atque ipsos tumores incidere, altis plagis oportet: Cõcutiẽdumque multa gestatione corpus est; atque ubi inductæ uulneribus cicatrices sunt, adijciendũ & exercitationibus est, & cibis, donec corpus ad pristinũ habitũ reuertatur. Cibus ualens esse debet, & glutinosus, maximeque caro. Vinum, si per stomachum licet, dulcius. sed ita, ut inuicẽ biduo, triduo ue, modò aqua, modò id bibatur. Prodest etiam lactucæ marinæ (quæ grandis iuxta mare nascitur) semen cum aqua potui datum. Si ualens est, qui id accipit, ei scylla cocta sicut supra dixi, delinitur. Auctoresque multi sunt, inflatis uesicis pulsandos tumores esse. Si uerò id morbi genus est, quo, in uterũ multa aqua contrahitur, ambulare, sed magis modicè oportet. malagma quod digerat, impositũ habere; idque ipsum, super imposito triplici panno, fascia, non nimiùm tamen uehementer astringere. quod à Tharria profectum, seruatum esse à pluribus uideo. Si iecur aut lienem affectum esse, manifestum est; ficum pinguem contusam, adiecto melle, superponere. Si per talia auxilia uenter non siccatur, sed humor nihilominus abundat, celeriore uia succurrere, ut is per uentrem ipsum emittatur: Neque ignoro, Erasistrato displicuisse hanc curandi uiam: Morbum enim hunc iocineris putauit: Ideoque ita illum esse sanandum; frustraque aquam emitti, quæ uitiato illo subinde nascatur. Sed primum, non huius uisceris unius hoc uitium est: Nam & splene affecto, & in totius corporis malo habitu fit; deinde, ut inde cœperit; tamen aqua nisi emittitur (quæ contra naturam ibi subsistit) & iocineri, & cæteris interioribus partibus nocet. conuenitque, corpus nihilominus esse curandum. neque enim sanat emissus humor, sed medicinæ locum facit; quam intus inclusus impedit. Ac ne illud quidem in controuersiam uenit, quin, non omnes in hoc morbo sic curari possint; sed iuuenes robusti, qui uel ex toto carẽt febre, uel certè satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, qui ue ex atra bile huc deciderunt, quique malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt. Cibus autem, quo die primùm humor emissus est, superuacuus est; nisi si uires desunt. Insequentibus diebus, & his uinum meracius quidem, sed non ita multum, dari debet; paulatimque euocandus æger est ad exercitationes, frictiones, solem, sudationes, nauigationes, & idoneos cibos, donec ex toto conualescat. Balneum rarum res amat, frequentiorem in ieiunio uomitum. Si æstas est, in mare natare commodum est. Vbi conualuit aliquis, diu tamẽ alienus ei ueneris usus est.

De tabe, & eius speciebus, & curationibus. Cap. XXII.

Diutius sæpe & periculosiùs tabes eos male habet, quos inuasit. Atque huius quoque plures species sunt: Vna est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decentibus, nullis uero in eorũ locum subeuntibus, summa macies oritur; & nisi occurritur, tollit. ἀτροφίαν hanc græci uocant. Ea duabus fere de causis incidere consueuit: aut enim nimio timore aliquis minus; aut auiditate nimia, plusquàm debet, assumit. ita, uel quod deest, infirmat; uel quod superat, corrumpitur. Altera species est, quam græci καχεξίαν appellant; ubi malus corporis habitus est: ideoque omnia alimenta corrumpuntur. quod fere fit, cũ longo morbo uitiata corpora, etiam si illo uacant, refectionem tamen non accipiunt; aut cùm malis medicamentis corpus affectum est; aut cùm diu necessaria defuerunt; aut cũ insuetos & inutiles cibos aliquis assumpsit; aliquid ue simile incidit. Huic, præter tabem, illud quoque nonnunquam accidere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera, summa cutis exasperetur, uel aliquæ corporis partes intumescant. Tertia est, lõgeque periculosissima species, quam græci φθίσιν nominauerunt. Oritur fere à capite, inde in pulmonẽ destillat, huic exulceratio accedit. ex hac, febricula leuis fit; quæ etiam cùm quieuit, tamen & repetit. Frequens tussis est. pus excreatur, interdum cruentum aliquid. Quidquid excreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est. Itaque qui de morbo dubitant, hac nota utuntur. Cùm hæc genera tabis sint, animaduertere primùm oportet, quid sit, in quo laboratur. deinde, si tantummodò non ali corpus apparet, causam eius attendere; & si cibi minus aliquis, quàm debet, assumit, adijcere; sed paulatim, ne si corpus insuetum, subita multitudine onerauerit, concoctionem impediat. Si uerò plus iusto quis assumere solitus est, abstinere uno die, deinde ab exiguo cibo incipere; quotidie adijcere, donec ad iustum modum perueniat. Præter hæc, conuenit ambulare locis quàm minimè frigidis, sole uitato; per manus quoque exerceri. Si infirmior est, gestari, ungi, perfricari, si potest, maximè per se ipsum, sæpius eodem die, & ante cibum, & post eum; sic, ut interdum oleo quædam adijciantur calefacientia, donec insudet. Prodestque ieiuno prehendere per multas partes cutem, & attrahere, ut relaxetur; aut imposita resina, & abducta subinde, idem facere. Vtile est etiam interdum balneum, sed post cibum exiguum. Atque in ipso solio rectè cibi aliquid assumitur; aut, si sine hoc frictio fuit, post eam protinus. Cibi uerò esse debent ex his, qui facilè concoquuntur, qui maximè alunt. Ergo uini quoque, sed austeri, necessarius usus est. mouenda urina. At si malus corporis habitus est, primùm abstinendum est, deinde aluus ducenda: tum paulatim cibi dandi, adiectis exercitationibus, unctionibus, frictionibus. Vtilius his frequens balneum est, sed ieiunis etiam usque sudorem. Cibis uerò opus est copiosis, uarijs, boni succi, quique etiam minus facilè corrumpantur; uino austero. Si nihil reliqua proficiunt, sanguis mittendus est, sed paulatim, quotidieque pluribus diebus; cum eo, ut cætera quoque

eodem

eodem modo ſeruentur. Quòd ſi mali plus eſt,& uera φθίσις eſt,inter initia,protinus occurrere neceſſariū eſt. neque enim facile is morbus,cùm inueterauerit,euincitur. Opus eſt,ſi uires patiuntur,longa nauigatione,cœli mutatione:ſic,ut denſius,quā id eſt, ex quo diſcedit æger,petatur: Ideoque aptiſſimè Alexandriam ex Italia itur. Fereque id poſſe inter principia corpus pati debet,cùm hic morbus ætate firmiſſima maximè oriatur,id eſt,ab anno duodecimo ad annū quintum & trigeſimum. Si id imbecillitas non ſinit, naue tamen non longè geſtari commodiſſimum eſt. Si nauigationem aliqua res prohibet,lectica,uel alio modo corpus dimouendum eſt. Tum à negotijs abſtinendum eſt, omnibusque rebus,quæ ſollicitare animum poſſunt,ſomno indulgendum;cauendę deſtillationes,ne ſi quid cura leuarit,exaſperetur;& ob id,uitanda cruditas, ſimulque ſol,& frigus. Os obtegendum,fauces uelandæ, tuſſicula ſuis remedijs finienda. & quandiu quidem febricula incurſat, huic interdum abſtinentia, interdum etiam tempeſtiuis cibis medendum: Eoque tempore bibenda aqua. Lac quoque,quod in capitis doloribus,& in acutis febribus,& per eas facta nimia ſiti; ſiue præcordia tument,ſiue biliosa urina eſt,ſiue ſanguis fluxit,pro ueneno eſt:in phthiſi tamen,ſicut in omnibus longis,difficilibusque febriculis,rectè dari poteſt. Quòd ſi febris aut nondum incurſat,aut iam remiſit;decurrendū eſt ad modicas exercitationes; maximeque ambulationes,item lenes frictiones. Balneum alienum eſt. Cibus eſſe debet primò acer,ut allium, porrum, idque ipſum ex aceto. uel ex eodem,intubus,ocymū,lactuca: Dein lenis,ut ſorbitio ex ptiſana,uel ex alica,uel ex amylo lacte adiecto. Idem oryza quoque;& ſi nihil aliud eſt,far præſtat. Tum inuicem modò his cibis,modò illis utendum eſt. adijciendaque quædam ex media materia,præcipueque uel ex aprina,cerebellum,uel piſciculus,& his ſimilia. Farina etiā cum ſeuo ouillo,caprino ue mixta,deinde incocta,pro medicamento eſt. uinum aſſumi debet lene,auſterum. Hactenus non magna mole pugnatur. Si uehementior noxa eſt,ac neque febricula,neque tuſſis quieſcit,tenuariqúe corpus apparet,ualidioribus auxilijs opus eſt. Exulcerandus eſt ferro candenti,uno loco ſub mento,altero in gutture, duobus ad mammam utranque: item ſub imis oſſibus ſcapularum (quas ὠμοπλάτας græci uocant) ſic ne ſaneſcere ulcera ſinamus,niſi tuſſi finita;cui per ſe quoque medendū eſſe,manifeſtum eſt. Tunc ter,quaterque die uehemēter extremæ partes perfricandæ:thorax leui manu pertractandus. poſt cibū intermittenda hora,& perfricanda crura, brachiaque. Interpoſitis denis diebus,demittendus eſt æger in ſoliū,in quo ſit aqua calida,& oleum. cæteris diebus bibenda aqua:tum & uinum, ſi tuſſis non eſt, potiu frigidum dandum;ſi æſtas eſt,egelidum. Vtile eſt etiā, cibos in remiſſionibus quotidie dari; frictiones, geſtationesque ſimiliter adhiberi. eadem acria quarto,aut quinto die ſumere. interdum herbam ſanguinalem ex aceto, uel plantaginem eſſe. Medicamentum etiam eſt,uel plantaginis ſuccus per ſe,uel marrubium ex melle concoctum; ita ut illius cyathus ſorbitio ſumatur, huius cochleare plenum paulatim delingatur; uel inter ſe mixta,& incocta reſinæ terebinthinæ pars dimidia, butyri,& mellis pars altera. Præcipua tamen ex his omnibus ſunt,uictus,uehiculum,& nauis,& ſorbitio. Aluus cita utique uitanda eſt. Vomitus in hoc morbo,ſi frequens eſt,pernicioſus eſt, maximeque ſanguinis. Qui melinſculus eſſe cœpit, adijcere debet exercitationes, frictiones, cibos;deinde ipſe ſe,ſuppreſſo ſpiritu,perfricare; diu abſtinere à uino, balneo, uenere.

De comitialis morbi curationibus. Cap. XXIII.

Inter notiſſimos morbos,eſt etiā is,qui comitialis,uel maior nominatur. Homo ſubitò concidit;ex ore ſpumæ mouentur;deinde interpoſito tempore,ad ſe redit, & per ſe ipſum conſurgit. Id genus ſæpius uiros,quàm fœminas occupat. ac ſolet quidem etiam longum eſſe,uſque ad mortis diem,& uitæ nō periculoſum; Interdum tamen,cùm recens eſt,hominem conſumit; & ſæpe eum,ſi remedia non ſuſtulerint,in pueris,ueneris,in puellis,menſtruorum initium tollit. modò cum diſtentione membrorum, aut neruorum prolabitur aliquis, modò ſine illa quidem. Hos quoque iiſdem, quibus lethargicos,excitare conantur;quod admodum ſuperuacuum eſt;& quia ne lethargicus quidem ijs ſanatur;& quia,cùm poſſit ille nunquam expergiſci,atque ita fame interire;hic ad ſe utique reuertitur. Vbi concidit aliquis,ſi nulla neruorum diſtentio acceſſit, utique ſanguis mitti debet; ſi acceſſit, non utique mittendus eſt; niſi alia quoque hortantur. Neceſſarium autem eſt ducere aluum, uel nigro ueratro purgare, uel utrunque facere,ſi uires patiuntur. tunc caput tondere,oleoque,& aceto perungere;cibum poſt diem tertiū,ſimul cū tranſit hora,qua concidit,dare. Neque ſorbitiones autem his,alijque molles,& faciles cibi;neque caro, minimeque ſuilla conuenit,ſed mediæ materiæ: Nam & uiribus opus eſt,& cruditates cauendæ ſunt; cū quibus,fugere oportet ſolem, balneum,ignem,omniaque calefacientia. item frigus,uinum,uenerem,loci præcipitis conſpectum,omniumque terrentiū;uomitum,laſſitudinem,ſolicitudines,negotia omnia. Vbi tertio die cibus datus eſt,intermittere quartū,et inuicem alterum quemque,eadem hora cibi ſeruata,donec quatuordecim dies tranſeant. quos ubi morbus exceſſit,acuti uim depoſuit. at ſi manet,curandus iam ut longus eſt. Quòd ſi,non quo die primum id incidit,medicus acceſſit; ſed is,qui cadere conſueuit,ei traditus eſt; protinus eo genere uictus dabitur,qui ſuprà comprehenſus eſt,expectandus eſt dies,quo prolabatur;utendumque tum uel ſanguinis miſſione,uel ductione alui,uel nigro ueratro,ſicut præceptum eſt. In ſequentibus deinde diebus,per eos cibos,quos propoſui (uitatis omnibus,quæ cauenda dixi) nutriendus. Si per hæc,morbus finitus non fuerit; confugiendum erit ad album ueratrum, ac ter quoque, aut quater eo utendum,non ita multis interpoſitis diebus;ſic tamen,ne iterū unquā ſumat,niſi conciderit. Medijs autem diebus uires eius erunt nutriendæ, quibuſdam præter ea,quæ ſcripta ſunt,adiectis. Vbi ma-

ne experrectus est, corpus eius leuiter ex oleo uetere, cum capite (excepto uentre) permulceatur. tum ambulatione quàm maximè longa, & recta utatur. post ambulationem, loco tepido, uehementer, & diu, ac nõ minùs ducenties (nisi infirmus erit) perfricetur; deinde per caput multa aqua frigida perfundatur. paulum cibi assumat, conquiescat; rursus ante noctem ambulatione utatur; iterum uehementer perfricetur, sic, ut neque uenter, neque caput contingatur; post hæc, cœnet; interpositisque tribus aut quatuor diebus, uno aut altero, acria assumat. Si ne per hæc quidem fuerit liberatus, caput radat, ungatur oleo uetere, adiecto aceto, & nitro. perfundatur aqua salsa. bibat ieiunus ex aqua castoreum. nulla aqua, nisi decocta, potionis causâ utatur. Quidam iugulati gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo se se liberarunt; apud quos, miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit. Quod ad medicum uerò pertinet; ultimum est iuxta talum, ex utroque crure, paulum sanguinis mittere; occipitium incidere, & cucurbitulas admouere; ferro candente, in occipitio quoque, & infra, quà summa uertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea, perniciosus humor euadat; quibus si finitum malum non fuerit, propè est, ut perpetuum sit. Ad leuandum id tantummodò, utendum erit exercitatione, multa frictione, cibisque his, qui suprà comprehensi sunt; præcipueque uitanda omnia, quæ ne fierent, excepimus.

De regij morbi curatione. Cap. XXIIII.

Aequè notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant; quem Hippocrates ait, si post septimum diem, febricitante ægro, superuenit, tutum esse, mollibus tantummodò præcordijs substantibus. Diocles ex toto, si post febrem oritur, etiã prodesse; si post hunc febris, occidere. Color autẽ eum morbum detegit, maximè oculorum; in quibus, quod album esse debet, fit luteum. Soletque accedere & sitis, & dolor capitis, & frequens singultus, & præcordiorum dextra parte durities; &, ubi corporis uehemens motus est, spiritus difficultas, membrorumque resolutio. atque ubi diutiùs manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit. Primo die abstinere ægrum oportet, secundo ducere aluum; tum si febris est, eam uictus genere discutere. si non est, scamoneam potui dare; uel cum aqua betam albam contritam; uel cum aqua mulsa nuces amaras, absinthium, anesum, sic, ut pars huius minima sit. Asclepiades aquam quoque salsam, & quidem per biduum, purgationis causâ bibere cogebat; ijs, quæ urinam mouent, reiectis. Quidam, superioribus omissis, per hæc, & per eos cibos, qui extenuant, idem se consequi dicunt. Ego ubique, si satis uirium est, ualidiora; si parum, imbecillia auxilia præfero. Si purgatio fuit, post eam triduo, primo modicè cibum oportet assumere ex media materia, & uinum bibere græcum salsum, ut resolutio uentris maneat. tum altero triduo, ualidiores cibos, & carnis quoque aliquid esse. intra aquam manere. deinde ad superius genus uictus reuerti, cum eo, ut magis satietur; omisso græco uino, bibere integrum austerum; atque ita per hæc uariare, ut interdum acres quoque cibos interponat, interdum ad salsum uinum redeat. Per omne uerò tempus, utendum est exercitatione, frictione; si hyems est, balneo; si æstas, frigidis natationibus; lecto etiam, & conclaui cultiore. clauso loco uti ludis, lasciuia, per quæ mens exhilaretur: ob quæ, regius morbus dictus uidetur. Malagma quoque, quod digerat, super præcordia datum, prodest; uel arida ibi ficus imposita, si iecur, aut lienis affectus est.

De elefantia curatione. Cap. XXV.

Ignotus autem penè in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quẽ ἐλεφαντίασιν græci uocant: isque longis annumeretur. Totũ corpus afficitur, ita ut ossa quoque uitiari dicãtur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæquabiliter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus emacrescit; os, suræ, pedes intumescunt. Vbi uetus morbus est, digiti in manibus, pedibusque sub tumore conduntur; febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominẽ consumit. protinus ergo inter initia, sanguis per biduum mitti debet, aut nigro ueratro uenter solui. adhibẽda tum quanta sustineri potest, inedia est. paulùm deinde uires reficiendæ, & ducenda aluus. post hæc, ubi corpus leuatum est, utendũ est exercitatione, præcipueque cursu. sudor primùm labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus euocandus. frictio adhibenda; moderandumque inter hæc, ut uires conseruentur. balneum rarum esse debet. Cibus sine pinguibus, sine glutinosis, sine inflantibus. Vinum, præterquàm primis diebus, rectè datur. Corpus contrita plantago, & illita, tueri optimè uidetur.

De attonitis, & eorum curatione. Cap. XXVI.

Attonitos quoque rarò uidemus; quorum & corpus, & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. ἀπόπληξιν hunc græci appellant. His sanguis mittendus est. ueratro quoque albo, uel alui ductione utendum. Tum adhibendæ frictiones; & ex media materia, minimè pingues cibi; quidam etiam acres; & à uino abstinendum.

De resolutione neruorum, quæ apoplesia, uel paralysis dicitur. Cap. XXVII.

At resolutio neruorum frequens ubique morbus est. Sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominauerunt: Nunc utrunque, paralysin appellari uideo. Solent autem, qui per omnia membra uehementer resoluti sunt, celeriter rapi. ac si correcti non sunt, diutiùs quidem uiuunt; sed rarò tamen ad sanitatem perueniunt; & plerunque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa. In partibus uerò nunquam acutus, sæpe longus, ferè sanabilis morbus est. Si omnia membra uehementer resoluta sunt, sanguinis detractio, uel occidit, uel liberat. Aliud curationis genus uix unquam sanitatem restituit; sæpe mortem. tantum differt uitam. interim infestat. Post sanguinis missionem, si non redijt & motus, & mens, nihil spei superest: Si redijt, sanitas quoque prospicitur. At ubi pars resoluta est, prouidet malo corporis, uel sanguis missus, uel aluus ducta. Cætera eadem in utroque casu facienda sunt: Si quidem uitare præcipuè conuenit frigus, paulatimque ad exercitationes reuertendum est, sic, ut ingrediatur ipse protinus, si potest. Si id crurum imbecillitas prohibet, uel gestetur, uel motu lecti concutiatur; tum id membrum, quod deficiet, si potest, per se; si minùs, per alium moueatur, & ui quadam ad consuetudinem suam redeat. Prodest etiam torpentibus membris summam cutem exasperasse, uel urticis cæsam, uel imposito sinapi; sic, ut ubi rubere cœperit corpus, hæc remoueantur. Scylla quoque contrita, bulbique contriti, cum thure rectè imponuntur. Neque alienum est, resinæ cutem tertio quoque die diutiùs uellere; pluribus etiam locis aliquando sine ferro cucurbitulas admouere. Vnctioni uerò aptissimum est uetus oleum, uel nitrum aceto, & oleo mixtum. Quin etiam fouere aqua calida marina; uel si ea non est, tamen salsa, magnoperè necessarium est. At si quo loco, uel naturales, uel etiam manu factæ tales natationes sunt, ijs potissimùm utendum est; præcipueque in his agitanda membra, quæ maximè deficiunt. Si id non est, balneum tamen prodest. Cibus esse debet ex media materia, maximeque ex uenatione. potio sine uino, aquæ calidæ. Si tamen uetus morbus est, interponi quarto, uel quinto die, purgationis causâ, uinum græcum salsum prodest. Post cœnam, utilis uomitus est. Interdum uerò etiam neruorum dolor oriri solet. In hoc casu, non oportet uomere, non medicamentis urinam mouere, non sine exercitatione sudores (ut quidam præcipiunt) expedit. Bibenda aqua est bis die. In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est. deinde retento spiritu, ab ipsa exercitatione, potiùs superiores partes mouendæ. balneo rarò utendum; mutandum subinde peregrinationibus cœlum. Si dolor est, ea ipsa pars sine oleo, nitro ex aqua perungenda est; deinde inuoluenda, & subijcienda pruna lenis, & sulphur: atque ita id suffumigandum; idque aliquandiu faciendum. Sed ieiuno, cùm bene iam concoxerit, cucurbitulæ quoque sæpe dolenti parti admouendæ sunt; pulsandusque leuiter inflatis uesicis bubulis, is locus est. Vtile est etiam seuum miscere cum ὑοσκυάμου, & urticæ contritis siminibus, sic, ut omnium par modus sit; idque imponere; fouere aqua, in qua sulphur decoctum sit. Vtriculi quoque rectè imponuntur, aqua calida repleti; aut bitumen cum hordeacea farina mixtum; atque in ipso potissimùm dolore, utendum gestatione uehementi est: quod in alijs doloribus pessimum est. Tremor autem neruorum, æquè uomitu, medicamentisque urinam mouentibus impeditur: Inimica etiam habet balnea, assasque sudationes. bibenda aqua est. acri ambulatione utendum. item unctionibus, frictionibusque, maximè per seipsum. pila, similibusque superiores partes dimouendæ. cibo quolibet utendum, dummodò concoctioni utique studeatur. Secundùm cibum, curis abstinendum. rarissima uenere utendum est. si quando quis in eam prolapsus est, tum oleo leuiter, diuque in lectulo perfricari manibus puerilibus, potiùs quàm uirilibus debet. Suppurationes autem, quæ in aliqua interiori parte oriuntur, ubi notæ fuerint; primùm id agere oportet, per ea cataplasmata, quæ reprimunt, ne coitus inutilis materiæ fiat. deinde si hæc uicta sunt, per ea malagmata, quæ digerunt, dissipentur. Quod si consecuti non sumus, sequitur, ut euocetur, deinde ut maturescat; omnis tunc uomicæ finis est, ut rumpatur. Indiciumque est, pus uel aluo, uel ore redditum. sed nihil facere oportet, quò minùs quidquid est puris, excedat. Vtendum maximè sorbitionibus est, & aqua calida. Vbi pus ferri desijt, transeundum ad faciles quidem, sed tamen ualidiores, & frigidos cibos, frigidamque aquam; sic, ut ab egelidis tamen initium fiat. primoque cum melle quædam edenda; ut nuclei pinei, uel græcæ nuces, uel auellanæ. Postea submouendum id ipsum, quo maturiùs induci cicatrix possit. Medicamentum eo tempore ulceri est, succus assumptus, uel porri, uel marrubij; & omni cibo porrum ipsum adiectum. Oportebit autem uti in his partibus, quæ non afficientur, frictionibus, item ambulationibus lenibus. Vitandumque erit, ne uel luctando, uel currendo, uel alia ratione sanescentia ulcera exasperentur. In hoc enim morbo perniciosus, ideoque omnimodo cauendus sanguinis uomitus est.

LIBER QVARTVS.

De humani corporis interioribus sedibus. Cap. I.



HACTENVS reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita sunt, ut ijs certæ sedes assignari non possint. Nunc de his dicam, quæ sunt in partibus. Facilius autẽ omnium interiorum morbi, curationesque in notitiam uenient, si prius eorum sedes breuiter ostendero. Caput igitur, eaque, quæ in ore sunt, non lingua tantummodo, palatoque terminantur, sed etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. In dextra, sinistraque, circa guttur, uenæ grandes, quæ σφαγίτιδες nominantur; itemque arteriæ, quas καρωτίδας uocant, sursum procedentes ultra aures feruntur. atque in ipsis ceruicibus, glandulæ positæ sunt, quę interdum cum dolore intumescunt. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant, alterum, stomachum. arteria exterior, ad pulmonem; stomachus interior, ad uentriculum fertur. illa spiritum, hic cibum recipit; quibus cum diuersæ uiæ sint, quà coeunt, exigua in arteria, sub ipsis faucibus, lingua est. quæ, cũ spiramus, attollitur; cum cibum, potionemque assumimus, arteriam claudit. Ipsa autem arteria, dura, & cartilaginosa in gutture assurgit, cæteris partibus residet. Constat ex circulis quibusdam, compositis ad imaginem earũ uertebrarum, quæ in spina sunt: ita tamen, ut ex parte exteriore, aspera; ex interiore, stomachi modo, leuis sit. eaque descendens ad præcordia, cum pulmone committitur. Is spongiosus, ideoque spiritus capax, & à tergo, spinæ ipsi iunctus, in duas fibras, ungulæ bubulæ modo diuiditur. Huic cor annexum est, natura musculosum, in pectore, sub sinisteriore mamma situm; duosque quasi uentriculos habet. at sub corde, atque pulmone, transuersum ex ualida membrana septum est; quod à præcordijs, uterum diducit, æque neruosum. Multis etiam uenis per id discurrentibus, à superiore parte, non solum intestina, sed iecur quoque, lienemque discernit. Hæc uiscera proxima, sed infra tamen posita, dextra, sinistraque sunt. Iecur à dextra parte, sub præcordijs, ab ipso septo ortum, intrinsecus cauum, extrinsecus gibbum; quod prominens, leuiter uentriculo insidet, & in quatuor fibras diuiditur. Ex inferiore uerò parte, ei fel inhæret. At lienis, sinistra, non eidem septo, sed intestino innexus est, natura mollis, & rarus, longitudinis, crassitudinisque modicæ; isque paulum à costarum regione, in uterum excedens; ex maxima parte, sub his conditur. atque hæc quidem iuncta sunt. Renes uerò diuersi, qui lumbis sub imis costis inhærent, à parte earũ, resimi; ab altera, rotundi; qui & uenosi sunt, & uentriculos habent, & tunicis super conteguntur. ac uiscerum quidem hæ sedes sunt. Stomachus uerò (qui intestinorum principium est) neruosus, à septima spinę uertebra incipit, ac circa præcordia, cum uentriculo committitur. Ventriculus autem (qui receptaculum cibi est) constat ex duobus tergoribus. isque inter lienem, & iecur positus est; utroque ex his paulum super eum ingrediente. Suntque etiam membranulæ tenues, per quas inter se omnia ista connectuntur, junguntur que ei septo, quod transuersum esse supra posui. Inde ima uentriculi pars paulum in dexteriorẽ partem conuersa, in summum intestinum coartatur. Hanc iuncturam, πυλωρον græci uocant; quoniam portæ modo, in inferiores partes, ea quæ excreturi sumus, emittit. ab ea, ieiunum intestinum incipit, non ita implicitum; cui tale uocabulũ est, quia nunquam, quod accipit, continet; sed protinus in inferiores partes transmittit. Inde tenue intestinum est, in sinus uehementer implicitum. Orbes uerò eius, per membranulas, singuli cum inferioribus connectuntur; qui in dexteriorem partem conuersi, & è regione dexterioris coxæ finiti, superiores tamen partes magis complent. Deinde id intestinum cum crassiore altero transuerso committitur; quod à dextra parte incipiens, in sinisteriorem peruium, & longum est; in dexteriorem non est. Ideoque cæcum nominatur. At id quod peruium est, latè fusum, atque sinuatum, minusque quàm superiora intestina, neruosum, ab utraque parte, huc atque illuc uolutum, magis tamen sinisteriores, inferioresque partes tenens, contingit iecur, atque uentriculum. Deinde cum quibusdam membranulis, à sinistro rene uenientibus, iungitur; atque hinc dextrà recuruatum, in imo dirigitur, quà excernit. ideoque id ibi rectũ intestinum nominatur. Contegit uerò uniuersa hæc, omentum, ex interiore parte, læue, & strictum; ex superiore, mollius. Cui adeps quoque innascitur; quæ sensu, sicut cerebrum quoque, & medulla, caret. At à renibus, singulæ uenæ, colore albæ, ad uesicam feruntur; οὐρητῆρας græci uocant, quod per eas, inde descendentem urinam, in uesicam destillare concipiũt. Vesica autem, in ipso sinu neruosa, & duplex, ceruice plena, atque carnosa, iungitur per uenas cum intestino, eoque osse, quod pubi subest: Ipsa soluta, atque liberior est; aliter in uiris, atque in fœminis posita: Nam in uiris iuxta rectum intestinum est, potius in sinistrã partem inclinata: In fœminis, super genitale earum posita est; superque elapsa, ab ipsa uulua sustinetur. Tum in masculis, iter urinæ spatiosius, & compressius, à ceruice huius descendit ad colem: In fœminis, breuius, & plenius, super uuluæ ceruicem se ostendit. Vulua autem, in uirginibus quidem admodũ exigua est: In mulieribus uerò (nisi ubi grauidæ sunt) non multò maior, quàm ut manu comprehendatur. Ea, recta continuataque ceruice (quem canalem uocant) contra mediam aluum orsa, inde paulùm ad dexteriorem coxam conuertitur; deinde super rectum intestinum progressa, ilijs fœminæ, latera sua innectit. Ipsa autem ilia, inter coxas, & pubem, imo uentre, posita sunt, à quibus, ac pubę abdomen sursum uersus ad præcordia peruenit; ab exteriore parte, euidenti cute; ab interiori, læui membrana inclusum, quæ omento iungitur; περιτόναιος autem à græcis nominatur.

De curationibus

De curationibus morborum, qui nascuntur à capite; & primò de eius dolore; deinde de morbo, qui circa faciem nascitur; tum de linguæ resolutione; postremò de destillatione, ac grauedine. Cap. II.

His ueluti in conspectum quendam, quatenus scire curanti necessarium est, adductis; remedia singularum laborantium partium exequar, orsus à capite. sub quo nomine, nunc significo eam partem, quæ capillo tegitur. Nam oculorum, aurium, dentium dolor, & si quis similis est, aliàs erit explicandus. In capite autem interdum acutus, & pestifer morbus est, quem κεφαλαίαν græci uocant. Cuius notæ sunt, horror calidus, neruorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, uomitus, sic ut uox supprimatur; uel sanguinis ex naribus cursus, sic ut corpus frigescat, anima deficiat. Præter hæc, dolor intolerabilis, maximè circa tempora, uel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas, sed neque grauis, neque periculosa per hominis ætatem est: Interdum grauior dolor, sed breuis, neque tamen mortiferus; qui uel uino, uel cruditate, uel frigore, uel igne, aut sole contrahitur. Hique omnes dolores, modò in febre, modò sine hac sunt; modò in toto capite, modò in parte interdum, sic ut oris quoque proximam partem excrucient. Præter hæc, etiam unum inuenitur genus, quod potest longum esse. ubi humor cutem inflat, eaque intumescit, & prementi digito cedit; ὑδροκέφαλον græci appellant. Ex his, id quod secundo loco positum est, dum leue est, qua sit ratione curandum, dixi, cùm persequerer ea, quæ sani homines in imbecillitate partis alicuius facere deberent. Quæ uerò auxilia sunt capitis, ubi cum febre dolor est, eo loco explicitum est, quo febrium curatio exposita est. Nunc de cæteris dicendum; ex quibus id quod acutum est, & id quod supra consuetudinem intenditur, idque quod ex subita causa, & si non pestiferum, tamen uehemens est, primam curationem habet, qua sanguis mittatur. Sed id nisi intolerabilis est dolor, superuacuũ est. Satiusque est abstinere à cibo, si fieri potest, etiam à potione; si non potest, aquam bibere. si postero die dolor remanet, aluum ducere, sternutamenta euocare, nihil assumere, nisi aquam. sæpe enim dies unus, aut alter, totum dolorem hac ratione discutit: utique si ex uino, uel cruditate origo est. si uerò in his auxilij parum est, tonderi oportet ad cutem. deinde considerandum est, quæ causa dolorem excitarit. si calor, aqua frigida multa perfundere caput expedit; spongiam concauam imponere, subinde in aqua frigida expressam; ungere rosa, & aceto; uel potiùs his tinctam lanam succidam imponere, aliaque refrigerantia cataplasmata. At si frigus nocuit, caput oportet perfundere aqua calida marina, uel certe salsa, aut in qua laurus decocta sit; tum caput uehementer perfricare, deinde calido oleo implere, ueste uelare. quidam etiam id deuinciunt. Alij ceruicalibus, uestimentisque onerant, & sic leuantur. alios calida cataplasmata adiuuant. Ergo etiam ubi causa incognita est, uidere oportet, refrigerantia magis, an calefacientia leniant; & his uti, quæ experimentum approbarit. At si parum causa discernitur; perfundere caput primùm aqua calida (sicut suprà præceptum est) uel salsa, uel ex lauro decocta: tum frigida posca. Illa in omni uetusto capitis dolore communia sunt, sternutamenta excitare, inferiores partes uehementer perfricare, gargarizare his, quæ saliuam mouent, cucurbitulas temporibus, & occipitio admouere, sanguinem ex naribus detrahere, resina subinde tempora peruellere, & imposito sinapi, exulcerare ea, quæ malè habent; antè linteolo subiecto, ne uehementer arrodat; candentibus ferramentis, ubi dolor est, ulcera excitare; cibum per modicum cum aqua sumere. ubi leuatus est dolor, in balneum ire; ibi multa aqua priùs calida, deinde frigida, per caput perfundi. Si discussus ex toto dolor est, etiam ad uinum reuerti; sed postea semper, antequàm quidquam aliud, aquam bibere. dissimile est id genus, quod humorem in caput contrahit. In hoc, tondere ad cutem necessarium est: deinde imponere sinapi, sic, ut exulceret. si id parum profuit, scalpello utendum est. Illa cum hydropicis communia sunt, ut exerceatur, insudet, uehementer perfricetur, cibis, potionibusque utatur, urinam præcipuè mouentibus.

De morbo, qui circa faciem nascitur, quem græci cynicum spasmum uocant.

Circa faciem uerò morbus innascitur, quem græci κυνικὸν σπασμὸν nominant. Is cum acuta ferè febre oritur. Os cum motu quodam peruertitur. ideoque nihil aliud est, quàm distentio oris. Accedit crebra coloris in facie, totoque corpore mutatio: somnus in promptu est. In hoc, sanguinem mittere optimum est. Si finitum eo malum non est, ducere aluum. si ne sic quidem discussum est, albo ueratro uomitum mouere. præter hæc, necessarium est uitare solem, lassitudinem, uinum. Sed si discussum his non est, utendum est cursu, frictione, in eo quod læsum est, leni, & multa; in reliquis partibus, breuiore, sed uehementi. prodest etiam mouere sternutamenta, caput radere, idque perfundere aqua calida, uel marina, uel certe salsa, sic, ut ei quoque sulphur adijciatur. post perfusionem, iterum perfricari, sinapi manducare; eodemque tempore, affectis oris partibus, ceratum; integris, idem sinapi, donec arrodat, imponere. Cibus aptissimus ex media materia est.

De resolutione linguæ.

At si lingua resoluta est (quod interdum per se, interdum ex morbo aliquo fit, sic, ut sermo hominis non explicetur) oportet gargarizare ex aqua, in qua uel thymum, uel hyssopum, uel nepeta decocta sit; aquam bibere; caput, & os, & ea quæ sub mento sunt, & ceruicem uehementer perfricare; lasere linguam ipsam linere; manducare quæ sunt acerrima, idest, sinapi, allium, cepam; magna ui luctari,

ut uerba exprimantur; exerceri retento spiritu; caput sæpe aqua frigida perfundere; nonnunquam multam esse radiculam, deinde uomere.

De destillatione, ac grauedine.

Destillat autem humor ex capite interdum in nares, quod leue est. interdum in fauces, quod peius est. interdum etiam in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares destillat, tenuis per has pituita profluit, caput leuiter dolet, grauitas eius sentitur, frequentia sternutamenta sunt. Si in fauces, has exasperat, tussiculam mouet. si in pulmonem, præter sternutamenta, & tussim, est etiam capitis grauitas, lassitudo, sitis, æstus, biliosa urina. Aliud autem (quamuis non multùm distans malum) grauedo est. Hæc nares claudit, uocem obtundit, tussim siccam mouet; sub eadem, salsa est saliua, sonant aures, uenæ mouentur in capite, turbida urina est. Hæc omnia, κορύζας Hippocrates nominat. Nunc uideo apud Græcos in grauedine hoc nomen seruari; destillationem, κατασταγμοὺς appellari. Hæc autem, & breuia; &, si neglecta sunt, longa esse consuerunt. Nihil pestiferum est nisi quod pulmonem exulcerauit. Vbi aliquid eiusmodi sensimus, protinus abstinere à sole, balneo, uino, uenere debemus. Inter quæ, unctione, & assueto cibo nihilominùs uti licet. ambulatione tantùm acri, sed tecta utendum est; & post eam, caput, atque os supra quinquagies perfricandum. Raróque fit, ut si biduo, uel certè triduo nobis temperauimus, id uitium non leuetur. Quo leuato, si in destillatione crassa facta pituita est; uel in grauedine, nares magis patent, balneo utendum est; multáque aqua priùs calida, pòst egelida fouendum os, caputque: deinde cum cibo pleniore, uinum bibendum. At si æquè tenuis die quarto pituita est, uel nares æquè clausæ uidentur, assumendum est uinum amineum, austerum; deinde rursus biduo aqua; post quæ, ad balneum, & ad consuetudinem reuertendum est. Neque tamen illis ipsis diebus, quibus aliqua omittenda sunt, expedit tanquã ægros agere: sed cętera omnia, quasi sanis facienda sunt; preterquàm si diutiùs aliquem, & uehementiùs ista solicitare consuerunt: Huic enim quędam curiosior obseruatio necessaria est. Igitur huic, si in nares, uel in fauces destillauit, pręterea quæ supra retuli, protinus primis diebus multùm ambulandum est, perfricandæ uehementer inferiores partes, lenior frictio adhibenda thoraci erit, lenior capiti: demenda assueto cibo pars dimidia; sumẽda oua, amylum, similiáque, quæ pituitam faciunt crassiorem. Siti, quanta maximè sustineri potest, pugnandũ est. Vbi per hæc, idoneus aliquis balneo factus, eóque usus est; adijciendus est cibo pisciculus, aut caro; sic tamẽ, ne protinus iustus modus cibi sumatur. uino meraco copiosiùs utendum est. At si in pulmonem quoque destillat, multóque magis, & ambulatione, & frictione opus est: eademque adhibita ratione in cibis, si non satis illi proficiunt, acrioribus utendum est. magis somno indulgendum, abstinendúmque à negotijs omnibus: aliquando, sed seriùs, & balneum tentandum. In grauedine autem, primo die quiescere, neque esse, neque bibere, caput uelare, fauces lana circundare. postero die surgere, diu abstinere à potione; aut si res coëgerit, non ultra heminam aquę assumere. Tertio die, panis non tam multum ex parte interiore, cum pisciculo, uel leui carne sumere; aquã bibere: Si quis sibi temperare non potuerit, quò minùs pleniore uictu utatur, uomere. Vbi in balneum uentũ est, multa aqua calida caput, & os fouere, usque ad sudorem: tum ad uinum redire. post quę, uix fieri potest, ut idem incommodum maneat. Sed si manserit, utendum erit cibis frigidis, aridis, leuibus, humore quàm minimo; seruatis frictionibus, exercitationibusque, quæ in omni tali genere ualetudinis necessariæ sunt.

De ceruicis morbis, curationibusq; Cap. III.

A capite transitus ad ceruicem est, quæ grauibus admodum morbis obnoxia est. neque tamen alius importunior, acutiorque morbus est, quàm is, qui quodam rigore neruorum, modò caput scapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam, & immobilem ceruicem intendit. Priorem, Græci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appellant. quamuis minùs subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. Ea sæpe intra quartum diem tollunt: Si hunc euaserunt, sine periculo sunt. Omnia, eadem ratione curantur; idque conuenit. Sed Asclepiades utique mittendum sanguinem credidit: Quod quidam uitandum esse dixerunt, eò quòd maximè tum corpus calore egeret, isque esset in sanguine. Verùm hoc quidem falsum est: Neque enim natura sanguinis est, ut utique caleat; sed ex his, quæ in homine sunt, hic celerrimè uel calescit, uel refrigescit. Mitti uerò néc ne debeat, ex his intelligi potest, quę de sanguinis missione præcepta sunt. Vtique autem rectè datur castoreum, & cum hoc, piper, uel laser. Deinde opus est fomento humido, & calido. Itaque plerique aqua calida multa ceruices subinde perfundunt. id in præsentia leuat: sed opportuniores neruos frigori reddit; quod utique uitãdum est. Vtilius igitur est, cerato liquido primùm ceruicem perungere, deinde admouere uesicas bubulas, uel utriculos oleo calido repletos, uel ex farina calidum cataplasma, uel piper rotundum cum fico contusum. Vtilissimum tamen est, humido sale fouere. quod quomodo fieret, iam ostendi. Vbi eorum aliquid factum est, admouere ad ignem; uel si æstas est, in sole, ægrum oportet; maximeque oleo uetere; si id non est, syriaco; si ne id quidem est, adipe quàm uetustissima ceruicem, & scapulas, & spinam perfricare. Frictio cum omnibus in homine uertebris utilis sit; cum iis præcipuè, quę in collo sunt. Ergo die, nocteque (interpositis tamen quibusdam temporibus) hoc remedio utendum est. Dum id intermittitur, imponendũ malagma aliquod ex calefacientibus. cauendum uerò pręcipuè frigus: Ideoque in eo conclaui, quo cubabit æger, ignis continuus esse debebit; maximeque

tempore

tempore antelucano, quo præcipuè frigus intenditur. Neque inutile erit, caput attonsum habere; idque irino, uel cyprino calido madefacere, & super imposito pilleo uelare. nonnunquam etiam in calidum oleū totum descendere; uel in aquam calidam, in qua fœnum græcum decoctum sit, & adiecta olei pars tertia. Aluus quoque ducta, sæpe superiores partes resoluit. Si uerò etiam uehementiùs dolor creuit, admouendæ ceruicibus cucurbitulæ sunt, sic, ut cutis incidatur; eædem aut ferramentis, aut sinapi adurendæ. Vbi leuatus est dolor, mouerique ceruix cœpit, scire licet, cedere remedijs morbum. Sed diu uitandus cibus, quisquis mandendus est: Sorbitionibus utēdum, itemque ouis sorbilibus, aut à pullis mollibus ius aliquod assumendum. Id si bene processerit, iamque ex toto rectè se habere ceruices uidebuntur, incipiendum erit à pulticula, uel intrita bene madida. Celeriùs tamen etiam panis mandendus, quàm uinum gustandum. si quidem huius usus præcipuè periculosus; ideoque in longum tempus differendus est.

De faucium morbis, ac curationibus; & primùm de angina, deinde de difficultate spirandi, ultimò de tussi. Cap. IIII.

Vt hoc autem morbi genus circa totam ceruicem; sic alterum æquè pestiferum, acutumque, in faucibus esse consueuit; nostri anginam uocant. apud græcos, nomen, prout species est. Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet; sed corpus aridū est, uix spiritus trahitur, membra soluuntur. id συνάγχην uocant. Interdum lingua, faucesque cum rubore intumescunt, uox nihil significat, oculi uertuntur, facies pallet, singultusque est; id κυνάγχη uocatur. Illa communia sunt; æger non cibum deuorare, non potionem potest; spiritus eius includitur. Leuius est, ubi tumor tantummodò, & rubor est; cætera non sequuntur; id παρασυνάγχην appellant. Quidquid est, si uires patiuntur, sanguis mittendus est. si non abundat, secundum est, ducere aluum. Cucurbitula quoque rectè sub mento, & circa fauces admouetur, ut id quod strangulat, euocet. Opus est deinde fomentis humidis: nam sicca spiritum elidunt. Ergo admouere spongias oportet, quæ meliùs in calidū oleum, quàm in calidam aquam subinde demittuntur: Efficacissimusque est hic quoque salis calidi succus. Tum commodum est, hyssopum, uel nepetam, uel thymum, uel absinthium, uel etiam furfures, aut ficus aridas, aut mulsam aquam decoquere, eaque gargarizare. post hæc, palatum ungere, uel felle taurino, uel eo medicamento, quod ex moris est. polline etiam piperis id rectè respergitur. Si per hęc parum proficitur, ultimum est, incidere satis altis plagis, sub ipsis maxillis, supra collum, & in palato circa uuam; uel eas uenas, quæ sub lingua sunt; ut per ea uulnera, morbus erumpat. quibus si non fuerit æger adiutus, scire licet, malo uictum esse. Si uerò his morbus leuatus est, iamque fauces, & cibum, & spiritum capiunt, facilis ad bonam ualetudinem recursus est. Atque interdū natura quoque adiuuat, si ex angustiore sede uitium transit in latiorem. Itaque rubore, & tumore in præcordijs orto, scire licet, fauces liberari. Quidquid autem eas leuabit, incipiendum est ab humidis, maximeque aqua mulsa decocta; deinde assumendi molles, & non acres cibi sunt, donec fauces ad pristinum habitum reuertantur. Vulgò audio, si quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari: seruatumque eum ex sale, cùm is morbus urget, comburi, carbonemque eius contritum, in aquam mulsam, quæ potui datur, infricari, & prodesse. Id cùm idoneos auctores ex populo habeat, neque habere quidquam periculi possit, quamuis in monumentis medicorum non legerim, tamen inserendum huic operi meo credidi.

De difficultate spirandi.

Est etiam circa fauces malum, quod apud græcos aliud, atque aliud nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit. Sed hæc, dum modica est, neque ex toto strangulat, δύσπνοια appellatur. Cùm uehementior est, ut spirare æger sine sono, & anhelatione non possit, ἆσθμα. Cū accessit id quoque, ne nisi recta ceruice spiritus trahatur, ὀρθόπνοια. Ex quibus id, quod primum est, potest diutius trahi: Duo insequentia, acuta esse consueuerunt. His communia sunt, quod propter angustias, per quas spiritus euadit, sibilum elidit; dolor in pectore, præcordijsque est, interdū etiam scapulis; isque modò decidit, modò reuertitur. ad hæc tussicula accedit. Auxilium est (nisi aliquid prohibet) in sanguinis detractione. Neque id satis est, sed lacte quoque uenter soluendus est. Liquanda aluus, interdum etiam ducenda. quibus extenuatum corpus incipit spiritum trahere commodiùs. Caput autem etiam in lecto sublime habendum est. thorax fomentis, cataplasmatisque calidis, aut siccis, aut etiam humidis adiuuandus est; & postea, uel malagma super imponendum, uel certè ceratū ex cyprino, uel irino unguento. Sumenda deinde ieiuno, potui mulsa aqua, cum qua, uel hyssopus cocta, uel contrita capparis radix sit. Datur etiam utiliter, aut nitrum, aut nasturcium, frictum allium, deinde contritum, & cum melle mixtum; simulque coquatur mel, galbanum, resina terebinthina; & ubi coïerunt, ex his, quod fabæ magnitudinem habet, quotidie sub lingua liquatur. aut sulphuris ignem nō experti, pondo & quadrans, abrotani pondo, in uini cyatho teruntur, idque tepefactum sorbetur. Est etiam non uana opinio, uulpinum iecur, ubi siccum, & aridum factum est, contundi oportere, polentamque ex eo, potioni aspergi; uel eiusdem pulmonem quàm recentissimū assum, sed sine ferro coctum, edendum esse. Præter hæc, sorbitionibus, & lenibus cibis utendum est: interdum uino tenui austero, nonnunquam uomitu. Prosunt etiam quæcunque urinam augent. sed nihil magis, quàm ambulatio lenta, pene usque ad lassitudinem; frictio multa, præcipuè inferiorum partiū, uel in sole, uel ad ignem, & per se ipsum, & per alios, usque ad sudorem. In interiore uerò faucium parte, interdum exulceratio esse

consueuit. In hac, plerique extrinsecus cataplasmatis calidis, fomentisque humidis utuntur. Volunt etiam uaporem calidum ore recipi; per quæ, molliores alij partes eas fieri dicũt, opportunioresque uitio iam hærenti. Sed si bene sic uitari morbus potest, tuta illa præsidia: si metus eius est, superuacua sunt. Vtique autem perfricare fauces, periculosum est: exulcerat enim. neque utilia sunt, quæ urinæ mouendæ sunt apta; quia possunt, dum transeunt, ibi quoque pituitam extenuare, quam supprimi melius est. Asclepiades, multarum rerum (quas ipsi quoque secuti sumus) auctor bonus, acetum ait quàm acerrimum esse sorbendum: Hoc enim sine ulla noxa comprimit ulcera. sed id supprimere sanguinem potest, ulcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei licium est; quod idem quoque æquè probat; uel porri, uel marrubij succus; uel nuces græcæ cum trachanto contritæ, & cum passo mixtæ; uel lini semen contritum, & cum dulci uino mixtũ. Exercitatio quoque ambulandi, currendique necessaria est. Frictio a pectore uehemens toti inferiori parti adhibenda. Cibi uerò esse debent neque nimium acres, neque asperi, mel, lenticula, tragum, lac, ptisana, pinguis quoque caro, præcipueque porrum, & quidquid cum hoc mixtum est. Potionis quàm minimum esse conuenit. Aqua dari potest, uel pura, uel in qua malum cydoneum, palmulæ ue decoctæ sunt. Gargarizationes quoque lenes. sin hæ parum proficiunt, reprimentes utiles sunt. Hoc genus neque acutum est, & potest esse non longum: curationem tamen maturam, ne uehementer, & diu lædat, desiderat.

De tussi, & hæmorrhagia sanguinis sputo, uel qualiscunque eius excretione.

Tussis uerò ferè propter faucium exulcerationem, molesta est; quæ multis modis cõtrahitur: Itaque illis restitutis, ipsa finitur. Solet tamen interdum per se quoque malè habere; & uix, cùm uetus facta est, eliditur. ac modò arida est, modò pituitam citat. Oportet hyssopum altero quoque die bibere: spiritu retento currere, sed minimè in puluere: ac lectione uti uehementi: quæ primò impeditur a tussi, pòst eam uincit. tum ambulare; deinde per manus quoque exerceri; & pectus diu perfricare. Post hæc, quàm pinguissimæ ficus uncias tres, supra prunas incoctas, esse. Præter hæc, si humida est, prosunt frictiones ualidæ cum quibusdam calefacientibus; sic, ut caput quoque siccum uehementer perfricetur. Item cucurbitulæ pectori admotæ. sinapi ex parte exteriore, faucibus impositum, donec leuiter exulceret. potio ex menta, nucibusque græcis, & amylo; primoque assumptus panis aridus; deinde aliquis cibus lenis. At si sicca tussis est; cùm ea uehementissimè urget, adiuuat uini austeri cyathus assumptus; dum ne amplius id interposito tempore aliquo, quàm ter, aut quater fiat: Item laseris quàm optimi paulum deuorare opus est; porri, uel marrubij succum assumere; scyllam delingere; acetum ex ea, uel certè acre sorbere; aut cum spica allij contriti duos uini cyathos. Vtilis etiam in omni tussi, est peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima, natationes: Cibus interdum mollis, ut maluã, ut urtica: interdum acer, ut lac cum allio coctum. sorbitiones, quibus laser sit adiectum, aut in quibus porrum incoctum tabuerit; ouum sorbile sulphure adiecto. potui primùm aqua calida, deinde inuicem alijs diebus hæc, alijs uinum. Magis terreri potest aliquis, cùm sanguinem expuit. sed id modò minus, modò plus periculi habet: Exit enim modò ex gingiuis, modò ex ore. & quidem ex hoc, interdum etiam copiosè, sed sine tussi, sine ulcere, sine gingiuarũ ullo uitio; ita ut nihil excreetur. Verum ut ex naribus, sic ex ore aliquando prorumpit. Atque interdum sanguis profluit, interdum simile aquæ quiddam, in qua caro recens lota est. Nonnunquam autem is a summis faucibus fertur, modò exulcerata ea parte, modò non exulcerata; sed aut ore uenæ alicuius adaperto, aut tuberculis quibusdam natis, ex his sanguine erumpente. quod ubi incidit, neque lædit potio, aut cibus, neque quidquam aut ex ulcere excreatur. aliquando gutture, & arterijs exulceratis, frequens tussis sanguinem quoque extundit. Interdum etiam fieri solet, ut aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex iocinere feratur. Sæpe feminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc expuunt; Auctoresque medici fuerunt, uel excesa parte aliqua sanguinem exire, uel rupta, uel ore alicuius uenæ patefacto. Primam διάβρωσιν, secundam ῥῆγμα χασμὸν, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. ultima minimè nocet, prima grauissimè. Ac sæpe quidẽ euenit, ut sanguinem pus sequatur. Interdum autem, qui sanguinem ipsum suppressit, satis ad ualetudinem profuit: Sed si secuta ulcera sunt, si pus, si tussis est, pro ut sedes ipsa est, ita uaria, & periculosa genera morborum sunt. Si uerò sanguis tantum fluit, expeditius & remedium, & finis est. Neque ignorari oportet, eis, quibus fluere sanguis solet, aut quibus spina dolet, coxæ ue, aut post cursum uehementem, uel ambulationem (dum febris absit) non esse inutile sanguinis mediocre profluuium: idque per urinam redditum, ipsam quoque lassitudinem soluere. Ac ne in eo quidem terribile esse, qui ex superiore loco decidit: si tamen in eius urina nihil nouabit. Neque uomitum huius afferre periculum, etiam cùm repetit; si ante confirmare, & implere corpus licuit; & ex toto, nullũ nocere, qui in corpore robusto, neque nimius est, neque tussim, aut calorem mouet. Hæc pertinent ad uniuersum: Nunc ad ea loca, quæ proposui, ueniam. Si ex gingiuis exit, portulacam manducasse satis est. si ex ore, continuisse eo merum uinum. si parum id proficit, acetum. si inter hæc quoque grauiter erumpit (quia consumere hominem potest) commodissimum est, impetum eius, admota occipitio cucurbitula, sic, ut cutis quoque incidatur, auertere. Si id mulieri, cui menstrua non feruntur, euenit; eandem cucurbitulam incisis inguinibus eius admouere. At si ex faucibus, interioribus ue partibus processit, & metus maior est, & cura maior adhibenda. sanguis mittendus est; & si nihilominus ex ore processit, iterum, tertioque, & quotidie paulum aliquid; protinus autem debet sorbere, uel acetum, uel etiam cum thure, plantaginis, aut porri succum: imponendaque extrinsecus supra id quod dolet, lana succida ex aceto est, & id spongia subinde refrigerandum. Erasistratus, horum crura quoque, & femora, brachiaque

brachiáque pluribus locis deligabat. Id Asclepiades adeo non prodesse, ut etiam inimicum esset, proposuit. Sed id sæpe commodè respondere, experimenta testantur. Neque tamen pluribus locis deligari necesse est: sed sat est, infra inguina, & super talos, summosque humeros, etiam brachia. Tum si febris urget, danda est sorbitio, & potui aqua, in qua aliquid ex his, quæ aluum astringunt, decoctum sit. at si abest febris, uel elota alica, uel panis ex aqua frigida, & molle quoque ouum dari potest: potui, uel idem quod suprà scriptum est, uel uinum dulce, uel aqua frigida; sed sic bibendum erit, ut sciamus, huic morbo sitim prodesse. præter hæc necessaria sunt quies, securitas, silentium. Caput huius quoque cubantis sublime esse debet, recteque tondetur: Facies sæpe aqua frigida fouenda est. At inimica sunt, uinum, balneum, uenus. in cibo oleum, acria omnia. item calida fomenta, conclaue calidum, & inclusum. multa uestimenta corpori iniecta. etiam fricationes, ubi bene etiam sanguis conquieuit. Tum uerò incipiendum est a' brachijs, cruribusque: a' thorace abstinendum. In hoc casu, per hyemem, locis maritimis; per æstatem, mediterraneis opus est.

De stomachi morbis, & curationibus. Cap. V.

Faucibus subest stomachus; in quo plura longa uitia incidere consuerunt: Nam modò ingens calor, modò inflatio hunc, modò inflammatio, modò exulceratio afficit. Interdum pituita, interdum bilis oritur. frequentissimumque est eius malum, quo resoluitur; neque ulla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Vt diuersa autem uitia eius, sic etiam remedia sunt. Vbi exæstuat, aceto cum rosa extrinsecùs subinde fouendus est: imponendusque puluis cum oleo, & ea cataplasmata, quæ simul & reprimunt, & molliunt. Potui (nisi quid obstat) gelida aqua præstanda. Si inflatio est, prosunt admotæ cucurbitulæ; neque incidere cutem necesse est. prosunt sicca, & calida fomenta, sed non uehementissima. Interponenda abstinentia est. Vtilis in ieiuno potio est absinthij, aut hyssopi, aut rutæ. Exercitatio primò lenis, deinde maior adhibenda est; maximeque quæ superiores partes moueat. quod genus in omnibus stomachi uitijs aptissimum est. Post exercitationem, opus est unctione, frictione, balneo quoque nonnunquam, sed rariùs; interdum alui ductione: Cibis deinde calidis, neque inflantibus. eodemque modo calidis potionibus, primò aquæ, pòst ubi resedit inflatio, uini austeri. Illud quoque in omnibus stomachi uitijs præcipiendum est, ut quo modo se quisque æger refecerit, eo ut sanus utatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi ijsdem defendatur bona ualetudo, quibus reddita est. At si inflammatio aliqua est (quam ferè tumor, & dolor sequitur) prima sunt quies, & abstinentia. lana sulphurata circundata; in ieiuno, absinthium. Si ardor stomachum urget, aceto cum rosa subinde fouendus est; deinde cibis quidem utendum est modicis: Imponenda uerò extrinsecùs, quæ simul & reprimunt, & molliunt. deinde his detractis, utendū calidis ex farina cataplasmatis, quæ reliquas digerant. Interdum aluus ducenda. Adhibenda exercitatio, & cibus plenior. At si exulceratio stomachum infestat; eadem ferè facienda sunt, quæ in faucibus exulceratis præcepta sunt. Exercitatio, frictio inferiorum partiū adhibenda. Adhibendi leues, & glutinosi cibi, sed citra satietatē. Omnia acria, atque acida remouenda. Vino, si febris non est, dulci; aut si id inflat, certè leni utendum; sed neque præfrigido, neque nimis calido. Si uerò pituita stomachus impletur; necessarius modò in ieiunio, modò post cibum, uomitus est. Vtilis exercitatio, gestatio, nauigatio, frictio. Nihil edendū, bibendumque, nisi calidum, uitatis tantùm his, quæ pituitam contrahere consuerunt. Molestius est, si stomachus bile uitiosus est. Solent autem hi qui sic tentantur, interpositis quibusdam diebus, hanc, & quidem (quod pessimū est) atram mouere. His rectè aluus ducitur. potiones absinthio dantur; necessaria gestatio, nauigatio est (si fieri potest) ex nausea uomitus. uitanda cruditas. sumendi cibi faciles, & stomacho non alieni. uinum austerum. Vulgatissimum uerò, pessimumque stomachi uitium est, resolutio; idest, cùm cibi non tenax est; soletque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi. Huic generi inutilissimum balneum est. Lectiones, exercitationesque superioris partis necessariæ. Item unctiones, frictionesque. His perfundi frigida, atque in eadem natare; canalibus eiusdem subijcere etiam stomachum ipsum, & magis etiam a' scapulis, id quod contra stomachum est: Consistere in frigidis, medij capitisque fontibus (quales cutiliarum, symbruinarumque sunt) salutare est. Cibi quoque assumendi sunt frigidi, qui potiùs difficulter coquuntur, quàm facilè uitiantur. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt. Ex quo colligi potest, neque auem, neque uenationem, neque piscem dari debere, nisi generis durioris. Potui quidem aptissimū est uinum frigidum, uel certè bene calidum, meracum, potissimùm rheticum, uel Allobrogicum, aliud'ue, quod & austerum, & resina conditum est. si id non est, quàm asperrimum, maximeque signinum. Si cibus non continetur, danda aqua, & eliciendus plenior uomitus est; iterumque dandus cibus; & tum admouendæ duobus infra stomachum digitis, cucurbitulæ; ibique duabus, aut tribus horis continendæ sunt. Si simul, & uomitus, & dolor est, imponenda supra stomachum est lana succida, uel spongia ex aceto, uel cataplasma, quod refrigeret. Perfricanda uerò non diu, sed uehementer, brachia, & crura, & calefacienda. Si plus doloris est, infra præcordia quatuor digitis, cucurbitula utendum est; protinus dandus panis ex posca frigida. Si non continuit, post uomitum lene aliquid ex his, quæ non aliena stomacho sint: Si ne id quidem tenuit, singuli cyathi uini, singulis interpositis horis, donec stomachus consistat. Valens etiam medicamentum est, radiculæ succus; ualentius, acidi punici mali, cum pari modo succi, qui ex dulci punico malo est, adiecto etiam intubi succo, & mentà, sed huius minima parte; quibus tantundem, quantum in his omnibus est, aquæ frigidæ, quàm optimè miscetur: Id enim plus quàm uinum, ad comprimendum stomachum

potest. supprimendus autem uomitus est, qui per se uenit, sic, si nausea est. Sed si coacuit intus cibus, aut computruit (quorum utrumlibet ructus ostendit) eijciendus est; protinusque cibis assumptis iisdē, quos proximè posui, stomachus restituendus. Vbi sublatus est præsens metus, ad ea redeundum est, quæ supra præcepta sunt.

De laterum doloribus. Cap. VI.

Stomachus lateribus cingitur, atque in his quoque uehementes dolores esse consuerunt: & initium uel ex frigore, uel ex ictu, uel ex nimio cursu, uel ex morbo est. Sed interdum ne malum intra dolorē est, isque modò tardè, modò celeriter soluitur. interdum ad perniciem quoque procedit: oriturque acutus morbus, qui πλευριτικὸς à græcis nominatur. Huic dolori lateris febris, & tussis accedit; & per hanc, excreatur (si tolerabilis morbus est) pituita, si grauis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emollitur. idque primo uitio grauius, secundo tolerabilius est. Remedium uerò est magni, & recentis doloris, sanguis missus. At siue lenior, siue uetustior casus est, uel superuacuum, uel serum id auxilium est; confugiendumque ad cucurbitulas est, antè summa cute incisa. Rectè etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera, pustulasque excitet; & tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Præter hæc circumdare primùm oportet latus absolanæ sulphuratæ. deinde cùm paulùm inflāmatio se remisit, siccis, & calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est. Si uetustior dolor remanet, nouissimè resina imposita discutitur. Vtendum cibis, potionibusque calidis. uitandum frigus. Inter hæc tamen, nō alienum & extremas partes oleo, & sulphure perfricare. Si leuata tussis est, leni lectione uti. iamque & acres cibos, & uinum meracius assumere. quæ à medicis præcipiuntur, ut tamen sine his rusticos nostros epota ex aqua, herba trixago satis adiuuet. Hæc in omni lateris dolore communia sunt. plus negotij est, si acutus quoque morbus is factus est. In hoc, præter ea, quæ suprà posita sunt, hæc animaduertenda sunt; ut cibus sit quàm maximè tenuis, & lenis, præcipueque sorbitio; eaque ex ptisana potissimùm; aut ius, in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit: Idque non nisi tertio quoque die detur; si tamen per uires licebit. potui uerò, aqua mulsa, in qua hyssopum, aut ruta decocta sit. quæ quibus temporibus danda sint, ex ratione uel adiectæ, uel leuatæ febris, apparebit: sic, ut in remissione quàm maxima dent; cum eo tamen, ut sciamus, non esse eius generis tussi aridas fauces committendas. sæpe enim, ubi nihil est quod excreatur, continuatur, & strangulat. Ob quam causam, dixi etiam peius id genus esse tussis, quod nihil, quàm quod pituitam moueret. Sed hic uinum sorbere, ut suprà præcepimus, morbus ipse non patitur. inuicem eius cremor ptisanæ sumendus est. Vt his autem in ipso morbi feruore sustinendus æger est; sic, ubi paulùm is se remisit, alimenta pleniora, & uini quoque aliquid dari potest. dū nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet. Si in refectione quoque mā serit tussis, intermittere oportebit uno die; posteroque, cum cibo, uini paulò plus assumere. atque incipiente quoque tussi, tum non erit alienū (ut suprà quoque positum est) uini cyathos sorbere. Sed in hoc genere ualetudinis, dulce, uel certè lene cōmodius est. Si malum inueterauit, athletico uictu corpus firmandum est.

De uiscerum morbis; & primò de pulmone, deinde de iocinere, tum de liene, postremò de renibus. Cap. VII.

A compagine uerò corporis, ad uiscera transeundum est; & in primis ad pulmonem ueniendum, ex quo uehemens & acutus morbus oritur, quem περιπνευμονικὸν græci uocant. eius hæc conditio est: Pulmo totus afficitur. hunc eius casum subsequitur tussis, bilem, uel pus trahens; præcordiorum, totiusque pectoris grauitas, spiritus difficultas, magnæ febres, continua uigilia, cibi fastidiū, tabes. Id genus morbi, plus periculi, quàm doloris habet. Oportet si satis ualidæ uires sunt, sanguinem mittere; si minores, cucurbitulas sine ferro præcordijs admouere. Tum si satis ualet, gestando ægrum, digerere; si parum, intra domum tamen dimouere. Potionem autem hyssopi dare, cui ficus arida sit incocta; aut aquam mulsam, in qua uel hyssopum, uel ruta decocta sit. Frictione uti diutissimè in scapulis; proximè ab his in brachijs, & pedibus, & cruribus; leuiter contra pulmonem. idque bis quotidie facere. Quod ad cibum uerò pertinet, huic nec salsis opus est, neque acribus, neque amaris, neque aluum astringentibus, sed paulò lenioribus. Ergo primis diebus danda est sorbitio ptisanæ, uel alicæ, uel oryzæ, cum qua recens adeps cocta sit. Cum hac, sorbile ouum, nuclei pinei ex melle, panis, uel elota alica ex aqua mulsa potui, deinde non solùm pura aqua, sed etiam mulsa egelida, aut si æstas est, etiam frigida, nisi quid obstat. hæc autem altero quoque die, increscente morbo, dare satis est. Vbi incremento constitit, quantum res patitur, ab omnibus abstinendū est, preterquā aqua egelida. Si uires desunt, adiuuandę sunt aqua mulsa. prosuntque aduersus dolores, imposita calida somēta, uel ea quæ simul & reprimūt, & emolliunt. Prodest impositus super pectus, sal bene contritus, cum cerato mixtus; quia leuiter cutem erodit, eoque impetum materiæ, quo pulmo uexatur, euocat. Vtile etiam aliquod malagma est ex his, quæ materiam trahunt. Neque alienum est, dum premit morbus, clausis fenestris ægrum continere. Vbi paulū leuatus est, ter, aut quater die, fenestris aliquanto apertis, paruum aerem recipere. Deinde in refectione, pluribus diebus à uino abstinere. gestatione, frictione uti. sorbitionibus, & prioribus cibis adijcere ex oleribus, porrum: ex carne, ungulas, & summa trunculorum, atque pisciculos: sic, ut diu nihil molle, & lene sumatur.

De iocineris morbo, & curatione. Cap. VIII.

Alterius quoque uisceris morbus, idest iocineris, æque modò longus, modò acutus esse consueuit; ἡπατικὸν græci uocant. Dextra parte sub præcordijs uehemens dolor est: idemque ad latus dextrum, & ad iugulum, humerumque partis eiusdem peruenit. nonnunquam manus quoque dextra torquetur. horror calidus est. Vbi male est, bilis euomitur. interdum singultus propè strangulat. & hæc quidem acuti morbi sunt. Longioris uerò, ubi suppuratio in iocinere est, dolorque modò finitur, modò intenditur; dextra parte præcordia dura sunt, & tument: post cibum, maior difficultas est. accedit maxillarum quædam resolutio. ubi inueterauit malum, uenter, & crura, pedesque intumescunt; pectus, atque humeri, circaque iugulum utrunque extenuatur. Initio sanguinem mittere optimum est: tum uenter soluendus est, si non potest aliter, per nigrum ueratrum; imponenda extrinsecus cataplasmata, primùm quæ reprimant; deinde calida, quæ deducant. quibus rectè iris, uel absinthium adijcitur; post hæc, malagma. Dandæ uerò sorbitiones sunt, omnesque cibi, & calidi, & qui non multùm alant, & ferè qui pulmonis quoque dolori conueniunt; præterque eos, qui urinam mouent, potionesque ad id efficaces. Vtilia in hoc morbo sunt, thymum, satureia, hyssopum, nepeta, amylum, sisamum, lauri baccæ, pini flos, herba sanguinalis, menta, ex malo cotoneo medium, columbæ iecur recens, & crudum. Ex quibus quædam per se esse, quædam adijcere uel sorbitioni, uel potioni licet; sic tamen, ut parcè assumantur. Neque alienum est, absinthium contritum ex melle, & pipere, eiusque catapotium quotidie deuorare. Abstinendum utique est ab omnibus frigidis; neque enim res ulla magis iecur lædit. Frictionibus utendum in extremis partibus. uitandus omnis labor, omnis uehementior motus. ne spiritus quidem diutiùs continendus est. Ira, trepidatio, pondus, ictus, cursus, inimica sunt. Perfusio corporis multa prodest, ex aqua, si hyems est, calida; si æstas, tepida. Item liberalis unctio, & in balneo sudor. Si uerò iecur uomica laborat, eadem facienda sunt, quæ in cæteris interioribus suppurationibus. Quidam etiam contra id scalpello aperiunt; ipsam uomicam adurunt.

De lienis morbo, & curatione. Cap. IX.

At lienis ubi affectus est, intumescit, simulque cum eo, pars sinistra; eaque dura est, & prementi renititur; uenter intentus est, aliquis etiam cruribus tumor est. Vlcera aut omnino non sanescunt; aut certè cicatricem uix recipiunt. In intenta ambulatione, cursuque, dolor, & quædam difficultas est. hoc uitium quies auget. Itaque exercitatione, & labore opus est; habita tamen ratione, ne febre mixta, si nimiùm processerit, excitetur. Vnctiones, frictionesque, & sudores necessarij sunt. Dulcia omnia inimica sunt. item lac, & caseus: Acida autem maximè conueniunt. Ergo acetum acre per se sorbere, & magis etiam quod scilla conditū est, expedit. Edenda sunt salsamenta, uel oleæ ex muria dura, tinctæ in aceto lactucæ, intubique, & betę ex eodem. ex sinapi, asparagus, armoracia, pastinaca, ungulæ, rostra, aues macræ, eiusdem generis uenatio. Potui uerò, ieiuno dari debet absinthium incoctum. at post cibum, aqua à ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit: Hæc enim, uel præcipuè lienem coërcet; quod animaduersum est in his animalibus, quę apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. potest etiam dari uinum tenue, austerum; omniaque in cibis, & potionibus, quæ urinæ mouendę sunt; præcipueque ad id ualet, uel trifolij semen; uel cuminum, uel apium, uel serpillum, uel cithisus, uel portulaca, uel nepeta, uel thymum, uel hyssopum, uel satureia. hæc enim inde commodissimè uidentur humorem deducere. Lienis quoque bubulus utiliter esui datur; pręcipueque eruca, & nasturcium lienem extenuant. Imponēda quoque extrinsecùs sunt, quæ leuent. Fit ex unguento, & palmulis, quod μυροβάλανον gręci uocant: Fit ex lini, & nasturcij semine, quò uinum, & oleum adijcitur. fit ex cupresso uiride, & arida ficu. fit ex sinapi, cui seui hirquini à renibus quarta pars ponderis adijcitur, teriturque in sole, & protinus imponitur. Multisque modis huic rei cappari aptū est. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere, cōmodum est. Quin etiam extrinsecùs radicem contritam, uel corticem eius cum furfuribus; aut ipsum cappari cum melle contritum, imponere expedit. Malagmata quoque huic rei aptantur.

De renum morbis, & curationibus. Cap. X.

At renes ubi affecti sunt, diu malè habent. Peius est, si frequens biliosus uomitus accedit. Oportet conquiescere, cubare molliter, soluere aluum. si aliter non respondet, etiam ducere. Sæpe desidere in aqua calida; neque cibum, neque potionem frigidam assumere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, pomis; bibere liberaliter; adijcere modò cibo, modò potioni, piper, porrum, ferulam, album papauer; quæ maximè inde urinam mouere consuerunt. Auxilio quoque his exulceratis sunt, si adhuc ulcera purgāda sunt, cucumeris semina, detractis corticibus, sexaginta, nuclei ex pinu siluestri duodecim, anesi quod tribus digitis summi possit, croci paululū; contrita, & in duas mulsi potiones diuisa. Si uerò dolor tantùm leuandus est, eiusdem cucumeris semina triginta, iidem nuclei uiginti, nuces græcę quinque, croci paululum; contrita, & cum lacte, potui data. At super quoque rectè quædam malagmata inijciuntur, maximeque ea, quæ humori extrahendo sunt.

De intestinorum morbis, & primo de cholera. Cap. XI.

A Visceribus ad intestina ueniendum est, quæ sunt et acutis, & longis morbis obnoxia. Primo æque facienda mentio est choleræ, quia commune id stomachi, atque intestinorũ uitium uideri potest: Nam simul & deiectio, & uomitus est; præterque hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis suprà infraque erũpit; primùm aquæ similis, deinde ut in ea recens caro lota esse uideatur; interdum alba, nonnunquã nigra, uel uaria. Ergo eo nomine morbi, hunc χολέραν græci nominarunt. præter ea uero, quæ suprà comprehensa sunt, sæpe etiam crura, manusque contrahuntur; urget sitis; anima deficit. quibus concurrentibus, non mirum est, si subitò quis moritur. neque tamen ulli morbo minori momento succurritur. Protinus ergo, ubi ista cœperunt, aquæ tepidæ quàm plurimum bibere oportet, & uomere. Vix unquam sine uomitu sequitur. sed etiam si non incidit, miscuisse tamen nouam materiam corruptæ prodest; parsque sanitatis est, uomitum esse suppressum. si id incidit, protinus ab omni potione abstinendum est. Si uerò tormina sunt, oportet frigidis, & humidis fomentis stomachum fouere; uel si uenter dolet, iisdem egelidis, sic, ut uenter ipse mediocriter calentibus iuuetur. Quòd si uehementer & uomitus, & deiectio, et sitis uexant, et adhuc subcruda sunt, quæ uomuntur, nondum uino maturum tempus est. Aqua, neque ea ipsa frigida, sed potius egelida, danda est: admouendumque naribus est puleium ex aceto, uel polenta uino aspersa, uel menta secundum naturam est. At cùm discussa cruditas est, tum magis uerendum est, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum est ad uinum: id esse oportet tenue, odoratum, cum aqua frigida mixtum; uel polenta adiecta, uel melle quoque, assumere expedit; quotiensque aliquid aut stomachus, aut uenter effudit; totiens per hæc uires restituere. Erasistratus primò tribus uini guttis, aut quinis, aspergendam potionem esse dixit; deinde paulatim merum adiiciendum. Is si & ab initio uinum dedit, & metu cruditatis secutus est; nõ sine causa fecit: Si uehementem infirmitatem adiuuari posse tribus guttis putauit, errauit. At si inanis est homo, & crura eius contrahuntur; interponenda potio absinthij est. Si extremæ partes corporis frigent, ungendæ sunt calido oleo, cui ceræ paulum sit adiectum, calidisque fomentis nutriendæ. Si ne sub his quidem quies facta est; extrinsecus contra uentriculum ipsum cucurbitula admouenda est, aut sinapi super imponendum. Vbi is constitit, dormire oportet. postero die utique à potione abstinere. die tertio in balneum ire. paulatim se cibo reficere, somno, quisquis facilè acquiescit. itemque lassitudine, & frigore. Si post suppressam choleram febricula manet; aluum duci necessariũ est. tum cibis, uinoque utendum est. Sed hic quidem morbus & acutus est, & inter intestina, stomachumque uersatur: sic, ut cuius potissimum partis sit, non facilè dici possit.

De cœliaco uentriculi morbo. Cap. XII.

In ipsius uerò uentriculi porta consistit is, qui & longus esse consueuit; κοιλιακὸς à græcis nominatur. Sub hoc, uenter indurescit, dolorque eius est: Aluus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. extremæ partes frigescunt: difficulter spiritus redditur. Commodissimum est inter initia, calida cataplasmata toto uentri imponere, ut dolorem leniant. post cibum, uomere; atque ita uentrem exinanire. Proximis deinde diebus, cucurbitulas sine ferro, uentri, & coxis admouere. Ventrem ipsum liquare dato lacte, & uino salso, frigido. Si tempus anni patitur, etiam uiridibus ficis; sic tamen, ne quis aut cibus, aut humor uniuersus detur, sed paulatim. Ergo per interualla temporis, sat est cyathos binos, ternos'ue sumere, & cibum pro portione huius. cõmodeque facit, cyathos lactis, cyathus aquæ mixtus, & sic datus. Cibique inflantes, & acres utiliores sunt; adeo ut lacti quoque rectè contritum alliũ adijciatur. Procedente uerò tempore, opus est gestari, maximeque nauigare; perfricari ter, aut quater die, sic, ut nitrum oleo misceatur; perfundi aqua calida post cibum; deinde sinapi imponere per omnia membra (excepto capite) donec arrodatur, & rubeat; maximeque si corpus durum, & uirile est. paulatim deinde faciendus est transitus ad ea, quæ uentrem comprimunt. Assa caro danda, ualens, & quæ non facilè corrumpatur. potui uerò, pluuialis aqua decocta; sed quæ per binos, ternos'ue cyathos bibatur. Si uetus uitium est, oportet laser quàm optimum ad piperis magnitudinem deuorare. altero quoque die uinum, uel aquam bibere; interdum, interposito cibo, singulos uini cyathos sorbere; ex inferiori parte infundere pluuialẽ egelidam aquã, maximeque si dolor in imis partibus remanet.

De tenuioris intestini morbo. Cap. XIII.

Inter ipsa uerò intestina consistunt duo morbi; quorum alter in tenuiore, alter in pleniore intestino est. Prior acutus est, insequens, esse longus potest. Diocles Carystius, tenuioris intestini morbũ χορδαψὸν, plenioris, εἰλεὸν nominauit. A' plerisque uideo nunc illum priorem, εἰλεὸν; hunc, κωλικὸν nominari. Sed prior, modò supra umbilicum, modò sub umbilico dolorem mouet. Fit ex alterutro loco inflammatio; nec aluus, nec spiritus infra transmittitur. si superior pars affecta est, cibus; si inferior, stercus per os redditur. si utrumlibet uetus est, adiicitur periculo, uomitus biliosus, mali odoris, aut uarius, aut niger. Remedium est, sanguinem mittere, uel cucurbitulas pluribus locis admouere, non ubique cute incisa: Id enim duobus, aut tribus locis satis est. Ex cæteris, spiritum euocare abundè est. Tum animaduertere oportet, quo loco malum sit: solet enim contra id tumere. Et si supra umbilicum est, alui ductio utilis non est: Si infra est,

aluum

aluum ducere(ut Erasistrato placuit) optimum est: & sæpe id auxilij satis est. Ducitur autem, percolato prisanæ cremore cum oleo;& melle:sic,ut præter ea, nihil adijciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere oportet supra summum uentrem,paulatimque deducere: Inuenietur enim mali locus,qui necesse est,reniatur; & ex eodem deliberari poterit,ducenda nec ne aluus sit. Illa communia sunt; calida cataplasmata admouere,eaque imponere a mammis usque ad inguina,& spinam;ac sæpe mutare;brachia/ cruraque perfricare,demittere totum hominem in calido oleo. Si dolor non quiescit,etiam in aluum,ex parte inferiore, tres,aut quatuor cyathos calidi olei dare. Vbi per hæc consecuti sumus,ut iam ex inferiore parte spiritus transmittatur,offerre potui mulsum tepidum,non multum.nam ante,magna cura uitandum est, ne quid bibat.si id commode cessit,adijcere sorbitionem. Vbi dolor,& febricula quierunt, tum demum uti cibo pleniore;sed neque inflante,neque duro,neque ualido;ne intestina adhuc imbecilla lædantur. potui uero nihil,præterquam puram aquam.nam siue quid uinolentum, siue acidum est, id huic morbo alienum est. Ac postea quoque uitare oportet balneum, ambulationem, gestationem, cæterosque corporis motus. Nam facile id malum redire consueuit;& siue cum frigus subit,siue aliqua iactatio(nisi bene iam confirmatis intestinis)reuertitur.

De morbo intestini plenioris. Cap. XIIII.

Is autem morbus,qui in intestino pleniore est,in ea maxime parte est, quam certam esse proposui. Vehemens inflatio,uehementes dolores dextra magis parte;intestinum(quod uerti uidetur)prope spiritum elidit. In plerisque,post frigora,cruditatesque oritur,deinde quiescit;& per ætatem sæpe repetens,sic cruciat,ut uitæ spatio nihil demat. Vbi is dolor cœpit,admouere sicca, & calida fomenta oportet; sed primo lenta,deinde ualidiora;simulque frictiones.ad extremas partes,id est crura/ brachiaque,materiam reuocare. Si discussum non est; qua dolet,cucurbitulas sine ferro defigere. Est etiam medicamentum eius rei causa comparatum, quod κωλικὸν nominatur. id se reperisse Cassius gloriabatur. Magis prodest potui datum:sed impositum quoque extrinsecus,digerendo spiritum, dolorem leuat. nisi finito uero tormento, recte neque cibus,neque potio assumitur. Quo uictu sit utendum,qui hoc genere tentantur, iam mihi dictum est. Confectio medicamenti,quod κωλικὸν nominatur, ex his constat. Costi,anesi,castorei singulorum Pondo denariorum trium,petroselini P. denariorum IIII. piperis longi, & rotundi singulorum P. II. papaueris lachrymæ,iunci rotundi,myrræ,nardi singulorum P. VI. quæ melle excipiuntur. id autem & deuorari potest,& ex aqua calida sumi.

De torminibus,idest dysenteria. Cap. XV.

Proxima his inter intestinorum mala,tormina esse consueuerunt, δυσεντερία græce uocatur. Intus intestina exulcerantur: ex his cruor manat. Isque modo cum stercore aliquo,semper liquido, modo cũ quibusdam quasi muccosis excernitur. interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens deijciendi cupiditas,dolorque in ano est. Cum eodem dolore,exiguum aliquid emittitur. atque eo quoque tormentũ intenditur:idque post tempus aliquod leuatur;exiguaque requies est. somnus interpellatur. febricula oritur.longoque tempore id malum cum inueterauerit, aut tollit hominem; aut, etiam si finitur, excruciat. Oportet in primis conquiescere: si quidem omnis agitatio exulcerat. deinde ieiunum,sorbere uini cyathum,cui contrita radix quinque folij sit adiecta. imponere cataplasmata super uentrem,quæ reprimunt: quod in superioribus uentris morbis non expedit. quotiensque desidit, subluere aqua calida, in qua decoctæ uerbenæ sint. portulacam,uel coctam,uel ex dura muria edisse. cibos, potionesque eas, quæ astringunt aluum. Si uetustior morbus est,ex inferioribus partibus tepidum infundere,uel prisanæ cremorem, uel lac,uel adipem liquatam, uel medullam ceruinam, uel oleum; uel cum rosa,butyrum; uel cum eadem, album crudum ex ouis,uel aquam,in qua lini semen decoctum sit;uel,si somnus non accedit,uitellos cum aqua,in qua rosæ floris folia cocta sint. Leuant enim dolorem hæc,& mitiora ulcera efficiunt; maximeque utilia sunt,si cibi quoque secutum fastidium est. Themison,muria dura quam asperrima sic utendum memoriæ prodidit. Cibi uero esse debent, qui leniter uentrem destringant; & ea,quæ urinam mouent. Si ea consecuta sunt, in aliam partem, humorem auertendo,prosunt. si non sunt consecuta, noxam augent. Itaque,nisi in quibus prompte id facere consueuerunt,non sunt adhibenda. Potui,si febricula est,aqua pura calida;uel ea,quæ ipsa quoque astringat,dari debet. si non est,uinum lene,austerũ. Si pluribus diebus nihil remedia alia iuuerunt,uetusque iam uitiũ est,aquæ bene frigidæ potio assumpta,ulcera astringit; & initiũ secundæ ualetudinis facit. Sed ubi uenter suppressus est, protinus ad calidam potionem reuertendum est. Solet autem interdum etiam putris sanies,pessimique odoris descendere: solet purus sanguis profluere. si superius uitium est,aluus aqua mulsa duci debet;tunc deinde eadẽ infundi,quæ supra comprehensa sunt. Valensque est etiam aduersus ulcera intestinorum,minij gleba,cum salis hemina contrita. si minus, mixta his aqua in aluum datur. Ac si sanguis profluit,cibi,potionesque esse debent,quæ astringant.

De leuitate intestinorum. Cap. XVI.

Ex torminibus,interdum intestinorum leuitas oritur; quæ continere nihil possunt, & quidquid

assumptum est, imperfectum protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat. In hoc utique adhibere oportet comprimentia, quò facilius tenendi aliquid intestinis uis sit. Ergo & super pectus ponetur sinapi, exulcerataque cute, malagma, quod humorē euocet; & ex uerbenis decoctis aqua desidat; & cibos potionesque assumat, quæ aluum astringunt; & frigidis utetur perfusionibus. Oportet tamē prospicere, ne simul his omnibus admotis, uitium contrariū per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari intestina debebunt, aliquibus quotidie adiectis. Et cùm in omni fluore uentris; tum in hoc præcipuè necessarium est, non quoties libet desidere, sed quoties necesse est; ut hæc ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Alterum quoque, quod æque ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maximè seruandum est, ut cùm pleraque utilia insuauia sint (qualis est plantago, & rubi, & quidquid mali corio mixtum est) ea potissimùm ex his dentur, quæ maximè æger uolet. Deinde si omnia ista fastidiet, ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minus utile, sed magis gratum. Exercitationes, frictiones huic quoque morbo necessariæ sunt; & cum his sol, ignis, balneū, uomitus, ut Hippocrati uisum est, etiam albo ueratro (si cætera parum proficient) euocatus.

De lumbricis aluum occupantibus. Cap. XVII.

Nonnunquam autem lumbrici quoque occupant aluū; hique modò ex inferioribus partibus, modò fœdius ore redduntur. Atque interdum latos eos (qui peiores sunt) interdum teretes uidemus. Si lati sunt, aqua potui dari debet, in qua lupinum, aut cortex mori decoctus sit; aut cui adiectum sit contritum uel hyssopum, uel piperis acetabulum, uel scamoneæ paulum. uel etiam pridie, cùm multum allium ediderit, uomat. Posteroque die, mali punici tenues radiculas colligat, quantum manu comprehendet, easque contusas, in aquæ tribus sextarijs decoquat, donec tertia pars supersit. Huc adijciat nitri paulum, & ieiunus bibat. Interpositis deinde tribus horis, duas potiones sumat, aut aquæ, uel muriæ duræ sic adiectæ. tum desidat subiecta calida aqua in peluē. Si uerò teretes sunt (qui pueros maximè exercent) & eadem dari possunt, & quædam leuiora; ut contritum semen urticæ, aut brassicæ, aut cumini cum aqua, uel menta cum eadem, uel absinthium decoctum, uel hyssopum ex aqua mulsa, uel nasturcij semen cum aceto contritum. Edisse etiam & lupinum, & allium prodest; uel in aluum oleum subter dedisse.

De tenesmo, intestinorum morbo. Cap. XVIII.

Est autem aliud leuius omnibus proximis, de quibus supradictum est, quod τεινεσμὸν græci uocant. Id neque acutis, neque longis morbis annumerari debet, cùm & facilè tollatur, neque unquam per se iugulet. In hoc æquè, atque in torminibus, frequens desidendi cupiditas est, æquè dolor, ubi aliquid excernitur. descendunt autem pituitæ muccisque similia; interdum etiam leniter subcruenta. sed his interponuntur nonnunquam ex cibo quoque rectè coacta. Desidere oportet in aqua calida: sæpiusque ipsum manu nutrire; cui plura medicamenta idonea sunt, butyrum cum rosa, acacia ex aceto liquata, emplastrum id, quod τετραφάρμακον græci uocāt, rosa liquatum, alumen lana circundatum, & ita appositum; eademque ex inferiore parte indita, quæ torminum auxilia sunt; eadem uerbenæ decoctæ, ut inferiores partes foueantur. alternis uerò diebus, aqua, alternis leue, & austerum uinum bibendum est. Potio esse debet egelida, & frigidæ proprior ratio uictus talis, qualem in tormina suprà præcepimus.

De uentris fluxu, & curatione. Cap. XIX.

Leuior etiam, dum recens, deiectio est, ubi & liquida aluus; & sæpius, quàm ex consuetudine, fertur, atque interdum tolerabilis dolor est, interdum grauissimus; idque peius est. Sed uno die fluere aluum, sæpe pro ualetudine est; atque etiam pluribus, dum febris absit; & intra septimum diem id conquiescat. purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. uerùm spatium periculosum est: Interdū enim tormina, ac febriculas excitat, uiresque consumit. Primo die quiescere satis est, neque impetum uentris prohibere; si per se desijt, balneo uti, paulum cibi capere. si mansit, abstinere non solùm à cibo, sed etiā à potione. Postero die, si nihilominùs liquida aluus est, æquè conquiescere, paulum astringentis cibi sumere; tertio die in balneum ire; uehementer omnia, præter uentrem, perfricare; ad ignem, lumbos, scapulasque admouere; cibis uti, sed uentrem contrahentibus; uino non multùm meraco. Si postero quoque die fluet, plus edisse, sed uomere etiam ex toto, donec conquiescat. Contra sitim, famē, uomitu niti. uix enim fieri potest, ut post hanc animaduersionem, aluus non contrahatur. Alia uia est, ubi uelis supprimere; cœnare, deinde uomere; postero die in lecto conquiescere. uespere ungi, sed leniter. deinde panis circa selibram ex uino amineo mero sumere. tum assum aliquid, maximeque auem; & postea uinum idem bibere, aqua pluuiali mixtum; idque usque quintum diem facere, iterumque uomere. Frigidam autem assiduè potionem esse debere, contra priores auctores, Asclepiades affirmauit, & quidem quàm frigidissimā. Ego experimentis quemque in se credere debere existimo, calida potiùs, an frigida utatur. Interdum autem euenit, ut id pluribus diebus neglectū, curari difficiliùs possit. à uomitu oportet incipere; deinde postero die, uespere, tepido oleo ungi. cibum modicum assumere; uinum meracum quàm asperrimum; impositam super uentrem habere cum cærato rutam. In hoc autem affectu corporis, neque ambulatione, neque frictione opus

est. uehiculo

est. uehiculo sedisse, uel magis etiam equo, prodest: neque enim ulla res magis intestina confirmat. Si uerò etiam medicamentis utendum est, aptissimum est id, quod ex pomis fit. Vindemiæ tempore in grãde uas conijcienda sunt pira, atque mala siluestria. si ea non sunt, pira Tarentina uiridia, uel Signina, mala Scandiana uel Amerina, myrapia: hisque adijcienda sunt cotonea, & cum ipsis corticibus suis punica, sorba, & (quibus magis utimur) etiam torminalia, sic, ut hæc tertiam ollæ partem teneãt. tum deinde ea musto implenda est: coquendumque id, donec omnia quæ indita sunt, liquata, in unitatem quãdam coeãt. Id gustui non insuaue est: & quandocunque opus est, assumptum, leuiter, sine ulla stomachi noxa, uentrem tenet. duo, aut tria cochlearia uno die sumpsisse satis est. Alterum ualẽtius genus est; myrti baccas legere; ex his uinum exprimere; id decoquere, ut decima pars remaneat, eiusque cyathum sorbere. Tertiũ, quod quandoque fieri potest, malum punicum excauare: exemptisque omnibus seminibus, membranas, quæ inter ea fuerunt, iterum conijcere. tum infundere cruda oua, rudiculaque miscere: deinde malum ipsum super prunam imponere: quod, dum humor intus est, non aduritur. Vbi siccũ esse cœpit, remouere oportet; extractumque, cochleari, quod intus est, edisse. aliquibus adiectis, maius momentum habet. Itaque etiam in piperatum conijcitur: miscetúrque cum sale, & pipere. est quid ex his edendũ. est pulticula etiam, cum qua, paulum ex fauo uetere coctum sit; & lenticula cum malicorio cocta; rubíque cacumina in aqua decocta, & ex oleo, atque aceto assumpta, efficacia sunt. atque ea aqua, in qua uel palmulæ, uel malum cotoneum, uel arida sorba, uel rubi decocti sunt, potata. quod genus significo, quotiens potionem dandam esse dico, quæ astringat. Tritici quoque hemina in uino aminẽo austero decoquitur: idque triticum, ieiuno, ac sitienti datur. superque id, uinum id sorbetur. quod iure ualentissimis medicamentis annumerari potest. atque etiam potui datur uinum Signinum, uel resinatum austerũ, uel quodlibet austerũ. Cõtunditurque cũ corticibus, seminibusque suis, punicũ malũ, uinoque tali miscetur. idque uel merũ sorbet aliquis, uel bibit mixtũ. sed medicamentis uti nisi in uehemẽtibus malis, superuacuũ est.

De uulua morbo, & curationibus: Caput XX.

Ex uulua quoque fœminis uehemens malum nascitur: proximeque ab stomacho, uel afficitur hæc, uel corpus afficit: Interdum etiam sic exanimat, ut tanquam comitiali morbo prosternat. Distat tamen hic casus, eò quod neque oculi uertuntur, nec spumæ profluunt, nec nerui distenduntur: sopor tantũ est. idque quibusdam fœminis crebrò reuertens, perpetuum est. Vbi incidit, si satis uiriũ est, sanguis missus adiuuat. si parum est, cucurbitulæ tamen defigendæ sunt in inguinibus. Si diutiùs aut iacet, aut alioqui iacere consueuit: admouere oportet naribus extinctum ex lucerna linamẽtum, uel aliud ex his, quæ fœdioris esse odoris retuli, quod mulierem excitet. Idémque aquę frigidæ perfusio efficit. adiuuatque ruta contrita cum melle, uel ex cyprino ceratum, uel quodlibet calidum, & humidum cataplasma, naturalibus pubetenus impositum. Inter hæc, etiam perfricare coxas, & poplites oportet. deinde ubi ad se redit, circumcidendum uinum est in totum annum, etiam si casus idem non reuertitur. Frictione quotidie utendum totius quidem corporis: præcipuè uerò uentris, & poplitum. Cibus ex media materia dandus. Sinapi super imum uentrem tertio quòque, aut quarto die imponẽdum, donec corpus rubeat. Si durities manet, mollire commodè uidetur solanum in lac demissum, deinde contritum; & cera alba, atque medulla ceruina cum irino; aut seuum taurinum, uel caprinum cum rosa mixtum. Dandum potui etiam uel castoreum est, uel git, uel anetum. Si parum pura est, purgatur iunco quadrato. si uerò uulua exulcerata est, ceratum ex rosa fiet: & recens suilla adeps, & ex ouis album misceatur, idque apponatur: uel albũ ex ouo cum rosa mixtum, adiecto (quò facilius consistat) cõtritæ rosæ puluere. dolens uerò ea, sulphure suffumigari debet. At si purgatio nimia mulieri nocet, remedio sunt cucurbitulę, cute incisa, inguinibus, uel etiam sub mammis admotæ. si maligna purgatio est, subijcienda sunt, coeuntia. Id faciunt etiam albæ oliuæ, & nigrum papauer cum melle assumptum, & gummi cum trito semine apij liquatum, & cum cyatho passi datum. Præter hæc, in omnibus uesicæ doloribus, idoneæ potiones sunt, quæ ex odoribus fiunt: id est, spica nardi, croco, cinnamomo, casia, similibusque: Idémque etiam decocta lentiscus præstat. Si tamen intolerabilis dolor est, & sanguis profluit, etiam sanguinis detractio apta est: aut certè coxis admotæ cucurbitulæ, cute incisa. At cum urina super potionum modũ, etiam sine dolore profluens, maciem, & periculum facit; si tenuis est, opus est exercitatione, & frictione, maximeque in sole, uel ad ignem. Balneum rarum esse debet: neque longa in eo mora; cibus comprimens. Vinum austerum meracum, per ęstatem, frigidum; per hyemem, egelidum; sed tantum, quãtum minimum sit. Infima aluus quoque uel ducenda, uel lacte purganda est. Si crassa urina est, uehementior esse debet & exercitatio, & frictio; longior in balneo mora; cibis opus est teneris; uinum idẽ. In utroque morbo, uitanda omnia sunt, quę urinam mouere consueuerunt.

De nimia profusione seminis ex naturalibus. Caput XXI.

EST etiam circa naturalia uitium, nimia profusio seminis. quod sine Venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, ut interposito spatio, tabe hominem consumat. In hoc affectu, salutares sunt uehementer frictiones, perfusiones, natationesque quàm frigidissimę. neque cibi, nec potio, nisi frigida

assumpta. Vitare autem oportet cruditates, omnia inflantia. nihil ex his assumere, quæ contrahere semen uidentur: qualia sunt, siligo, simila, oua, alica, amylum, omnis caro glutinosa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neque alienum est, fouere inferiores partes, aqua decocta ex uerbenis comprimentibus: ex hisdem aliqua cataplasmata imo uentri, inguinibusque circundare: præcipueque ex aceto rutam uitare: & ne supinus obdormiat.

De coxarum morbis, & curationibus. Caput XXII.

Superest ut ad extremas partes corporis ueniam, quę articulis inter se conseruntur. initium à coxis faciam. Harum ingens dolor esse consueuit. isque hominem sępe debilitat: & quosdam non dimittit. Eoque id genus difficillimè curatur, quod fere post lōgos morbos uis pestifera huc se inclinat. quę ut illas partes liberat: sic hanc ipsam quoque affectam prehendit. Fouendum primùm aqua calida est: deinde utendum calidis cataplasmatis. Maximè prodesse uidetur, aut cum hordeacea farina, aut cum fici ex aqua decocta, mixtus capparis cortex concisus, uel lolij farina ex uino diluto cocta, & mixta cū acida fęce: quęque refrigescunt, imponere noctu malagmata commodius est. Inulę quoque radix contusa, & ex uino austero postea cocta, & latè super coxam imposita, inter ualentissima auxilia est. si ista nō soluerunt, sale calido, & humido utendum est. Si ne sic quidem finitus dolor est, aut tumor ei accedit, incisa cute, admouendę sunt cucurbitulæ: mouenda urina. Aluus si compressa est, ducenda. Vltimum est, & in ueteribus quoque morbis efficacissimum, tribus, aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare. Sed frictione quoque utendum est, maximè in sole, & eodem die sæpius: quò facilius ea, quæ coëundo nocuerunt, digerantur. Eaque, si nulla exulceratio est, etiam ipsis coxis, sicut & cæteris partibus, adhibenda est. Cùm uerò sæpe aliquid exulcerandum candenti ferramento sit, ut materia inutilis euocetur: illud perpetuum est, non, ut primùm fieri potest, huius generis ulcera sanare: sed ea trahere, donec id uitium, cui per hæc opitulantur, conquiescat.

De genuum doloribus, & cura. Caput XXIII.

Coxis proxima genua sunt: in quibus ipsi, nonnunquam dolor esse consueuit. In hisdem autem cataplasmatis, cucurbitulisque præsidium est: sicut etiam cùm in humeris, alijsue commissuris dolor aliquis exortus est. Equitare, ei, cui genua dolent, inimicissimum omnium est. Omnes autem eiusmodi dolores, ubi inueterauerunt, uix citra ustionem finiuntur.

De articulorum doloribus in manibus, pedibusq;. Cap. XXIIII.

IN manibus, pedibusque, articulorum uitia frequentiora, longioraque sunt. quæ in podagris, chiragris ue esse consuerunt. Ea rarò uel castratos, uel pueros, ante fœminæ coitum; uel mulieres (nisi quibus menstrua suppressa sunt) tentant. Vbi sentiri cœperunt, sanguis mittendus est: Id enim inter initia statim factum, sæpe annuam, nonnunquam perpetuam ualetudinem totam præstat. Quidam etiam, cū asinino lotio epoto se eluissent, in perpetuum, hoc malum euaserunt. Quidam, cū toto anno à uino, mulso, uenere, sibi temperassent, securitatem totius uitæ consecuti sunt. idque utique post primum dolorem seruandum est, etiam si quieuit. Quòd si iam consuetudo eius facta est: potest quidem aliquis esse securior his temporibus, quibus dolor se remisit: Maiorem uerò curam adhibere debent hi, quibus id reuertitur. quod fere uere, autumno ue fieri solet. Cū uerò dolor urget, manu gestari debet: deinde ferri. inambulatione leui se dimouere. & si podagra est, interpositis temporibus exiguis, inuicem modò sedere, modò ingredi. tum antequàm cibum capiat, sine balneo, loco calido leuiter perfricari, sudare, perfundi aqua egelida: deinde cibum sumere ex media materia, interpositis rebus urinam mouentibus: quotiesque plenior est, euomere. Vbi dolor uehemens urget: interest, sine tumore is sit, an tumor cum calore, an tumor iam etiam obcaluerit. Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est. Aquā marinam, uel muriam duram feruefacere oportet: deinde in peluē conijcere: & cùm iam homo pati potest, pedes demittere: superque palam dare, & uestimento tegere; paulatim deinde iuxta labrum ipsum, ex eadem aqua leuiter infundere, ne calor intus destituat: ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere, maximeque ibisci radicem ex uino coctam. Sin uerò tumor, calorque est, utiliora sunt refrigerātia: recteque in aqua quàm frigidissima, articuli continentur. sed neque quotidie, neque diu fit: ne nerui lædantur. imponendum uerò est cataplasma, quod refrigeret. Neque tamen in hoc quotidie permanendum: sed ad ea transeundum, quæ sic reprimunt, ut emolliant. Si maior est dolor, papaueris cortices in uino coquendi: miscendique cum cerato sunt, quod ex rosa factum sit. Vel ceræ, & adipis suillæ tantundem unà liquandū, deinde his uinū miscendum: atque ubi, quod ex eo impositū est, incaluit, detrahendum, & subinde imponendū aliud est. Si uerò tumores et obcaluerūt, & dolent, leuat spōgia, q̄ imposita subinde ex oleo, uel aceto, uel aqua frigida exprimitur, aut pari portione inter se mixta, pix, cera, alumen. Sunt et plura idonea manibus, pedibusque malagmata. Quòd si nihil supimponi patitur, id quod sine tumore est, fouere oportet spōgia, quæ in aquam calidam demittatur: in qua, uel papaueris corticis, uel cucumeris siluestris radix decocta sit. tum inducere articulis crocum cum succo papaueris, & ouillo lacte. At

si tumor

si tumor est, foueri quidem debet aqua egelida, in qua lentiscus, alia ue uerbena ex reprimentibus decocta sit. induci uerò medicamentum ex nucibus amaris, cum aceto tritis: aut ex cerussa, cui contritæ herbæ muralis succus sit adiectus. Lapis etiam, qui carnem exedit (quem σαρκοφάγον græci uocant) excisus sic ut pedes capiat, demissos eos, cùm dolent, retentosque ibi, leuare consueuit. ex quo, in Asia, lapidi Assio gratia est. Vbi dolor, & inflammatio se remiserunt (quod intra dies quadraginta fit, nisi uitium hominis accessit) modicis exercitationibus, abstinentia, unctionibus lenibus utendum est: sic, ut etiam acopo, uel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. Equitare podagricis quoque alienum est. Quibus uerò articulorum dolor, certis temporibus reuertitur: hos ante, & curioso uictu cauere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, & crebriore uomitu: & si quis ex corpore metus est, uel alui ductione uti, uel lacte purgari. quod Erasistratus in podagricis expulit: ne in inferiores partes factus cursus, pedes repleret: cùm euidens sit, omni purgatione, non superiora tantummodò, sed etiam inferiora exinaniri. Ex quocunque autem morbo quis inualescit, si tardè confirmatur, uigilare prima luce debet: nihilominus in lecto conquiescere. circa tertiam horam, leuiter unctis manibus corpus permulcere. deinde delectationis causa, quantum iuuat, ambulare, circumcisa omni negotiosa cogitatione, uel actione. tum gestari diu. multa fricatione uti. loca, cœlum, cibos sæpe mutare. Vbi triduo, quatriduo'ue uinum bibit: uno, aut etiam altero die interponere aquam. per hæc enim fiet, ne in uitia tabem inferentia incidat: & ut maturè uires suas recipiat. Cùm ex toto uerò conualuerit, periculosè uitæ genus subitò mutabit, & inordinatè aget. Paulatim ergo debebit, omissis his legibus, eò transire, ut arbitrio suo uiuat.

LIBER QVINTVS.

PRÆFATIO.



DIXI de his malis corporis, quibus uictus ratio maximè subuenit. Nunc transeundum est ad eam medicinę partem, quæ magis medicamentis pugnat. His multùm antiqui auctores tribuerunt: & Erasistratus, & hi, qui se ἐμπειρικοὺς nominauerunt: præcipuè tamē Herophilus, deductique ab illo uiri, adeo, ut nullum morbi genus sine his curarent. Multaque etiam de facultatibus medicamentorum, memorię prodiderunt. qualia sunt, uel Zenonis, uel Andrię, uel Apollonij, qui Mys cognominatus est. Horum autem usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit: & cùm omnia ferè medicamenta stomachum lædant, malique succi sint: ad ipsius uictus rationem potius omnem curam suam transtulit. Verū ut illud in plerisque morbis utilius est, sic multa admodum corporibus nostris incidere consueuerunt, quæ sine medicamentis ad sanitatem peruenire non possunt. Illud ante omnia scire conuenit, quòd omnes medicinæ partes ita innexæ sunt, ut ex toto separari non possint: sed ab eo nomen trahant, à quo plurimum petunt. Ergo ut illa, quæ uictu curat, aliquando medicamentū adhibet: & illa, quæ præcipuè medicamentis pugnat, adhibere etiā rationem uictus debet: quæ multùm admodum in omnibus malis corporis proficit. Sed cū omnia medicamenta proprias facultates habeant, ac sæpe simplicia opitulentur, sæpe mixta: nō alienum uidetur, antè proponere & nomina, & uires, & mixturas eorum: quò minor ipsius curationis ex sequentibus mora sit.

De simplicibus facultatibus quarumcunque rerum, ex quibus medicamenta fiunt: & primò de his, quæ sanguinem supprimunt. Caput I.

Sanguinem supprimunt atramentum sutorium (quod græci χάλκανθον appellant) chalcitis, acacia, & ex aqua lilium, thus, aloe, gummi, plumbum combustum, porrum, herba sanguinalis, creta uel cimolia, uel singularis, misy, frigida aqua, uinum, acetum, alumen, melinum, squama & ferri, & æris: atque huius quoque duę species sunt, alia tantùm ęris, alia rubri ęris.

Quæ uulnus glutinant. Caput II.

Glutinant uulnus, myrrha, thus, gummi, pręcipueque acanthinum, psylleum, tragacantha, cardamomon, bulbi, lini semen, nasturcium, oui album, glutē, icthyocolla, uitis alba, contusę testis suis cochleę, mel coctum, spongia uel ex aqua frigida, uel ex uino, uel ex aceto expressa: ex hisdem lana succida, si leuis plaga est: etiam araneum reprimunt, alumen & scissile (quod σχιστὸν uocatur) & liquidum, melinum, auripigmentum, ęrugo, chalcitis, atramentum sutorium.

Quæ concoquunt, & mouent pus. Caput III.

Concoquunt, & mouent pus, nardum, myrrha, costus, balsamum, galbanum, propolis, styrax, thuris & fuligo, & cortex, bitumen, pix, sulphur, resina, seuum, adeps, oleum.

Quæ aperiunt uulnera. Caput IIII.

Vulnera aperiunt, tanquam ora in corporibus (quod στόμα gręcè dicitur) cynnamomum, balsamū, panacis, iuncus quadratus, puleium, flos albę uiolę, bdella, galbanum, resina terebinthina, & pinea, pro-

polis, oleum uetus, piper, pyrethrum, chamepytis, uua aminia, sulphur, alumen, rutæ semen.

Quæ purgant. Caput V.

Purgant, ærugo, auripigmentum, quod ἀρσενικὸν à Græcis nominatur (Huic autem & sandaracæ in omnia eadem uis: sed ualidior est squama æris, pumex, iris, balsamum, styrax, thus, thuris cortex, resina & pinea, & terebinthina liquida, œnanthe, lacerti stercus, sanguis columbæ, & palumbi, & hirundinis, ammoniacum, bdellium (quod in omnia idem quod ammoniacum potest: sed ualentius est) abrotanum, ficus arida, coccum gnidium, scobis eboris, omphacium, radicula, coagulum, sed maxime leporinum (cui eadem, quæ cæteris coagulis, facultas, sed ubique ualidior est) fel, uitellus crudus, cornu ceruinum, gluten taurinum, mel crudum, misyos, chalcitis, crocum, uua aminia, abrotanũ, spuma argenti, galla, squama æris, lapis hæmatites, minium, costum, sulphur, pix cruda, seuum, adeps, oleum, ruta, porrum, lenticula, eruum.

Quæ rodunt. Caput VI.

Rodunt, alumen liquidum, sed magis rotundum, ærugo, chalcitis, mysi, squama æris, sed magis rubri, æs combustum, sandaraca, minium synopicum, galla, balsamum, myrrha, thuris cortex, galbanum, resina terebinthina humida, piper utrunque, sed rotundum magis, cardamomum, auripigmentum, calx, nitrum, & spuma eius, apij semẽ, narcissi radix, omphacium, alcyonium, oleum ex amaris nucibus, allium, mel crudum, uinum, lentiscus, squama ferri, fel taurinum, scamonea, uua aminia, cynnamomum, styrax, cicutæ semen, resina, narcissi semen, fel, nuces amaræ, oleumque earum, atramentum sutorium, chrysocolla, ueratrum, cinis.

Quæ exedunt corpus. Caput VII.

Exedunt corpus, acaciæ succus, hebenus, ærugo, squama æris, chrysocolla, cinis cyprius, nitrum, cadmia, spuma argenti, hypocistis, diphryges, sal, auripigmentum, sulphur, cicuta, sandaraca, salamandra, alcyonium, æris flos, chalcitis, atramentum sutorium, ochra, calx, acetum, galla, alumen, lac caprici, uel lactucæ marinæ (quæ τιθύμαλλος à græcis nominatur) alcyonium, fel turturis, fuligo, spodium, lenticula, mel, oleæ folia, marrubium, lapis hæmatites & phrygius, & asius, & scissilis, mysi, uinum, acetum.

Quæ adurunt. Caput VIII.

Adurunt, auripigmentum, atramentum sutorium, chalcitis, mysi, ærugo, calx, carta cõbusta, sal, squama æris, fæx combusta, myrrha, stercus & lacerti, & columbæ, & palumbi, & hirundinis, piper, coccum gnidium, allium, diphyges, lac utrunque, quod proximo capite supra comprehensum est: ueratrum & albũ, & nigrum, cantharides, corallium, piretrum, thus, salamandra, eruca, sandaraca, uua aminia, chrysocolla, ochra, alumen scissile, ouillum stercus, œnanthe.

Quæ crustas ulceribus inducunt. Caput IX.

Eadem fere crustas ulceribus, tanquam igne adustis, inducunt: sed præcipue chalcitis (utique si cocta est) flos æris, ærugo, auripigmentum, mysi, & id quo magis coctum.

Quæ crustas ulceribus resoluunt. Caput X.

Crustas uero has resoluit, farina triticea cum ruta, uel porro, aut lenticula, cui mellis aliquid adiectum est.

Quæ discutiant ea, quæ in aliqua parte corporis coierunt. Caput XI.

Ad discutienda uero ea, quæ in corporis parte aliqua coierunt, maxime possunt abrotanum, helenium, amaracus, alba uiola, mel, lilium, sampsucus, cyprius, lac, sertula campana, serpillũ, cupressus, cedrus, iris, uiola purpurea, narcissus, rosa, crocum, passum, iuncus quadratus, nardum, cinamomum, casia, ammoniacum, cera, resina, uua aminia, spuma argenti, styrax, ficus arida, tragoriganus, lini & narcissi semen, bitumen, sordes ex gymnasio, pyrites lapis aut molaris, crudus uitellus, amaræ nuces, sulphur.

Quæ euocant, & educunt. Caput XII.

Euocat & educit, ladanum, alumen rotundum, hebenus, lini semen, omphacium, fel, chalcitis, bdellium, resina terebinthina, & pinea, propolis, ficus arida decocta, stercus columbæ, pumex, farina lolij, grossi

in aqua

in aqua cocti, elaterium, lauri baccæ, nitrum, sal.

Quæ exasperata leuent. Cap. XIII.

Leuat id quod exasperatum est, spodium, hebenus, gummi, oui album, lac, tragacanthum.

Quæ carnem nutriunt, & ulcus implent. Cap. XIIII.

Carnem alit, & ulcus implet resina pinea, ochra actica, uel asterica, cera, butyrum.

Quæ molliunt. Cap. XV.

Molliunt, æs combustum, terra erethria, nitrum, papaueris lacryma, ammoniacum, bdellium, cera, seuum, adeps, oleum, ficus arida, sesamum, sertula campana, narcissi & radix, & semen, rosæ folia, coagulũ, uitellus crudus, amaræ nuces, medulla omnis, stibi, pix, chochlea cocta, cicutæ semen, plumbi recrementum (σκωρίαν μολύβδου Græci uocant) panacis, cardamomum, galbanum, resina, uua aminia, styrax, iris, balsamum, sordes ex gimasio, sulphur, butyrum, ruta.

Quæ cutem purgant. Cap. XVI.

Item cutem purgat mel, sed magis si est cum galla, uel eruo, uel lenticula, uel marrubio, uel iride, uel ruta, uel nitro, uel ærugine.

De mixturis simplicium rerum, & de ratione ponderum, & quid malagma, & emplastrum, & pastillus, inter se differant. Cap. XVII.

Expositis simplicibus facultatibus, dicendum est, quemadmodum misceantur, quæ ex his fiant. Miscentur autem uarie, neque huius ullus modus est, cùm ex simplicibus alia demantur, alia adijciantur; iisdemque seruatis, ponderum ratio mutetur. Ita cùm facultatum materia non ita multiplex sit, innumerabilia mixturarum genera sunt; quæ comprehendi si possent, tamen esset superuacuum. Nam & ijdem affectus intra paucas compositiones sunt; & mutare eas, cuilibet (cognitis facultatibus) facile est. Itaque contentus his ero, quas accepi uelut nobilissimas. In hoc autem uolumine eas explicabo, quæ uel desiderari in prioribus potuerunt; uel ad eas curationes pertinent, quas protinus hîc comprehendam; sic, ut tamen quę magis communia sunt, simul iungam. Si qua singulis, uel etiam paruis accommodata sunt, in ipsorum locum differam. Sed & antea sciri uolo, in uncia pondus denariorum septem esse. Vnius deinde denarij pondus, diuidi a me in sex partes, idest, sex uncias, ut idem in uncia denarij habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum, paulò plus dimidio scrupulo facit. Malagmata uerò, atque emplastra, pastillique (quos τροχίσκους Græci uocant) cùm plurima eadem habeant, differunt eo, quòd malagmata maximè ex floribus, eorumque etiam surculis; Emplastra, pastillique, magis ex quibusdam metallicis fiunt. deinde malagmata cõtusa, abundè mollescunt: nam super integram cutem inijciuntur. Laboriosè uerò conteruntur ea, ex quibus emplastra pastillique fiunt, ne lædant uulnera, cùm imposita sunt. Inter emplastrum autem & pastillum, hoc interest, quòd emplastrum, utique liquati aliquid accipit. in pastillo, tantum arida medicamenta aliquo humore iunguntur. Tum emplastrum hoc modo fit: arida medicamenta per se teruntur. deinde mixtis his, instillatur aut acetum, aut si quis alius non pinguis humor accessurus est: & ea rursus ex eo teruntur. Ea uerò, quæ liquari possunt, ad ignem simul liquantur; & si quid olei misceri debet, tum infunditur. Interdum etiam aridum aliquod ex oleo priùs coquitur. Vbi facta sunt, quæ seperatim fieri debuerunt, in unum omnia miscentur. At pastilli hæc ratio est: Arida medicamenta contrita humore non pingui, aut uino, uel aceto coquuntur, & rursus cocta inarescunt. Atque ubi utendum est, eiusdem generis humore diluuntur. Tum emplastrum imponitur. pastillis illinitur, aut alicui molliori, aut cerato miscetur.

De malagmatis. Cap. XVIII.

Malagma aduersum calidas podagras.

His cognitis, primùm malagmata subijciam; quæ ferè non sunt refrigerandi, sed calefaciendi causa reperta. Est tamen quod refrigerare possit, ad calidas podagras aptum. Habet gallæ & immaturæ, & alterius, coriandri seminis, cicutę, lacrymę aridę, gummi, singulorum plenum acetabulũ; cerati eloti (quod πεπλυμένον Græci uocant) selibram. Reliqua ferè calefaciunt: Sed quædam digerunt materiam, quędam extrahunt (quę ἐπισπαστικὰ uocantur) pleraque certis magis partibus membrorum accomodata sunt.

Malagma ad materiam extrahendam.

Si materia extrahenda est, ut in hydropico, in lateris dolore, in incipiente abscessu, in suppuratione quoque mediocri; aptum est id, quod habet resinæ aridæ, nitri, ammoniaci, galbani, singulorum pondo; ceræ pondo. Aut in quo hæc sunt; æruginis rasæ, thuris, singulorum P. ✳ ammoniaci salis P. VI. squamæ æris, ceræ, singulorum P. VIII. resinæ aridæ P. VII. aceti cyathus. Idem præstat cumini farina cum struthio, & melle P. II.

Malagma ad iecur dolens.

Si iecur dolet, id in quo est balsami lachrymæ P. XII. costi, cinnamomi, casiæ, corticis myrræ, croci, iunci rotundi, balsami, seminis iridis Illyricæ, cardamomi, amomi, nardi, singulorum P. XVI. quibus adijcitur nardinum unguentum, donec cærati crassitudo sit. & huius quidem recentis usus est. Si uero seruandum est, resinæ terebinthinæ P. XVI. ceræ P. X. ex uino leni contunduntur, tum eo miscentur.

Malagma ad lienem.

At si lienis torquet, glandis (quam βάλανον græci uocant) cortex, & nitrum, paribus portionibus contunduntur, resperguntúrque aceto quàm acerrimo. Vbi cærati crassitudinem habet, linteo antea in aqua frigida madefacto, illinitur, & sic imponitur; supraque farina hordacea inijcitur. sed manere ibi nō amplius sex horis debet, ne lienem consumat: satiusque est id bis, aut ter fieri. Communem autem, & iocineri, & lieni, & abscessibus, & strumæ, parotidibus, articulis, calcibus quoque suppurantibus, aut aliter dolentibus, etiam concoctioni uentris, Lysias composuit ex hyssopi, panacis, styracis, galbani, resinę, singulorum P. II. ammoniaci, bdellij, ceræ, seui taurini, iridis aridę P. IIII. cachrios acetabulo, piperis granis quadraginta, quę contrita, irino unguento temperantur.

Malagma ad laterum dolores.

Ad laterum autem dolores, compositio est Apollophanis; in qua sunt, resinæ terebinthinæ, turis fuliginis, singulorum P. IIII. bdellij, ammoniaci, iridis, seui uitulini, aut caprini à renibus sicci singulorum P. IIII. Hæc aut eadem, omnem dolorem leuant, dura emolliunt, mediocriter calefaciunt. Ad idem latus Andreæ quoque malagma est, quod etiam resoluit, educit humorem, pus maturat; ubi id maturum est, cutem rumpit, ad cicatricem perducit. prodest impositum minutis, maioribusque abscessibus, item articulis, ideoque & coxis, & pedibus dolentibus. itē si quid in corpore collisum est, reficit; præcordia quoque dura & inflata emollit, ossa extrahit. ad omnia denique ualet, quæ adiuuare calor potest. id habet ceræ P. I. uisci, sycamini (quam aliàs sycomorum uocant) lacrymæ, singulorum P. XI. piperis & rotundi, & longi, ammoniaci thimiamatis, bdellij, iridis Illyricæ, cardamomi, amomi, xylobalsami, thuris masculi, myrræ, resinæ aridæ, singulorum P. X. pyrethri, cocci gnidij, spumæ nitri, salis ammoniaci, aristolochiæ creticæ, radicis ex cucumere agresti, resinæ terebinthinæ liquidæ, singulorum P. XX. quibus adijcitur unguenti irini quantum satis est ad ea mollienda, atque cogenda.

Malagmata ad resoluenda quæ astricta sunt, & mollienda quæ dura sunt, & digerenda quæ coëunt.

Præcipuum uerò est ad resoluēda quæ astricta sunt, mollienda quæ dura sunt, digerēda quæ coëunt, id quod ad Polyarchum auctorem refertur. habet iunci quadrati, cardamomi, thuris fuliginis, amomi, ceræ, resinæ liquidæ pares portiones.

Aliud malagma ad eadem.

Aliud ad eadem, Nilei: crocomagmatis (quod quasi recrementum eius est) P. ✳ IIII. ammoniaci thymiamatis, ceræ, singulorū P. ✳ XX. ex quibus duo priora, ex aceto teruntur; cera cum rosa liquatur, & tum omnia iunguntur.

Malagma moschi, ad molliendum.

Propriè etiam dura mollit id, quod Moschi esse dicitur. habet galbani unciam, thuris fuliginis P. Z. cerę, ammoniaci thymmiamatis trientes, picis aridæ P. ✳ II. aceti heminas tres.

Malagna Medi, ad digerenda quæ coëunt.

Fertur etiam ad digerenda quę coeunt, sub auctore Medo, quod habet ceræ P. Z. panacis P. semis, squamæ æris, aluminis rotundi, item scissilis, singulorum P. Z. plumbi combusti P. I. & semis.

Malagma Panthemi ad eadem.

Ad eadem, Panthemus utebatur calcis P. semis, sinapis contriti, item fœni græci, aluminis, singulorũ P. I. seui bubuli P. II. & semis.

Malagma ad strumas.

Ad strumam multa malagmata inuenio. Credo autem, quo peius id malum est, minusque facile discutitur, eò plura esse tentata, quæ in personis uariè responderunt. Andreas auctor est, ut hæc misceantur, urticæ seminis P. ✱ I. piperis rotundi, bdellii, galbani, ammoniaci thymiamatis, resinæ aridæ, singulorũ P. ✱ IIII. resinę liquidæ, ceræ, pyrethri, piperis longi, lactucæ marinæ seminis, sulphuris ignem non experti (quod ἄπυρον uocatur) fęcis aridæ, aceti, spumæ nitri, salis ammoniaci, sinapis, cardamomi, radicis ex cucumeri siluestri, resinæ, singulorum P. ✱ V. Quæ ex leni uino contunduntur.

Aliud malagma ad id ualens.

Expeditius ad idem fit, quod habet uisci, semen, stercoris, resinæ, sulphuris ignem non experti pares portiones. Et in quo est sulphuris P. ✱ I. lapidis, quem πυρίτην uocant, P. ✱ IIII. cumini acetabulum. Item in quo est lapidis eiusdem pars una, sulphuris duę partes, resinę terebinthinę partes tres.

Malagma ad strumam, & phymata.

Arabis autem cuiusdam est ad strumam, & orientia tubercula (quę φύματα uocantur) quod hęc digerit. Habet myrrhę, salis ammoniaci, thuris, resinę & liquidę, & aridę, crocomagmatis, cerę, singulorum P. ✱ I. lapidis eius, quem πυρίτην uocant, P. ✱ IIII. quibus quidem adijciunt sulphuris P. II.

Malagma ad strumam, & tubera, & carcinodas.

Est etiã proficiens in struma, & in his tuberibus, quę difficiliter concoquuntur, & in his, quę χαρκώδεα uocantur, quod ex his constat. sulphuris P. ✱ II. nitri P. ✱ IIII. myrrę P. ✱ VI. fuliginis thuris P. semis, salis ammoniaci P. Z. cerę P. I.

Malagma protarchi ad parotidas, & fauum, & mala ulcera.

Protarchus autem ad parotidas, eaque tubercula, quę μελικηρίδας, id est fauũ uel φύματα nominantur, item mala ulcera, pumicis, resinę pineę liquidæ, thuris fuliginis, spumæ nitri, iridis, singulorum P. ✱ VIII. cum ceræ P. ✱ VIIII. miscebat, hisque olei cyathum, & dimidium adijciebat.

Malagma aduersus panum, & phymata.

At aduersus panum tum primum orientem (quod φύγεθλον greci uocant) & omne tuberculum (quod φῦμα nominatur) miscetur ochra, quę attice nominatur, cum duabus partibus similę: hisque contunditur: subinde mel instillatur, donec malagmatis crassitudo sit.

Malagma aduersus phymata.

Discutit etiam omne tuberculum (quod φῦμα uocatur) id quod habet calcis, nitri spumę, piperis rotundi, singulorum P. ✱ I. galbani P. ✱ II. salis P. ✱ IIII. quę excipiuntur cerato ex rosa facto.

Malagma ad supprimendum omne quod abscedit.

Supprimitque omne quod abscedit, id, in quo est galbani, fabę fresę, singulorum P. ✱ I. myrræ, thuris, ex radice capparis corticis, singulorum P. ✱ IIII. Satisque omnia abscedentia digerit murex combustus, & bene contritus, aceto subinde adiecto.

Malagma ad sanguinem supprimendum, & phymata.

At si satis sanguis subit, rectè imponitur, quod aduersus φύματα quoque potest: Constat ex his: bdellii, styracis, ammoniaci, galbani, resinę & aridę, & liquidę pineę: Item ex lentisci, thuris, iridis, singulorum P. ✱ II.

Malagma ad carcinodas, & phymata lenienda.

καρκινώδη uero, & φύματα commode his leniuntur; galbani, uisci, ammoniaci, resinæ terebinthinæ in singulis P. ✱ I. seui taurini P. semis, fecis cōbustæ quàm maxima portione, dum id siccius non faciat, quàm esse malagma oportet.

Malagma ad liuorem faciei contusæ.

Quòd si facie contusa, liuor subcruentus est, hæc compositio nocte, & die imposita, tollit. Aristolochiæ, thapsiæ, singulorū P. ✱ I I. bdellij, styracis, ammoniaci, thymiamatis, galbani, resinæ aridæ, & ex lentisco liquidæ, thuris masculi, iridis Illyricæ, ceræ singulorū P. ✱ IIII. Idē faba quoque imposita proficit.

Malagmata stomachica ad aperiendum.

Sunt etiam quædam malagmata, quæ στομωτικὰ græci uocant, quoniam aperiendi uim habent. Quale est, quod ex his cōstat. piperis longi, spumæ nitri, singulorum P. ✱ II. erisimi P. ✱ IIII. Quæ cū melle miscentur: Idoneaque etiam strumæ aperiendæ sunt eius generis. Vehementiusque ex his est id, quod habet calcis P. ✱ IIII. piperis grana sex, nitri, ceræ, singulorum P. ✱ X. mellis P. Z. olei heminam.

Niconis malagma, ad resoluendum, aperiendumq;, ac purgandum.

Niconis quoque est, quod resoluit, aperit, purgat. Habet alcyonium, sulphur, nitrum, pumicem, paribus portionibus; quibus tantum picis, & ceræ adijcitur, ut fiat cerati crassitudo.

Malagma ad ossa, & neruos.

Ad ossa autem, Aristogenis, fit ex his. Sulphuris P. ✱ I. resinæ terebinthinæ, nitri spumæ, & ex scylla partis interioris, plumbi eloti, singulorum P. ✱ II. thuris fuliginis P. ✱ VIII. ficus aridæ quàm pinguissimæ, seui taurini, singulorum P. ✱ VIII. ceræ P. ✱ XI. iridis macedonicæ P. ✱ VI. sesami fricti acetabulum. maximeque neruis, & articulis malagma conuenit.

Malagma Euthyclei, ad articulos, & ad omnem dolorem.

Igitur Euthyclei est, & ad articulos, & ad omnem dolorem, & ad uesicæ, & ad recenti cicatrice contractos articulos (quas ἀγκύλας græci nominant) quod habet fuliginis thuris acetabulum, resinæ tantundē, galbani sine surculis sescunciam, ammoniaci, bdellij, singulorū P. ✱ III. ceræ P. semis. Aliud itē fit, quod habet iridis, ammoniaci, galbani, nitri singulorū P. ✱ XIIII. resinæ liquidæ P. ✱ VI. ceræ P. ✱ XVI.

Malagma Sasogoræ, ad dolores articulorum.

Ad dolores articulorum, Sasogoræ, plumbi combusti, papaueris lachrymæ, corticis hyoscyami, styracis, peucedani, seui, resinæ, ceræ pares portiones.

Chrysippi malagma, ad idem ualens.

Chrysippi, resinæ liquidæ, sandaracæ, piperis, singulorum P. ✱ XII. quibus ceræ paulum adijcitur.

Clesipontis malagma, ad idem ualens, & ad parotidas, & phymata, & strumam.

Clesypontis, ceræ creticæ, resinæ terebinthinæ, nitri quàm ruberrimi, singulorum P. semis, olei cyathi tres. sed id nitrum antè per triduum instillata aqua teritur, & cū sextario eius incoquitur, donec omnis humor consumatur. Potest uerò ea compositio etiam ad parotidas, phymata, strumam, omnemque coitū humoris emolliendum.

Malagma ad articulos.

Ad articulos, fici quoque aridi partem nepetæ mixtam, uel uuam taminiam sine seminibus, cum puleio rectè aliquis imponit.

Malagma Aristonis, aduersus podagras, & recentia phymata, & omnis dolores.

Eadem podagræ præsidia sunt. Sed ad eam fit Aristonis quoque, quod habet nardi, cinnamomi, casiæ, chameleontis,

siæ, chameleontis, iunci rotundi, singulorum P. ✳ VIII. seui caprini ex irino liquati P. ✳ XX. iridis P. ✳ I. quæ in aceto quàm acerrimo iacere per uiginti dies debet. Idem autem etiam recentia phymata, doloresque omnes discutit.

Theonis malagma ad pedum dolores.

At Theonus ad pedum dolores, seui à renibus partem tertiã, salis partes duas miscebat, hisque membranulam illitam imponebat; tum super inijciebat ammoniacum thymiama in aceto liquatum.

Numenij malagma ad podagram, cæterósque articulos induratos.

At Numenius, podagram, cæterosque articulos induratos, hoc molliebat. abrotani, rosæ aridæ, papaueris lachrymæ, singulorum P. ✳ III. resinæ terebinthinę P. ✳ IIII. thuris, spumæ nitri, singulorum P. ✳ VIII. iridis, aristolochię, singulorũ P. ✳ XII. ceræ P. ✳ III. quibus adijcitur cedri cyathus unus, olei lauri cyathi tres, olei acerbi sextarius.

Dexij malagma, si quando callus in articulis increuit.

Si quando autem in articulis callus increuit, Dexius docuit imponere calcis P. ✳ IIII. cerussæ P. ✳ VIII. resinæ pineæ P. ✳ XX. piperis grana XXX. ceræ P. Z. Quibus, dum contunduntur, hemina uini lenis instillatur.

De emplastris. *Cap.* *XIX.*

Ex emplastris autem nulla maiorem usum prȩstant, quàm quȩ cruentis protinus uulneribus inijciuntur; ἔναιμα grȩci uocant. Hęc enim reprimunt inflammationem (nisi magna uis eam cogit) atque illius quoque impetum minuunt; tum glutinant uulnera, quę id patiuntur, cicatricem hisdem inducunt. Constant autem ex medicamentis non pinguibus; ideoque ἀλιπῆ nominantur.

Barbarum emplastrum nigrum, quod cruentis protinus uulneribus inijcitur.

Optimum ex his est, quod barbarũ uocatur. Habet ęruginis rasę P. ✳ XII. spumę argenti P. ✳ XX. aluminis, picis aridę, resinę pineę aridę, singulorũ P. ✳ I. quibus adijciuntur olei, & aceti singulę heminę.

Choacon emplastrum nigrum ad idem ualens.

Alterum ad idem, quod χοακὸν uocant, habet spumę argenti P. ✳ C. resinę aridę tantundẽ. Sed spuma prius ex tribus olei heminis coquitur. His duobus emplastris, color niger est; qui ferè talis fit, ex pice, atque resina. At ex bitumine, nigerrimus. ex ęrugine, aut ęris squama uiridis. ex minio rubet. ex cerussa albus.

Basilicon emplastrum nigrum ad idem.

Paucę admodum compositiones sunt, in quibus aliquid mixturę uarietas nouat. Ergo id quoque nigrum est, quod βασιλικὸν nominatur. Habet panacis P. ✳ I. galbani P. ✳ II. picis, & resinę, singulorum P. ✳ X. olei dimidium cyathum.

Smaragdinum emplastrum, ad idem.

At quod peruiride est, smaragdinum appellatur. in quo sunt resinę pineę P. ✳ III. cerę P. ✳ I. ęruginis P. Semis, turis fuliginis P. Z. olei tantundem, aceti, quo fuligo, & ęrugo in unum cogantur.

Emplastrum ruffum, ad idem.

Est etiam coloris ferè ruffi, quod celeriter ad cicatricem uulnera perducere uidetur. Habet thuris P. ✳ I. resinę P. ✳ II. squamę ęris P. ✳ IIII. spumę argenti P. ✳ XX. cerę P. ✳ C. olei heminam.

Paracolleticum emplastrum, ad idem.

Prȩterea est, quam παρακολλητικὸν à glutinando, uocant. Constat ex his. bituminis, aluminis scissilis P. ✳ IIII. spumę argenti P. ✳ XL. & olei ueteris hemina.

Cephalicum emplastrum Philotæ capiti conueniens.

Præterea sunt quædam generis eiusdem, quæ, quia capitibus fractis maxime conueniunt, κεφαλικὰ græcis nominantur. philotæ compositio habet, terrę erythreę, chalcitidis, singulorum P. * IIII. myrrhe, æris combusti P. * X. icthyocollę, singulorum P. * VI. æruginis rasæ, aluminis rotundi, mysi crudi, aristolochiæ, singulorum P. * VIII. squamæ æris P. * X. thuris masculi P. * II. cerę P. I. rosæ, & olei acerbi ternos cyathos, aceti quantum satis est, dum arida ex eo conteruntur.

Emplastrum uiride, ad idem ualens.

Aliud ad idem, uiride. æris combusti, squamæ æris, myrrhæ, icthyocollæ, singulorum P. * VI. mysi crudi, ęruginis rasę, aristolochię, aluminis rotundi, singulorum P. * VIII. cerę P. * I. olei hemina, aceti quod satis sit.

τετραφάρμακον emplastrum, ad pus mouendum.

Puri autem mouendo non aliud melius, quàm quod expeditissimum est. τετραφάρμακον à gręcis nominatur. habet pares portiones cerę, picis, resinæ, seui taurini; si id non est, uitulini.

Enneapharmacum emplastrum, ad pus mouendum, & ad purgandum ualens.

Alterum ad idem, ἐνεαφάρμακον nominatur, quod magis purgat. constat ex nouem rebus; cera, melle, seuo, resina, myrrha, rosa, medulla uel ceruina, uel uitulina, uel bubula, hysopo, butyro. Quorum ipsorum quoque pondera paria miscentur. Sunt autem quędam emplastra, quibus utriusque rei facultas est: quę si singula habenda sunt, meliora sunt. Sed in copia reiicienda sunt, his potius adhibitis, quę propriè id, quod eo tempore opus est, consequuntur. Exempli causa duo proponam.

Attalum emplastrum, ad uulnera.

Est igitur ad uulnera, attalum, quod habet squamę ęris P. * VI. fuliginis P. * XV. ammoniaci tantundem, resinę terebinthinę liquidę P. * XXV. seui taurini tantundem, aceti heminas tres, olei sextarium.

Iudæi emplastrum, fracto capiti accomodatum.

At inter ea, quę fracto capiti accomodantur, habet quidam id, quod ad auctorem Iudeum refertur. Constat ex his: salis P. * IIII. squamę ęris rubri, ęris combusti, singulorum P. * XII. ammoniaci thymiamatis, thuris fuliginis, resinę aridę, singulorum P. * VI. resinę colophoniacę, cerę, seui uitulini curati, singulorum P. * XX. aceti sesquicyathum, olei minus cyathum. τεθεραπευμένα græci appellant, quę curata uocant, cùm ex seuo puta, omnes membranulę diligenter exemptę sunt, aut ex alio medicamento.

Diadaphnidon emplastrum, ad extrahendum.

Sunt etiam quędam emplastra nobilia ad extrahendum: quę ipsa quoque ἐπισπαστικὰ nominatur. Quale est, quod (quia lauri baccas habet) διαδαφνίδων appellatur. in eo est, resinę terebinthinę P. * X. nitri, cerę, picis aridę, baccarum lauri, singulorum P. * XX. olei paulum. Quotiens aut baccam, aut nucem, aut simile aliquid posuero, scire oportebit, antequam expendatur, ei summam pelliculam esse demendam.

Aliud διαδαφνίδων, ad extrahendum, & pus mouendum.

Aliud eo nomine, quod puri quoque mouendo est; seui uitulini, ammoniaci thymiamatis, picis, cerę, nitri, baccarum lauri, resinę aridę, aristolochię, pyrethri pares portiones.

Philocratis emplastrum, ad extrahendum, & pus mouendum.

Preter has, est philocratis, quod habet salis ammoniaci P. * VII. aristolochię P. * VIII. cerę, resinę terebinthinę, fuliginis thuris, singulorum P. * XV. spumę argenti P. * XXXII. Quibus, ut pus quoque moueant, iridis P. * IIII. & galbani P. * VI. adijciuntur.

ῥυπώδες emplastrum, ad extrahendum.

Optimum tamen ad extrahendum est id, quod à similitudine sordium ῥυπώδες græci appellant. Habet

Habet myrrhæ, croci, iridis, propolis, bdellii, capitulorum punici mali, aluminis & scissilis, & rotundi, mysi, chalcitis, atramenti sutorij cocti, panacis, salis ammoniaci, uisci, singulorum P. ✱ IIII. aristolochiæ P. ✱ VIII. squamę æris P. ✱ XVI. resinę terebinthinę P. ✱ LXXV. cerę, & seui uel taurini, uel hircini P. ✱ C.

Emplastrum Hecatei ad extrahendum.

Hecateo quoque auctore, emplastrum generis eiusdem fit ex his: galbani P. ✱ II. fuliginis thuris P. ✱ IIII. picis P. XVI. cerę, & resinę terebinthinę, singulorum ✱ VIII. quibus pauum irini unguenti miscetur.

Alexandrinum emplastrum uiride, ad extrahendum.

Valensque ad idem, emplastrum uiride alexandrinum est. Habet aluminis scissilis P. ✱ VIII. salis ammoniaci P. ✱ VIII. Z. squamę ęris P. ✱ XVI. myrrhę, thuris, singulorum P. ✱ XVIII. cerę P. ✱. CL. resinę colophaniacę, aut pineę P. ✱ CC. olei heminam, aceti sextarium.

De emplastris exedentibus.

Quędam autem sunt emplastra exedentia, quę σηπτὰ gręci uocant; quale est id, quod habet resinę terebinthinę, fuliginis thuris, singulorum P. Z. squamę ęris P. ✱ I. ladani P. ✱ II. aluminis tantundem, spumę argenti P. ✱ IIII.

Emplastrum quod exest corpus, & ossa resoluit, & supercrescentem carnem coercet.

Exest etiam uehementer corpus, atque ossa quoque resoluit, & supercrescentem carnem coercet id, quod habet spumę argenti, squamę ęris uncias singulas, nitri ignem non experti, lapidis asij, aristolochię P. sextantes, cerę, resinę terebinthinę, thuris, olei ueteris, atramenti sutorij, salis ammoniaci P. semis, ęruginis rasę P. bessem, aceti scyllitici heminam, uini aminei tantundem.

Emplastra aduersus morsus, & alia recentiora uulnera.

Sunt etiā aduersus morsus quedā accomodata; quale est Diogenis nigrum; quod habet bituminis, ceræ, resinæ pineæ aridæ, singulorū P. ✱ XX. spumæ argenti P. ✱ C. olei sextarium. Aut in quo sunt squamæ æris P. ✱ XIIII. cerussæ, & æruginis passæ, singulorum P. ✱ VIII. ammoniaci P. ✱ XII. ceræ, resinæ pineæ, singulorum P. ✱ XXV. spumæ argenti P. ✱ XC. olei sextarium. Aut in quo sunt squamæ æris P. ✱ XIIII. galbani P. ✱ VI. cerussæ, & æruginis rasæ, singulorum P. ✱ XLV. spuma argenti concoquitur.

ἔμφιον emplastrum rubrum, ad idem ualens.

Rubrum quoque emplastrum, quod ἔμφιον uocatur, huc aptum est. Habet resinæ terebinthinæ P. ✱ II. galbani P. ✱ IIII. mysij sinopici P. ✱ VI. thuris fuliginis P. ✱ XI. ceræ P. ✱ VIII. spumæ argenti P. ✱ LVI. olei ueteris heminam.

Aliud emplastrum, ad idem ualens.

Item id quod ex his constat: squamæ æris, thuris fuliginis, singulorum P. ✱ IIII. galbani P. ✱ VI. salis ammoniaci P. ✱ XII. Z. ceræ P. ✱ XXV. olei tribus heminis. Hęc autem alijs quoque recentioribus uulneribus rectę imponuntur.

λευκὰ emplastra, non grauibus uulneribus accommodata, & maxime senilibus.

Sunt enim alba lenia (λευκὰ gręci uocant) fere non grauibus uulneribus accommodata, pręcipueque senilibus. Quale est, quod habet cerussæ P. ✱ XXXII. seui uitulini curati, & ceræ, singulorum P. ✱ LVIII. olei heminas tres, ex quibus ea cerussa coquitur.

Elephantinum emplastrum.

Aliud, quod habent cerussæ P. ✱ XX. ceræ P. ✱ XXXV. olei heminam, aquæ sextarium. Quę quotiens adijciuntur cerussæ, uel spumæ argenti, scire licet, illa ex his coquenda esse. Est autem ea percandida compositio, quæ suprà posita est; ideoque elephantina nominatur.

Lenia emplastra.

Lenia quoque quędam emplastra sunt, quas λιπαρὰς fere Greci nominant; ut id, quod habet minij P. ⚹ IIII. spumę argenti P. ⚹ XXV. cerę & adipis suillę, singulorum P. ⚹ XXVII. uitellos quatuor.

Emplastrum lene.

Alia compositio generis eiusdem; cerę, resinæ terebinthinę, singulorum P. ⚹ VI. cerussę P. ⚹ VIII. spumę argenti, plumbi recrementi (σκωρίαν μολύβδου Greci uocant) singulorum P. ⚹ XX. cicini olei & myrti, singulorum heminę.

Archagathi emplastrum lene.

Tertia, quę ad auctorem Archagathum refertur; mysi cocti, ęris combusti, singulorum P. ⚹ IIII. cerussę coctę P. ⚹ VIII. resinę terebinthinę P. ⚹ X. spumę argenti P. ⚹ VI.

Emplastra eiusdem generis, ad leniendum apta.

Etiam num spumę argenti, cerę, adipis suillę, singulorum P. ⚹ XXVII. uitelli cocti quatuor, rosę hemina. Aut cerati ex oleo myrteo facti partes tres, adipis suillę pars quarta, paulum ex plumbi recremento. Aut spumę argenti selibra, ex olei hemina, & aquę marinę altera, cocta, donec bullire desierit; cui paulum cerę sit adiectum. Aut pares portiones cerę, seui, stibi, spumę argenti, cerussę.

De pastillis, & primo de his, qui ad recentia uulnera glutinanda, sanandaq; apti sunt. Cap. XX.

Pastilli quoque facultates diuersas habent: Sunt enim ad recentia uulnera glutinanda, sanandaque apti. Qualis est, qui habet chalcitis, mysi, spumę nitri, floris ęris, gallę, aluminis scissilis modice cocti, singulorum P. ⚹ I. ęris combusti, capitulorum mali punici, singulorum P. ⚹ III. Hunc oportet diluere aceto; sic, ubi uulnus glutinandum est, illinere. At si neruosus aut musculosus is locus est, commodius est, cerato miscere; sic, ut illius octo partes, nona huius sit.

Alius pastillus ad glutinanda uulnera.

Alius ad idem, constat ex his; bituminis, aluminis scissilis, singulorum P. ⚹ I. ęris combusti P. ⚹ IIII. spumę argenti P. ⚹ XI. olei sextarium.

De sphragide, pastillo, quem Polybus confecit, ad glutinandum uulnus.

Sed longe polybi celeberrimus est (σφραγὶς autem nominatur) qui habet aluminis scissilis P. ⚹ I. Z. atramenti sutorij P. ⚹ II. myrrhę P. ⚹ V. aloes tantundem, capitulorum punici mali, fellis taurini, singulorum P. ⚹ VI. Quę contrita, uino austero excipiuntur.

Pastillus ad ulcera sordida, & nigritiem in auribus, naribus, obscenis partibus; inflammationesq; eorum.

Ad ulcera sordida & nigritiem in auribus, naribus, obscenis partibus, inflammationesque eorum; chrysocollę P. ⚹ I. atramenti sutorij, aluminis scissilis, singulorum P. ⚹ II. halicacabi corticis P. ⚹ IIII. minij P. ⚹ VI. spumę argenti P. ⚹ XII. cerussę P. ⚹ XVI. Quę ex aceto & coguntur, & ubi utendum est, diluuntur.

Pastillus Andronis, ad uuam inflammatam, ad naturalia sordida, etiam cancro laborantia.

Andronis uero est ad uuam inflammatam, ad naturalia sordida etiam cancro laborantia; gallę, atramenti sutorij, myrrhę, singulorum P. ⚹ II. aristolochię, aluminis scissilis, singulorum P. ⚹ II. capitula punici mali P. ⚹ XXV. ex passo coacta, & cum usus exigit, aceto, uel uino diluta, prout ualentius, aut lenius uitium est, cui medendum est.

Pastillus ad fissa ani, uel ora uenarum fundentia sanguinem, uel cancrum.

Proprie autem ad ani fissa, uel ora uenarum fundentia sanguinem, uel cancrum; ęruginis P. ⚹ II. myrrhę

myrrhæ P. * XII. stibis, lachrymę papaueris, acaciæ, singulorum P. * XVI. Quæ ex uino & teruntur, & in ipso usu deliquantur.

Pastillus ad expellendum calculum cum urina.

Expellere autem ex uesica cũ urina calculũ uidetur hæc compositio: casiæ, croci, myrrhæ, costi, nardi, cinnamomi, dulcis radicis, balsami, hyperici, pares portiones conteruntur: deinde uinum lene instillatur, & pastilli fiunt, qui singuli habeant P. * Z. hique singuli quotidie manè ieiuno dantur.

De pessis. Caput XXI.

Hæc tria compositionum genera, id est, quæ in malagmatis, pastillis, emplastrisque sunt, maximũ, præcipueque uarium usum præstant. Sed alia quoque utilia sunt: ut ea quæ fœminis subijciuntur (πεσσοὺς græci uocant) Eorum hæc proprietas est: Medicamenta composita, molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur.

Ad sanguinem euocandum.

Ad sanguinem autem euocandum, canneis duabus adijcitur nitri P. * II. aut allij semen conteritur, adijcitur myrrhæ paululum, & unguento susino miscetur: aut cucumeris siluestris pars interior ex lacte muliebri diluitur.

Ad uuluam molliendam.

Ad uuluam molliendam, oui uitellus, & fœnum græcum, & rosa, & crocum temperantur. Aut elaterij P. * Z. salis tantundem, uuæ taminiæ P. * VI. melle excipiuntur.

Alia pessi compositio, ad idem ualens.

Aut Boëtho auctore, croci, resinæ terebinthinæ, singulorum P. * IIII. myrrhæ P. XZZ. rosæ P. * I. seui uitulini P. * Z. ceræ P. * II. miscentur.

AD inflammationes uuluæ, Numenij Pessus.

Optima autem aduersus inflãmationes uuluæ, Numenij cõpositio est: quæ habet croci P. * Z. ceræ P. * I. butyri P. * VIII. adipis anserinæ P. * XII. uitellos coctos duos, rosæ minus cyatho.

Ad eyciendum è uulua infantem mortuum.

Si uero infans intus decessit: quò faciliùs eijciatur, malicoriũ ex aqua terendum: eoque utendũ est.

Si mulier uitio locorum concidit, qua curatione utendum sit.

Si concidere uitio locorum mulier solet, cochleæ cum testis suis comburendæ, conterendæque: deinde his mel adijciendum est. Si non comprehendit, adeps leonina ex rosa mollienda est.

De medicamentis, quibus aridis utimur, ad carnem supercrescentem exedendam. Caput XXII.

Quædam autem mixturæ medicamentorũ sunt, quibus aridis, neque coactis utimur, sic, ut inspergamus: aut cum aliquo liquido mixta illinamus. quale est ad carnem supercrescentem exedendã, quod habet squamæ, fuliginis thuris, singulorum P. * I. æruginis P. * II. Hæc autem eadem cum melle purgant ulcera: cum cera implent. Mysi quoque, & galla, si paribus portionibus misceantur, corpus consumunt: eaque uel arida inspergere licet: uel excepta, cadmia illinere.

Ad putrem carnem continendam, ne ultrà serpat, eamq; leniter exedendam, plures compositiones.

Putrem uerò carnem continet, neque ultrà serpere patitur, & leniter exedit, mel, uel cum lenticula, uel cum marrubio, uel cum oleæ folijs ante ex uino decoctis. Item sertula campana in mulso cocta, deinde contrita: aut calx cum cerato: aut amaræ nuces cũ allio, sic, ut huius pars tertia sit, paulumque his croci adijciatur. aut quod habet spumæ argenti P. * VI. cornu bubuli combusti P. * XII. aluminis scissilis, thuris, singulorũ P. * IIII. gallæ P. * VIII. aristolochiæ P. * X. Vehementiùs idem facit etiam adurendo auripigmentũ cũ chalcitide, aut nitro, aut calce, aut charta cõbusta. Itẽ sal cũ aceto. Vel ea cõpositio, quæ habet chalcitidis, capitulorum punici mali, aloës, singulorum P. * II. aluminis scissilis, thuris, singulorum P. * IIII. gallæ P. * VIII. aristolochiæ P. * X. mellis quantum satis sit ad ea cogenda. Vel cantharides P. * I. sulphuris P. * I. lolij P. * III. Quibus adijciatur picis liquidæ quantum satis est. adiungendum uel chalcitis quoque cum resina, & ruta mixta. aut cum eadem resina, diphryges; aut uua aminia cum pice liquida. Idem uerò possunt fęces uini combustæ, & calcis, & nitri pares portiones, uel aluminis scissilis P. * ZZ. thuris, sandaracæ, nitri, singulorum P. * I. gallæ P. * VIII. aristolochiæ P. * X. mellis quantum satis est.

Hieræ compositio.

Est etiam hieræ compositio, quæ habet myrrhæ, chalcitidis, singulorum P. * II. aloës, thuris, aluminis scissilis, singulorum P. * IIII. Aristolochiæ, gallæ immaturæ, singulorum P. * VIII. malicorij contriti P. * X.

Iudæi compositio.

Est Iudæi, in qua sunt calcis partes duæ, nitri quàm ruberrimi pars tertia. quę urina impuberis pueri coguntur, donec strigmenti crassitudo fit. Sed subinde is locus, cui id illinitur, madefaciendus est.

Iolæ compositio.

At iolas, chartę combustę, sandaracę, singulorum P. ✱ I. calcis P. ✱ II. auripigmenti tantundem miscebat.

Ad sanguinis profluuia, uel ex membrana cerebri, uel alijs locis, & ad cancrum, & ad inducendam cicatricem, & ad coërcendam carnem crescentem.

Si uero ex mẽbrana, quę super cerebrum est, profluit sanguis, uitellus combustus & cõtritus inspergi debet. Si alio loco sanguinis profluuium est, auripigmenti, squamę ęris, singulorum P. ✱ I. sandaracę P. II. marmoris cocti P. ✱ IIII inspergi debet. Eadem cancro quoque obsistunt. Ad inducendam cicatricem, squamę ęris, thuris fuliginis, singulorum P. ✱ II. calcis P. p. IIII. Eadem increscentem quoque carnem coercent.

Timæi compositio ad ignem sacrum, uel cancrum.

Timęus autem, ad ignem sacrum, uel ad cancrum, his utebatur: Myrrę P. ✱ II. thuris, atramenti sutorij, singulorum P. ✱ III. sandaracæ, auripigmenti, squamæ æris, singulorum P. ✱ IIII. gallæ P. ✱ VI. cęrussæ combustæ P. ✱ VIII. Eadem uel arida inspersa, uel melle excepta, idem præstant.

Ad sternutamenta excitandá.

Sternutamenta uero, uel albo ueratro, uel struthio coniecto in nares, excitantur, uel his mixtis: piperis, ueratri albi, singulorum P. ✱ Z. castorei P. ✱ spumæ nitri P. ✱ I. struthij P. ✱ III.

Gargarizationes quibus fieri debeant.

Gargarizationes autẽ, aut leuandi causa fiunt, aut reprimendi, aut euocandi. Leuant, lac, cremor uel ptisanæ, uel furfurum. Reprimit aqua, in qua uel lenticula, uel rosa, uel rubus, uel cotoneum malum, uel palmulæ decoctæ sunt. Euocant, sinapi, piper.

De antidotis, & quibus malis opitulentur. Caput XXIII.

Antidota raro, sed præcipue interdum necessaria sunt, quia grauissimis casibus opitulantur. Ea recte quidem dátur collisis corporibus, uel per ictus, uel ubi ex alto deciderunt; uel uiscerum, laterum, faucium, interiorumque partium doloribus. Maxime autem desiderãda sunt aduersus uenena, uel per morsus, uel per cibos, aut potiones nostris corporibus inserta.

Compositio antidoti.

Vnum est, quod habet lacrymę papaueris P. ✱ Z. acori, malobathri P. ✱ V. iridis Illyricæ, gummi, singulorum P. ✱ II. anesi P. ✱ III. nardi gallici, foliorum rosæ aridorum, cardamomi, singulorum P. p. IIII. petroselini P. p. IIII Z. folij P. p. V. casiæ nigræ, silis, bdellij, balsami, seminis piperis albi, singulorũ P. X Z. styracis P. V Z. myrrhæ, oppoponacis, nardi syri, thuris masculi, hypocistidis succi, singulorum P. ✱ VI. castorei P. X VI. costi, piperis albi, galbani, resinæ terebinthinæ, croci floris, iunci rotundi, singulorum P. VI Z. dulcis radicis P. p. VIII. Z. Quæ uel melle, uel passo excipiuntur.

Aliud antidotum, Ambrosia nominatum, quod Zopyrus Ptolemæo regi composuit.

Alterum, quod Zopyrus regi Ptolemæo dicitur composuisse, atque Ambrosiam nominasse, ex his constat: Costi, thuris masculi, singulorum P. p. V. piperis albi P. p. Z. floris iunci rotundi P. I I. cynnamomi P. p. I I I. casiæ nigræ P. p. I I I I. croci cilicij P. p. I I I I. Z. myrrhę, quam stacten nominat, P. p. V. nardi indici P. p. V. Z. quæ singula contrita, melle cocto excipiuntur. Deinde, ubi utendum est, id quod ægyptiæ fabæ magnitudinem impleat, in potione uini diluitur.

Antidotum Mithridatis.

Nobilissimum autem est Mithridatis; quod quotidie sumendo, Rex ille dicitur aduersus uenenorũ pericula tutum corpus suum reddidisse. in quo hæc sunt; costi P. p. S. Z. acori P. p. V. hyperici, cumini, sagapeni, acaciæ succi, iridis illyricæ, cardamomi, singulorum P. p. II. anesi P. p. I I I. nardi gallici, gentianæ radicis, aridorum rosæ foliorum, singulorum P. p. I I I I. papaueris lacrhymę, petroselini, singulorum P. p. I I I I. Z. casiæ, silis, lolij, piperis longi, singulorum P. ✱ V I. styracis p. V. Z castorei, thuris, hypocistidis succi, myrrhæ, opoponacis, singulorum p. V I. Z. malobathri folij ✱ V I. floris iunci rotundi, resinæ teribinthinæ, galbani, dauci cretici seminis, singulorum P. p. V I. Z. nardi, opobalsami, singulorum P. p. V I. Z. thlaspis P. ✱ V. Z Z. radicis ponticæ P. VII. croci, zinziberis, cynnamomi, singulorum P. ✱ VIII. r. Hæc contrita, melle excipiuntur: & aduersus uenenum, quod magnitudinẽ nucis græcæ impleat, ex uino datur. In cæteris autem affectibus corporis, pro modo eorum, uel quod ægyptiæ fabæ, uel quod Erui magnitudinem impleat, satis est.

De acopis. Caput XXIIII.

Acopa quoque utilia neruis sunt: quale est, quod habet floris iunci rotundi P. II. Z Z. costi, iunci quadrati, lauri baccarum, ammoniaci, cardamomi, singulorum P. p. IIII. Z. myrrhæ, æris combusti, singulorum P. p. VII. iridis Illiricę, ceræ, singulorum P. p. XIIII. alexandrini calami, iunci rotundi, aspalathi, xylobalsami, singulorum P. ✱ VIII. seui P. I. unguenti irini cyathum.

Acopum εὐώδες, neruis utile.

Alterum, quod εὐώδες uocant, hoc modo fit: cerę P. Z. olei tantundem, resinę terebinthinę ad nucis

cis iuglandis magnitudinem, simul incoquuntur: deinde infusa in mortario teruntur, instillaturque subinde quàm optimi mellis acetabulum: tum irini unguenti, & rosæ terni cyathi.

Ἔγχυσις ad ulcera purganda, & implenda.

Ἔγχυσις autem græci uocant, liquida, quę illinuntur. Quale est, quod fit ad ulcera purganda, & implenda, maximè inter neruos, paribus portionibus inter se mixtis, butyri, medullæ uitulinæ, seui uitulini, adipis anserinæ, ceræ, mellis, resinę terebinthinæ, rosæ, olei cicini. Quæ separatim omnia liquantur: deinde liquida miscentur, & tum simul teruntur. Et hoc quidem magis purgat: Magis uerò emollit, si pro rosa, cypirus infunditur.

Ad sacrum ignem.

Ad sacrum ignem, spumæ argenti P. ✱ VI. corni bubuli combusti P. ✱ II. conteruntur, adijciturque inuicem uinum, & id quod specialiter sil uocatur, & mirteum: donec utriusque terni cyathi conijciantur.

De catapotijs. Caput XXV.

Catapotium ad somnum accersendum, & leuationem doloris, & simul ad concoquendum.

Catapotia quoque multa sunt, uarijsque de causis fiunt. ἀνώδυνα uocant, quæ somno dolorem leuant. Quibus uti, nisi nimia necessitas urget, alienum est: Sunt enim ex uehementibus medicamentis, & stomacho alienis. Potest tamen etiam ad concoquendum, quod habet papaueris lacrymę, galbani, singulorū P. ✱ I. myrrhæ, castorei, piperis, singulorum P. ✱ II. Ex quibus, quod erui magnitudinem habet, satis est deuorasse.

Catapotium ualentius ad somnum.

Alterum stomacho peius, ad somnū ualentius, ex his fit; mandragoræ P. Z. apij seminis, item hyoscyami seminis, singulorum P. ✱ IIII. Quæ ex uino teruntur. Vinum autem eiusdem magnitudinis, quæ suprà posita est, abundè est sumpsisse.

Catapotium ad plurimos dolores per somnum leniendos.

Siue autem capitis dolores, siue ulcera, siue lippitudo, siue dentes, siue spiritus difficultas, siue intestinorum tormenta, siue inflammatio uuluæ est, siue coxa, siue iecur, aut lienis, aut latus torquet, siue uitio locorum aliqua prolabitur, & obmutescit, occurrit dolori per quietem, eiusmodi catapotium: Silis, acori, rutæ siluestris seminis, singulorum P.p̄. I. castorei, cinnamomi, singulorum P. ✱ II. papaueris lacrymæ, panaces, radicis mandragoræ, malorum aridorum, iunci rotundi floris, singulorum P.p̄. II. piperis grana ✱ VI. Hæc per se cōtrita, rursus instillato subinde passo, simul omnia teruntur, donec crassitudo sordium fiat. Ex eo paulum aut deuoratur, aut aqua diluitur, & potui datur.

Catapotium aliud, ad multa ualens.

Quin etiam siluestris papaueris, cùm iam ad excipiendam lachrymam maturum est, manipulus, qui manu comprehendi potest, in uas demittitur, & superinfunditur aqua, quæ id contegat; atque ita coquitur. Vbi iam bene manipulus is coctus est, ibidem expressus, proijcitur; & cum eo humore, passi pari mensura miscetur, inferuetque, donec crassitudinem sordium habeat. Cùm infrixit, catapotia ex eo fiunt ad nostræ fabæ magnitudinem, habētque usum multiplicem. Nam & somnum faciunt uel per se assumpta, uel ex aqua data, & aurium dolores leuant, adiectis exiguo modo rutæ succi, ac passi: Et tormina supprimunt ex uino liquata; & inflammationem uuluę coërcent, mixta cerato ex rosa facto, cùm paulum his croci quoque accessit; & ex aqua frōti inducta, pituitam in oculos decurrentem tenent.

Catapotium ad inducendum somnum, quod uulua dolens prohibuit.

Item si uulua dolens somnum prohibuit; croci P. ✱ II. anesi, myrrhę, singulorum P.p̄. I. papaueris lacrymę P.p̄. ✱ IIII. cicutę seminis P. ✱ VIII. miscentur, excipiunturque uino uetere; & quod lupini magnitudinem habet, in tribus cyathis aquę diluitur. Id tamen in febre periculosè datur.

Ad iecur sanandum.

Ad sanandum iecur, nitri P. ✱ Z. croci, mirrhę, nardi gallici, singulorum P. ✱ I. melle excipiuntur, daturque quod ęgyptię fabę magnitudinem habeat.

Ad finiendos dolores lateris.

Ad lateris dolores finiendos, piperis, aristolochię, nardi, myrrhę pares portiones.

Ad thoracis dolores finiendos.

Ad thoracis; nardi P. ✱ I. thuris, casię, singulorum P. ✱ III. myrrhę, cinnamomi, singulorum P. ✱ VI. croci P. ✱ VIII. resinę terebinthinę quadrans, mellis heminę tres.

Catapotium Athenionis ad tussim.

Ad tussim, Athenionis; myrrhę, piperis, singulorū P.p̄. ✱ I. castorei, papaueris lacrymę, singulorū P. ✱ I. Quæ separatim contusa, postea iunguntur, & ad magnitudinem fabę nostrę, bina catapotia manè, bina noctu dormituro dantur.

Catapotium Heraclidis tarentini, ad tussim, & somnum.

Si somnum prohibet, ad utranque Heraclidis tarentini; croci P. ✱ I. cinnamomi, castorei, papaueris lacrymę, singulorum P. ✱ I. myrrhę, piperis longi, costi, galbani, singulorum P. Z.

Catapotium ad purganda ulcera in faucibus tussientibus.

Quòd si purganda sunt ulcera in faucibus tussientibus, panaces, myrrhę, resinę terebinthinę, singulo-

rum P. ✱. galbani P. Z. hyssopi P. Z. conterenda sunt, hisque hemina mellis adijcienda; & quod digito excipi potest, deuorandum est.

Collice Casßij medici.

Colicè uero Casßij, ex his constat; croci, anesi, castorei, singulorū P. ✱ III. petroselini P. ✱ IIII. piperis & longi, & rotundi, singulorum P. ✱ V. papaueris lacrymæ, iunci rotundi, myrrhæ, nardi, singulorum P. ✱ VI. Quæ melle excipiuntur. Id autem & deuorari potest, & ex aqua calida sumi.

Ad infantem mortuum, aut secundas expellendas.

Infantem uero mortuum, aut secundas expellit aquæ potio, cui salis ammoniaci P. ✱ I. aut cui dictami cretici P. ✱ I. adiectum est.

Laborantibus ex partu, quid dari debeat.

Ex partu laborantibus, erisimum ex uino tepido ieiunæ dari debet.

Ad adiuuandam uocem.

Vocem adiuuat, thuris P. ✱ I. in duobus cyathis uini datum.

Aduersus difficultatem urinæ.

Aduersus urinæ difficultatem, piperis longi, castorei, myrrhæ, galbani, papaueris lacrymæ, croci, costi unciæ singulæ, styracis, resinæ terebinthinæ P. sextantes, mel, absinthij cyathus. Ex quibus ad magnitudinem fabæ ægyptiæ, & mane, & cœnato dari debet.

Arteriaces compositio quomodo fiat.

Arteriace uero hoc modo fit: casiæ, iridis, cinnamomi, nardi, myrrhæ, thuris, singulorum P. ✱ I. croci P. ✱. I. piperis grana ✱ XX. ex passi tribus sextarijs decoquuntur, donec mellis crassitudo his fiat. Aut croci, myrrhæ, thuris, singulorum P. ✱ I. conijciuntur in passi eundem modum decoquuntur. Aut eiusdem passi heminæ tres usque eo coquuntur, donec extracta inde gutta indurescat, & adijcitur tritæ casiæ P. ✱ I.

De quinque generibus noxarum corporis, & primo de uulneribus, quæ maximè per tela inferuntur. Caput XXVI.

Cùm facultates medicamentorum proposuerim, genera, in quibus noxa corpori est, proponam. Ea quinque sunt. Cùm quid extrinsecùs læsit, ut in uulneribus. Cùm quid intra se ipsum corruptū est, ut in cancro. Cùm quid innatum est, ut in uesica calculus. Cùm quid increuit, ut uena quæ intumescens in uaricem conuertitur. Cùm quid deest, ut cùm curata pars aliqua est. Ex his alia sunt, in quibus plus medicamenta: alia, in quibus plus manus proficit. Ergo dilatis his, quæ præcipuè scalpellum, & manū postulant: nunc de his dicam, quæ maximè medicamentis egent. Diuidam autem hanc quoque curandi partem, sicut priorem; Et antè dicam de his, quæ in quamlibet partem corporis incidūt: Tum de his, quæ certas partes infestant. Incipiam à uulneribus. In his autem, ante omnia scire medicus debet, quæ insanabilia sunt, quæ difficilem curationem habeant: quæ promptiorem. Est enim prudentis hominis, primùm eum, qui seruari non potest, non attingere, nec subire speciem eius ut occisi, quem sors ipsius peremit. Deindè, ubi grauis metus, sine certa tamen desperatione est; indicare necessarijs, periclitantis in difficili rem esse: ne si uicta ars malo fuerit, uel ignorasse, uel fefellisse uideatur. Sed ut hæc prudenti uiro conueniunt; sic rursus histrionis est, paruam rem attollere, quò plus præstitisse uideatur. Obligarique æquū est confessione promptæ rei: quò curiosiùs etiam circunspiciat, ne, quod per se exiguum est malum, maius curantis negligentiâ fiat.

Quæ uulnera insanabilia sint.

Seruari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iocineris portæ, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius intestinum, aut uentriculus, aut renes uulnerati sunt: cui'ue circa fauces, grandes uenæ, uel arteriæ præcisæ sunt.

Quæ uulnera difficilem curationem habeant.

Vix autem ad sanitatem perueniunt, quibus ulla parte pulmo, aut iocineris crassum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut uulua, aut uesica, aut ullum intestinum, aut septum trāsuersum uulneratū est. Hi quoque in præcipiti sunt, in quibus usque ad grandes intusque conditas uenas in alis, uel poplitibus mucro descendit. Periculosa etiam uulnera sunt, ubicunque uenæ maiores sunt: quoniam exhaurire hominem profusione sanguinis possunt. Idque euenit, non in alis tantùm, atque poplitibus, sed etiam in his uenis, quæ ad anum, testiculosque perueniunt. Præter hæc malum uulnus est, quodcunque in alis, uel fœminibus, uel inanibus locis, uel in articulis, uel inter digitos est. Item quodcunque musculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut carthilaginem læsit.

Quæ uulnera tutiorem curationem habeant.

Tutissimum omnium quod in carne est. & hæc quidem loco, uel peiora, uel meliora sunt: modò uero periculum facit, quodcunque magnum est.

Obseruationes quædam & ætatis, & corporis, & uitæ, & temporis in uulneribus.

Aliquid etiam in uulneris genere, figuraque est. Nam peius est, quod etiam collisum, quàm quod tantùm discissum est. adeo ut acuto quoque, quàm retunso telo uulnerari commodius sit. Peius etiam uulnus est, ex quo aliquid excisum est: ex quo'ue, caro alia parte abscissa, alia dependet. pessima quæque plaga in orbem est; tutissima, quæ lineæ modo recta est. Quò deinde propius huic, illi'ue figuræ uulnus

est, eò

est, eò uel deterius, uel tolerabilius est. Quin etiam confert aliquid & ætas, & corpus, & uitæ propositũ, & anni tẽpus; quia faciliùs sanescit puer, uel adolescens, q̃ senior; ualẽs q̃ infirmus; neque nimis tenuis, neque nimis plenus, q̃ si alterũ ex his est: integri habitus, q̃ corrupti: exercitatus, quàm iners: sobrius & tẽperans, quàm uino, uenerique deditus. Opportunissimumque curationi tempus, uernũ est; aut certè, neque feruens, neque frigidum; siquidem uulnera & nimius calor, & nimium frigus infestant; maximè tamẽ horum uarietas, ideo que perniciosissimus autũnus est. Sed pleraque ex uulneribus, oculis subiecta sunt; quorundam ipsæ sedes, indices sunt; quas alio loco demonstrauimus, cùm positus interiorum partiũ ostẽdimus. Veruntamen, quia quædam uicina sunt, interest quoque, uulnus in summa parte sit, an penitus penetrauerit; necessarium est notas subijcere, per quas, quid intus actum sit, scire possimus; & ex quibus uel spes, uel desperatio oritur.

Signa percussi cordis.

Igitur corde percusso, sanguis multus effertur, uenæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidi, malique odoris, tanquam irrorato corpore, oriuntur, extremisque partibus frigidis, matura mors sequitur.

Signa pulmonis icti.

Pulmone uero icto, spirandi difficultas est: sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulque etiã spiritus cum sono fertur: in uulnus inclinari iuuat: quidam sine ratione consurgunt: Multi, si in ipsum uulnus inclinati sunt, loquuntur: si in aliam partem, obmutescunt.

Signa iocineris uulnerati.

Iocineris autem uulnerati notę sunt, multus sub dextra parte præcordiorum profusus sanguis, ad spinam reducta præcordia, in uentrem cubandi dulcedo, punctiones, doloresque usque ad iugulũ, iunctumque ei latus scapularum: os intentum: Quibus nonnunquam etiam biliosus uomitus accedit.

Signa percussorum renium.

Renibus uerò percussis, dolor ad inguina, testiculosque descendit, difficulter urina redditur: eaque aut est cruenta, aut cruor fertur.

Signa uulnerati lienis.

AT liene icto, sanguis niger à sinistra parte prorumpit: præcordia cum uentriculo, ab eadem parte indurescunt: sitis ingens oritur; dolor ad iugulum, sicut iocinere uulnerato, uenit.

Signa percussæ uuluæ.

AT cùm uulua percussa est, dolor inguinibus, & coxis, & femoribus est: Sanguinis pars per uulnus, pars per naturale descendit: uomitus bilis insequitur. Quædam obmutescunt: quædam mente labuntur, quædam sui compotes, neruorum, oculorumque dolore urgeri se confitentur; morientesque, tandem eadem, quæ corde uulnerato, patiuntur.

Signa percussi cerebri, uel membranæ eius.

SIN cerebrum membrana ue eius uulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit: fereque bilis uomitus insequitur: Quorundam sensus obtunduntur: appellatique ignorant. Quorundam trux uultus est: quorundam oculi quasi resoluti, huc, atque illuc mouentur. fereque tertio, uel quinto die delirium accedit. multorum etiam nerui distendũtur. Ante mortem autem, plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum uulnus frigori obijciunt.

Signa percussi stomachi.

Vbi stomachus autem percussus est, singultus, & bilis uomitus insequitur. Si quid cibi, uel potionis assumptum est, ea redditur citò: Venarum motus elanguescunt: sudores tenues oriuntur: per quos extremæ partes frigescunt.

Signa ieiuni intestini, & uentriculi uulnerati, & aliorum intestinorum.

Communes uerò ieiuni intestini, & uentriculi uulnerati notæ sunt. Nam cibus, & potio per uulnus exeunt, præcordia indurescunt. nonnunquam bilis per os redditur. intestino tantùm sedes inferior est. Cætera intestina icta, uel stercus, uel odorem eius exhibent.

Signa percussæ medullæ, quæ in spina est.

Medulla uero, quæ in spina est, discussa, nerui resoluuntur, aut distenduntur, sensus intercidit; interposito tempore aliquo, sine uoluntate inferiores partes uel semen, uel urinam, uel etiam stercus excernunt.

Signa septi transuersi percussi.

AT si septum transuersum percussum est, præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, spiritus rarus est, sanguis spumans fertur.

Signa uesicæ uulneratæ.

Vesica uerò uulnerata, dolent inguina. quod super pubem est, intenditur. pro urina, sanguis; aut ex ipso uulnere, urina descendit; stomachus afficitur. itaque aut bilem uomunt, aut singultiunt; frigus, & ex eo mors sequitur.

De sanguine, & sanie, & pure, & eorum speciebus, quando'ue meliora, deteriora'ue sint.

HIS cognitis, etiam nunc quædam alia noscenda sunt, ad omnia uulnera, ulceraque (de quibus dicturi sumus) pertinentia. Ex his autem exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus notus est. Sanies, est tenuior hoc, uariè crassa, & glutinosa, & colorata. Pus crassissimũ, albidissimũque, glutinosius & sanguine, &

sanie. Exit autem sanguis ex uulnere recenti, aut iam sanescente. sanies est inter utrunque tempus. pus ex ulcere iam ad sanitatem spectante. Rursus & sanies, & pus, quasdam species Graecis nominibus distinctas habent: Est enim quędam sanies, quę uel ἰχὼρ, uel μελίκηρα nominatur. Est pus, quod ἐλαιῶδες appellatur. ἰχὼρ tenuis, subalbidus, ex malo ulcere exit, maxime que ubi neruo læso, inflammatio secuta est. μελίκηρα crassior, & glutinosior, subalbida, melli que albo subsimilis fertur. Hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos læsi sunt, & inter hęc loca, maxime ex genibus. ἐλαιῶδες tenue, subalbidum, quasi unctum, colore atque pinguitudine, oleo albo non dissimile, apparet in magnis ulceribus sanescentibus. Malus autem est sanguis nimium aut tenuis, aut crassus, colore uel liuidus uel niger, aut pituita mixtus, aut uarius. Optimus calidus, rubens, modice crassus, non glutinosus. Itaque protinus eius uulneris expedita magis curatio est, ex quo sanguis bonus fluxit. Item que postea spes in his maior est, ex quibus melioris generis quæque proueniũt. Sanies igitur mala est, multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinosa, aut mali odoris, aut quæ & ipsum ulcus, & iunctã ei cutem erodit. Melior nõ multa, modice crassa, subrubicũda, aut subalbida. ἰχὼρ autẽ peior est, multus, crassus, subliuidus, aut subpallidus, glutinosus, ater, calidus, mali odoris. Tolerabilior est subalbidus, qui cætera oĩa contraria prioribus habet. μελίκηρα autẽ mala est multa, & percrassa: melior, quæ & tenuior, & minus copiosa est. Pus inter hęc optimũ est: Sed id quoque peius est, multum, tenue, dilutum, magis que si ab initio tale est. Item que si colore sero simile, si pallidum, si liuidum, si fęculentum est: Pręter hæc, si male olet; nisi tamen locus hunc odorem excitat. Melius est, quò minus est, quò crassius, quò albidius: Item que si leue est, si nihil olet, si ęquale est, modo tamẽ cõuenire & magnitudini uulneris, & tempori debet: Nam plus ex maiore, plus nõdum solutis inflammationibus naturaliter fertur. ἐλαιῶδες quoque peius est, multum, & parum pingue; quò minus etiam, quo que id ipsum pinguius, eò melius est.

Curatio aduersus profusionem sanguinis in uulneribus.

Quibus exploratis, ubi aliquis ictus est, qui seruari potest: protinus prospicienda duo sunt: ne sanguinis fit profusio: ne ue inflammatio interimat. Si profusionem timemus (quod ex sede uulneris, & magnitudine eius, & ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest) siccis linamentis uulnus implendum est: supraque imponenda spongia, ex aqua frigida expressa: ac manu super comprimenda. Si parũ sic sanguis conquiescit, sæpius linamenta mutanda sunt. Et si sicca parum ualent, aceto madefacienda sunt. id uehemens ad sanguinem supprimendum est: Ideo que quidam id uulneri infundunt. Sed alius rursus metus subest: ne nimis ualenter ibi retenta materia, magnam inflãmationem postea moueat. quæ res efficit, neque rodentibus medicamẽtis, neque adurentibus; & ob id ipsum inducentibus crustam, sit utendũ: quãuis pleraque ex his sanguinem supprimunt. Sed si semel ad ea decurritur, potius quæ mitius idem efficiunt. Quod si illa quoque profluuio uincuntur: uenæ, quę sanguinem fundũt, apprehendendæ, circaque id quod ictum est, duobus locis deligendæ, intercidẽdæque sunt, ut in se ipsæ coeant: & nihilominus ora præclusa habeant. ubi ne id quidem res patitur, possunt ferro cãdenti aduri. Sed etiam satis multo sanguine effuso, ex eo loco, quo neque neruus, neque musculus est; ut puta in fronte, uel superiore capitis parte, commodissimum tamen est cucurbitulam admouere à diuersa parte, ut illuc sanguinis cursus reuocetur.

Curationes aduersus uulnerum inflammationem.

ET aduersus profusionem quidem, in his auxilium est. Aduersus inflammationem autem in ipso sanguinis cursu, ea timeri possunt, ubi læsum est uel os, uel neruus, uel cartilago, uel musculus: aut ubi parum sanguinis, pro modo uulneris, fluxit. Ergo quoties quid tale erit, sanguinem maturè supprimere nõ oportebit: sed pati fluere, dum tutum erit: adeo ut, si parum fluxisse uidebitur, mitti quoque ex brachio debeat; utique si corpus iuuenile, & robustum, & exercitatum est: multo que magis, si id uulnus ebrietas præcessit. Quòd si musculus læsus uidebitur, pręcidendus erit: Nam percussus, mortiferus est; præcisus sanitatem recipit.

De glutinatione uulnerum.

Sanguine autem uel suppresso, si nimius erumpit: uel exhausto, si per se parum fluxit: longè optimum est, uulnus glutinari. Potest autem id, uel quod in cute, uel etiam in carne est: si nihil ei præterea mali accedit. Potest caro alia parte dependens, alia inhærens: si tamen etiam num integra est, & coniunctione corporis fouetur. In his uerò quæ glutinãtur, duplex curatio est. Nam si plaga in molli parte, sui debet: maximeque si discissa auris ima est, uel imus nasus, uel frons, uel bucca, uel palpebra, uel labrũ, uel circa guttur, cutis, uel uenter. Si uerò in carne uulnus est, hiatque, neque in unum orę facile attrahuntur: sutura quidem aliena est: Imponendæ uerò fibulæ sunt (ἀγκτῆρας Gręci nominant) quæ oras, paulum tamen contrahunt: quò minus lata postea cicatrix fit. Ex his autẽ colligi potest, id quoque, quod alia parte dependens, alia inhærebit (si alienatum adhuc non est) suturam, an fibulam postulet. Ex quibus neutra antè debet imponi, quàm intus uulnus purgatum est; ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur: Id enim & in pus uertitur, & inflammationem mouet, & glutinari uulnus prohibet. ne linamentum quidem, quod supprimendi sanguinis causa inditum est, inibi relinquendum est. nam id quoque inflammat. Comprehendi uerò sutura, uel fibula, non cutem tantum, sed aliquid etiam ex carne, ubi suberit hæc, oportebit; quò ualentius hæreat, neque cutem abrumpat. Vtraque optima est ex acia molli non nimis torta, quò mitius corpori insidat. Vtraque neque nimis rara, neque nimis crebra inijcienda est. Si nimis rara est, non continet: si nimis crebra est, uehementer afficit; quia quò sæpius acus

corpus

corpus transit, quoque plura loca iniectum uinculũ mordet, eò maiores inflammationes oriuntur: magisque æstate. neutra etiam uim ullã desiderat: sed eatenus utilis est, quà cutis ducentem quasi sua spõte subsequitur. Fere' tamen fibulæ latius uulnus esse patiũtur: Sutura, oras iungit: quę ne ipsæ quidem inter se contingere ex toto debent, ut si quid intus humoris concreuerit, sit quà emanet. Si quod uulnus neutrum horum recipit; id tamen purgari debet: deinde omni uulneri primò imponenda est spongia ex aceto expressa. si sustinere aliquis aceti uim non potest, uino utendum est. Leuis plaga iuuatur etiam, si ex aqua frigida, expressa spongia imponitur. sed ea quocunque modo imposita est, dum madet, prodest: itàque ut inarescat, non est committendum. Licet'que sine peregrinis, & conquisitis, & compõsitis medicamentis uulnus curare. Sed si quis huic parum confidit, imponere medicamẽtum debet, quod sine seuo compositũ sit, ex his, quæ cruentis uulneribus apta esse proposui: Maxime'que, si caro est, barbarũ: si nerui, uel cartilago, uel aliquid ex eminentibus (quales aures, uel labra sunt) Polybi sphragidem. Alexandrinum quoque uiride, neruis idoneum est: eminentibus'que partibus, ea, quam Greci κολλητικὸν uocant. Solet etiam colliso corpore, exigua parte findi cutis. quod ubi incidit, non alienum est, scalpello latius aperire (nisi musculi, nerui'que iuxtà sint: quos incidi non expedit) ubi satis deductum est, medicamentum imponendum est. At si id quod collisum est, quamuis parum diductum est: latius tamen aperiri, propter neruos, aut musculos non licet: adhibenda sunt ea, quæ humorem leniter extrahant; prę cipue'que ex his id, quod ῥυπώδες uocari proposui. Non alienum est etiam ubicunque uulnus graue est, impositum, quò id iuuetur, insuper circundare lanam succidam ex aceto, & oleo: uel cataplasma, si mollis is locus est, quod leniter reprimat: Si neruosus, aut musculosus, quod emolliat.

Quomodo uulnus ligari conueniat.

Fascia uerò ad uulnus deligandum lintea aptissima est: eaque lata esse debet, ut semel iniecta, non uulnus tantùm, sed paulum utrinque etiam oras eius comprehendat. Si ab altera parte caro magis recessit, ab ea meliùs attrahitur: Si æque ab utraque, transuersa comprehendere oras debet: aut si id uulneris ratio non patitur, media primùm inijcienda est, ut tum in utranque partem ducatur. sic autem deliganda est, ut & contineat, neque astringat. quod non continetur, elabitur. quod nimis astrictum est, cancro periclitatur. Hyeme sæpius fascia circuire debet: æstate, quoties necesse est. Tum extrema pars eius inferioribus acu assuenda est: nam nodus uulnus lædit: nisi tamen lõge est. Illo neminem decipi decet, ut propriam uiscerum curationem requirat: de quibus suprà posui. Nam plaga ipsa curanda extrinsecùs uel sutura, uel alio medicinæ genere est. In uisceribus, nihil mouendum est; nisi aut si quid ex iocinere, aut liene, aut pulmone duntaxat extremo dependeat, præcidatur. alioquin uulnus interius, ea uictus ratio, eaque medicamenta sanabunt, quæ cuique uisceri conuenire, superiore libro proposui.

De ratione uictus, & notis uulnerum, curationibusq; eorum.

HIS ita primo die ordinatis, homo in lecto collocandus est: isque, si graue uulnus est, abstinere, quantum uires patiuntur, ante inflammationem, à cibo debet. bibere, donec sitim finiat, aquam calidam. uel si æstas est, neque febris, neque dolor est, etiam frigidam. adeo tamen nihil perpetuũ est: sed semper pro uiribus corporis æstimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium possit, tenuẽ scilicet & exiguum, qui tantùm sustineat. Multique etiam ex profluuio sanguinis inter morientes, ante ullam curationem, uino reficiendi sunt; quod alioquin inimicissimum uulneri est. nimis uerò intumescere uulnus, periculosum: nihil intumescere, periculosissimum est. illud, indicium est magnæ inflammationis; hoc, emortui corporis. Protinusque, si mens homini consistit, si nulla febris accessit: scire licet, mature uulnus sanum fore. Ac ne febris quidem terrere debet, si in magno uulnere, dum inflammatio est, permanet. Illa perniciosa est, quæ uel leui uulneri superuenit, uel ultra tempus inflammationis durat, uel delirium mouet; uel si neruorum rigor, aut distentio, quæ ex uulnere orta est, eam non finit. Vomitus quoque biliosus, non uoluntarius, uel protinus ut percussus est aliquis, uel dum inflammatio manet, malum signum est, in his duntaxat, quorum uel nerui, uel etiam neruosi loci uulnerati sunt. Sponte tamẽ uomere, non alienum est, præcipuè his, quibus in consuetudine fuit; sed neque protinus post cibũ, neque iam inflammatione orta, neque cùm in superioribus partibus plaga est. Biduo sic uulnere habito, tertio die id aperiendum, detergendaque sanies ex aqua frigida est, eademque rursus inijcienda sunt. Quinto iã die, quanta inflammatio futura est, se ostendit. Quo die, rursus detecto uulnere, considerandus color est: Quòd si liuidus, aut pallidus, aut uarius, aut niger est, scire licet, malum uulnus esse. idque quandocũque animaduersum est, terrere nos potest. album, aut rubicundum esse ulcus, commodissimum est. Item cutis dura, crassa, dolens, periculum ostendit. bona signa sunt, ubi hęc sine dolore, tenuis & mollis est. Sed si glutinatur uulnus, aut leniter intumuit, eadem sunt imponenda, quæ primò fuerunt. Si grauis inflammatio est, neque glutinandi spes est, ea quæ pus moueant: aquę quoque calidę necessarius usus est, ut & materiam digerat, & duritiam emolliat, & pus citet. Ea sic temperanda est, ut & manu contingenti iocunda sit: usque eò adhibenda, donec aliquid ex tumore minuisse, coloremque ulceri magis naturalem reddidisse uideatur: maxime'que, si grande uulnus est, τετραφάρμακον: si in articulis, digitis, locis cartilaginosis, ῥυπώδες. Post id fomentum, si lata plaga non patet, imponi protinus emplastrum debet: & si latius hiat, illud emplastrum liquari ex irino unguenti oportet: eo'que illita linamenta, disponi per plagam: deinde emplastrum suprà dari; & super id, succidam lanam: minus'que etiã, quàm primò, fasciæ altringendę sunt.

Curationes propriæ articulorum.

Propriè quędam in articulis uisenda sunt: in quibus si præcisi nerui sunt, qui continebant, debilitas eius partis sequitur. Si id dubium est, & ex acuto telo plaga est: ea transuersa commodior est. Si re tuso & graui est, nullum in figura discrimen est. At uisendum est, pus suprà articulum, an infrà nascatur. Si sub eo nascitur, albumque, & crassum diu fertur, neruum pręcisum esse credibile est. Magis quoque maiores dolores, inflammationesque, quò maturius excitatæ sunt. Quamuis autem non abscissus neruus est: tamen si circà tumor durus diu permanet: necesse est & diuturnum ulcus esse: & sano quoque eo, tumorem permanere: futurumque est, ut tardè membrum id extendatur uel contrahatur. Maior tamen in extendendo mora est, ubi recuruato articulo, curatio adhibita est; quàm in recuruando eo, quod rectum continuerimus. Collocari quoque membrum, quod ictum est, ratione certa debet. Si glutinandum est, ut superius sit: si in inflammatione est, ut in neutram partem inclinatum sit: Si iam pus profluit, ut deuexum sit. Optimum etiam medicamentum, quies est: moueri & ambulare, nisi sanis, alienum est. Minùs tamen his est periculosum, qui in capite, uel brachijs, quàm qui inferioribus partibus uulnerati sunt. Minimeque ambulatio conuenit, fœmine, aut crure, aut pede laborante. Locus, in quo cubabit, tepidus esse debebit. Balneum quoque, dum parum uulnus purum est, inter res infestissimas est. Nam id & humidum & sordidum reddit: ex quibus ad cancrum transitus esse consueuit. Leuis frictio rectè adhibetur, sed his partibus, quæ longiùs absunt à uulnere.

Vulnus quomodo purgandum est.

Inflammatione finita, uulnus purgandũ est. Id optimè faciunt tincta in melle linamenta, supraque id, emplastrum, uel ἐνναφάρμακον dandum est. Tum demum uerò purum ulcus est, cùm rubet, ac nimium neque siccum, neque humidũ est, ac quodcunque sensu caret, quod non naturaliter sentit, quod nimium aut aridum, aut humidum est. Quod aut pallidum, aut albidum, aut liuidum, aut nigrum est: id purum non est.

Quomodo uulnus implendum est.

Purgato, sequitur ut impleatur; iamque calida aqua eatenus necessaria est, ut sanies remoueatur. Lanæ succidæ superuacuus usus est: Lota meliùs circundatur. Ad implendum autem uulnus, proficiunt quidem etiam medicamenta aliqua: Itaque ea adhiberi non alienum est, ut butyrum cum rosa, exigua mellis parte; aut cũ eadem parte, aut cum eadem rosa, τετραφάρμακον, aut ex rosa, linamenta. Plus tamen proficit balneum rarum. Cibi boni succi, uitatis omnibus acribus, sed iam plenioribus: Nam & auis, & uenatio, & suilla elixa dari potest. Vinum omnibus, dum febris, dum inflammatio est, alienũ est: Itemque usque ad cicatricem, si nerui, musculi'ue uulnerati sunt, etiam si altè caro, aut si plaga in summa cute, generis tutioris est: potest non peruetus, modicè tamen datum, ad implendum quoque proficere. Si quid molliendum est (quod in neruosis locis musculosisque necessarium est) cerato quoque super uulnus utendũ est. At si caro supercreuit, modicè reprimit siccum linamentum; uehementiùs squama æris. Si plus est, quod tolli opus est, adhibenda sunt etiamnum uehementiora, quæ corpus exedunt. Cicatricem post omnia hæc, commodè inducit lycũ ex passo, aut lacte dilutum; uel etiam per se impositum siccum linamentũ.

De uulneribus, quæ extrinsecus per uulnera incidunt, curationibusq; eorum.

HIC ordo felicis curationis est. Sed quædam tamen periculosa incidere consuerunt. Interdum enim uetustas ulcus occupat; induciturque ei callus, & circùm oræ crassæ liuent. post quæ, quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit. quod fere negligenter curato ulceri superuenit. Interdum uel ex nimia inflammatione, uel ob æstus immodicos, uel ob nimia frigora, uel quia nimis uulnus astrictũ est, uel quia corpus aut senile, aut mali habitus est, cancer occupat. Id genus à græcis diductum in species est; nostris uocabulis non est. Omnis autem cancer non solùm id corrumpit, quod occupauit, sed etiam serpit; deinde alijs, alijsque signis decernitur. Nam modò super inflammationem rubor ulcus ambit: isque cum dolore procedit. ἐρυσιπέλας Græci nominant. Modò ulcus nigrum est: quia caro eius corrupta est. Idque uehementiùs etiam putrescendo intenditur. Vbi uulnus humidũ est, & ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris est, carũculę corruptę, interdum etiam nerui ac membranę resoluũtur, specillumque demissum, descendit, aut in latus, aut deorsum; eoque uitio nonnũquam os quoque afficitur. modò oritur ea, quam Gręci γάγγραιναν appellant. Priores in qualibet parte corporis fiũt: Hoc in prominentibus membris, id est inter ungues, & alas, uel inguina; fereque in senibus, uel his, quorum corpus mali habitus est. Caro in ulcere uel nigra, uel liuida est, sed sicca & arida; proximaque cutis plerũque subnigris pusulis impletur; deinde ei proxima, uel pallida, uel liuida, fereque rugosa, sine sensu est: Vlterior, in inflammatione est, omniaque ea simul serpunt; Vlcus, in locum pusulosum: Pusulę, in eum, qui pallet aut liuet: Pallor aut liuor, in id quod inflammatum est: Inflammatio, in id quod integrum est, transit. Inter hæc deinde febris acuta oritur, ingensque sitis: quibusdam etiam deliriũ accedit. alij, quamuis mentis suę compotes sunt, balbutiendo tamen, uix sensus suos explicant. Incipit affici stomachus: Fit fœdi spiritus ipse odoris. Atque initium eius quidem mali recipit curationem: Vbi uero penitus insedit, insanabile est: plurimique sub frigido sudore moriuntur.

Curatio

Curatio ulceris.

AC pericula quidem uulnerum hæc sunt. Vetus autem ulcus scalpello conijciendum est, excidendæque eius oræ, & quidquid super eas liuet, æquè incidendum. Si uaricula intus est, quæ his sanari prohibet, ea quoque excidenda. Deinde ubi sanguis emissus, nouatumque uulnus est, eadem curatio adhibenda, quæ in recentibus uulneribus exposita est. Si scalpello aliquis uti non uult: potest sanare id emplastrum, quod ex ladano fit; & cùm ulcus sub eo exesum est, id, quo cicatrix inducitur.

Curatio erysipelatum.

ID autem, quod ἐρυσίπελας uocari dixi, non solùm uulneri superuenire, sed sine hoc quoque oriri consueuit: atque interdum periculum maius affert: utique si circa ceruices, aut caput constitit. Oportet, si uires patiuntur, sanguinē mittere: deinde imponere simul reprimentia & refrigerantia; maximeque cerussam solani succo, aut cimoliam cretam aqua pluuiali exceptam; aut ex eadem aqua subactam farinā cupresso adiecta; aut si tenerius corpus est, lenticulam. Quidquid impositum est, betæ folio contegendū est, & super linteolum frigida aqua madens imponendum. Si per se refrigerantia parum proderunt, miscenda erunt hoc modo. sulphuris P. ✱ I. cerussæ & croci, singulorum P. ✱ XII. eaque cum uino cōterenda sunt; & id his illinendū: aut si durior locus est, solani folia contrita suillæ adipi miscenda sunt, & illita linteolo super inijcienda. At si nigrities est, neque dū serpit: imponenda sunt, quæ carnem putrē leuiùs exedūt: repurgatumque ulcus, sicut cætera, nutriendū est. Si magis putre est, iamque procedit ac serpit; opus est uehementiùs erodentibus. Si ne hæc quidem euincūt, aduri locus debet, donec ex eo nullus humor feratur: nam quod sanū est, siccū est cùm aduritur. post ustionem putris ulceris, superponenda sunt, quæ crustas à uiuo resoluant; eas ἐσχάρας Græci uocant. ubi exciderunt, purgandū ulcus maximè melle & resina ulta. sed alijs quoque purgari potest, quibus purulenta curantur; eodemque modo ad sanitatem perducendum est.

Curatio Gangrenæ.

Gangrænam uerò, si nondum planè tenet, sed adhuc incipit, curare nō difficillimum est; utique in corpore iuuenili, & magis etiam, si musculi integri sunt: si nerui uel læsi non sunt, uel leniter affecti sunt, neque ullus magnus articulus nudatus est: aut carnis in eo loco paulum est; ideoque nō multum, quod putresceret, fuit; consistitque eo loco uitium; quod maximè fieri in digito potest. In eiusmodi casu, primum est (si uires patiūtur) sanguinem mittere. Deinde quidquid aridum est & intentione quadam proximum quoque locum malè habet: usque eo sanum corpus concidere. Medicamenta uerò, dum malum serpit, adhibenda nulla sunt, quæ pus mouere consuerūt. ideoque nè aqua quidem calida. Grauia quoque, quamuis reprimentia, aliena sunt: Sed his quàm leuissimis opus est. superque ea, quæ inflammata sunt, utendum est refrigerantibus. Si nihilò magis malum constitit, uri id quod est inter integrū ac uitiatum locū, debet. Præcipueque in hoc casu petendum, non à medicamentis solū, sed etiam à uictus ratione, præsidium est: Neque enim id malū, nisi corrupti uitiosique corporis est. Ergo primò (nisi imbecillitas prohibet) abstinentia utendum: Deinde danda, quæ per cibum potionemque, aluū, ideoque etiam corpus, astringant; sed ea leuia. Postea si uitiū cōstitit: imponi super uulnus eadem debent, quæ in putri ulcere præscripta sunt. Ac tū quoque plenioribus cibis uti licebit, ex media materia; sic tamen, non nisi aluum corpusque siccantibus. aqua uerò pluuiali frigida. Balneum (nisi iam certa fiducia redditæ sanitatis est) alienum est; si quidem emollitum in eo uulnus, citò rursus eodem malo afficitur. Solent uerò nonnunquam nihil omnia auxilia proficere, ac nihilò minùs serpere his cancer. Inter quę, miserū, sed unicū auxilium est, ut cętera pars corporis tuta sit, membrū, quod paulatim emoritur, abscīdere. Hę grauissimorum uulnerū curationes sunt. Sed ne illa quidem negligēda, ubi integra cute, interior pars collisa est; aut ubi derasum, ac tritum ue aliquid est; aut ubi surculus corpori infixus est; aut ubi tenue, sed altum uulnus insedit. In primo casu, cōmodissimum est malicoriū ex uino coquere, interioremque eius partem conterere, & cerato miscere ex rosa facto, idque supponere: deinde ubi cutis ipsa exasperata est, inducere lene medicamentum: quale λιπαρὸν est. Deraso uerò detritoque, imponendum est emplastrum τετραφάρμακον, minuendusque cibus, & uinum subtrahendum. Neque id, quia non habebit altiores ictus, contemnendum erit: Si quidem ex eiusmodi casibus sæpe cancri fiunt. Quòd si leuius id erit, & in parte exigua, cōtenti esse poterimus eodem leni medicamento. Surculū uerò, si fieri potest, oportet uel manu, uel etiam ferramento eijcere. Si uel præfractus est, uel altiùs descendit, quàm ut ita fieri possit, medicamento euocandus est. Optimè autem educit superimposita arundinis radix; si tenera est, protinus contrita; si iā durior, antè in mulso decocta: Cui semper mel adijciendum est, aut aristolochia cum eodem melle. Pessima ex surculis arundo est, quia aspera est. Eademque offensa etiam in filicis hastula est. Sed usu cognitū est, utranque aduersus alteram, medicamentum esse, si contrita superimposita est. Facit autem idem in omnibus surculis, quodcūque medicamentum extrahendi uim habet: Idem altis tenuibusque uulneribus aptissimum est. Priori rei, Philocratis: huic, Hecatei emplastrum maximè conuenit.

Quo modo cicatrix uulneri inducenda, purgandaq; sit.

VBI uerò in quolibet uulnere, uentum ad inducendum cicatricem est (quod perpurgatis iam, repletisque ulceribus necessarium est) primùm ex aqua frigida linamentum, dum caro alitur; deinde cùm iam continenda est, siccum imponendum est, donec cicatrix inducatur. Tum deligari super album plumbum oportet, quo & reprimitur cicatrix, & colorem maximè sano corpori similem accipit.

Idem radix siluestris cucumeris prestat. Idem compositio, quæ habet elaterij P. ✳ I. spumæ argenti P. ✳ II. unguenti pondo ✳ IIII. Quę excipiuntur resina terebinthina, donec emplastri crassitudo ex omnibus fiat. Ac nigras quoque cicatrices leniter purgant, paribus portionibus mixta, ærugo, plūbum elotum, eademque rosa cocta; siue ungitur cicatrix (quod in facie fieri potest) siue id, ut emplastrum imponitur; quod in alijs partibus commodius est. At si uel excreuit cicatrix, uel concaua est, stultum est decoris causa rursus & dolorem, & medicinam sustinere. Alioqui res utrique succurri patitur: Si quidē utraque cicatrix exulcerari scalpello potest. si medicamentum aliquis mauult, idem efficiunt compositiones hę: quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, super eminentem carnem, exedentia medicamenta conijcienda sunt: Super concauam, implentia; donec utrunque ulcus sanæ cuti æquetur; & tum cicatrix inducatur.

De uulneribus, quæ per morsus inferuntur, eorumq; curationibus. Cap. XXVII.

DIXI de his uulneribus, quæ maxime per tela inferuntur: Sequitur ut de his dicam, quæ morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiæ, sępe canis, nonnunquam ferorum animalium, aut serpentium. Omnis autem fere morsus habet quoddam uirus. Itaque si uehemens uulnus est, cucurbitula admouenda est. Si leuius, protinus emplastrum inijciendum, præcipueque Diogenis. si id non est, quodlibet ex his, quę aduersus morsus proposui: si ea non sunt, uiride alexandrinum. si ne id quidem est, quodlibet non pingue ex his, quæ recentibus uulneribus accommodantur. Sal quoque his, præcipueque ei, quod canis fecit, medicamentum est: si manus uulneri imponitur, superque id, duobus digitis uerberatur (Exsaniat enim) ac salsamentum quoque recte super id uulnus deligatur.

Curatio aduersus rabiosi canis morsum.

Vtique autem si rabiosus canis fuit, cucurbitula uirus eius extrahendum est. deinde si locus neque neruosus, neque musculosus est, uulnus id adurendum est. si uri non potest, sanguinem homini mitti nō alienum est. tum usto quidem uulneri superimponenda, quæ cęteris ustis sunt. ei uero, quod expertum ignem non est, ea medicamenta, quæ uehementer exedunt. post quę, nullo nouo magisterio, sed iam supra posito, ulcus erit implendum, & ad sanitatem perducendū. Quidam post rabiosi canis morsum, protinus in balneum mittunt: ibique patiuntur desudare, dum uires corporis sinunt, ulcere adaperto: quo magis ex eo quoque uirus destillet. deinde multo meracoque uino excipiunt: quod omnibus uenenis contrarium est. idque cum ita per triduum factum est, tutus esse homo a periculo uidetur. Solet autem ex eo uulnere, ubi parum occursum est, aquæ timor nasci. ὑδροφόβαν Græci appellant. Miserrimum genus morbi: in quo simul æger & siti, & aquę metu cruciatur. quo oppressis, in angusto spes est. Sed unicum tamen remediū est, necopinantem in piscinam non ante ei prouisam proijcere. Et si natandi sciētiam non habet, modo mersum, bibere pati, modo attollere. Si habet, interdū deprimere, ut inuitus quoque aqua satietur. sic enim simul & sitis, & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus, in aqua frigida uexatum, neruorum distentio absumat. Id ne incidat, a piscina, protinus in oleum calidum demittendus est. Antidotum autem, præcipue id, quod primo loco posui. ubi id nō est, aliud, si nondum ęger aquam horret, potui ex aqua dandum est; & si amaritudine offenditur, mel adijciendum est. Et si iam is morbus occupauit, per catapotia sumi potest.

Curationes communes aduersus omnes morsus serpentium.

Serpentium quoque morsus non nimium distantem curationem desiderant: quamuis in ea multū antiqui uariarunt, ut in singula genera anguium, singula medendi genera præciperent: atque alijs alia. sed in omnibus eadem maxime proficiunt. Igitur in primis super uulnus, id mēbrum deligandū est: nō tamen nimium uehementer, ne torpeat. Dein uenenum extrahendum est. id cucurbitula optime facit. Neque alienum est, ante scalpello circa uulnus incidere, quo plus uitiati iam sanguinis extrahatur. Si cucurbitula non est (quod tamen uix incidere potest) tum quodlibet simile uas, quod idem possit. Si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui uulnus exugat. Neque Hercules, scientiam pręcipuam habent hi, qui psilli nominantur: sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam uenenum serpentis (ut quædam etiam uenatoria uenena, quibus galli pręcipue utūtur) nō gustu, sed in uulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur: ictus eius occidit; & si stupente ea (quod per quędam medicamenta circulatores faciūt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliua noxa est. Ergo quisquis exemplum psylli secutus, id uulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutū hominem pręstabit. Illud, ne intereat, ante debebit attendere: ne quod in gingiuis, palato ue, alia ue parte oris, ulcus habeat. Post hæc, is homo loco calido collocandus est; sic, ut id, quod percussum erit, in inferiorē partem inclinetur. Si neque qui exugat, neque cucurbitula est: sorbere oportet ius anserinum, uel ouillū, uel uitulinū, & uomere. Viuū autem gallinaceū pullū per mediū diuidere, & protinus calidū super uulnus imponere, sic, ut pars interior corpori iūgatur. Facit id etiam hædus agnus ue discissus, & calida eius caro statim super uulnus īposita. emplastra quoque, q̄ supra cōprehensa sunt: Aptissimumque est uel ephesiū, uel id quod ei subiectū est. pſens que in aliquo antidoto præsidiū est. Sin id non est: necessariū est exsorbere potionem meri uini cū pipere, uel quidlibet aliud; quo calor mouendus est, ne humorem intus coire patiatur. Nam maxima pars uenenorū frigore interimit. Omnia etiam urinam mouentia, quia materiam extenuant, utilia sunt.

Speciales

Speciales curationes aduersus ictus serpentium, & primò aduersus ictum Aspidis.

HAEC aduersus omnes ictus communia sunt: Vsus tamen ipse docuit, eum, quem aspis percusſit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cũ ab hac ictus esset: & partim ob ipsum uulnus, partim ob immodicos ęstus, siti premeretur: ac locis siccis aliũ humorem non reperiret: acetum, quod fortè secum habebat, ebibit, & liberatus est. Credo, quoniam id, quãuis refrigerandi uim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quò fit, ut terra respersa eo, spumet. Eadem ergo ui uerisimile est, spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatẽ.

Aduersus ictum scorpionis.

IN quibusdam etiam alijs serpẽtibus, certa quædam auxilia satis nota sunt. Nam scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum uino bibunt; quidam eodem modo contritum, super uulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito, uulnus suffumigãt, undique ueste circundata, ne is fumus dilabatur: tum carbonem eius, super uulnus deligant. Bibere autem oportet herbę solaris (quam ἡλιοτρόπιον græci uocãt) semen, uel certè folia ex uino. Super uulnus uerò etiam furfures ex aceto, uel ruta siluatica rectè imponitur; uel cum melle sal tostus. Cognoui tamen medicos, qui scorpione ictis, nihil aliud, quàm ex brachio sanguinem miserunt.

Aduersus aranei & scorpionis ictum.

ET ad scorpionis autem & ad aranei ictum, allium cum ruta rectè miscetur, ex oleoque contritũ super imponitur.

Aduersus Cerastis, & Dipsę, & Hæmorrhoidis ictum.

AT si Cerastes, aut Dipsas, aut Hæmorrhois percussit: catapotium, quod ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet, arefactum in duas potiones diuidendum est, sic, ut ei rutę paulũ adijciatur. Trifolium quoque & mentastrum, & cum aceto panaces æquè proficiunt. Costumque & casia, & cinnamomum rectè per potionem assumuntur.

Aduersus Chersydri ictum & Cerastis.

Aduersus Chersydri uerò ictum, panacis, aut laser, quod sit scrupulorum IIIS. -X- I. uel porri succus cum hemina uini sumendus est; & edenda multa satureia. Imponendum autem super uulnus, stercus caprinum ex aceto coctum; aut ex eodem, hordeacea farina; aut ruta, uel nepetã cum sale contrita, melle adiecto. Quod in eo quoque uulnere, quod cerastes fecit, ęquè ualet.

Aduersus Phalangij ictum.

VBI uerò phalangium nocuit, pręter eam curationem, quæ manu redditur, sæpe homo demittẽdus in solium est, dandusque ei myrrhæ & uuæ taminię par modus ex passi hemina: uel radiculę semen, aut lolij radix ex uino, & super uulnus, furfures ex aceto coctæ; imperandumque, ut is conquiescat.

Aduersus ictus Italorum anguium, qui minus terribiles peregrinis sunt.

Verùm hæc genera serpentium & peregrina, & aliquantò magis pestifera sunt, maximeque ęstuosis locis gignuntur. Italia, frigidioresque regiones, hac quoque parte salubritatem habent, quòd minus terribiles angues edunt. Aduersus quos satis proficit herba betonica, uel cantabrica, uel centaurion, uel agrimonia, uel trixago, uel personina, uel marinę pastinacæ, singulę binæ ue tritę, & cũ uino potui datę, & super uulnus impositę. Illud ignorari non oportet, omnis serpentis ictum & ieiuni, & ieiuno magis nocere: Ideoque perniciosissimę sunt, cùm incubant. Vtilissimumque est, ubi ex anguibus metus est, non antè progredi, quàm quid aliquis assumpsit.

Remedium generale aduersus omnia uenena, uel cibo, uel in potione assumpta.

NON tam facile his opitulari est, qui uenenum, uel in cibo, uel in potione sumpserunt. Primùm, quia non protinus sentiunt, ut ab angue icti; ita ne succurrere quidem statim sibi possunt. Deinde, quia noxa non à cute, sed ab interioribus partibus incipit. Commodissimum est tamen, ubi primũ sensit aliquis, protinus oleo multo epoto uomere: Deinde, ubi pręcordia exhausit, bibere antidotum. si id non est, uel merum uinum.

Specialia remedia aduersus quædam uenena, & primò aduersus cantharidas.

SVNT tamen quædam remedia propria aduersus quędam uenena, maximeque leuiora. Nam si cantharidas aliquis ebibit, panace cum lacte contusa, uel galbano, uino adiecto dari, uel lac per se debet.

Aduersus cicutam.

SI cicutam; uinum merum calidum cum ruta quamplurimum ingerendum est; deinde is uomere cogendus. posteaque laser ex uino dandum. Isque, si febre uacat, in calidum balneum mittendus. Si non uacat, ungendus ex calefacientibus est. post quę, quies ei necessaria est.

Aduersus hyoscyamum.

SI hyoscyamum; feruens mulsum bibendum est; aut quodlibet lac, maximè tamen asininum.

Aduersus cerussam.

SI cerussam: ius maluæ, uel ius glandis ex uino contritę maximè prosunt.

Aduersus sanguisugam, si epota est; & lac quod intus coijt.

SI sanguisuga epota est, acetum cum sale bibendum est. Si lac intus coijt, aut passum, aut coagulum, aut cum aceto laser.

Aduersus fungos inutiles.

SI fungos inutiles quis assumpserit, radicula aut epota, aut cum sale & aceto edenda est. Ipsi uero hi, & specie quidem discerni possunt ab utilibus, & coctur genere idonei fieri. Nam siue ex oleo inferuu erunt, siue piri surculus cum his inferuuit, omni noxa uacant.

De adustis corporis locis; & quomodo curari debeant.

Adustis quoque locis extrinsecus uis infertur. Itaque sequi uidetur, ut de his dicam. Hęc autem optime curantur folijs aut lilij, aut linguę caninæ, aut betę in uetere uino, oleoque decoctis. Quorũ quidlibet protinus impositum, ad sanitatem perducit. Sed diuidi quoque curatio potest in ea, quę mediocriter exedentia reprimentiaque; primò & pustulas prohibeant, & summam pelliculam exasperent: Deinde ea, quę lenia, ad sanitatem perducant. Ex prioribus est lenticulę cũ melle farina, uel myrrha, uel uino; creta cimolia cum thuris cortice contrita & aqua coacta, atque ubi usus necessitas incidit, aceto diluta. Ex insequentibus, quælibet λιπαρὰ: Sed idonea maxime est, quæ uel plumbi recremẽtum, uel uitellos habet. Est etiam illa adustorum curatio, dum inflammatio est, impositam habere cum melle lenticulam. Vbi ea declinauit, farina cum ruta, uel porro, uel marrubio, donec crustæ cadant. Tum eruum cũ melle, aut irim, aut resinam terebinthinam, donec ulcus purum sit. Nouissimè siccum linamentum.

De interioribus ulceribus, quæ aliqua corporum parte corrupta nascuntur. Cap. XXVIII.

De carbunculo, & eius curatione.

Ab his quę extrinsecus incidũt, ad ea ueniendum est, quæ interiùs corrupta aliqua corporum parte nascuntur. Ex quibus non aliud carbunculo peius. eius hæ notę sunt. Rubor est, superque eum non nimium pustulæ eminet, maximè nigræ, interdum subliuidæ, aut pallidæ. In his sanies esse uidetur; infra color niger est. Ipsum corpus aridum, & durius quàm naturaliter oportet. Circa quem quasi crusta est, eaque inflammatione cingitur; neque in eo loco leuari cutis potest; sed inferiori carni quasi affixa est. Somnus urget; nonnunquam horror, aut febris oritur, aut utrunque. Idque uitium subter actis quasi quibusdam radicibus serpit, interdum celeriùs, interdum tardiùs; suprà quoque procedens inalbescit, dein liuidum fit, circumque exiguæ pustulæ oriuntur. Et si circa stomachũ, fauces ue incidit, subitò spiritum sępe elidit. Nihil melius est, quàm protinus adurere. Neque id graue est; nam non sentit, quoniam ea caro mortua est; finisque adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est. Tum deinde uulnus, sicut cætera adusta, curandum est. Sequitur enim sub medicamentis erodentibus crusta undique à uiua carne diducta, quę trahit secum quidquid corruptum erat; purusque iam sinus curari potest implẽtibus. At si in summa cute uitium est, possunt succurrere quędam uel exedentia tantùm, uel etiam adurentia. Vis pro magnitudine adhibenda est. Quodcunque uerò medicamentũ positum est, si satis proficiet, protinus à uiua corruptam partem resoluit. Certaque esse fiducia potest, ferè ut undique uitiosa caro excedat, qua huiusce rei medicamẽ exest. Si id non fit, medicamentũ malo uincitur; utique ad ustionem properandum est, sed in eiusmodi casu abstinendum à cibo, à uino est. Aquam liberaliter bibere expedit; magisque ea seruanda sunt, si febricula quoque accessit.

De carcinomate, & eius curatione.

Non idem periculum carcinoma affert, nisi imprudentia curantis agitatum est. Id uitium fit maximè in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum. Et iecore autem, aut splene hoc nascitur. Circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur; isque immobilis, inęqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum inflatę uenę quasi recuruantur, hęque pallent, aut liuent; nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt. Tactusque is locus, alijs dolorem affert, in alijs eum non habet. Et nonnunquam sine ulcere, durior aut mollior est, quàm esse naturaliter debet; nonnunquam hisdem omnibus ulcus accedit. Interdumque nullam habet proprietatem; interdum simile his est, quę uocant Græci κονδυλώματα, aspredine quadam & magnitudine sua. Colorque eius ruber est, aut lenticulæ similis; neque tutò fertur. Nam protinus aut resolutio neruorum, aut distẽtio insequitur: Sæpe homo ictus obmutescit, atque eius anima deficit. Quibusdam etiam, si id ipsum pressum est, quę circa sunt, intendũtur & itumescũt. Ob quę, pessimũ id genus est; fereque primum id fit, quod κακόηθες à Grecis nominatur: Deinde ex eo, id carcinoma, quod sine ulcere est: Deinde ulcus, ex eo thymum. Tolli nihil, nisi κακόηθες potest; reliqua curationibus irritantur. Et quo maior uis adhibita est, eo magis quidam usi sunt medicamentis adurentibus: Quidam ferro adusserũt; quidam scalpello exciderunt. Neque ulli unquam medicina proficit, sed adusta protinus concitata sunt & increuerũt, donec occiderent. Excisa, etiam post inductam cicatricem, tamen reuerterũt, & causam mortis attulerunt. Cũ interim plerique nullam uim adhibendo, qua tollere id malũ tentent, sed imponendo tantũ lenia medicamenta, quę quasi blandiantur, quò minus ad ultimam senectutem perueniant, non prohibentur. discernere autem κακόηθες, quod curationem recipit, à carcinomate, quod non recipit, nemo scire potest, sed tempore, & experimento. Ergo ubi primũ id uitium notatũ est, imponi debent medicamẽta adurentia. Si leuatur malũ, minuũturque eius indicia, procedere curatio potest & ad scalpellũ, & ad ustionem. Si protinus irritatum est, scire licet, iam carcinoma esse; remouendaque sunt omnia acria, omnia uehementia. Sed si sine ulcere, is locus durus est; imponi ficum quàm pinguissimam,

simam, aut ῥυπῶδες; emplastrū satis est. Si ulcus æquale est, ceratum ex rosa inijciendū est, adijciendusque ei puluis ex cōtrita testa, ex qua faber ferrarius tingere candens ferrum solitus est. si id nimiùm supercreuit; tentanda squama æris est (quæ lenissima ex adurentibus est) eatenus, ne quid eminere patiatur; sed ita, si nihil exacerbauit. sin minus, eodem cerato contenti esse debebimus.

De Theriomate, & eius curatione.

Est etiam ulcus, quod θηρίωμα Græci uocant. Id & per se nascitur, & interdum ulceri ex alia causa facto superuenit. Color est uel liuidus, uel niger: odor fœdus, multus, & mucci similis humor. Ipsum ulcus neque tactum, neque medicamentum sentit: prurigine tantùm mouetur. at circà, dolor est, & inflammatio: Interdum etiam febris oritur. Nonnunquam ex ulcere sanguis erumpit. ad id quoque malum serpit. quæ omnia sæpe intenduntur: Fitque ex his ulcus, quod ἕρπητα ἐσθιόμενον Græci uocant: quia celeriter serpendo, penetrandoque usque ossa, corpus uorat. Id ulcus inæquale est, cœno simile: inestque multus humor glutinosus: odor intolerabilis; maiorque quàm pro modo ulceris, inflammatio. Vtrunque (sicut omnis cancer) fit maximè in senibus: uel his, quorum corpora mali habitus sunt. Curatio utriusque eadem est: sed in maiore malo magis necessaria. Ac primùm à uictus ratione ordinandus est; ut quiescat in lectulo: ut primis diebus à cibo abstineat: aquam quàm plurimam assumat. aluus quoque ei ducatur. dein post inflammationem, cibum boni succi capiat, uitatis omnibus acribus. potionis quantum uolet, sic, ut interdiu quidem aqua contentus sit: in cœna, etiam uini austeri aliquid bibat. non æquè tamen fame in his, quos ἕρπης urgebit, atque his, qui θηρίωμα adhuc habebunt, utendnm erit, & uictus quidē talis necessarius est. Super ulcus uerò inspergenda arida aloe, œnanthe est: & si parum proficiet, chalcitis. Ac si quis neruus, exesa carne, nudatus est; contegendus antè linteolo est: ne sub eo medicamento aduratur. Si ualidioribus etiamnum remedijs opus est: ad eas compositiones ueniendum est, quæ uehementiùs adurunt. Quidquid autem inspergitur, auerso specillo infundi debet. Super danda cum melle sunt uel linamenta, uel oleæ folia ex uino decocta, uel marrubiū: eaque linteolo contegenda, in aqua frigida madefacto, dein bene expresso. Circaque, quà tumor ex inflammatione est, imponenda quæ reprimant cataplasmata. Si sub his nihil proficitur; ferro locus aduri debet: diligenter neruis (si qui apparet) antè contectis. Adustum uel medicamentis, uel ferro corpus, primùm purgandum, deinde implendum esse: apparere cuilibet ex prioribus potest.

De sacro igne, & eius curatione.

Sacer quoque ignis malis ulceribus annumerari debet. eius duæ species sunt. Alterum est subrubicundum, aut mixtum rubore, atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera maior est, sed plurimæ perexiguæ. In his semper ferè pus, & sæpe rubor cum calore est: serpitque id nonnunquam, sanescente eo, quod primùm uitiatum est: nonnunquam etiam exulcerato, ubi ruptis pustulis, ulcus continuatur, humorque exit, qui esse inter saniem, & pus uideri potest. Fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipueque in plantis. Alterum autem est in summæ cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, subliuidū, inæqualiter tamen; mediumque sanescit, extremis procedentibus; ac sępe id quod iam sanum uidebitur, iterum exulceratur. At circà proxima cutis, quę uitiū receptura est, tumidior, & durior est, coloremque habet ex rubro subnigrum. Atque hoc quoque malo fere corpora seniora tentantur, aut quę mali habitus sunt; sed in cruribus maximè. Omnis autem sacer ignis, ut minimum periculum habet ex his quę serpunt, sic propè difficillimè tollitur. Medicamentū eius fortuitum est, uno die febris, quę humorem noxium absumat. Cuius quò crassius, & albidius est, eò periculi minus est. Prodest etiam infra os ulcerum lędi, quò plus puris exeat; & id, quod ibi corruptum corpus est, extrahat. Sed tamen si febricula accessit, abstinentia, lectulo, alui ductione opus est. In omni uerò sacro igni, neque lenibus, & glutinosis cibis, neque salsis, & acribus utendum est; sed his, quę inter utrūque sunt; qualis est panis sine fermento, piscis, hędus, aues; exceptoque apro, omnis ferè uenatio. Si non est febricula, & gestatio utilis est, & ambulatio, & uinum austerum, & balneum. Atque in hoc quoque genere, potio magis liberalis esse, quàm cibus debet. Ipsa autem ulcera si mediocriter serpunt, aqua calida: si uehementiùs, uino calido fouenda sunt. Deinde acu pustulę quęcunque sunt, aperiendę. Tum imponenda ea, quę putrem carnem exedunt. Vbi inflammatio sublata, ulcusque purgatum est, imponi leue medicamentum debet. In altero autem genere, possunt proficere mala cotonea in uino cocta atque contrita: Potest emplastrum uel Hiere, uel τετραφάρμακον, cui quinta pars thuris adiecta sit: Potest nigra hedera ex uino austero cocta. Ac si celeriter malum serpit, non aliud magis proficit. Purgato ulcere, quod in summa cute esse proposui, satis ad sanitatem, eadem lenia medicamenta proficient.

De Chironeo ulcere, & eius curatione.

Chironeum autem ulcus appellatur, quod & magnū est, & habet oras duras, callosas, tumentes. Exit sanies non multa, sed tenuis. Odor malus neque in ulcere, neque in eius humore est. Nulla inflammatio, dolor modicus est. nihil serpit, ideoque nullum periculum affert; sed non facilè sanescit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcusque renouatur. Fit maximè in pedibus & cruribus. Super id imponi debet, quod & lene aliquid, & uehemens, & reprimens habeat. Quale eius rei causa fit ex his; Squamę ęris, plumbi eloti combusti, singulorum P. ✱ IIII. Cadmię, cerę, singulorum P. ✱ VIII. rosę quantum satis est ad ceram simul cum eis molliendam.

De ulceribus, quæ ex frigore in pedibus & manibus oriuntur, & eorum curationibus.

Fiunt etiam ex frigore hiberno ulcera, maximè in pueris, & pręcipuè pedibus, digitisque eorum; nō

nunquam etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri est: Interdum pustulę oriuntur, deinde exulceratio. Dolor autem modicus: Prurigo maior est, nonnũquam humor exit, sed non multus, qui referre uel pus, uel saniem uidetur. In primis multa calida aqua fouendum est, in qua rapa decocta: aut si ea non sunt, aliquæ uerbenæ ex reprimentibus. Si nondum adapertum ulcus: æs, quàm maxime calidum quis pati potest, admouendum est. Si iam exulceratio est, imponi debet alumen æqua portione cum thure contritum, cum uino adiecto: aut malicorium in aqua coctum, deinde contritum. Si summa detracta pellicula est: hic quoque melius lenia medicamenta proficiunt.

De struma, & eius curatione.

Struma quoque, est tumor, in quo subter concreta quędã ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriũtur. Quæ uel præcipuã fatigare medicos solent, quoniam & febres mouent, nec unquam facilè maturescunt, & siue ferro, siue medicamentis curantur. Plerunque iterum iuxta cicatrices ipsas resurgunt, multoque post medicamento est opus. Quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent. Nascuntur maximè in ceruice; sed etiam in alis, & inguinibus, & in lateribus: In mammis quoque fœminarum se repperisse chirurgicus Meges auctor est. Propter hæc, & album ueratrum rectè datur, atque etiã sæpius, donec ea digerantur. Et medicamenta imponuntur, quæ humorem uel educant, uel dissipent; quorum suprà mentio facta est. Adurentibus quoque quidam utuntur, quæ exedunt, crustaque eum locũ astringunt; tunc uerò ut ulcus curant. Quæcunque autem ratio curandi est, corpus puro ulcere exercendum atque alendum est, donec ad cicatricem perueniat. Quæ cùm medici doceant, quorundam rusticorum experimento cognitum, quem struma malè habet, eum, si anguem edit, liberari.

De furunculo, & eius curatione.

Furunculus uerò, est tuberculum acutum cum inflatione & dolore, maximeque ubi iam in pus uertit. Qui ubi adapertus est, & exit, super apparet pars carnis in pus uersa, pars corrupta, subalbida, subrubra, quem uentriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum est, etiam si nulla curatio adhibeatur: Maturescit enim per se, atque erumpit. Sed dolor efficit, ut potior medicina sit, quæ maturiùs liberet. Proprium eius medicamentum, galbanum est; sed alia quoque suprà comprehensa sunt. Si cętera desunt, imponi debent, primùm non pingue emplastrũ, ut id reprimat; deinde si nõ repressit, quodlibet puri mouendo accomodatũ. Si ne id quidem est, uel resina, uel fermentum. Expresso pure, nulla ultrà curatio necessaria est.

De phymate, & eius curatione.

Phyma uerò, nomin[illegible]: tuberculum furunculo simile, sed rotundius & planius, sæpe etiam maius. Nam furunculus, oui dimi[illegible] magnitudinem rarò explet, nunquam excedit. Phyma etiam latius patere consueuit; sed inflammatio, dolorque sub eo minores sunt. Vbi euulsum est pus, eodem modo apparet uentriculus, quod in furunculo non inuenitur. Verùm omnis corrupta caro in pus uertitur. Id autem in pueris & sæpius nascitur, & faciliùs tollitur; in iuuenibus rariùs oritur, & difficiliùs curatur. Vbi ætas indurauit, ne nascitur quidem. Quibus uerò medicamentis discuteretur, suprà propositum est.

De phygetlo, & eius curatione.

Φύγεθλον autem, est tumor non altus, latus, in quo quiddam pustulæ simile est. Dolor, distentioque uehemens est, & maior quàm pro magnitudine tumoris; interdum etiam febricula; idque tardè maturescit: neque magnopere in pus conuertitur. Fit maximè aut in uertice, aut in alis, aut inguinibus. Panem ad similitudinẽ figuræ, nostri uocant. atque id ipsum quo medicamento tolleretur, suprà demonstraui. Sed cũ oẽs hi, nihil nisi minuti abscessus sint; gñale nomẽ trahit latius uitiũ ad suppurationem spectans. idque ferè fit aut post febres, aut post dolores partis alicuius, maximeque eos, qui uentrẽ infestarunt. sæpiusque oculis expositum est: Siquidem latius aliquid intumescit, ad similitudinem eius, quod phyma uocari proposui, rubetque cum calore, & paulòpost etiam cum duritia, magisque innocenter indolescit, & sitim, uigiliamque exprimit. Interdũ tamẽ nihil horũ in cute deprehẽdi põt: maximeque ubi altiùs pus mouetur: Sed cũ siti, uigiliaque sentiũtur intus aliquæ pũctiones; & quod desubito durius nõ est, melius est: & quãuis nõ rubet: coloris tamẽ aliter mutati est. quæ signa iã pure oriẽte nascũtur: Tumor, ruborque multò antè incipiũt. Sed si locus mollis est, auertendus is materiæ aditus est per cataplasmata, quæ simul & reprimũt, & refrigerant: qualia & aliàs, & paulòantè in erysipela proposui. Si iam durior est, ad ea ueniendũ est, quæ digerant, & resoluant: qualis est ficus arida contusa; aut fęx mixta cũ cerato, quod ex adipe suilla coactum sit: aut cucumeris radix, cui ex farina duæ partes adiectæ sint, antè ex mulso decoctæ. Licet etiã miscere æquis portionibus ammoniacum, galbanum, propolim, uiscum: pondusque adijcere myrrhæ dimidio minus, quàm in prioribus singulis erit. Atque emplastra quoque & malagmata idem efficiũt, quę suprà explicui. Quod per hæc discussum non est, necesse est maturescat: idque quò celeriùs fiat, imponenda est farina hordeacea, ex aqua cocta rectè miscetur. Eadem autem hæc in minoribus quoque abscessibus

sibus (quorum nomina, proprietatesque suprà reddidi) rectè fiunt. eademque omnium curatio: tantum modo distat. Crudum est autem, in quo magis quasi uenarum motus est, & grauitas, & ardor, & distentio, & dolor, & rubor, & durities: Et si maior abscessus est, horror, aut etiam febricula permanet. Penitusque condita suppuratio. Si pro his, quæ alibi cutis ostendit, punctiones sunt, ubi illa se remiserunt; iamque is locus prurit, & aut subliuidus, aut subalbidus est, matura suppuratio est; eaque, ubi uel per ipsa medicamenta, uel etiam ferro aperta est, pus debet emitti. Tum si qua in alis uel inguinibus sunt, sine linamento nutrienda sunt: In cæteris quoque partibus, si una plaga exigua est, si mediocris suppuratio fuit, si non altè penetrauit, si febris non est, si ualet corpus, æquè linamenta superuacua sunt: In reliquis, parcè tamē; nec, nisi plaga est, imponi debent. Commodè uerò uel super linamenta, uel sine his, imponitur lenticula ex melle, aut malicorium ex uino coctum. Quæ & per se, & mixta, idonea sunt. Si qua circà duriora sunt; ad ea mollienda, uel malua contrita, uel fœni græci, lini'ue semen ex passo coctum, supèr dandum est. Quidquid deinde impositum est, non astringi, sed modice deligari debet. Illo neminem decipi decet, ut in hoc genere, cerato utatur. Cætera quæ pertinent ad purgandum ulcus, ad implendum, ad cicatricē inducendam, conueniunt, quæ in uulneribus exposita sunt.

De fistulis & earum generibus, & curationibus.

Nonnunquam autem ex eiusmodi abscessibus, & ex alijs ulcerum generibus fistulæ oriuntur. Id nomen est ulceri alto, angusto, calloso. Fit in omni ferè parte corporis: habetque quædam in singulis locis propria: priùs de cōibus dicam. Genera igitur fistularū plura sunt. siquidem aliæ breues sunt, aliæ altius penetrāt; aliæ rectæ intus ferūtur; aliæ, multoque plures, trāsuersæ; aliæ simplices sunt, aliæ duplices, triplices ue ab uno ore intus orsæ: quæ tres fiunt, aut etiam in plures sinus diuiduntur; aliæ rectę, aliæ flexæ & tortuosæ sunt. Aliæ intra carnem desinunt: Aliæ ad ossa, aut cartilaginem penetrant; aut ubi neutrum horum subest, ad interiora perueniunt: Aliæ deinde facilè, aliæ cum difficultate curantur: Atque etiam quædam insanabiles reperiuntur. Expedita curatio est in fistula simplici, recenti, intra carnem; adiuuatque ipsum corpus, si iuuenile, si firmum est. Inimica, cōtraria his sunt: Itemque si fistula, os, uel cartilaginem, uel neruum, uel musculos læsit: si articulum occupauit: si uel ad uesicam, uel ad pulmonē, uel ad uuluam, uel ad grandes uenas, arterias ue, uel ad inania, ut guttur, stomachum, thoracem penetrauit: Ad intestina quoque eam tendere, semper periculosum, sæpe pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus uel ægrum, uel senile, uel mali habitus est. Ante omnia autem demitti specillum in fistulam conuenit: ut quò tendat, & quàm altè perueniat, scire possimus. Simul etiam protinus humida, an siccior sit. quod extracto specillo patet. Si uerò os in uicino est, (id quod disci potest), si iam nec'ne eò fistula penetrauit, quatenus nocuerit: Nā si molle est, quod ultimo specillo cōtingitur: intra carnem adhuc uitiū est: Si magis id renititur, ad os uentū est. Ibi deinde si labitur specillū, nondū caries est. si nō labitur, sed æquali innititur: caries qdē, uerū adhuc leuis est: Si inæquale quoque & asperū subest: uehemētius os exesum est. At cartilago ubi subhæsit, ipsa sedes docet: peruētumque esse ad eā, ex renixu patet. Sed ex his qdem colligūtur fistularū sedes, spatia, noxæ. Simplices uerò hæ sint, an in plures partes diducantur, cognosci potest ex modo puris: cuius si plus fertur, q̄ quod simplici spatio conuenit: plures sinus esse manifestum est. Cumque ferè iuxtà sint, caro, & neruus, & aliqua neruosa (quales ferè tunicæ, membranæque sunt) genus quoque puris docebit, num plures sinus intus diuersa corporis genera perroserint. siquidem ex carne pus leue, album, copiosius fertur. At ex neruoso loco: coloris quidem eiusdem, sed tenuius, & minus. Ex neruo, pingue & oleo non dissimile. Denique etiam corporis inclinatio docet, nū in plures partes fistulæ penetrarint; quia sæpe cùm quis aliter decubuit, aliterque membrum collocauit, pus ferri, quod iam desierat, iterum incipit; testaturque, non solùm alium sinum esse, ex quo descendat, sed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Sed si & in carne, & recens, & simplex est, ac neque rugosa, neque caua sede, neque in articulo; sed in eo membro, quod per se immobile, non nisi cum toto corpore mouetur; satis proficiet emplastrum, quod recentibus uulneribus imponitur, dum habeat uel salem, uel alumen, uel squamē æris, uel æruginem, uel ex metallicis aliquid. exque eo collirium fieri debet altera parte tenuius, altera paulò plenius: Idque ea parte, qua tenuius est, altera antecedente, demitti oportet in fistulam, donec sanguis purus se ostendat. quæ in omnibus fistularum collirijs perpetua sunt. Idē deinde emplastrum in linteolo superimponendum; supraque inijcienda spongia est in acetum antè demissa: soluique quinto die satis est. genusque uictus adhibendum est, quo carnem ali docui. Ac si longiùs à præcordijs fistula est; ex interuallo ieiunum radiculas edisse, deinde uomere, necessarium est. Vetusta te callosa fit fistula: Callus autem neminem fallit, quia durus est, & ut albus, aut pallidus. sed tum ualidioribus medicamentis opus est: Quale est, quod habet papaueris lacrymę P. ✱ I. gummi P. ✱ III. cadmiæ P. ✱ IIII. atramenti sutorij P. ✱ VIII. Ex quibus aqua coctis, collirium fit. aut in quo sunt gallæ P. ✱ I. æruginis, sandarace, aluminis ægyptij, singulorum P. ✱ I. atramenti sutorij combusti P. ✱ II. aut quod constat ex chalcitide, & saxo calcis; quibus auripigmenti dimidio minus, quàm in singulis prioribus est, adijcitur. eaque melle cocto excipiuntur. Expetidissimum autem est, ex præcepto Megetis, æruginis rasæ P. ✱ II. conterere: deinde ammoniaci thymiamatis P. ✱ II. aceto liquare; eoque infuso, ex ærugine colligere. idque ex primis medicamentis est. Sed ut hæc maximi effectus sunt; sic, cui ista non adsunt, facile tamen est, callum quibuslibet adurentibus medicamentis prodere; aut quibus hæc ma

xime in effectu sunt, erodere. Satiusque est, uel papyrum intortum, uel aliquid ex penicillo in modū collirij astrictum, eo illinere. Scylla quoque cocta, & mixta cum calce, callum exedit. Siquando uerò longior, & transuersa fistula est; demisso specillo, contra principium huius incidi commodissimum est, & collirium utrinque demitti. At si duplicem esse fistulam, aut multiplicē existimamus, sic tamen ut breuis, intraque carnem sit; collirio uti non debemus, quod unam partem curet, reliquas omittat: sed eadem medicamenta arida in calamum scriptorium conijcienda sunt, isque ori fistulæ aptandus, inspirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur. aut eadem ex uino liquāda: Vel, si sordidior fistula est, ex mulso: si callosior, ex aceto sunt; atque intus infundendum, quidquid inditum est. Superponenda sunt, quæ refrigerent, & reprimant: nam fere quæ circa fistulam sunt, habent aliquid inflammationis. Neque alienum est, ubi quis resoluerit, antequàm rursus alia medicamenta conijciat, per oricularium clysterem fistulam eluere. si plus puris fertur, uino: Si callus durior est, aceto: Si iam purgatur, mulso, uel aqua, in qua eruum coctum sit, sic, ut huic quoque mellis paulum adijciatur. Fere uerò fit, ut ea tunica, quæ inter ferrumentum, & integram carnem est, uicta medicamentis tota exeat, infraque ulcus purum sit. quod ubi contigit, imponenda glutinantia sunt, præcipueque spongia melle cocto illita. Neque ignoro multis placuisse, linamentum in modum collirij compositum, tinctum melle demitti. sed celerius id glutinatur, quàm impletur. Neque uerendum est, ne purum corpus puro corpori iunctum, non coëat, adiectis quoque medicamentis ad id efficacibus; cùm sæpe exulceratio digitorum, nisi magna cura prospeximus, sanescendo, in unū eos iungat.

De melicera.

Est etiam ulceris genus, quod à faui similitudine μελικηρον à Græcis nominatur: idque duas species habet. Alterum subalbidum, furunculo simile; sed maius, & cum dolore maiore. quod ubi maturescit, habet foramina, per quæ fertur humor glutinosus, & purulentus: Nec tamē ad iustā maturitatem peruenit. Si diuisum est, multò plus intus corrupti, quàm in furunculo apparet, altiusque descendit. Rarò fit, nisi in scapulis. Alterum est minus, super corpus eminens, durum, latum, subuiride, subpallidum, magis exulceratum: Siquidem ad singulorum pilorum radices, foramina sunt, per quæ fertur humor glutinosus, subpallidus, crassitudinem mellis aut uisci referens, interdum olei. Si inciditur, uiridis intra caro apparet. Dolor autem & inflammatio ingens est, adeo ut acutam quoque febrem mouere consuerit. Super id, quod minus crebris foraminibus exasperatum est, rectè imponitur & ficus arida, & lini semen, quod in uino coctum: & emplastra, ac malagmata materiam educentia: aut quæ propriè huc pertinentia suprà posui. Super alterum, & ea medicamenta, & farina ex mulso cocta, sic, ut ei dimidium resinæ terebinthinæ misceatur; & ficus in mulso decocta, cui paulum hyssopi contriti sit adiectum, & uuæ taminiæ pars quarta fico adiecta. Quòd si parum in utrolibet genere medicamenta proficiunt: totum ulcus usque ad sanam carnem excidi oportet, & ulcere ablato, super plagam medicamenta danda sunt, primum quæ pus citent: deinde quæ purgent: tum quæ impleant.

De acrochordone & Thymio, & Myrmecio, & Clauo, curationibusq; eorum

SVNT quædam uerò uerrucis similia: quorum diuersa nomina ut uitia sunt. ἀκροχορδόνα Græci uocant, ubi sub cute coït aliquid durius, & interdum paulò asperius, coloris eiusdem: infrà tenue, ad cutem latius; idque modicum est: quia rarò fabæ magnitudinem excedit. Vix unum tantùm eodem tempore nascitur: sed fere plura, maximeque in pueris; eaque nonnunquam subitò desinunt, nonnunquam mediocrem inflammationem excitant: Sunt quæ etiam in pus conuertuntur. At thymion nominatur, quod super corpus quasi uerrucula eminet, ad cutem tenue, suprà latius, subdurum, & in summo perasperum: Idque summum, colorem floris thymi repræsentat (Vnde ei nomen est) Ibique facile finditur & cruentatur; nonnunquam aliquantum sanguinis fundit: fereque circa magnitudinem fabæ Aegyptiæ est: rarò maius: interdum perexiguum. modò unum, modò autem plura nascuntur, uel in talis, uel palmis, uel inferioribus pedum partibus. Pessima tamen in obscœnis sunt: maximeque ibi sanguinem fundunt. Myrmecia autem uocantur, humiliora thymio durioraque, quæ radices altiùs exigunt, maioremque dolorem mouent: infrà lata, super autem tenuia: minus sanguinis mittunt: magnitudine uix unquam lupini modum excedunt. Nascuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. Clauus autem nonnunquam quidem etiam alibi, sed in pedibus tamen maximè nascitur; præcipuè tamen ex contuso (quamuis interdum aliter) doloremque etiam, si non aliàs, tamen ingredienti mouet. ex his acrochordon, siue thymium, sæpe etiam per se finiuntur; & quò minora sunt, eò magis. Myrmecia & claui, sine curatione uix unquam desinunt. Acrochordon, si excisa est, nullam radiculam relinquit; ideoque ne renascitur quidem. Thymio, clauoque excisis, subter rotunda radicula nascitur, quæ penitus descendit ad carnem; eaque relicta, idem rursus exigit. Myrmecia latissimis radicibus inhærent: ideoque ne excidi quidem sine exulceratione magna possunt. Clauum subinde deradere commodissimum est: Nam sine ulla ui sic emollescit; ac si sanguinis quoque aliquid emissum est, sæpe emoritur. Tollitur etiam, si quis eum circum purgat, deinde imponit resinam, cui miscuit pulueris paulum, quem ex lapide molari contrito fecit. Cætera uerò genera medicamentis adurenda sunt: Alijsque, id quod ex fæce uini; myrmecijs, id quod ex alumine, & sandaraca fit, aptissimum. Sed ea, quæ circa sunt, folijs contegi debent,

debent, ne ipsa quoque exulcerentur. Deinde postea lenticula imponi solet. Tollit thymium etiam ficus in aqua cocta.

De pustularum generibus, & earum curationibus.

AT pustulę maximè uernis temporibus oriuntur; earum plura genera sunt: Nam modò circa totum corpus, partem'ue aspredo quędam fit similis his pustulis, quę ex urtica, uel ex sudore nascuntur: ἐξανθήματα Gręci uocant; eaque modò rubent, modò colorem cutis non excedunt. Nonnunquam plures similes uaris oriuntur, nonnunquam maiores pustulę liuidę, aut pallidę, aut nigrę, aut aliter naturali colore mutato; Subestque his humor. Vbi hę ruptę sunt, infrà quasi exulcerata caro apparet; φλύκταιναι Gręcè nominatur. fiunt uel ex frigore, uel ex igni, uel ex medicamentis. Phlidacion autem paulò durior pustula est, subalbida, acuta; ex qua ipsa quod exprimitur, humidum est. Ex pustulis uerò nonnunquam etiam ulcuscula sunt, aut aridiora, aut humidiora; & modò tantùm cum prurigine, modò etiam cum inflammatione aut dolore; exitque aut pus, aut sanies, aut utrunque. Maximeque id euenit in ætate puerili; rarò in medio corpore: sæpe in eminentibus partibus. Pessima pustula est, quæ ἐπινυκτὶς uocatur: Ea colore uel sublivida, uel subnigra, uel alba esse consueuit. Circa hanc autem, uehemens inflammatio est; & cùm adaperta est, reperitur intus exulceratio mucosa. Color est humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem eius est: Neque enim ea, faba maior est. Atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, & ferè noctu: Vnde nomen quoque à Græcis ei ἐπινυκτὶς impositum est. In omni uerò pustularum curatione, primum est, multum ambulare atque exerceri: si quid ista prohibet, gestari. Secundum est, cibum minuere: abstinere ab omnibus acribus & extenuantibus: eademque nutrices facere oportet, si lactens puer ita affectus est. Præter hæc, is qui iam robustus est, si pustulæ minutæ sunt, desudare in balneo debet, simulque super eas nitrum inspergere: oleoque uinum miscere, & sic ungi: Tum descendere in solium. Si nihil sic proficitur, aut si maius pustularum genus occupauit, imponenda lenticula est; detractaque summa pellicula, ad medicamenta lenia transeundum. ἐπινυκτὶς post lenticulam, rectè herba quoque sanguinali, uel uiridi coriandro curatur. Vlcera ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine fœni græci mixta, sic, ut his inuicem rosa atque intubi succus adijciatur, donec mellis crassitudo fiat. Propriè ad eas pustulas, quæ infantes malè habent, lapidis, quem πυρίτην uocant, P. ⚹ VIII. cum quinquaginta amaris nucibus miscetur, adijciunturque olei cyathi tres. Sed prius ungi ex cerussa pustulæ debent, tum hoc illini.

De scabie, & eius curatione.

Scabies uerò, est humor cutis rubicundus, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam sicciores. Exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuatis exulceratio pruriens; serpitque in quibusdam citò. Atque in alijs quidem ex toto desinit, in alijs uerò certo tempore anni reuertitur. Quò asperior est, quoque prurit magis, eò difficilius tollitur: Itaque eam, quæ talis est, ἀγρίαν (id est feram) Græci appellant. In hac quoque uictus ratio eadem, quæ suprà, necessaria est. Medicamentum autem ad incipientem hanc idoneum est, quod fit ex spodij, croci, æruginis, singulorum P. ⚹ I. piperis albi, omphacij, singulorum P. ⚹ I. cadmiæ P. ⚹ VIII. Aut ubi iam exulceratio est, id quod fit ex sulphuris P. ⚹ I. ceræ P. ⚹ IIII. picis liquidæ hemina, olei sextarijs duobus. Quæ simul incoquuntur, dum crassitudo mellis fiat. Est etiam, quod ad Protarchum auctorem refertur: Habet hoc, farinæ lupinorum sextarium, nitri cyathos quatuor, picis liquidæ heminam, resinæ humidæ selibram, aceti cyathos tres. Crocum quoque licitum, ærugo, myrrha, cinis æquis portionibus rectè miscentur, & ex passo coquuntur: Idque omnem pituitam ubique sustinet. At si nihil aliud est, amurca ad tertiam partem decocta, uel sulphur pice liquida mixtum sicut in pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur.

De impetiginis speciebus, & curationibus.

Impetiginis uerò species sunt quatuor. Minimè mala est, quæ similitudine scabiem repræsentat: Nam & rubet, & durior est, & exulcerata est, & roditur. Distat autem ab ea, quia magis exulcerata est, & uaris similes pustulas habet; uidenturque esse in ea quasi bullulæ quędam; ex quibus, interposito tempore, squamulę resoluuntur; certioribusque hoc temporibus reuertitur. Alterum genus peius est, simile papulę ferè, sed asperius, rubicundiusque, figuras uarias habens: Squamulę ex summa cute discedunt, rosio maior est, celeriùs & latiùs procedit; certioribusque etiam nonnunquam prior temporibus, et fit, et desinit: rubrica cognominatur. Tertia etiam num deterior est: Nam & crassior est, & durior, & magis tumet: in summa cute finditur, & uehementiùs rodit. Ipsa quoque squamosa, sed nigra procedit, & latè & tardè eminus serpit. In temporibus, aut oritur, aut desinit; neque ex toto tollitur; nigrę cognomen est. Quartum genus est, quod curationem omnino non recipit, distans colore: Nam subalbidum est, & recenti cicatrici simile; squamulasque habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulę similes: quibus demptis, nonnunquam profluit sanguis. Alioquin uerò humor eius albidus est; cutis dura atque fissa est, procedit que latiùs. Hæc uerò omnia maximè genera oriūtur in pedibus, & manibus; atque ungues quoque infestant. Medicamentum non aliud ualentius est, quàm quod ad scabiem quoque pertinere, sub auctore Protarcho retuli. Serapion autem nitri P. ⚹ II. sulphuris P. ⚹ IIII. excipiebat resina copiosa, eoque utebatur.

De papulis, & earum curatione.

Papularum uerò duo genera sunt: Altera est, in qua per minimas pustulas cutis exasperatur, & rubet, leuiter'que roditur, medium habet pauxillo leuius, tardè serpit, id'que uitium maximè rotundum incipit, eadem'que ratione in orbem procedit. Altera autem est, quam ἀγρίαν Græci appellant: In qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur, exulceraturque; ac uehementius & roditur & rubet: interdũ etiã pilos remittit. Quæ minus rotunda est, difficilius sanescit: nisi sublata est, in impetiginem uertitur. Sed leuis papula, etiam si ieiuna saliua quotidie defricatur, sanescit. Maior, commodissimè murali herba tollitur, si sub ea detrita est. Vt uerò ad composita medicamenta ueniamus, idem illud Protarchi tantò ualentius in his est, quantò minus in his uitij est. Alterum ad idem, Myronis: nitri rubri, thuris, singulorum P. ✳ I. cantharidum purgatarum P. ✳ II. sulphuris ignem non experti tantundem, resinæ terebinthinæ liquidæ P. ✳ XX. farinæ lolij sext. iij. gith cyathos tres: picis crudæ sext.

De uitiliginis speciebus, id est de Alpho & Mela, & Leuce, & earum curatione.

Vitiligo quoque, quamuis per se nullum periculum affert: tamen fœda est, & ex malo corporis habitu fit. Eius tres species sunt. ἄλφος uocatur, ubi color albus est, fere subasper, & nõ continuus; ut quædã quasi guttæ dispersæ esse uideantur: Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit. μέλας colore ab hoc differt: quia niger est, & umbræ similis. Cætera eadem sunt. λεύκη habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, & altius descendit; in eaque albi pili sunt, & lanugini similes. Omnia hæc serpunt: Sed in alijs celerius, in alijs tardius. Alphos & Melas, in quibusdam, uarijs temporibus & oriuntur, & desinunt: Leuce quem occupauit, non facilè dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt: Vltimum uix unquam sanescit: ac si quid ei uitio demptum est: tamen non ex toto sanus color redditur. Vtrum autem aliquod horũ sanabile sit, an non sit, experimento facili colligitur: Incidi enim cutis debet, aut acu pungi. Si sanguis exit (quod fere fit in duobus prioribus) remedio locus est: Si humor albidus, sanari non potest: Itaque ab hoc quidem abstinendum est. Super id uerò, quod curationem recipit, imponenda lenticula mixta cum sulphure & thure, sic, ut ea contrita ex aceto sit. Aliud ad idem, quod ad Hirenęum auctorem refertur: Alcyonium, nitrum, cuminum, fici folia arida paribus portionibus contunduntur, adiecto aceto. His in sole uitiligo perungitur: deinde non ita multò post, ne nimis erodatur, eluitur. Propriè quidem, Myrone auctore, eos, quos alphos uocari dixi, hoc medicamento perungunt. sulphuris P. p. Z. aluminis scissilis P. p. Z. nitri P. ✳ IIII. myrti radice contrita acetabulum miscent: deinde in balneo super uitiliginem inspergunt farinam ex faba; tum hæc inducunt. Hi uerò, quos melanas uocari dixi, curantur, cùm simul contrita sunt alcyonium, thus, hordeum, faba, sine oleo, in balneo ante sudorem insperguntur, tum genus id uitiliginis defricatur.

LIBER SEXTVS.

De uitijs singularium corporis partium. Cap I.

De capillis fluentibus.



IXI de his uitijs, quæ per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia desiderant. nunc ad ea ueniam, quæ non nisi in singulis partibus incidere consuerunt, orsus à capite. In hoc igitur, capillis fluẽtibus maximè quidem sæpe radendo succurritur. adijcit enim uim quandam ad continendãm ladanum, cum oleo mixtum. nunc de his capillis loquor, qui post morbum fere fluunt. nam quò minus caput quibusdam ætate nudetur, succurri nullo modo potest.

De porrigine & eius curatione. Cap II.

Porrigo autem est, ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt; eæque à cute resoluuntur; & interdum madent, multò sæpius siccæ sunt. Idque euenit modò sine ulcere, modò exulcerato loco; huic quoque, modò malo odore, modò nullo accidente, fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiã in supercilio. ac neque sine aliquo corporis uitio nascitur, neque ex toto inutile est. nam bene integro capite non exit: Vbi aliquid in eo uitium est, non incommodum est, summam cutem potius subinde corrumpi, quàm id quod nocet, in aliam partem magis necessariam uerti. Commodius est ergo subinde pectendo repurgare, quàm id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offendit (quod humore sequente fieri potest, magisque si id etiam mali odoris est) caput sæpe radendum est, dein id super adiuuandum aliquibus ex leuiter reprimentibus: quale est nitrum cum aceto, uel ladanum cum myrteo uino, uel myrobalanum cum uino. Si parum per hæc proficiatur, uehementioribus uti licet; cũ eo, ut sciamus, utique in recenti uitio id inutile esse.

De sycosi

De sycosi, & eius curatione. Cap. III.

EST etiam ulcus, quod à fici similitudine, σύκωσις à Græcis nominatur. caro excrescit: & id quidem generale est. sub eo uerò duæ species sunt. alterum ulcus durum & rotundum est; alterum humidum & inæquale. ex duro, exiguum quiddam & glutinosum exit; ex humido, plus, & mali odoris. Fit uerò utrunque in his partibus, quæ pilis conteguntur: sed id quidem, quod callosum & rotundum est, maximè in barba: Id uerò quod humidum, præcipue est in capillo. Super utrunque oportet imponere elaterium, aut lini semen contritum, & aqua coactum, aut ficum in aqua decoctam, aut emplastrum tetrapharmacum ex aceto subactum; terra quoque erithrea ex aceto liquata, rectè illinitur.

De Areis & earum curationibus. Cap. IIII.

Arearum quoque duo genera sunt. commune utrique est, quòd emortua summa pellicula, pili primū extenuantur, deinde excidunt; ac si ictus is locus est, sanguis exit liquidus, & mali odoris; increscit que utrunque in alijs celeriter, in alijs tardè. Pe[illegible] quod densam cutem & subpinguem, & ex toto glabrā fecit. sed ea, quę ἀλωπεκία nominatur, su[illegible] qualibet figura dilatatur: fit & in capillo & in barba. Id uerò, quod à serpentis similitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio; duorum digitorum latitudinem non excedit; ad aures duobus capitibus serpit; quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant. Illud uitium in qualibet ætate est; hoc fere in infantibus. Illud uix unquam sine curatione; hoc per se sæpe finitur. quidam hæc genera arearum, scalpello exasperant. quidam illinunt adurentia ex oleo, maximeque chartam combustam. quidam resinam terebinthinam cum tāpsia inducunt. sed nihil melius est, quàm nouacula quotidie radere; qua, cùm paulatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculæ. neque antè oportet desistere, quàm frequentem pilum nasci apparuerit. Id autem, quod subinde raditur, illini atramento scriptorio satis est.

De Varis, & Lenticulis, & Ephelide, & eorum curationibus. Cap. V.

PENE ineptiæ sunt, curare Varos, & Lenticulas & Ephelidas. sed eripi tamen fœminis cura cultus sui non potest. Ex his autem, quas suprà proposui, uari, lenticulæque uulgo notæ sunt; quamuis rarior ea species est, quàm φακὸν Græci uocant, cùm sit ea, lenticula rubicundior & inæqualior. ἔφηλις uerò à plerisque ignoratur; quæ nihil est, nisi asperitas quædam & durities mali coloris. cætera non nisi in facie; Lenticulæ etiam in alia parte nonnunquam nasci solent. de qua per se scribere alio loco, uisum operæ pretium non est. sed Vari commodissimè tolluntur imposita resina, cui non minus quàm ipsa est, aluminis scissilis, & paulum mellis adiectum est. Lenticulam tollunt galbanum & nitrum, cùm pares portiones habent, contritaque ex aceto sunt, donec ad mellis crassitudinem uenerint. His corpus illinendum, & interpositis pluribus horis, manè eluendum est, oleoque leuiter ungendum. Ephelidem tollit resina, cui tertia pars salis fossilis, & paulum mellis adiectum est. Ad omnia uerò ista, atque etiam ad colorandas cicatrices, potest ea compositio, quæ ad Tryphonem patrem auctorem refertur: In ea, pares portiones sunt myrobalani, crocomagmatis, cretæ cimoliæ subcerulæ, nucum amararum, farinæ hordei atque erui, struthij albi, sertulæ cāpanæ seminis. quæ omnia contrita, melle quàm amarissimo coquuntur; illitumque à uespere usque mane, eluitur.

De oculorum morbis, curationibusq; eorum: & primò de his morbis, qui lenibus medicamentis curantur. Cap. VI.

SED hæc quidem mediocria sunt: Ingentibus uerò & uarijs casibus, oculi nostri patent. qui cū magnam partem ad uitæ simul & usum, & dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Protinus autem orta lippitudine, quædam notæ sunt, ex quibus, quid euenturum sit, colligere possimus. nam simul & lacryma, & tumor, & crassa pituita cœperint; si ea pituita lacrymę mixta est, & ea lacryma calida est; pituita uerò alba & mollis, tumor non durus: longæ ualetudinis metus non est. at si lacryma multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus: Idque in uno oculo est: longum id, sed sine periculo futurum est. Idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed uix ante uigesimum diem tollitur: nonnunquam per duos menses durat: sed quandoque finitur. Si pituita alba & mollis esse incipit, lacrymæque miscentur; aut si simul hæ, utrunque oculum inuaserunt: potest esse breuior, sed periculum ulcerum est. Pituita autem sicca & arida, dolorem quidem mouet, sed maturius desinit; nisi quid exulcerauit. Tumor magnus, si sine dolore est, & siccus, sine ullo periculo est. si siccus quidem, sed cùm dolore est, ferè exulcerat; & nonnunquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Eiusdem exulcerationis timor in palpebris, pupillisue est; ubi super magnum dolorem, lacrymæ salsæ, calidæque eunt, aut etiam, si tumore infinito, diu lacryma cum pituita profluit. Peius etiam num est, ubi pituita calida, aut liuida est, lacryma calida aut multa profluit, caput calet, à temporibus ad oculos dolor peruenit, nocturna uigilia urget. siquidem sub his, oculus plerunque rumpitur: uotumque est, ut tantùm exulceretur. Intus ruptum oculum febricula iuuat: Si foràs iam ruptus procedit, sine auxilio est, si de nigro aliquid albidum factum est, diu

manet . at si asperum, crassum est, etiam post curationem, uestigium aliquod relinquit . Curari uerò oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, uino, uetustissimus auctor Hippocrates memoriæ prodidit : sed eorum tempora & causas parum explicuit . In quibus medicinæ summa est . neque minus in abstinentia & alui ductione sæpe auxilij est . Hos igitur interdum inflammatio occupat : Ubi cum tumore in his dolor est, sequiturque pituitæ cursus nonnunquam copiosior uel acrior : nonnunquam utraque parte moderatior . In eiusmodi casu, prima omnium sunt, quies & abstinentia . Ergo primo die, loco obscuro cubare debet, sic ut à sermone quoque abstineat . nullum cibum assumere (si fieri potest) ne aquam quidem : sin minus, certè quàm minimum eius . Quòd si graues dolores sunt ; commodius secundo die : si tamen res urget, etiam primo, sanguis mittendus est : utique si in fronte uenæ tument, si firmo corpori materia superest . si uerò minor impetus, minus acrem curationem requirit ; aluum, sed non nisi secundo, tertio ue die, duci oportet . At modica inflammatio, neutrum ex his auxilium desiderat . satisque est uti quiete & abstinentia, Neque tamen in lippientibus longum ieiunium necessarium est : ne pituita tenuior atque acrior fiat . sed secundo die dari debet, id quod leuissimum uideri potest ex his, quæ pituitam faciunt crassiorem : qualia sunt oua sorbilia . Si minor uis urget : pulticula quoque, aut panis ex lacte. Insequentibus que diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adijci cibis poterit : sed generis eiusdem : utique ut nihil salsum, nihil acre, nihil ex his, quę extenuant, sumatur : nihil potui, præter aquam . Et uictus quidem ratio talis maximè necessaria est . Protinus autem primo die, croci P. ✱ I. & farinæ candidæ quàm tenuissimæ P. ✱ II. excipere oportet oui albo, donec mellis crassitudinē habeat : idque in linteolum illinere, & fronti agglutinare ; ut compressis uenis, pituitæ impetum cohibeat . si crocum non est, thus idem facit . Linteolo an lana excipiatur, nihil interest . Super inungi uerò oculi debent, sic, ut croci quantum tribus digitis comprehendi potest, sumatur ; myrrhæ, ad fabæ ; papaueris lacrymæ, ad lenticulæ magnitudinem . eaque cum passo conterantur, & specillo super oculum inducatur . Aliud ad idem ; Myrrhæ P. ✱ I. Mandragoræ succi P. ✱ II. papaueris lacrymæ P. ✱ II. foliorum rosæ, cicutæ seminis, singulorum P. ✱ IIII. acaciæ P. ✱ IIII. gummi P. ✱ VIII. Et hæc quidem interdiu . noctu uerò, quò commodior quies ueniat, non alienum est superimponere candidi panis interiorē partem ex uino subactam : Nam & pituitam reprimit, & siquid lacrymæ processit, absorbet, & oculum glutinari non patitur . Si graue id & durum, propter magnum oculorum dolorem, uidetur ; oui & album, & uitellus in uas defundendū est, adijciendumque eo mulsi paulum, idque digito permiscendum : Vbi facta unitas est, demitti debet lana mollis bene carpta, quæ id excipiat ; superque oculos imponi . Ea res & leuis est, & refrigerando, pituitam coercet, & non exarescit, & glutinari oculum non patitur . Farina quoque hordeacea cocta, & cum malo cotoneo cocto mixta, commodè imponitur . neque ab ratione abhorret, etiam penicillo potissimum uti expresso, si leuior impetus est, ex aqua ; si maior, ex posca . Priora fascia deliganda sunt, ne per somnum cadant ; & hoc superimponi satis est, quia & reponi ab ipso commodè potest ; & cùm inaruit, iterum madefaciendum est . Si tantum mali est, ut somnum diu prohibeat : eorum aliquid dandum est, quæ ἀνώδυνα Græci uocant . satisque est puero, quod erui ; uiro, quod fabę magnitudinē impleat . In ipsum uerò oculum, primo die, nisi modica inflammatio est, nihil rectè conijcitur : sępe enim potius concitatur eo pituita, quàm minuitur . A secundo die, graui quoque lippitudini, per indita medicamenta rectè succurritur, ubi uel iam sanguis missus, uel aluus ducta est, aut ubi neutrum necessarium esse, manifestum est .

De diuersis oculorum collirijs.

MVLTA autem, multorumque auctorum colliria ad id apta sunt, nouisque etiam nunc mixturis temperari possunt, cùm lenia medicamenta, & modicè reprimentia facilè & uariè misceantur. Ergo nobilissima exequar .

Philonis collirium

EST igitur Philonis, quod habet cerussę elotę, spodij, gummi, singulorum P. ✱ I. papaueris lacrymę combustę P. ✱ I. Illud scire oportet, hic quoque omnia medicamenta, singula primùm per se teri, deinde mixta, iterum adiecta paulatim uel aqua, uel alio humore ; gummi cùm quasdam alias facultates habeat, hoc maximè prestare, ut ubi colliria facta inaruerunt, glutinata sint, neque fricentur .

Dionysij collirium .

Dionysij uero collirium est, papaueris lacrymę combustę, donec tenerescat, P. ✱ I. thuris cōbusti, gummi, singulorum P. ✱ II. spodij P. ✱ IIII.

Cleonis collirium

Cleonis nobile admodum ; papaueris lacrymę frictę P. ✱ I. croci P. ✱ I. gummi P. ✱ I. quibus, cùm teruntur, adijcitur rosæ succus . aliud eiusdem ualentius ; squamę ęris (quod στόμωμα appellant) P. ✱ I. croci P. ✱ II. spodij P. ✱ IIII. plumbi & eloti & combusti P. ✱ VI. gummi tantundem . eius aliud

quoque

quoque id idem est: maximè ubi multa pituita profluit. castorei P. ✱ Z. aloes P. ✱ L. croci P. ✱ XI. myrrhę P. ✱ II. lycij, P. ✱ III. cadmię curatę P. ✱ VIII. stibis tantundem, acaciæ succi P. ✱ XII. quod cum gummi miscuit, id quod habet liquidum, in pixidecula seruatur. Theodotus uerò huic compositioni adiecit papaueris lacrymę combustę P. ✱ æris combusti & eloti P. ✱ II. nucleos palmarũ combustos numero ✱ X. gummi P. ✱ XII.

Theodoti collyrium, Acharistum appellatum.

AT ipsius Theodoti, quod à quibusdam ἀχάριστον nominatur, eiusmodi est. castorei, nardi Indici, singulorum P. ✱ I. lycij P. ✱ II. papaueris lacrymę tantundem, myrrhę P. ✱ II. croci, cerussę elotę, aloes, singulorum P. ✱ III. cadmię botryodis elotæ, ęris combusti, singulorum P. ✱ VIII. gummi P. ✱ VIII. acacię succi P. ✱ XX. stibis tantundem: quibus aqua pluuialis adijcitur.

Cythion, uel tephrion collyrium.

Præter hæc, ex frequentissimis collyrijs est id, quod quidam κύθιον, quidam à cinereo colore, τέφριον appellant; amyli, tragacanthę, acaciæ succi, gummi, singulorum P. ✱ I. papaueris lacrymæ P. ✱ II. cerussæ elotæ, P. ✱ VIII. spumæ elotæ P. ✱ XIIII. quæ æquè ex aqua pluuiatili conteruntur.

Euelpidis collyrium, trygodes nominatum.

Euelpides autem (qui ætate nostra maximus fuit ocularius medicus) utebatur eo, quod ipse composuerat; τρυγῶδες nominabat. castorei P. ✱ II. lycij, nardi, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱ I. croci, myrrhæ, aloes, singulorum P. ✱ IIII. æris combusti P. ✱ IX. cadmiæ & stibis, singulorum P. ✱ XII. acaciæ succi P. ✱ XXVI. gummi tantundem. quò grauior uerò quæque inflammatio est, eò magis leniri medicamentum debet, adiecto uel albo oui, uel muliebri lacte. at si neque medicus, neque medicamẽtum præsto est, sæpius utrumlibet horum in oculis penicillo ad id ipsum facto, infusum, id malum lenit. Vbi uerò aliquis releuatus est, iamque cursus pituitæ constitit, reliquias fortasse leniores futuras, discutiunt balneum, & uinum. Igitur lauari debet leuiter antè ex oleo perfricatus, diutiusque in cruribus & feminibus, multaque calida aqua fouere oculos; deinde per caput priùs calida, tum egelida perfundi; à balneo cauere, ne quo frigore afflatu ue lędatur. post hęc, cibo paulò pleniore, quàm ex eorum dierum consuetudine, uti; uitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus. uinum bibere lene, subausterũ, modicè uetus, neque effusè, neque timidè; ut neque cruditas ex eo, & tamen somnus fiat, leniantur que intus latẽtia acria. Sed si quis in balneo sensit maiorem oculorum perturbationem, quàm attulerat (quod incidere his solet, qui manente adhuc pituitæ cursu, festinarunt) quàm primùm discedere debet: nihil eo die uini assumere: cibi minus etiam quàm pridie. deinde cùm primùm satis pituita substitit, iterum ad usum balnei redire. Solet tamen euenire nonnũquam, siue tempestatum uitio, siue corporis, ut pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minimè pituitę cursus finiatur. quod ubi incidit, iamque ipsa uetustate res matura est, ab his hisdem auxilium petendum est: id est, balneo ac uino. hæc enim ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt & accendere; sic in ueteribus, quę nullis alijs auxilijs cesserunt, admodum efficacia esse consuerunt. uidelicet hic quoque, ut alibi, cùm secunda uana fuerint, contrarijs adiuuantibus. Sed antè tonderi ad cutem conuenit. deinde in balneo, aqua calida quamplurima caput atque oculos fouere: tum utrunque penicillo detergere; & ungere caput irino unguento; continere que in lectulo se, donec omnis calor, qui conceptus est, finiatur; desinatque sudor, qui necessariò in capite collectus est. Tum ad idem cibi uinique genus ueniendũ sit, uti potiones meracę sint; obtegendumque caput, & quiescendum. sępe enim post hęc grauis somnus, sæpe sudor, sæpe alui deiectio, pituitę cursum finit. Si leuatum malum est (quod aliquantò sæpius fit) per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto sanitas restituatur. si diebus hisdem aluus nihil reddit, ducenda est: quò magis superiores partes leuentur. Nonnunquam autem ingens inflammatio, tanto impetu erumpit, ut oculos sua sede propellat: propriè enim πρόπτωσιν id (quoniam oculi procidunt) Græci appellant. His utique, si uires patiuntur, sanguinem mitti: si id fieri non potest, aluum duci, longioremque inediam indici, necessarium est. Opus autem lenissimis medicamentis est. Ideoque Cleonis collyrio quidam, quod ex duobus antè positum est, utuntur: Sed optimum est Nilei: neque de ullo magis inter omnes auctores conuenit.

Nilei collyrium omnium optimum.

ID habet nardi Indici, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱ I. gummi P. ✱ I. croci P. ✱ II. foliorum rosæ recentium P. ✱ IIII. quæ uel aqua pluuiatili, uel uino leni subaustero coguntur. Neque alienum est, malicorium, uel sertulam campanam ex uino coquere, deinde conterere: aut myrrham nigram cum rosæ folijs miscere; aut hyoscyami folia cum oui cocti uitello; aut farinam cum acaciæ succo, uel passo, aut mulso. quibus si folia quoque papaueris adijciuntur, aliquantò ualentiora sunt. Horum aliquo pręparato penicillo fouere oculos oportet, ex aqua calida expresso, in qua antè mel myrti, uel ro-

se folia decocta sint: deinde ex illis aliquid imponi. preter hec, ab occipitio incisa cute, cucurbitula admouenda est. Quòd si per hec restitutus oculus in sedem suã non est, eodemque modo prolapsus permanet; scire oportet, lumen esse amissum. deinde futurum, ut inarescat is, aut in pus uertatur. Si suppuratio se ostendit, ab eo angulo, qui propior tempori est, incidi oculus debet; ut effuso pure, & inflammatio ac dolor finiatur, & intus tunicę residant; quò minus fœda postea facies fit. Vtendum deinde uel hisdem collirijs est, ex lacte, aut ouo, uel croco, cui album oui misceatur. Ac si induruit, & sic emortuus est, ne in pus uerteretur: quatenus fœdè prominebit, excidendum erit: sic ut hamo summa tunica apprehendatur, infra id deinde scalpellus incidat: tum eadem medicamenta erunt conijcienda: donec omnis dolor finiatur. Hisdem medicamentis in eo quoque oculo utendum est, qui primùm procidit, deinde per plura loca fissus est.

De carbunculis oculorum, & eorum curatione.

Solent etiam carbunculi ex inflammatione nasci, nonnunquam in ipsis oculis, nonnunquam in palpebris: & in his ipsis oculis, modò ab interiore, modò ab exteriore. In hoc casu, aluus ducenda est, cibus minuendus: lac potui dandum, ut acria, quę lęserunt, leniantur. Quòd ad cataplasmata & medicamenta pertinet: his utendum, quę aduersus inflammationes proposita sunt. Atque hîc quoque Nilei collirium optimum est. si tamen carbunculus in exteriore palpebrę parte est, ad cataplasmata aptissimum est lini semen ex mulso coctum; aut si id non est, tritici farina eodem modo cocta.

De pustulis oculorum, & curatione earum.

Pustulæ quoque ex inflammationibus interdum oriuntur. quòd si inter initia protinus incidit: magis etiam seruanda sunt, quę de sanguine & quiete suprà posui; sin serius, quàm ut sanguis mitti possit: aluus tamen ducenda est. Si id quoque aliqua res inhibet, utique uictus ratio seruanda est. Medicamentis autem hîc quoque lenibus opus est, quale Nilei, quale Cleonis est.

φιλαλήθους collirium ad pustulas oculorum.

ID quoque, quod Philalethos uocatur, huic aptum est: Myrrhæ, papaueris lacrymę, singulorũ P. ✳ I. plumbi eloti, terre samię (quę ἀστὴρ uocatur) tragacanthę, singulorum P. ✳ IIII. stibis cocti, amyli, singulorum P. ✳ VI. spodij eloti, cerussæ elotę, singulorum P. ✳ VIII. Quæ aqua pluuiatili excipiuntur. Vsus collirij, uel ex ouo, uel ex lacte est.

De ulceribus oculorum, & eorum curatione; & de διὰ βαλάνου collirio.

EX pustulis ulcera interdum fiunt, ea quæ recentia, æque lenibus medicamentis nutrienda sunt, & hisdem fere, quæ suprà in pustulis posui. Fit quoque propriè ad hęc, quod διὰ βαλάνου uocatur. Habet ęris combusti, & eloti, papaueris lacrymæ frictæ, singulorum P. ✳ I. spodij eloti, thuris, stibis cõbusti & eloti, myrrhæ, gummi, singulorum P. ✳ II.

Curatio oculorum aliquo casu imminutorum.

Euenit etiam, ut oculi, uel ambo, uel singuli, minores fiant, quàm esse naturaliter debeant: idque & acer pituitæ cursus in lippitudine efficit, & continuati fletus, & ictus parum bene curati. In his quoque, hisdem lenibus medicamentis, ex muliebri lacte, utendum est. Cibis uerò his, qui maximè corpus alere & implere consuerunt. Vitandaque omni modo causa, quæ lacrymas excitet: curaque domesticorum, quorum etiam si quid tale incidit, eius notitię subtrahendum: atque acria quoque medicamẽta, & acres cibi, non alio magis nomine his nocent, quàm quòd lacrymas mouent.

De pediculis palpebrarum.

Genus quoque uitij est, qui inter pilos palpebrarum, pediculi nascuntur: Id φθειρίασιν Græci nominant. Quod cùm ex malo corporis habitu fiat, rarò non ultra procedit. Sed ferè tempore interposito, pituitę cursus acerrimus sequitur: exulceratisque uehementer oculis, aciem quoque ipsam corrumpit. His aluus ducenda, caput ad cutem tondendum, diuque quotidie ieiunis perfricandum. His, ambulationibus, alijsque exercitationibus diligenter utendum; gargarizandumque ex mulso, in quo nepeta, & pinguis ficus decocta sit: sępe in balneo multa calida aqua fouendũ caput. Vitandi acres cibi; lacte uinoque pingui utendum; bibendumque liberalius, quàm edendum est. Medicamẽta uerò intus quidem lenia danda sunt, ne acriorem pituitam concitent. Super ipsos uerò pediculos alia, quæ necare eos & prohibere, ne similes nascãtur, possint: Ad id ipsum, spumę nitri P. ✳ I. sandaracæ P. ✳ I. uuę taminię P. ✳ I. simul teruntur, adijciturque uetus oleum, pari portione, atque acetum, donec ei mellis crassitudo sit.

De oculorum grauioribus morbis, qui ex inflammationibus oriuntur, & ualidioribus medicamentis curantur; & de Andreæ collirio, & de διὰ κέρατος.

Hactenus oculorum morbi lenibus medicamentis nutriuntur. Genera deinde alia sunt, quæ diuersam

sam curationem desiderant; fereque in inflammationibus nata sunt, sed finitis quoque his manentia. Atque in primis, in quibusdam perseuerat tenuis pituitæ cursus: quibus aluus ab inferiore parte euocanda est: demendum aliquid ex cibo. neque alienum est, illini frontem compositione Andreæ, Quæ habet gummi P. ✱ I. cerussæ, stibis, singulorum P. ✱ II. spumæ argenti & coctæ & elotę P. ✱ IIII. Sed & ea spuma ex aqua pluuiatili coquitur, & arida hęc medicamenta, ex succo myrti conteruntur. His illita fronte, cataplasma quoque super iniijciendum est, ex farina, quæ frigida aqua coacta sit: cuique aut acaciæ succus, aut cupressus adiecta sit. Cucurbitula quoque, inciso uertice, recte accommodatur; aut ex temporibus sanguis emittitur. Inungi uerò eo debet, quod habet squamæ æris, papaueris lacrymę, singulorũ P. ✱ I. ceruini cornus combusti, & eloti, plumbi eloti, gũmi, singulorum P. ✱ IIII. thuris P. ✱ XII. Hoc collirium, quia cornum habet, διὰ κέρατος nominatur. Quotiescunque non adijcio, quod genus humoris adijciendum sit, aquam intelligi uolo.

Memigmenon Euelpidis collirium.

AD idem, Euelpidis, quod μεμιγμένον nominabat. In eo, papaueris lacrymæ, & albi piperis singulæ unciæ sunt, gummi libra, æris combusti P. ✱ I. Inter has autem curationes, post intermissionem aliquã, prosunt balneum & uinum. Cumque omnibus lippientibus uitandi cibi sunt, qui extenuant, tum præcipue quibus tenuis humor diu fertur. Quòd si iam fastidium est eorum, quæ pituitam crassiorem reddunt (sicut in hoc genere materiæ maximè promptum est) confugiendum est ad ea, quę quia uentrẽ, corpus quoque astringunt.

De oculorum ulceribus supercrescentibus, sordidis, cauis, ueteribus, & de curationibus singulorum.

AT ulcera, si cum inflammatione finita non sunt, aut supercrescentia, aut sordida, aut caua, aut certè uetera esse consuerunt. Ex his, supercrescentia, collirio, quod μεμιγμένον uocatur, optimè reprimũtur. Sordida purgantur & eodem, & eo, quod σμίλιον nominatur.

Smilion collirium.

HABET æruginis P. ✱ IIII. gummi tantundem, ammoniaci, minij sinopici, singulorum P. ✱ XVI. Quæ quidam ex aqua, quidam, quò uehementiora sint, ex aceto terunt.

Phynon collirium Euelpidis.

ID quoque Euelpidis, quod phynona appellabat, huic utile est. croci P. ✱ I. papaueris lacrymę, gummi, singulorum P. ✱ II. æris combusti & eloti, myrrhæ, singulorum P. ✱ IIII. piperis albi P. ✱ VI. Sed ante linitum hoc, ungendum est.

Sphærion collirium Euelpidis.

ID quoque eiusdem, quod sphęrion nominabat, eodem ualet. Lapidis hematitis eloti P. ✱ II. piperis grana sex, cadmiæ elotæ, myrrhæ, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱ III. croci P. ✱ IIII. gummi P. ✱ VIII. Quæ cum uino aminęo conteruntur.

Liquidum Euelpidis collirium.

Liquidum quoque medicamentum ad idem componebat: in quo erant hæc. æruginis P. ✱ minij combusti, atramenti sutorij, cinnamomi, singulorum P. ✱ III. croci, nardi, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱ I. myrrhæ P. ✱ II. æris combusti P. ✱ III. cineris ex odoribus P. ✱ IIII. piperis grana. ✱ V. Hæc ex uino austero teruntur: Deinde cum passi tribus heminis decoquuntur, donec corpus unum fit: Idque medicamentum uetustate efficacius fit.

De cauis oculorum ulceribus, & curationibus.

CAVA uerò ulcera cõmodissimè implent ex his quæ supra posita sunt, Sphærion, & id quod φιλαλήθους uocatur. Idem Sphærion uetustis ulceribus, & uix ad cicatricem uenientibus, optimè succurrit.

Hermonis collirium.

EST etiam collirium, quod cùm ad plura ualeat, plurimum tamen proficere in his ulceribus uidetur. Refertur ad Hermonem auctorem: habet piperis lõgi P. ✱ IZ. albi P. ✱ V. cinamomi, costi, singulorum P. ✱ I. atramenti sutorij, nardi, casiæ, castorei, singulorum P. ✱ II. gallæ P. ✱ V. myrrhæ, croci, thuris, lycij, cerussæ, singulorum P. ✱ VIII. papaueris lacrymæ P. ✱ XII. aloes, æris combusti, cadmiæ, singulorum P. ✱ XVI. acaciæ, stibis, gummi, singulorum P. ✱ XXV.

De cicatricibus oculorum, quæ ex ulceribus factæ sunt: & quomodo curari debeant: & de Asclepiade, & Canopite, & Pyxino colliriis.

Factæ uerò ex ulceribus cicatrices, duobus uitijs periclitantur: ne aut cauæ, aut crassæ sint. Si cauæ

sunt, potest eas implere id, quod sphærion uocari dixi; uel id, quod asclepias nominatur: habet papaueris lacrymæ P. ✱ II. sagapeni, opopanacis, singulorum P. ✱ III. æruginis P. ✱ IIII. cumini P. ✱ VIII. piperis P. ✱ XII. cadmiæ elotæ, cerussæ, singulorum P. ✱ XVI. At si crassæ cicatrices sunt, extenuant uel Smilion, uel Canopite collirium: quod habet cinnamomi, acaciæ, singulorum P. ✱ I. Cadmiæ elotæ, croci, myrrhæ, papaueris lacrymæ, gummi, singulorum P. ✱ II. piperis albi, thuris, singulorũ P. ✱ III. æris combusti P. ✱ IX. cum aqua pluuiatili. uel Euelpidis Pyxinum: quod ex his constat: Salis fossilis P. ✱ IIII. ammoniaci thymiamatis P. ✱ VIII. papaueris lacrymæ P. ✱ XII. cerussæ P. ✱ XV. piperis albi, croci siculi, singulorum ✱ XXXI. gummi P. ✱ XIII. cadmiæ elotæ P. ✱ IX. Maximè tollere cicatricem uidetur id, quod habet gummi P. ✱ III. æruginis P. ✱ I. crocomagmatis P. ✱ IIII.

De alio genere inflammationis oculorum.

EST etiam genus inflammationis, in qua, si cui tument ac distenduntur cum dolore oculi, sanguinem ex fronte emitti necessarium est: multaque aqua calida caput, atque oculos fouere: gargarizari ex lenticula, uel ex fici cremore; inungi acribus medicamentis, quę suprà comprehensa sunt: maximeque eo, quod sphærion nominatur, quod lapidem hæmatitem habet. Atque alia quoque utilia sunt, quæ ad extenuandam aspritudinem fiunt: de qua protinus dicam. Hanc autem inflammatio oculorum ferè sequitur, interdum maior, interdum leuior; nonnunquam etiam ex aspritudine lippitudo fit: deinde aspritudinem ipsam auget; fitque ea in alijs breuis, in alijs longa, & quæ uix unquam finiatur. In hoc genere ualetudinis, quidam crassas durasque palpebras, & ficulneo folio, & asperato specillo, & interdum scalpello eradunt: uersasque quotidie medicamentis suffricant. Quę neque nisi in magna, uetustaque aspritudine, neque sæpe facienda sunt: Nam melius eôdem ratione uictus, & idoneis medicamentis peruenitur. Ergo exercitationibus utemur, & balneo frequentiore, multaque oculorum palpebras aqua calida fouebimus: Cibos autem sumemus acres, & extenuantes.

Cæsarianum collirium.

AT medicamentum id, quod Cęsarianum uocatur, habet atramenti sutorij P. ✱ I. mysi P. ✱ piperis albi P. ✱ V. papaueris lacrymæ, gummi, singulorum P. ✱ II. cadmię lotę P. ✱ III. stibis P. ✱ VI. Satisque constat, hoc collirium aduersus omne genus oculorum ualetudinis idoneũ esse; exceptis his, quæ lenibus nutriuntur.

Hieracis collirium.

ID quoque, quod Hieracis nominatur, ad aspritudinem potest. habet myrrhæ P. ✱ I. ammoniaci thymiamatis P. ✱ II. æruginis rasæ P. ✱ IIII. cum aqua pluuiatili. Ad idem idoneum est etiam id quod Canopitę est, & id quod Smiliõ uocatur, & id quod Pyxinum, & id quod Sphęrion. Si composita medicamenta non adsunt, felle caprino, uel quàm optimo melle satis commodè aspritudo curatur.

De Xerophthalmia.

EST etiam genus aridæ lippitudinis, ξηροφθαλμίαν Græci appellant, neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantùm, & cum dolore quodam grauescunt, & noctu prægraui pituita inhærescũt; quantoque minor generis huius impetus, tantò finis minus expeditus est. In hoc uitio, multùm ambulare, multùm exerceri, lauari sæpe, ibique desudare, multaque frictione uti necessarium est. cibi qui neque implent, neque nimium acres, apti sunt, sed inter hos medij. manè, ubi concoxisse manifestum est, nõ alienum est ex sinapi gargarizare: tum deinde caput, atque os diutiùs defricare.

Rhinion collirium.

Collirium uero aptissimum est, quod Rhiniõ uocatur. habet myrrhæ P. ✱ I. papaueris lacrymę, acaciæ succi, piperis, gummi, singulorum P. ✱ I. lapidis hæmatitis, lapidis phrygij, lycij, lapidis scissilis, singulorum P. ✱ II. æris combusti P. ✱ IIII. ac pyxinum quoque eôdem accommodatum est.

Ad oculos scabros, collyria.

SI uero scabri oculi sunt (quod maximè in angulis esse cõsueuit) potest prodesse Rhinion id, quod suprà positum est; potest similiter prodesse id, quod habet æruginis rasę, piperis lõgi, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱ II. piperis albi, gummi, singulorum P. ✱ IIII. cadmię elotę, cerussę, singulorum P. ✱ VI. nullum tamen melius est, quàm Euelpidis, quod βασιλικὸν nominabat. habet papaueris lacrymæ, cerussæ, lapidis asij, singulorum P. ✱ II. gummi P. ✱ XIII. piperis albi P. ✱ IIII. croci P. ✱ VI. psorici P. ✱ XIII. Nulla autem per se materia est, quę psoricum nominetur; sed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus, ex aceto simul conteruntur; idque in uas fictile additum, & contectũ ficulneis folijs, sub terra reponitur; sublatumque post dies uiginti, rursus teritur, & sic appellatur. Verũ in basilico quoque collirio, conuenit, ad omnes affectus oculorum id esse idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur. Vbi non sunt autem medicamenta composita, scabros angulos leuant, & mel, & uinum. succurrit quę his, & aridæ lippitudini, si quis panem ex uino subactum, super oculum imponit. nam cùm ferè sit humor aliquis, qui modò ipsum oculum, modò angulos aut palpebras exasperat; sic, & si quid prodit humoris, extrahitur; & si quid iuxta est, repellitur.

Ad caligationem

Ad caligationem oculorum, quæ propter lippitudinem oritur, remedia & collyria.

Caligare uero oculi nonnunquam ex lippitudine, nonnũquam etiam sine hac, propter senectutem, imbecillitatem'ue aliam, consuerunt. si ex reliquijs lippitudinis id uitiũ est, adiuuat collirium, quod Asclepias nominatur; adiuuat id, quod ex crocomagmate fit.

διὰ κρόκου collirium.

Propriè etiam ad id componitur, quod διὰ κρόκου uocant. habet piperis P. ✳ I. croci cilicis, papaueris lacrymę, cerussæ, singulorum P. ✳ II. psorici, gummi, singulorum P. ✳ IIII.

Ad caligationem oculorum, quæ propter senectutem, aut aliam imbecillitatem fit.

At si ex senectute, alia'ue imbecillitate id est, rectè inungi potest & melle quàm optimo, & cyprino, & oleo uetere. Commodissimum tamen est, balsami partem unã, & olei ueteris, aut cyprini partes duas, mellis quàm acerrimi partes tres miscere. Vtilia quoque huic medicamenta sunt, quę ad caliginem proximè, quæque ad extenuandas cicatrices, suprà comprehensa sunt. Cuicunque uero oculi caligabũt, huic opus erit multa ambulatione atque exercitatione, frequenti balneo; ubi totum quidem corpus perfricandum est: pręcipuè tamen caput; & quidem irino, donec insudet: uelandumque postea: nec detegendũ, antequàm sudor, & calor domi conquierint. tum cibis utendũ acribus & extenuantibus; interpositisque aliquibus diebus ex sinapi gargarizandum.

De suffusione oculorum.

Suffusio quoque, (quam Gręci ὑπόχυσιν nominant) interdum oculi potentiæ, qua cernit, se opponit. Quod si inueterauerit, manu curandum est. Inter initia, nonnunquam etiam certis obseruationibus discutitur. sanguinem ex fronte uel naribus mittere; in temporibus uenas adurere: gargarizando, pituitã euocare: suffumigare oculos acribus medicamentis, inungere expedit. uictus optimus est, qui pituitam extenuat.

De resolutione oculorum, quæ paralysis dicitur.

AC ne resolutio quidem oculorum, (quam παράλυσιν Græci nominant) alio uictus modo, uel alijs medicamentis curanda est: Exposuisse tantùm genus uitij satis est. Igitur interdum euenit, modò in altero oculo, modò in utroque, aut ex ictu aliquo, aut ex morbo comitiali, aut ex distentione neruorum, qua uehementer oculus ipse concussus est, ut his neque quòquam intendi possit, nec omnino consistat; sed huc illuc ue sine ratione moueatur; ideoque ne conspectum quidem rerum pręstet.

De mydriasi oculorum.

NON multùm ab hoc malo distat id, quod μυδρίασιν Græci uocant. Pupilla effunditur, & dilatatur, aciesque eius hebescit; ac penè difficillimè genus id imbecillitatis eliditur. In utraque uerò id est, & paralysi, & mydriasi pugnandum est per eadem omnia, quæ in caligine oculorum præcepta sunt, paucis tantùm mutatis; siquidem ad caput, irino interdum acetum, interdum nitrum adijciendum est: melle inungi satis est. quidam in posteriore uitio, calidis aquis usi, releuatique. quidam, sine ulla manifesta causa subitò obcæcati sunt. ex quibus nonnulli cùm aliquandiu nihil uidissent, repentina profusione alui, lumen receperunt: quò minus alienum uidetur, ex recenti re, & interposito tempore, medicamẽtis quoque moliri deiectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.

De imbecillitate oculorum.

Præter hæc, imbecillitas oculorum est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernũt, quod in fœminam, bene respondentibus menstruis, non cadit. sed sic laborantes inungi oportet humore iocineris maximè hircini; si minus, caprini, ubi ad assum coquitur, excepto; atque edi quoque ipsum iecur debet. Licet tamen etiam iisdem medicamentis non inutiliter uti, quæ uel cicatrices, uel aspritudinem extenuant, quidam contrito semine portulacæ, mel adijciunt eatenus, ne id ex specillo destillet, eoque inungunt. Exercitationibus, balneo, frictionibus, gargarizationibus iisdem, his quoque utendum est.

Ad oculos qui extrinsecus offenduntur, cum sanguine suffusi sunt.

ET hæc quidem in ipsis corporibus oriuntur: Extrinsecus uerò interdum si ictus oculum lædit, ut sanguis in eo suffundatur; nihil commodius est, quàm sanguine uel columbę, uel palumbi, uel hirundinis inungere. neque id sine causa fit: cùm horum acies extrinsecus læsa interposito tempore, in antiquum statum redeat, celeberrimeque hirundinis. Vnde etiam locus fabulę factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonio restitui, quod per se sanescit. eorum ergo sanguis, nostros quoque oculos ab externo casu commodissimè tuetur, hoc ordine, ut sit hirundinis optimus, deinde palumbi, minimè efficax columbæ & illi ipsi, & nobis. Supra percussum uerò oculum, ad inflammationem leniendam, nõ est alienum imponere etiam cataplasmata: sed ammoniacus, uel quilibet alius quàm optimus teri debet, sic, ut ei paulatim oleum adijciatur, donec crassitudo strigmenti fiat: Id deinde miscendum

est cum hordeacea farina, quæ ex mulso decocta sit. Facile autem recognitis omnibus, quę medici quoque prodiderunt: apparere cuilibet potest, uix ullum ex his, quæ supra comprehensa sunt, oculi uitium esse, quod non simplicibus quoque, & promptis remedijs submoueri possit.

De aurium morbis, & curationibus Cap. VII.

Hactenus in oculis ea reperiuntur, in quibus medicamenta plurimùm possint: ideoque ad aures transeundum est, quarum usum proximum à luminibus natura nobis dedit: sed in his aliquantò maius periculum est: nam uitia oculorum intra ipsos nocet: Aurium inflammationes dolores'que, interdum etiam ad dementiam, mortem'que præcipitant: quò magis inter initia protinus succurrendũ est, ne maiori periculo locus sit. Ergo, ubi primùm dolorem aliquis sensit, abstinere, & continere se debet: Postero die, si uehementius malum est, caput tondere, id'que irino unguento calido perũgere, & operire. at magnus cum febre, uigilia'que dolor, exigit, ut sanguis quoque mittatur. si id aliquæ causæ prohibent, aluus soluenda est. Cataplasmata quoque calida, subinde mutata, proficiunt, siue fœni gręci, siue lini, siue alia farina ex mulso decocta est. rectè etiam subinde admouentur spongię ex aqua calida expressæ. tum leuato dolore, ceratum circundari debet ex irino, aut cyprino factum. In quibusdam tamen, melius, quod ex rosa factum est, proficit. si uehemens inflammatio somnum ex toto prohibet; adijci cataplasmata debēt papaueris corticis fricti atque contriti, sic, ut ex his pars dimidia sit; eaque tum simul ex passo mixto decoquatur. In aurem uerò infundere aliquod medicamentum oportet; quod semper antè tepefieri cõuenit: commodissime'que per strigilem instillatur. ubi auris repleta est, supèr lana mollis addenda est, quæ humorem intus contineat. & hæc quidem communia sunt. Medicamentum uerò est, & rosę, & radicum harundinum succus, & oleum, in quo lũbrici cocti sunt, & humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali persici expressus. composita uerò ad inflammationem, dolorem'que leniendum, hæc ferè sunt: castorei, papaueris lacrymæ pares portiones conteruntur: deinde adijcitur his passum. uel papaueris lacrymæ, croci, myrrhę par modus sic teritur, ut inuicem modò rosa, modò passum instilletur; uel id, quod amarum in ægyptia faba est, conteritur, rosa adiecta; quibus myrrhæ quoque paulum à quibusdam miscetur, uel papaueris lacrymę; aut thus cum muliebri lacte; uel amararum nucum cum rosæ succo, uel castorei, myrrhę, papaueris lacrymæ pares portiones cum passo; uel croci P. ✱ I. myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum P. ✱ Z. quibus, cùm teruntur, paulatim miscentur passi cyathi tres, mellis minus cyatho: id'que ex primis medicamentis est; uel papaueris lacryma ex aceto. Licet etiam compositione uti Themisonis, quæ habet castorei, opopanacis, papaueris lacrymę ex aceto, singulorum P. ✱ II. spumæ lycij P. ✱ IIII. quę contrita, passo excipiuntur, donec cerati crassitudinē habeat; atque ita reponũtur. ubi usus requiritur, rursus idē medicamētum adiecto passo, specillo teritur. Illud perpetuũ est, quotiescũque crassius medicamentum est, q̃ ut in aurem instillari possit, adijciendum eũ esse humorem, ex quo id componi debet: donec satis liquidum sit. si uerò pus quoque aures habent, rectè lyciũ per se infunditur, aut irinũ unguentum, aut porri succus cum melle, aut centaureæ succus cũ passo, aut dulcis punici mali succus in ipsius cortice tepefactus, adiecta myrrhæ exigua parte. Rectè etiam miscentur myrrhæ (quam stacten cognominãt) P. ✱ I. croci tantundem, nuces amaræ ✱ XV. mellis sesquicyathus; quæ contrita, cùm utendum est, in cortice punici mali tepefiant. Ea quoque medicamēta, quæ oris exulcerati causã cõponuntur, æquè ulcera aurium sanant; quę si uetustiora sunt, & multa sanies fluit; apta compositio est, quę ad auctorem Erasistratũ refertur: piperis P. ✱ I. croci P. ✱ I. myrrhæ, mysi cocti, singulorũ P. ✱ II. æris cõbusti P. ✱ II. hęc ex uino teruntur; deinde ubi inaruerunt, adijciuntur passi heminæ tres, & simul coquuntur; cùm utendum est, adijcitur his mel, & uinũ. Est etiam Ptolemæi chirurgi medicamentũ, quod habet lentisci P. ✱ I. gallæ P. ✱ I. omphacij P. ✱ I. succũ punici mali. Est Menophili ualidum admodum, quod ex his constat: piperis longi P. ✱ I. castorei P. ✱ II. myrrhæ, croci, papaueris lacrymæ, nardi syriaci, thuris, malicorij, ex ægyptia faba partis interioris, nucum amararum, mellis quàm optimi, singulorũ P. ✱ IIII. quibus, cùm teruntur, adijcitur acetum quàm acerrimum, donec crassitudo in his passi fiat. Est Cratonis, cinnamomi, casiæ, singulorum P. ✱ I. lycij, nardi, myrrhę, singulorum P. ✱ I. aloes P. ✱ II. mellis cyathi tres, uini sextarius; ex quibus uinum cũ lycio decoquitur: deinde his alia miscentur. at si multum puris, malusque odor est; æruginis rasæ, thuris, singulorũ P. ✱ II. mellis cyathi duo, aceti quatuor simul incoquuntur: ubi utendum est, dulce uinum miscetur; aut, aluminis scissilis, papaueris lacrymæ, acaciæ succi par pondus miscetur: hisque adijcitur hyoscyami succi dimidio minor, quàm unius ex superioribus, portio: eaque trita, ex uino diluuntur. per se quoque hyoscyami succus satis proficit. Commune uerò auxilium aduersus omnes aurium casus, iamque usu comprobatum, Asclepiades composuit: In eo sunt, cinnamomi, casiæ, singulorum P. ✱ I. flores iunci rotundi, castorei, albi piperis longi, amomi, myrobalani, singulorũ scrupuli duo, thuris masculi, nardi syriaci, myrrhæ pinguis, croci, spumæ nitri, singulorum P. ✱ II. quæ separatim contrita, rursus mixta, ex aceto conteruntur: atque ita condita, ubi utendũ est, aceto diluũtur. Eodem modo cõmune auxilium auribus laborãtibus est, Polybi sphragis ex dulci uino liquata: quę compositio priore libello continetur. quòd si & sanies profluit, & tumor est; non alienũ est, mixto uino per oricularium clysterem eluere, & tum infundere uinum austerum cum rosa mixtum: cui spodij paulum sit adiectum; aut lycium cum lacte, aut herbæ sanguinalis succum cum rosa, aut mali punici succum cum exigua parte myrrhæ: si sordida quoque ulcera sunt, melius mulso eluuntur:

& tum

& tum aliquid ex his, quæ supra scripta sunt, quod mel habeat, infunditur. Si magis pus profluit; & caput utique tondendum est, & multa calida aqua perfundendum, & gargarizandum, & usque ad lassitudinem ambulandum, & cibo modico utendum est. si cruor quoque ex ulceribus apparuit, lycium cum lacte debet infundi, uel aqua, in qua rosa decocta sit, succo aut herbæ sanguinalis, aut acaciæ adiecto. quòd si super ulcera caro increuit, ea'que mali odoris sanguinem fundit; aqua tepida elui debet; tum infundi id, quod ex thure, & ærugine, & aceto, & melle fit: aut mel cum ęrugine incoctum: squama quoque æris cum sandaraca contrita, per fistulam rectè instillatur.

Aduersus aurium uermes.

VBI uerò uermes orti sunt; si iuxta sunt, protrahendi oriculario specillo sunt: si longius, medicamentis enecandi, cauendum'que, ne postea nascantur. ad utrũque proficit album ueratrum cum aceto contritum: elui quoque aurem oportet uino, in quo marrubium decoctum sit. sic emortui uermes, in primam auris partem prouocabuntur: unde facillimè educi possunt.

Ad compressa aurium foramina.

SIN foramen auris compressum est, & intus crassa sanies subest; mel quàm optimum addendũ est: si id parum proficit, mellis cyatho & dimidio, ęruginis rasę P. ✶ II. adijciendum est; incoquendum'que, & eo utendum. Iris quoque cum melle idem proficit: Item mellis, & rosę scrupuli duo: Item galbani P. ✶ II. myrrhę cum melle, & fellis taurini, singulorum P. ✶ II. uini quantum satis est ad myrrham diluendam.

Ad grauem auditum.

VBI uerò grauius aliquis audire cœpit (quod maximè post longos capitis dolores euenire consueuit) in primis aurem ipsam considerare oportet: Apparebit enim aut crusta, qualis super ulcera innascitur, aut sordium coitus: si crusta est, infundendum est aut oleum calidum, aut cum melle ærugo, uel porri succus, aut cum mulso, nitri paulum; atque ubi crusta à corpore iam recedit, eluenda auris aqua tepida est: quò facilius ea per se diducta, oriculario specillo protrahatur. si sordes eq̃uè molles sunt, eodem specillo eximendæ sunt. at si duræ sunt, acetum, & cum eo, nitri paululum conijciendum est: Cum'que emollitę sunt, eodem modo elui aurem, purgari'que oportet. quòd si capitis grauitas manet: attondendum idem, & leniter, sed diu perfricandum est, adiecto uel irino, uel laureo oleo, sic, ut utrilibet paululum aceti misceatur; tũ diu ambulandum, leniter'que post unctionem, aqua calida caput fouendũ: Cibis'que utendum ex imbecillissima & media materia; magis'que assumendæ dilutę potiones: nonnunquam gargarizandum est. Infundendum autem in aurem, castoreum cum aceto, & laureo oleo, & succo radiculæ corticis; aut cucumeris agrestis succus, adiectis contritis rosæ folijs; Immaturæ quoque uuæ succus cum rosa instillatus, aduersus sorditatem satis proficit.

Ad sonitum aurium intra se ipsas.

ALIVD uitij genus est, ubi aures intra seipsas sonant; atque hoc quoque fit, ne externum sonum accipiant. Leuissimum est, ubi id ex grauedine est: peius, ubi ex morbis, capitis'ue lõgis doloribus incidit: Pessimum, ubi magnis morbis uenientibus, maximeq́ue comitiali, prouenit. Si ex grauedine est, purgare aurem oportet, & spiritum cõtinere, donec inde humor aliquis expumet: si ex morbo, uel capitis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem, gargarizationemq́ue pertinet, eadem facienda sunt: cibis non utendum, nisi extenuantibus. In aurem dandus radiculæ succus cum rosa, uel cũ succo radicis ex cucumere agresti; uel castoreum ex aceto & laureo oleo. ueratrum quoque cum aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, & inde collyrium factum, in aurem demittitur. si sine his cœpit, ideoq́ue nouo metu terret; in aurem dari debet castoreum cum aceto, uel irino, uel laureo oleo; aut huic mixtum castoreum cum succo nucum amararum; aut myrrha & nitrum, cum rosa & aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit uictus ratio: eademq́ue facienda sunt, quæ suprà comprehendi: cum maiore quoque diligentia: & præterea, donec his sonus finiatur, à uino abstinendum. quòd si simul & sonus, & inflãmatio, laureum oleũ coniecisse abundè est, aut id quod ex amaris nucibus exprimitur: quibus quidã uel castoreũ, uel myrrham miscent.

Ad ea, quæ in aurem inciderunt, extrahenda.

SOLET etiam interdũ in aurẽ aliquid incidere, ut calculus, aliquod'ue animal. Si pulex intus est; compellendum eo lanæ paulum est; quò ipse is subit, & simul extrahitur: si non est secutus, aliud'ue animal est, specillũ lana inuolutum, in resinã quàm glutinosissimam, maximeq́ue terebinthinã, demittendũ, idque in aurem conijciendum, ibi'que uertendũ est: Vtique.n. comprehendet & eximet: sin aliquid exanime est; specillo oriculario protrahendũ est, aut hamulo retuso, paulũ recuruato. si ista nihil pficiunt, potest eodẽ modo resina protrahi. sternutamẽta quoque admota id cõmodè elidunt; aut oriculario clystere aqua uehemẽter intus cõpulsa. tabula quoque collocatur media inhærẽs capitibus utrinque pẽdentibus; super'que eã homo deligatur, in id latus uersus, cuius auris eo modo laborat, sic, ut extra tabulã emineat: Tum malleo caput tabulę, quod à pedibus est, feritur: atque ita cõcussa aure, id quod inest, excidit.

De narium morbis, & curationibus. Cap. VIII.

NARES uero intus exulceratas fouere oportet uapore aquæ calidæ; id est spógia expressa atque admota: fit & subiecto uase oris angusti, calida aqua repleto. Post id fomentum, illinenda ulcera sunt, aut plumbi recremento, aut cerussa, aut argenti spumam cum quolibet horum aliquis conterit, eique, dũ teritur, inuicem uinum & oleum myrteum adijcit, donec mellis crassitudinem fecerit. si autem ea ulcera circa nares sunt, pluresque crustas, & odorem fœdum habent (quod genus Græci ὄζαιναν appellant) sciri quidem debet, uix ei malo posse succurri: Nihilo minus tamen hæc tentari possunt; ut caput ad cutẽ tondeatur, assidueque uehementer perfricetur, multa calida aqua perfundatur; multa ei deambulatio sit; cibus modicus, neque acer, neque ualentissimus; tum in narem ipsam mel cum exiguo modo resinę terebinthinę conijciatur (quod specillo quoque inuoluto lana fit) attrahaturque spiritu is succus, donec in ore gustus eius sentiatur; sub his enim crustę resoluuntur, quę tum per sternutamenta elidi debent. puris ulceribus, uapor aquæ calidæ subijciendus est; deinde adhibendum aut lycium ex uino dilutũ, aut amurca, aut omphacium, aut mentę, aut marrubij succus, aut atramentum sutorium, quod candens factum, deinde contritum sit; aut interior scyllæ pars contrita: sic, ut horum cuilibet mel adijciatur; cuius cæteris admodum exigua pars esse debet: in atramento sutorio tanta, ut ea mixtura liquida fiat; cum scylla utique pars maior; inuoluendumque lana specillum est, & in eo medicamento intingendum, eoque ulcera implenda sunt: rursusque linamẽtum inuolutum, & oblongum, eodem medicamento illinendũ, demittendumque in narem est, & ab inferiore parte leniter deligandum: idque per hyemem & uer, bis die; per æstatem & autumnum, ter die fieri debet. Interdum uero etiam in naribus carũculæ quędam, similes muliebribus mãmis nascuntur; hæque imis partibus, quæ carnosissimæ sunt, inhærent. Has curare oportet medicamentis adurentibus, sub quibus ex toto consumuntur. Polypus uero, est carũcula modò alba, modò subrubra, quę narium ossi inhęret, & modò ad labra pendens, narem implet; modò retrò per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeo increscit, ut post uuam conspici possit; strangulatque hominẽ, maximè austro aut euro flante; fere que mollis est, rarò dura; ea que magis spiritum impedit, & nares dilatat; quę fere καρκινώδης est: itaque attingi non debet. Illud aliud genus fere quidem ferro curatur; interdum tamen inarescit, si addita in narem per linamentum, aut penicillum, ea compositio est, quæ habet minij sinopici, chalcitis, calcis, sandaracę, singulorum P. ⁎ I. atramenti sutorij P. ⁎ II.

De dentium dolore, & curationibus. Cap. IX.

IN dentium autem dolore (qui ipse quoque maximis tormentis annumerari potest) uinum ex toto circuncidendum est. cibo quoque primò abstinendum; deinde eo modico, mollique utendum, ne mãdentis dentes irritet; tum extrinsecus admouendus per spongiam uapor aquæ calidæ; imponendumque ceratum ex cyprino, aut irino factum, lanaque id comprehendendũ; caputque uelandum est. quòd si grauior is dolor est; utiliter & aluus ducitur, & calida cataplasmata super maxillas inijciuntur, & ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur, sæpiusque mutatur. cuius rei causa, & quinque folij radix in uino mixto coquitur; & hyoscyami radix, uel in posca, uel in uino mixto coquitur, sic, ut paulum his salis adijciatur; & papaueris non nimium aridi cortices, & mãdragoræ radix eodem modo. sed in his tribus utique uitãdum est, ne quod haustum erit, deuoretur. Ex populo quoque alba cortex radicis in hunc usum in uino mixto rectè coquitur; & in aceto, cornu ceruinum rasum; & nepeta cum tedá pingui; ac ficus item pinguis, uel in mulso, uel in aceto, & melle: ex quibus, cùm ficus decocta est, is humor percolatur. Specillum quoque lana inuolutum, in calidum oleum demittitur, eoque ipso dens fouetur. quinetiam quędam quasi cataplasmata in den[tem] ipsum illinuntur: in quem usum, ex malo punico acido, atque arido, malicorij pars interior cum pari portione, & gallæ & pinei corticis conteritur, miscetureque his minium; eaque contrita, aqua pluuiatili coguntur; aut panacis, papaueris lacrymæ, peucedani, uuæ taminiæ sine seminibus, pares portiones conteruntur; aut galbani partes tres, papaueris lacrymę pars quarta. Quidquid dentibus admotum est, nihilo minus supra maxillam, ceratum, quale suprà posui, esse debet, lana obtectum. quidam etiam myrrhę, cardamomi, singulorum P. ⁎ I. croci, pyretri, ficorum partes, singulorum P. ⁎ IIII. Sinapis P. ⁎ VIII. contrita, linteolo illinunt, imponuntque in humero partis eius, qua dens dolet: si is superior est, à scapulis: si inferior, à pectore: idque dolorem leuat: & cùm leuauit, protinus submouendum est. si uero exesus est dens; festinare ad eximendum eum, nisi res coegit, non est necesse: sed cum omnibus fomentis, quæ suprà posita sunt, adijciendæ quædam ualentiores compositiones sunt, quæ dolorem leuant: quales hæ sunt. habet autem papaueris lacrymæ P. ⁎ I. piperis P. ⁎ II. sphoreos P. ⁎ X. quæ contrita, galbano excipiuntur, idque circundatur. aut Menemachi, maximè ad maxillares dentes: in qua sunt, croci P. ⁎ I. cardamomi, thuris fuliginis, ficorum partes, pyretri, singulorum P. ⁎ IIII. sinapis P. ⁎ VIII. Quidam autem immiscent pyretri, piperis, elaterij, singulorum P. ⁎ I. aluminis scissilis, papaueris lacrymę, uuę taminiæ, sulphuris ignem non experti, bituminis, lauri baccarum, sinapis, singulorum P. ⁎ II. Quòd si dolor eximi eum cogit; & piperis semen cortice liberatum, & eodem modo bacca hederæ coniecta in id foramen, dentem findit; isque forte stans excidet. & plani piscis (quam pastinacam

nacam nostri, τερηδόνα Græci uocant) aculeus torretur: deinde conteritur, resinaque excipitur; quæ dentis circundata, hunc soluit: & alumen scissile in id foramen coniectum, dentem citat: sed id tamen inuolutum in lanula demitti commodius est, quia sic dente seruato, dolorem leuat. Hæc à medicis accepta sunt: sed agrestium experimento cognitum cùm dens dolet, herbam mentastrum cum suis radicibus uelli debere, & in peluem coniici, supraque aquam infundi; collocarique iuxtà sedentē hominem undique ueste contectum: tum in peluem candentes silices demitti, sic, ut aqua tegantur; hominemque, cum hiante ore uaporem excipere, ut suprà dictum est, undique inclusum. nam & sudor plurimus sequitur, & per os continens pituita defluit; idque sæpe longiorem, sæpe annuam ualetudinem bonam præstat.

De tonsillis, & earum cura. Cap. X.

SI uerò tonsillæ sine exulceratione, per inflammationē intumuerūt, caput uelandum est extrinsecus: is locus uapore calido fouendus. multa ambulatione utendum; caput in lecto sublime habendum; gargarizandumque est ex reprimentibus. radix quoque ea, quā dulcem appellant, contusa, & in passo, mulso'ue decocta idem præstat. leniterque quibusdam medicamentis eas illini non alienum est: quæ hoc modo fiunt. ex malo punico dulci succus exprimitur, & eius sextarius in leni igne coquitur, donec ei mellis crassitudo sit: tum croci, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum P. ⚹ II. per se conteruntur, paulatimque his adijciuntur uini lenis cyathi duo, mellis unus: deinde priori succo ista miscentur, & rursus leniter incoquuntur. aut eiusdem succi sextarius eodem modo coquitur, atque eadem ratione trita ei adijciuntur hæc, nardi P. ⚹ V. omphacij P. ⚹ I. cinnamomi, myrrhæ, casiæ, singulorum P. ⚹ I. Eadem autem hæc & auribus & naribus purulentis accommodata sunt. Cibus quoque in hac ualetudine lenis esse debet, ne exasperet. quòd si tanta inflammatio est, ut spiritum impediat, in lecto conquiescendum, à cibo abstinendum, neque assumendum quidquam, præter aquam calidam est: aluus quoque ducenda est, gargarizandum ex fico & mulso: illinendum mel cum omphacio; Intrinsecùs admouendus (sed aliquātò diutius) uapor aquæ calidæ, donec ea suppurent, & per se aperiantur. si pure substante, non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt, deinde ex mulso calido gargarizandum ex fico. at si modicus quidē tumor, & exulceratio est; furfurum cremori, ad gargarizandum, paulū mellis adijciendum est, illinendaque ulcera hoc medicamento. passi quàm dulcissimi tres heminæ ad unam coquuntur, tum adijcitur thuris P. ⚹ I. croci, myrrhæ, singulorum P. ⚹ I. leniterque omnia rursus feruescunt. ubi pura ulcera sunt, eodem furfurum cremore, uel lacte gargarizādū est. atque hìc quoque cibis lenibus opus est, quibus adijci dulce uinū potest.

De oris ulceribus, & curationibus, & quæ anthera sunt. Cap. XI.

VLcera autem oris, si cum inflammatione sunt, & parum pura, ac rubicunda sunt, optimè his medicamentis curantur, quæ suprà posita, ex malis punicis fiunt; continendusque sæpe ore reprimens cremor, cui paulum mellis sit adiectum; utendum ambulationibus, & non acri cibo. simulatque uerò pura ulcera esse cœperunt, lenis humor, interdum etiam quàm optima aqua ore continenda est. prodestque assumptum pyrum mitium, pleniorque cibus, dum acribus uacet. inspergique ulcera debent alumine scissili, cui dimidio plus gallæ immaturæ sit adiectum. si iam crustas habent, quales in adustis esse consuerunt, adhibendæ sunt hæ compositiones, quas Græci ἀνθηρὰς nominant: Iunci quadrati, myrrhæ, sandaracæ, singulorum P. ⚹ IIII. aluminis pares portiones, aut croci, myrrhę, singulorum P. ⚹ II. iridis, aluminis scissilis, sandaracę, singulorum P. ⚹ IIII. iunci quadrati P. ⚹ VIII. aut gallę, myrrhę, singulorum P. ⚹ II. aluminis scissilis P. ⚹ II. rosę foliorum P. ⚹ IIII. quidam autem, croci P. ⚹. aluminis scissilis, myrrhę, singulorum P. ⚹ I. sandaracę P. ⚹ II. iunci quadrati P. ⚹ IIII. miscent. Priora arida insperguntur; hoc cum melle illinitur, neque ulceribus tantùm, sed etiam tonsillis. Verùm ea longè periculosissima ulcera sunt, quas ἄφθας Gręci appellant, sed in pueris. hos enim sępe consumunt; in uiris & mulieribus idem periculum non est. Hęc ulcera à gingiuis incipiunt, deinde palatum, totumque os occupant; tum ad uuam, faucesque descendunt. quibus obsessis, non facile fit, ut puer conualescat. ac miserius etiam est, si lactans adhuc infans est; quò minus imperari remedium aliquod potest. sed in primis nutrix cogenda est exerceri ambulationibus, his que operibus, quę superiores partes mouent; mittenda in balneum, iubendaque ibi calida aqua mammas perfundere; tum alenda cibis lenibus, & his qui facilè non corrumpuntur. Potiones, si febricitat puer, aquę; si sine febre est, uini diluti. Ac si aluus nutrici substitit; ducenda est. Si pituita eius in os coit, uomere debet: Tum ipsa ulcera perungenda sunt melle, cui rhus, quem syriacum uocāt, aut amarę nuces adiectę sunt; uel mixtis inter se rosę folijs aridis, pineis nucleis, mētę coliculo, melle, uel eo medicamento, quod ex moris fit; quorum succus, eodem modo, quo punici mali, ad mellis crassitudinem coquitur; eademque ratione ei crocum, myrrha, alumen, uinum, mel miscetur. Neque quidquam dandum, ad quod humor euocari possit. Si uerò iam firmior puer est, gargarizare debet ea, quæ adurendo, crustas ulceribus inducant; quale est scissile alumen, uel chalcitis, uel atramentum sutorium. prodest etiam fames & abstinentia, quanta maximè imperari potest. Cibus debet esse lenis. Ad purganda tamen ulcera interdum caseus ex melle rectè datur.

De gingiuarum ulceribus. Cap. XII.

Gingiuæ quoque ulcera, non alijs medicamentis egent, quàm quæ prima parte superioris capitis exposita sunt: sed quæ in latere eius nascuntur, diutissimè durant: Videndumque est, num contra dens aliquis acutior sit, qui sanescere sæpe ulcus eo loco non finit: ideoque limandus est. Solent etiam interdum iuxta dentes, gingiuis tubercula quædam oriri dolentia, παρουλίδας Græci appellant. Hæc initio leniter sale contrito perfricare oportet; aut inter se mixtis sale fossili, combusto cupresso, nepeta; deinde eluere os cremore lenticulæ; & inter hæc hiare, donec pituitæ satis profluat. In maiore uerò inflammatione, ijsdem medicamentis utendum est, quæ ad ulcera oris supra posita sunt; & mollis linamenti paulum inuoluendum aliqua compositione ex his, quas ἀνθηρὰς uocari dixi; demittendumque id inter dentem, & gingiuam: quòd si durior erit, & id prohibebit, extrinsecus admouendus erit spongiæ uapor calidus, imponendumque ceratum. Si suppuratio se ostendet, diutius eo uapore utendum erit; & continendum ore calidum mulsum, in quo ficus decocta sit: Itemque subcrudum incidendum, ne si diutius ibi pus permanserit, os lædat. quòd si maior is tumor est, commodius totus exciditur, sic, ut ex utraque parte dens liberetur. Pure exempto, si leuis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, & extrinsecus fouere eodem uapore: si maior est, lēticulæ cremore, uti hisdem medicamentis, quibus cætera ulcera oris curantur. Alia quoque ulcera in gingiuis plerunque oriuntur: quibus eadem, quæ in reliquo ore, succurrunt. maximè tamē mandere ligustrum oportet, succumque eum ore continere. Fit etiam interdum, ut ex gingiuæ ulcere (siue παρουλὶς fuit, siue non fuit) diutius pus feratur: quod aut dente corrupto, aut fracto, uel aliter uitiato osse, maximeque id per fistulam uenire consueuit. Vbi incidit, locus aperiendus, dens eximendus, testa ossis, si qua excessit, recidenda est: si quid uitiosi est, radendum. post quæ, quid fieri debeat, suprà in aliorum ulcerum curatione comprehensum est. si uerò à dentibus gingiuæ recedunt, eædem ἀνθηρὰ succurrunt. Vtile est etiam pira, aut mala non permatura mandere, & ore eum humorem continere: Idemque præstare non acre acetum in ore retentum potest.

De uuæ morbo & curatione. Cap. XIIII.

VVAE uehemens inflammatio terrere quoque debet: Itaque in hac, & abstinentia necessaria est, & sanguis rectè mittitur: & si id aliqua res prohibet, aluus utiliter ducitur, caputque super hæc uelandū, & sublimius habendum est: tum aqua gargarizandum, in qua simul rubus, & lenticula decocta sit. Illinenda autem ipsa uua, uel omphacio, uel galla, uel alumine scissili, sic, ut cuilibet eorum mel adijciatur. Est etiam medicamentum huic aptum, quod Andronium appellatur; cōstat ex his: alumine scissili, squama æris rubri, atramento sutorio, galla, myrrha, mysi: quę per se contrita, mixtaque, rursus paulatim adiecto uino austero teruntur, donec is mellis crassitudo sit. Vbi horum aliquo illita uua est, chelidonię quoque succo per cochlear illita uua maximè prodest. Fere multa pituita decurrit; cumque ea quieuit, ex uino calido gargarizandum. quòd si minor in ea inflammatio, laser terere, eique adijcere frigidam aquam satis est; eamque aquam cochleario exceptam, ipsi uuę subijcere, ac mediocriter eam tumentem, aqua quoque frigida eodem modo subiecta reprimit. Ex eadem autem aqua gargarizandum quoque est, quę uel cum lasere, uel sine eo, hac curatione uuę subiecta est.

De cancro oris. Cap. XV.

SI quando autem ulcera oris, cancer inuasit; primum considerandum est, num malus corporis habitus sit, eique occurrendum: deinde ipsa ulcera curanda. quòd si in summa parte id uitium est, satis proficit ἀνθηρὰ humido ulceri arida inspersa; sicciore, cum exigua parte mellis illita. si paulò altius, chartę combustę partes duę, auripigmenti pars una; si penitus malum descendit, chartæ combustę partes tres, auripigmenti pars quarta; aut pares portiones salis fricti & iridis frictæ: aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti. Necessarium autem est, linamentum in rosa tingere, & super adurentia medicamenta imponere, ne uicinum, & sanum locum lædant. quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem cōijciunt, donec tabescere desinat: deinde id acetum coquunt, donec exsiccetur: eumque salem contritū inspergunt. quoties autem medicamentum inijcitur, & ante, & post, os diluendum est uel cremore lenticulæ, uel aqua, in qua aut eruum, aut oleæ, aut uerbenæ decoctę sint: sic, ut cuilibet eorum paulum mellis misceatur. acetum quoque ex scylla, retentum ore, satis aduersus hęc ulcera proficit: ex aceto cocto sali (sicut suprà demonstratum est) rursus mixtum acetum. sed & diu continere utrunlibet, & id bis, aut ter die facere, prout uehemens malum est, necessarium est. quòd si puer est, cui id incidit; specillum lana inuolutum, in medicamentum demittendum est, & super ulcus tenendum; ne per imprudentiam, adurētia deuoret. Et si dolor in gingiuis est, mouenturque aliqui dentes, refici eos oportet: nam curationes uehementer impediunt. si nihil medicamenta proficient, ulcera erunt adurenda: quod tamen in labris ideo non est necessarium, quoniam excidere commodius est. & id quidem ęquè adustum, atque excisum, sine ea curatione, quę corpori manu adhibetur, impleri non potest. Gingiuarum uerò ossa, quę hebetia sunt, in perpetuum ustione nudantur: neque enim postea caro increscit. Imponenda tamen adustis lenticula est,

est, donec sanitatem, qualis esse potest, recipiant.

De parotibus, quæ sub auribus oriuntur. Cap. XVI.

HAEC in capite fere medicamentis egent. Sub ipsis uerò auribus oriri παρωτίδες solent, modò in secunda ualetudine ibi inflammatione orta, modò post longas febres, illuc impetu morbi conuerso. Id abscessus genus est: itaque nullam nouam curationem desiderat: animaduersionem tantummodò hanc habet necessariam: quia si sine morbo id intumuit, primum reprimentium experimentum est; si ex aduersa ualetudine, illud inimicum est, maturarique & quàm primùm aperiri commodius est.

De umbilici prominentis curatione. Cap. XVII.

AD umbilicos uerò prominentes, ne manu, ferroque utendum sit, ante tentandum est, ut abstineat: aluus his ducatur; imponatur super umbilicum id, quod ex his constat: Cicutæ, & fuliginis, singulorum P. ✱ I. cerussæ elotæ P. ✱ IIII. plumbi eloti P. ✱ VIII. ouis duobus; quibus etiam solani succus adijcitur. Hoc dilutius impositum esse oportet, & interim conquiescere hominem, cibo modico uti, sic, ut uitentur omnia inflantia.

De obscœnarum partium uitijs, & curationibus. Cap. XVIII.

Proxima sunt ea, quæ ad partes obscœnas pertinent; quarum apud græcos uocabula & tolerabilius se habent, & accepta iam usu sunt, cùm omni ferè medicorum uolumine atque sermone iactentur; apud nos fœdiora uerba, ne consuetudine quidem aliqua uerecundius loquentium, accommodata sunt. ut difficilis hæc explanatio sit, simul & pudorem, & artis præcepta seruantibus. neque tamen ea res à scribendo deterrere me debuit: Primùm ut omnia, quæ salutaria accepi, comprehenderem; dein, quia in uulgus eorum curatio etiam præcipuè cognoscenda est, quæ inuitissimus quisque alteri ostendit.

De colis morbis, & curationibus.

Igitur si ex inflammatione coles intumuit, reducique summa cutis, aut rursus induci non potest, multa calida aqua fouendus locus est. Vbi uerò glans contecta est, oriculario quoque clystere inter eam cutemque aqua calida inserenda est. Si mollita sic & extenuata cutis, ducenti paruit, expeditior reliqua curatio est; si tumor uicit, imponenda est uel lenticula, uel marrubium, uel oleæ folia ex uino cocta; sic, ut cuilibet eorum, dum teritur, mel is paulum adijciatur; sursumque coles ad uentrem deligādus est (quod in omni curatione eius necessarium est) isque homo continere se debet, & abstinere à cibo, & potione aquæ tantùm siti uindicari. a postero die rursus adhibendum iisdem rationibus aquæ fomentum est; & cum ui quoque experiundum, an cutis sequatur; eaque si non parebit, leniter summa scalpello concidenda erit; nam cùm sanies profluxerit, extenuabitur his locus, & faciliùs cutis ducetur. Siue autem hoc modo uicta erit, siue nunquam repugnauerit, ulcera uel in cutis ulteriore parte, uel in glande, ultra'ue eam, in cole reperientur; quæ necesse est, aut pura sicca'ue sint, aut humida & purulenta. si sicca sunt, primùm aqua calida fouenda sunt; deinde imponendum lycium ex uino est, aut amurca cocta cum eodem, aut cum rosa butyrum; si leuis is humor est, uino eluenda sunt; tum butyri & rosæ mollis paulum, & resinæ terebinthinæ pars quarta adijcienda est, eoque utendum; aut si pus ex his profluit, ante omnia, elui mulso calido debet; tum imponi piperis P. ✱ I. myrrhæ P. ✱ II. croci, mysi cocti, singulorum P. ✱ II. quæ ex uino austero coquuntur, donec mellis crassitudinem habeant. Eadem autem compositio tonsillis, uuæ madentiori, nariumque ulceribus accommodata est. Aliud ad eam; piperis P. ✱ I. myrrhæ P. ✱ I. croci P. ✱ II. mysi cocti P. ✱ I. æris combusti P. ✱ II. quæ primū ex uino austero conteruntur, deinde ubi inaruerunt; iterum teruntur ex passi tribus cyathis, & incoquuntur, donec uisci crassitudinem habeant. Aerugo quoque cum cocto melle; & ea quæ ad oris ulcera suprà comprehensa sunt, curant: aut Erasistrati compositio, aut Cratonis rectè super purulenta naturalia imponitur. folia quoque oleæ ex nouem cyathis uini coquuntur. his adijcitur aluminis scissilis P. ✱ IIII. lycij P. ✱ VIII. mellis sesquicyathus, ac si plus puris est, id medicamentum ex melle; si minus, ex uino diluitur. Illud perpetuum est, post curationem, dum inflammatio manet, quale suprà positum est, cataplasma suprà dare; & quotidie ulcera eadē ratione curare. quod si pus & multum, & cum malo odore cœpit profluere, elui cremore lenticulæ debet, sic, ut ei mellis paulum adijciatur; aut oleæ, aut lentisci folia, uel marrubium decoquendum est; eoque humore, eodem modo cum melle utendum; imponendaque eadem; aut etiam omphacium cum melle; aut id quod ex ærugine & melle ad aures fit; aut compositio Andronis, aut ἀνθηρά, sic, ut ei paulum mellis adijciatur. quidam ulcera omnia, de quibus adhuc dictum est, lycio ex uino curant. Si uerò ulcus latiùs atque altiùs serpit, eodem modo elui debet; imponi uerò aut ærugo, aut omphaciū cum melle, aut Andronis cōpositio; aut marrubii, myrrhæ, aut croci, aluminis scissilis cocti, rosæ foliorū aridorū, gallæ, singulorum P. ✱ I. minij sinopici P. ✱ II. quæ per se singula primū teruntur, deinde iūcta, iterum melle adiecto, donec liquidi cerati crassitudinem habeant: tum in æneo uase leniter coquuntur, ne superfluant; cū iam guttæ

indurescunt, uas ab igne remouetur; idque medicamentum, pro ut opus est, aut ex melle, aut ex uino liquatur. Idem autem per se etiam ad fistulas utile est. Solet etiam interdum ad neruos ulcus descendere: profluitque pituita multa, sanies tenuis, malique odoris, non cocta; aut aquæ similis, in qua caro recēs lota est: doloresque is locus, & punctiones habet. Id genus quamuis inter purulenta est, tamen lenibus medicamentis curandum est: quale est emplastrum tetrapharmacum ex rosa liquatum sic, ut thuris quoque paulum ei misceatur: aut id quod ex butyro, rosa, resina, melle fit: supra uero à me positum est: præcipueque id ulcus multa calida aqua fouendum est, uelandumque, neque frigori committendum. Interdum autem per ipsa ulcera, coles sub cute exesus, sic, ut glans excidat. sub quo casu, cutis ipsa circuncidenda est. perpetuumque est, quoties glans, aut ex cole aliquid, uel excidit, uel abscinditur: hanc non esse seruandam, ne considat, ulcerique agglutinetur; ac neque reduci possit postea, & fortasse fistulam quoque urinæ cludat. Tubercula etiam (quæ φύματα Græci uocant) circa glandem oriuntur; quæ uel medicamentis, uel ferro aduruntur; & cū crustæ exciderunt, squama æris inspergitur, ne quid ibi rursus increscat.

De cancri, qui in cole nascitur, curatione.

HAEC citra cancrum sunt; qui cùm in reliquis partibus, tum in his quoque uel præcipuè ulcera infestat. Incipit à nigritie; quæ si cutem occupauit, protinus specillum subijciendum, eaque incidenda est: deinde oræ uulsella prehendendæ: tum quidquid corruptum est, excidendū, sic, ut ex integro quoque paulum demat, idque adurendum. quoties quid ustum est, id quoque sequitur, ut imponenda lenticula sit: deinde ubi crustæ exciderūt, ulcera sic, ut alia curentur. at si cancer ipsum colem occupauit; inspargenda aliqua sunt ex adurentibus, maximeque id quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. si medicamenta uincuntur, hîc quoque scalpello, quidquid corruptum est, sic, ut aliquid etiam integri trahat, præcidi debet. Illud quoque æquè perpetuū est; exciso cancro, uulnus esse adurendū: sed siue ex medicamentis, siue ex ferro crustæ occaluerūt, magnum periculū est, ne his decidentibus, ex cole profusio sanguinis insequatur. ergo longa quiete, & immobili penè corpore opus est, donec ex ipso crustæ purè leniter resoluantur. at si uel uolens aliquis, uel imprudens, dum ingreditur, immaturè crustas diduxit, & fluit sanguis; frigida aqua adhibenda est. si hæc parum ualet, decurrendum est ad medicamenta, quæ sanguinem supprimunt. si ne hæc quidem succurrūt, aduri diligenter & timidè debet, neque ullo postea motu dandus idem periculo locus est.

De phagedænæ in cole nascentis curatione.

Nonnunquam etiam id genus ibi cancri, quod φαγέδαινα à Græcis nominantur, oriri solet, in quo minimè differendum: sed protinus iisdem medicamentis occurrendum est; & si parum ualent, ferro adurendum. quædam etiam nigrities est, quæ non sentitur, & serpit; ac si sustinuimus, usque ad uesicam tendit: neque succurri postea potest. si id in summa glande, circa fistulam urinæ est; prius in ea tenue specillum demittendum est, ne claudatur: deinde id ferro adurendum: si uerò altè penetrauit, quidquid occupatum est, præcidendum est. cæterùm eadem, quæ in alijs cancris, facienda sunt.

De carbunculo, qui in cole nascitur.

Occalescit etiam in cole interdum aliquid: idque omne penè sensu caret: quod ipsum quoque excidi debet. Carbunculus autē ibi natus, ut primùm apparet, oriculario clystere eluendus est: deinde ipse quoque medicamentis urendus, maximeque chalcitide cum melle, aut ærugine cum cocto melle, aut ouillo stercore & contrito cum eodem melle. Ubi is excidit, liquidis medicamentis utendum est, quæ ad ora ulceribus componuntur.

De testiculorum morbis, & eorum curatione.

IN testiculis uerò, si qua inflammatio sine ictu orta est, sanguis ex talo mittendus est: à cibo abstinendum: imponendum ex faba farina ex mulso cocta, cum cumino contrito ex melle cocto; aut contritū cuminum cum cerato ex rosa facto: aut lini semen frictum, contritum, & in mulso coctum; aut tritici farina ex mulso cocta, cum cupresso: aut lilij radix contrita. aut si iidem indurauerunt, imponi debet lini uel fœni græci semen ex mulso coctum, aut ex cyprino ceratum, aut simila ex uino contrita, cui paulum croci sit adiectum. si uetustior iam durities est, maximè proficit cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde contrita. si ex ictu tument, sanguinem mitti necessarium est, magisque, si etiam liuent. Imponendum uerò utrumlibet ex his, quæ cum cumino componuntur, supraque proposita sunt: aut ea compositio, quæ habet nitri cocti P. ✱ I. resinæ pineæ, gummi, singulorum P. ✱ II. uuæ taminiæ sine seminibus P. ✱ IIII. mellis quantum satis sit ad ea cogenda. quòd si ex ictu, testiculis aliquid deest, ferè pus quoque increscit; neque aliter succurri potest, quàm si inciso scroto, & pus emissum, & ipse testiculus excisus est.

De rhagadijs, & condylomate, & hæmorrhoidibus, alijsq; ani morbis, & curationibus eorum; & primò de rhagadijs.

ANVS quoque multa, tædijsque plena mala recipit, nec in se multùm abhorrentes curationes habet, at primùm in eo sæpe, & quidem pluribus locis, cutis exciditur: ῥαγάδια Græci uocant. Id si recens est, quiescere homo debet, & in aqua calida desidere: Columbina quoque oua coquenda sunt, & ubi indurauerunt,

fuerunt, purganda : deinde alterum iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, sic, ut inuicem utroque aliquis utatur : Tum tetrapharmacum, aut ῥυπώδης rosa diluendum est, aut hyssopum recens miscendum cum cerato liquido ex rosa facto : aut eidem cerato liquido plumbum elotum adijciendum : aut resinæ terebinthinæ myrrha ; aut spumæ argenti, uetus oleum ; & quolibet ex his id perungendum . si quidquid læsum est, extrà est, neque intus reconditum ; eodem medicamento tinctum linamentum superdandum est ; & quidquid antè adhibuimus, cerato contegendum . In hoc autem casu, neque acribus cibis utendum, neque asperis, nec aluum comprimentibus ; ne aridum quidem quidquam satis utile est, nisi admodum paulum ; liquida, lenia, pinguia, glutinosa meliora sunt ; uino leui uti nihil prohibet .

De condylomate.

Condyloma autem, est tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet. Id ubi ortum est, quod ad quietem, cibos, potionesque pertinet, eadem seruari debent, quæ proximè scripta sunt. ijsdem etiã ouis rectè tuberculũ id souetur. sed desidere antè homo in aqua debet, in qua uerbenæ decoctæ sunt : ex reprimentibus, tum rectè imponitur & lenticula cum exigua mellis parte, & sertula campana ex uino cocta, & rubi folia contrita cum cerato ex rosa facto, & cum eodem cerato contritum uel cotoneum malum, uel malicorij ex uino cocti pars interior, & chalcitis cocta, atque contrita, deinde hyssopo, ac rosa excepta: & ex ea compositione, q̃ habet thuris P. ✱ I. aluminis scissilis P. ✱ II. cerussæ P. ✱ III. spumę argenti P. ✱ V. quibus, dum teruntur, inuicem rosa & uinum instillatur . Vinculum autem ei loco, linteolum, aut panniculus quadratus est : qui ad duo capita, duas ansas ; ab altera uerò parte, totidem fascias habet; cumque subiectus est, ansis ad uentrem datis, à posteriore parte in eas adductæ fasciæ conijciantur ; atque ubi artatæ sunt, dexteriori sinistra, sinisteriori dextra procedit ; circundatæque circa aluum, inter se nouissimè nodo deligantur . Sed si uetus condyloma iam induruit, neque sub his curationibus desidit; aduri medicamento potest, quod ex his constat : æruginis P. ✱ II. myrrhæ P. ✱ IIII. gummi P. ✱ VIII. thuris P. ✱ XII. stibis, papaueris lacrymę, acaciæ, singulorũ P. ✱ XVI. quo medicamento, quidam etiam ulcera, de quibus proximè dixi, renouant . si hoc parum in condylomate proficit ; adhiberi possunt etiã uehementiùs adurentia. ubi consumptus est tumor, ad medicamenta lenia transeundũ est.

De hæmorrhoïdibus.

Tertium autem uitium est, ora uenarum tanquam ex capitulis quibusdam surgentia: quæ sæpe sanguinem fundunt; αἱμοῤῥοΐδας Græci uocant: Idque etiam in ore uuluæ fœminarum incidere consueuit. Atque in quibusdam parum tutò supprimitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores nõ fiunt : Habet enim purgationem hanc, non morbum : ideoque curati quidam, cùm sanguinis exitum non haberent : inclinata in præcordia ac uiscera materia, subitis & grauissimis morbis correpti sunt . si cui uerò id nocet, is desidere in aqua ex uerbenis debet : imponere maximè malicorium cum aridis rosæ folijs contritum : aut ex his aliqua, quę sanguinem supprimunt . Solet autem oriri inflammatio, maximè ubi dura aluus eum locum læsit ; tum in aqua dulci desidendum est, & id fouendum ouis : imponendi uitelli cum rosę folijs ex passo subacto : idque, si intus est, digito illinendum; si extrà, super illitum panniculum imponendum est . ea quoque medicamenta, quę recentibus scissuris posita sunt, hic idonea sunt . Cibis uerò in hoc casu hisdẽ, quibus in prioribus utendum est. si ista parum iuuant, solent imposita medicamenta adurentia, ea capitula absumere . ac si iam uetustiora sunt, sub auctore Dionysio, inspergenda sandaracã est; deinde imponendũ, quod ex his constat: squamę ęris, auripigmenti, singulorũ P. ✱ V. saxi calcis P. ✱ VIII. postero die acu compungendum . adustis capitulis, fit cicatrix, quę sanguinem fundi prohibet . sed quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia est . pręterea que & uiris, & fœminis, quibus menstrua non proueniunt, interdum ex brachio sanguis mittendus est .

Si anus, uel os uuluæ procedit, qua curatione utendum sit.

AT si anus ipse uel os uuluę procedit, (nam id quoque interdum fit) considerari debet, purum ne id sit, quod prouolutũ est, an humore mucoso circundatum : si purum est, in aqua desidere homo debet, aut salsa, aut cum uerbenis, uel malicorio incocta; si humidũ, uino austero subluendum est, illinendumque fece uini combusta . Ubi utrolibet modo curatum est, intus reponendum est; imponendaque plãtago contrita, uel folia salicis in aceto cocta, tum linteolũ, & super lana æquè deliganda, cruribus inter se deuinctis.

De ulcere fungo simili in ano.

FVNGO quoque simile ulcus in eadem sede nasci solet . Id, si hyems est, egelida; si aliud tempus, frigida aqua fouendum est . deinde squama ęris inspergenda, supraque, ceratum ex myrteo factum, cui paulum squamę, fuliginis, calcis, fit adiectum. si hac ratione non tollitur, uel medicamentis uehementioribus, uel ferro adurendum est .

De digitorum ulceribus. Cap. XIX.

Digitorum autem uetera ulcera commodissimè curantur, aut lycio, aut myrrha cocta, cùm utrilibet uinum adiectum est . In hisdem recedere ab ungue caruncula cũ magno dolore consueuit : πτερύγιον Gre-

ci appellant. Oportet alumen melinum rotundum in aqua liquare, donec mellis crassitudinem habeat: tum quantum eius aridi fuit, tantundem mellis infundere, & radiculam miscere, donec similis croco colore fiat, eoque illinere. quidam ad eundem usum decoquere simul maluam solent, cùm paria pondera aluminis aridi & mellis miscuerint. si hac ratione ea non exciderunt, excidenda sunt: deinde digiti fouendi aqua ex uerbenis, imponendumque super medicamentum ita factum: chalcitis, malicorum, squama æris excipiuntur fico pigui leniter cocto ex melle. aut chartæ combustæ, auripigmenti, sulphuris igne non experti par modus cerato miscetur ex myrteo facto. aut æruginis rosæ P. ✱ I. squamæ P. ✱ II. mellis cyatho cogũtur. aut pares portiones miscentur saxi calcis, chalcitidis, auripigmenti. quidquid horum impositum est, tegendum linteolo aqua madefacto est: tertio die digitus resoluendus est. si quid aridi est, iterum excidendum, similisque adhibenda curatio. etsi non uincitur, purgandus scalpello, tenuibusque ferramentis adurendus est: & sicut reliqua usta curandus est. at ubi scabri ungues sunt, circum aperiri debent, quà corpus contingunt: tunc super eos ex hac compositione æquè imponi: sandarace, sulphuris, singulorum P. ✱ II. nitri, auripigmenti, singulorum P. ✱ IIII. resinæ liquidæ P. ✱ VIII. tertioque id die resoluendum est. sub quo medicamento, uitiosi ungues cadunt, & in eorum locum, meliores renascuntur.

LIBER SEPTIMVS.

De chirurgica, & qui in ea claruerint; & qualis esse chirurgicus debeat, & quid in hoc libro describatur.



ERTIAM esse medicinæ partem, quæ manu curet, & uulgo notum, & à me propositum est. ea non quidem medicamenta atque uictus rationem omittit, sed manu tamen plurimum præstat. estque eius effectus inter omnes medicinæ partes euidentissimus. siquidem in morbis cùm multum fortuna cõferat, eademque sæpe salutaria, sæpe uana sint; potest dubitari, secunda ualetudo, medicinæ, an corporis beneficio contigerit: In his quoque, in quibus medicamentis maximè utimur, quamuis profectus euidentior est; tamen sanitatem & per hæc frustra quæri, & sine his reddi sæpe manifestum est. sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui à medicis diu uexati sine his interdum sanescunt. at in ea parte, quæ manu curat, euidens est, omnem profectum, ut aliquid ab alijs adiuuetur, hinc tamen plurimum trahere. Hęc autem pars, cùm sit uetustissima; magis tamẽ ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate, quàm à prioribus exculta est; deinde posteaquã diducta ab alijs, habere professores suos cœpit: in ægypto quoque increuit, Philoxeno maximè auctore, qui pluribus uoluminibus hanc partem diligentissimè comprehendit. Gorgias quoque, & Sostratus, & Hieron, & Apollonij duo, & Hammonius alexandrinus, multique alij celebres uiri, singuli quędam repperunt. ac Romę quoque non mediocres professores, maximeque nuper Tryphon pater, & Euelpistus, & (ut ex scriptis eius intelligi potest) horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei disciplinę adiecerunt. Esse autem chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentię propior, manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaque non minus sinistra, quàm dextra promptus; acie oculorũ acri, claraque, animo intrepidus, immisericors, sic, ut sanari uelit eũ, quem accipit; non ut clamore eius motus, uel magis quàm res desiderat, properet; uel minus quàm necesse est, secet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex uagitibus alterius affectus oriatur. Potest autem requiri, quid huic parti propriè uendicandũ sit: quia uulnerũ quoque, ulcerumque multorũ curationes, quas alibi executus sum, chirurgi sibi uendicant. ego eũdem quidem hominem posse omnia ista pręstare cõcipio. atque ubi se diuiserunt, eum laudo, qui quàm plurimum percipit. Ipse autem huic parti, ea reliqui, in quibus uulnus facit medicus, non accipit; & in quibus uulneribus, ulceribus ue, plus perfici manu, quàm medicamento credo: tum quidquid ad ossa pertinet; quæ deinceps exequi aggrediar; dilatisque in aliud uolumen ossibus, in hoc, cætera explicabo; præpositisque his, quæ in qualibet parte corporis fiũt, ad ea, quæ proprias sedes habent, transibo.

De luxatis. Cap. I.

Luxata igitur, in quacunque parte corporis sunt, quàm primùm sic curari debent, ut quà dolor est, ea scalpello cutis crebrò incidatur, detergaturque eodem aduerso profluens sanguis. quòd si paulò tardiùs subuenitur, iamque etiam rubor est; quà rubet corpus, si tumor quoque accessit, quacunque is est, id optimum auxilium est. tũ super danda reprimentia sunt, maximeque lana succida ex aceto, & oleo. quòd si leuior is casus est, possunt etiam sine scalpello, imposita eadem mederi: Et si nihil aliud est, cinis quoque maximè ex sarmentis. si is non est, qualibet alius ex aceto uel etiam ex aqua coactus.

De his, quæ per se intumescunt, quomodo excidenda, & curanda sunt. Cap. II.

VERVM hoc quidem promptum est. in his autem negotium maius est, quæ per se, uitio intus

orto

orto, intumescunt, & ad suppurationem spectant. Ea omnia genera abscessuum esse aliàs proposui, medicamentaque eis idonea executus sum. nunc superest, ut dicam, in hisdem, quæ manu fieri debeant. Ergo priusquàm indurescant, cutem incidere, & cucurbitulam accommodare oportet: quæ, quidquid illuc malæ, corruptæque materiæ coijt, extrahat; idque iterum, tertioque rectè fit, donec omne indicium inflammationis excidat. neque tamen fas non est, nihil cucurbitula agere. interdum enim, sed raro, quidquid abscedit, uelamento suo induditur. id antiqui tunicam nominabant. Meges, quia tunica omnis neruosa est, dicit non nasci sub eo uitio neruum, quo caro consumeretur; sed subiecto iam uetustiore pure, callum circundari. quod ad curationis rationem, nullo loco pertinet; quia quidquid dixi, si tunica est, idem, si callus est, fieri debet. neque ulla res prohibet, etiam si callus est; tamen quia cingit, tunicam nominari. Tum pure quoque maturior hæc interdum esse consueuit: ideoque quod sub ea est, extrahi per cucurbitulam non potest. sed facilè id intelligitur, ubi nihil admota illa mutauit. Ergo siue id incidit, siue iam durities est, in hac auxilij nihil est. &, ut aliàs scripsi, uel auertenda concurrens eo materia, uel digerenda, uel ad maturitatem perducenda est. si priora contigerunt, nihil præter ea necessarium est: si pus maturuit, in alis quidem, & in inguinibus raro secandum est. item ubicunque mediocris abscessus est. item quoties in summa cute, uel etiam carne, uitium est; nisi festinare curantis imbecillitas cogit. satisque est, cataplasmata efficere, ut per se pus aperiatur: nam fere sine cicatrice potest esse is locus, qui expertus ferrum non est. si autem altius malum est, considerari debet, neruosus ne is locus sit, an non sit. nam si sine neruis est, candenti ferramento aperiri debet. cuius hæc gratia est, quòd exigua plaga diutiùs ad pus euocandũ patet, paruaque postea cicatrix fit. At si nerui iuxtà sunt, ignis alienum est, ne uel distendantur hi, uel membrum debilitent. necessaria uerò opera scalpelli est. sed cætera etiam subcruda aperiri possunt: inter neruos uerò, ultima expectanda maturitas est, quæ cutem extenuet, eique pus iungat, quò propius repeatur. Itemque alia rectam plagam desiderant, in carne, quia fere uehementer cutem extenuat. tota ea super pus excidenda est. Semper autẽ, ubi scalpellus admouetur, id agendũ est, ut quàm minimæ, & quàm paucissimæ plagæ sint. cum eo tamen, ut necessitati succurramus, & in modo & in numero. nam maiores sinus latiùs, interdum etiam duabus aut pluribus lineis incidendi sunt. dandaque opera, ut imus sinus exitum habeat, ne quis humor intus subsidat, qui proxima & adhuc sana rodendo, sinuet. Est etiam in rerum natura, ut cutis latiùs excidenda sit: nam ubi post longos morbos, totus corporis habitus uitiatus est, lateque se sinus diffudit, & in eo pars cutis pallet; scire licet, eam iam emortuam esse, & inutilem futuram. ideoque excidere commodius est. maximè si circa articulos maiores id euenit, cubantemque ægrũ fluens aluus exhaurit, neque per alimenta quidquam corpori accedit. sed excidi ita debet, ut plaga ad similitudinem myrtei folij fiat, quò faciliùs sanescat. idque perpetuũ est: Ubicũque medicus ex quacunque causa cutem excidit, pure effuso, in alis, uel inguinibus, linamento opus non est. spongia ex uino imponẽda est. in cæteris partibus, si æque ea linamenta superuacua sunt, purgationis causa, paulũ mellis infundendũ, dein glutinantia super danda. si illa necessaria sunt, super ea quoque similiter dari spongia eodem modo ex uino expressa debet. quando autem linamentis opus sit, quando non sit; aliàs dictũ est. cætera eadẽ incisa suppuratione, facienda sunt, quæ, ubi per medicamenta rupta est, facienda esse proposui.

De bonis, malis'ue signis exulceratorum. Cap. III.

Protinus autem, quantum curatio efficiat, quantumque aut sperari, aut timeri debeat, ex quibusdam signis intelligi potest: fereque hisdem, quæ in uulneribus exposita sunt. nam bona signa sunt, somnum capere: facilè spirare: siti non confici: cibum non fastidire; si febricula fuit, ea uacare: itemque habere pus album, leue, non fœdi odoris. Mala sunt, uigilia, spiritus grauitas, sitis, cibi fastidium, febris, pus nigrum, aut fæculentum, & fœdi odoris. Item procedente curatione, eruptio sanguinis; aut si, antequàm sinus carne impleatur, oræ carnosæ fiunt: illa quoque ipsa carne hebete, nec firma: deficere tamen animam uel ipsa curatione, uel postea, pessimum omnium est. quin etiam morbus ipse siue subitò solutus est, dein suppuratio exorta est; siue effuso pure permanet, non iniustè terret. Estque inter causas timoris, si sensus in uulnere, rodentium non est. sed ut hæc, ipsa fortuna huc illuc'ue discernit; sic medici partiũ est, eniti ad reperiendam sanitatem. Ergo quoties ulcus resoluerit, eluere id, si reprimendus humor uidebitur, uino ex aqua pluuiatili mixto, uel aqua, in qua lenticula cocta sit, debebit. si purgandum erit, mulso; rursusque imponere eadem. Ubi iam repressus uidebitur humor, ulcusque purum erit, produci carnem conueniet, & foueri uulnus pari portione uini ac mellis, superque imponi spongia ex uino & rosa tincta. per quæ, cùm caro producatur, plus tamen (ut aliàs quoque dixi) uictus ratio eo confert. id est, solutis iam febribus, & cibi cupiditate reddita, balneũ rarũ, quotidiana, sed lenis gestatio, cibi, potionesque corpori reficiendo. apteque omnia, quæ per medicamenta, suppuratione quoque rupta sequuntur; sed quia magno malo uix sine ferro mederi licet, in hunc locum reseruata sunt.

De fistulis. Cap. IIII.

Aduersus fistulas quoque, si altiùs penetrant, ut ad ultimas demitti collirium non possit; si tortuosæ sunt, si multiplices, maius in manu, quàm in medicamentis præsidium est; minusque operæ est, si sub cute transuersæ feruntur, quàm si rectæ intus tendunt. Igitur, si sub cute transuersa fistula est, demitti spe

cillum debet, supraque id ea incidi; si flexus reperiuntur, hi quoque simul specillo & ferro persequendi sunt. idemque faciendum, si plures se quasi ramuli ostendunt. Ubi ad fines fistulæ uentum est, excidendus ex toto callus est, superque fibulæ dandæ: & medicamentum, quo glutinetur. at si recta subter tendit; ubi quò maximè ferat, specillo exploratum est, excidi is sinus debet; dein fibula oris cutis iniicienda est, & æquè glutinantia medicamenta super danda sunt. aut si corruptius ulcus (quod interdum osse uitiato fit) ubi id quoque curatum est, pus mouentia. Solent autem inter costas fistulæ subter exire. quod ubi incidit, eo loco costa ab utraque parte decidenda, & eximenda est, ne quid intus corruptum relinquatur. Solent, ubi costas transierunt, septum id, quod transuersum à superioribus uisceribus intestina discernit, uiolare. quod intelligi & ex loco, & ex magnitudine doloris potest, & quia nonnunquam spiritus eo, cum humore quasi bullante, prorumpit; maximeque si hunc ore ille continuit. In eo, medicamini locus nullus est. in cæteris uerò, quæ circa costas sanabilia sunt, pinguia medicamenta inimica sunt. cæteris, quæ ad uulnera accommodantur, uti licet. Optimè tamen sicca linamenta, uel, si purgandum aliquid uidetur, in melle tincta imponuntur. Ventri nullum os subest; sed ibi perniciosæ admodum fistulæ fiūt; adeo ut Sostratus insanabiles esse crediderit. Id non ex toto ita se habere, usus ostendit. & quidem (quod maximè mirum uideri potest) tutior fistula est contra iecur, & lienem, & uentriculum, quàm contra intestina; non quò perniciosior res ibi sit, sed quò alteri periculo locum faciat. cuius experimento moti quidam auctores, parum modū rei cognouerunt. nam uentre sæpe etiam telo perforatur, prolapsaque intestina condūtur, & oras uulneris suturæ comprehendunt. quod quemadmodum fiat, mox indicabo. Itaque etiam, ubi tenuis fistula abdomen perrumpit, excidere eam licet, suturaque oras coniungere. si uerò ea fistula intus patuit, excisa, necesse est latius foramen relinquat; quod, nisi magna ui, utique ab interiore parte sui non potest, qua quasi membrana quædam, finit abdomen: quam περιτόναιον Græci uocant. Ergo ubi aliquis ingredi ac moueri cœpit; rūpitur illa sutura, atque intestina soluūtur. quo fit, ut pereundum homini sit. sed nō omni modo res ea despationē habet; ideoque tenuioribus fistulis adhibēda curatio est.

De ani fistulis.

Propriam etiam num animaduersionem desiderant ea, quæ in ano sunt. in has demisso specillo, ad ultimum eius caput incidi cutis debet, dein nouo foramine specillum educi, lino sequente, quod in aliam eius partem, ob id ipsum perforatum, coniectum sit. ibi linum prehendendū, uinciendumque cū altero capite est, ut laxè cutem, quæ super fistulam est, teneat. Idque linū esse debet crudū, & duplex, triplexue, sic tortum, ut unitas facta sit. Interim autem licet negotia agere, ambulare, lauari, cibū capere, perinde atque sanissimo. tantummodò id linum bis die saluo nodo ducendū est, sic, ut subeat fistulam pars, quæ superior fuerit. neque committendum est, ut id linū putrescat. sed tertio quoque die, nodus resoluendus est, & ad caput alterum recens linum alligandum est; eductoque uetere, id in fistula cum simili nodo relinquendū. sic enim id paulatim cutem, quæ supra fistulam est, incidit; simulque & id sanescit, quod à lino relictū est; & id quod ab eo mordetur, inciditur. Hæc ratio curationis longa, sed sine dolore est. qui festinat, astringere cutem lino debet, quò celerius secet, noctuque penicillo tenuia quædam intus demittere, ut cutis hoc ipso extenuetur, quod extenditur: sed hæc dolorem mouent. adiicitur celeritati, sicut tormento quoque, si & linum, & id quod ex penicillo est, aliquo medicamento illinitur, ex iis, quibus callū exedi posui. Poterit tamen fieri, ut ad scalpelli curationem, etiam illò loci ueniendum sit, si intus fistula fert, si multiplex est. Igitur in hæc genera demisso specillo, duabus lineis incidenda cutis est, ut media inter eas habenula tenuis admodum eiiciatur, ne protinus ora coeant: sitque locus aliquis linamentis, quæ quàm paucissima super iniicienda sunt; omniaque eodem modo facienda, qui in abscessibus positus est. Si uerò ab uno ore plures sinus erunt; recta fistula scalpello erit incidenda; ab eo, cæteræ, quæ iam patebunt, lino excipiendæ. si intus aliqua procedet, quò ferrum tutò peruenire non poterit, collirium demittendum erit. Cibus autem in omnibus eiusmodi casibus (siue manu, siue medicamentis agetur) dari debet humidus, potio liberalis, diuque aqua. Ubi iam caro increscit, tum demum & balneis raris utendum erit, & cibis corpus implentibus.

De telis è corpore extrahendis. Cap. V.

TELA quoque, quæ illata corporibus, intus hæserunt, magno negotio sæpe eiiciuntur. suntque quædam difficultates ex generibus eorum, quædam ex his sedibus, in quas illa penetrarunt. omne autē telum extrahitur, aut ab ea parte, qua uenit, aut ab ea, in qua tetendit. illic uiam, qua redeat, ipsum sibi fecit: hic à scalpello accipit. nam contra mucronem caro inciditur. Sed si non altè telum insedit, & in summa carne est, aut certè magnas uenas, & loca neruosa nō transiit; nihil melius est, quàm quà uenit, id euellere. si uerò plus est, per quod telo reuertendum, quàm quod perrumpendum est: iamque uenas, neruosque id transit; commodius est aperire, quod superest, eaque extrahere. nam & propius petitur, & tutius euellitur, & in maiore membro, si medium mucro transiit, facilius sanescit, quod peruium est: quia utrinque medicamento fouetur. Sed si retrò telum recipiendum est: amplianda scalpello plaga est, quò facilius id sequatur, quoque minor oriatur inflammatio; quæ maior fit, si ab illo ipso telo, dum redit, corpus laniatur. Item, si ex alia parte uulnus aperitur, laxius esse debet, quàm ut telo postea transeunte amplietur.

ampli⁊tur. Summa autem utraque parte ita habenda cura eſt, ne neruus, ne uena maior, ne arteria incidatur. quorum ubi aliquid detectum eſt, excipiendũ hamo retuſo eſt, abducendumque ſcalpello. Vbi autem ſatis inciſum eſt, telum eximẽdum eſt: tum quoque eodem modo, & eadem cura habita, ne ſub eo, quod eximetur, aliquid eorum lædatur, quæ tuenda eſſe propoſui. Hęc cõmunia ſunt: propria quædam in ſingulis telorum generibus ſubijcienda ſunt; quæ protinus ſubijciam. Nihil tam facile in corpore, quàm ſagitta conditur, eademque altiſſime inſedit. Hæc autem eueniunt, & quia magna ui fertur illa, & quia ipſa in anguſto eſt. Sæpius itaque ab altera parte, q̃ ex qua uenit, recipienda eſt: præcipueque, quia fere ſpiculis cingitur; quę magis laniant, ſi retrò, quàm ſi contra trahuntur. Sed inde aperta uia, caro diduci debet ferramento ad ſimilitudinem facto Græcę literæ ↓. Deinde ubi apparuit: ſi mucro, ſi harundo inhæret, propellenda eſt, donec ab altera parte apprehendi & extrahi poſſit: ſi iam illa decidit, ſolumque intus ferrum eſt, mucro uel digitis apprehendi, uel forfice, atque ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi eſt, ubi ab ea parte, quà uenit, euelli magis placuit: nam ampliato uulnere, aut harundo, ſi ineſt, euellenda eſt, aut ſi ea non eſt, ferrum ipſum. Quòd ſi ſpicula apparuerũt, eaque breuia, & tenuia ſunt: forfice ibi comminui debent, uacuumque ab his telum educi; ſi ea maiora, ualentioraque ſunt, fiſſis ſcriptorijs calamis contegenda: ac ne quid lacerent, ſic euellenda ſunt. & in ſagittis quidem hęc obſeruatio eſt. Latum uerò telum ſi conditum eſt, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti uulneri, ipſi quoque ingens uulnus adijciamus. Euellendum eſt ergo genere quodã ferramenti, quod Diocleum Græci graphiſcum uocant: quoniam auctorem Dioclen habet: quem inter priſcos, maximosque medicos fuiſſe iam poſui. Lamina uel ferrea, uel ænea etiam, ab altero capite duos utrinque deorſum conuerſos uncos habet: ab altero, duplicata lateribus, leuiterque extrema in eam partem inclinata, quæ ſinuata eſt: inſuper ibi etiam parte inclinata, quæ perforata eſt. Hæc iuxta telum, tranſuerſa demittitur. deinde ubi ad imum mucronem uentum eſt, paulùm torquetur, ut telum foramine ſuo excipiat. cùm in cauo mucro eſt, illico duo digiti ſubiecti partis alterius uncis, ſimul & ferramentum id extrahunt, & telum. Tertiũ genus telorum eſt, quod interdum euelli debet, plumbea glans, aut lapis, aut ſimile aliquid, quod perrupta cute, integrum intus inſedit. In omnibus his, latius uulnus aperiendum; idque quod ineſt, eà quà uenit, forfice extrahendum eſt. Accedit uerò aliquid difficultatis ſub omni ictu, ſi telum uel oſſi inhęſit, uel in articulo ſe inter duo oſſa demerſit. In oſſe, uſque eò mouendum eſt, donec is locus laxetur, qui mucronem momordit: & tum uel manu, uel forfice telum extrahendum eſt: quæ ratio in dentibus quoque eijciendis eſt. & uix unquam ita telum non ſequitur. Sed ſi morabitur, excuti quoque ictum aliquo ferramento poterit. Vltimum eſt, ubi non euellitur, terebra iuxta forare, ab eo quoque foramine ad ſpeciem literę ↓ contra telum, os excidere, ſic, ut lineæ quæ diducuntur, ad telum ſpectent. eo facto, id neceſſe eſt labet, & facilè auferatur. Inter duo uerò oſſa, ſi per ipſum articulum perruperit; circa uulnus, duo membra faſcijs habenis ue deliganda, & per has, in diuerſas partes diducenda ſunt, ut neruos diſtendant. quibus extentis, laxius inter oſſa ſpatium eſt, ut ſine difficultate telum recipiatur. Illud uidendum eſt (ſicut in alijs locis poſui) ne quis neruus, aut uena, aut arteria à telo lædatur, dum id extrahitur: eadem ſcilicet ratione, quæ ſuprà poſita eſt. At ſi uenenato quoque telo quis ictus eſt: hiſdem omnibus, ſi fieri poteſt, etiam feſtinantius actis, adijcienda curatio eſt, quæ uel epoto ueneno, uel à ſerpente ictis adhibetur. Vulneris autem ipſius, extracto telo, medicina non alia eſt, quàm quæ eſſet ſi corpore icto, nihil inhæſiſſet. de qua ſatis alio loco dictum eſt.

De ganglijs, & meliceride, & atheromate, & ſteatomate, capitis tuberculis. Caput VI.

HAEC uenire in qualibet parte corporis poſſunt. reliqua certas ſedes habent: de quibus dicam, orſus à capite. In hoc multa, uariaque tubercula oriuntur, ganglia, melicerides, & atheromata nominant: alijsque etiam num uocabulis quædam alij diſcernunt, quibus ego ſteatomata quoque adijciã. quæ quamuis & in ceruice, & in alis, & in lateribus oriri ſolent: per ſe tamen non poſui, cùm omnia iſta mediocres differentias habeant: ac nec periculo terreant, neque diuerſo genere curentur. Omnia autem iſta & ex paruulo incipiunt, & diu, paulatimque increſcunt: & tunica ſua includuntur. quædam ex his dura, ac renitentia: quædam mollia, cedentiaque ſunt: quædam ſpatio nudantur: quædam tecta capillo ſuo permanent: fereque ſine dolore ſunt. Quid intus habeant, ut coniectura præſagiri poteſt; ſic ex toto cognoſci, niſi cùm eiecta ſunt, non poteſt. maximè tamen in his quæ renituntur, aut lapillis quædam ſimilia, aut concreti, confertique pili reperiuntur. In his uerò quæ cedunt; aut melli ſimile aliquid, aut tenui pulticulæ, aut quaſi raſæ cartilagini, aut carni hebeti, & cruentæ: quibus aliqui colores eſſe conſuerunt; fereque ganglia renituntur. Atheromati ſubeſt quaſi tenuis pulticula: meliceridi, liquidior humor: ideoque preſſum circunfluit: ſteatomati, pingue quiddã: idque latiſſimè patere cõſueuit, reſoluitque totam cutem ſuperpoſitam, ſic, ut ea labet, cùm in cæteris ſit aſtrictior. Omnia deraſa antè, ſi capillis cõteguntur, per mediũ oportet incidere: ſed ſteatomatis tunica quoque ſecanda eſt, ut effundatur quidquid intus coit: quia nõ facilè à cute, ſubiecta carne, ea ſeparetur: In cæteris, ipſa tunica inuiolata ſeruanda eſt. Protinus autem alba, & intenta ſe oſtendit: tum ſcalpelli manubriolo diducenda à cute, & carne eſt; eijciẽdaque cum eo, quod intus tenet. Siquando tamen ab inferiore parte, tunicæ muſculus inhæſit; ne is lædatur, ſuperior pars illius decidenda, alia ibidem relinquenda eſt. Vbi tota exempta eſt, committẽdæ oræ, fibulæque his inijcienda, & ſuper medicamentum glutinans dandum eſt. Vbi uel tota tunica, uel aliquid

ex ea relictum est, pus mouentia adhibenda sunt.

De oculorum uitijs, quæ scalpello, & manu curantur. Cap. VII.

SED ut hęc neque genere uitij, neque ratione curationis inter se multũ distant; sic in oculis, quæ manum postulant, & ipsa diuersa sunt, & aliter, aliterque curantur. Igitur in superioribus palpebris, uesicæ nasci solent pingues, grauesque, quæ uix attollere oculos sinunt: leuesque pituitę cursus, sed assiduos in oculis mouent: Fere uero in pueris nascuntur. Oportet compresso digitis duobus oculo, atque ita cute intenta, scalpello transuersam lineam incidere, suspensa leuiter manu, ne uesica ipsa uulneretur: & ut locus ei patefactus est, ipsa prorumpat: tum digitis eam apprehendere oportet, & euellere: facile autem sequitur. dein super ungi collirio debet ex his aliquo, quo lippientes oculi super inunguntur: paucissimisque diebus cicatricula inducitur. molestius est, ubi incisa uesica est: Effundit enim humorẽ: neque postea, quia tenuis admodum est, potest colligi: si forte id incidit, eorum aliquid imponendum est, quæ puri mouendo sunt.

De crithe, tuberculo palpebrarum.

IN eadem palpebra, super pilorum locum, tuberculum paruulum nascitur, quod à similitudine ordei, à Græcis κριθὴ nominatur: tunica quiddam, quod difficulter maturescit, comprehensum est. Id uel calido pane, uel cera subinde calefacta foueri oportet, sic ne nimis is calor sit: sed facile ea parte sustineatur. hac enim ratione sæpe discutitur: interdum concoquitur: si pus se ostendit, scalpello diuidi debet, & quidquid intus humoris est, exprimi. Eodem deinde uapore postea quoque foueri, & superinungi, donec ad sanitatem perueniat.

De chalazia palpebrarum.

ALIA quoque quædam in palpebris, huic non dissimilia nascuntur: sed neque utique figuræ eiusdem, & mobilia simul; atque digito huc uel illuc impelluntur: ideoque ea χαλάζια uocant. Hęc incidi debent: si sub cute sunt, ab exteriore parte: si sub cartilagine, ab interiore. dein scalpelli manubriolo diducenda ab integris partibus sunt: ac si intus plaga est, inungendum primo lenibus: deinde acrioribus. si extra, super dandum emplastrum, quo id glutinetur.

De ungue oculorum, quod πτερύγιον à Græcis uocatur.

Vnguis uero (quod πτερύγιον Greci uocant) est membranula neruosa, oriens ab angulo; quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit. sępius à narium, interdum etiam à temporum parte nascitur. Hunc recentem non difficile est discutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur: si inueterauit, iamque ei crassitudo quoque accessit, excidi debet. Post abstinentiam uero unius diei, uel aduersus in sedili contra medicum is homo collocandus est; uel sic aduersus, ut in gremiũ eius, caput resupinus effundat. quidam, si in sinistro oculo uitium est, aduersum: si in dextro, resupinũ collocari uolunt. alteram autem palpebram à ministro diduci oportet, alteram à medico: sed ab hoc, si ille aduersus est, inferiorem; si supinus, superiorem. Tum idem medicus hamulum acutum, paulum mucrone intus recuruato, subijcere extremo ungui debet, eumque infigere; atque eam quoque palpebrã tradere alteri; ipse hamulo apprehenso, leuare unguem, eumque acu traijcere, linum trahente: deinde acum ponere: lini duo capita apprehẽdere, & per ea erecto ungue, si qua parte oculo inhęret, manubriolo scalpelli diducere, donec ad angulum ueniat: deinde inuicem modo remittere, modo attrahere; ut sic, & initium eius, & finis anguli reperiatur. duplex enim periculum est: ne uel ex ungue aliquid relinquatur (quod exulceratum, uix ullam recipiat curationem) uel ex angulo quoque caruncula abscidatur; quæ, si uehementius unguis ducitur, sequitur; Ideoque decipit: ac si abscissa est, patescit foramen, per quod postea semper humor descendit; ῥυάδα Græci uocant. Verus ergo anguli finis utique noscendus est; qui ubi satis constitit, non nimium adducto ungue, scalpellus adhibendus est: deinde excidenda ea membranula, ne quid ex angulo lædatur. Eo deinde ex melle linamentum super dandum est: supraque linteolum, & aut spongia, aut lana succida; proximisque diebus diducendus quotidie oculus est, ne cicatrice inter se palpebræ glutinentur. siquidem id quoque tertium periculum accedit: eodemque modo linamẽtum imponendum; ac nouissime inungendum collirio, quo ulcera ad cicatricem perducuntur. Sed ea curatio, uerna esse debet, aut certe ante hyemem: de qua re ad plura loca pertinente, semel dixisse satis erit. Nam duo genera curationum sunt: alia in quibus eligere tempus non licet; sed utendum est eo, quod incidit; sicut in uulneribus, & in fistulis: alia, in quibus nullus dies urget, & expectare, tutissimum & facile est; sicut euenit in ijs, quæ & tarde increscunt, & dolore non cruciant: In his, uer expectandum est: aut si quid magis pressit, melior tamen autumnus, uel æstas, quàm hyems est: atque is ipse medius, iam fractis æstatibus, nondum ortis frigoribus. quò magis autem necessaria pars erit, quæ tractabitur; hoc quoque maiori periculo subiecta est. & sæpe quò maior plaga facienda, eo magis hæc temporis ratio seruabitur.

De enchanti, tuberculo.

EX curatione uero unguis, ut dixi, uitia nascũtur, quæ ipsa alijs quoque de causis oriri solet. interdum

dum enim fit in angulo, parum ungue exciso, uel aliter, tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur; ἐγκανθὶς græcè nominatur. Excidi hamulo, & circuncidi debet; hic quoque diligenter temperata manu, nequid ex ipso abscidat. tum exiguum linamentum respergendum est uel cadmia, uel atramento sutorio: inque eum angulum, diductis palpebris, inserendum: supraque eodem modo deligandum. proximisque diebus similiter nutriendum tantùm, ut primis, aqua egelida, uel etiam frigida foueatur.

De ancyloblepharo, oculorum uitio.

Interdum inter se palpebræ coalescunt: aperirique non potest oculus. cui malo solet etiam illud accedere, ut palpebræ cum albo oculi cohærescant: scilicet cùm in utroque fuit ulcus negligenter curatum. sanescendo enim, quod diduci potuit, & debuit, glutinabit: ἀγκυλοβλέφαρον sub utroque uitio Græci uocant. Palpebræ tantùm inter se coherentes, non difficulter diducuntur; sed interdum frustrà: nã rursus glutinantur. Experiri tamen oportet: quia bene res sæpius cedit. Igitur aduersum specillum inserendum, diducendęque eo palpebrę sunt; deinde exigua penicilla interponenda; donec exulceratio eius loci finiatur. at ubi albo ipsius oculi, palpebra inhęsit; Heraclides tarentinus auctor est, aduerso scalpello subsecare, magna cum moderatione, ut neque ex oculo, neque ex palpebra quidquam abscidatur. ac si necesse est, ex palpebra potiùs. post hæc, inungatur oculus medicamẽtis, quibus aspritudo curatur: quotidieque palpebra uertatur, non solùm ut ulceri medicamentum inducatur, sed etiam ne rursus inhæreat; ipsique etiam precipiatur, ut sepe eam duobus digitis attollat. ego sic restitutum esse neminem memini. Meges se quoque multa tentasse, neque unquam profuisse, quia semper iterum oculo palpebra inhęserit, memorię prodit.

De aegylope, fistula oculorum.

ETIAM num in angulo, qui naribus propior est, ex aliquo uitio, quasi parua fistula aperitur, per quam pituita assiduè destillat. αἰγίλωπα Gręci uocant: idque assiduè malè habet oculum: nonnũquã etiam exeso osse, usque ad nares penetrat; idque interdum naturam carcinomatis habet: ubi intentæ uenæ, & recuruatæ sunt: color pallet: cutis dura est, & leui tactu irritatur: inflammationemque in eas partes, quę coniunctæ sunt, euocat. Ex his, eos, qui quasi carcinoma habẽt, curare periculosum est: nam mortem quoque ea res maturat. eos uerò, quibus ad nares tendit, superuacuum: neque enim sanescunt. At quibus id in angulo est; potest adhiberi curatio, cum eo, ne ignotum sit, esse difficilem: quantoque angulo propius id foramen est, tantò difficilior est. quoniam perangustum est, in quo uersari manus possit. recenti tamen re, mederi facilius est. sed hamulo summum eius foraminis excipiendum; deinde totum id cauum (sicut in fistulis dixi) usque ad os excidendum; oculoque, & cæteris iunctis partibus, bene obtectis, os ferramento adurendum est uehementiùs. quod si iam carie uexatum est, quo crassior his squama accedat, quidam adurentia imponunt, ut atramentum sutorium, uel chalcitidem, uel ęruginem rasam: quod & tardiùs, & non idem facit. Osse adusto, curatio sequitur eadem, quę in cæteris ustis.

De pilis palpebrarum oculum irritantibus.

PILI uerò, qui in palpebris sunt, duabus de causis oculum irritare consuerunt. Nam modò palpebrę superioris summa cutis relaxatur, & procidit. quo fit, ut eius pili ad ipsum oculum conuertantur: quia non simul cartilago quoque se remisit. modò sub ordine naturali pilorum, alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculum tendit. Curationes hę sunt. si pili nati sunt, qui non debuerunt: tenuis acus ferrea ad similitudinem hastę lata, in ignem conijcienda est. deinde candens, sublata palpebra, sic, ut eius perniciosi pili in conspectum curantis ueniant, sub ipsis pilorum radicibus, ab angulo immittenda est; ut ea tertiam partem palpebræ transueat: deinde iterum, tertioque, usque ad alterum angulum: quo fit, ut omnes pilorum radices adustæ emoriantur. Tum superimponendum medicamentum est, quod inflammationem prohibeat. atque ubi crustę exciderunt, ad cicatricem perducendum. facillimè autem id genus sanescit. quidã aiunt acu transui iuxta pilos in exteriorem partem palpebrę oportere, eamque trãsmitti, duplicem capillum muliebrem ducentem; atque ubi acus transijt; in ipsius capilli sinum, quà duplicatur, pilum esse conijciendum; & per eum, in superiorem palpebræ partem attrahendum, ibique corpori agglutinandum; & imponendum medicamentum, quo foramen quoque glutinetur. sic enim fore, ut his pilus in exteriorem partem postea spectet. Id primùm fieri non potest, nisi in pilo longiore; cùm ferè breues eo loco nascantur. deinde si plures pili sunt, necesse est, longum tormentum, cùm toties acus transuet, magnam inflammationem moueat. Nouissimè, cùm humor aliquis ibi subsit, oculo & antè per pilos, & tum per palpebrę foramina affecto; uix fieri potest, ut gluten, quo uinctus est pilus, non resoluatur. eoque fit, ut is, eò unde abductus est, redeat. Ea uerò curatio, quæ palpebræ laxioris, ab omnibus frequentatur, nihil habet dubij. siquidem oportet contecto oculo, mediam palpebræ cutem, siue ea superior, siue inferior est, apprehendere digitis, ac leuare: tum considerare, quantulo detracto, futurum sit, ut naturaliter se habeat. si quidem hìc quoque duo pericula circunstant: si nimium fuerit excisum, ne contegi oculus non possit. si parum, ne nihil actum sit, & frustrà sectus aliquis sit. quà deinde incidendum uidebitur, per duas lineas atramento notandum est, sic, ut de interiore, quæ pilos continet, & propriore ei linea, aliquid relinquatur, quod apprehendere acus postea possit. his constitutis, scalpellus adhibendus est. & si superior palpebra est, antè: si inferior, postea propiùs

ipsis pilis incidendum. initiumque faciendum in sinistro oculo, ab eo angulo, qui tempori in dextro, ab eo, qui naribus propior est; idque, quod inter duas lineas est, excidendũ. deinde oræ uulneris inter se simplici sutura committendæ, operiendusque oculus est; & si parum palpebra descendet, laxanda utique: si nimium, aut astringenda, aut etiam rursus tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda. ubi secta est; aliæ suturę adijciendę, quæ supra tres esse non debent. Præter hæc, in superiore palpebra, sub pilis ipsis, incidenda linea est, ut ab inferiore parte diducti pili, sursum spectent. idque, si leuis inclinatio est, etiam solum satis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis, spongia ex aqua frigida expressa, super deliganda est. postero die glutinans emplastrum inijciendum. quarto, sutura tollenda est: & collirio, quod inflammationes reprimit, superinungendum.

De lagophthalmo oculorum.

Nonnunquã autem nimium sub hac curatione excisa cute, euenit, ut oculus nõ contegatur: idque interdum etiam alia de causa fit: λαγώφθαλμον Grȩci appellant. In quo, si nimium palpebræ deest, nulla id restituere curatio potest. si exiguum, mederi licet. paulum infra supercilium, cutis incidenda est, lunata figura, cornibus eius deorsum spectantibus. altitudo esse plagȩ usque ad cartilaginem debet, ipsa illa nihil læsa. nam si ea incisa est, palpebra concidit: neque attolli postea potest. cute igitur tantum diducta, fit, ut paulum in ima oculi ora descendat: hiante scilicet super plaga, in quam linamentum conijciendũ est, quod & coniungi diductam cutem prohibeat, & in medio carunculam citet: quæ ubi eum locum impleuit, postea recte oculus operitur.

De ectropio.

VT superioris autem palpebræ uitium est, quod parum descendit, ideoque oculum non contegit: sic inferioris, quod parum sursum attollitur, sed pendet, & hiat, neque potest cum superiore committi. atque id quoque euenit interdum ex simili uitio curationis, interdum etiam senectute: ἐκτρόπιον Græci uocant. si ex mala curatione est, eadem ratio medicinæ est, quȩ supra posita est: plagæ tãtum cornua ad maxillas, non ad oculum, conuertenda sunt. si ex senectute est, tenui ferramento id totũ extrinsecus adurendum est, deinde melle inungendum: at quarto die uapore aquæ calidæ fouendum, inungendumque medicamentis ad cicatricẽ perducentibus.

De staphylomate oculi.

HAEC fere circa oculum in angulis, palpebrisque incidere consuerunt. In ipso autem oculo, nõnunquam summa attollitur tunica, siue ruptis intus membranis aliquibus, siue laxatis; & similis figura acino fit. unde id σταφύλωμα Grȩci uocant. Curatio duplex est. altera, ad ipsas radices per medium transuere, acu duo lina ducente. deinde alterius lini duo capita ex superiore parte, alterius ex inferiore, astringere inter se: quæ paulatim secando id, excidunt. altera, in summa parte eius, ad lenticulȩ magnitudinem excidere: deinde spodium, aut cadmiam infricare. Utrolibet autem facto, album oui lana excipiendum, & imponendum, posteaque uapore aquæ calidæ fouendus oculus, & lenibus medicamentis ungẽdus est.

De clauis oculorum.

CLAVI autem uocantur, callosa in albo oculi tubercula, quibus nomen à figuræ similitudine est. Hos ad imam radicem perforare acu commodissimum est, infraque eam, excidere; deinde lenibus medicamentis inungere.

De natura oculorum, & eorum suffusione.

Suffusionis iam alias feci mentionem; quia, cum recens incidit, medicamentis quoque sæpe discutitur: sed ubi uetustior facta est, manus curationem desiderat; quȩ inter subtilissimas haberi potest. de qua antequam dico, paucis ipsius oculi natura indicanda est. cuius cognitio cum ad plura loca pertineat, tum uel præcipue ad hunc pertinet. Is igitur summas habet duas tunicas: ex quibus superior à Græcis κερατοειδὴς uocatur. ea, qua parte alba, est satis crassa: pupillæ loco extenuatur. Huic interior adiuncta est, media parte, qua pupilla est, modico foramine concaua, circa tenuis, ulterioribus partibus ipsa quoque plenior: quæ χοροειδὴς à Græcis nominatur. Hæ duę tunicæ cum interiora oculi cingant; rursus sub his coeunt: extenuatæque, & in unum coactę, per foramen, quod inter ossa est, ad membranam cerebri perueniunt, eoque inhęrescunt. Sub his autem, qua parte pupilla est, locus uacuus est. deinde infra rursus tenuissima tunica, quam Herophilus ἀραχνοειδῆ nominauit. Ea media subsidit, eoque cauo continet quiddam, quod à uitri similitudine, ὑαλοειδὲς Græci uocant. Id neque liquidum, neque aridum est: sed quasi concretus humor; ex cuius colore, pupillæ color uel niger est, uel cæsius, cum summa tunica tota alba sit. Id autem superueniens ab interiore parte membranula includit. Sub his, gutta humoris est oui albo similis; à qua, uidendi facultas proficiscitur; κρυσταλλοειδὴς à Græcis nominatur. Igitur uel ex morbo, uel ex ictu, concrescit humor sub duabus tunicis, quã locum uacuum esse proposui: isque paulatim indurescens, interiori potentiæ se opponit. Uitijque eius plures species sunt: quædam sanabiles: quædam quȩ curationem non admittunt. nam si exigua suffusio est, si immobilis;

bilis : colorem uerò habet marinæ aquæ, uel ferri nitentis, & à latere sensum aliquem fulgoris relinquit, spes superest. si magna est, si nigra pars oculi, amissa naturali figura, in aliam uertit; si suffusioni color cæruleus est, aut auro similis; si labat, & hàc, atque illàc mouetur; uix unquam succurritur. fere' uerò peior est, quò ex grauiore morbo, maioribus'ue capitis doloribus, uel ictu uehementiore orta est. neque idonea curatio, si senilis ætas est; quæ sine nouo uitio, tamen aciem hebetem habet. at ne puerilis quidem, sed inter hæc media ætas. Oculus quoque curationi neque exiguus, neque cōcauus, satis opportunus est. atque ipsius suffusionis quędam maturitas est. Expectandum igitur est, donec iam non fluere, sed durities quędam concreuisse uideatur. ante curationem autem, modico cibo uti, bibere aquam triduo debet: pridie ab omnibus abstinere. post hęc, in aduerso sedili collocandus est, loco lucido, lumine aduerso, sic, ut contrà medicus paulò altius sedeat. à posteriore autem parte, caput eius, qui curabitur, minister contineat, & immobile id præstet. nam leui motu eripi acies in perpetuum potest. quin etiā ipse oculus, qui curabitur, immobilior faciendus est, super alterum lana imposita, & deligata. Curari uerò sinister oculus dextra manu, dexter sinistra debet. Tum acus admouenda est, aut acuta, aut forte non nimium tenuis; eaque demittenda, sed recta, est per summas duas tunicas, medio loco inter nigrum oculi, & angulum temporis propiorem, e' regione medię suffusionis; sic ne qua uena lędatur. Neque tamen timidè demittenda est; quia inani loco excipitur: ad quem cum uentum est, ne mediocriter quidem peritus falli potest; quia prementi nihil renititur. Ubi eò uentum est, inclinanda acus ad ipsam suffusionem est, leuiterque ibi uerti, & paulatim eam deducere infra regionem pupillę debet: ubi deinde eam transijt, uehementius imprimi, ut inferiori parti insidat. si hæsit, curatio expleta est. si subinde redit, eadem acu magis cōcidenda, & in plures partes dissipanda est: quę singulæ & facilius conduntur, & minus latè officiunt. Post hæc, educenda acus recta est; imponendumque est lana molli exceptum oui album; & suprà, quod inflammationem coerceat: atque ita deuinciendum. Post hæc opus est quiete, abstinentia, lenium medicamentorum inūctionibus, cibo (qui postero die satis maturè datur) primùm liquido, ne maxillæ laborent; deinde inflammatione finita, tali, qualis in uulneribus propositus est. quibus, ut aqua quoque diutius bibatur, necessariò accedit.

De pituita oculorum.

DE pituitæ quoque tenuis cursu, qui oculos infestat, quatenus medicamentis agendum est, iam explicui. nunc ad ea ueniam, quę curationē ex manu postulant. Animaduertimus autem, quibusdam nunquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere; quæ res aspritudinem continuat, ex leuibus momentis inflammationes & lippitudines excitat, totam denique uitam hominis infestat. Idque in quibusdam nulla ope adiuuari potest, in quibusdam sanabile est. quod primum discrimen est, nosse oportet, ut alteri succurratur, alteri manus non injciatur. Ac primùm superuacua curatio est in his, qui ab infantibus id uitium habent; quia necessariò mansurum est usque ad mortis diem: deinde non necessariò etiam in his, quibus non multa, sed acris pituita est. siquidem manu nihil adiuuantur. medicamentis, & uictus ratione, quæ crassiorem pituitam reddit, ad sanitatem perueniunt. lata etiam capita uix medicinæ patet. Sum interest, uenæ pituitam emittant, quæ inter caluariam & cutem sunt, an quę inter membranam cerebri & caluariam. Superiores, fere' per tempora oculos rigant: inferiores, per eas mēbranas, quæ ab oculis ad cerebrum tendunt. Potest autem adhiberi remedium his, quæ supra os fluunt; non potest his, quę sub osse. ac ne his quidem succurritur, quibus pituita utrinque descendit: quia leuata altera parte, nihilominus altera infestat. quid sit autem, hoc ratione cognoscitur: raso capite ea medicamenta, quibus in lippitudine, pituita suspenditur, à superciliis usque ad uerticem illini debent. si sicci oculi esse cœperunt, apparet, per eas uenas, quę sub cute sunt, irrigari. si nihilominus madent, manifestum est sub osse descendere. si est humor, sed leuior, duplex uitium est. plurimi tamen ex laborantibus reperiuntur, quos superiores uenæ exerceant; ideoque pluribus etiam opitulari licet. Idque non in Græcia tantummodò, sed in alijs quoque gētibus celebre est; adeo ut nulla medicinæ pars magis per nationes quoque exposita sit. Reperti in Græcia sunt, qui nouem lineis cutem capitis inciderent; duabus in occipitio rectis: una super eas transuersa; dein duabus super aures, una inter eas item transuersa; tribus inter uerticem & frontem rectis. Reperti sunt, qui à capite, rectè eas lineas ad tempora diducerent: cognitisque ex motu maxillarū musculorum initijs, leuiter super eos cutem inciderent. inductisque per retusos hamos oris, insererent linamenta, ut neque inter se cutis antiqui fines committerentur; & in medio, caro increscceret, quæ uenas, ex quibus humor ad oculos transiret, astringeret. Quidam etiam atramento duas lineas duxerunt à media aure ad mediā alteram aurē: deinde à naribus ad uerticē. tum ubi lineæ cōmittebantur, scalpello inciderunt; & pòst sanguine fuso, os ibidē adusserunt. nihilominus autē, & in tēporibus, & inter frōtē atque caluariā, eminentibus uenis idē cādēs ferrum admouerunt. frequēs curatio est, uenas in tēporibus adurere; quæ fere quidem in eiusmodi malo tument; sed tamen ut inflentur, magisque se ostendant, ceruix antè modicè deliganda est, tenuibusque ferramentis & retusis, uenæ adurendę, donec in oculis pituitę cursus conquiescat: Id enim signū est quasi excæcatorū itinerū, per quæ humor ferebatur. Valentior tamen medicina est, ubi tenues conditæque uenæ, ideoque legi non pñt. eodē modo ceruice deligata, retentoque ab ipso spiritu, quò magis uenę prodeant, atramento notare eas contra tēpora & inter uerticem ac frontem: deinde ceruice resoluta quà notæ sunt, uenas incidere. & sanguinem mittere. ubi satis fluxit, tenui-

bus ferramentis adurere. contra tempora quidem, timidè; ne subiecti musculi, qui maxillas tenent, sentiant: inter frontem uerò & uerticem, uehementer, ut sic squama ab osse recedat. Efficacior tamen etiam num est Afrorum curatio; qui uerticem usque ad os adurunt, sic, ut squamam remittat. Sed nihil melius est, quàm quod in Gallia quoque Comata fit: ubi uenas in temporibus, & in superiore capitis parte legunt. Adusta quomodo curanda sint, iam explicui. nunc illud adijcio: neque ut crustæ decidant: neque ut ulcus impleatur, adustis uenis, esse properandum. ne uel sanguis erumpat, uel citò pus supprimatur, cùm per hoc siccescere eas partes opus sit: per illud, exhauriri opus non sit. siquando tamen sanguis eruperit, infricanda medicamenta esse, quæ sic sanguinem supprimant, ne adurant. quemadmodum autem uenę deligendæ sint, quidque lectis his faciendum sit, cùm uenero ad crurum uarices, dicam.

De aurium morbis, qui manu & scalpello curantur. Cap. VIII.

VERVM ut oculi multiplicem curationem etiam manus exigunt: sic in auribus admodū paucæ sunt, quæ in hac medicinæ parte tractentur. solet tamen euenire, uel à primo natali die protinus, uel postea facta exulceratione, deinde per cicatricem aure repleta, ut foramen in ea nullum sit; ideoque audiendi usu careat. quod ubi incidit; specillo tentandum est, altè ne id repletum, an in summo tantùm glutinatum sit. nam si altè est, prementi non cedit: si in summo, specillum protinus recipit. Illud attingi non oportet, ne sine effectus spe, distentio oriatur neruorum, & ex ea, mortis periculum sit. hoc facilè curatur: nam quà cauum esse debet, uel medicamentum aliquod imponendum est ex adurentibus, uel candente ferro aperiendum, uel etiam scalpello incidendum. cumque id patefactum, & iam ulcus purum est: conijcienda eò pinna est, illita medicamento cicatricem inducente; circaque, idem medicamentum dandum, ut cutis circa pinnam sanescat: quo fit, ut ea remota, postea facultas audiendi sit. At ubi aures: in uiro puta, perforatæ sunt, & offendunt; traijcere id cauum celeriter candente acu satis est, ut leniter eius ora exulcerentur; aut etiam adurente medicamento idem exulcerare: postea deinde imponere id quod purget, tum quod eum locum repleat, & sic cicatricem inducat. quod si magnū id foramen est, (sicut solet esse in his, qui maiora pondera auribus gesserūt) incidere quod superest ad extremum oportet; suprà deinde oras scalpello exulcerare, & postea suere; ac medicamentum, quo id glutinetur, imponere. Tertium est, si quid ibi curti est, sarcire. quę res, cùm in labris quoque & naribus fieri possit, eandem autem rationem habeat, simul explicanda est.

Curta in auribus, labrisq; , ac naribus, quomodo sarciri & curari possint. Cap. IX.

CVRTA igitur in his tribus, ac si qua parua paria sunt, curari possunt: siqua maiora sunt, aut non recipiunt curationem, aut ita per hanc ipsam deformantur, ut minùs indecora antè fuerint. Atque in aure quidem & naribus, deformitas sola timeri potest: in labris uerò, si nimiùm contracta sunt, usus quoque necessarij iactura fit: quia minùs facilè & cibus assumitur, & sermo explicatur. Neque enim creatur ibi corpus: sed ex uicino adducitur: quod in leui mutatione, & nihil eripere, & fallere oculū potest: in magna, non potest. Neque senile autem corpus, neque quod mali habitus est, neque in quo difficulter ulcera sanescunt, huic medicinę idoneum est: quia nusquam celeriùs cancer occupat, aut difficiliùs tollitur. Ratio curationis eiusmodi est: Id quod curatum est, in quadratum redigere. ab interioribus eius angulis, lineas transuersas incidere, quę citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant: deinde ea, quę sic resoluimus, in unum adducere. Si non satis iunguntur, ultra lineas, quas antè fecimus, alias duas lunatas, & ad plagam conuersas immittere, quibus summa tantùm cutis diducatur. sic enim fit, ut faciliùs, quod adducitur, sequi possit: quod non ui cogendum est; sed ita adducendum, ut ex facili subsequatur, & demissum, non multùm recedat. Interdum autem ab altera parte, cutis haud omnino adducta, deformem quem reliquit locum, reddit. Huiusmodi loci altera pars incidenda, altera intacta habenda est. Ergo neque ex imis auribus, neque ex medio naso imis uenarum partibus, neque ex angulis labrorum quidquā attrahere tentabimus. utrinque autem petemus, si quid summis auribus, si quid imis, si quid aut medio naso, aut medijs naribus, aut medijs labris deerit. quæ tamen interdum etiam duobus locis curata esse consueuerunt: sed eadem ratio curandi est. Si cartilago in eo, quod incisum est, eminet, excidenda est: neque enim aut glutinatur, aut acu tutò traijcitur. neque longè tamen excidi debet: ne inter duas oras liberæ cutis, utrinque coitus puris fieri possit. tum iunctę orę inter se suendę sunt, utrinque cute apprehensa; & quà priores lineę sunt, ea quoque suturę inijciendæ sunt. Siccis locis, ut in naribus, illita spuma argenti satis proficit. in ulteriores uerò lunatasque plagas linamentum dandum est, ut caro increscens uulnus impleat; summaque cura, quod ita sutum est, tuendum esse, apparere ex eo potest, quod de cancro suprà posui. Ergo etiam tertio quoque die fouendum erit uapore aquæ calidę: rursusque idem medicamentum inijciendum; fereque septimo die glutinatum est. tum suturę eximi, & ulcus ad sanitatem perduci debent.

De polypi curatione per ferrum. Cap. X.

Polypum uerò, qui in naribus nascitur, præcipuè ferro curari, iam aliàs posui. Ergo etiam hunc

ferramento

hunc ferramento acuto, in modum spathæ facto, resoluere ab osse oportet, adhibita diligentia, ne infra cartilago lædatur, in qua difficilis curatio est. Ubi abscissus est, unco ferramento extrahendus est. tum implicitum linamentum, uel aliquid ex penicillo respergendum est medicamento, quo sanguis supprimitur, eoque nares leniter implendæ. sanguine suppresso, linamento ulculum purgandum est. ubi purum est, eò pinna, eodem modo quo in aure supra positum est, medicamento illita, quo cicatrix inducitur, intus demittenda, donec ex toto id sanescat.

De ozena. Cap. XI.

ID autem uitium, quod ὄζαινα à Græcis uocatur, si medicamētis non cederet, quemadmodum manu curandum esset, apud magnos chirurgos non reperi. Credo, quia res rarò ad sanitatem satis proficit: cùm aliquod in ipsa curatione tormentum habeat. Apud quosdam tamen positum est, uel futilem fistulam, uel eiusdem scriptorium calamum, in narem esse conijciendum, donec sursum ad os perueniat: tum per id, tenue ferramentum candens dandum esse ad ipsum os: deinde adustum locum, purgandum esse ærugine & melle. Ubi purus est, lycio ad sanitatem perducendum. Vel narem incidendam esse ab ima parte, ad os, ut & conspici locus possit, & faciliùs candens ferramentum admoueri. tum sui narem debere, & adustum quidem ulcus eadem ratione curari. suturam uerò illini uel spuma argenti, uel alio glutinante.

De oris uitijs, quæ manu & ferro curantur. Cap. XII.

De dentibus.

IN ore quoque quædam manu curantur. ubi in primis dentes nonnunquā mouentur, modò propter radicum imbecillitatem, modò propter gingiuarum arescentium uitium. Oportet in utrolibet candens ferramentum gingiuis admouere, ut leuiter attingat, non ut insidat. adustæ gingiuæ, melle illinendæ, & mulso eluendæ sunt. ut pura ulcera esse cœperunt, arida medicamenta infricanda sunt ex his, quę reprimunt. Si uerò dens dolores mouet, eximique eum, quia medicamenta nihil adiuuant, placuit; circùm radi debet, ut gingiua ab eo resoluatur. tum is concutiendus est: eaque facienda, donec bene moueatur. nam dens hęrens, cum summo periculo euellitur, ac nonnunquam maxilla loco mouetur. Idque etiā maiore periculo in superioribus dentibus fit, quia potest tempora oculos'ue concutere. Tum, si fieri potest, manu; si minus, forfice dens excipiendus. Ac si exesus est, antè id foramen, uel linamento, uel bene accommodato plumbo replendum est, ne sub forfice confringatur. Recta uerò forfex ducenda est, ne inflexis radicibus, os earum, cui dens inhæret, parte aliqua frangatur. Neque ideo nullum eius rei periculum est, utique in dentibus breuibus, qui fere longiores radices habent. sæpe enim forfex, cùm dentem comprehendere non possit, aut frustra comprehendat, os gingiuę prehendit, & frangit. Protinus autē, ubi plus sanguinis profluit, scire licet, aliquid ex osse fractum esse. Ergo specillo conquirenda est testa, quę recessit, & uolsella protrahenda est. si non sequitur, incidi gingiua debet, donec labans ossis testa recipiatur. quod si fractum statim non est, indurescit extrinsecus maxilla, ut is hiare non possit. sed imponēdum calidum ex farina & fico cataplasma est, donec ibi pus moueatur: tum incidi gingiua debet. Pus quoque multum profluens, ossis fracti nota est. itaque etiam tum id extrahi conuenit. Nonnunquam etiam eo lęso, fistula fit, quæ eradi debet. Dens autem scaber, qua parte niger est, radendus est, illinendusque rosæ flore contrito, cui gallæ quarta pars, & altera myrrhæ sit adiecta. continendumque ore crebrò uinum meracū. Atque in eo casu, uelandum caput; ambulatione multa, frictione capitis, cibo non acri utendum est. At si ex ictu, uel alio casu, aliqui labant dentes, auro cum his, qui bene hærent, uinciendi sunt: continendaque ore reprimentia; ut uinum, in quo malicorium decoctum; aut in quo galla candens coniecta fit. Siquando etiam in pueris alter dens nascitur, quàm prior excidat; is qui cadere debuit, circùm purgandus, & euellendus est. Is, qui natus est in locum prioris, quotidie digito adurgendus, donec ad iustam magnitudinem perueniat. quotiescunque dente exempto, radix relicta est; protinus ea quoque ad id facta forfice, quam ῥιζάγραν Gręci uocant, eximenda est. Tonsillas autem, quæ post inflammationes induruerunt (ἀντιάδες autem a Gręcis appellantur) cùm sub leui tunica sint, oportet digito circùm radere, & euellere. si ne sic quidem resoluuntur, hamulo excipere, & scalpello excidere: tum ulcus aceto eluere, & illinere uulnus medicamento, quo sanguis supprimatur.

De uua.

VVA, si cum inflammatione descendit, dolorique est, & subrubicundi coloris: præcidi sine periculo non potest. solet enim multum sanguinem effundere. itaque melius est his uti, quæ alias proposita sunt. si uerò inflammatio quidem nulla est, nihilominus autem ea ultra iustum modum, à pituita deducta est, & est tenuis, acuta, alba; pręcidi debet. itemque si ima, liuida & crassa; summa, tenuis est. Neque quidquam commodius est, quàm uolsella prehendere, sub eaque, quod uolumus, excidere. neque enim ullum periculum est, ne plus minus'ue præcidatur: cùm liceat tantum infra uolsellam relinquere, quantum inutile esse manifestum est: idque præcidere, quo longior uua est, quàm esse naturaliter debet. post curationem, eadem facienda sunt, quæ in tonsillis proximè posui.

De lingua.

LINGVA uerò quibusdam cum subiecta parte à primo natali die, iuncta est; qui ob id, ne loqui quidem possunt. Horum extrema lingua, uolsella prehendenda est, sub eaque, membrana incidenda, magna cura habita, ne uenæ, quæ iuxtà sunt, uiolentur, & profusione sanguinis noceant. reliqua curatio uulneris, in prioribus posita est. & plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur. ego autem cognoui, qui succisa lingua, cùm abundè super dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem consecutus est. adeo in medicina etiam ubi perpetuum est, quod fieri debet; non tamen perpetuum est id, quod sequi conuenit.

De abscessu sub lingua.

SVB lingua quoque interdum aliquid abscedit; quod ferè consistit in tunica, doloresque magnos mouet. quod si exiguum est, incidi semel satis est: si maius, summa cutis usque ad tunicam excidenda est: deinde utrinque oræ hamulis excipiendæ, & tunica undique circundata liberanda est; magna diligentia per omnem curationem habita, ne qua maior uena incidatur.

De labris.

LABRA autem sæpe finduntur. eaque res habet cum dolore, etiam hanc molestiam, quod sermo prohibetur: qui subinde eas rimas cum dolore diducẽdo, sanguinem citat. sed has, si in summo sunt, medicamentis curare commodius est, quæ ad ulcera oris fiunt. si uerò altiùs descẽderunt, necessarium est tenui ferramento adurere; quod spathę simile, quasi transcurrere, non imprimi debet. postea facienda eadem sunt, quę in auribus adustis exposita sunt.

De ceruicis uitijs, & curatione. Cap. XIII.

AT in ceruice, inter cutem, & asperam arteriam, tumor increscit (βρογχοκήλην Græci uocant) quo modò caro hebes, modò humor aliquis melli, aquę ue similis includitur: interdum etiam minutis ossibus pili immixti; ex quibus, quidquid est, quod tunica continetur, potest adurentibus medicamentis curari, quibus summa cutis, cum superiecta tunica exęditur. quo facto, siue humor est, profluit: siue quid densius, deinde digitis educitur: tum ulcus sub linamentis sanescit. sed scalpelli curatio breuior est. Medio tumore una linea inciditur, usque ad tunicam: deinde uitiosus sinus ab integro corpore, digito separatur: totusque cum uelamento suo eximitur. tum aceto, cui uel salem, uel nitrũ aliquis adiecit, eluitur. oræque una futura iunguntur: cæteraque eadem, quę in alijs suturis, super inijciuntur. leniter deinde, ne fauces urgeat, deligatur. si quãdo autem tunica eximi non potuerit, intùs inspergenda adurentia; linamentisque id curandum est, cęteris pius mouentibus.

De umbilici uitijs. Cap. XIIII.

SVNT etiam circa umbilicum plura uitia; de quibus, propter raritatem, inter auctores parum cõstat. Verisimile est autem, id à quoque prætermissum, quod ipse non cognouerat: à nullo, id quod non uiderat, fictum. Commune omnibus est, umbilicum indecorè prominere. causæ requiruntur. Meges tres has posuit. modò intestinum eò irrumpere: modò omentum: modò humorem. Sostratus, nihil de omento dixit: duobus hisdem adiecit, carnem ibi interdum increscere; eamque modò integram esse, modò carcinomati similem. Gorgias ipse quoque omenti mentionem omisit: sed eadem tria causatus, spiritum quoque interdũ eò dixit irrumpere. Heron, omnibus his quatuor positis, & omenti mentionẽ habuit, & eius, quod simul & omẽtum & intestinum habuerit. quid autem horum sit, his indicijs cognoscitur. Vbi intestinum prolapsum est, tumor neque durus, neque mollis est: omni frigore comminuitur; non solùm sub omni calore, sed etiam retento spiritu crescit. sonat interdum; atque ubi resupinatus est aliquis, delapso intestino, ipse desidit. Vbi uerò omentum est, cætera similia sunt; tumor mollior, & ab una parte latus, extenuatum in uentrem est: si quis apprehendit, elabitur. Vbi utrunque est, indicia quoque mixta sunt; & inter utrunque mollities. at caro durior est; semperque, etiã resupinato corpore, tumet; prementique non cedit, prioribus facilè cedentibus. si uitiosa est, easdem notas habet, quas in carcinomate exposui. Humor autem si premitur, circunfluit. at spiritus pressus cedit, sed protinus redit: resupinato quoque corpore, tumorem in eadem figura tenet. ex his, id quod ex spiritu uitium est, medicinam non admittit. Caro quoque carcinomati similis, cum periculo tractatur: itaque omittenda est. sana excidi debet, idque uulnus linamentis curari. Humorem quidam uel inciso summo tumore effundunt, & uulnus hisdem linamentis curant. in reliquis, uariæ sententiæ sunt. ac resupinandum quidem corpus esse, res ipsa testatur, ut in uterum, siue intestinum, siue omentum est, delabatur. sinus uerò umbilici, tum uacuus, à quibusdam, duabus regulis exceptus est; uehementerque earum capitibus deligatis, ibi emoritur. à quibusdam, id uitium acu traiectatur, duo lina ducente: deinde utriusque lini duobus capitibus, diuersæ partes astringuntur. quod in una quoque oculi fit; nam sic, id quod supra uinculum est, moritur.

adiecerunt

adiecerunt quidam, ut antequam uincirent, summum una linea inciderent, exciderent'que, quò facilius digito demisso, quod illuc irrupisset, depellerent: tum deinde uinxerunt. sed abunde est, iubere spiritum continere, ut tumor quantus maximus esse potest, se ostendat: tum imam basim eius, atramento notare; resupinato'que homine, digitis tumorem eum premere, ut si quid delapsum non est, manu cogatur. post hæc, umbilicum attrahere; & quà nota atramenti est, lino, uehementer astringere. deinde partem superiorem, aut medicamentis, aut ferro adurere, donec emoriatur. atque ut cætera usta, ulcus nutrire. Id'que non solùm ubi intestinum, uel omentum, uel utrunque est, sed etiam ubi humor est, optimè proficit. sed ante quædam uitenda sunt, ne quod ex uinculo periculum sit. nam curationi neque infans, neque aut robustus annis, aut senex aptus est; sed à septimo ferè anno ad quartumdecimũ. deinde ei corpus idoneum est id, quod integrum est: at quod mali habitus est, quod'que papulas, impetigines, similia'que habet, idoneum non est. leuibus quoque tumoribus facilè subuenitur; at in eorum, qui nimis magni sunt, curatione periculum est. Tempus autem anni & autumnale & hibernũ uitandum est: uer idoneum maximè est: ac prima æstas non aliena est. præter hæc, abstinere pridie debet. neque id satis est: sed aluus quoque ei ducenda est, quò facilius omnia quæ excesserunt, intra aluum considant.

Quomodo aqua hydropicis emittatur. Caput XV.

AQVAM his, qui hydropici sunt, emitti oportere, aliàs dixi. nunc quemadmodum id fiat, dicendum est. quidam autem sub umbilico, ferè quatuor interpositis digitis, à sinistra parte: Quidam ipso umbilico perforato, facere consuerunt: quidam cute primùm adusta, deinde interiore abdomine inciso. quia quod per ignem diuisum est, minùs celeriter coit. ferramentum autem demittitur, magna cura habita, ne qua uena incidatur. Id tale esse debet, ut ferè tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat. demittendum'que ita est, ut membranam quoque transeat, qua caro ab interiore parte finitur. eo tum plũbea, aut ænea fistula conijcienda est, uel recuruatis in exteriorem partem labris, uel in media circum surgẽte quadam mora, ne tota intus delabi possit. Huius ea pars, quæ intrà, paulò longior esse debet, quàm quę extrà, ut ultra ulteriorem membranam procedat, per hanc effundendus humor est. atque ubi maior pars eius euocata est, cludenda demisso linteolo fistula est, & in uulnere, si id ustum non est, relinquenda. deinde per insequentes dies, circa singulas heminas emittendum, donec nullum aquæ uestigium appareat. quidam tamen etiam non usta cute, protinus fistulam recipiunt; & super uulnus spongiam expressam deligant: deinde postero die rursus fistulam demittunt (quod recens uulnus paulùm diductum patitur) ut si quid humoris superest, emittatur: idque bis ita fecisse contenti sunt.

De intestinorum uulneratorum curationibus. Cap. XVI.

Nonnunquam autem uenter ictu aliquo perforatur: sequiturque, ut intestina euoluantur: quod ubi incidit, protinus considerandum est, an integra ea sint; deinde an his color suus maneat. si tenuius intestinum perforatum est, nihil profici posse, iam retuli. latius intestinum sui potest, non quòd certa fiducia sit; sed quòd dubia spes, certa desperatione sit potior. interdum enim glutinatur. Tum si utrumlibet intestinum liuidum, aut pallidum, aut nigrum est (quibus illud quoque necessariò accedit, ut sensu careat) medicina omnis inanis est. si uerò adhuc ea sui coloris sunt, cum magna festinatione succurrendũ est: Momento enim alienantur, externo, & insueto spiritu circundata. Resupinandus autem homo est coxis erectioribus. & si angustius uulnus est, quàm ut intestina commodè refundantur, incidendum est, donec satis pateat. Ac si iam sicciora intestina sunt, perluenda aqua sunt, cui paulum admodum olei sit adiectum. tum minister oras uulneris leniter diducere manibus suis, uel etiam duobus hamis membranę interiori iniectis debet: medicus, priora semper intestina, quæ posteriora prolapsa sunt, condere, sic, ut orbium singulorum locum seruet. repositis omnibus, leniter homo concutiendus est. quo fit, ut per se singula intestina in suas sedes diducantur, & inibi considant. His conditis, omentum quoque considerandum est: ex quo, si quid iam nigri, & emortui est, forfice excidi debet. si quid integrum est, leniter super intestina diduci. Sutura autem neque summæ cutis, neque interioris membranæ per se satis proficit; sed utriusque. & quidem duobus linis uincienda est, spissior quàm alibi; quia & rumpi facilius motu uentris potest, & non æquè magnis inflammationibus pars ea exposita est. Igitur in duas acus fila conijcienda, eaque duabus manibus tenenda: & prius interiori membranæ sutura inijcienda est, sic, ut sinistra manus in dexteriore ora, dextra in sinisteriore à principio uulneris orsa, ab interiori parte in exteriorem acũ immittat. quo fit, ut ab intestinis ea pars semper acuum longè fit, quæ retusa est. semel utraque parte traiecta, permutandæ acus inter manus sunt, ut ea sit in dextra, quæ fuit in sinistra: ea ueniat in sinistrã, quam dextra continuit. iterumque eodem modo per oras immittendæ sunt. Atque ita tertiò, & quartò, deincepsque permutatis inter manus acubus, includenda plaga. post hæc, eadem fila, eædemque acus ad cutẽ trausferendæ. similique ratione ei quoque parti utraque sutura inijcienda, semper ab interiore parte acubus uenientibus, semper inter manus traiectis. dein glutinantia inijcienda, quibus aut spongiam, aut succidam lanam ex aceto impressam accedere debere, manifestius est, quàm ut semper dicendum sit. Impositis his, leniter deligari uenter debet.

De interiore parte abdominis rupta, & qua ratione curanda sit. Cap. XVII.

Interdum tamen uel ex ictu aliquo, uel retento diutius spiritu, uel sub graui fasce, interior abdominis membrana, superiore cute integra rumpitur. quod fœminis quoque ex utero sæpe euenire consueuit; fitque præcipue circa ilia. sequitur autem, cùm superior caro mollis sit, ut non satis intestina contineat; hisque intenta cutis, indecorè intumescat. atque id quoque aliter ab alijs curatur. quidam enim per acum duobus linis ad imam basim immissis, sic utrinque deuinciunt, quemadmodum & in umbilico, & in uua positum est, ut quidquid super uinculū est, emoriatur. quidam medium tumorem excidunt ad similitudinem myrtacei folij (quod semper eodem modo seruandum esse, iam posui) & tum oras sutura iungunt. commodissimum est autem, resupinato corpore, experiri manu, qua parte is tumor maximè cedat: quia necesse est ea parte rupta membrana sit; quaque integra est, ea magis obnitatur. tum qua rupta uidebitur, immittendæ scalpello duæ lineæ sunt: ut exciso medio, interior membrana utrinque recentem plagam habeat: quia quod uetus est, sutura non coit, loco patefacto. si qua parte membrana non nouam plagam, sed ueterem habet; tenuis excidenda habena est, quæ tantùm ora eius exulceret. cætera, quæ ad suturæ reliquam curationem pertinent, suprà comprehensa sunt.

De uaricibus uentris.

Præter hæc, euenit, ut in quorūdam uentribus uarices sint. quarum, quia nulla alia curatio est, quàm quæ in cruribus esse consueuit; tum eam partem explanaturus, hanc quoque eò differo.

De testiculorum natura, & morbis eorum. Cap. XVIII.

VENIO autem ad ea, quæ in naturalibus partibus circa testiculos oriri solent: quæ quo faciliùs explicem, priùs ipsius loci natura paucis proponenda est. igitur testiculi, simile quiddam medullis habet. nam sanguinem non emittunt, & omni sensu carent. dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicæ, quibus hi continentur. dependent uerò ab inguinibus per singulos neruos, quos κρεμαστῆρας Græci nominant: cum quorum utroque, binæ descendunt & uenæ, & arteriæ. hæ autem, tunica conteguntur tenui; neruosa, sine sanguine, alba, quæ ἐλυτροειδὴς à Græcis nominatur. super eam ualentior tunica est, quæ interiori uehementer ima parte inhæret; δάρτον Græci uocant. Multæ deinde membranulæ uenas & arterias, eosque neruos comprehendunt; atque inter duas quoque tunicas, superioribus partibus leues, paruulæque sunt. Hactenus propria utrique testiculo & uelamenta, & auxilia sunt. communis deinde utrique, omnibusque interioribus sinus est, qui iam conspicitur à nobis, ὄσχεον Græci, scrotū nostri uocant; isque ab ima parte, medijs tunicis leuiter innexus est; à superiore, tantùm circundatus est. Sub hoc igitur plura uitia esse consuērunt: quæ modò ruptis tunicis, quas ab inguinibus incipere proposui, modò his integris fiunt. siquidem interdum uel ex morbo primùm inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur. uel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit: tum pondere, eò deuoluitur aut omētum, aut etiam intestinum. atque ibi reperta uia, paulatim, aut ab inguinibus inferiores quoque partes nisum, subinde neruosas tunicas, & ob id, eius rei patientes diducit; ἐντεροκήλας, & ἐπιπλοκήλας Græci uocant; apud nos indecorum, sed commune his herniæ nomen est. Deinde si descendit omentum, nunquam in scroto tumor tollitur, siue inedia fuit, siue corpus huc illucue conuersum, aut aliquo modo collocatum. itemque si retentus est spiritus, non magnopere increscit: tactu uerò inæqualis est, & mollis, & lubricus. at si intestinum quoque descendit, humor his sine inflammatione modò minuitur, modò increscit: estque fere sine dolore; & cùm conquiescit aliquis, aut iacet, interdum ex toto desidit, interdum sic diuiditur, ut in scroto exiguæ reliquiæ maneant. at si clamore, & satietate, & si sub aliquo pondere is homo nixus est, crescit: frigore omni contrahitur: calore diffunditur. estque tum scrotum, & rotundum, & tactu leue: idque quod subest, lubricum est, si pressum est, ad inguē reuertitur; demissumque, iterum cum quodam quasi murmure deuoluitur. & id quidem in leuioribus malis euenit. nonnunquā autem stercore accepto, uastius tumet, retroque compelli non potest: affertque tum dolorem, & scroto, & inguinibus, & abdomini: nonnunquam stomachus quoque affectus, primum rufam bilem per os reddit, deinde uiridem, quibusdam etiam nigram. Integris uerò membranis, interdū eam partem humor distringit: atque eius quoque species duæ sunt: nam uel inter tunicas is increscit; uel in membranis, quæ ibi circa uenas & arterias sunt, ubi hæ grauatę occallauerunt, ac ne ei quidem humori, qui inter tunicas est, una sedes est: nam modò inter summam & mediam, modò inter mediam & imam consistit. Græci communi nomine, quidquid est, ὑδροκήλην appellant. nostri (ut scilicet nullis discriminibus satis cognitis) hæc quoque sub eodem nomine, quo priora, habent. signa autem quædam communia sunt, quædam propria. communia, quibus humor deprehenditur. propria, quibus locis humorem subesse dicimus. si tumor est nunq ex toto se remittens, sed interdū leuior, aut pp famē, aut pp febriculam, maximeque in pueris; hisque mollis est, si non nimius humor subest. at si his uehemēter increuit, renititur, sicut uter repletus, & arte astrictus. uenæ quoque in scroto inflantur; & si digito pressimus, cedit humor, circunfluensque, id quod non premitur, attollit; & tanquā in uitro cornu ue, per scro-

tum

tum apparet: isque, quantum in ipso est, sine dolore est. sedes autem eius sic deprehenditur: si inter summam, mediamque tunicam est, cum digitis duobus pressimus, paulatim humor inter eos reuertens subit. scrotum ipsius & albidius est. si ducitur, aut nihil, aut paruulum intenditur. Testiculus ea parte, neque uisu, neque tactu sentitur. at si sub media tunica est, intentũ scrotum magis se attollit: adeo ut superior coles sub tumore eo delitescat. praeter haec, aequè integris tunicis ramex innascitur (κιρσοκήλην Graeci appellant) uenae intumescunt; hae quoque intortae, conglomrataeque ad superiorem partem, uel ipsum scrotũ implent, uel mediam tunicam, uel imam: interdũ etiam sub ima tunica, circa ipsum testiculũ, neruumque eius increscunt. ex his, ea quae in ipso scroto sunt, oculis patent; hae uero, quae mediae, imaeue tunicae insident, ut magis conditae, non aequè quidem cernuntur; sed tamen etiam uisui subiectę sunt; pręterquàm quod & tumoris aliquid est, pro uenarum magnitudine & modo; & id prementi magis renititur, ac per ipsos uenarum toros inęquale est; & qua parte id est, testiculus magis iusto dependet; cùm uero etiam super ipsum testiculum, neruumque eius, id malum increuit; aliquantò longius testiculus ipse descendit, minorque altero fit; ut pote alimento amisso. Rarò, sed aliquando, caro quoque inter tunicas increscit; σαρκοκήλην Gręci uocant. Interdum etiam ex inflammmatione tumet ipse testiculus, ac febres quoque affert; & nisi celeriter ea inflammatio conquieuit, dolor ad inguina atque ilia peruenit; partesque hae intumescunt: neruus, ex quo testiculus dependet, plenior fit, simulque indurescit. super hęc inguẽ quoque nonnunquam uarices implent: βουβωνοκήλην appellant.

De testiculorum curationibus communibus; & primò de incisione, & curatione inguinis, uel scroti. Caput XIX.

HIS cognitis, de curatione dicendum est. in qua, quędam communia omnium sunt, quędam propria singulorum. priùs de communibus dicam. loquar autem nunc de his, quę scalpellum desiderant; nã quę uel sanari non possint, uel aliter nutriri debeant, dicendum erit, simul cum ad species singulas uenero. Inciditur autem interdum inguen, interdum scrotum. in utraque curatione homo ante triduum, bibere aquam, pridie abstinere etiam à cibo debet; Ipso autem die, collocari supinus; deinde si inguen incidendum est, idque iam pube contegitur, antè radendum est; & tum extento scroto, ut cutis inguinis intẽta sit, id incidendum sub imo uentre, quà cum abdomine, tunicae inferiores committuntur. aperiendũ autem audacter est, donec summa tunica, quae ipsius scroti est, incidatur: perueniaturque ad eam, quae media est. plaga facta. foramen deorsum uersus subest. in id demittendus est sinistrae manus digitus index, ut diductis interuenientibus membranulis, simul laxet. minister autem, sinistra manu comprehenso scroto, sursum uersus eum debet extendere, & quàm maximè ab inguinibus abducere, primùm cum ipso testiculo; dum medicus omnes membranulas, quae super mediam tunicam sunt, si digito diducere non potest, scalpello abscidat: deinde sine eo, ut is delapsus, ipsi plagae iungatur; digitoque inde promatur, & super uentrem cũ duabus suis tunicis collocetur. Inde si qua uitiosa sunt, circuncidenda sunt. In quibus cũ multae uenae discurrant, tenuiores quidem praecidi protinus possunt: maiores uerò, antè longiore lino deligandae sunt, ne periculosè sanguinem fundant. Sin media tunica uexata erit, aut sub ea, malum increuerit; excidenda erit, sic, ut altè ad ipsum inguen praecidatur. infrà tamen non tota demenda est. nam quod ad basim testiculi uehementer cum ima tunica connexum est, excidi sine summo periculo non potest. itaque ibi reliquendum est. Idem in ima quoque tunica, si laesa est, faciendum est. sed non à summa inguinis plaga, uerùm infrà paulùm ea abscidenda, ne laesa abdominis membrana, inflammationes moueat. Neque tamen nimium ex ea sursum relinquendum est, ne postea sinuetur, & sedem eidem malo praestet. purgatus ita testiculus, per ipsam plagam cum uenis, & arterijs, & neruo suo leuiter demittendus est; uidendumque ne sanguis in scrotum descendat, neue concretus aliquo loco maneat. quae ita fient, si uenis inciendo medicus prospexerit. lina, quibus capita earum continebuntur, extra plagam dependere debebunt: quae, pure orto, sine ullo dolore excident. Ipsi autem plagae inijciendae duae fibulae sunt, & insuper medicamentum, quo glutinentur. Solet interdum ab altera ora, necessarium esse, aliquid excidi, ut cicatrix maior & latior fiat. quod ubi incidit, linamenta super non fulcienda, sed leuiter tantùm ponenda sunt; supraque ea, quae inflammationem repellant; id est, ex aceto, uel lana succida, uel spongia. Caetera eadem, quae, ubi pus moueri debet, adhibenda sunt. At cùm infra incidi oportet, resupinato homine, subijcienda sub scroto sinistra manus est, deinde id uehementer apprehendendum, & incidendum. si paruulum est, quod nocet, modicè: ut tertia pars integra, ad sustinendum testiculũ, infrà relinquatur. si maius est, etiam ampliùs, ut paulum tantummodò ad imum, cui testiculus insidere possit, integrũ maneat. sed primò rectus scalpellus quàm leuissima manu teneri debet, donec scrotum ipsum diducat; tum inclinandus mucro est, ut transuersa membrana secet, quae inter summam, mediamque tunicam sunt. At si uitiũ in proximo est, mediam tunicam attingi non oportet. si sub illa quoque conditur, etiam illa incidenda est; sic, ut tertia quoque, si illa uitium tegit. Ubicunque repertum malum est, ministrũ ab inferiore parte exprimere moderatè scrotum oportet; medicum, digito, manubriolo, uel scalpello diductam inferiorem partem tunicae, extrà collocare; deinde eam ferramento, quo ad similitudinem, curuum uocant, incidere; sic, ut in eandem intrare duo digiti, index & medius, possint. His deinde coniectis, excipienda reliqua pars tunicae, & inter digitos scalpellus immittendus est: eximendumque, aut effundendum quidquid est noxiũ. Quãcunque autem tunicam quis uiolauit, illam quoque debet excidere; ac mediam quidem, ut suprà di-

xi, quàm altissime ab inguine, imam autem, paulò infra. Cæterum antequam excidantur, hæ quoque uinciri lino summe debent, & eius lini capita extra plagam relinquenda sunt; sicut in alijs quoque uenis, quæ id requisierint. eo facto, testiculus intus reponendus est, oræque scroti suturis inter se committendæ; neque paucis, ne parum glutinentur, & longior fiat curatio; neque multis, ne inflammationem augeant. atque hîc quoque uidendum est, ne quid in scroto sanguinis maneat: tum imponenda glutinantia sunt. siquando autem in scrotum sanguis defluxit, aliquid ue concretum ex eo decidit; incidi subter id debet; purgatoque eo, spongia ex acri aceto madens circundari. Deligatur autem uulnus omne, quod ex his causis factum est. si dolor nullus est, quinque primis diebus non est resoluendum; sed bis die tantùm aceto irroranda lana uel spongia. si dolor est, tertia die resoluendum; & ubi fibulæ sunt, hæ incidendæ; ubi linamentum, id mutandum est; rosaque & uino madefaciendum id, quod imponitur. si inflammatio increscit, adijciendum prioribus cataplasma ex lenticula & melle; uel ex malicorio, quod in austero uino coctum sit; uel ex his mixtis. si sub his inflammatio non conquierit, post diem quintum, multa calida aqua uulnus fouendum, donec scrotum ipsum & extenuetur, & rugosius fiat. tum imponendum cataplasma ex triticea farina, cui resina pinea adiecta sit. quæ ipsa, si robustus curatur, ex aceto: si tener, ex melle coquẽda sunt. neque dubium est, quodcunque initium fuit, si magna inflammatio est, quin ea, quæ pus mouent, imponenda sint. quòd si pus in ipso scroto ortũ est, paulùm id incidi debet, ut exitus detur: linamentumque eatenus imponendum est, ut foramen tegat. Inflammatione finita, propter neruos, priore cataplasmate, dein cerato utendum est. Hęc propriè ad eiusmodi uulnera pertinent. cętera & in curatione, & in uictu, similia his esse debent, quę in alio quoque uulnerum genere pręcepimus.

De intestini curatione. Cap. XX.

HIS propositis, ad singulas species ueniendum est. ac si cui paruulo puero intestinum descendit, ante scalpellum, experienda iunctura est. fascia eius rei causa fit: cui, imo loco pila assuta est ex panniculis facta, quę ad repellendum intestinum, ipsi illi subijcitur: deinde reliqua fascię pars arctè circundatur. sub quo sępe & intus compellitur intestinũ: & inter se tunicę glutinãtur. rursus si ętas processit, multumque intestini descendisse ex tumore magno patet, adijciũturque dolor, & uomitus (quę ex stercore, & ex cruditate, eo delapso, fere accidunt) scalpellum adhiberi sine pernicie non posse manifestum est. Leuandum tãtummodò malum, & per alias curationes extrahendum est. sanguis mitti ex brachio debet: deinde, si uires patiuntur, imperanda tridui abstinentia est: si minus, certè pro ui corporis quàm longissime. eodem uero tempore super habendum cataplasma ex lini semine, quod ante aliquis ex mulso decoxerit. Post hęc, & farina hordeacea cum resina inijcienda; & his demittendus in solium aquæ calidæ, cui oleum quoque adiectum sit: daudumque aliquid cibi lenis, calidi. quidam etiam aluum ducunt. id ducere aliquid in scrotum potest: educere ex eo non potest. per ea uerò, quæ supra scripta sunt, leuato malo, siquando alias dolor reuerterit, eadem erunt facienda. sine dolore quoque si multa intestina prolapsa sunt, secari superuacuum est: non quò excludi à scroto non possint (nisi tamen id inflammatio prohibuit) sed quò repulsa, inguinibus immorentur: ibique tumorem excitent: atque ita fiat mali non finis, sed mutatio. at in eo, quem scalpello curari oportebit, simulatque ad mediam tunicam uulnus in inguine factum peruenerit, duobus hamulis ea iuxta ipsas oras apprehendi debebit, dum eductis omnibus membranulis, medicus eam liberat. neque enim cum periculo læditur, quæ excidenda est, cùm intestinum esse nisi sub ea, nõ possit. ubi deducta autem erit, ab inguine usque ad testiculum incidi debebit, sic, ne his ipse lædatur: tum excidi. ferè tamen hanc curationem puerilis ætas, & modicum malum recipit. sic uir robustus est, maiusque id uitium est, extrahi testiculum non debet: sed in sua sede permanere. Id hoc modo fit: Inguẽ eadem ratione, usque ad mediam tunicam scalpello aperitur: eaque tunica, eodem modo duobus hamis excipitur: sic, ut à ministro testiculus eatenus contineatur, ne per uulnus exeat: tum ea tunica deorsum uersus scalpello inciditur; sub eaque, index digitus sinistræ manus, ad imum testiculũ demittitur, eumque ad plagam compellit: deinde dextrę manus duo digiti, pollex atque index, uenam, & arteriam, & neruum tunicamque eorum à superiore tunica diducunt. quòd si aliquæ membranulæ prohibent, scalpello resoluitur; donec ante oculos tota iã tunica sit. excisis quæ excidenda sunt, repositoque testiculo, ab ora quoque eius uulneris, quod in inguine est, demenda habenula paulò latior, est, quò maior plaga sit, & plus creare carnis possit.

De omenti curatione. Cap. XXI.

AT si omentum descendit; eodem quidem modo, quo supra scriptum est, aperiendum inguen, diducendæque tunicæ sunt. Considerandum autem est, maior ne is modus, an exiguus sit. nam quod paruulum est, super inguen in aluum uel digito, uel auerso specillo repellendum est. si plus est, sinere oportet dependere, quantum ex utero prolapsum est: idque adurentibus medicamentis illinere, donec emoriatur, & excidat. quidam hîc quoque duo lina acu traijciunt, binisque singulorum capitibus, diuersas partes astringunt: sub quo æquè, sed tardius emoriatur. adijcitur tamen hîc quoque celeritati, si omentũ super uinculum illinitur medicamẽtis, quæ sic exedunt, ne erodant; σηπτὰ Græci uocant. Fuerunt etiã, qui omentum forfice præciderent: quod in paruulo non est necessarium: si maius est, potest profusionem sanguinis

sanguinis facere: siquidem omentum quoque uenis quibusdam etiam maioribus illigatum est. neque uerò, si discusso uentre, id prolapsum forfice præciditur (cùm & emortuum sit, & aliter tutiùs auelli non possit) inde huc exemplum transferendum est. Vulnus autem curari, si relictum omentum est, sutura debet: si id amplius fuit, & extrà emortuum est; excisis oris, sicut suprà propositum est. si uerò humor intus est; incidendum est, in pueris quidem, inguen (nisi in his quoque liquoris eius maior modus prohibet) in uiris uerò, & ubicunque multus humor subest, scrotum. deinde si inguen incisum est, eò protractis tunicis, humor effundi debet. si scrotum, & sub hoc protinus uitium est, nihil aliud, quàm humor est effundendus: abscidendæque membranæ sunt, si quæ eum continuerunt; deinde eluendum id ex aqua, quæ uel salem adiectum, uel nitrum habeat. si sub media, ima'ue tunica; totę hę extra scrotum collocandę, excidendęque sunt.

De ramicis curatione. Cap. XXII.

RAMEX autem, si super ipsum scrotum est, adurendus est tenuibus & acutis ferramentis, quę ipsis uenis insigantur: cum eo, ne ampliùs quàm has urant; maximeque ubi inter se implicatę glomerantur, eò ferrum id admouendum est: tum super farina ex aqua frigida subacta, inijcienda est: utendumque eo uinculo, quod idoneum esse ani curationibus posui. tertio die lenticula cum melle imponenda est. post eiectis crustis, ulcera melle purganda, rosa implēda, ad cicatricē aridis linamētis pducenda sunt. quibus uerò super mediam tunicam, uenæ tument; incidendum inguen est, atque tunica promouenda, ab eaque uenæ, digito uel manubriolo scalpelli separandæ. qua parte uerò inhærebunt, & ab superiore, & ab inferiore parte, lino uinciendæ: tum sub ipsis uinculis præcidendæ, reponendusque testiculus est. At ubi supra tertiam tunicam ramex insedit, mediam excidi necesse est: deinde si duæ tres'ue uenæ tument, & ita pars aliqua obsidetur, ut maiore uitio uacet; idem faciendum, quod suprà scriptum est; ut ab inguine, & à testiculo deligatæ uenæ præcidantur: isque condatur. Sin totum id ramex obsederit: per plagam demittendus digitus index erit, subijciendusque uenis, sic, ut paulatim protrahat, æquè adducendo; donec is testiculus par alteri fiat. tum fibulæ oris sic uinciendæ, ut simul eas quoque uenas comprehendant. Id hoc modo fit: acus ab exteriore parte oram uulneris perforat: tum non per ipsam uenam, sed per membranam eius immittitur: per eamque, in alteram oram compellitur. uenæ uulnerari non debent, ne sanguinem fundant: membrana semper inter has uenas est; ac neque periculum effert, & filo comprehensas illas abundè tenet. itaque etiam satis est, duas fibulas esse. tum uenæ, quæcunque protractæ sunt in ipsum inguen, aduerso specillo comprehendi debent. Soluendi fibulas tempus, inflammatione finita, & purgato uulnere, est; & una simul & oras, & uenas cicatrix deuinciat. Vbi uerò inter imam tunicam, & ipsum testiculum, neruumque eius, ramex ortus est; una curatio est, quæ totum testiculum abscidit. nā neque ad generationem quidquam is confert, & omnibus indecorè, quibusdam etiam cum dolore, dependet. sed totū quoque inguen incidendum; media tunica promenda, atque excidēda est. Idem in ima faciendum; neruusque, ex quo testiculus dependet, præcidendus. post id, uenæ & arteriæ ad inguen lino deligādæ, & infra uinculum abscidendæ sunt.

De carne, quæ inter tunicas testiculorum concreuit, & de neruo indurato. Cap. XXIII.

CARO quoque siquando inter tunicas concreuit; nihil dubij est, quin eximenda sit: sed id, ipso scroto inciso fieri commodius est. At si neruus induruit, curari res neque manu, neque medicamento potest: Vrgent enim febres ardentes, & aut uirides, aut nigri uomitus; præter hæc, ingens sitis, & linguę aspritudo; fereque à die tertio, spumans bilis aluo cum rosione redditur. atque neque assumi facilè cibus, neque contineri potest; neque multò pòst extremæ partes frigescunt: tremor oritur: manus sine ratione extenduntur. deinde in fronte frigidus sudor, eumque mors sequitur.

De ramice inguinis. Cap. XXIIII.

VBI uerò in ipso inguine ramex est; si tumor modicus est, semel incidi; si maior, duabus lineis debet, ut medium excidatur: deinde non extracto testiculo (sicut intestinis quoque prolapsis interdum fieri docui) colligendæ uenæ uinciendæque, ubi tunicis inhærebunt, & sub his modis præcidendæ sunt. neque quidquam noui, curatio uulneris eius requirit.

Ad tegendam glandem colis si nuda est. Cap. XXV.

AB his, ad ea transeundum est, quæ in cole ipso fiunt. In quo, si glans nuda est, uultque aliquis eam decoris causa tegere, fieri potest, sed expeditius in puero, quàm in uiro: in eo, cui id naturale est, quàm in eo, cui quarundam gentium more, circuncisus est; in eo, cui glans parua, iuxtaque eam cutis, spatiosior uerò ipse coles est, quàm in quo contraria his sunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale est, eiusmodi est. cutis circa glandem apprehenditur, & extenditur, donec illam ipsam condat, ibique deligatur. deinde iuxta pubem, in orbē tergus inciditur, donec coles nudetur; magnaque cura cauetur, ne uel urinę iter, uel uenæ, quæ ibi sunt, incidantur. Eo facto, cutis ad uinculum inclinatur, nudaturque circa pubem, uelut

circulus: eoque linamenta dantur, ut caro increscat, & id impleat, satisque uelamenti supra latitudo plagæ præstat, sed donec cicatrix fit, uinctum esse id debet, in medio tantùm relicto exiguo urinæ itinere. at in eo, qui circuncisus est sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est. non ita dolet, quia summo soluto, deduci deorsum usque ad pubem manu potest: neque ideo sanguis profluit. Resoluta autem cutis rursus extenditur ultra glandem. tum multa frigida aqua fouetur: emplastrumque circà datur, quod ualentem inflammationem reprimat. proximisque diebus, ut propè à fame uictus est, ne fortè eam partem satietas excitet. ubi iam sine inflammatione est, deligari debet à pube usque circulum. super glandem autem, aduerso emplastro imposito induci. sic enim fit, ut inferior pars glutinetur: superior ita sanescat, ne inhæreat.

Quomodo glans penis contecta, aperiri possit.

Contrà, si glans ita contecta est, ut nudari non possit (quod uitium Græci φίμωσιν appellant) aperienda est. quod hoc modo fit: Subter à summa ora, cutis inciditur, recta linea usque ad frenum; atque ita superius tergus relaxatum, cedere retrò potest. quod si parum sic profectum est, aut propter angustias, aut propter duritiem tergoris, protinus triangula forma cutis ab inferiore parte excidenda est, sic, ut uertex eius ad frenum, basis in tergo extremo sit. tum super danda linamenta sunt, aliaque medicamenta, quę ad sanitatē producant. necessariū autē est, donec cicatrix sit, cōquiescere; nā ambulatio, atterendo, ulcus sordidum reddit.

Infibulandi ratio.

Infibulare quoque adolescentulos, interdum uocis, interdum ualetudinis causa, quidam consuerūt; eiusque hæc ratio est. Cutis, quę super glandem est, extenditur, notaturque utrinque à lateribus atramento, quà perforatur, deinde remittitur. si super glandem notę reuertuntur, nimis apprehensum est, & ultra notari debet. si glans ab his libera est, is locus idoneus fibulę est. Tum quà notę sunt, cutis acu filū ducente transuitur, eiusque fili capita inter se deligantur; quotidieque id mouetur, donec circa foramina, cicatricul ę fiant. ubi hę confirmatę sunt, exempto filo, fibula additur; quę quò melior, eò leuior est. sed hoc quidē sæpius inter superuacua, quàm inter necessaria est.

De urinæ reddendæ difficultate, & de calculo, curationibusq; eorum. Cap. XXVI.

RES uerò interdum cogit emoliri manu urinam, cùm illa non redditur, aut quia senectute iter eius collapsum est: aut quia calculus, uel concretum aliquid ex sanguine intus se opposuit. ac mediocris quoque inflammatio sæpe eam reddi naturaliter prohibet. idque non in uiris tantummodò, sed in fœminis quoque interdum necessarium est. Ergo æneæ fistulæ fiunt, quæ ut omni corpori, ampliori, minorique sufficiant; ad mares, tres; ad fœminas, duæ medico habendæ sunt. Ex uirilibus, maxima, decem & quinque est digitorum, media duodecim, minima nouem: ex mulieribus, maior nouem, minor sex. Incuruas uerò esse eas paulùm, sed magis uiriles oportet, leuesque admodum, ac neque nimis plenas, neque nimis tenues. Homo tum resupinus, eo modo, quo in curatione ani figuratur, super subseilium, aut lectum collocandus est: Medicus autem à dextro latere, sinistra quidem manu, colem masculi continere; dextra uerò fistulam demittere in iter urinæ debet. Atque ubi ad ceruicem uesicæ uentum est, simul cum cole, fistulam inclinatam, in ipsam uesicam compellere; eamque, urina reddita, recipere. Fœmina, breuius urinæ, similiter, & rectius iter habet. quod mammulæ simile, inter imas oras, super naturale positum, nonminùs sæpe auxilio eget: aliquantò minùs difficultatis exigit. Nonnunquam etiam prolapsus in ipsam fistulam calculus (qui subinde ea extenuatur) non longè ab exitu inhæréscit. eum, si fieri potest, oportet uellere, uel oriculario specillo, uel eo ferramento, quo in sectione calculus protrahitur. Si id fieri non potuit, cutis extrema quàm plurimùm attrahenda, & condita glande, lino uincienda est; deinde à latere, recta plaga coles incidendus, & calculus eximendus est: tum cutis remittenda. sic enim fit, ut incisum colē integra pars cutis contegat: & urina naturaliter profluat.

Quæ curatio calculosis adhibeatur.

CVM uesicæ uerò, calculique facta mentio sit; locus ipse exigere uidetur, ut subijciam, quæ curatio calculosis (cùm aliter succurri non potest) adhibeatur. ad quam festinare, cùm præceps sit, nullo modo conuenit. ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni uitio id experiendum est; sed solo uere, in eo corpore, quod iam nouem annos, nondum quatuordecim excessit; & si tantum mali subest, ut neque medicamentis uinci possit, neque etiam trahi posse uideatur, quò minùs interposito aliquo spatio interimat. Non quò non interdum etiam temeraria medicina proficiat; sed quò sæpius utique in hoc fallat; in quo plura & genera, & tempora periculi sunt; quæ simul cum ipsa curatione proponam. Igitur ubi ultima experiri statutum est, antè aliquot diebus uictu corpus prǽparandum est, ut modicos, ut salubres cibos, ut minimè glutinosos assumat, ut aquam bibat. ambulandi uerò inter hæc exercitatione utatur, quò magis calculus ad uesicæ ceruicem descendat. quod an inciderit, digitis quoque, si-

cut

cut in curatione docebo, demissis cognoscitur. Ubi eius rei fides est, pridie is puer in ieiunio continendus est, & tum loco calido curatio adhibenda; quæ hoc modo ordinatur. Homo prævalens & peritus, in sedili alto considit, supinumque eum, & aduersum, super genua sua coxis eius collocatis, comprehendit; reductisque eius cruribus, ipsum quoque iubet manibus ad suas poplites datis, eos, quàm maximè possit, attrahere; simulque ipse sic eos continet. quòd si robustius corpus eius est, qui curatur; duobus sedilibus iunctis, duo ualentes insidunt: quò & sedilia, & interiora crura inter se deligantur, ne diduci possint. tum is super duorum genua eodem modo collocatur; atque alter, pro ut consedit, sinistrũ crus eius; alter dextrum, simulque ipse poplites suos attrahit. siue autem unus, siue duo continẽt; super humeros eius suis pectoribus incumbunt. Ex quibus euenit, ut inter ilia sinus super pubem sine ullis rugis sit extentus; & in angustũ compulsa uesica, facilius calculus capi possit. Præter hæc, etiam num à lateribus duo ualentes obijciuntur, qui circumstantes leuare uel unum, uel duos, qui puerum continent, non sinunt. Medicus deinde diligenter unguibus circuncisis, atque sinistra manu, duos eius digitos, indicem & mediũ, leniter prius unum, deinde alterum, in anum eius demittit; dextræque digitos super imum abdomen leniter imponit: ne si utrinque digiti circa calculum uehementer concurrerint, uesicam lædant. Neque uerò festinanter in hac re, ut in plerisque, agendũ est: sed ita, ut quàm maximè id tutò fiat. nam læsa uesica, neruorum distẽtiones cum periculo mortis excitat. Ac primum circa ceruicem quæritur calculus. ibi repertus, minore negotio expellitur. & ideo dixi ne curandum quidem, nisi cum in hoc indicijs suis cognitum est. si uerò aut ibi non fuit, aut recessit retrò; digiti ad ultimam uesicam dantur; paulatimque dextra quoque manus eius ultra translata subsequitur. atque ubi repertus est calculus, (q necesse est in manus incidat) eo curiosius deducitur, quò minor, leuiorque est, ne effugiat; id est, ne sæpius agitanda uesica sit. Ergo ultra calculum dextra semper manus eius opponitur; sinistræ digiti deorsum eum compellit, donec ad ceruicem peruenitur. In quam, si oblongus est, sic compellendus est, ut pronus exeat. si planus, sic, ut transuersus sit. si quadratus, ut duobus angulis sedeat. si altera parte plenior sit, ut prius ea, qua tenuior sit, euadat. in rotundo, nihil interesse ex ipsa figura patet; nisi si leuior altera parte est, ut ea antecedat. Cum iam eo uenit, ut incidi super uesicæ ceruicem, iuxta anum, cutis, plaga lunata, usque ad ceruicem uesicæ debeat, cornibus ad coxas spectantibus paulùm: deinde ea parte, qua strictior ima plaga est, etiam num sub cute, altera transuersa plaga facienda est, qua ceruix aperiatur: donec urinæ iter pateat: sic, ut plaga paulò maior, quàm calculus sit. nam qui metu fistulæ (quam illo loco ῥυάδα Græci uocant) parum patefaciunt: cum maiore, eodem, periculo reuoluũtur: quia calculus, iter, cũ ui promitur, facit, nisi accipit. Idque etiam perniciosius est, si figura quoque calculi, uel asperitudo, aliquid eo contulit. ex quo, & sanguinis profusio, & distentio neruorũ fieri potest. quæ si quis euasit, multò tamen patentiorem fistulam habiturus est, rupta ceruice, quàm habuisset, incisa. Cui uerò patefacta est, in conspectũ calculus uenit. In cuius corpore, nullum discrimen est. ipse, si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera, protrahi potest. si maior; inijciendus à superiore ei parte uncus est, eius rei causã factus. Is est ad extremum tenuis, in semicirculi speciẽ retusæ latitudinis; ab exteriori parte, læuis, quà corpori iungitur; ab interiori, asper, qua calculum attingit. isque longior potius esse debet: nam breuis, extrahendi uim habet. Ubi iniectus est, in utrunque latus inclinandus est, ut appareat calculus, & teneatur; quia si apprehensus est, ille simul inclinatur: ideoque eo minimo opus est: ne, cùm adduci uncus cœperit, calculus intus effugiat, hic in oram uulneris incidat; eamque conuulneret. in qua re, quod periculum esset, iam suprà proposui. Ubi satis teneri calculum patet; eodem pene momento triplex motus adhibendus est, in utrunque latus, deinde extrà; sic tamen, ut leniter id fiat, paulumque primò calculus attrahatur. quo facto, attollendus uncus extremus est, uti intus magis maneat, faciliusque illum producat. quòd si aliquãdo à superiore parte calculus parum commodè comprehendetur, à latere erit apprehendendus. hæc est simplicissima curatio. Sed uarietas rerum quasdam etiam num animaduersiones desiderat. sunt enim quidam non asperi tantummodò, sed spinosi quoque calculi; qui per se quidem delapsi in ceruicem, sine ullo periculo eximuntur: In uesica uerò, non tutò uel hi conquiruntur, uel attrahuntur: quoniam ubi illã conuulnerarunt, ex distentione neruorum, mortem maturant; multoque magis, si spina aliqua uesicæ inhæret: eamque, cùm duceretur, duplicauit. Colligitur autem eo, quòd difficilius urina redditur, in ceruice calculum esse: eo quòd cruenta destillat, illum esse spinosum: maximeque id sub digitis quoque experiundum est; neque adhibenda manus, nisi id constitit. Ac tum quoque leniter intus digiti obijciendi, ne uiolenter promouendo, conuulnerent: tum incidendũ. Multi hìc quoque scalpello usi sunt. Meges (quoniam is infirmior est, potestque in aliqua prominentia incidere, incisoque super illam corpore, quà cauum subest, non secare, sed relinquere, quod iterum incidi necesse sit) ferramentum fecit rectum, in summa parte labrosum, in ima semicirculatum, acutumque. id receptum inter duos digitos, indicem ac medium, super pollice imposito, sic deprimebat, ut simul cum carne, siquid ex calculo prominebat, incideret. quo consequebatur, ut semel, quantum satis esset, aperiret. quocunque autem modo ceruix ea parte facta est, leniter extrahi quod asperum est, debet: nulla propter festinationem ui admota.

Signa calculorum, uel harenosorum, uel mollium.

AT calculus harenosus, & antè manifestus est: quoniam & urina, quæ redditur, harenosa est; & in ipsa curatione, quoniam inter subiectos digitos, neque æquè leniter renititur, & insuper dilatatur.

Item mollis calculus, & ex pluribus minutisque, sed inter se parum astrictis compositus indicatur, in se attrahens quasdam quasi squamulas. Hos omnis leniter permutatis subinde digitorum uicibus, sic oportet abducere, ne uesicam lædant, ne'ue intus aliquæ dissipatæ reliquiæ maneant, quæ post modum curationi difficultatem faciant. quidquid autem ex his in conspectum uenit, uel digitis, uel unco eximendũ est. at si plures calculi sunt, singuli protrahi debent; sic tamen, ut si quis exiguus supererit, potius relinquatur. si quidem in uesica difficulter inuenitur; inuentusque, celeriter effugit. Ita longa inquisitione uesica læditur: excitatque inflammationes mortiferas; adeo ut quidam secti, cum diu frustraque per digitos uesica esset agitata, decesserint. quibus accedit etiam, quod exiguus calculus ad plagam, urina postea promouente, excidit. siquando autem is maior, non uidetur, nisi rupta ceruice, extrahi posse, findendus est. cuius repertor Ammonius, ob id λιθοτόμος cognominatus est. Id hoc modo fit: Uncus inijcitur calculo, sic, ut facile eum concussum quoque teneat, ne is retrò reuoluatur. tum ferramentum adhibetur crassitudinis modicæ, prima parte tenui, sed retusa, quod admodum calculum ex altera parte ictum findit: magna cura habita, ne aut ad ipsam uesicam per ferramentum perueniat, aut calculi fractura ne quid incidat.

De calculis fœminarum.

HAE uerò curationes in fœminis quoque similes sunt; de quibus tamen parum propriè quædam dicenda sunt. siquidem in his, ubi paruulus calculus est, scalpellus superuacuus est; quia is urinam in ceruicem non compellit, quæ & breuior quàm in maribus, & laxior est. ergo & per se sæpe excidit; & si in primo, quod est angustius, inhæret; eodem tamen unco sine ulla noxa educitur. at in maioribus calculis necessaria eadem curatio est. sed uirgini subijci digiti tanquam masculo, mulieri, per naturalia eius debet. tũ uirgini quidem sub ima sinisteriore ora: mulieri uerò, inter urinæ iter, & os pubis incidendũ est. sic, ut utroque loco plaga transuersa sit, neque terreri conuenit, si plus ex muliebri corpore sanguinis profluit.

Quæ curatio calculo euulso habenda sit.

Calculo euulso, si ualens corpus est, neque magnopere uexatum, sinere oportet sanguinem fluere, quò minor inflammatio oriatur: atque ingredi quoque eum paulùm, non alienum est, ut excidat, si quid intus concreti sanguinis mansit. quòd si per se non destitit, rursus, ne uis omnis intereat, supprimi debet. idque protinus in imbecillioribus, ab ipsa curatione faciendum est. siquidem ut distentione neruorum periclitatur aliquis, dum uesica eius agitatur; sic alter metus excipitur, remotis medicaminibus, ne tantum sanguinis profluat, ut occidat. quod ne incidat, desidere is debet in acre acetum, cui aliquantum salis sit adiectum. sub quo, & sanguis fere conquiescit, & astringitur uesica; ideoque minus inflammatur. quòd si parum proficit, agglutinanda cucurbitula est, & inguinibus, & coxis, & super pubem. Ubi iam satis uel euocatus est sanguis, uel prohibitus; resupinus collocandus est, sic, ut caput humile sit, coxæ paulùm excitentur: ac super ulcus imponendum est duplex, aut triplex linteolum aceto madens. deinde interpositis duabus horis, in solium is aquæ calidæ resupinus demittendus est, sic, ut à genibus ad umbilicum aqua teneat, cætera uestimentis circundata sint; manibus tantummodò, pedibusque nudatis, ut & minus digeratur, & ibi diutius maneat. ex quo, sudor multus oriri solet; quo spongia subinde facilè detergendum est: finisque eius fomenti est, donec infirmando offendat. tum multo is oleo perungendus, inducendusque lapsus lanæ mollis tepido oleo repletus, qui pubem, & coxas, & inguina, & plagam ipsam contectam eodem ante se linteolo protegat; isque subinde oleo tepido madefaciendus est, ut neque frigus ad uesicam admittat, & neruos leniter molliat. quidam cataplasmatis calefacientibus utũtur: eã plus pondere nocent, quæ uesicam urgendo, uulnus irritant, quàm calore proficiunt. ergo ne uinculum quidem ullum necessarium est. proximo die, si spiritus difficiliùs redditur, si urina non excedit, si locus circa pubem maturè intumuit; scire licet, in uesica sanguinem concretum remansisse. Igitur demissis eodem modo digitis, leniter pertractanda uesica est, & discutienda, si qua coïerunt. quo fit, ut per uulnus postea procedant. non alienum etiam est, oriculario clystere acetum nitro mixtum, per plagam in uesicã compellere: nam sic quoque discutiuntur, si qua cruenta coïerunt. eaque facere etiam primo die conuenit, si timemus, ne quid intus sit: maximeque ubi ambulando id elicere imbecillitas prohibuit; cætera eadem facienda sunt, ut demittatur in solium: ut eodem modo panniculus, eadem lana super inijciatur. sed neque sæpe, neque tandiu in aqua calida puer habendus, quàm adolescens est; infirmus, quàm ualens; leui, quàm grauiore inflammatione affectus; is, cuius corpus digeritur, quàm is, cuius astrictum est. Inter hæc uerò, si somnus est, & æqualis spiritus, & madens lingua, & sitis modica, & uenter imus, sed & mediocris est cum febre modica dolor; scire licet, rectè procedere curationem. atque in his inflãmatio fere quinto, uel septimo die finitur. qua leuata, solium superuacuum est. supini tantummodò uulnus aqua calida fouendum est, ut si quid urinæ rodet, abluatur. Imponenda autem medicamenta sunt pus mouentia; & si purgandum ulcus uidebitur, melle linendum. id si rodet, rosa temperabitur. Huic curationi aptissimũ uidetur ἐννεαφάρμακον emplastrum: nam & seuum habet, ad pus mouendum; & mel, ad ulcus repurgandũ medulla etiam, maximeque uitulina; quod in id ne fistula relinquatur, præcipue proficit. linamenta uerò tum super ulcus non sunt necessaria; super medicamentum, ad id continendum rectè imponuntur. at ubi ulcus purgatum est; puro linamento ad cicatricem perducendum est. quibus temporibus tamen, si

felix

felix curatio non fuit, uaria circa pericula oriuntur. quę præsagire protinus licet: si continua uigilia est, si spiritus difficultas, si lingua arida est, si sitis uehemens, si uenter imus tumet, si uulnus hiat, si trans fluens urina id non rodit, si similiter ante tertium diem, quædam liuida excidunt, si is aut nihil, aut tardè respondet, si uehementes dolores sunt, si post diem quintum magnæ febres urgent, & fastidium cibi permanet, si cubare in uentre iucundius est. nihil tamen peius est distentione neruorum, & ante nonum diem, uomitus bilis. sed cùm inflammationis sit metus, succurri abstinentia, modicis & tempestiuis cibis, inter hæc fomentis, de quibus suprà scripsimus, oportet.

De cancro, qui excisa uesica nascitur, & qua curatione uti deceat. Cap. XXVII.

Proximus cācri metus est. is cognoscitur, si & per uulnus, & per ipsum colem fluit sanies mali odoris, cumque eo, quædam à concreto sanguine non abhorrentia, tenuesque carunculæ lanulis similes: præter hæc, si orę uulneris aridæ sunt: si dolent inguina: si febris nō desinit, eaque in noctem augetur: si inordinati horrores accedunt. Considerandum autem est, in quam partem cancer is tendat. si ad colem, indurescit is locus, & rubet, & tactu dolorem excitat, testiculique intumescunt. si in ipsam uesicam, ani dolor sequitur, coxæ durescunt, non facilè crura extendi possunt. at si in alterutrum latus, oculis id expositum est, paresque utrinque easdem notas, sed minores habet. primùm autem ad rem pertinet, corpus rectè iacere, ut superior pars semper eadem sit in quam uitium fertur. ita si ad colem it, supinus is collocari debet; si ad uesicam, in uentrem; si in latus, in id quod integrius est. Deinde ubi uentum fuerit ad curationem, homo in aquam demittetur, in qua marrubium decoctū sit, aut cupressus, aut myrtus; idemque humor clystere intus adiicietur. tum super ponetur lenticula cum malicorio mixta; quæ utraque ex uino decocta sint; uel rubus, aut oleæ folia eodem modo decocta; aliaque medicamenta, quæ ad cohibendos, purgandosque cancros proposuimus. ex quibus, si qua erunt arida, per scriptorium calamum inspirabûtur. ubi stare cœperit cancer, mulso uulnus eluetur. uitabiturque eo tempore ceratum, quod ad recipiendum id malum, corpus emollit; potiùs plumbum elotum cum uino inungetur. super quæ, idem linteolo illitum imponetur: sub quibus perueniri ad sanitatem potest: cum eo tamen, quòd non ignoremus, orto cancro, sæpe affici stomachum; cui, cum uesica quoddam consortium est: exque eo fieri, ut neque retineatur cibus; neque si quis retentus est, concoquatur: neque corpus alatur: ideóque ne uulnus quidem aut purgari, aut ali possit: quæ necessariò mortem maturant. sed ut his succurri nullo modo potest; sic à primo tamen diu tenenda ratio curationis est. in qua quædam obseruatio ad cibum quoque, potionemque pertinens, necessaria est: nam cibus inter principia non nisi humidus dari debet. ubi ulcus purgatum est, ex media materia olera, & salsamenta semper aliena sunt. potione opus est non modica: nam si parum bibitur, accenditur uulnus, & uigilia urget, & uis corporis minuitur. si plus æquo assumitur, subinde uesica impletur, eoque irritatur. non nisi aquam autem bibendam esse, manifestius est, quàm ut subinde dicendum sit. solet uerò sub eiusmodi uictu uenire, ut aluus non reddatur: Hæc aqua ducenda est, in qua uel fœnum græcum, uel malua decocta sit. Idem humor rosa mixtus, in ipsum uulnus oriculario clystere agendus est: ubi id rodit urina, neque purgari patitur. Ferè uerò primò per uulnus exit hęc; deinde eo sanescente, diuiditur, & pars per colem descendere incipit, donec ex toto plaga claudatur: quod interdū tertio mense, interdum non ante sextum, nonnunquam exacto quoque anno fit. neque desperari debet solida glutinatio uulneris, nisi ubi aut uehementer rupta ceruix est, aut ex cancro multę, magnę que carūculæ, simul'que neruosa aliqua exciderunt. sed ut uel nulla ibi fistula, uel exigua admodum relinquatur, summa cura prouidendum est. Ergo cùm iam ad cicatricem uulnus intendit, extentis iacere fœminibus, & cruribus oportet: nisi tamen molles, harenosi'ue calculi fuerunt: sub his enim tardiùs uesica purgatur: Ideo'que diutiùs plagam patère necessarium est: & tum demum, ubi iam nihil tale extrà fertur, ad cicatricem perduci. quòd si, antequàm uesica purgata est, oræ se glutinarunt, dolor'que, & inflammatio redierunt; uulnus digitis, uel aduerso specillo diducendum est, ut torquentibus exitus detur: his'que effusis, tum diutiùs pura urina descendat. Tum demum quæ cicatricē inducant, imponēda sunt: extendi'que, ut suprà docui, pedes quàm maximè iuncti. quòd si fistulę metus ex his causis, quas proposui, subesse uidebitur; quò faciliùs claudatur ea, uel certè coāgustetur, in anum quoque danda plumbea fistula est: extētis'que cruribus fœmina, tali'que inter se deligandi sunt; donec, qualis futura est, cicatrix fit.

Si naturalia fœminarum, concubitum non admittunt, quomodo curari conueniat. Caput XXVIII.

ET hoc quidem commune esse maribus, & fœminis potest. propriè uerò quædam ad fœminas pertinent; ut in primis, quòd earum naturalia nonnunquam inter se glutinatis oris, concubitum non admittunt. id'que interdum euenit protinus in utero matris: interdum exulceratione in his partibus facta; & per malam curationem his oris sanescendo iunctis. si ex utero est, membrana ori uuluæ opposita est. si ex ulcere, caro id repleuit. Oportet autem membranam duabus lineis inter se transuersis incidere, ad similitudinem literæ X. magna cura habita ne urinę iter uioletur. deinde undique eam membranam excidere; at si caro increuit, necessarium est, recta linea patefacere: tum ab ora, uel uulsella uel hamo apprehensam tanquam habenulam excidere: & intus implicitum in longitudinem lina-

mentum (λημνίσκον Greci uocant) in aceto tinctum, demittere: supraque, succidam lanam aceto madentem deligare: tertio die soluere ulcus, & sicut alia ulcera curare. cumque iam ad sanitatem tendet, plumbeam fistulam medicamento cicatricem inducente illinere, eamque intus dare: supraque, idem medicamentum inijcere, donec ad cicatricem plaga perueniat.

Qua curatione partus emortuus ex utero excutiatur. Cap. XXIX.

VBI concipit autem aliqua, si iam propè maturus partus intus emortuus est, neque excidere per se potest; adhibenda curatio est, quæ numerari inter difficillimas potest: nam & summam prudentiam, moderationemque desiderat: & maximum periculum affert. sed ante omnia, uuluæ natura mirabilis, cùm in multis alijs, tum in hac re quoque facilè cognoscitur. Oportet autem ante omnia, resupinam mulierem transuerso lecto sic collocare, ut fœminibus eius ipsius ilia comprimantur, quo fit, ut & imus uenter in conspectu medici sit: & infans ad os uuluæ compellatur: quæ emortuo partu id comprimit: ex interuallo uerò paulùm dehiscere. hac occasione usus medicus, unctæ manus indice digitum primum debet inserere, atque ibi continere, donec iterum ad os aperiatur: rursusque alterum digitum demittere debebit, & per easdem occasiones, alios, donec tota esse intus manus possit. ad cuius rei facultatem, multùm confert & magnitudo uuluę, & uis neruorum eius, & corporis totius habitus, & mentis etiam robur: cùm præsertim intus nonnunquam etiam duæ manus dari debeant. Pertinet etiam ad rem, quàm calidissimum esse imum uentrem, & extrema corporis; neque dum inflammationem cœpisse, sed recenti re protinus adhiberi medicinam. nam si corpus iam intumuit, neque demitti manus, neque educi infans, nisi ægerrimè potest; sequiturque sæpe cum uomitu, & cum tremore, mortifera neruorum distentio. Verùm intus emortuo corpori manus iniecta protinus habitum eius sentit. nam aut in caput, aut in pedes conuersum est, aut in transuersum iacet: ferè tamen sic, ut uel manus eius, uel pes in propinquo sit. Medici uerò propositum est, ut eum manu dirigat uel in manus, uel etiam in pedes; si fortè aliter compositus est; ac si nihil aliud est, manus uel pes apprehensus, corpus rectius reddit: nam manus, in caput; pes, in pedes eum conuertet. Tum si caput proximum est, demitti debet uncus undique leuis, acuminis breuis, qui uel oculo, uel auri, uel ori, interdum ēt fronti rectè inijcitur; deinde attractus, infantem educit. Neque tamen quolibet is tempore extrahi debet: nam si compresso uuluæ ore id tentatum est, non emittente eo, infans abrumpitur: & unci acumen in ipsum os uuluæ delabitur: sequiturque neruorum distentio, & ingens periculum mortis. Igitur compressa uulua, conquiescere: hiante, leniter trahere oportet: & per has occasiones paulatim eum educere. Trahere autem dextra manus uncum, sinistra intus posita, infantem ipsum: simulque dirigere eum debet. Solet etiam euenire, ut is infans humore distendatur: exque eo profluat fœdi odoris sanies. quod si tale est, indice digito corpus illud forandum est, ut effuso humore, extenuetur. tum id leniter per ipsas manus recipiendum est. nam uncus iniectus, facilè hebeti corpusculo eleuabitur. in quo quid periculi sit, suprà positum. sed in pedes quoque conuersus infans, nō difficulter extrahitur: quibus apprehensis per ipsas manus commodè educitur. si uerò transuersus est, neque dirigi potuit, uncus alę iniiciēdus, paulatimque attrahēdus est. sub quo, ferè ceruix replicatur, retroque caput, ac reliquum corpus spectat. Remedio est, ceruix pręcisa, ut separatim utraque pars auferatur; Id unco fit, qui priori similis, in interiorem tantùm partem per totam aciem exacuitur: Tum id agendum est, ut antè caput, deinde reliqua pars auferatur: quia ferè maiore parte extracta, caput in uacuam uuluam prolabitur, extrahique sine summo periculo non potest: si tamen id incidit, super uentrem mulieris duplici panniculo iniecto, ualens homo, nō imperitus, à sinistro latere eius debet assistere, & super imū uentrem eius, duas manus imponere, alteraque alteram premere. quo fit, ut illud caput ad os uuluę compellatur: idque eadem ratione, quæ suprà posita est, unco extrahitur. At si pes alter iuxtà repertus est, alter retrò cum corpore est; quidquid protractum est, paulatim abscidendum est. & si clunes os uuluæ urgere cœperunt, iterum retrò repellendæ sunt: conquisitusque pes eius adducēdus. aliæque etiā nunc difficultates faciunt, ut qui solidus non exit, cōcisus eximi debeat. Quoties autem infans protractus est, tradendus ministro est. is eum supinis manibus sustinere; medicus deinde sinistra manu leniter trahere umbilicum debet, ita ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas secundas uocant (quod uelamentum infantis intus fuit) hisque ultimis apprehensis, uenulas, membranulasque omnes eadem ratione manu diducere à uulua, totumque illud extrahere; & si quid intus præterea concreti sanguinis remanet; tum compressis in unum fœminibus, illa conclaui collocanda est, modicum calorem sine ullo præflatu habente. super imum uentrem eius imponenda lana succida in aceto, & rosa tincta. reliqua curatio talis esse debet, qualis in inflammationibus, & in his uulneribus, quæ in neruosis locis sunt, adhibeatur.

De ani uitijs, & eorum curatione. Cap. XXX.

ANI quoque uitia, ubi medicamentis non uincuntur, manus auxilium desiderant. Ergo si qua scissa in eo, uetustate induruerunt, iamque callum habent; cōmodissimum est ducere aluum: tum spongiam calidam admouere, ut relaxentur illa, & foràs prodeant. Ubi in conspectu sunt, scalpello singula excidere, & ulcera remouere: deinde imponere linamentum molle, & supèr, linteolum illitum melle,

locumque

locumque eum molli lana implere & ita uincire, altero die, deincepsque cæteris, lenibus medicamētis uti, quæ ad recentia eadem uitia necessaria esse, aliâs proposui. & utique per primos dies, sorbitionibus eum sustinere paulatim: deinde cibis adijcere aliquid generis tamen eius, quod eodem loco præceptum est. siquando autem ex inflammatione, pus in his oritur; ubi primùm id apparuit incidendum est, ne anus ipse suppuret. neque tamen ante properandum est: nam si crudum incisum est, inflammationis multum accedit: & puris aliquantò amplius concitatur. His quoque uulneribus lenibus cibis, hisdemque medicamentis opus est.

De condylomatum curatione.

AT tubercula, quæ κονδυλώματα appellantur, ubi induruerunt, hac ratione curantur. Aluus ante omnia ducitur. tum uolsella tuberculum apprehensum, iuxta radices exciditur. quod ubi factum est, eadem sequuntur, quæ suprà post curationem adhibenda esse proposui. tantummodò si quid increscit, squama æris coërcendum est. Ora etiam uenarum fundentia sanguinem, sic tolluntur. ubi sanguini, qui effluit, sanies adijcitur, aluus acriùs ducitur, quò magis oræ promoueantur. eoque fit, ut omnes uenæ, quasi capitula conspicua sint. Tum si capitulum exiguum est, basimque tenuem habet; astringendum lino paulùm suprà est, quà ubi cum ano cōmittitur. imponenda spongia aqua calida est, donec id libeat. deinde aut ungue, aut scalpello supra nodum, id exulcerandū est. quod nisi factum est, magni dolores subsequuntur: interdum etiam urinæ difficultas. si id maius est, & basis latior, hamulo uno aut altero excipiendum est; paulumque supra basim incidendum: neque relinquēdum quidquam ex eo capitulo: neque quidquam ex ano demendum est. quod consequitur his, qui neque nimiùm, neque parum hamos ducit. quà incisum est, acus debet immitti: infraque eam, lino id capitulum alligari: si duo, triaue sunt, imum quodque primum curandum est. si plura, non omnia simul, ne tempore eodem undique teneræ cicatrices sint. si sanguis profluit, excipiendus est spongia: deinde linamentum imponendum. ungenda fœmina, & inguina, & quidquid iuxta ulcus est, ceratumque supèr dandum est. farina hordeacea calida implendusque is locus est; sic deligandus est. postero die is desidere in aqua calida debet: eodemque cataplasmate foueri. Ac bis die, & ante curationem, & post eam, ceruices, ac fœmina liquido cerato perungenda sunt: tepidoque is loco continendus. Interpositis quinque, aut sex diebus, oriculario specillo linamenta educenda. si capitula simul non exciderunt, digito promouenda: tum lenibus medicamentis, hisdemque, quæ alibi posui, ulcera ad sanitatem perducenda. finito uitio, quemadmodum agendum esset, iam aliâs superiùs exposui.

De uaricum curatione. Cap. XXXI.

AB his ad crura proximus transitus est. in quibus orti uarices, non difficili ratione tolluntur. Huc autem & earum uenularum, quæ in capite nocent, & eorum uaricum, qui in uentre sunt, curationem distuli: quoniam ubique eadem est. Igitur uena omnis, quæ noxia est, aut adusta tabescit, aut manu exciditur. si recta est; si, quamuis transuersa, tamen simplex; si modica est, meliùs aduritur: si curua est, & uelut in orbes quosdam implicatur, pluresque inter se inuoluuntur, utiliùs eximere est. Adurendi ratio hæc est. cutis supèr inciditur: tum patefacta uena tenui & retuso ferramento candente modicè premitur: uitaturque, ne plagæ ipsius oræ adurantur: quas reducere hamulis facile est. Id, interpositis ferè quaternis digitis, per totum uaricem fit: & tum superimponitur medicamentum, quo adusta sanantur. At exciditur hoc modo. cute eadem ratione super uenam incisa, hamulo oræ excipiuntur: scalpelloque undique à corpore uena diducitur: cauetur que, ne inter hæc ipsa lędatur: eique retusus hamulus subijcitur; interpositoque eodem ferè spatio, quod suprà positum est, in eadem uena idem fit: quę quò tendat, facilè hamulo extento cognoscitur. Ubi iam idem, quacunque uarices sunt, factum est, uno loco adducta per hamulum uena præciditur: deinde quà proximus hamus est, attrahitur, & euellitur: ibi rursus absciditur. ac sic undique uaricibus crure liberato, tum plagarum orę committuntur: & supèr emplastrū glutinans inijcitur.

Curatio digitorum cohærentium. Cap. XXXII.

AT si digiti uel in utero protinus, uel propter communem exulcerationem postea cohæserunt, scalpello diducuntur. dein separatim uterque non pingui emplastro circundatur, atque ita per se uterque sanescit. si uerò fit ulcus in digito, postea que malè inducta cicatrix, curuum eum reddit; primùm malagma tentandum est. dein si id nihil prodest (quod & in ueteri cicatrice, & ubi nerui læsi sunt, euenire consueuit) uidere oportet, nerui ne id uitium, an cutis sit. si nerui est, attingi non debet; neque enim sanabile est. si cutis, tota cicatrix excidenda est (quæ ferè callosa efficit, ut extendi digitum non patiatur) tum rectus sic ad nouam cicatricem perducendus est.

De cangrenæ curatione. Cap. XXXIII.

CANGRENA inter ungues, alasque, aut inguina nasci; & siquando medicamenta uincuntur, membrum præcidi oportere, alio loco mihi dictum est. sed id quoque cum periculo summo fit: nam sæpe in ipso opere, uel profusione sanguinis, uel animæ defectione moriuntur

uerum hîc quoque nihil interest an satis tutum præsidium sit, quod unicum est. Igitur inter sanam, uitiatamque partem incidenda scalpello caro usque ad os est, sic, ut neque contra ipsum articulum id fiat: & potius ex sana parte aliquid excidatur, quàm ex ægra relinquatur. Ubi ad os uentum est; reducenda ab eo sana caro, & circa os subsecanda est, ut ea quoque parte aliquid os nudetur: dein id serrula præcidendum est, quàm proxime sanæ carni etiam inhærenti. ac tum frons ossis, quam serrula exasperauit, læuanda est, supraque inducenda cutis; quæ sub eiusmodi curatione laxa esse debet, ut quàm maxime undique os contegat. quò cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegẽdum, & super id spongia ex aceto deliganda. cætera postea sic facienda, ut in uulneribus, in quibus pus moueri debet, præceptum est.

LIBER OCTAVVS.

De positu, & figura totius humani corporis. Caput I.



Vperest ea pars, quæ ad ossa pertinet. quæ quò facilius accipi possit, prius positus, figurasque eorum indicabo. Igitur caluaria incipit, ex interiore parte concaua, extrinsecus gibba, utrinque leuis, & quà cerebri membranam contegit, & quà cute capillum gignente contegitur. eaque simplex ab occipitio & temporibus, duplex usque in uerticem à fronte est. ossaque eius ab exterioribus partibus dura, ab interioribus, quibus inter se connectuntur, molliora sunt. interque ea uenæ discurrunt; quas his alimentum subministrare credibile est. raro autem caluaria solida, sine suturis est: locis tamen æstuosis facilius inuenitur. & id caput firmissimum, atque à dolore tutissimum est. ex cæteris, quò suturæ pauciores sunt, eò capitis ualetudo commodior est. neque enim certus earum numerus est, sicut ne locus quidem: fere tamen duæ super aures, tempora à superiore capitis parte discernunt. tertia ad aures, per uerticem tendens, occipitium à summo capite diducit. quarta ab eodem uertice, per medium caput, ad frontem procedit; eaque modò sub imo capillo desinit: modò frontem ipsam secans, inter supercilia finitur. Ex his cæteræ quidem suturæ in unguem committuntur: hæ uerò, quæ super aures transuersæ sunt, totis oris paulatim extenuantur: atque ita inferiora ossa superioribus leniter insidunt. Crassissimum uerò in capite os post aurem est; quia capillus (ut uerisimile est) ob id ipsum non gignitur. sub his quoque musculis, qui tempora cõnectunt, os medium in exteriorem partem inclinatum, positum est. at facies suturam habet maximam, quæ à tempore incipiens, per medios oculos, naresque transuersa peruenit ad alterum tempus: à qua breues duæ sub interioribus angulis, deorsum spectant. & malæ quoque in summa parte singulas transuersas suturas habent. à mediisque naribus, aut superiorum dentium gingiuis, per medium palatum una procedit: aliaque transuersa idem palatum secat: & suturæ quidem in plurimis hę sunt. foramina autem intra caput maxima oculorum sunt; deinde narium; tum quæ in auribus habemus: ex his, quæ oculorum sunt, recta, simpliciaque ad cerebrum tendunt. narium duo foramina, osse medio discernuntur: siquidem hęc primùm à superciliis, angulisque oculorum, osse inchoantur ad tertiam fere partem: deinde in cartilagine uersa, quo propius ori descendunt, eò magis caruncula quoque molliuntur. sed ea foramina, quæ à summis ad imas nares simplicia sunt, ibi rursus in bina itinera diuiduntur: aliaque ex his ad fauces peruia, spiritum & reddunt, & accipiunt: alia ad cerebrum tendunt: In ultima parte, in multa, & tenuia foramina dissipantur, per quæ sensus odoris nobis datur. In aure quoque, primò rectum, & simplex iter, procedendo flexuosum fit: quod ipsum, iuxta cerebrum, in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi est: iuxtaque ea duo paruuli quasi sinus sunt. superque eos finitur os, quod transuersum à genis tendens, ab inferioribus ossibus sustinetur: Iugale appellari potest, ab eadem similitudine, à qua id Græci ζυγῶδες appellant. Maxilla uerò, est molle os; eaque una est; cuius eadem & media, & etiam ima pars, mentum est: à quo, utrinque procedit ad tempora: solaque ea mouetur. nam malæ, cum toto osse, quod superiores dentes exigit, immobiles sunt. uerũ ipsius maxillę partes extremæ, quasi bicornes sunt. alter processus intrà latior uertice ipso tenuatur: longiusque procedens, sub osse iugali subit: & super id temporum musculis illigatur. alter breuior, & rotundior, in eo sinu, qui iuxta foramina auris est, cardinis modo fit: ibique huc, & illuc se inclinans, maxillę facultatem motus pręstat. Duriores osse dentes sunt. quorum pars, maxillæ; pars, superiori ossi malarum hęret. ex his, quaterni primi, quia secant, τομεῖς à Gręcis nominantur. hi deinde, quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. ultra quos, utrinque fere maxillares quaterni sunt; pręterque in his, in quibus tres ultimi, qui sero gigni solent, non increuerunt. ex his, priores singulis radicibus; maxillares utique binis, quidam etiam ternis, quaternisue nituntur. Fereque longior radix, breuiorem dentem edit: rectique dentis recta etiam radix; curui, flexa est: ex que eadem radice, in pueris nouus dens subit: qui multò sæpius priorem expellit: interdum tamen supra, infraue eum se ostendit. Caput autem spina excipit. ea constat ex uertebris quatuor & uiginti. septem in ceruice sunt: duodecim ad costas: reliquæ quinque sunt proximę costis. Hæ, teretes, breuesque, ab utroque latere processus duos exigunt: medię perforatę, quà spinę medulla cerebro commissa descendit: circa quoque per duos processus, tenuibus cauis peruię, per quę à membrana cerebri similes membranulæ deducuntur. omnesque uertebrę, exceptis tribus summis, à superiore parte, in ipsis

processibus

processibus parum desidenti sinus habent: ab inferiore alios deorsum uersus processus tenuibus, cuius periti per quæ à membrana cerebri similes membranulæ deducuntur. omnesque uertebræ, exceptis tribus summis, à superiore parte in ipsis processibus parum desidentis sinus habent; ab inferiore, alios deorsum uersus processus exigunt. Summa igitur, protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis eius processibus: quo fit, ut caput sursum deorsum uersum tuberibus exasperetur: secunda superiori parti inferiore. quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur. Itaque superior summæ circundata, in latera quoque caput moueri sinit. tertia, eodem modo secundam excipit: ex quo facilis ceruici mobilitas est. Ac ne sustinere quidē caput posset, nisi utrinque recti, ualentesque nerui collum continerēt: quos τένοντας Græci appellāt. siquidem horum inter omnes flexus, alter semper intentus, ultrà prolabi superiora nō patitur. Iamque uertebra tertia, tubercula, quę inferiori inserantur, exigit. cæteræ, processibus deorsum spectantibus, in inferiores insinuātur; ac per sinus, quos utrinque habent, superiores accipiunt: multisque neruis, & multa cartilagine continentur. Ac sic uno flexu modico in prōptum dato, cæteris negotijs homo & rectus insistit, & aliquid ad necessaria opera curuatur. Infra ceruicem uerò, summa costa contra humeros sita est: inde undecim inferiores, usque ad imum pectus perueniunt: hæque primis partibus rotundę, & leniter quasi capitulatæ, uertebrarum transuersis processibus, ibi quoque paulum insinuatis inhęrent. inde patescunt: & in exteriorem partem recuruatę, paulatim in cartilaginem degenerant. eaque parte rursus in interiora leniter flexę, committuntur cum osse pectoris. quod ualens, & durum, à faucibus incipit, ab utroque latere lunatum, & à pręcordijs iam ipsum quoque cartilagine mollitū, terminatur. Sub costis uerò prioribus, quinque (quas νόθας Græci nominant) breues, tenuioresque, atque ipsæ quoque paulatī in cartilaginē uersæ, extremis abdominis partibus inhærescūt. imaque ex his, maiore iā parte, nihil nisi cartilago est. Rursus à ceruice duo lata ossa utrinque ad scapulas tēdūt (nostri scoptula operta, ὠμοπλάτας Græci nominant) ea in summis uerticibus sinuata, ab his triangula, paulatimque latescētia ad spinā tendūt: & quò latiora quaque parte sunt, hoc hebetiora, atque ipsa quoque in imo cartilaginosa, posteriore parte uelut innatant; quoniā nisi in summo, nulli ossi inhærescūt. ibi uerò ualidis musculis, neruisque cōstricta sunt. At à summa costa, paulò interius, q ubi ea media est, os excrescit; ibi quidē tenue; procedens uerò, quò propius lato scapularum ossi fit, eò plenius, latiusque, & paulatim in exteriora curuatū. quod propius, altera uerticis parte modicè intumescēs, sustinet iugulum. Id autē ipsum recuruum, ac neque inter durissima ossa numerādum, altero capite, in eo quod posui; altero, in exiguo sinu pectoralis ossis insidit; paulumque motu brachij mouetur: & cū lato osse scapularū, infra caput, eius neruis, & cartilagini cōnectitur. Hinc humerus incipit, extremis utrinque capitibus tumidus, mollis, sine medulla, cartilaginosus: medius teres, durus, medullosus, leniter gibbus, & in priorem & posteriorem, interiorē & exteriorē partem. prior aūt pars est, q à pectore est; posterior, quę ab scapulis; interior, quæ ad latus tēdit: exterior, q ab eo recedit. quod ad oēs articulos pertinere, in ulterioribus patebit. Superius aūt humeri caput, rotundius q cætera ossa, de quibus adhuc dixi, uerticillatis scapularum ossibus, paruo excessu inseritur: ac maiore parte ex transitu neruis deligatur. At inferius, duos processus habet: inter quos, quod medium est, magis etiam extremis partibus sinuatur. quę res sedem brachio præstat: quod constat ex ossibus duobus: radius (quem κερκίδα Græci appellant) superior, breuiorque, & primò tenuior, rotundo & leniter cauo capite, exiguum humeri tuberculum recipit: atque ibi neruis, & cartilagine continetur. Cubitus inferior, longiorque, & primò plenior, in summo capite, duobus quasi uerticibus extantibus, in sinu humeri, quē inter duos processus eius esse proposui, se inserit. primò uerò, duobus radijs brachij ossa iuncta, paulatim dirimuntur: rursusque ad manū coeunt, modo crassitudinis mutato: siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est. dein radius, in caput cartilaginosum consurgēs, in uerticem eius sinuatur: cubitus rotūdus in extremo, parte altera paulū procedit. Ac ne sæpius dicendum sit, illud ignorari non oportet: plurima ossa in cartilaginem desinere: nullum articulum non sic finiri: neque enim aut moueri posset, nisi leui inniteretur: aut cum carne, neruisque coniungi, nisi ea media quædam materia committeret. In manu uerò, prima palmę pars ex multis, minutisque ossibus constat; quorum numerus incertus est. sed oblōga omnia, & triāgula, structura quadā inter se cōnectuntur: cùm inuicem superior alterius angulus, alterius planities sit: eoque fit ex his, unius ossis paulùm in interiora concaui species. Uerùm ex manu, duo exigui processus in sinus radij conijciuntur. tum ex altera parte, rectā quinque ossa ad digitos tendentia, palmam explent; à quibus ipsi digiti oriuntur: qui ex ossibus ternis constant: omniumque eadem ratio est. Interius os in uerticem sinuatur, recipitque exterioris exiguum tuberculum; nerui que ea continent; à quibus orti ungues indurescunt: ideo que non ossi, sed carni magis radicibus suis inhęrent. ac superiores quidem partes sic ordinatæ sunt. Ima uerò spina, in coxarum osse discedit; quod transuersum, longe que ualentissimum, uuluam, uesicam, rectum intestinū tuetur; idque ab exteriore parte, gibbum; ad spinam, resupinatum; à lateribus, idest in ipsis coxis, sinus rotundos habet; à quibus oritur os, quod pectinē uocāt. Id que super intestina, sub pube transuersum, uentrē firmat: rectius in uiris, recuruatū magis in exteriora in fœminis, ne partum prohibeat. Inde fœmina oriuntur; quorum capita rotundiora etiam quàm humerorum sunt; cū illa ex cæteris rotūdissima sint. infrà uerò, duos processus à priore, & à posteriore parte habent: dein dura, & medullosa, & ab exteriore parte gibba. habent; rursus ab inferioribus quoque capitibus intumescunt. superiora, in sinus coxæ, sicut humeri in ea ossa, quæ scapularum sunt, conijciuntur. tum infra, introrsùs leniter intendunt, quò æqualius superiora membra sustineant. atque in eo inferiora quoque capita media sinuantur, quò facilius excipi à cruri-

bus possint: quæ commissura osse paruo, molli, cartilaginoso tegitur: patellam uocant. hæc super innatans, nec ulli ossi inhærens, sed carne, & neruis deligata, pauloque magis ad femoris os tendēs, inter omnes crurum flexus, iuncturam tuetur. Ipsum autem crus, est ex ossibus duobus: & enim per omnia femur humero, crus uero brachio simile est. adeo ut habitus quoque, & decor alterius ex altero cognoscatur. quod ab ossibus incipiens, etiam in carne respondet. Verum alterum os ab exteriore parte suprà positum est, quod ipsum quoque sura rectè nominatur. id breuius, supraque tenuius, ad ipsos talos intumescit. alterum à priore parte positum, cui tibiæ nomen est, longius, & in superiore parte plenius, solum cum femoris inferiore capite committitur: sicut cum humero cubitus. atque ea quoque ossa, infrà, supraque coniuncta, media, ut in brachio, dehiscunt. Excipitur autem crus infra ossa ex transuerso talorum; idque ipsum super os calcis situm est; quod quadam parte sinuatur, quadam excessus habet: & procedentia ex talo recipit: & in sinum eius inseritur. idque sine medulla, durum, magisque in posteriorem partem proiectum, teretem ibi figuram repræsentat. Cætera ossa pedis, ad eorum, quæ in manu sunt, similitudinem instructa sunt: plantæ palmæ, digiti digitis, ungues unguibus respondent.

Ossa uitiata, & corrupta, quibus signis cognoscantur, & qua ratione curentur. Cap. II.

OMNE autem os, ubi iniuria accessit, aut uitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco mouetur. Id quod uitiatum est, primo fere pingue fit: deinde uel nigrum, uel cariosum: quæ, super natis grauibus ulceribus, aut fistulis, hisque uel longa uetustate, uel etiam cancro occupatis eueniunt. Oportet autem ante omnia, os nudare, ulcere exciso: & si latius eius uitium est, quàm ulcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os undique pateat: tum id quod pingue est, semel, iterum'ue satis est admoto ferramento adurere, ut ex eo squama secedat: aut eradere, donec iam aliquid cruoris ostendatur: quæ integrioris nota est. nam necesse est aridum fit id, quod uitiatum est. Idem in cartilagine quoque læsa faciendum est. siquidem ea quoque scalpello radenda est, donec integrum id sit, quod relinquatur. deinde siue os, siue cartilago rasa est, nitro bene trito respergendum est. neque alia facienda sunt ubi caries, nigrities'ue in summo osse est. siquidem id uel paulò diutiùs eodem ferramento adurendum, uel radendum est. qui radit hæc, audacter imprimere ferramentum debet, ut & agat aliquid, & maturius desinat. finis est, cùm uel ad album os, uel ad solidum uentum est. albo finiri ex nigritie uitium, soliditate quadam, ex carie manifestum est: accedere etiam cruoris aliquid integro supra dictum est. siquando autem altiùs descenderit, utrumlibet dubium est: In carie quidem, expedita cognitio est. specillum tenue in foramen demittitur: quod magis, minus'ue intrando, uel in summo cariem esse, uel altiùs descēdisse testatur. nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore, & ex febre. quæ ubi mediocria sunt, illa altè descendisse non potest: manifestior tamen ad acta terebra fit: nam finis uitij est, ubi scobis nigra esse desijt. Igitur si caries altè descendit, per terebram urgenda crebris foraminibus est: quę altitudine uitium æquent. tum in ea foramina, demittenda candentia ferramenta sunt: donec inde siccum os ex toto fiat. simul enim post hæc, & resoluetur ab inferiore osse quodcunque uitiatum est: & his sinus carne replebitur: & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. atque idem in carie quoque ad alteram partem ossis penetrante fieri potest. sed quod totum uitiatum, totum eximendum est. si inferior pars integra est, eatenus quod corruptum est, excidi debet. item siue capitis, siue pectoris os, siue costa cariosa est, inutilis uitio est, & excidendi necessitas est. neque audiendi sunt, qui osse nudato, diem tertium expectant, ut tunc excidant: ante inflammationem enim tutiùs omnia tractantur. itaque quantum fieri potest, eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum, & omni uitio liberādum est. Longeque perniciosissimum est, quod in osse pectoris est: quia uix, etiam si rectè cessit, curatio ueram sanitatē reddit.

Quomodo os excidatur, & de modiolo, & terebra, ferramentis ad id paratis. Cap. III.

Exciditur uerò os duobus modis: si paruulum est, quod læsum est, modiolo, quem χοινικίον Græci uocant. si spatiosus, terebris. utriusque rationem proponam. Modiolus, ferramentum concauum, teres est, imis oris serratum; per quod medium, clauus ipse quoque, interiore orbe cinctus, demittitur. Terebrarum autem duo genera sunt: alterum, simile ei quo fabri utuntur. alterum, capituli longioris; quod ab acuto mucrone incipit, deinde subitò latius fit: atque iterum ab alio principio, paulò minus, quàm æqualiter, sursum procedit. si uitium in angusto est, quod comprehendere modiolus possit, ille potius aptatur. & si caries subest, medius clauus in foramen demittitur. si nigrities, angulo scalpri sinus exiguus fit, qui clauum recipiat: ut eo insistente, circumactus modiolus delabi nō possit. deinde is habenâ quasi terebra conuertitur. estque quidam premendi modus, ut & foretur, & circùm agatur. quia si leuiter imprimitur, parum proficit. si grauiter, non mouetur. neque alienum est, instillare paulum rosæ, uel lactis, quò magis lubrico circumagatur. quod ipsum tamen si copiosius est, aciem ferramenti hebetat. at ubi iam iter modiolo pressum est, medius clauus educitur, & ille per se agitur. deinde cùm sanitas inferioris partis scobe cognita est, modiolus remouetur. At si latius uitium est, quàm ut illo comprehendatur, terebra res agenda est. ea foramen fit in ipso fine uitiosi ossis atque integri: deinde alterum non ita lōge, tertiumque, donec totus is locus, qui excidēdus est, his cauis cinctus sit. atque ibi quoque, quatenus

terebra

terebra agenda sit, scobis significat: tunc excisorius scalper, ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id quod inter utrunque medium est, excidit: ac sic ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Utro modo uerò id circumductum est, idem excisorius scalper in osse corrupto planus summam quanque testam lælit, donec integrum os relinquatur. Vix unquam nigrities integrum, caries per totum os perrumpit: maximeque ubi uitiata caluaria est. Id quoque signi specillo significatur; qui depressus in id foramen, quod infra solidam sedē habet: & ob id renitens aliquid inuenit, & madens exit. si peruium inuenit, altiùs descendens inter os, & membranam nihil oppositum inuenit, educiturque siccus; non quò non subsit aliqua uitiosa sanies, sed quoniam ibi, ut in latiore sede, diffusa sit. Siue autem nigrities, quam terebra detexit: siue caries, quam specillum ostendit, os transit; modioli quidem usus ferè superuacuus est: quia latius pateat necesse est, quod iam altè processit. Terebra uerò ea, quam secundo loco posui, utendum; eaque ne nimis incalescat, subinde in aquā frigidam demittenda est. Sed tum maiore cura agendum est, cùm iam aut simplex os dimidium perforatum est: aut in duplici, superius. illud, spatium ipsum; hoc sanguis significat. Ergo tum lētiùs ducenda habena: suspendēdaque magis sinistra manus est, & sæpius attollenda: & foraminis altitudo consideranda: ut quandocunque os perrumpitur, sentiamus: neque periclitemur, ne mucrone cerebri membrana lædatur: Ex quo graues inflāmationes cum periculo mortis oriuntur. Factis foraminibus, eodem modo media sæpe, sed multò circūspectiùs excidenda sunt: ne fortè angulus scalpri eandem membranam uiolet: donec fiat aditus, per quam membranæ custos immittatur: μηνιγγοφύλακα Græci uocant. Lamina ænea est firma, paulùm resima, ab exteriore parte læuis; quę demissa est, ut exterior pars eius cerebro propior sit. subinde ei subijcitur, quod scalpro discutiendum est. ac si excipit eius angulum, ultrà transire non patitur: eoque & audaciùs, & tutiùs scalprum malleolo subinde medicus ferit; donec excisum undique os, eadem lamina leuetur: tollique sine ulla noxa cerebri potest. Vbi totum os eiectum est, circùm radendæ, leuādæque sunt oræ: & si quid scobis membranæ insedit, colligendum. Vbi superiori parte sublata, inferior relicta est, non ora tantum, sed os quoque totum lauandum est: ut sine noxa postea cutis increscat. quæ aspero osse innascens, protinus non sanitatem, sed nouos dolores mouet. Patefacto cerebro, qua ratione agēdum sit, dicam, cùm ad fracta ossa peruenero. Si basis aliqua seruata est, superimponenda sunt medicamenta non pinguia, quæ recentibus uulneribus accommodantur: supraque imponenda lana succida, oleo atque aceto madens. Vbi tempus processit, ab ipso ore caro increscit, eaque factum manu sinum complet. Si quod etiam os adustū est, à parte sana recedit: subitque inter integram atque emortuam partem, caruncula; quæ quod abscesserit, expellat. eaque ferè, quia testa tenuis, & angusta est, squama, id est λεπὶς à Græcis nominatur. Potest etiam euenire, ut ex ictu neque findatur os, neque perfringatur: sed summum tamen collidatur, exasperetur que. quod ubi incidit, radi, & lauari satis est. Hæc quamuis maximè fiunt in capite, tamen cæteris quoque ossibus communia sunt: ut ubicunque idem incidet, eodem remedio sit utendum. Atque cùm ea fracta, fissa, forata, collisa sint, quasdam proprias in singulis generibus, quasdam communes in pluribus curationes requirunt. de quibus protinus dicam, initio ab eadem caluaria accepto.

De caluariæ curatione. Caput IIII.

Igitur ubi ea pertusa, protinus requirendum est, num bilem is homo uomuerit: nū oculi eius obcæcati sint: num obmutuerit: num per nares, aures ue sanguis ei effluxerit: num conciderit: num sine sensu quasi dormiens iacuerit. hæc enim non nisi osse fracto eueniunt: atque ubi inciderunt, scire licet necessariam, sed difficilem curationem esse. si uerò etiam torpor accessit, si mens non constat, si neruorum uel resolutio, uel distentio secuta est: uerisimile est etiam cerebri membranam esse uiolatam: eoque in angusto magis spes est. At si nihil horum secutum est, potest etiam dubitari an os fractum sit. & protinus considerandum est, lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussum sit. & hoc ipso leni, an aspero; mediocri, an uastiore: uehementer, an leniter. quia quò mitior ictus fuit, eò faciliùs os ei restitisse credibile est. Sed nihil tamen melius est, quàm certiore id nota explorare. Ergo quà plaga est, demitti specillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum: ne cùm in quosdam sinus naturales inciderit, opinionem fracti ossis frustrà faciat: neque nimis plenum; ne paruulæ rimulę fallant. Vbi specillum ad os uenit, nihil nisi lene, & lubricum occurrit, integrum id uideri potest. si quid asperi est (utique quà suturæ non sint) fractum os esse testatur. A suturis se deceptum esse, Hippocrates memoriæ prodidit; more scilicet magnorum uirorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. nā leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex ueri erroris cōfessio; precipueque in eo ministerio, quod utilitatis causā posteris traditur: ne qui decipiātur eadē rōne, qua quis antè deceptus est. Sed hęc quidē alioquin memoria magni professoris, uti interponeremus, effecit. Potest aūt sutura eo nomine fallere, quā æquè aspera est, ut aliquis hanc esse, etiā si rima est, existimet eo loco, quo subesse hāc uerisimile est. Ergo eo nomine decipi nō oportet: sed os aperire tutissimum est. nā neque utique certa sedes (ut suprà posui) suturarum est, & potest idem, & naturaliter commissum, & ictu fissum esse, iuxta ue aliquid fissum habere. Quin aliquid etiam, ubi ictus fuerit uehementior, quamuis specillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius est. At si ne tum quidem rima manifesta est, inducendum super os, atramentum scriptorium est; deinde scalpro id detrahendum. nigritiem enim continet, si quid fissum est. Solet etiam euenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera

fiderit. Itaque si grauiter aliquis percussus est, si mala indicia subsecuta sunt, neque ea parte, qua cutis discissa est, rima reperitur: non incommodum est, parte altera considerare, nunquis locus mollior sit, & tumeat: eumque aperire. siquidem ibi fissum os reperietur. nec tamen magno negotio cutis sanescit, etiā si frustra detecta est. Os fractum, nisi succursum est, grauibus inflammationibus afficit: difficiliusque postea tractatur. Raro, sed aliquando tamen euenit, ut os quidē totum integrum maneat: intus uero ex ictu uena aliqua in cerebri membrana rupta, aliquid sanguinis mittat. isque ibi cōcretus, magnos dolores moueat: oculos quibus obcęcet. sed fere contra id dolor est, & eo loco, cute incisa, pallidum os reperitur: ideoque id quoque os excidendum est. quacunque autem de causa curatio hęc necessaria est; si nondum satis cutis patefacta est, latius aperienda est, donec quidquid læsum est, in conspectu sit. In quo ipso uidendum est, nequid ex ipsa membranula, quæ sub cute caluariam cingit, super os relinquatur: siquidem hæc, scalpro, terebris ue lacerata, uehementes febres cum inflammationibus excitat. itaque eam cōmodius est ex toto ab osse diduci. Plagam, si ex uulnere est, talem necesse est habeamus, qualem acceperimus. si manu facienda est, ea fere commodissima est, quę duabus trāsuersis lineis, literæ X. figuram accipit: ut deinde à singulis procedentibus lingulis, cutis subsequatur. Inter quę, si sanguis fertur, spōgia subinde in aceto tincta cohibendus est: occupandusque obiectis linamentis. & caput altius excitandum. neque id nitium, ullum metum, nisi inter musculos, qui tempora continēt, affert: sed ibi quoque nihil tutius fit. In omni uero fisso, fracto ue osse, protinus antiquiores medici ad ferramēta ueniebant, quibus id exciderent. sed multò melius est, antè emplastra experiri, quæ caluarię causā componuntur: eorumque aliquid oportet ex aceto mollitū, per se, super fissum, fractum ue os imponere. deinde super id, aliquantò latius, quàm uulnus est, eodem medicamento illitum linteolum, & pręterea succidam lanam aceto tinctam. tunc uulnus deligare, & quotidie resoluere, similiterque curare, usque ad diem quintum. à sexto die, etiam uapore aquę calidę per spongiam fouere: cętera ex eadem facere. quòd si caruncula increscere cœperit, & febricula aut soluta erit, aut leuior, & cupiditas cibi reuerterit, satisque somni accedet: in eodem medicamēto erit perseuerādum: Procedente deinde tēpore, emolliendum id emplastrum, adiecto cerato ex rosa facto, quò faciliùs carnē producat: nam per se reprimendi uim habet. Hac ratione, sæpe rimę callo quodam implentur; estque ea ossis uelut cicatrix. & latius fracta ossa, si qua inter se non cohærebant, eodē callo glutinantur. estque aliquantò melius uelamētum cerebro, quàm caro; quæ exciso osse increscit. si uero sub prima curatione, febris intenditur, breuesque somni, & idem per somnia tumultuosi sunt; ulcus madet, neque alitur: & in ceruicibus glandulæ oriuntur: magni dolores sunt: cibique super hęc, fastidium increscit: tum demum ad manum, scalprumque ueniendum est. Duo uero sub ictu, caluariæ, pericula sunt; ne uel findatur, uel medium desidat. si fissum est, possunt orę esse compressę; uel quia altera super alterā excessit: uel etiam quia uehementer rursus se commiserunt. ex quo euenit, ut humor ad membranam quidem descendat, exitum uero non habeat: ac sic eam irritet, & graues inflammationes moueat. Ubi medium desedit, eandem cerebri membranam os urget: interdum etiam ex fractura, quibusdā uelut aculeis pungentibus. His ita succurrendum est, ut tamen quàm minimum ex osse dematur. Ergo si ora alteri insedit, satis est id, quod eminet, plano scalpro excidere, quo sublato, iam rima hiat, quantum curationi satis est. At si oræ inter se comprimuntur; à latere eius, interposito digiti spatio, terebrā foramen faciendum est: ab eoque, scalper duabus lineis ad rimam agendus, ad similitudinem C. literæ; sicut uertex eius à foramine, basis ad rimas it. quòd si rima longiùs patet; ab altero foramine rursus similis sinus fieri debebit. & ita, nihil latens in eo esse concauum est: abundeque exitus datur intus lædentibus. Ne si fractum quidem os desedit, totum excidi necesse est: sed siue totum perfractum est, & ab alio ex toto recessit; siue circumpositæ caluarię inhæret; exigua parte ab eo, quod naturaliter se habet, scalpro diuidendum est. deinde in eo, quod desedit, iuxta rimam quam fecimus, foramina addenda sunt. si in angusto noxa est, duo. si latius patet, tria; septaque eorum excidenda: & tum scalper utrinque ad rimam agendus, sic, ut lunatum sinum faciat: imaque pars eius intus ad fracturam, cornua ad os integrum spectent. deinde siqua labent, & ex facili remoueri possunt; forsice ad id facta, colligenda sunt; maximeque ea, quę acuta membranam infestant. si id ex facili fieri non potest; subijcienda lamina est, quam custodem eius membranæ esse proposui: & super eam, quidquid spinosum est, & intus eminet, excidendum est; eadem lamina, quidquid deorsum insedit, attollendum. Hoc genus curationis efficit, ut qua parte fracto ossa tamen inhærent, solidentur. qua parte abrupta sunt, sine ullo tormento, sub medicamenti tempore excidāt; spatiumque inter hęc satis illi magnum ad extrahendam saniem relinquatur: plusque in osse propugnaculi cerebrum habeat, quàm habiturum fuit eo exciso. His factis, ea membrana acri aceto respergenda est, ut siue aliquid sanguinis ex ea profluit, cohibeatur: siue intus concretus cruor remanet, discutiatur. tum idem medicamentum eodem modo, qui suprà positus est, mollitum, ipsi membranę imponendum est: cętera que eodem modo facienda sunt, quæ ad linteolum illitum, & lanam succidam pertinent, collocandus que is loco intepido: & curandum quotidie uulnus, bis etiā ęstate. quòd si mēbrana per inflāmationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida. si usque eò tumebit, ut super ossa quoque emineat: coercebit eam bene trita lenticula, uel folia uitis contrita, & cum recenti uel butyro, uel adipe anserino mixta, ceruix que molliri debebit liquido cerato ex irino facto. At si parum pura membrana uidebitur, par modus eius emplastri, & mellis miscendus erit; id que superinfundēdum; eius que cōtinendi causā, unum, aut alterum linamentum inijciendum; & super, linteolo, cui emplastrum illitum sit, contegendum. ubi plus pura membrana est, eadem ratione adijciendum emplastro ceratum, ut carnem

producat.

producat, quod ad abstinentiam uerò, & primos, ulterioresque cibos, potionesque pertinet: eadem, quę in uulneribus præcepi, seruanda sunt: eò magis, quò periculosius hæc pars afficitur. quin etiam cùm iã non solùm sustineri, sed ali his quoque apparebunt: tamen erunt uitanda, quæcunque mandenda sunt. itẽ fumus, & quidquid excitat sternutamentum. spem uerò certam faciunt, membrana mobilis, ac sui coloris; caro increscens, rubicunda; facilis motus maxillæ, atque ceruicis. mala signa sunt, membrana immobilis, nigra, uel liuida, uel aliter coloris corrupti; dementia, acris uomitus, neruorum uel resolutio, uel distentio: caro liuida; maxillarum rigor, atque ceruicis; cæteraque, quæ ad somnum, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem, quæ in cæteris uulneribus, uel salutaria, uel mortifera sunt. Vbi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana, uel si os eo loco duplex est, inde quoque caro increscere: eaque id, quod inter ossa uacuum est, replet. nonnunquam etiam super caluariam excrescit. quod si incidit, inspergenda squama æris est, ut id reprimat, cohibeatque; ea carni superdando, quæ ad cicatricem perducat. Omnibusque ea locis commodè inducitur, exceptà frõtis ea parte, quæ paulùm super id est, quod inter supercilia est: Ibi enim uix fieri potest, ut non per omnem ætatem sit exulceratio, quæ linteolo medicamẽtum habente, contegenda sit. Illa utique capite fracto seruanda sunt, ut donec iam ualida cicatrix erit, soluenda, uitentur frequens balneum, maior uini modus.

De narium fractarum curatione. Cap. V.

IN naribus uerò, & os, & cartilago frangi solet; & quidem modò aduersa, modò à latere: si aduersa fracta sunt, alterum'ue ex his; nares desidunt, difficulter spiritus trahitur. si à latere os fractum est, is locus cauus est. si cartilago; in alteram partem nares declinantur. quidquid in cartilaginẽ incidit, excitãdũ leniter est, aut subiecto specillo, aut duobus digitis utrinque compressis. deinde in longitudinem implicata linamenta, & molli pellicula cincta, circumsutaque, intus adijcienda sunt. aut eodẽ modo compositũ aliquid ex arido penicillo. aut grandis pinna, gummi, uel fabrili glutine illita, & molli pellicula circũdata, quæ desidere cartilaginem non sinat. sed si aduersa ea fracta est, æqualiter utraque naris implenda est. si à latere, crassius esse debet ab ea parte, in qua nasus iacet: ab altera, tenuius in id quod inseritur. extrinsecùs autem circundanda habena est mollis, media illita mixtis inter se simila, & turis fuligine. eaque ultra aures ducenda, & fronti duobus capitibus agglutinanda est: id enim corpori quasi gluten inhæresc it: & cũ induruit, nares commodè continet. sin quod intus inditum est, lædit (sicut maximè fit, ubi interior cartilago perfracta est) excitatæ nares, eadem tantummodò habena continendæ sunt. deinde post quatuordecim dies, id ipsum demendum est: resoluitur autem aqua calida: eaque tum is locus quotidie fouendus est. sin os fractum est, id quoque digitis in suam sedem reponendum est: atque ubi aduersum, ut dictum est, utraque naris implenda est. ubi à latere, ea inquam os impulsum est. imponendumque ceratum, & paulò uehementius deligandum est: quia callus eo loco non ad sanitatem tantummodò, sed etiam ad tumorem increscit. à tertio die fouendum id aqua calida est: tantoque magis, quantò propius esse sanitati debet. quòd si plura erunt fragmenta, nihilominùs extrinsecùs singula in suas sedes digitis erunt compellenda; imponendaque extrinsecùs eadem habena, & super eam, ceratum; neque ultrà fascia adhibenda est. At si quod fragmentum undique resolutum cum cæteris non glutinabitur; intelligitur quidẽ ex humore, qui multus ex uulnere feretur: uolsella uerò extrahetur. finitisque inflammationibus, imponetur aliquod medicamentum ex ijs, quæ leniter reprimunt. peius est, ubi aut ossi, aut cartilagini fractæ, cutis quoque uulnus accessit. id admodum rarò fit: si incidit, illa quidem nihilominùs eadem ratione in suas sedes excitanda sunt: cuti uerò super imponendum emplastrum aliquod ex his, quæ recentibus uulneribus accommodata sunt; sed insuper nullo uinculo deligandum est.

De aurium fractarum curatione. Cap. VI.

IN aure quoque interdum rumpitur cartilago. quod si incidit, antequàm pus oriatur, imponendum glutinans medicamentum est: Sæpe enim suppurationem prohibet, & aurem confirmat. Illud & in hac, & in naribus ignorari non oportet: non quidem cartilaginem ipsam glutinari; circà tamen carnẽ increscere, solidarique eum locum. Itaque si cum cute cartilago rupta est, cutis utrinque suitur. nunc autem de ea dico, quæ cute ita frangitur. In ea uerò, si iam pus natum est, aperienda altera parte cutis: & ipsa cartilago contrà lunata plaga excidenda est. deinde utendum est medicamento leniter supprimente (quale lycium est aqua dilutum) donec sanguis fluere desinat. tum imponendum linteolum cum emplastro, sic, ut pingue omne uitetur: & à parte posteriore, lana mollis auri subijcienda est: quæ, quod est inter hanc & caput, compleat, tum ea leniter deliganda est: & à tertio die, uapore, ut in naribus posui, fouenda. atque in his quoque generibus, abstinentia primi tẽporis necessaria est, donec inflãmatio finiatur.

De maxillæ fractæ curatione, deq; quibusdam ad omnia ossa pertinentibus. Cap. VII.

AB his ad maxillam uenturus, indicanda quædam puto communiter ad omnia ossa pertinentia, ne sæpius eadem dicenda sint. Omne igitur os modò rectum, ut lignum, in longitudinem finditur: modò frangitur transuersum; interdum obliquum, atque id ipsum nonnunquam retusa habet capita: nonnun

quam acuta: quod genus pessimum est: quia neque facile committuntur, quæ nulli retuso innituntur; & carnem uulnerant; interdum neruum quoque, aut musculum. quin etiam aliquando plura fragmenta à fragmento fiunt. sed in alijs quidem ossibus ex toto sæpe fragmentum à fragmento recedit. Maxillæ uerò semper aliqua parte, etiam uexata ossa inter se cohærent. Igitur in primis digitis duobus utrinque prementibus, & ab ore, & ab cute omnino ossa in suam sedem compellenda sunt; deinde si transuersa maxilla fracta est (sub quo casu ferè dens super proximum dentem excedit) ubi ea in suam sedem collocata est: duo proximi dentes, aut si hi labant, ulteriores, inter se seta deligandi sunt. id in alio genere fracturæ superuacuum est. cætera eadem facienda sunt: nam linteolum duplex madens uino & oleo, super inijciendum cum eadem simila, & eadem turis fuligine est. deinde aut fascia, aut mollis habena media in longitudinem incisa, ut utrinque mentum complectatur, & inde capita eius supra caput adducta ibi deligantur. Illud quoque ad omnia ossa pertinens, dictum erit; famem primum esse necessariam: deinde à die tertio, humidum cibum; sublata inflammatione, paulò pleniorem: eumque, qui carnem alat; per omne tempus, uinum esse alienum. deinde tertio die resolui debere: fouerique per spongiam uapore aquæ calidæ: eademque quæ primò fuerunt, super dari. item die quinto fieri, & donec inflammatio finiatur: quæ uel octauo die, uel septimo fere resoluitur. ea sublata, rursus ossa esse tractanda, ut si quod fragmentum loco suo non est, reponatur. neque id esse fouendum, nisi duæ partes eius temporis, intra quod quæque ossa conferuntur, transierint. fere uerò intra quartumdecimum, & unum & uigesimum diem sanescunt maxilla, malæ, iugulum, pectus, latus, os scapularum, costæ, spina coxarum, os tali, calx, manus, planta. Inter uigesimum & trigesimum diem, crura, brachiaque: inter septimum & uigesimum, & quadragesimum, humeri, & fœmina. sed in maxilla illud quoque adijciendum est, quod humidus cibus diu assumendus est. atque etiam cũ tempus processit, in lagano, similibusque alijs perseuerandum, donec ex toto maxillam callus firmarit. item utique primis diebus habendum silentium.

De iuguli fracti curatione. Cap. VIII.

Iugulum uerò si transuersum fractum est, nonnunquam per se rursus rectè coit: & nisi mouetur, sanari sine iunctura potest. nonnunquam uerò, maximeque ubi motum est, elabitur. fereque id quod à pectore, sub id quod ab humero est, in posteriorem partem inclinatur. cuius ea ratio est, quòd per se non mouetur, sed cum humeri motu consentit. itaque eo subsistente, sub id humerus agitatur. rarò uerò admodum in priorem partem iugulum inclinatur. adeo ut magni professores nunquam se uidisse memoriæ mandarint. sed locuples tamen eius rei auctor Hippocrates est. Uerùm ut dissimilis uterque casus est, sic quædam dissimilia requirit. Ubi ad scapulas iugulum tendit, simul dextra manu planè propellendus in posteriorem partem humerus est, & illud in priorem attrahendum. ubi ad pectus conuersum est: ipsum quidem retrò dandum: humerus autem in priorem partem adducendus est. ac si is inferior est; nõ id quod à pectore est, deprimendum est, quia immobile est: sed humerus ipse attollendus. si casu superior est; id quod à pectore est, implendum lana: & humerus ad pectus deligandus est. si acuta fragmenta sunt, incidi contrà cutis debet: ex ossibus, ea, quæ carnem uulnerant, præcidenda sunt. tunc retusa ossa committenda sunt. si quod ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum est, in uino, & oleo tinctum. si plura fragmẽta sunt, excipienda sunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato, ne fascia diducatur. quæ iugulo composito circundanda est sæpius, potiùs quàm ualentiùs. quod ipsum quoque in omnibus ossibus fractis perpetuum est. A dextro uerò iugulo, si id fractum est, ad alam sinistram; à sinistro, ad dextram: rursusque sub ala sua fasciari debet. post hæc, si iugulum ad scapulas inclinatum est, brachium ad latus; si in partem priorem, ad ceruicem deligandum est; supinusque homo collocandus: cæteraque eadem facienda, quæ suprà comprehensa sunt. Sunt uerò plura ossa ferè immobilia uel dura, uel cartilaginosa, quæ uel franguntur, uel forantur, uel colliduntur, uel finduntur: ut malæ, pectus, latus, os scapularum, costæ, spina costarum, os tali, calx, manus, planta. Horum omnium eadẽ curatio est. si suprà uulnus est, id suis medicamentis nutriendum est. quo sanescente, rimas quoque ossis, aut si quod ferrumẽ est, callus implet. si cutis integra est, & os lęsum esse, ex dolore colligimus; nihil aliud, quàm quiescendum, imponendumque ceratũ est, & leniter deligandũ, donec sanitate ossis, dolor finiatur.

De costarum fractarum curatione. Cap. IX.

Propriè tamen quædam de costa dicenda sunt: quia iuxta uiscera est, grauioribusque periculis is locus expositus est. Hæc quoque igitur interdum sic finditur, ut ne summum quidem os, sed interior pars eius, quæ rara est, lædatur; interdum fit, ut eam totam is casus peruperit. si tota fracta non est, nec sanguis exspuitur, nec febricula sequitur, nec quidquam suppurat, nisi admodum rarè, nec dolor magnus est; tactu tamen is locus leniter indolescit; abundè est, eadem, quæ suprà scripta sunt, facere: & à media fascia incipere deligare, ne in alterutram partẽ hæc cutem inclinet. ab uno uerò & uigesimo die, quo utique os esse debet glutinatum, id agendum, cibis uberioribus est utendum, ut corpus quàmplenissimum fiat, quò melius os uestiat: quod illo loco tenerum, adhuc iniuriæ, sub tenui cute expositum est. per õmne autem tempus curationis uitandus clamor, sermo quoque, tumultus, ira, motus uehementior corporis, fumus, puluis, & quidquid uel tussim, uel sternutamentum mouet. ne spiritum quidem magnopere

continere

continere expedit. At si tota costa perfracta est, casus asperior est: nam & graues inflammationes, & febris, & suppuratio, & sæpe uitæ periculum sequitur, & sanguis spuitur. Ergo si uires patiuntur, ab eo brachio, quod super eam costam est, sanguis mittendus est. si non patiuntur, aluus tamen sine ullo acri ducenda est, diutiusque inedia pugnandum. panis uerò ante septimum diem non assumendus: sed una sorbitione uiuendum: imponendumque ei loco ceratum ex lino factum: cui cocta quoque resina adiecta sit: aut Polyarchi malagma, aut panacis ex uino, & rosa, & oleo: superque imponenda lana succida, mollis, & duæ fasciæ à medijs orsæ, minimeque astrictæ. Multò uerò magis omnia uitanda, quæ suprà posui; adeo ut ne spiritus quidem sæpiùs mouendus sit. quòd si tussis infestabit; ad id potio sumenda erit, uel ex tryxagine, uel ex ruta, uel ex herba stychade, uel ex cumino, & pipere. Grauioribus uerò doloribus urgentibus, cataplasma imponi quoque conueniet, uel ex lolio, uel ex hordeo, cui pinguis fici tertia pars sit adiecta. & id quidem interdiu superiacebit: noctu uerò, idem aut ceratum, aut malagma, aut pāni; quia potest cataplasma decidere. Ergo quotidie quæque resoluetur, donec iam cerato, aut malagmate possimus esse contenti. & decem quidem diebus extenuabitur fame corpus: ab undecimo uero, ali incipit: ideoque etiam laxior, quàm primò, fascia circumligabitur: fereque ea curatio ad quadragesimum diē peruenit. quæ si modus erit suppurationis, plus malagma quàm ceratum ad digerendum proficiet. si suppuratio uicerit, neque per quæ suprascripta sunt, discuti potuerit, omnis mora uitanda erit, ne os infrà uitietur. sed qua parte maximè tumebit, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perueniat: idque effundendum. si nusquam caput se ostendit: ubi maximè pus subit, sic intelligimus: creta cimolia totum locum illinimus, & siccari patiemur. quo loco maximè humor in ea perseuerauit, ibi pus proximum erit: eaque uti debebit. si latius aliquid abscedet; duobus aut tribus locis erit perforandum: demittendum erit linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod summum lino sit deuinctum, ut facilè educatur. reliqua eadem, quæ in cæteris adustis, facienda sunt. Ubi purum erit ulcus, ali corpus debebit, ne tabes perniciosa futura, id malum subsequatur. Nonnunquam etiam leuiùs ipso osse affecto, & inter initia neglecto, nō pus, sed humor quidā muccis similis, intus coit: mollescitque cōtrà cutis; in qua simili ustione utendum est.

De spina curatione.

IN spina quoque est, quod propriè notemus. nam si id, quod ex uertebra excedit, aliquo modo fractum est: locus quidem concauus fit: punctiones autem in eo sentiuntur; quia necesse est, ea fragmenta spinosa esse, quo fit, ut homo in interiorem partem subinde nitatur. hæc noscendæ rei causa sunt. medicamentis uerò hisdem opus est, quæ plurima parte huius capitis exposita sunt.

De humerorum, brachiorum, femorum, crurum, digitorum fractorum, uel euulsorum, communibus curationibus. Cap. X.

Similes rursus ex magna parte casus, curationes, quæ sunt humeris, & femoribus: communia etiam quædam humeris, brachijs, femoribus, cruribus, digitis. siquidem ea minimè periculosè media franguntur. quò propior fractura capiti uel superiori uel inferiori est, eo prior est: nam & maiores dolores affert, & difficilius curatur. Ea maxime tolerabilis est simplex, transuersa. peior, ubi fragmenta, atque ubi obliqua. pessimum, ubi eadem acuta. Nonnunquam autem fracta in his ossa, in suis sedibus remanent: multò sæpius excidunt; aliudque super aliud effertur. Idque ante omnia considerari debet: & sunt notæ certæ. si suis sedibus mota, resima, punctionisque sensum repræsentant, tactu inæqualia sunt. si uerò nō aduersa, sed obliqua iunguntur (quod fit, ubi loco suo non sunt) membrum id altero latere breuius est: & musculi eius tument. Ergo si hoc depressum est, protinus id membrum oportet extendere: nam nerui, musculique intenti, per ossa contrahuntur: neque in suum locum ueniunt, nisi illos per uim aliquis intendit. Rursus, si primis diebus id omissum est, inflammatio oritur; sub qua & difficilè, & periculosè uis neruis adhibetur. nam distentio neruorum, uel cancer sequitur, uel certum, ut mitissimè alatur, pus. Itaque si antè reposita ossa non sunt, postea reponenda sunt. Intendere autem digitum, uel aliud quoque membrum, si adhuc tenerum est, etiam unus homo potest; cùm alteram partem dextra, alteram sinistra prendit. ualentius membrum duobus eget, qui in diuersa contendant. si firmiores nerui sunt (ut in uiris robustis, maximeque eorum feminibus, & cruribus euenit) habenis quoque, uel linteis fascijs utrinque capita articulorum deliganda, & per plures, in diuersa ducenda sunt. ubi paulò longiùs quàm naturaliter esse debet, membrum uis fecit: tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt; indiciumque ossis repositi, est dolor sublatus. & membrum alteri parti æquatum, inuoluēdum duplicibus triplicis panni, & in uino, & oleo tinctis; quos linteos esse commodius est. Fere uerò his sex opus est. prima breuissima adhibenda, quæ circa fracturam ter uoluta sursum uersum feratur, & quasi in coclea serpat; satisque est, eam ter hoc quoque modo circuire. altera dimidio longiore; eaque, qua parte os eminet, ab ea, si totum æquale est, undelibet super fracturam debet incipere, priori aduersa, deorsumque tendere; atque iterum de fractura reuersa, in superiore parte ultra priorem fasciam desinere. Super has inijciendum latiore linteo ceratum est, quod eas contineat. Ac si qua parte os eminet, triplex ea pannus obijciendus, eodem uino & oleo madens. hæc, tertia fascia comprehendenda sunt, quartaque, sic, ut semper insequens priori aduersa sit; & tertia tantum inferiore parte tres in superiore faciant; quia satius est sæpius circuire, quàm

adstringi . siquidem id quod adstrictum est, alienatur, & cancro opportunum est. articulum autem quàm minimè uincire opus est: sed si iuxta hunc, os fractum est, necesse est. Deligatum uerò membrum, in diem tertium continendum est: eaque iunctura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa uisa sit; secundo laxior; tertio iam pene resoluta. Ergo tum rursum id membrum deligandum, adijciendaque prioribus quinta fascia est; iterumque quinto resoluendum est, & sexta fascijs inuoluendum, sic, ut tertia & quinta infrà, cæteræ suprà finiantur. quotiescunque autem soluitur membrũ, calida aqua fouendum est. sed si iuxta articulum fractura est, diu instillandum uinum est, exigua parte olei adiecta; eademque omnia facienda, donec adeo inflammatio soluatur; uel leuius quoque, quàm ex consuetudine id membrum fiat. quòd si septimus dies non dedit, certè nonus exhibet. tum facillimè ossa tractantur. rursus ergo si parum commissa sunt, committi debent. siqua fragmenta eminent, in suas sedes reponenda sunt: deinde eodem modo membrum deligandum, ferulæque super accommodandæ sunt; quæ fissæ, circumpositæque, ossa in sua sede contineant: & in quam partem fractura inclinat, ab ea latior, ualentiorque ferula imponenda est. easque omnes citra articulum, esse oportet resimas, ne hunc lædant: nec ultrà astringi, quàm ut ossa contineant, & cum spatio laxentur: tertio quoque die paulùm habenis suis coartari. ac si nulla prurigo, nullus dolor est, sic manere, donec duæ partes eius tẽporis, quod quoque os coferuet, compleantur. postea leuius aqua calida fouere: quia primò digeri materiam opus est: tum euocari. ergo cerato quoque liquido id pleniter est ungendum: perfricandaque summa cutis est: laxiusque id deligandum est. tertio quoque die soluendum, sic, ut remota calida aqua, cætera eadem fiant. tantummodò singulæ fasciæ, quoties resolutæ fuerint, subtrahantur.

De fracti humeri curatione.

HAEC communia sunt: illa propria. siquidem humerus fractus, non sic, ut membrum aliud intẽditur. sed homo collocatur alto sedili: medicus autem humiliore, aduersus; una fascia brachium amplexa, ex ceruice ipsius, qui læsus est, id sustineat. altera, ab altera parte super caput data, ibi accipit nodum. Tertia iuncto imo humero, deorsum demittitur, ibi quoque capitibus eius inter se iunctis: deinde ab occipitio ipsius, minister sub ea fascia, quam secundo loco posui, correpto, si dexter humerus ducendus est, dextro: si sinister, sinistro brachio, demissum inter femina eius, qui curatur, baculum tenet. medicus, super eam fasciam, de qua tertio loco dixi, planam inijcit dextram: si sinister, sinistram, si dexter humerus sumatur. simulque alteram fasciam minister attollit, alteram premit medicus. quo fit, ut leniter humerus extendatur. fascijs uerò, si medium aut imum os fractum est, breuioribus opus est: si summum, longioribus; ut ab eo, sub altera quoque ala, per pectus, & scapulas porrigantur. protinus uerò brachium cũ deligatur, sic inclinandum est, id quod afficit, ut ante fascias quoque sic figurandum sit, ne postea suspẽsum aliter, aliter cùm deligabatur, humerum inclinet. brachioque suspenso, ipse quoque humerus ad latus leniter deligandus est. per quę fit, ut minimè moueatur: ideoque ossa sic se habent, ut aliquis composuit. cùm ad ferulas uentum est, extrinsecùs esse earum longissimæ debent; à lacerto, breuiores: sed sub ala breuissimæ. sæpiusque eæ resoluendæ sunt, ubi in uicinia cubiti humerus fractus est: ne ibi nerui rigescant, & inutile brachium efficiant. quoties solutæ sunt, fractura manu continenda: cubitus, aqua calida fouẽdus, & molli cerato perfricandus; ferulæque uel omnino non imponendæ contra eminentia cubiti, uel aliquantò breuiores sunt.

De brachij fracti curatione.

AT si brachium fractum est, in primis considerandum est, alterum os, an utrunque comminutũ sit: non quò alia in eiusmodi casu curatio admouenda: sed primùm, ut ualentiùs extendatur, si utrunque os fractum est: quia necesse est minùs neruos contrahi, altero osse integro, eosque intendente. deinde ut curiosiùs omnia in continendis ossibus fiant, si neutrum alteri auxilio est. nam ubi alterum integrum est, plus opis in eo, quàm in fascijs, ferulisque est. Deligari autem brachium debet paulùm pollici ad pectus inclinato (siquidem is maximè brachij naturalis habitus sit) idque inuolutum, mitella commodissimè excipitur; quæ latitudine ipsi brachio, perangustis capitibus, collo inijcitur; atque ita commodè brachium ex ceruice suspensum est. idque paulùm supra cubiti alterius regionem pendere oportet. quòd si ex summo cubito id factum sit, glutinare id uinciendo alienum est: fit enim brachium immobile. ac si nihil aliud, quàm dolori occursum est, idem, qui fuit, eius usus est.

De crurum, femorumq; fractorum curatione.

IN crure æquè ad rem pertinet, alterum saltem os integrum manere: commune uerò ei, femorique est, quòd ubi deligatum est, in canalem conijciendum est. Is canalis & inferiori parte foramina habet, per quæ, siquis humor excesserit, descendat; & à planta, moram, quæ simul & sustineat eam, & delabi non patiatur; & à lateribus, caua, perque loris datis mora quidem, crus, femurque, ut collocatum est, detineat. esse etiam is debet à planta, si crus fractum est, circa poplitem. si femur, usque ad coxam. si iuxta superius caput femoris, sic, ut ipsa quoque ei coxa sit. neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri breuius (quia nunquam in antiquum statum reuertitur) summisque digitis postea cruris eius insisti. sed multa tamen femori debilitas est, ubi fortunæ, negligentia quoque accessit.

De fracti

De fracti digiti curatione.

Digitum satis est ad unum surculum post inflammationem deligari.

Communes curationes ad humeros, brachia, crura, foemina, digitosq; confractos pertinentia.

HIS propriè ad singula membra pertinentibus, rursus illa communia sunt; primis diebus fames, deinde tum cùm iam increscere callum oportet, liberalius alimentum. longa à uino abstinentia; fomentum aquæ calidæ, dum inflammatio est, liberale; cùm ea desit, modicum: tum etiam longior, ulterioribus & liquido cerato membris, & mollis tamen unctio. neque protinus exercendum id membrum, sed ad antiquos usus reducendum est. grauius aliquantò est, cùm ossis fracturæ, carnis quoque uulnus accessit; maximeque si id musculi femoris, aut humeri senserunt: nam & inflãmationes multò grauiores, & prõptiores cancros habent. ac femur quidem, si ossa inter se cesserunt, fere præcidi necesse est. humerus uerò quoque in periculum uenit, sed facilius conseruatur. quibus periculis etiam magis id expositum, quod iuxta ipsos articulos ictum est. curiosius igitur agẽdum est, & musculus quidem per mediam plagam trãsuersus præcidendus: sanguis uerò, si parum fluxit, mittendus; corpus inedia extenuandum; ac reliqua quidem membra lentius intendenda, & lenius in his ossa in suam sedem reponenda sunt. his uerò, neque intẽdi neruos, neque ossa tractari satis expedit. ipsique homini permittendum est, ut sic ea collocata habeat, quemadmodum minimè lædunt. Omnibus autem his uulneribus imponendum primò linamẽtum est uino madens, cui rosę paulum admodum adiectum sit. cætera eadem deliganda fasciis sunt, aliquantò quàm uulnus latioribus; laxius scilicet, quàm si ea plaga non esset; quantò facilius & alienari, & occupari cancro uulnus potest; numero potius fasciarum id agendum est, ut laxè quoque æquè contineant. quod in femore, humeroque sic fiet, si ossa fortè rectè cõcurrerint. sin aliter se habebunt, eatenus circundari fascia debebit, ut impositum medicamentum contineat. cætera eadem, quæ suprà scripsi, facienda sunt; præterquàm quod neque ferulis, neque canalibus (inter quę uulnus sanescere non potest) sed pluribus tantummodò, & latioribus fascijs opus est; ingerendumque subinde in eas est calidum oleum, & uinum; magisque in primo, fame utendo. uulnus calida aqua fouendũ, frigus que omni ratione uitandum; & transeundũ ad medicamenta, quæ puri mouendo sunt; maiorque uulneri, quàm ossi cura agenda. ergo quotidie soluendum, nutriendumque est. Inter quæ, si quod paruulum fragmentum ossis eminet, id si retusum est, in suam sedem dandum: si acutum, antè acumen eius longius est præcidendum: si breuius, limandum: & utrinque scalpro limandum: tum ipsum recondendum est. ac si id manus facere non potest, uolsella, quali fabri utũtur, iniicienda est. rectè se habenti capiti, ab ea parte, qua sima est: ut ea parte qua cibra est, eminens os in suã sedem compellat. si id maius est, membranulisque cinguntur, sinere oportet ea sub medicamentis resolui; idque os, ubi iam nudatum est, abscidere: quod maturius scilicet faciendum est: potestque ea ratione & os coire, & uulnus sanescere. illud suo tempore: hoc, pro ut se habet. Nonnunquã etiam in magno uulnere euenit, ut fragmenta quædam uelut emoriantur, neque cum cæteris coëant. quod hîc quoque ex modo fluentis humoris colligitur. quò magis necessarium est, sæpius ulcus resoluere, atque nutrire. sequitur uerò, ut id os per se post aliquot dies excidat: cùm tam misera antea conditio uulneris sit: tamen id interdũ maius, diutiusque facies: sæpe enim integra cutis osse abrumpitur: protinusque prurigo, & dolor oritur. quæ soluere, si accidit, maturius oportet: & fouere aqua per æstatem, frigida: per hyemem, egelida: deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibusdam uelut aculeis carnem uexat; quo à prurigine, & punctionibus cognito, aperire id melius, eosque aculeos præcidere necesse habet. Reliqua uero curatio in utroque hoc casu, eadem est, quæ ubi ictus protinus intulit puro iã ulcere. cibis hîc quoque utendum est carnem producentibus. si breuius adhuc membrum est, & ossa loco suo nõ sunt; paxillus tenuis quàm leuissimi generis, inter ea demitti debet, sic, ut capite paulũ supra ulcus emineat; isque quotidie plenior adigendus est, donec par id membrum alteri fiat. tum paxillus remouendus, uulnus sanandum est. cicatrix inducta, fouenda frigida aqua est, in qua myrtus, hedera, aliæ ue similes uerbenæ sint; illinendumque medicamentum, quod siccet: & magis etiam hîc quiescendum, donec id membrum confirmetur. siquando uerò ossa non conferbuerunt, quæ sæpe soluta, sæpe mota sunt: in aperto deinde curatio est: possunt enim coire. si uetustas occupauit, membrum extendendum est, ut aliquid lædatur. ossa inter se manu diuidenda, ut cõcurrendo exasperentur, ut si quid pingue est, eradatur: totumque id, quasi recens fiat. magna tamen cura habita, ne nerui, musculi ue lædantur. tum uino fouendum est, in quo malicorium decoctũ sit: imponendumque id ipsum oui albo mixtũ. tertio die resoluendum, fouendumque aqua, in qua uerbenæ, de quibus supra dixi, decoctæ sint. quinto die idem faciendum; ferulæque circundãdæ. cætera & antè, & pòst, eadem facienda, quæ suprà scripsi. Solent tamen interdum diuersa inter se ossa conferuere: eoque & breuius membrum, & indecorum fit: & si capita acutiora sunt, assiduæ punctiones sentiuntur. ob quã causam, frangi rursus ossa, & dirigi debent. id hoc modo fit. calida aqua multa membrum id fouetur: & ex cerato liquido perfricatur, intenditurque; & inter hæc, medicus, pertractans ossa, ut adhuc tenero callo, manibus ea diducit, compellitque id quod eminet, in suam sedem: & si parum ualuit, ab ea parte, in qua os se inclinat, inuolutam lanam regulam obijcit. atque ita deligando, assuescere iterum uetustæ sedi cogit. Nonnunquam autem rectè quidem ossa cœperunt: superincreuit uero

nimius callus; ideo'que locus intumuit. quod ubi incidit, diu, leuiter'que id membrum perfricandum est ex oleo, & sale, & nitro, multum'que aqua calida salsa fouendum, & imponendum malagma, quod digerat; astrictius'que alligandum: oleribus'que, & præterea uomitu utendum: per quæ, cum carne, callus quoque extenuatur. confert'que aliquid de sinapi, quod cum ficu in alterū par membrum impositum, donec id paulum erodat, eo'que euocet materiam. ubi his tumor extenuatus est, rursus ad ordinem uitæ reuertendum est.

De luxatis ossibus. Cap. XI.

AC de fractis quidem ossibus hactenus dictum sit. mouentur autem ea sedibus suis, duobus modis. nam modò quæ iuncta sunt inter se, dehiscunt: ut cùm latum scapularum os, ab humero recedit; & in brachio, radius à cubito: & in crure, tibia à sura; interdum à saltu, calcis os à talo (quod rarò tamen fit) modò articuli, suis sedibus excidunt. ante de prioribus dicam. quorum ubi aliquid incidit, protinus is locus cauus est, depressus'que digitus, sinum inuenit. deinde grauis inflammatio oritur, atque in talis præcipua: siquidem febres quoque, & canceros, & neruorum uel distentiones, uel rigores, qui caput scapulis annectunt, mouere consueuit. quorum uitandorum causâ facienda eadem sunt, quæ in ossibus mollibus læsis. aliquid ubi incidit, protinus his locis proposita sunt, ut dolor, tumor'que per ea tollantur. nā diducta ossa, nunquam rursus inter se iunguntur: & ut aliquid decoris eo loco fit, nihil usus admittitur. Maxilla uerò, & uertebra, omnes'que articuli, cùm ualidis neruis comprehendantur, excidunt aut ui expulsi, aut aliquo casu, neruis uel ruptis, uel infirmatis; faciliusque in pueris & adolescentulis, quàm in robustioribus. hi'que elabuntur in priorem, & in exteriorem partem; quidam omnibus modis, quidam certis; sunt'que quædam communia omnium signa, quædam propria sunt cuius'que; siquidem semper ea parte tumor est, in qua os prorumpit: ea sinus, à qua recessit. & hæc quidem in omnibus deprehenduntur; alia uero sunt in singulis: quæ simulatque de quoque dicam, proponenda erunt. sed ut excidere omnes articuli non possunt, sic non omnes reponuntur. caput enim nonnunquam compellitur: neque in spina, uertebra, neque ea maxilla, quæ utraque parte prolapsa, antequàm reponeretur, inflammationem mouit. rursum qui neruorum uitio prolapsi sunt, compulsi quoque in suas sedes, iterum excidunt. at quibus in pueritia exciderunt, neque reposita sunt, minusquàm cæteri, crescunt. omniumque, quæ loco suo nō sunt, caro ea increscit: magisque in proximo membro, quàm in ulteriore. ut puta, si humerus loco suo non est, maior in eo ipso fit, quàm in brachio: maior in hoc, quàm in manus acie. tum pro sedibus, & pro casibus, qui inciderunt, aut maior, aut minor usus eius membri relinquitur: quoque in eo plus usus superest, eò minùs id extenuatur. quidquid autem loco suo motum est, ante inflammationem reponendum est. si illa occupauit, dum conquiescat, tunc lacessendum est. ubi finita est, tentandum est in his membris, quæ id patiuntur. multùm autem eo confert, & corporis, & neruorum habitus. nam si corpus tenue, si humidum est, si nerui infirmi, expeditiùs os reponitur. sed & primò faciliùs excidit: & postea minùs fideliter continetur. quæ contraria his sunt, meliùs continent: sed id quod expulsum est, difficulter admittunt. oportet autem ipsam inflammationem leuare, super succida lana ex aceto imposita. a cibo, si ualentioris articuli casus est, triduo; interdum etiam quinque diebus abstinere debet. bibere aquam calidam, dum sitim finiat. curiosiusque hæc facere, his ossibus motis, quæ ualidis, plenisque musculis continentur. si uerò etiam febris accessit, multò magis. deinde ex die quinto, fouere aqua calida: remotaque lana, cerati imponere ex cyprino factum, nitro quoque adiecto, donec omnis inflammatio finiatur. tūc infrictionem ei membro adhibere: cibis uti bonis: uti uino modicè: iamque ad usus quoque suos id membrum promouere: quia motus, ut in dolore pestifer, sic aliàs saluberrimus corpori est. hæc communia sunt. nūc de singulis dicam.

De maxillæ luxatæ curatione. Cap. XII.

Maxilla in priorem partem propellitur: sed modò altera parte, modò utraque. si alteram, in cōtrariam partem modo utraque ipsa mentumque inclinatur: dentes paribus non respondent: sed sub his qui secant, canini sunt. At si utraque, totum mentum in exteriorem partem promouetur: inferioresque dentes longiùs, quâm superiores excedunt; intentique supèr musculi apparent: primo quoque tempore homo in sedili collocandus est, sic, ut minister à posteriore parte caput eius contineat, uel sic, ut iuxta parietem is sedeat, subiecto inter parietem, & caput eius, scorteo puluino duro; eoque caput per ministrum urgeatur, quò sit immobilius. tum medici digiti pollices linteolis, uel fascijs ne dilabantur, inuoluti, in os eius conijciendi: cæteri extrinsecùs admouendi sunt. ubi uehementer maxilla apprehensa est, si una parte procidit, concutiendum mentum, & ad guttur adducendum est. tunc simul & caput apprehendendū, & excitato mento, maxilla in suam sedem compellenda, & os eius comprimendum est: sic, ut omnia pene uno momento fiant. si in utraque parte prolapsa est, eodem omnia facienda; sed æqualiter retrò maxilla agenda est. reposito osse, si cum dolore oculorum, & ceruicis iste casus incidit, ex brachio sanguis mittendus est. cum omnibus uerò, quorum ossa mota sunt, primò liquidior cibus conueniat, tum his præcipue; adeo ut sermo quoque, frequenti motu oris, per neruos, lædat.

De capite luxato. Cap. XIII.

Caput duobus processibus in duos sinus summæ uertebræ demissis, super ceruicem contineri, in pri

ma parte proposui. hi processus, interdum in posteriorem partem excidunt. quo fit ut neruus sub occipitio extendatur: mentum pectori agglutinetur, neque bibere is, neque loqui possit; interdum sine uoluntate semen emittat; quibus celerrime mors superuenit. ponendum autem hoc esse credidi, non quò curatio eius rei ulla sit, sed ut res indicijs cognosceretur: & non putarent sibi medicum defuisse, siqui sic aliquem perdidissent.

De spina luxata. Cap. XIIII.

IDEM casus manet eos, quorum in spina, uertebræ exciderunt. id enim non potest fieri, nisi ex medulla, quæ per medium; & duabus membranulis, quæ per duos â lateribus processus feruntur: & neruis, qui continent, ruptis. Excidunt autem & in posteriorem partem, & in priorem, & supra septum trãsuersum, & infra. si in utranque partem exciderit, â posteriore parte uel tumor, uel sinus oritur: si supra septum id incidit, manus resoluuntur, uomitus, aut distentio neruorum insequitur, spiritus difficulter mouetur, dolor urget, & aures obtusæ sunt. si sub septo, fœmina resoluuntur, urina supprimitur, interdum etiam sine uoluntate prorumpit. Ex eiusmodi casibus, ut tardius, quàm ex capitis, sic tamen intra triduum homo moritur. nam quod Hippocrates dixit, Uertebra in exteriorem partem prolapsa, pronũ hominem collocandum esse, & extendendum: tum calce aliquem super ipsum debere consistere, id intus impellere: in his accipiendum est, quæ paulùm excesserunt: non in his, quæ toto loco motæ sunt. nonnunquam enim neruorum imbecillitas efficit, ut quamuis nõ exciderit uertebra, paulùm tamen in priorẽ partem promineat: id non iugulat. sed ab interiore parte non contingit quidem posse: ab exteriore, si propulsum est, plerunque iterum redit: nisi (quod admodum rarum est) uis neruis restituta est.

De humero luxato. Cap. XV.

Humerus autem, modò in alam excidit, modò in partem priorem. si in alam delapsus est, & uictus cubitus recedit ab latere, rursum iuxta eiusdem partis aurem cũ humero porrigi non potest: lõgiusque altero id brachium est. si in priorem partem, summum quidem brachium extenditur, minus tamen quam naturaliter; difficiliusque in priorem partem, quàm in posteriorem, cubitus porrigitur. Igitur si in alam humerus excidit, & uel puerile adhuc est corpus, uel molle certe, & imbecillibus neruis intentum est; satis est collocare id in sedili: & ex duobus ministris, alteri imperare, ut caput late scapularum ossibus leniter reducat. alteri, ut brachium extendat; Ipsum, posteriore parte residentem, genũ sub ala eius coire; simulque & ille os, & altera manu brachium eius ad latus impellere. At si uastius corpus, nerui'ue robustiores sunt; necessaria est spatula lignea, & quæ crassitudinem duorum digitorum habet, longitudine ab ala ad digitos peruenit. in qua summa capitulum est rotundum, & leniter cauum, ut recipere particulam aliquam ex capite humeri possit. in ea, bina foramina, tribus locis sunt inter se spatio distantibus; inque ea lora mollia conijciuntur. eaque spatha, fascia inuoluta, quò minus tactu lædat, ad alam â brachio dirigitur, sic, ut caput eius, summæ alæ subijciatur. deinde loris suis ad brachium deligatur: uno loco, paulùm infra humeri caput; altero, paulùm supra cubitum; tertio, supra manum. cui rei protinus interualla tunc quoque foraminum aptata sunt. sic brachium deligatum, super scalæ gallinariæ gradum trajicitur, ita alte, ut consistere homo ipse non possit. simulque in alteram partem corpus demittitur: in alteram, brachium intenditur. eoque fit, ut capite ligni, caput humeri impulsum, in suam sedem modò cum sono, modò sine hoc, compellatur. Multas alias esse rationes, scire facile est, uno Hippocrate lecto; sed non alia magis usu cõprobata est. at si in priorem partem humerus excidit; supinus homo collocandus est: fasciaque, aut habena media, ala circundanda est: capitaque eius, post caput hominis, ministro tradenda; brachium alteri: præcipiendumque, ut ille habenam, hic brachium extendat. deinde medicus, caput quidem hominis sinistra debet repellere: dextra uerò cubitum cum humero attollere: & os in suam sedem cõpellere. faciliusque id in hoc casu, quàm in priore reuertitur. Reposito humero, lana alæ subijcienda est. si interiore parte os fuit, ut ei opponatur. si in priore parte, ut tamen commodius deligetur: tum fascia primùm sub ala obuoluta, caput eius debet comprehendere: deinde profectus ad alteram alam: ab eaque, ad scapulas: rursusque ad eiusdem humeri caput tendere. sæpiusque ad eandem rationẽ circumagi, donec bene id teneat. Uinctus hac ratione humerus, cõmodiùs continetur. si adductus ad latus sit, ad id quoque fascia deligatur.

De cubiti luxati curatione. Cap. XVI.

IN cubito autem tria coire ossa, humeri, & radij, & cubiti ipsius, ex his, quæ prima parte huius uoluminis posita sunt, intelligi potuit; sed cubitus, qui innexus humero est, ab hoc excidit. radius, qui adiũctus est, interdum trahitur: interdum subsistit. In omnes uerò, quatuor partes excidere cubitus potest. sed si in priorem prolapsus est, extentum brachium est, neque recuruatur. si in posteriorem, brachium curuum est, neque extenditur, breuiusque altero est: interdum febrem, uomitumque bilis mouet. si in exteriorẽ, interiorem'ue, brachium porrectum est, sed paulùm in eam partem, â qua os recessit, recuruatũ. quidquid incidit, reponendi ratio una est. neque in cubito tantùm est; sed in omnibus quoque mẽbris longis, quæ per articulum longa testa junguntur. utrunque membrum in diuersas partes extendere, donec spatium inter ossa liberum sit. Tum id os, quod excidit, ab ea parte, in quam prolapsum est, in contra

riam impellere. Extendendi tamen alia atque alia genera sunt, prout nerui ualent, aut ossa huc, illucue sederunt. ac modò manibus solis utendum est: modò quædam alia adhibenda. Ergo si in priorem partem cubitus prolapsus est, extendi per duas manus, interdum etiam habenis iniectis, satis est: deinde rotundum aliquid à lacerti parte ponendum est: & super id, repentè cubitus ad humerum impellendus est. at in alijs casibus, commodissimum est, eadem ratione brachium extendere, quæ fracto cubito suprà posita est, & tum ossa reponere. reliqua curatio eadem est, quæ in omnibus. celeriùs tantùm, & sæpius id resoluendum est, multoque magis aqua calida fouendum, diutiùs ex oleo, & nitro, ac sale perfricandum. in cubito enim celeriùs, quàm in ullo alio articulo, siue extrà remansit, siue intus reuertit, callus circundatur; isque si per quietem increuit, flexus illius postea prohibet.

De manu luxata. Cap. XVII.

MANVS quoque in omnis quatuor partes prolabitur. si in posteriorem partem excidit, porrigi digiti non possunt; si in priorem, non inclinantur; si in alterutrum latus, manus in contrarium, id est, aut ad pollicem, aut ad minimum digitum conuertitur. Reponi non difficillimè potest. super durum locum & renitentem, ex altera parte intendi manus, ex altera brachium debet, sic, ut prona sit; si in posteriorē partem os excidit, supina, si in priorem, si in interiorem, exteriorem'ue, in latus. ubi satis nerui diducti sunt, si in alterutrum latus procidit manus, brachium in contrarium repellendum est. at his, quæ in priorem, posteriorem'ue partem prolapsa sunt, super imponendū durum aliquid, idque supra prominens os, manu urgendum est; per quod uis adiecta, faciliùs in suam sedem compellit.

De palma. Cap. XVIII.

IN palma quoque, ossa interdum suis sedibus promouentur, modò in priorem partem, modò in posteriorem. in latus enim moueri, paribus ossibus oppositis, non possunt. signum id solum est, quod omniū commune est: tumor ab ea parte, in quam os uenit: sinus ab ea, à qua recessit. sed sine intento digito, tantummodò bene pressum os, in suam sedem reuertitur.

De digitis. Cap. XIX.

AT in digitis, totidem fere casus, eademque signa sunt, quæ in manibus. sed in his extendendis, noæquè ui opus est, cùm & articuli breuiores, & nerui minus ualidi sint. super mensam tantummodò intendi debent, qui uel in priorem, uel in posteriorem partem exciderunt: tum iam palma compelli, atque id quod in latus elapsum est, digitis restitui.

De femore. Cap. XX.

CVM de his dixerim, de his quoque, quæ in cruribus sunt, uideri possum dixisse. siquidem etiam in hoc casu, quædam similitudo est femori, & humero, & tibiæ, & cubito, pedi & manui; quædam tamē separatim quoque de his dicenda sunt. Femur in omnes quatuor partes promouetur, sæpissimè in interiorē, deinde in exteriorem; rarò admodùm in priorem, aut posteriorem. si in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero, & uastius est: extra enim pes ultimus spectat. si in exteriorē, breuius, rarumque fit, & intus inclinatur: Calx ingressu terram non contingit, sed planta ima. meliusque id crus, superius corpus, quàm in priore casu fert; minusque baculo eget. si in priorem crus extensum est, implicarique nō potest; alteri cruri ad calcem par est, sed ima planta minus in priorem partem inclinatur: dolorque in hoc casu præcipuus est: & maximè urina supprimitur. ubi cum dolore inflammatio quieuit, commodè ingrediuntur: totusque eorum pes est. sed & si in posteriorem extendi non potest crus, breuiusque est, ubi consistit: calx quoque terram non cōtingit. Magnum autem femori periculum est, ne uel difficulter reponatur: uel repositum, rursus excidat. quidam iterum semper excidere contendunt: sed Hippocrates, & Diocles, & Philotimus, & Nileus, & Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores, ex toto se restituisse, memoriæ prodiderunt. neque tot genera machinamentorum quoque ad extendendum in hoc casu femur, Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, Faber quoque quidam repperissent, si id frustrà esset. sed ut hæc falsa opinio est: sic illud uerum est: cùm ibi ualentissimi nerui, musculique sint; si suum robur habent, uix admittere: si non habent, postea non contineri. Tentandum igitur est; & si tenerius membrum est, satis est, habenam alteram ab inguine, alteram à genu intendi. si ualidius, meliùs adducent, qui easdem habenas ad ualida bacula deligarint: tumque eorum fustium imas partes oppositæ mire obiecerint; superioresque ad se utraque manu traxerint. etiam nū ualentiùs intenditur membrum super scannum, cui ab utraque parte axes sunt: ad quos, habenæ illæ deligantur. qui ut in torcularibus conuersi, rumpere quoque (si quis perseuerauerit) non solùm extendere neruos, & musculos possunt. Collocandus autem homo super id scannum est, aut pronus, aut supinus, aut in latus sic, ut semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est; ea etiam inferior, à qua recessit. Neruis extentis si in priorem os uenit; rotundum aliquid super inguen ponendum: subitoque super id genu

genu adducendum est, eodem modo, eademque de causa, qua idem in brachio fit: protinusque si complicari femur potest, intus est. In cæteris uerò casibus, ubi ossa per uim paulùm inter se recesserũt; medicus debet id, quod eminet, retrò cogere: minister contra inde coxam propellere. posito osse, nihil aliud noui curatio requirit, quàm ut diutiùs is in lecto detineatur: ne si motum, adhuc neruis laxioribus, femur fuerit, rursus erumpat.

De genu. Cap. XXI.

GENV uerò & in exteriorem, & in interiorem, & in posteriorem partem excidere, notissimum est: in priorem non prolabi, plerique scripserunt: potestque id uero proximum esse, cùm inde opposita patella, ipsa quoque caput tibiæ contineat. Meges tamen, eum, cui in priorem partem excidisset, à se curatum esse memoriæ prodidit. In his casibus, intendi nerui rationibus hisdem, quas in femore retuli, possunt. & id quidem, quod in posteriorem partem excidit, eodem modo, rotundo aliquo super poplitem imposito, adductoque eo crure, reconditur. cætera uerò, manibus simul tum ossa in diuersas partes compelluntur.

De talo. Cap. XXII.

TALVS in omnes partes prolabitur. ubi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur. ubi huic contrarius talus, contrarium etiam signum extat. si in priorem partem erumpit, à posteriore latus neruus durus, & insanus est: minusque is opus est. si in posteriorem laxpene conditur; plaga maior fit. Reponitur autem is quoque per manus; prius in diuersa, pede & crure diductis. & in hoc quoque casu, diutiùs in lectulo perseuerandum est: ne is talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis neruis, ferendo oneri cedat, rursusque prorumpat. calciamentis quoque humilioribus primo tempore utendum, ne iunctura talum ipsum lædat.

De planta. Cap. XXIII.

Plantæ ossa hisdem modis, quibus in manu, prodeunt, hisdemque conduntur. fascia tantummodò calcem quoque debet comprehendere: ne cùm mediam plantam, imumque eius uinciri necesse est, liber talus in medio relictus, materiam pleniorem recipiat: ideoque suppuret.

De digitis. Cap. XXIIII.

IN digitis, nihil ultrà fieri debet, quàm quod in his, qui sunt in manu, positum est. Potest tamen conditus articulus medius, aut summus, canaliculo aliquo contineri. hæc facienda sunt in his casibus, ubi sine uulnere ossa exciderunt. hic quoque & ingens periculum est: & eo grauius, quò maius membrũ est; quo'ue ualidioribus neruis, aut musculis continetur. ideoque humeris, femoribusque, metus mortis est; ac si reposita ossa sunt, spes nulla est: Non repositis tamen, nonnullum periculum est. eoque maior in utroque timor est, quò propius uulnus articulo est. Hippocrates nihil tutò reponi posse, præter digitos, & plantas, & manus, dixit. atque in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitarent. Quidam brachia quoque, & crura reposuerunt: & ne cancri, distentionesque neruorum orirentur (sub quibus in eiusmodi casu, fieret mors matura) sanguinem ex brachio miserunt. Uerùm ne digitus quidem (in quo minimum ut malum, sic etiam periculum est) reponi debet ante inflammationem: aut postea, cùm iam uetus res est. si quoque reposito osse, nerui distenduntur; rursus id protinus expellendum est. Omne autem membrum, quod cum uulnere, loco motum, neque repositum est, sic iacere conuenit, ut maxime cubantem iuuat; tantùm ne moueatur: ne'ue dependeat. In omnique tali morbo, magnum ex longa fame præsidium est. deinde ex curatione eadem, quæ proposita est, ubi ossibus fractis, uulnus accessit; si nudum os eminet, impedimento semper futurum est: id quod excedit, abscidendum est: imponendaque super arida linamenta sunt, & medicamenta non pinguia; donec, quæ sola esse in eiusmodi re sanitas potest; ueniat. nam & debilitas sequitur, & tenuis cicatrix inducitur: quæ necesse est, facilè noxæ postea pateat.

F I N I S.

QVINTI SERENI MEDICINA.



Phœbe, salutiferum, quod pangimus, assere carmen:
Inuentumque tuum prompto comitare fauore.
Tuque potens artis, reduces qui tradere uitæ
Nosti: atque in cœlum manes reuocare sepultos.
Qui colis ægeum, qui pergama, quique epidaurũ:
Qui quondam placida tectus sub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque inclyta templa petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades: & quidquid cupido mihi sępe rogatus
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.
Membrorum series certo deducta tenore
Vt stet, & assimilis medicinæ desluat ordo:
Principio celsa de corporis arce loquamur.

Capiti medendo.

BALSAMA si geminis instillãs auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare uigorem.
Vel quæ septenis censentur gramina nodis,
Vtiliter nectes: uel corno ex arbore sertum,
Puleium'ue potens una super aure locabis.
Aut illud mixto coctum clementer aceto
Cauta nare trahes: seu uisco lintea nexo,
Induces fronti: seu tritæ gramina mentæ.
Spongia cum tepidis annexa liquoribus imbris
Profuit: aut hedera ex oleo decocta uetusto:
Profuit, aut cochleis frontem tractare minutis.
Si nocuit cerebro uiolentia solis aperto:
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore,
Sanauit: prosunt & amica papauera somno.
Si prius in lento madefacta terantur oliuo.

Hemicraneo medendo.

PORTIO si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diuersam lana contecta per aurem
Inducta prosunt: & eodem balsama pacto.
Allia uel ternis piperis terna addita granis,
Trita lines: certam dabit hæc tibi cura salutem.

Porrigini depellendæ.

EST insensibilis morbus, sed noxius formæ,
Cum caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis:
Hanc poterit maluæ radix decocta leuare.
Aut tu fœniculum, nitrumque, & sulphura uiua
Contere: deinde caput permixtis ablue cunctis:
Furfuribus'ue nouis durum miscebis acetum,
Vt uarios crines tali des unguine puros.
Prodest & tarda demptus testudine sanguis:
Et prodest cedro demissus ab arbore succus.
Desinet interea glomerari farrea nubes:
Cessabit que grauis crebrę porriginis imber.

Capillo tingendo.

QVOS pudet ætatis lõge, quos sancta senectus
Offendit: cupiunt properos abscondere canos:
Et nigrum crinem fuco simulare doloso.
His prodest acri contrita cupressus aceto,
Vel frons lentisci, uel tristia poma sabuci:
Lumbrici quoque terrestres miscentur oliuo:
Et iuuenem præstant rediuiuo flore capillum.
Præterea niueum poterit depellere crinem
Rhesina ex facili cera, uiscoque coacta:
Ad rutilam speciem nigros flauescere crines,
Vngento cineris prædixit Tullius auctor.
Si prægnans, artus captiui soricis edit,
Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.

Phthiriasi arcendæ.

NOXIA corporibus quędã de corpe nostro
Progenuit natura uolens abrumpere somnos
Sensibus: & monitis uigiles intendere curas.
Sed quis non paueat pherecidis fata tragœdi?
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra
Eduxit: turpi miserum quę morte tulerunt.
Sylla quoque infelix, tali languore peresus
Corruit: & fœdo se uidit ab agmine uinci.
Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi:
Vel nitro, ac sale permixtis, acidoque liquore
Laxatis, ut sint simul allia tangere corpus:
Aut lachrymis hederæ, aut succo perducere cedri.
Quin etiam furfur mixto medicatur aceto.
Vnda maris, lendes capiti deducit iniquas:
Et quidquid crebri defendit sylua capilli.

Prurigini, papulis, & scabiei arcendis.

ILLOTVS sudor, uel copia nobilis escæ,
Sæpe graui scabie correptos asperat artus.
Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis:
Quod facit ex asino siccatus corporis humor.
Nec pudeat tractare fimum, quem bucula fudit,
Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis:
Sic pauidum corpus dextra parcente foueto.
Proderit ex oleo puluis, quem congerit altè
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.
Conuenit hinc tepido lita tradere corpora soli.
Feruentes papulas oleo curato liquenti:
Aut acido Baccho miscebis farra lupini:
Atque hinc in calido percurres membra lauacro.
Pruritus autem salsos leuat humor aceti:
Siue mari lauidus sudor, cochleęque minutæ:
Quarum contactu perimetur acerba libido.

Frenesi, ac capiti purgando.

EX uitio cerebri frenesis furiosa mouetur,
Amissasque refert frendens amentia uires:
Siue calens febris iactatos excedit artus:
Siue meri gustus, seu frigoris efficit aura.
Conuenit hic calidis pecudum pulmonibus apte
Tempora languentis medica redimire corona.
Illotis etiam lanis suffire memento:
Ceritum sępe horrendi medicantur odores:
Atque ideo insanos etiam curarier est par.
Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri.
Vngitur & succis, dederit quos parua sabucus,
Expressusque hederę mandatur naribus humor.
Aut mixtum rutæ crebro instillatur acetum.
Non semper præsens dolor est sanabilis: ergo
Cura magis prodest uenturis obuia morbis.

Fluori capillorum, & maculis capitis tollendis.

DEFLVIT expulsus morbo latitante capillus
Si raro lauitur: seu uis epota ueneni est:
Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flãmis
Eximium capitis tactu deiecit honorem.
Nõnunquam uariant maculæ, paruisque pãnper
Orbibus aspersum ducit noua uulnera tempus.
Vipereæ pellis cineres his addito rebus,
Roboreas'ue pilas, ursino'ue ungito seuo:
Vel testudineo mage permulceto cruore.

Frigori

Frigori sedando.

SAEPE ita peruadit uis frigoris, ic tenet artus,
Vt uix quæsito medicamine pulsa recedat.
Si ranam ex oleo decoxeris, abijce carnem:
Vnguine membra foue: parili ratione ualebit.
Vrticæ semen, perceptaque frigora uincet:
Et cenina potest mulcere medulla rigorem.
Decoctum rhaphani semen cum melle uorabis:
Siue fel ursinum tepefacta dilue lympha:
Proderit hoc potu: seu cassis ostrea testis
Vsta dabit cinerem: qui pro sale sumptus in escis,
Decutiet gelidum tepefacto uertice uirus.
Nonullus liquidū summit, mulsumque, sinapique,
Atque palato agitat piter, retinésque, mouésque.
Allia nonnulli mandunt: olei'ue liquore
Perfundunt calido cerebrum, nasi'que latebras.
Quidam lactucæ credunt prodesse sapores.
Curandi modus hic & suauis, & utilis idem est.

Elephantiasi propellendæ.

EST Elephas morbus, tristi quoque nōie dirus,
Non solum turpans infandis ora papillis,
Sed citā præcipitans funesto fata ueneno.
Huic erit aduersus cedri de cortice succus,
Mustellæ'que cinis, uel fusus sanguis ab illa.
Nonnulli dixêre serum, prodesse bibendo.
Mentastri folium potu, appositu'que salubre est.
Nec frustra bulbos, & sulphura iungis aceto,
Qui cupis horribiles ad pristina reddere uultus.
Præterea nitrum debes cum melle iugatum
Spargere lacte bouis: uarias sic ungere frontes.
Cerusam, & chartam, quam gens ægyptia mittit,
Thure simul misce atque oleo, quod flore rosarum
Conditum est: line sic faciem, sic redde salutem.

Cutis, & faciei uitijs propellendis.

INVIDA si maculet faciem lentigo decorā,
Nec prodesse ualent naturæ dona benignæ,
Erucam, atque acidum laticem simul illine malis.
Proderit & bulbus mellis dulcedine uictus,
Cruda'ue dulcacido miscetur cepa liquori:
Sanguine uel leporis morbus delebitur oris.
Frons salicis cum flore suo contrita medetur.
Sepiolę cineres ex ossibus omnia tollunt.
Cygneos adipes hilari misceto lyæo:
Omne malum propere maculoso ex ore fugabis.
Horrebit si liuor atrox, aut nigra cicatrix,
Attrito sapone genas purgare memento.
Rugarum sulcos lentisci mastice tendes.
Si uerò uitium est, quod ducit ab impete nomen:
Hoc matutina poteris cohibere saliua:
Seu folio platani, quod mansum mane domabis.
Fœda fluunt curui quæ purgamenta cameli,
Vrentur, cinerem'que dabunt: iungentur aceto
Mascula thura simul; diuina'que cura ualebit.

Aurium uitijs succurrendis.

CVM seuius teneras dolor altè sauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit, quem talea succum
Instilles: siue obscœnos ex uirgine rores:
Aut succum ex folio dederit, quem populus alba.
Sæpe chelidonię rabidum sociatur acetum,
Adiuncto'que nitro procedit cura salubris.
Mentastri liquor expressus conducere fertur:
Infectum uiolis oleum bene consulit auri.

Annosa rubros si legeris arbore uermes,
Ex oleo tere: sic tepidos infunde dolenti.
Si uerò obstrusa sensus morietur in aure,
Lumbricos terræ, seuum'que ex ansere rauco,
Excoque: sic ueterem poteris depellere morbum.
Fel que bouis surdis etiam prodesse loquuntur:
Si iungas olidę graue quod minxêre capellæ.
Si uero incautas animal penetrauerit aures,
Proderit admixto pauidi fel muris aceto.
At si lympha nocens peruaserit: anseris aptus
Immittetur adeps, ceparum non sine succo:
Qui grauis est oculis, sensum tamen auribus auget.
Vis & phœbigenæ diuinam discere curam:
Sit'que uel annosis confecta doloribus auris:
Allia tum septem numero, septem'que lupinos,
Cretaceam dabis in testam: tum delphica frondis
Addatur, mixto totum feruescat aceto:
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

Oculorum dolori mitigando.

Summa boni est, alacres homini cotingere uisus.
Quos quasi custodes, defensoresque pericli
Prospiciens summa natura locauit in arce:
Sic tamen ut nullos paterentur desuper ictus:
Atque supercilio pauidi tegerentur opaco.
Sed dolor immeritum lumen si fortè lacessit,
Lana madens oleo noctu connectitur aptè,
Viuentis'ue nepæ lumen gestatur amicum:
Ex folio caulis cineres, confracta'que thura,
Et laticem Bacchi, fœtæ cum lacte capellæ
Desuper induces: atque una nocte probabis.
Hyblæi mellis succi cum felle caprino
Subueniunt oculis dira caligine pressis.
Vettonicæ mansus siccabit lumina succus.
Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt: uel uulturis atri
Fella, chelidoniæ fuerint quîs gramina mixta:
Hæc etiam annosis poterunt succurrere morbis.
Fel quoque de gallo mollitum simplice lympha,
Exacuet puros dempta calligine uisus,
Siue columbarum fimus admiscetur aceto:
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis:
Vina chelidoniæ simili ratione iugantur,
Efficiuntque suo præclaros unguine uisus.
Aspera quinetiam mulcent, & rupta reducunt.
Si genus est morbi miserum, quod lumen adurit,
Hic calor infuso mitescit lacte canino:
Anguibus ereptos adipes ærugine misce:
Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes.
Si uerò horrendum ducent glaucomata peplum;
Spiritus alterius prodest: qui grana cumini
Pallentis madens, uisus exhalat in ipsos.
Si tumor infestat, rufos & gliscit in orbes,
Turgentes oculos uili circumline cœno.

Dentium uitio, & oris fœtori medendo.

HAVD facile est acrē dentis tolerare dolorē:
Quò magis est æquum medicam pernoscere curā:
Cum Baccho uiolas decoxeris, ore teneto.
Mansus item prodest succis oleaster acerbis.
Hic obstrūdo fugit: linguę quoque uulnera cedūt.
Cum uino piper, & nitrum tepido inde dolenti
Sæpe chelidoniæ succo, uel lacte capellæ,

Sanescunt dentes: aut tauri felle iuuantur.
Aut acidi latices clauso uoluuntur in ore:
Manditur apta rubus gingiuis, & bona labris.
Lentiscus, myrtusque emendant oris odorem.
Quod uerò assumpsit nomen de dente fricando,
Ceruino ex cornu cinis est: aut ungula porcæ
Torrida: uel cinis ex ouis, sed non sine uitro
Muricis aut tosti: uel bulbi extincta fauilla:
Ambitiosa putas: sunt ista salubria cunctis.
Exesos autem dentes si fortè quereris,
Vre fimum muris, patulisque, & hiantibus adde.
Vel cinerem dentis ceruini extinguere aceto
Conuenit: atque cauis immittere partibus aptè.
Prodest & puluis lumbrici, corpore tosto.
Ora ambusta cibo sanabis lacte canino.
Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha:
Dentibus ut firmum possis seruare uigorem.
Si uerò infandum proserpit ad intima uulnus,
Permisceto salem, parili cum pondere thuris:
Hinc tractato locum: miram experiere medellam.
Aut tu sume pilam, quæ caudis hæret ouinis:
Hęc siccata dabit molles, & fracta farinas:
Huius & attritu tetrum mulcebitur ulcus.

Vuæ, faucibus, & quæ mollienda sunt, medendis.

AEGREscunt teneræ fauces, cum frigoris atri
Vis subijt: uel cum uentis agitabilis aer
Vertitur: atque ipsas flatus grauis inficit undas:
Vel rabidus clamor fracto cum forte sonore,
Planum radit iter: sic est Hortensius olim
Absumptus: causis etenim confectus agendis,
Obticuit: cum uox domino uiuente periret:
Et nondum extincti moreretur lingua diserti.
Ergo omni studio quęres inhibere dolorem:
Simplicibus lymphis confunditur aërium mel:
Additur excussus niuea similagine furfur:
Decocta hæc, clauso simul exercentur in ore.
Præterea fauces extrinsecus ungere prodest
Vrsino & tauri seuo, cærisque remissis:
Omnia quæ geminis æqua bis lancibus ante.
Disce etiam miram ex humili medicamine curam:
Actiaco melli iungas agreste papauer,
Decoctumque simul mādes, mansumque uorabis.
Crinitæ porri radices quinque coquantur:
Hinc aqua non feruens uoluatur fauce sonora:
Nec tamen in stomachum descēdat gutta patentē.
Si uerò afflictam langor deiecerit uuam;
Tunc horas aliquot pronus recubare memento:
Aut illam puluis tosti releuabit aneti,
Aut cinis ex cochlea: uel torrida brassica flammis.
Verum angina sibi mistum sale poscit acetum:
Quod prodest clauso uersatum agitare palato.

De rigore ceruicis.

AT si ceruices, durataque colla rigebunt,
Mira loquar: geminus mulcebitur unguine poples:
Hinc longos pariter neruos medicina sequetur:
Anseris aut pingui torpentia colla fouebis:
Illitur & calido multum lens cocta in aceto,
Aut capræ fimus & bubuli, aut ceruina medulla:
Hoc etiam immotos flectes medicamine neruos.
Quos autem uocitant colles, attingere dextra
Debebis, qua Gallus erit pressante peremptus.

Tussi, & coleribus medendis.

NOXIA si penitus colerum sequire uenena
Perspicies, costa lactucæ fronde leuabis.
Proderit & caules assumere sæpe madentes.
Interdum fauces tussi quatiuntur atroci:
Allia tum sumes & cocta, & melle peruncta:
Semina uel rhaphani permixto dulcia melle:
Aut si fraxinea semen de fronde reuellis:
Interiora uora, uetitus contingere dente.
Ouum melle teres, domitum feruentibus undis,
Marrubiūue potens: hæc faucibus optima sumes,
Frenabisque grauem facili medicamine tussim.

Digestioni, & stomacho.

QVI stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, uera niti ratione uidentur.
Huius enim ualidus firmat tenor omnia membra:
At contrà, eiusdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam, nisi cura iuuat, uitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc auertere sensus.
Lactucæ semen nigrę, quod lignea pila
Triuerit: admixto ieiunus sumito melle:
Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit uno:
Aut tritum semen rhaphani, mulsumque iuuabit:
Siue duæ partes absinthi, ac tertia rutæ,
Decoctis potantur aquis, siliquęque madentes:
Semina uel marathri, fœtę cum lacte capellæ:
Puleium quoque decoctum curabit amicè:
Et potu, & fotu stomacho conducit anetum:
Seu cochleas undis calefactas, ac propè iunctas
Suppositis torrens prunis: uinoque, garoque
Perfusas cape: sed prodest magis esse marinas.
At malè digestis si crapula sęuiet escis,
Ex pipere, & calida florem de rore marino
Ebibe: seu salibus piper adde, & tenue cuminum:
Quæ coctis tanges epulis, ac rapta uorabis:
Aut cubitum pergens, succum cape tristis aneti.
Ventriculum Mergi sale iacto contere ualde,
Tosto pane super, piperis quæ puluere multo
Miscentur: capies diuinum munus in istis.
Grana peregrini piperis diffundito quinque,
Niliaco melli: quę mane inserta capesses.
Proderit hoc stomacho, uictas & cōquoquet escas:

Felli uomitu, uel phthisi arcendis.

LVTEA si crescunt, præcunctis noxia fella:
Allia parua nouem, piperis tot permole grana:
Quę cyatho diluta gari, mandesque, bibesque:
Hæc iterum septena capis, post deniquę quina.
Præterea caulem, frondet si parua sabucus,
Decocto sale permisces: ac iungis oliuo:
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.
Prosunt & pelagi latices, quos pondere iusto
Dulcibus associas lymphis, mellique liquenti:
Et niueus prodest ex ubere succus asellæ:
Si tepido uino infundas, ac mella, piperque.
At uomitum radix narcissi pota mouebit.
Si uerò phthisis annoso sedet improba morbo,
Intritas uino cochleas hausisse iuuabit.
Proderit & ueteris seu pila sumpta suilli:
Quæ capulas quoque producit medicina salubris.

Mammis sanandis, uel stringendis.

VBERA fœcundo multum lactantia succo,
Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt.

Fęce

Fece igitur ualida duri reprimentur aceti.
Post partum, tumidas iniustè assurgere mammas
Interdum aspicies: harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluuio sedare liquore.
Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terrę turgentes unge corymbos.
Si castigatas studium est præstare papillas,
Ex hederæ sertis ambas redimire memento:
Protinus, & raptas flammis mandare coronas:
Anseris aût seuum pariter cum lacte tepente:
Aut ouum illinito, tulerit quod garrula perdix.
Præterea pluuio decocta papauera rore
Hæreſcant multis post absoluenda diebus.
Vis & phœbigenę cœlestia sumere dona,
Vbera cùm tetris laniata doloribus horrent:
Nauis ramentū, & quæ nomine prassion herba est:
Et quæ uulgari sermone insana uocatur:
Græcus ὑοσκύαμον propria scit dicere lingua:
Necnon & calami radix, lapathique legumen
Mixta dabunt miras (experto crede) medelas.

Reiectioni cibi, aut sanguinis abstinendæ.

SI stomachus nondum concoctas expuit escas,
Sed magis atque magis uitiū reuomendo ualescit:
Allia cędemus, crebrumque trahemus odorem.
Sin etiam rutilus fertur de pectore sanguis,
Sorbitium mentæ, rhaphanus uel costa iuuabit.
Sæpe lapis teritur (specularem nomine dicunt)
Et mixtis hauritur aquis: sistitque cruorem.
Vritur interdum raptus de subere cortex:
Et cinis ex calido prodest epota lyæo.
Ouorum cinis, aut cochlearum, aut denique pellis.
Aut cinis è salicum ramis prodesse putatur:
Aut platani pilulas acri infundemus aceto:
Nullus erit sanguis, quem non cibus iste moretur.

Iecoris, & lateris uitijs medendis.

SI mollis iecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulsa potanda elelisphacos herba est:
Sumitur & semen, quod fraxinus alta profudit:
Vulturis atque iecur: uel ius perdicis apricæ.
Præterea simili dragma pix dura, piperque
Franguntur: sic in mollito puluere iuncta,
Egelidis miscentur aquis: recreantque bibentem.
Absinthi quoque decocti potabitur humor.
Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accensum extingues lapidem stridentibus undis:
Hinc bibis: aut aceris radicem tundis, & unâ
Cum uino capis: hoc pręsens medicamē habetur.
Quid referam multis composita philonia rebus?
Quid loquar antidotum? uanus quis ista requirat?
At nos pauperibus præcepta feramus amica.
Necnon & iecoris queretur fibra lupini:
Iunguntur que simul costū, poliumque, piperque:
Quę diluta mero dantur potanda lyæo.
Est & uis morbi, quod telum commemoratur:
Cùm subito dolor insanus furit incitus ictu:
Persicus huic potum è nucleo dabit interiore:
Quæ mihi cura satis, casu monstrante, probata est.

Spleni curando.

QVANDO lyen tumido circūligat ilia uinclo,
Et plenum splenis demonstrant membra rigorem,
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis:
Hinc trahet assuetos ęger quoscunque liquores:
Aut uiridis coctorum olerum potabitur unda.
Proderit exucto fluuialis hirudo cruore:
Siue myrica potens: seu ros cum pane marinus:
Aut hederæ succus potu, appositu que iuuabit.
Necnon intactam ferro, quam uideris alnum,
Hinc liber eripitur, ferro sine, decoquiturque:
Donec uictarum pars tertia subsit aquarum.
Hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.
Nonnulli memorant consumi posse lienem,
Eruum si semper ieiuno sumpserit ore.
Arida ficus item feruente domatur aceto:
Et trita illinitur: uel splen apponitur hędi.
Marrubium in uino potu prodesse loquuntur.
Præterea piper, ac nepetę cum flore, & anetum,
Capparis, atque Apium, buglossaque iūgitur unà:
Horum decoctos latices potare salubre est.
Pulegium, abrotanum, nitida cum mastice coctum,
Ac thymbræ speciem, quā cōmemorat cephalotes:
Prædixit spleni deus idem posse mederi.
Dulcia Plautus ait grandi minus apta lieni:
Splen tumidus nocet: & risum tamē addit ineptū:
Vt mihi sardois uideatur proximus herbis:
Irrita quę miseris permiscent gaudia fatis.
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
Perpetuoque ęuo frontem pręstare seueram.

Præcordijs sanandis.

LANGVIDA si duro turgēt pręcordia morbo,
Miscetur mulsæ farris sextarius unus:
Necnon & lini fumum, siliqueque legumen:
Hæc decocta simul, nondumque tepentia nectis:
Aut quæ poma cydon creteis misit ab oris,
Costa lines: durum ut possis mollire tumorem.
Ocima præterea, bulbiue linuntur amari.
Proderit & lymphis corpus mersare marinis.
Quin etiam catulum lactantem apponere mēbris
Conuenit: atque malū transcurrere fertur in illū:
Cui tamen extincto munus debetur humandi.
Ne iunctus uitium ducit de coniuge coniux.
Quod superest, styraci iunges ramenta carinæ.
Quodque decē ex rebus decatartyma ritè uocatur:
Masticis addentur cum puluere mollia farra:
Talibus auxilijs præcordia tuta resident.

Lumbis, & renibus sanandis.

CVM sæuit penitus hęrens iniuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus undis:
Hoc poteris potu tristem superare dolorem.
Aut pice cum molli nitru, sulphurque, & acetum:
Hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.
Proderit hanc ęgris crebrò perducere membris.
Aut caput asparagi cum uino sume uetusto:
Seu mauis, appone: modus conducit uterque.
Aut adipi mixtum lumbis inducito sulphur.
Sępe chelidoniam cum succo palladis addes,
Farraque; quæ tremulis prosunt sudantia flāmis.
Fertur amigdalinę succus nucis esse bibendus:
Pinsitur, & tepidis sorbebitur addita lymphis.
Aut tres ex uino cochleas feruescere coges:
Cumque suis domibus frāges; pipis quoque grana
Ter quinque adijcies: potuque iuuaberis illo.
Furfur item parca fuerit cùm feruidus unda,
Post oleo madidus, siccis immittitur aptis:
Quę uix passuris urentia iungito membris.

Prodest ceruinæ medicans natura medullæ.
Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorem:
Aut mistam teneris mandisse lilisfaca maluis:
Contritumque simul cum mastice confer anetum.
Quodque decem rebus componi ex noīe clarū est:
His continge locum . deus hæc mihi certa ꝓbauit .

Ventris dolori mitigando.

SI DOLOR insanus tota desæuit in aluo,
Heminis tribus in lympha ualidam quoque rutā,
Aut apium : donec pars duplex desit aquarum
Potus erit medicus, non detrectante palato.
Præterea niuei sterilis testa uritur oui;
Quæ postquam in terram fuerit conuersa farinam,
Ex calidis potatur aquis ; & pota medetur.
Necnon iungenda est utero noua uirga miricæ:
Illæsa hæc ferro , terraque intacta geratur :
Aut medio uentris prodest aspergere terram :
Quam signauerunt uestigia pressa rotarum.
Proderit & puluis facili sub cardine raptus .
Quin etiam & lymphis coctum potare cuminum
Conueniet; quod iam nobis documenta probarūt.
Menta quoque hoc pacto medicos dabit hausta sa (pores.
Cœliacos autē recreabis pane salubri,
Quem madido farre efficies , ac mollibus ouis :
Quorum testa fero prius euanescet aceto.
Refert & teretes bulbos mollire terendo :
Cumque his leni clarum potare fluentum .

Hydropisi depellendæ .

CORRVPTI iecoris uitio, uel splenis aceruo,
Crescit hydrops : aut cū siccatæ febre medullæ,
Atque auidę fauces gelidum traxêre liquorem .
Tum lympha intercus, uitio gliscente, tumescit,
Secernens miseram proprio de uiscere pellem.
Conueniet tenerę radix decocta sabuci,
In geminis calidi cyathis potanda lyæi .
Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.
Aut calido filicis radicem mollit iaccho ,
Qui subitò raptos uentos, succosque reuellit.
Nec non apposito curantur dropace membra :
Vnguine quo frangit uirus langoris aquosi .
Necnon in tepidis conuolues corpus arenis.
Appositu'que leues Nepetę, gustuque iuuabunt.
Sæpe & scyllino pelluntur noxia Baccho .
Helleboro bene purgatur lymphaticus error.
Aut huius uice quod fert semen lenta genista,
Miscetur : mulsis coctusque educitur undis .
Est qui præualidum nitro sale miscet acetum :
Atque olei succo refricat turgentia membra.

Ventri molliendo .

SAEPE cibi specie, uitio uel corporis ipso,
Potibus aut duris restricta morabitur aluus .
Vincetur talis mora gramine mercuriali,
Cuius aquam cocti minimo cum melle bibemus .
Prunaque cōueniunt quæ mittit clara Damascus .
Multos pręterea medici componere succos
Asseruerunt : pretiosa tamen cum ueneris emptum,
Falleris : frustra que immensa nomismata fundes .
Quin age , & in tenui certam cognosce salutem .
Aut igitur tectum lana suppponis alumen :
Aut edis in patinis teneræ decocta sabuci:
Vel salsum mulsum capræ cum lacte capellis .
Crede tamen potum meliorem lactis equini:
Dicitur & ualidos asinæ lac uincere succos,
Syluestris fici lachrymam prodesse loquuntur.
Quodque satis melius uerbis dicemus Horati.
Mitulus,& uiles pellent obstantia conchæ
» Sed cochleas prius urtica , aut furfure pasci.
» Purior hinc gustus, noxa sine, mouerit aluum .
Sępe thalassomeli iunctum cumulauimus hymbri,
Hæc purgant, parili fuerint si pondere mixta .

Solutioni uentris, & dysenteriæ compescendæ .

TAM uarij casus mortalia sęcla fatigant,
Vt sint diuersis obnoxia corpora morbis .
Sępe etenim nimio cursu fluit impetus alui :
Frenat commixto cùm feruet brassica uino :
Aut cerasi uictum longo iam tempore pomum.
Succus amineæ uitis cum pane medetur :
Mel bene permixtum calido potatur aceto.
Vile quidem, facili facto , tamen utile opinor.
Si lentent medica data purgatoria dextra,
Adiecto piperis medicatur puluere calda .
Sin autem longo decurrent intima fluxu ,
Atque immane malum multo iam tempore gliscit,
Torridus ex uino cortex potabitur oui.
Ramentum niuei credunt prodesse Elephanti.
Arbore pyramea cortex direpta medetur.
Axe sub attrito pix nigro mixta lyæo,
Immensum poterit potu retinere fluorem .
Numinis aut iussu cedrum cum mastice misces :
Mollitamque picem, & rasum de nauibus unguen,
Languida quo fidens medicamine mēbra fouebis .
Proderit & pueris, quos dentis origo fatigat ,
Castaneas coxisse nuces, & sorba uetusta,
Atque apium, caules que rubus quos fundit acuta:
Potio quę fluidam consumpta morabitur aluum .

Lumbricis , & tineis purgandis .

QVID non aduersū miseris mortalibus addit
Natura ? interno cùm uiscere tinea serpens ,
Et lumbricus edax uiuant inimica, creent que .
Quod genus assiduo laniat præcordia morsu .
Sæpe etiam scandens, oppletis faucibus hæret :
Obsessas que uias uitę concludit hanelę .
Ergo cinis cornu ceruini proderit haustus :
Vel nepetæ tritum ex uino , uel lacte capellæ :
Necnon & succus medici potatus aceti .
Prodest præterea cum Baccho persica frondis :
Democritus memorat mentæ conducere potum .
Sumitur abrotanum , necnon & uile melanthum:
Allia per sese sanant : aut ius coriandri .
Quin & marrubiū decoctum, haustumque iuuabit,
Pulegium'ue potens, & agreste iugatur anethum .
Synthesis hęc prodest unda mollita calenti .

Colo sedando .

CVM colus inuisū morbi genus, intima carpit,
Mande galeritam uolucrem, quam nomine dicit :
Aut pauidi leporis madefacta coagula pota :
Siue apio tritas neperas cum mastice iunges.
Necnon & species ambas redolentis anethi ,
Quarum decoctos patiens haurito liquores .

Vesicæ, & calculo purgando , & urinæ prouocandæ .

SI cui uesicæ tardus cunctabitur humor,
Hæc mora rumpetur uino peruicta uetusto.
Prodest & paruos acidos potare sabuci .
Aut hederę succum : aut lachrymosi trita synapi.

Necnon

Necnon resinas ex oricia terebintho,
In speciem eruiliæ paruos glomerabis in orbes:
Quos ternos, tepida mixtos hausisse, medella est.
Quondam etiam nimio præceps urina fluento,
Irrigat exuuias, obscœnoque inficit hymbri.
Ergo cinis nepetæ, succus uel proderit haustus:
Et uino tritus datur, aut cum lacte capellæ;
Tum leporis cerebrum ex uino potare decebit.
Si dolor internam uesicæ concoquit aluum,
Subueniet radix & frons epota cupressi:
Puleium'ue potens, domitum feruentibus undis.
Si uero in lapides densus conuertitur humor,
Qui retinet cursus, gemitumque dolore frequentat;
Saxifragam, seu sarxeiphagon succurrere credunt,
Præterea semen myrti syluestris, iaccho,
Atque oleo mixtum bibitur: nec desit acetum:
Vinaque sumantur fricto condita cumino.
Siue palumborum capitur fimus aeriorum,
Dulcacidis sparsus succis, tritusque solutus.
Necnon obscœnus capræ potabitur humor:
Obruit hic morbum, labefactans saxa remittit.

De conceptione, & partu.

IRRITA coniugij sterilis si munera languet,
Nec sobolis spes, multos iam uana per annos:
Fœmineo fiat uitio res, nec ne, silebo:
Hoc poterit magni quartus monstrare Lucreti.
Sed natura tamen medicamine uicta potenti
Sæpe dedit fœtus, studio curante paratos.
Aut igitur leporis consumit fœmina uuluam:
Aut ouis in stabulis fractas cùm ruminat herbas,
Pendentem spumam molli deducit ab ore,
Atque illam meminit mixto potare falerno:
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu coniux festinat uterque.
At ubi iam certum spondet prægnatio fœtum,
Vt facili uigeat seruata puerpera partu,
Dictamnum bibit: & cochleæ manduntur edules.
At si per menses minus octo moratus in aluo,
Irrumpit thalamos: & nexus soluit inertes.
Pulei bene purgati tunc conuenit hymber,
Cuius opem ueram, casus mihi sæpe probarunt.
Quin etiam stercus supponunt uulturis atri:
Sentiat ut minime partus, qui proximus urget.
Oua etiam, rutæ, & fragili miscentur anetho:
Quæ diluta simul uino, atque exhausta medentur.

Profluuio cuiusque sanguinis, & matrici.

SI modicus pleno manat de corpore sanguis,
Subuenit: at nimius cum uita funditur ipsa.
Quapropter multo naris completa cruore
Cùm fluit, attritus cimex conducit odore:
Lana oleo madefit, sed nondum lota, rosato:
Hæc datur in nares, uel claudit densius aures.
Contritis prodest cochleis obducere frontem:
Aut galli cerebro, uel sanguine mitte columbæ.
Quòd nisi supprimitur, sanguis potādus & ipse est.
Præterea pharijs caput emetire papyris:
Detrahe quod superest, alio genitalia necte:
Fœmineas prodest illinc uincire mamillas,
Menstruus immenso si profluit impete sanguis;
Succida lana malos remoratur subdita cursus.
Mortua quin etiam producit corpora partu.
Sed quæcunque fluit uis immoderata cruoris,
Subernus cortex calidis potatur in undis,
Antè minutatim studio uincente terendus.
Sed si fortè cruor clausa cunctabitur aluo,
Pulei calido purgatur fœmina potu.
Aut molles nepetæ, aut rutæ quæcunque bibetur.
At si puniceos fundit uesica liquores,
Marrubium ex passo tritum perfunditur undis:
Hi poterunt haustus rutilum purgare liquorem.
Reliquias partus dictami detrahit herba.
Quòd si fœminei properabit sanguinis hymber:
Est qui frusta molæ percussu decutit uno:
Quorum aliquod lanis tectum, ad præcordia nectit:
Hæc simul incantans, sisti debere cruorem;
Vt lapis ille, uiæ solitos iam destitit orbes.

Pilis quibuscunque internecandis, quæ oculos impediunt.

NOBILIS hirsutas horret lasciuia setas:
Et gaudet rapto nudari flore pilorum.
Sed bona nonnunquam uellendi causa uidetur,
Corpora cùm releuat ratio manifesta salutis.
Nanque oculos infesta pilorum tela lacessunt.
Quodque illis dederat uallum natura tuendis,
Inde inimica seges proprios desæuit in orbes.
Ergo locum crinis uulsi continge cruore,
Quem dat auis, tremulis simulat quæ pellibus alas:
Sanguine uel Ricini, quem nigro de cane uelles.
Præterea quascunque uoles auertere setas,
Atque in perpetuum rediuiua obcludere tela,
Corporibus uulsis saniem perducito ranæ.
Sed quæ parua situ est, & rauco garrula questu;
Necnon quæ stagnis cessantibus hæsit Hirudo,
Sumitur, & uiuens samia torretur in olla:
Hæc acidis ungit permixta liquoribus artus,
Auulsamque uetat rursus percrescere syluam.

Omnibus obscœnis medendis.

Dicendum & quæ sit mēbris medicina pudēdis.
Languidus antiquo purgatur penis iaccho:
Ac supèr illinitur fœcundæ felle capellæ:
Manè nouo myrti frondes commandere prodest,
Qui dolet, atque illas in uuluus despuat ipsum:
Fece etiam uini genitalia lauta leuantur:
Et tumidos testes nereia lympha coërcet.
Vel bulbi ex mulso, uel cera immista cupresso:
Aut faba cum tepidis baccho decocta fluentis,
Ramicis immensum fertur cohibere tumorem,
Far madidum lymphis: medica cū fronde cupressi:
Vnde etiam potu frons hæc memoratur amica.
Sin autem existit durum tibi glandibus inguen;
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obscœnos si pone locos noua uulnera carpent,
Horrentum mansa curantur fronde ruborum.
Aut si iam ueteri succedit fistula morbo,
Mustellæ cinere immisso purgabitur ulcus,
Sanguine tum Ricini, quem bos gestauerit ante:
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi:
Herbaque cum seuo folijs de mille uocata.

Scies, & articulari morbo.

SAEPIVS occultus uicta coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur:
Populus alba dabit medicos de cortice potus:
Necnon & teneræ gracili de fronde genistæ.
Arreptos caules, acidoque liquore madentes
Sumere conueniet, rubiæ quoque ducere potum:

Aut ex irino cochleas haurire lyæo.
Si uerò articulos tabes inimica per omnes
Hæserit: ex ficu betas ac melle ligabis.
Vel pelagi latices, simul & Baccheïa dona
Sumere curabis: nimio sed parcito uino.
Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Furunculo medendo.

CVM sanguis nimius puri commistus atroci,
Aestuat: & papulas altè sustollit acutas,
Resinam misces, & saxis ordea fracta
Conspersa hæc tepidis apponere conuenit undis:
Vis & hyoscyami ceræ, sæuoque iugatum
Nectere: non minus hæc poterit medicina iuuare;
Prætereaque fimum ex gallo, quem legeris albo,
Imbribus ex acidis fidens appone dolenti.
Auribus aut pecudum molles expromito sordes:
Vnguine quo fotis dabitur medicina papillis.

Carboni medendo.

Horrendus magis est, perimit qui corpora carbo:
Vrit hic inclusus, uitalia rumpit acerbus.
Hunc ueteres quondam uarijs pepulêre medelis:
Tertia nanque Titi, simul & centesima Liui
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exectum, aut poto raparum semine pulsum.
Ni fieret, dicens uix septem posse diebus
Vitam produci; tanta est uiolentia morbi.
Dulcacidum laticemque cumini semine iunges:
Atque fimum pariter paphiæ compone columbæ:
Hinc line duratas partes: & clausa uenena.
Præterea triti reserant adoperta lupini.
Nonnullus calcem uiuam dissoluit aceto:
Fumantemque niuem papulis apponit acerbis:
Est qui gallinæ perducat stercore corpus:
Allia uel piperi parcè commixta linuntur:
Pythagoræ cognata leui condita cumino
Proderit, & madida fermentum polline turgens.

Pani, uomicæ, & strumæ depellendis.

SVNT alij, quos dura mouet natura tumores,
Non minus horrendi, sed non ita perniciosi.
Vomica qualis erit, uel eidem proxima quædam.
Simplice resina miscentur hordea tunsa:
Et mulsos amnes: & purgamenta columbæ:
His bene decoctis languentia membra fouentur.
Mollis odorato faba iungatur coriandro,
Proderit appositū, mollitque, aperitque tumorē.
Aut de phasganio radix decocta palustri:
Quæ salis admixto tundetur condimento.
Proderit & mansum, quod traxeris arbore uiscum.
Gramen Hyoscyami, ceræ, seuoque uetusto
Concilia: mixtisque locos perduce dolentes.
Exercere etiam corpus, medicina potens est.
Ouum defundis in fictile, deinde putamen,
Marrubij succo implebis, pòst melle liquenti:
Omnia consociata tepenti prospera potu
Sumūtur, reserantque malū, purgantque, leuātque.

Igni sacro medendo.

EST etiam morbi species, quæ dicitur ignis
Languida quo multo torrentur membra calore.
Vel tu uicino seuum bouis igne remittis,
Mollitumque lines: dederis uel fotibus oua:
Sed non cocta dabis: sic torrida membra fouebis:
Lumbricis terræ mixto inducetur aceto:
Aut parili noua Ruta modo: sed iungis oliuum:
Quaque cum betis prosunt super illita tritis.
Allia dant cinerem sociandum oleoque, garoque:
Vnguine quo gliscens deponet flamma furorem.
Sæpe chelidoniæ pars candida iungitur oui,
Quæ medico potu, sed uili trita capesses:
Admiscere memor lymphas, amnemque falerni.

Podagræ depellendæ.

Quædā sunt rabidæ medicamina summa podagræ,
Cui ter tricenas species Epidaurius ipse
Dixit inesse deus: requiem tamē huic dare morbo
Fas erit: & tristem saltem mulcere dolorem.
Ergo age, et arreptā salicis frondemque, librumque
Cum uino tere: sic contractos perline neruos:
At cùm prima mali sese ostentabit origo,
Feruida non timidis tolera cauteria plantis.
Seminecis'ue hirci reserato pectore calces
Insere: sic diræ reprimes primordia pestis:
Aut si corruptus persederit altiùs humor:
Trita cupressus ibi baccho iungetur acerbo,
Panibus & teneris cohibebunt addita questus.
Parua sabucus item est hircino collita seuo:
Triticeæque acido manantes amne farinæ:
Aut nitidum ranæ decoctum uiscus oliuo:
Siue chelidoniæ succus sale mixtus aceto.
Sunt quibus apposita siccatur hirudine sanguis:
Non audita mihi sit fas, sed lecta referre.
Hoc quidem rabidus morbo, per tempora messis,
Vicino plantas frumenti pressit aceruo:
Euasitque grauem, casu medicante, dolorem.

Vulneribus ferro, aut uerberibus factis.

NATVRAE uitijs medicas obiecimus artes,
Nunc & fortunæ iaculis obsistere par est.
Si cui forte lapis teneros uiolauerit artus,
Necte adipes uituli, simul & tritam chamæcisson.
Nec pudeat luteæ stercus producere porcæ.
Sin autem seuo est laceratum uerbere corpus
Tum lexiua cinis ceras dissoluit, & oua:
Admixtoque oleo, uibices comprimit atras.
Si uerò infrenus manat de uulnere sanguis,
Purpura torretur conchili perlita succo.
Huius & atra cinis currentem detinet undam.
Verrucæ quoque desectæ frenare cruorem
Dicitur ambustus tyrio de uellere puluis.
Præterea nimios reserati uulneris amnes
Fœniculi cinis astringit, uel fimbria porri:
Siue fimus manni cum testis uritur oui,
Et reprimit fluidos miro medicamine cursus.

Vulneribus quibuscunque casibus actis.

CVM magna humanæ sint pondera conditionis
Tā multæ innumeri species mihi uulneris adsunt,
Vt nequeam proprijs cunctis adscribere curas.
Iisdem igitur monitis casus sanabimus omnes:
Sic tamen, ut nullus medicinam eluserit error.
Ergo modus quicunque obtingit uulneris atri,
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus:
Herbaque, quæ folijs nomen de mille recepit:
Appositu prodest adipi permixta uetusto:
Succida cum tepido nectetur lana lyæo:
Ambustus'ue cinis complebit uulneris ora.
Concludit uerò, uel frons, uel ramus ab ulmo.

Vt succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

Ab homine, uel simia morsis.

Siue homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit: uirus simul intulit atrum.
Betonicam ex puro prodest assumere Baccho.
Necnon & rhaphani cortex decocta medetur:
Si trita admorsis fuerit circunlita membris.

Serpentum morsibus, & uenenis pellendis.

Cuspide non quisquam, longe neque cæde larissa,
Fulmine non gladij, uolucris nec felle sagittæ,
Quàm cita uipereo potis est affligier ictu.
Quare aptam dicamus opem, succosque medentes.
Cui nocuit serpens, fertur caput illius aptè
Vulneribus iungi: sanat quæ sauciat ipsa.
Vt larissæa curatus Telephus hasta.
Proderit & caulem cum uino haurire sabuci:
Aut coctum rhaphani librum, tritumque ligare:
Siue etiam excelsa folium de mole cupressi:
Mandabit lactens caprifici succus opellam:
Aut tithymalis atrox uulnus contrita perungit.
Carduus est nondum doctis fullonibus aptus:
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Ceruino ex fœtu commixta coagula uino
Sumuntur: quæ res membris agit atra uenena.
Aut ferulæ radix potatur in hymbre lyæi
Betonicę ue leues, gallinę aut iura uetustę.
Si uerò horrendum uulnus fera iecerit aspis,
Vrinam credunt propriam conducere potu.
Varronis fuit ista senis sẽtentia: necnon
(Plinius ut memorat) sumpti iuuat hymber aceti,
Dicendum & quę sit pręcox medicina timenti:
Cautio nanque potest diros peruertere morsus.
Si iecur exesum tardo de uulture portes,
Erucis] uel si totos perduxeris artus,
Quas priùs attritas uehementi spargis aceto:
Aut tu ceruina per noctem in pelle quiescis:
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.
Toxica pręterea qua sint pellenda medela,
Expediam. sanguis poterit prodesse caninus:
Qui facili potu antidotos imitatur honestos.
Vis & mirificos cautus prędiscere odores:
Accensis quibus arcetur teterrima serpens,
Aut styracem torres: aut duri uulturis alam:
Vel nepetã: aut frondẽ rigidę, stirpemque miricę.

Ictibus Scorpij, & morsibus Muris cæci, uel Aranei.

Sunt minimę species: sed dirę uulnere pestes,
Que magis in tenui latitantes corpore fallant.
Scorpius ut grauis est, & araneus hęc mala semper
Captant securos multa iam nocte sopores,
Et documenta dedit nobis prostratus Orion,
Magna quod exiguis perimãtur membra uenenis.
At qui uulnus atrox incussit / Scorpius ardens,
Continuò capitur: tunc digna cęde retunsus,
Vulneribusque actus fertur reuocare uenenum:
Aut calidis pelagi lymphis loca lęsa fouentur:
Siue meri potu dissoluitur improba pestis.
Ad cunctos autem morsus, ictusque minorum:
Caseus aptus erit pauidę de lacte capellę:
Cũque hoc assumi debebit origanus herba.
Hęc duo mirificis curabunt ista medelis.
Necnon fœniculo calidum annectatur anethum:
Aut uiuum sulphur sicca cum fęce lyęi.
Exiguo piperis cerebrum conspergito galli:
Quo lita sanescunt depulso membra dolore:
Sin autem muris nocuit uiolentia cęci,
Quę sola signauit uoluendis orbita plaustris,
Illinc: mira datur uili de puluere cura.

Subitaneo dolori, febri, atque ostocopo.

Nonnunquam existit subiti noua causa doloris:
Cuius origo latet, ueris reprimenda medellis.
Nanque chelidoniam mixto sale nectere prodest.
Velleraque infuso recalentia sulphure sanant.
Ostocopon lento conducit melle perungi.
Sin autem calidæ depascent corpora febres,
Tunc apij succus leni sociatur oliuo:
Membra lines: fotuque ferus mulcebitur ignis.
Nec spernẽdus adeps, dederit quem bestia Melus.
Seminecis cerui lachrymam miscere liquori
Conuenit: atque artus illinc mulcere calentes:
Febribus at longis galli des iura uetusti.

Ad Typum quartanæ.

NEC tu crede leuem dilato tempore febrem:
Quæ spatium sibi dat magis, ut cessando calescat
Lentato quæ crassatur quartana calore:
Ni medicas adhibere manus discamus & herbas,
Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluta mero medijs haurire diebus.
Aut facilem iecoris murini ducere fibram.
Quatuor & duri iungantur scrupula Bacchi,
Mira est absinthi cum simplice potio lympha.
Sume tribus digitis apprehensum semen anethi,
Tantundem marathri, mulsum nec desit aceto,
In cuius cyatho prædicta salubriter hauris:
Ilia quinetiam spartum suppone tumenti.
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodest & potus sed mullus doridis humor.
Quidam etiam miranda ferunt ueniente calore,
Iurantes ludum ueneris, munusque petendum.
Sed prius est oleo partus feruescere ranæ
In triuijs, illoque artus perducere succo.

Ad Typum tertianæ.

EST etiam alternis febris rediuiua diebus:
Tempora discernens quasi iustæ pondera libræ:
Vt possis igitur talem prohibere furorem,
Tu uolues cera sine caudis grana cumini,
Puniceæque indes pelli, colloque ligabis.
Pulei ramus lanæ uelatus amictu,
Tempore suspecto, medicos præbebit odores.
Præterea cimex potatur tritus in ouo
Horridus attractu, sed gustu commodus aptè.

Ad Typum quotidianæ.

AT qui continuis non cessat adire diebus,
Sed tantum certas morbus discriminat horas,
Triticeum metuit granum (si credere dignum est)
Quod latitans fracto fuerit sub pane repertum.
Necnon ossa iuuant, septis inuenta domorum.
Conuenit hæc tereti pendentia subdere collo.
Multaque præterea uerborum monstra silebo:
Nam febrem uario depelli carmine posse,
Vana superstitio credit, tremulæque parentes.

Hemitritæo depellendo.

Mortiferũ magis est, quod græcis hemitritæum
Vulgatur uerbis: hoc nostra dicere lingua
Non potuère ulli: puto, nec uoluère parentes.

Inscribis chartæ, quod dicitur abracadabra,
Sepius, & subter repetis; sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris:
Singula quæ semper rapies, & cetera figes,
Donec in angustum redigatur littera conum.
His lino nexis, collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.
Corallum uerò, si collo nectere uelles,
Ne dubites illo ueros miscere smaragdos.
Talia languentis conducent uincula collo:
Letalesque abiget (miranda potentia) morbos.

Fracturis, & luxis sanandis.

Infandum dictu, cunctis procul absit amicis:
Sed fortuna potens, omen conuertat in hostes.
Vis indigna nouo si sparserit ossa fragore,
Conueniet cerebrum blandi canis addere fractis:
Lintea deinde, superque inductas nectere lanas:
Sepius & succos conspargere pinguis oliui:
Bis septem credunt coalescere cuncta diebus:
Aut ueteri Baccho caprę fimus inde petulcę:
Hoc aperit clausum, trahit herens, sanat apertum.
Sin uerò caput infestus colliserit ictus,
Ex oleo necti uestis debebit arachnes.
Nesciet hec illinc, nisi cum sanarit, abire.
Quòd si luxa suo decedent membra tenore,
Vrere fœmineos crines, ac iungere seuum
Congruet, ac tali medicamine mota ligare.
Aut maluam ex pingui tritam apposuisse iuuabit:
Aut si conclusum seruarit tibia uulnus:
Stercus ouis placidę iunges, adipesque uetustos:
Pandere quę poterunt ulcus, patuloque mederi.

Neruis incisis, & dolentibus, atque contractis.

Haud quisquam credet disiectos uulnere neruos
Ad solitum rursus reuocari posse uigorem.
Sed prodest terrę lumbricos indere tritos:
Quis uetus, & ranceus sociari axungia debet.
Si uerò occultus neruos dolor urit inertes,
Vulturis excisos adipes, rutamque remitte:
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.
Conuenit & pelagi calidis perfundier undis.
Carica cum betis lento uel melle iugatur.
Aut Baccho madefacta ceres cum fronde cupressi:
Quo poteris potu recreare rigentia membra.
Sin autem subito replicantur corpora morbo,
Contractos reuocat neruos caro sumpta columbę.

Aegris somno asciscendo.

NON solùm miseros teterrima febris adurit:
Sed super optato pergit uiduare sopore:
Ne prosit placidi cœlestia munera somni.
Charta igitur, uarijs quam pinxit littera uerbis,
Vritur, inde cinis calido potatur in amni.
Prodest puleium capiti substernere sepe.
Proderit & mixtam lymphis potare cupressum:
Palladijs itidem succis, quos flore rosarum
Iungis, & immisces madidum, tritumque papauer:
Quo lita frons facilem prebebit nocte quietem.
Necnon mandragorę gustu sopor additur altus.
Dilue preterea glomeratam, quam gerit intus
Lanam aries inter geminę coxendicis umbras:
Inde soporati ducentur gutture potus.

Lethargiæ expellendæ.

DIXImus hāc sortem miseris mortalibus esse,
Vt sint sepe mala inter se contraria morbi;
Denique nōnunquā somno sic membra grauantur,
Vt coniungantur letho sopor altus acerbo.
Ergo leui flamma torrentur cornua caprę,
Quo nidore grauem depellent lumina somnum.
Aut ueneris labrum, quę dicitur herba, bibetur:
Quę teritur prius: & uino confusa liquescit.
Conueniunt acidis euphorbia mixta fluentis:
Gramina uel rutæ, gemina si nare trahuntur.
Quidam dira iubent, septeno cimice trito,
Vt uitientur aquæ, cyathusque bibatur earum:
Hæc potiora putant, quàm dulci morte perire.

Comitiali morbo medendo.

EST subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quòd fieri nobis suffragia iusta recusant.
Sæpe etenim membris atro languore caducis:
Consilium populi labes horrenda diremit.
Ipse deus, memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.
Prodest cum ueteri Baccho fel uulturis atri;
Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno.
Aut cruor ex prognę mixtus cum polline thuris.
Aut apium elixum aut conditum melle fel agni:
Marrubium'ue pari confusum pondere mellis:
Cui tu terna dabis gustu cochlearia in uno.
Aptus mustelæ cinis est, & hirundinis una.
Præterea pluuias, hominis, quas calua supina
Excepit, proiecta sinu, consumere prodest:
Aut lapis ex nido, uaga quem congessit hirundo,
Vellitur: ex nexu fouet, attollitque iacentem:
Pellitur (ut fama est) gustu quoque langor anethi.

Regio morbo pellendo.

REGIVS est uerò signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula:
Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.
Allia trita dabis uino madefacta calenti:
Vellera cum uino suffiri sulphure prodest.

Dentibus, uel strigis inquietatis infantibus.

NVDVM hominē primū mūdi natura profudit:
Insuper excruciat, niueis cùm dentibus armat.
Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci.
Aut teneris cerebrum gingiuis illine porci;
Aut leporis, niueo bibitur cum lacte caprino.
Præterea si fortè premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exertis ubera labris;
Allia præcepit Titini sententia necti:
Qui ueteri claras expressit more togatas.

Combusturis igne, uel frigore factis.

Sunt diuersa quidem mala frigoris, atque caloris:
Sed tamen amborum simili nocet ulcere uirus.
Illa quoque usta putas, quæ sunt niue læsa rigente.
Conuersa in cinerem platani pila curat utrunque.
At uerò ambustum flammis, qui candidus oui
Succus inest, penna inductus sanare ualebit.
Aut tu succosæ cinerem perducito lanæ:
Aut uiuam ex oleo ueteri componito calcem:
Ordea uel franges, atque oui candida iunges.
Adsit adeps porcæ (mira est hæc forma medelæ)
Iunge chelidonijs, ac sic line uulnera succis:
Quodque recens ussit glacies, axungia simplex
Mulcet: & ex facili grata est medicamine cura.

Venenis prohibendis.

VT tutus fias, infestæ fraude nouercæ,
Vel quicunque tuo carpetur liuidus auctu,
Non expectatis eat obuia cura uenenis.
Ante cibos igitur iuglandis foetus edatur.
Prosunt electri uariantia pocula uiris.
Præterea costæ querno cum cortice lymphæ,
Conueniunt potu: demersa'ue ficus oliuo.
Sæpe etiam rhaphanum prædicit numen edendū.
Antidotus uerò multis mithridatia fertur
Consociata modis: sed Magnus scrinia regis
Cùm raperet uictor, uilem deprehendit in illis
Synthesin, & uulgata satis medicamina risit.
Bis denum rutæ folium salis & breue granum,
Iuglandesque duas, terno cum corpore ficus:
Hæc oriente die, parco conspersa lyæo,
Sumebat, metuens, dederat quod pocula matri.

Venenis datis.

SI nequit infandum præuertere cautio uirus,
Proximus ille gradus, data pocula pellere cura.
Lac asinæ, placidæque bouis prodesse loquuntur.
Betonicam ex paruo sumunt plerique lyæo:
Quod si hederæ succos, quæ truncos implicat altos,
Instilles paruis, poterunt haud ulla nocere
Pocula, quæ quisquam sæuis uitiauerit herbis.
Si quis Hyoscyamum gustarit, lacte capellæ
Exhausto, rabidos poterit mulcere furores.

Vulneribus, & rei dubiæ curandis.

VVLNERA tabescūt spatio uitiata dierū:
Curaque nil prodest, nec ducitur ulla cicatrix:
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Vlceris annosi sinus ut coalescere possit:
Marrubium si tu recoquas, illoque liquore
Vulnus atrox foueas, cineres uel hirundinis altè
Inducas: leporis'ue aspersa coagula uino:
Aut hederam baccho decoctam, & semen anethi:
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.
Lumbrici terræ poterunt conducere uulnus:
Aut facilis lapathi coma latior ulcera purgat:
Et comixtus adeps, sed nonnullo sale tactus.
Pinea præterea uino cum sulphure cortex,
Et pice cum spissa, iam perdita membra reponit.

Verrucis tollendis.

INTERDVM existit turpi uerruca papilla:
Hinc quondam fabio uerum cognomen adhæsit:
Qui solus patriæ cunctando restituit rem.
Id poterit uitium sanguis curare lacertæ:
Aut urina canis cum terra inducta madenti.
Aut herbæ succus, quę fertur nomine lichen.
Est tithymalus item tali satis apta medellę,
Si rupta immensos fundit uerruca cruores,
Purpureo triti cineres de uellere prosunt,
Quod fuerit uero conchyli sanguine tinctum.

Hæmorrhoidis medendis.

EXCRVciant turpes anum si fortè papillę,
Agrestis prodest radix super addita porri:
Ne uiolet, sana in iuglandis fragmine clausum,
Sal niueum sumes, bethicum quem nomine dicūt,
Dulcia cumque nigra iunges fuligine mella,
Apponesque super: pellit medicina dolorem.

Sequuntur XXVI uersus, qui in alijs impressis codicibus desiderantur.

Paralisi depellenda primo die ita agendum.

Hunc quicunque cupis citius depellere morbū,
Protinus antidotum studio tu perfice mirum.
Scilicet ut ualeas languenti ferre medelam.
Castoreas siliquas bis sex perquirere cura:
Tristis item digitis lympham metire duobus.
Denique tunc capies phyalam, quæ iustior extat:
Aut equidem flammas. sed prunas subijce sollers.
Proderit intereà tepidum potantibus illud:
Ieiunis sed enim potius præbere memento.

Secunda ita medendum est.

CVNQVE secunda dies orbi peruenerit omni,
Haud alijs rebus prudens adiungere cures.
Castoris atque nouem siliquas appendito statim:
Atque duos semis digitos metire memento
In calice atque probo lympham miscere duobus.
Qui patitur, tepidum languens hinc sorbeat ipse.

Tertia die ita curandum est.

Gratior atque dies ternus cùm uenerit imo,
Rursus in ægroto constanter fer medicamen,
Castoreas siliquas iterum quæ pondere sint sex.
Hinc etenim binos digitos metire memento
De lympha liquida sed enim subiungere cura:
Et simili debes tepidum præbere modo tunc.

Ita peragendum est à quarta die usque ad sextam, & à septima usque ad nonam, à decima usque ad duodecimam, & mirificè prodest.

Quid quarta die, & reliquis peragendum sit.

QVARTVS & ille dies cōsentit nec ne priori:
Quintus & est similis percellens nanque secundo:
Sextus itemque simul concordat denique terno:
Septimus usque nonum percurritur ordine primo:
Sic decimas currens conscenditur ad duodenum.

FINIS.

† Appinge hic eu. Rhemnij Fannij Palemonis libellum de ponderib. & mensuris, ex impress. Henrici Stephani.

Vancelius lectori.

Trotula mulier (inepte enim pro medico ab imperitis, aut sane iis qui non legerunt, citari consuevit) & pia, & sane docta, muliebrem sexum congenerem lepido libello instruit de iis omnibus, quae huic infirmo sexui ingruere solent valetudinis incommoda, sive virginitatem illibatam servanti, sive in coelibatu degenti, seu potius iura matrimonii in liberorum procreatione educationeque profitenti: Obiter etiam & viris maritis arcana & mystica remedia ad prolem suscipiendam, & peculiares morbos profligandos, pie communicans (sicut in aliis deinceps sequentibus). In quo, sexus imbecillitatem, doctrinae reconditae scientia vicisse videbatur, nisi humilitate orationis # (quam intactam & puram, [illegible], nisi sicubi manifestus error appareret, dimisi), veteris tamen id aetatis usitata, linguae muliebrem quandam infantiam usurpasset. In qua sarta tecta vindicanda, quid aut quantum ediderim, tum demum agnosces, cum perlegeris, & cum aliis codicibus vulgatis non oscitanter contuleris. Vale. Turonib. Cal. Sextilib. 1573.

TROTVLAE CVRANDARVM AEGRITVDINVM MVLIEBRIVM, ANTE, IN, ET POST PARTVM, LIBER VNICVS, NVSQVAM ANTEA

editus, quo fœminei sexus accidentes morbi & passiones, infantum & puerorum à partu cura, nutricis delectus, ac reliqua hisce adnata, dispositiones utrique sexui contingentes, experimenta denique uariarum ægritudinum, cum quibusdam medicamẽtis decorationi corporis inseruientia, edocentur.

PROLOGVS.

CVM auctor uniuersitatis DEVS, in prima mundi constitutione, rerum naturas singulas, iuxta genus suum distingueret, naturam humanam supra cæteras creaturas singulari dignitate condidit. Huic enim, supra aliorum animalium conditionem, rationis & intellectus libertatem dedit. Propterea uolens eius generationem perpetuò subsistere, in sexu dispari, masculum & fœminam creauit, ut eorum fœcunda propagatione nunquam desineret emergere futura soboles. Quorum quidem cõplexiones grata quadam commixtione contemperans, naturam masculi calidam & siccã, fœmellæ uero frigidam & humidam constituit: qua cuiusque alterius complexionis excessus, mutua qualitatum cõtrariarum repugnantia coerceretur: adeo, ut uiri constitutio calida & sicca, mulieris frigiditatem & humiditatem: & econtra huius natura frigida & humida, illius complexionem calidam & siccam remulceret. Similiter ut masculus qualitate fortiori dignus, in mulierem tanquam in agrum, semen effunderet, & mulier qualitate debiliore prædita, tanquam uiri officio subdita, semen effusum in gremium natura susciperet. Quoniam ergo mulieres natura sunt uiris debiliores, hinc est quòd in eis sæpius abundant ægritudines, maxime circa membra operi naturæ debita. Quæ cum in loco secretiori accidant, ipsæ propter uerecundiam, & conditionis fragilitatem, non audent angustias suarum ægritudinum medico reuelare. Quapropter ego, miseranda illarum calamitate, præsertim cuiusdam matronæ instigatione, cõpulsa, incepi diligentius contemplari de ægritudinibus, quibus fœmininus sexus sepissime molestatur. Cum itaque in mulieribus non tantus abundet calor, qui prauos & superfluos, qui in eis quotidie congregantur, sufficiat cõsumere humores, nec tantum laborem ualeat earum debilitas tolerare, ut sudorem possit ad exteriora illos natura expellere, sicut in uiris: ideo ipsa natura, propter defectum caloris, eis præcipuam quandam purgationem destinauit, scilicet menstrua, quæ uulgus flores appellat. Nam sicut arbores non producunt sine floribus fructus, sic mulieres sine proprijs floribus, conceptionis officio defraudantur. Hæc autẽ purgatio contingit mulieribus, sicut de nocte uiris pollutio. Semper enim natura grauata quibusdam humoribus, siue in uiris, siue in mulieribus, iugum suum nititur deponere, & laborem minuere. Solet præterea huiusmodi purgatio mulieribus contingere circa decimumtertium, uel quartumdecimum annũ, uel paulò citius, uel paulò tardius, secundum quòd in eis magis, uel minus abundat caliditas uel frigiditas. Durat autem usque ad quinquagesimum annum, si est macra: quandoque usque ad sexagesimum, aut sexagesimumquintum, si est humida: in mediocriter pinguibus, usque ad quadragesimumquintum. Si autem debito tempore & ordine contigerit talis purgatio, exonerat se cõpetenter natura à superfluis humoribus. Si uerò menstrua plus uel minus exierint, quàm debent, plures ægritudines inde emergunt. Quoniam inde minoratur appetitus tam cibi, quàm potus. Quandoque fit uomitus; & quandoque appetunt terram, carbones, cretam, & similia. Quandoque ex eadem causa dolor sentitur circa collum, dorsum, & in capite. Quandoque adest febris acuta, cordis morsus, hydropisis, uel dysenteria. Hæc autem contingunt, uel quia tempore longo deficiunt menstrua, uel quia prorsus non habent: unde non solum hydropisis, uel dysenteria, uel morsus cordis accidunt, sed & aliç peiores ægritudines. Aliquando enim accidit diarrhœa, propter nimiam frigiditatem matricis: uel quia uenæ eius sunt multum graciles, ut in extenuatis mulieribus: quia tunc humores spissi & superflui non habent liberos meatus, per quos possint erumpere: uel quia humores sunt spissi & uiscosi, ideo propter conglutinationem, eorum exitus impeditur: uel quia deliciosè comedunt: uel quia ex aliquo labore multum sudant. Sicut testatur Galenus. Mulier quæ se nõ exercet multum, necesse est, quòd abundet in multis menstruis, ad hoc ut sana existat. Aliquando mulieribus deficiunt menstrua, quia in corpore earum coagulatus est sanguis: uel quia sanguis per alia loca emititur, ut per os, aut per nares, per sputum, aut hæmorrhoides. Aliquando deficiunt menstrua ex nimio dolore, uel ira, uel motu, uel timore. Si autem diu cessauerint, suspicationẽ grauis ægritudinis futuræ arguũt. Nam urina eorum uertitur in ruborem, uel in colorem loturæ carnis recentis: quandoque in uiriditatẽ, uel liuiditatem, aut in colorem, qualis est color graminis, facies earum mutatur.

TROTVLAE DE MVLIERVM PASSIONIBVS, ANTE, IN, ET POST PARTVM, CVM RELIQVIS partim item inseruientibus, liber experimentalis mirificus.

De retentione Menstruorum, Cap. I.



SI igitur deficiant Menstrua, & mulier sit corpore extenuata, tunc phlebotometur ei uena quę est sub cauilla pedis interius, quę dicitur Saphena, primo die de uno pede, sequenti die de altero: & extrahatur sanguis secundum quod uirtus expostulauerit. Quia in omni ęgritudine generaliter cauendum & respiciendum est, ut non nimis debilitetur ęgrotās. Refert enim Galenus de quadam muliere, cui defecerant menstrua per nouem menses, & in toto corpore constricta fuerat & extenuata, cui ēt penitus defecerat comedendi appetitus: unde ipse extrahebat ei sanguinē de predicta uena per tres dies, de uno pede primo die lib. I. secundo die lib. I. de altero pede, tertio die de primo pede iterū unc. VIII. & ita in breui spatio rediit color & calor uiuificus, cū debita totius corporis habitudine. Cūm aūt uenter fuerit constipatus, sicuti frequētissime restrictis mēstruis accidit, tunc accipe pilulas de quadam medicina competenti, & acue eas, prout ipsum acumen poterit sustinere: & ei tribue. Postea phlebotometur de Saphena. Deindè balneetur: & post balneum bibat de calamento, uel de nepita, uel mentha coctis cum melle: ita tamen, ut septem partes sint aquæ, & nouem mellis. Et sępe balneum est intrandū. Et post balneum bibat de Diatessaron, cum decoctione mellis & aquę. Conferunt etiam omnia diuretica, ut foeniculus, spica, apium, ciminum, ameos, carui, petroselinum, & similia. Hæ omnes herbæ, uel singulæ, in uino coctæ, uel cum melle, & potatæ conferunt. Galenus sic docet. Artemisia trita cum uino, uel in eo cocta, & potata multum confert. In balneo non modicum iuuat, si bibatur nepita, uel in ipso balneo coquatur: uel uiridis trita ligetur super uētrem, uel sub umbilico, uel super umbilicum. Vel decoquatur in olla, & mulier supponat sellam perforatā, & desuper sedeat cooperta undique, & per calamum, uel embotum fumus exeat: ut is introceptus, penetret ad matricem. Valet etiā artemisia cum his herbis admixta: thapsia, sileleos, saluia, origanū, ciminum, ameos, sauina, melissa, pulegium, anethum, betonica, anisum, satureia, leuisticum: quæ omnes, uel quædam ex eis decoquātur in aqua: & impleatur sacculus unus lana minutissime carpinata, ut sit in modum puluinaris: & intingatur in illa aqua, & calidus uentri apponatur: & hoc fiat frequenter. Item Puluis optimus ad prouocanda Menstrua. Recipe flammulæ, cicutæ, castorei, artemisiæ, centonicæ, myrrhæ, centaureæ, saluiæ ana, fiat puluis, & detur drac. I. cum aqua decoctionis sauinæ & myrrhæ: & in balneo bibat, & detur una uice scrup. I. Si autem Matrix indurauerit, adeo ut istis adiutorijs non possint educi menstrua, Recipe fel tauri, aut aliud fel, & puluerem nitri, & cum succo apij, uel hysopi misceantur: & intingatur ibi lana carpinata: & post prematur ut sit dura, rigida, & longa, ut in uuluam possit immitti: & intromittatur. Aut fiat aliud pessarium in modum uirgæ uirilis: & sit concauum: ibique imponatur medicina, & inijciatur.

De paucitate Menstruorum. Cap. II.

MVLIERES autem quædam sunt, quæ cum ueniunt ad tempus Menstruorum, nulla, uel modica habent. Quibus sic subuenias; Accipe radices salicis rubeas, de quibus ligantur dolia, & bene ab exteriori cortice munda, & pista: & eas pistatas cum uino, uel aqua, decoquendo distempera, & mane de ista coctione da ad potandum haustum tepidum. Si uero grauius laborat, tunc dabis ei cibum istiusmodi factum. Rubeam maiorem, & maluam teras: & cum farina hordei, & albumine ouorum misce: & inde fac crispellas. Valent etiam huiusmodi herbæ suffumigatę ad prouocanda menstrua. Vel ad idem accipe uerbenā, rutam, & pista fortiter, & coque cum larido: & da patienti ad comedendum. Postea radicem salicis subtilis, & radicem rubeę maioris tere, & da succum patienti cum uino. Mulieres item si pauca habent Menstrua, & cum dolore ea emittunt, Recipe betonicæ, pulegij, centonicæ, artemisiæ ana M. I. decoquantur in aqua, uel uino usque ad cōsumptionem duarum partium. Postea fiat colatura per pannum, & bibatur cū succo fumi terræ. Si uero diu defecerint Mēstrua, Recipe rheupontici drac. II. artemisię siccę, piperis, ana drac. I. & fiat inde puluis: de quo bibat mane & sero per tres dies: & cooperiat se, ita ut sudet. Item Recipe menthæ, pulegij, rutæ ana M. I. salis gemmæ, drac. IIII. plantæ caulis rubeæ M. V. & tria capita porri. Hęc omnia coquantur simul in olla rudi: & bibat in balneo. Aliud, Recipe radicem ireos, leuisticum, herbam nepitam, coloquintidam, foeniculum, rutam: coquantur in uino, & illud uinum potui detur. Vel decoquantur in uino, sauina, apium, foeniculus, petroselinum, leuisticum, nepita: & bibatur. Item Recipe tanacetum, trifolium, artemisiam: frixa cum butyro, & pone super umbilicum. Medicus quidam in regione Franciæ sic fecit: Recipe zinziber, folia lauri, & sauinam: trita simul in olla rudi, ponantur super carbones uiuos in sede perforata, & desuper sedeat mulier, & fumum recipiat per inferiora: & sic mēstrua redibunt; fiat ter, uel quater, uel pluries. Mulier autem, quæ huiusmodi fomenta frequentat, uuluam suam abintra inungat unguentis frigidis, ne nimis calefiat. Valet etiam ad prædicta fumigatio de cimino, foeniculo, anetho, calamēto, mentha, urtica, omnibus simul commixtis, uel simplicibus. Valet ad idem scarificatio, & similiter coitus. Nocet autem minutio facta in manu. Comedat, si sit sine febre, porros, cepas, piper, allia, ciminum, pisces squamosos: & uinum forte bibat, si sit sine dolore capitis, & sine defectione neruorum, & sine febre. quia in omni febre nocet uinum.

De nimio fluxu menstruorum. Cap. III.

SVNT & aliæ Mulieres prædictis contrariæ : quæ habent menstrua inordinatè fluentia : quibus hoc modo succurras. Accipe soleas ueteres,& pulueriza: & folia lauri fac decoqui: & his decoctis,fiat suffumigium. Vel accipe cineres calidos,& misce cum uino rubeo calido,& cōfice in modū pastę: & malaxa, & inde accipe ad modum cunei mediocris,& inuolutum panno lineo nouo impone adhuc tepidum. Vel accipe saluiam, & camphoram : pista fortiter,& fac crispellas cum uino,& coque super tegula : & da patienti ad constringenda menstrua . Postea accipe semen urticæ,& cornu cerui,& da patiēti puluerem inde factum,ad bibēdum cum uino. Restringit etiam hoc aliud remedium,quod sic fit . Accipe cornu cerui puluerizatum cum cinere urticæ mortuę,& distempera cū aqua pluuiali:& da bibere,non omittendo prędictum suffumigium : quod confortat matrices frigidas. Confortantur etiam isto fumigio. Recipe spicæ nardi, carioph.nuces muscatæ ana,puluerizata proijciantur super prunas. Valent & cęterę purgationes quas diximus. Abundant quoque menstrua pręter naturā. Quod contingit,quia uenę matricis sunt ampla,& apertæ. Vel quia quandoque crepantur,& fluit inde sanguis in multa quantitate : & apparet sanguis fluens rubeus,& clarus. Quia ex multitudine cibi & potus generatus est sanguis multus,qui cū non possit intra uasa contineri,prorumpit extrà . Vel contingit quandoque propter nimiam sanguinis calefactionem,ex cholera redundante ex felle,quæ facit sanguinem ebullire : adeo,ut non possit in uenis contineri. Vel quia phlegma salsum admiscetur sanguini , & ipsum attenuat,& à uenis facit prorumpere extra. Si sanguis,qui egreditur,sit citrinus,aut uergat ad citrinitatem,ex cholera contingit. Si ad albedinem,ex phlegmate. Si ad ruborem,ex sanguine . Huiusmodi ægritudines emergunt,propter humores interius corruptos: quam corruptionem natura dedignatur sustinere. Quandoque contingit propter diabrosim : ex qua sæpissimè sequitur mors. His de causis mulier discoloratur, & macrescit : & si diu durauerit,in hydropisim de facili conuertitur. Epatis enim substantia infrigidatur, propter subtractionem sanguinis,per quem deberent mēbra in suo calore naturali conseruari. Vel quandoque accidit,propter defectum caliditatis succositatem digerere nequeuntis,& debito modo humores commutare non ualentis. Si ergo sanguis est in causa,minuendus est de manu,uel brachio , ut sanguis sursum prouocetur. Sumendum est etiam aliquod leue catarticum. Si cholera sit in causa,quæ à felle redūdat,detur trifera Saracenica,& rosata nouella cum succo uiolarum,& scariolę. Si contingat ex abundantia phlegmatis & choleræ nigræ,detur aliqua hierarum cum aqua calida,uel uino,secundum alios,& bibat. Post purgationem uerò apponenda sunt quædam constrictiua exterius & interius,quæ constringant. Potet ergo aquam in qua coctæ sint cortices mali granati,psidiæ,flores rosarum rubearum,gallæ , nux muscata , folia quercus , bedegar, rubus,agrimonia,plantago. Hæc omnia immixta,uel simplicia iuuant. Post cibum, uel inter cibaria detur eis puluis lapidis hematitis cum aqua pluuiali distemperatus ad potandum: uel puluis cōralli,& gummi,balaustiæ,seminis myrti,portulacę,boli armeni : & puluis de cornu cerui,plantaginis,centinodij,sanguinis draconis,spodij,seminis citoniorum. Comedat gallinas coctas in pane, pisces recentes in aceto coctos,panem hordeaceum. Bibat ptisanam de hordeo factam, in qua primitus coquatur radix plantaginis,& bulliat cum ptisana,& melius erit. Postea bulliat in aqua marina donec crēpat, & corrugetur:& apponatur acetum,& coletur per pannum,& detur ad potandum. Bibat etiam uinum rubeum cum aqua marina lymphatum. Ponantur quoque uentosæ ignitæ inter mammillas, quæ sanguinem superius trahant. Iniiciatur succus plantaginis per pessarium. Valet etiam succus semperuiuæ,si cum uino bibatur albo. Similiter succus persicariæ ualet super uentrem linitus. Item accipe duo frusta laridi lata cum sale,& desuper aspergatur succus coriandri cum semine eius,& puluis absinthij , & unum frustum ligetur super umbilicum,& alterum super renes. Fiant etiam duo emplastra de absinthio cum axungia, & ligētur super renes,& uentrem : quibus si addantur folia myrti trita,melius erit. Aliud. Accipe testas nucis maioris,& fac puluerem,& da in potu cum aqua marina. Postea fac emplastrum de stercoribus ouium,uel caprę cum axungia,& superponatur uentri & renibus. Vel fac puluerem de testis ouorum,& da in potu per tres dies cum aqua tepida,quantum poteris leuare cum duobus digitis.

De suffocatione matricis. Cap. IIII.

QVANDOQVE suffocatur Matrix: quandoque uidelicet sursum tollitur. unde prouenit subuersio stomachi,& appetitus debilitatio ex debilitate cordis. Quandoque patiūtur syncopen,& ita euanescit pulsus,quod penitus non sentitur : ex eadem causa. Quādoque Mulier contrahitur, ita quòd caput iungitur genubus,& uisu caret,& uocis officium amittit, nasus distorquetur,labia contrahuntur,& dētes stringit,& pectus sursum præter solitum eleuatur . Galenus refert de quadam Muliere , quæ ita patiebatur , & amiserat pulsum & uocem , & erat quasi defuncta : quia exterius nullum signum uitæ apparebat : sed tamen circa cor natura adhuc parum caloris retinuerat. Vnde quidam iudicabant eam mortuam. Galenus uero lanam bene carpinatam naribus & ori eius apposuit, cuius motu eam uiuam recognouit. Contingit autem hoc Mulieribus, quia sperma nimium corruptum abundat in eis,& in uenenosam naturam conuertitur. Et precipuè accidit illis,quę uiris non utūtur,maximè uiduis,quę antea cōsueuerūt uti

carnali cōmercio. Virginibus etiam solet euenire, quę ad annos nubiles peruenerunt, & uiris uti non possunt: cum in eis maximè abūdet sperma, quod per Masculum natura uellet educere. Ex hoc autem semine superabundante, & corrupto, quędā fumositas frigida dissoluitur, & ascendit ad partes quasdam, quę à uulgo Collaterales dicuntur: quia cordi & pulmoni sunt uicinæ, & cæteris instrumentis uocalibus, unde solet fieri impedimentum uocis. Huiusmodi morbus solet etiam principaliter oriri ex defectu menstruorum. Ideo cùm deficiant menstrua, & semen superabundet, tantò molestior & prolixior est ægritudo, maximè quando partes occupat altiores. Summum igitur remedium est, ut manus & pedes mulieris moderate fricentur cum oleo laurino, & naribus applicentur ea, quæ sunt grauis odoris, ut galbanum, opopanacum, castoreum, pix, lana combusta, pannus lineus combustus, & pellis combusta, & asa fœtida. Sed tamen oleis & unguentis, quę sunt odoris aromatici, debent uuluę earum inungi intus & extra: qualia sunt oleū muscellinum, & oleum nardinum; sed super omnia melior est inunctio facta cum zibeto. Hæc enim menstrua attrahunt, & prouocant. Præterea apponantur uentosæ in inguine, & pectine. Item in sero accipiat diaciminum cum succo apij, uel nepitę, uel cum syrupo de calamento. Vel Recipe castorei, piperis albi, costi, menthę, apij, ana drac. I. terantur, & distemperētur cum uino albo uel dulci, & da sero drach. III. Iustinus Medicus, contra hunc morbum pręcipit cīminū desiccari, & in potu dari drach. I. uel cochlearia duo. Pręcepit etiam uulpis priapum, uel caprioli accipi, & inde fieri puluerem, & per pessarium iniici. Ad idem multùm ualet radix leuistici cocta & trita cum axungia, & ligata super umbilicum.

De descensu Matricis. Cap. V.

SI contingat post partum, Matricem nimis de loco suo descendere inferius, calefiat auena prius humectata, & saccellata apponatur. Mouetur autem quandoque Matrix de loco suo, & quandoque descendit, & quandoque per uuluam egreditur foras. Et hoc contingit propter neruorum remollitionem, & frigidorum humorum abundantiam. Huiusmodi uero remollitio & infrigidatio contingit ex aere frigido per orificia matricis subintrante, ut quando mulier detecta se directè opposuerit aeri frigido. Vel si super lapidem frigidum diu sedeat. Quādoque contingit ex balneo aquæ frigidæ, quia per hoc debilitatur matrix, ideo exit de loco suo. Interdum etiam contingit conatum pariendi. Si descendit, & non exit foras, apponenda sunt naribus aromatica, ut balsamus, muscus, ambra, spica, storax, & similia. Sed inferius fumigetur rebus fœtentibus, ut est pannus lineus combustus, & similia. Fomentetur umbilicus, lana, uino & oleo infusa. Si uerò Matrix exierit, distemperentur aromatica cum succo absinthij: & ex eis inungatur uenter cum penna. Postea Recipe Rutæ, castorei, artemisiæ ana partes ęquales, & decoquantur in uino usque ad consumptionem duarum partium: deinde da in potu. Saccelletur uenter & umbilicus de frumēto cocto. Postea Matrix egressa, manu apposita restituatur usque ad locum suum concussa. Postea Mulier intret aquam, in qua cocta sint balaustiæ, rosæ, cortices mali granati, gallæ, sumach, myrtilli, glandes, folia & cortices quercus, & nuces cupressi, & lenticula. Deinde fiat stupha, quæ multum ualet. quia Galenus præcepit eis facere stupham de buxo posito in olla super carbones uiuos: & Mulier sedeat desuper cooperta, & fumum intra se recipiat. Dieta sit frigida & stiptica, sine cimino, pipere, & sine omni acumine. De fructibus comedat coctana, mespila, sorba, mala acria, & similia. Bibat uinum temperatum stipticitate participans. Experimētum probatissimum ad Matricem egressam. Recipe pulueris de corde cerui, foliorum lauri, ana drach. I. myrrhæ, scrup. I. distemperentur trita cum uino, & dentur potanda: & sic Matrix reuertetur in suum locum.

De motu Matricis ex suo loco, quæ tamen non eleuatur, neque deprimitur. Cap. VI.

ALIQVANDO mouetur Matrix de loco suo, non tamen sursum eleuatur uersus spiritualia, nec per orificiū egreditur foras, neque descendit. Cuius signum est: quòd Mulier sentit dolorem in sinistro latere, menstruorum retentionem, distorsionem membrorum, difficultatem mingendi, torsiones, & rugitus uentris. Accipe ergò econtra apium, & fœnum græcum & trita cum uino da potui. Aliud. Recipe agaricum, semen plantaginis, atque satureiæ: pulueriza, & da in potu cum uino, uel melle cocto. Ad hoc ut uulua non moueatur de loco suo, & ut nulla duritia molestetur. Recipe medullæ cerui, adipis anserini, ceræ rubeæ, butyri, ana unc. II. quibus addendo fœnum græcum, semen lini, coquantur in aqua ad lentum ignem usque ad plenam decoctionem, & iniiciatur per pessarium. Istud enim est utile contra plures morbos oris Matricis.

De nimia caliditate Matricis. Cap. VII.

CONTINGIT quandoque matricem distemperari in caliditate, ita quòd maximus ardor & calor ibi sentiatur. Cura hoc modo. Recipe opij scr. I. adipis anseris scr. I. ceræ, mellis, ana scr. IIII. olei unc. I. albumina duorum ouorum, & lac Mulieris: commisceantur, & iniiciantur per pessarium.

De Apostemate Matricis. Cap. VIII.

QVANDOQVE nascūtur in Matrice inflationes, & apostemata diuersi coloris. Si à felle exiēs cholera

lera causa est apostematis, tuc febrē habet & cancrū. Si à frigidis humoribus causa fuerit, tumidū & durū est apostema, & sentit Mulier in coxis, anchis, & tibijs grauedinem cum multo dolore. Aliquando nascuntur ibi apostemata ex uentositate, uel ictu, uel alijs læsionibus. Vel ex eo, quòd nunquā menstrua deficiunt. Si nascuntur in eminentiori, uel anteriori parte Matricis, dolor sentitur circa uuluam, & inde nascitur strangiria. Si apostema fuerit interius in orificio matricis, dolor sentitur circa umbilicum, & renes. Si in parte posteriori, dolor sentitur in dorso sub costis, & uenter constipatur. Si de sanguine, uel cholera rubea sit natum apostema: febris adest continua, uel acuta, sitis, & dolor nimius. Si ergo sit de calida causa, expedit, ut ungantur Muliebria, & trahatur sanguis à uena, quæ cadit sub pede (sicut asserit Galenus) non de manu. Quia nociuum esset in passionibus matricis sursum trahere sanguinem, auferrentur enim menstrua. propterea ab inferiori parte trahatur sanguis iuxta uirtutem patientis. Et si fortis fuerit Mulier, ut possit sustinere, bis in die minuatur. Postea accipiat in potu aquam eorum, quæ mitigant caliditatem. ut est succus morellæ, plantaginis, semperuiuæ, cassilaginis, mandragoræ, & similium. Fiat etiam emplastrum, quod mitiget dolorem, & confortet uirtutem. ut de succo portulacæ, semperuiuæ, psiliæ, plantaginis, scariolæ, & oleo rosato. Postea apponantur maturatiua. ut semen lini cum butyro, malua, & fœnugræcum, cocta cum adipe anseris, uel gallinæ, albumen oui, melilotum. De his simplicibus, uel compositis fiat pessarium. Item dicit Galenus, quòd multum prodest sedere in aqua, ubi cocta sit spica. Paulus docet fieri pessarium ad duriciem Matricis, & in uersionem eiusdem, & inflationem, & uentositatem à corpore eijciendam. Recipe medullæ uituli, adipis caponis, meliloti, taxonis ana ad pondus XII. denariorum. medullæ cornu cerui, scr. III. adipis anseris, gallinæ, ana drac. II. mellis drac. II. hysopi, ceroti ad pondus VII. denariorum. Omnia terantur, & commisceantur, & distemperentur cum lacte mulieris, & oleo rosaceo, & inijciatur per pessarium, & fiat inde emplastrum. Si frigidum sit, & generatum ex grossis humoribus, Recipe fœnum græcum, melilotum, semen lini, & rutam: coquantur in aqua, & de substantia fiat emplastrum, & succus pessarizetur. Sæpe utatur balneis & emplastris. Dieta sit subtilis, ut grossicies humorum attenuetur. Et si ad saniem uolueris apostema ducere, apponantur maturatiua, & cutē rumpentia, ut sanies effluat. sicut semen lini, fœnum græcum, farina hordei, cocta simul cum farina tritici, uel fabæ cum fimo columbarum syluestrium cocta. Si autem apostema crepuerit, & sanies inde effluxerit in uesicam, bibat lac caprinum, uel asininum: & fiat pessarium de ptisana, & melle, & inijciatur in matricem.

De Vlceribus Matricis. Cap. IX.

VLCERATVR quandoque Matrix de acumine medicinæ, uel materiæ. Quandoque ab exorsu. quod cognoscitur per saniem egredientem, & dolorem, & punctionem matricis. Si uulnera sint ex sanie, uel corrosione uenæ, sanies uergit aliquantulum in nigredinem cum fœtore horribili. Primò ergo debent apponi mundificatiua saniei, & dolorem mitigantia. ut est succus morellæ, & plantaginis, cum oleo rosaceo, & albumine oui, cum lacte mulieris, & cum succo portulacæ, uel lactucæ, quę sint frigidæ naturę. Dieta sit frigida. Balneetur in aqua, ubi cocta sint rosæ, myrtus, fœnum græcum, psidia, lenticula, galla, balaustiæ, & similia. Si uerò uenæ putrefactæ sint, detur sanguis draconis, uel myrrha, uel bolus, uel thus, uel aristolochia longa. & de his simplicibus, aut compositis fiat clystere, uel pessarium. Nec minus ualet acacia, cum lino per pessarium iniecta.

De Pruritu Vuluæ. Cap. X.

PRVRITVS Vuluæ si fuerit, accipe camphoram, lithargyrium, baccas lauri, & albumē oui, & fiat pessarium, uel clystere. Galenus dicit, quòd puluis fœnugræci cum sanguine anseris, ualet ad duriciem matricis. sicut testatur Hippocrates.

De impedimento Conceptionis, & de his quæ faciunt ad impregnationem. Cap. XI.

QVAEDAM Mulieres sunt inutiles ad concipiendum: uel quia nimis tenues sunt & macræ: uel quia sunt nimis pingues, in quibus caro circumuoluta orificio matricis, constringit eam, nec permittit semen uiri in ipsam intrare. Quædam habent matricem ita lenem & lubricam, quòd semen receptum nequeat in ea retineri. Quod contingit quandoque uitio uiri, qui habet semen nimis tenue, quod infusum matrici, liquiditate sua foras labitur. Quidam etiam uiri testiculos habent ualde frigidos, siccos: illi rarò, aut nunquam generant: quia semen eorum est inutile generationi. Manifestum est igitur, quòd Conceptio impeditur tam uitio uiri, quàm mulieris. Si uitio mulieris, hoc dupliciter contingit. Vel ex nimia matricis caliditate, uel humiditate. Matrix enim quandoque sua lenitate præter naturam sperma iniectum retinere non potest. Et quandoque præ nimia sui humiditate sperma suffocat. Et quandoque ex nimia caliditate matricis semen comburente, nequit concipere. Si ergo præ nimia caliditate & siccitate matricis mulier non posset concipere, hæc erunt signa. Labia uuluę apparent ulcerata, & tanquā Boreali uento excoriata cum maculis rubeis: adest & sitis assidua, & casus capillorum. Hæc ergo cum uideris, & mulier 30. annos habuerit, incurabilem iudicauimus. Si autem fuerit iuuencula, neque passio

diurna,sic ei subuenias. Accipe maluam,artemisiam,& in aqua decoque, & cũ tali decoctione ter uel quater fumiges patientem : inter quas fumigationes,suppositoria,& etiam pessaria uuluæ cum oleo muscellino,& modico musco facies,ut matrix confortetur. Sed in die septimo post purgationem , uel fumigationem factam,accipe de trifera magna ad modum glandis , & inuolue in bombace , & inde suppositorium facies uuluæ,ut beneficio talis suppositorij & tot fumigationibus recipiat aliquam confortationem, lenitatem,& lanuginem. In sequenti uerò die eam facies cum uiro coire. Eadem quoque cura sequenti septimana,si expediat,utaris , faciendo suffumigationes prædictas,& alia,ut diximus,beneficia adhibendo. Hoc facies,quousque prædicta symptomata remittantur:& eã bis,uel ter facies coire in hebdomada,quia sic citius poterit impregnare. Si uerò præ nimia humiditate matricis concipere non possit,hæc erunt signa. Oculos habebit lacrymosos assiduè. Cùm enim matrix crebro per neruos alligata sit,necesse est, ut cerebrum matrici compatiatur:unde si matrix nimiam in se habet humiditatem,ex eà cerebrum impletur,quæ ad oculos redundans,eos inuoluntariè cogit emittere lacrymas . Et quòd cerebrum matrici compatiatur,signum est alienatio matricis ex menstruorum retentione . Purgetur ergo in primis cum Theodoricon eruptio. Tumque tres uel quinque pilulas de eodem Theodorico, uel Paulino præcipimus fieri,etiam in bombace,ne dissoluantur,inuolui,& quantum prudenter possibile per pudenda intromitti. Si uerò matrix non bene purgata fuerit,in alio die eodem modo pessarium de trifera , cum modico musco ei facies . Et hoc tam diu continuabis,donec à superfluitate,humiditatem euacuatam cognoueris. Et postea accipe parum de musco cum oleo muscatellino,uel alio odorifero : quod iterum per uuluam intromittatur. Et si bene purgata fuerit,sentiet odorem in ore : unde si quis eam oscularetur,crederet eam muscum in ore tenere . Item si sitim propter hanc purgationem habuerit,scias eam bene purgatam esse : quare ita purgata frequenter coeat,& concipiet . Quòd si uitio uiri impediatur conceptio, fit hoc aut defectu spiritus sperma impellentis , aut defectu spermaticæ humiditatis , aut defectu caloris. Si ex defectu caloris,signum est quòd non appetit coitum. Vnde oportet talibus renes inungere cum arrogon. Vel accipe semen erucæ,& euforbium,& in puluerem subtilem redige,& cum oleo muscatellino & pulegino misceas,& inde renes inungas. Si autem fiat defectu spirituum , signum est,quia appetit, sed non erigitur uirga. Cui succurrimus cum unguento multorum spirituum generatiuo. Si uero defectu spermatis, signum quia cum coit, nihil,aut parum seminis emittit. Huic subuenimus cum augmentantibus & generantibus sperma,ut sunt cepæ,pastinacæ domesticæ, & similia. Si mulier fuerit sterilis, aut uir,hoc modo percipies. Accipe duas ollas , & in utranque pone cantabrum,& in unam earum cum cantabro infundas de urina uiri,& in alteram de urina mulieris : & sic ollæ permittantur per nouem, uel decem dies. Et si sterilitas fit uitio Mulieris,inuenies uermes multos,& cantabrum fœtidum in eius olla. & econtrà habebis indicia similia ex altera urina,si sterilitas fi uitio uiri. Si uerò in neutra urina talia signa uideris,neuter erit in causa sterilitatis : ideo tunc poterunt medicinę beneficio adiuuari,ut concipiant. Vnde si uolunt concipere masculum,uir accipiat matricem & uuluam leporis,& faciat exiccari, & puluerizatum distemperet cum uino,& bibat. Similiter mulier faciat de testiculis leporis, & in fine menstruorum iaceat cum uiro suo,& tunc masculum concipiet. Aliud remedium est. Accipiantur epar,& testiculi parui porci,quem solum scropha edidit,& siccentur : fiat inde puluis,& detur in potu masculo uel mulieri non potentibus generare,& concipient. Item si Mulier uult impregnari,accipiat testiculos uerris, uel apri,& faciat desiccari,& in puluerem redigi,de quo Mulier cum uino,bibat post purgationem menstruorum : deinde coeat cum uiro,& concipiet . Nota,dicit Galenus,quòd mulieres, quæ habent uuluas angustas,& matrices strictas,non debent uiris uti , ne concipientes moriantur. Sed cùm non omnes illæ possint abstinere,indigent nostro auxilio. Ideo si illarum quædam ob periculum mortis non auderet cõcipere,illa secum carne nuda ferat matricem capræ,quæ nunquam habuit fœtum. Inuenitur lapis quidã dictus Gagates,qui gestatus in collo,uel etiam gustatus, prohibet conceptionem . Item accipe mustelam masculum,& auferantur ei testiculi , & relinquatur uiuus : hos testiculos ferat secum Mulier in sinu suo, & liget eos in pelle anserina,uel in alia pelle,& non concipiet . Si autem læsa fuerit in partu , & præ timore mortis non uult amplius concipere,ponat in secundina tot grana cataputiæ,uel hordei , quot annis uult sterilis permanere. Et si in perpetuum uult sterilis permanere, plenam manum imponat.

De formatione Seminis concepti. Cap. XII.

PRIMO mense fit purgatio sanguinis. Secundo fit expressio sanguinis & corporis : tertio,ungulas & capillos producit. Quarto,motum:& ideo nauseant mulieres. Quinto accipit fœtus similitudinem patris,uel matris. Sexto,neruorum constrictionem. Septimo,ossa & neruos confirmat. Octauo, mouet natura,& infans rerum beneficio repletur. Nono,à tenebris procedit in lucem.

De situ Fœtus in utero matris. Cap. XIII.

REFERT Galenus , quòd ita ligatur fœtus in matrice , sicut fructus in arbore : qui cùm procedit à flore,tenerrimus est,& ex qualibet occasione corruit:sed cum adultus fuerit,& aliquantulum maturior, & firmatus adhæserit arbori , non de leui occasione corruet . Cùm autem totaliter maturior fuerit, per se, & non alia occasione decidet. Sic cum primo educitur infans ex semine concepto,tenera & non firma sunt eius ligamenta quibus alligatur matrici,& ideo de leui emittitur per aborsum. Vnde Mulier

propter

propter tussim, diarrhœam, uel dysenteriã, uel motum nimium, uel iram, uel minutionẽ sanguinis potest fœtum amittere. Cùm uero infusa est anima in puero, paulò firmius adhæret, neque citò labitur. Sed cùm puer maturauerit, naturę officio citò educitur. Vnde Hippoc. dicit, quòd si mulier indigeat purgatione uel minutione, hęc non facias ante quartũ mẽsem: sed in quinto, uel sexto potest purgari, uel minui, si necesse fuerit: sed tamen moderatè cũ cholagogo, uel apozimate, cum cautela, prout uirtus patientis poterit pati: ultra uero, & ante hoc tempus, periculosa erit euacuatio. Maturato tandem tẽpore partus, puer mouet se uehementius, & nititur ad egressum: cùm ipsius temporis natura uuluam aperiri facit: ut fœtus inueniat sui exitus libertatem: & ita fœtus, de cubili suo, scilicet de secundina, naturæ uigore expellitur.

De signis Impregnationis. Cap. XIIII.

AD cognoscendum, utrùm mulier gestet masculum, uel fœminam, accipe aquam de fonte, & mulier extrahat duas uel tres guttas sanguinis, uel lactis de dextro latere, & infundantur in aquam: & si fundum petant, masculum gerit: si supernatant, fœminam. Vnde dixit Hippoc. mulier quæ masculum gerit, bene colorata est, & dextram mammillam habet grossiorem: si pallida est, gerit fœminam, & sinistram mammillam habet grossiorem.

De Regimine pregnantium. Cap. XV.

MVLIER quando incipit impregnari, cauendum est, ne nominetur, coram ipsa quod non possit haberi. quia si postulauerit, & non detur ei, dat occasionem abortiendi. Quod si appeteret argillam uel cretam, uel carbones, dentur ei fabæ coctæ cum zuccaro. Instante autem tempore partus sæpe balneanda est mulier: & inungatur uenter eius cum oleo oliuarum, uel cum oleo uiolarum: & comedat cibos leues, & digestibiles. Si uerò pedes eius tumuerint, inungantur cum oleo rosaceo, & aceto. Et post cætera cibaria comedat uolatilia, citonia, mala granata. Et si uenter eius uentositatem distendatur, accipe seminis apij, ameos, mẽthę, ana drac. III. masticis, garyophyllorum, cardamomi, radices rubeę maioris, ana drac. III. castorei, zerloarię, ireos, ana drac. II. zucc. drach. V. fiat puluis subtilissimus, & conficiatur cum melle: & dentur ei scrup. III. cum uino; hoc enim materię aufert uentositatem, & aborsum prohibet, si prout decet, recipiatur.

De Regimine parturientis. Cap. XVI.

TEMPORE partus imminente, paret se mulier, ut mos est, Obstetrix similiter. Fiat quoque cum magna cautela sternutatio, constrictis naribus & ore: ut maxima pars uirtutis & spirituum tendat ad matricem. Deinde detur ei decoctio fœnigræci, mussilago lini, & psilij, uel parum theriacæ, uel diatessaron cum decoctione artemisię in uino. Itẽ de galbano cum asa fœtida & myrrha, uel ruta fiat trocisci, & inde fiat fumigium ad nares. Super omnia caueat sibi à frigore. Et non fiat suffumigatio aromatica ad nares, sed ad orificium matricis tutius potest apponi. quia matrix sequitur odorifera, & fugit fœtida. Ad hoc ualent species odoriferæ, ut muscus, ambra, lignum aloes, & similia pro diuitibus: item & herbę odoriferę, ut mẽtha, pulegium, calamentum, origanum, & similia pro pauperibus. Notandum, quòd sunt quædam physicalia remedia, quorum uirtus est nobis obscura, quæ ab Obstetricibus facta proferuntur. Teneat ergo patiẽs magnetem in manu dextra, & confert. Item rasuram eboris bibat. Item corallus in collo suspensus prodest. Similiter album illud quod inuenitur in stercore accipitris, datum in potu confert. Item in uentre hirundinis, siue in nido inuenitur lapis primogeniti, cuius lotura ad idem ualet, & ad alia multa.

De difficultate Partus. Cap. XVII.

SVNT autem quædam mulieres ita angustiosæ in officio partus, ut uix, uel nunquam se expediant: quòd ex diuersis causis solet prouenire. Quandoque enim calor extraneus superuenit circa interiora: unde ipsæ nimis angustiantur in partu. Quandoque nimis paruus est exitus matricis: uel quia nimis pinguis est mulier: uel quia fœtus est mortuus non iuuans naturam in suo motu. Et hoc multum contingit mulieri iuueni parienti in hieme: cùm naturaliter habeat orificium matricis strictum, quod propter frigiditatem temporis & aeris plus constringitur. Quandoque ab ipsa muliere, calor totus exhalat. unde sine uiribus relinquitur, ideo deficit in expediendo se à partu. Primò ergo si acciderit difficultas partus, ante omnia recurrendum est ad Deum. deinde ad inferiora descendendo, expedit mulieri difficile parienti, balneari in aqua, ubi coctæ sint maluę, fœnum græcum, semen lini, & hordeum. Inungantur latera, uenter, coxæ, & ilia cum oleo uiolarum, uel rosarum. Fricetur fortiter, & detur ei in potu oxyzaccara, & puluere menthæ, & absinthij, drach. I. Prouocetur sternutatio cum puluere thuris naribus imposito, uel cum puluere candisi, piperis, uel euforbij. Ducatur mulier lento passu per domum. Et qui assistunt, non respiciant eam in uultum: quia mulieres solent inde uerecundari in partu, & post partum. Si autem puer non egrediatur eo ordine, quo debet, ut si prius tibiæ, uel brachia exeant: assit obstetrix cũ parua & suaui manu, humectata in decoctione seminis lini, & fœnugræci, reponẽdo puerũ in locum suũ, ordine recto. Si uerò puer sit mortuus, accipe rutã, artemisiam, absinthium, piper nigrum: & hęc trita da in uino, uel aqua ubi cocti sunt lupini. Vel teratur satureia, & ligetur super uentrem:

& exibit fœtus ſiue uiuus, ſiue mortuus. Idẽ facit uerbena potata cum uino, uel aqua, uel aceto. Vel accipiatur aqua ſalſa, uel roſata, & lac aſinæ ana, & detur ad potandum. Vel accipiatur butyrum cũ melle & uino, & detur ab bibendũ. Quòd ſi adhuc tardetur partus, uel ſi fœtus mortuus ſit in ea, & non liberetur: accipe rutã, artemiſiam, opoponacũ, abſinthiũ cum modico oleo, & pauco zucc. terãtur, & ponantur ſuper inguina, uel ſuper umbilicũ: & melius ualet. Itẽ cingatur mulier de ſpolio ſerpentis, de quo ſerpẽs exuit. Idem operatur lapis Aetites, ligatus ad femur. Vel alligetur radix cucurbitę renibus eius, & auferatur quã citò fœtus exierit, nẽ Matrix exeat poſt egreſſum pueri. Pręterea difficulter parturiẽtibus ſubueniendum eſt hoc modo. Paretur balneũ, & intromittatur mulier: & poſt exitum fiat fumigium de ſpica, & ſimilibus aromatibus, ad confortandũ & aperiendum. Fiãt etiam ſternutatoria de helleboro albo in puluerem bene redacto. Dixit enim Copho: cõquaſſentur membra, & rumpãtur cotyledones, & ſic fœtus egredietur. Itẽ his qui multum laborant, pariẽdo fœtum mortuum, ſic ſuccurrendũ eſt. Ponatur patiens in linteamine, & tendatur à quatuor fortibus hominibus per quatuor angulos, capite patientis aliquantulũ eleuato, huc & illuc, ab oppoſitis angulis fortiter trahatur linteamen, & ſtatim pariet, Deo fauente. Si autem ſecundina intus remanſerit, properandum eſt ut exeat. Prouocetur ergo ſternutatio ore clauſo, & naribus. Aut fiat lixiuium de cinere facto de fraxino, cui admiſcendo pulueris ſeminis maluæ, drac. I. detur ei ad bibendum: & ſtatim uomet. Vel detur ipſe puluis de ſemine maluæ cum aqua calida: & ſi uomat, bonum eſt. Et ſuffumigetur ſubtus oculis de oſſibus piſcium ſalſorũ, uel de ungulã caballina, uel de ſtercore cati, uel agni: iſta enim ſecundinam educunt. Valet etiam decoquere ſemẽn lini in aqua calida, & dare ad bibendum. Idem facit bdellium cum uino. Si uerò ſanguis non exierit poſt ſecundinam, fiant ea quæ dicta ſunt ad menſtrua prouocanda. Quòd ſi contingat difficultas partus, ex conſtrictione orificij matricis, cuius cura grauior eſt inter omnes, ideo tale ſubiungimus conſilium. Prouideat ſibi mulier in tribus ultimis menſibus in dięta, ita ut utatur leuibus cibis & digeſtibilibus, ut per ea membra dilatentur: qualia ſunt uitella ouorum, carnes, & iuſcula pullorum, & minorum auium, ſcilicet, perdicum, phaſianorum, & piſcium ſquamoſorum cum bono condimento. Fiatque ei balneum ſæpius de aqua dulci, in qua ſi apponantur herbæ mollificatiuæ, ficiſ maturæ, & huiuſmodi: & melius erit. Sed fugiat balneum aereum & ſtupham. Et cùm de balneo exierit, inungatur unguentis calidis, ut oleo laurino, & oleo de ſemine lini, & axungia anſeris, uel anatis, uel gallinæ: & hæc inunctio fiat ab umbilico inferius cum prædictis unguentis calidis.

De regimine Infantis. Cap. XVIII.

INFANTIS aures premendę ſunt ſtatim: & hoc multotiens eſt faciendum. Poſtea obſeruandum, ne lac ſubintret aures, aut nares, cùm ablactatur. Et ligetur umbilicus tribus digitis à uentre menſuratis. Quia ſecundum retentionem umbilici erit uirga uirilis maior, uel minor. Et ut rectius loquatur, unge palatum cum melle, & nares cum aqua calida. Et factis unctionibus, ſemper mundificetur, & muſſilagines ſemper emungantur & emundentur. Puer præterea ſæpe eſt fricandus, & quælibet eius membra in unaquaque parte faſciâ ſunt retinenda, & iungenda: & rectificanda ſunt eius membra, caput uidelicet, frons, nares, uenter, & renes temperentur, ne multa ex eis exeat unctuoſitas, uel humiditas. Quòd ſi aliquid iſtorum appareat, diutius â ſolita faſciatione cogatur abſtinere, & diutius dormiat. Poſtea uerò in aqua calida balneetur, & ad ſuam conſuetudinem reducatur: & ſi opus, de medicinis ſoporiferis parum detur, ut dormiat. Cutis eius æqualiter eſt mouenda: quod etiam conſueuit fieri poſt mammillarum ſuſceptionem. In principio natiuitatis oculi cooperiendi ſunt: & ſummopere cauendum eſt, ne ſit in loco lucido. Ante ipſum ſint diuerſæ picturæ, panni diuerſi coloris, margaritæ. Coram eo cantilenis, & facilibus utendum uocibus, nec aſperis uocibus cantandum, neque raucis, ſicut bombardis. Poſtquam hora loquendi appropinquarit, nutrix eius linguam frequenter cum melle & butyro ungat. Et hoc maximè faciendum eſt, cùm loquela tardatur. Ante eum frequenter eſt loquendum, et facilia uerba proferẽda. Cùm uerò tempus natiuitatis dentium uenerit, gingiuæ ſingulis diebus cum butyro & axungia gallinæ ſæpe fricandæ ſunt, & aqua hordei liniendæ, gula & ſphondylia inungenda. Quòd ſi uenter eius laxabitur, ſuperponatur emplaſtrum quod fit ex cimino, & aceto: & admiſceatur zuccarum, gummi arabicum, bolus armenus, & ſimilia. Si uerò uenter cõſtringitur, fiat ei ſuppoſitorium de melle, & bombace, & ſtercore muris, & ſupponatur. Cùm tempus aduenerit, in quo comedere incipiet, dandæ ſunt infanti magdaleones ad modum glandis, facti de zuccaro, & ſimilia, ac lacte, quos poſſit in manu tenere, & cum eis ludere, & de eis ſugere, & aliquid tranſglutire. Caro, quæ eſt in pectore gallinarum, & phaſianorũ, & perdicum eſt ei tribuenda. Et poſtquàm bene capere cœperit, mammillarum ſubſtantiam mutare incipiens, eas in nocte ſugere non permmitas. Ita & in die ordinatè ducendus eſt, bene obſeruando, ne tẽpore calido à lacte remoueatur. Si unum membrum pueri ſit maius alio, ad bonam habitudinem ſic poteſt reduci; ſi talis diſpoſitio fuerit recens; quia inueterata nullo modo reducitur. Fomentetur ergo primò cum decoctione brãcę urſinę, radicis altheę, foliorũ apij, petroſelini, & marathri, diutius bulliẽdo in aqua. & mẽbrum patientis ponatur ſuper uas, & cooperiatur panno lineo, ut ſudet. Poſtea camomilla, & althea incoquantur, & in illa uiſcoſitate malaxetur cera, & totũ membrũ inde cooperiatur. Poſtea ligetur faſcia linea ſtrictè, & ita mẽbrum patientis ſudet per noctem unam: manè uerò fricetur, ut ſpiritus excitetur, & fluãt ad locum doloroſum. Quo facto, fricetur ſtatim cum dialthea, ita compoſita, ut ſint duæ partes dialtheæ &

tertia de oleo laurino: commisceantur, & ungatur membrum prędicto modo ter uel quater in die. Tunc quoque accipe diacetraseos, ceroneū, oxycroceum, & adinuicē puluerizentur. Deinde decoquatur althea, & puluis ille malaxetur cum illa uiscositate, quousque bene adhæreat: & membrum totum patientis cooperiatur, & fascia ligetur. Et sic fomentando, & emplastra ponendo poterit alleuiari. Quibus factis, injungatur requies & otium, & utatur calida & humida dięta, optimo uino, & mediocriter rubeo, quod bibat quousque curetur. Insuper & balneo aquæ dulcis utatur.

De electione Nutricis. Cap. XIX.

IVVENEM oportet esse nutricem, clarum colorem cum albedine & rubore permixtū habentem, quę nō sit partui uicina, neque multùm à partu remota. Nō sit maculosa. Nec infirmos, neque nimis grossas habeat mammillas: pectus grossum & amplum: pinguis sit mediocriter. non comedat salsa, nec acuta, nec acetosa, nec styptica, nec porros, aut cepas: neque cęteras species quę admiscentur cibarijs pro sapore, ut piper, allium, erucam: & pręcipuè uitet allium, sollicitudinem: ac sibi à menstruorum prouocatione caueat. Et si lac minuatur, pultes de farina fabarum, & similiter risi, & de pane similę cum lacte & zuccaro factæ, dentur ei ad sorbendum: quibus augmentetur lac, in quarum decoctione parū de semine fœniculi admisceatur. Si autem lac eius fuerit grossum, nutrimentum ipsius subtiliandū erit, & ita etiam cogatur laborare. Cui insuper dādus est syrupus acetosus, & uinū subtile. Si uerò lac eius fuerit subtile, nutrimēta sint grossa & fortia, et somnis utatur lōgioribus. Quòd si uenter pueri solutus sit, dētur nutrici quę cōstipant.

De his, quæ Mulieribus sæpe post partum accidunt. Cap. XX.

ACCIDIT mulieribus sæpe dolor post partum. Matrix tūc, tanquā fera syluestris, propter subitā euacuationē quasi uagando huc & illuc declinat. Vnde uehemens efficitur dolor. Accipe ergo cimas sambuci, & tere: ac succo extracto, cum farina hordei, & albumine oui distempera, & inde fac crispellas cū sanguine ad comedendum: & uinum calidū in quo ciminum bullierit da ad bibendum. Vel si post partū matrix doleat, Accipe storacis, calaminthę, thuris, semē apij, ana drac. I. semen racemorum nigrorum, drac. II. ponantur super carbones uiuos, & suffumigetur. quia multùm confert. Sunt quędā, quę ex grauitate partus incidunt in rupturam pudendorum. Vnde Recipe radicem consolidę maioris exiccatam, ciminum, & cinnamomum: fiat puluis, & injciatur in uuluam, & consolidabitur. Item quibusdam mulieribus in pariēdo malè accidit, propter defectum assistentium. Sunt enim quędā, quibus uulua & anus fiunt unum foramen, & idem cursus, unde istis exit matrix, & indurescit. Quibus in reponendo sic subuenimus. Matrici uinum calidum apponimus, in quo bullierit butyrum: & diligenter fomentamus, quousque matrix efficiatur mollis, et tunc suauiter eam reponimus. Postmodū rupturam intra anū et uuluam tribus locis, uel quatuor suimus cum filo de serico: postea pannum lineū uuluę imponimus ad quantitatem uuluæ. Deinde pice liquida linimus. hoc enim facit matricem retrahi, propter sui fœtorē. Demum sanamus rupturam cum puluere facto de cōsolida maiori, & minori, & cimino. Huiusmodi autē puluis superaspergēdus est: & collocetur mulier in lecto, ita ut pedes altiores sint, & ibi omnes operationes suas per octo uel nouem dies faciat: & quantū necesse fuerit, māducet: ibi egerat, & omnia assueta faciat. Hanc prætereà oportet abstinere à balneo, usque quò uiderit, quòd balneū sustinere possit. Debet quoque abstinere ab omnibus, quæ tussim faciunt, & ab indigestibilibus. Ad prædictum igitur periculum euitandum, eis in partu diligētissimè sic prouidendum est. Præparetur pannus in modum pilæ oblongæ, & ponatur in ano ad hoc, ut in quolibet conatu eijciendi puerū, illud firmiter ano imprimatur, ne fiat huiusmodi cōtinuitatis solutio.

Sunt quędā, quibus post partū retinetur secundina. Ad illius expulsionē accipimus succū porri, & distemperamus cum oleo pulegino, uel muscatellino. Vel damus succū boraginis ad potandum. & statim educitur. quia fortasse uomet, & ex conatu uomendi educitur. quia succus ille uim habet talē, qua sufficit ad eius expulsionem. Sunt quædam, quibus muliebria uentum suscipiunt, qui inclusus dolorem & tumorem facit. Istas fomentamus cum decoctione sinapis, uel rapæ. Quibus quandoque partes illæ pruriunt: quas scalpendo excoriant: unde quandoque oriuntur pustulæ, quæ maximam inferunt læsionem. Ideo partes illas ungimus cum unguento, quod ualet contra usturas ex igne, uel aqua calida factas. Vnde ad huiusmodi excoriationes, Recipe pomum unum, bolum armenum, masticem, olibanum, oleum, uinum calidum, ceram & sepum. Et conficimus sic. Pomum mundatum ab interioribus & exterioribus corticibus, tritum ponimus ad ignem in olla cum oleo, cera, & sepo: & cùm bullierit, masticem, & olibanum puluerizata imponimus. Postea facimus colari per pannum. Notandum, quòd si aliquis propter usturam hoc unguento unctus fuerit, loco inuncto folium hederę coctum in uino, uel aceto, uel gladioli folium debet superponere. hoc enim remedium est honestum. Idem uentus per uuluam ingressus, ut supra diximus, & receptus in dextram partem, uel sinistram matricis, tantam generat uentositatem, quòd quasi ruptæ uel iliacę appareat. Vnde communiter Trotula uocata fuit, quasi magistra operis. Cū enim quędam puella debēs incidi, propter huiusmodi uentositatē, quasi ex ruptura laborasset: cum eam uidisset Trotula, admirata fuit quamplurimum. Fecit ergo eam uenire in domum suam, ut in secreto cognosceret causam ægritudinis. Qua cognita, quòd non esset dolor ex ruptura, uel inflatione matricis, sed ex uentositate: fecit hoc modo ei fieri balneum, in quo coquebantur malua & paritaria:

& eam intromisit : ac eas partes frequenter & satis planè tractauit mollificando : & diu fecit eam in balneo commorari : & post exitum à balneo faciebat ei emplastrum de succo tãpsi barbati, & rapistri, & farinã hordei : & totum illud ad ipsam uentositatem consumendam calidum apposuit : & iterum balneo prędicto insistere fecit, & sic curata remansit. Quibusdam post partum accidit immoderatus fluxus sanguinis. Quibus subueniendo extrahimus succũ artemisiæ, saluiæ, pulegij, persicariæ, & aliarum herbarum huiusmodi. & facimus crispellas, damus ad comedendum : et collocamus eas frequenter ad balnea : & hoc modo restringendo sanguinẽ eis subuenimus. Vel aliter. Accipe argillam, & distempera cum aceto : & fiat emplastrum ad epar in dextro latere. Et si fluxerit sanguis per nares, de hoc emplastro ponimus supra frõtem, & tempora, ex transuerso tempora & frõtem attingendo. Et nota, quòd fluxus per nares non fit, nisi quando peperit filium. Sunt & aliæ quæ laborant exitu Matricis post partum. Quibus bene succurrendo, Recipe artemisiam, pulicariam, iuniperum, camphoram, absinthium : decoquantur in aqua ; & fiat balneum, in quo sedeat usque ad mammillas. Postea suauiter ponatur ad lectum : & iaceat suspensa pedibus, ut matrix conuertatur in locum suum. Intromissaque matrice, Recipe puluerem pulegij, galangæ, spicænardi, nucis mũscatæ, garyophyllatę : misce, & distempera cum oleo muscellino, uel pulegino. Et accipe pannum lineum ueterem, rarum, & subtilem, & intus liga hos pulueres, formando ad modum pilæ. Et matrice intromissa, os uuluæ cum dicta pila obstrue, ut matrix iterum non exeat : & pilam ibi cum fascia superliga, ut non possit exire : & facias transire retrò usque ad renes & intra ilia, & ibi ligetur. Sed antequam ibi ligetur, fiat tale emplastrum super renes. Recipe nasturtij, baccarum lauri, thuris, cinnamomi, ana q. s. omnibus puluerizatis, & ad ignem calefactis, distemperatisque cum melle fiat emplastrũ, quod adhuc calidum super renes ponatur, ligãdo fascia, cum qua ligata est pila uuluę, firmando emplastrũ & pilam fortiter, ut moueant. Et ipsa iaceat supina per nouem dies, & amplius si fuerit necesse. Neque se moueat, nisi causa magnæ necessitatis. Et da ei talem diętam, ut per decem dies non eat ad sellam, uel ad urinam faciendam sæpe. Item in exitu uuluæ post partum imponimus plumaceolum, comprimendo ut non exeat, nisi cùm mingit. Tertio uerò die facimus balneum : & in posterioribus facimus insufflari sequẽtes pulueres ne tumescãt. Recipe zinziber, pyrethri, cinnamomi, ana fiat puluis. Ad hæmorrhoides inatas uitio partus : Recipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, corticem cassiæ fistulæ. coquantur fortiter in uino : & inde fiat balneum. Et cùm exierit de balneo, accipe puluerem aloës : confice cum oleo muscellino, uel pulegino, & intinge bombacem, et suppone. Quibusdam accidit dolor mammillarum ex lacte. Accipe argillam, distemperetur in aceto, & fiat emplastrum : dolorem sedat, & lac cõstringit. sed prius locum aqua calida fomentabis. Item nota, quòd dolor, qui accidit in mammillis puellarum, de facili trãsit. Quoniam hæc passio menstruis erumpentibus sanatur, quòd in quibusdam puellis morbo caduco laborantibus, fit ex suffocatione matricis compressis spiritualibus. Contra apostema autem mammillarum fac emplastrum de malua, uisco, absinthio, artemisia, & cum axungia distemperetur. Et cùm caput apparuerit, contere nucleos, & appone. & si non rumpitur, cum phlebotomo aperiatur : & exprime parum in principio, ne ex subita euacuatione fiat peius. Et tunc impone licinium singulis diebus bis, uel ter illinitũ uitello oui ; aut & melius, unguẽto facto ex butyro Maij, uitello oui, & terebinthina : quod est mirabile, & benignum. Quòd si locus iste fuerit fistulatus, cum cura hac poterimus subuenire. Recipe radicem mundatam hellebori nigri, & intinctam oleo, uel melle impone ; & puluerem de lappa combusta superasperge : id enim omnem fistulam mundat, & mortificat, dum modò inter ossa non fuerit. Ideoque ibi debet poni, quousque mortificetur & desiccetur. Postea uulnus curetur.

De mala complexione calida & frigida Matricis. Cap. XXI.

VT igitur à nobis de curatione Mulierum compendiosa fiat traditio, notandum est, quòd quædã mulieres sunt calidæ, quædam frigidæ. Ad quod tale fiat experimentum. Licinium cum oleo pulegino, uel laurino, uel alio oleo calido inungamus : & illud in quantitate parui digiti uuluæ intromittamus de nocte quando uadit dormitum : & ligetur cum filo forti circa crura. Quòd si intus attractum fuerit, datum est nobis indiciũ, quòd laborat frigiditate. Si uerò expulsum fuerit, scimus eam laborare caliditate. Sed in utraque causa subueniendum est hoc modo. Si de causa laborat calida, supponatur suffumigium de herbis frigidis in hunc modum. Quoniam contraria contrarijs curantur. Ponamus igitur maluas, uiolas, & rosas in aqua, & istarum decoctione fumigamus. Si uero frigidate laborat, quod melius est, pulegio, folijs lauri, & persicaria mulieri faciamus fumigium, similiter pessarium : & sic abundantia humorum mundificata, habilis erit ad concipiendum. Postea faciamus fumigium fœminis, quod miro modo confortat. Recipe garyophil. spicæ nardi, storacis, calaminthæ, nucis mũscatæ : & ponãtur in testa oui super carbones uiuos paucos, & paretur sella perforata, ut totus fumus ad interiora redundet.

De dolore Matricis. Cap. XXII.

AD dolorem Matricis prouenientem ex duritie ipsius ; Accipe saxifragiam, cretam marinam, caules ueteres, artemisiam, maluam, radicem spargi : omnes herbas coque in aqua fortiter, & fac in his sedere patientem, usque ad mammillas. Et cùm exierit, pista maluam, artemisiam, camphoram, & eas pistoratas in olla calefacias : & informa magdaleones cum pauco oleo laurino, uel pulegino : & suppone. Contingit &

dolor

dolor Matricis ex aborsu, uel ante tempus ex retentione menstruorum. Quod fit sæpius ex frigiditate, raro autem ex caliditate. Si ex frigiditate, signum est dolor, & punctura sinistri lateris. Tunc accipe pulegium, origanum, nepitam, lauri frondes, uel grana, & maluas, in aqua bene fac bullire: & inde patientem fomenta. Postea accipe garyophyllos, spicam nardi, nucem muscatam, galangam: & fiat suffumigatio, & per embotum fumum recipiat. Deinde triferā magnam, uel potionem S. Pauli in modum auellanę, suppone cum bombace. Si autem ex calore fit, tunc usu Veneris matrix desiccatur, & calefit. Signum huius est, quòd ardor nimius circa partes illas est. Ideo accipe maluam, herbam uiolarum, flores rosarum, radices iunci: coquantur fortiter in aqua, & in eis fomentetur patiens: & eidem trifera Sarracenica omni die supponatur.

De fluxu Matricis. Cap. XXIII.

SVNT quædam Mulieres, quæ fluxum patiuntur Matricis instar spermatis, ut sunt quędam uetulæ, fluxum saniosum emittentes. Quibus prouocando menstrua subueniendum est, cùm sunt steriles. Sūt & aliæ steriles, simili modo saniem educentes. Hoc itaque est in consueto tempore eis adueniente. Cùm enim eis menstrua negantur, loco mēstruorum, propter earum frigiditatem saniem emittunt, ac si ab epate fluxus descenderet. Quibus sic subueniendum est. Faciamus eis fumigium ex uino: uel aqua, in quā coctæ sint herbę calidę, quales ponemus infrà de stranguria & lapide. Postea distemperemus triferam magnā in oleo pulegino, uel muscellino, & in pāno lineo, uel lana succida, uel bombace inuoluamus, & uuluę imponamus. Sunt & aliæ iuuenes, quæ eodem modo laborant, propter defectum menstruorum; sed istæ liberantur menstruis prouocatis. Et notandum, quòd quædam mulieres calidæ, steriles factę sunt, nec laborant huiusmodi fluxu, sed siccæ tanquam uiri permanent. Sunt item quędam, quę fluxum saniosum habent simul cum menstruis. Quas facimus sedere super massam erucæ agrestis coctę in uino, panno lineo interposito: dummodo sit calida. Ad idem, Recipe pulegium puluerizatum, & in sacculo ponatur, qui in tantum longus & latus fiat, ut utraque pudibunda ligari possit: quem patiens ferre debet super uuluam ad fluxuum prohibitionem. Et priusquàm ligetur, debet ad ignem calefieri, ut confortentur tam anus, quàm uulua.

De carne in Matrice exorta. Cap. XXIIII.

SVNT quædam mulieres, quibus frusta carnis pendent in matrice. Et nota, quòd hoc eis contingit ex spermate intus retento, & inuiscato: quia post coitum se mundificant. Has igitur semper cum decoctione calida herbarum fomentamus.

De tussi acerrima Puerorum. Cap. XXV.

PASSIONI puerorum, quæ est quasi tussis acerrima, sic subuenimus: Accipe hysopum, serpillum & in uino decoque, & da ad bibendum. Vel grana iuniperi distemperamus cum uino, & damus ad bibendum.

De Sudore fœtido. Cap. XXVI.

SVNT quidam, qui habent sudorem fœtidum ultra modum. Istis facimus pannum in uino intinctum, in quo bullierint folia myrtilli, uel ipsa herba, uel ipsi myrtilli.

De dolore Oculorum. Cap. XXVII.

CONTRA dolorem oculorum accipe maluam, herbam uiolariam, summitates rubi, rosas siccas, uerbenam, silerem montanum: & oculos inde fomenta in sero, & fac emplastrum de eisdem herbis cum albumine oui, & superpone.

De tela Oculorum. Cap. XXVIII.

SI tela sit in oculo, accipe concham marinam, & olibanum, ana æqualibus partibus: combure, & os sepiæ non combustum pulueriza: & oculis impone bis uel ter in hebdomada. Si de phlegmate fuerit, accipe polium montanum, pulegium, folia lauri, origanum, carui: & inde oculos fomenta. Vnguentum ad idem. Accipe aloe epatici duas partes, olibani, gypsi, ana: de his duobus quantum de aloe epaticō, pulueriza subtiliter, & confice cum axungia recenti, & locum inunge.

De maculis Oculorum. Cap. XXIX.

AD maculas oculorum, quæ remanent post ruborem. Recipe carnis marinæ unc. II. olibani, ossis sepiæ, ana unc. ʒ. carnem marinam, & olibanum in puluerem redige; & os sepiæ subtiliter rade. fiat puluis, et oculis imponatur. Si patiens esset puer, distemperetur cum aqua rosacea, & oculis immittatur. Vnde quæ oculis præcipue ualent, his uersibus habes: Fœniculus, Verbena, Rosa, Chelidonia, Ruta: Ex his fiet aqua, quæ lumina reddit acuta.

De exitu Matricis propter disproportionem uirgæ uirilis. Cap. XXX.

SVNT & aliæ Mulieres, quibus Matricem contingit exire alia de causa, ut sunt illæ, quæ non possunt pati uirgam uirilem, propter sui longitudinem, uel magnitudinem, coactæ tamen patiuntur: sed matrix postea exit de loco, & indurescit. Quibus subuenimus, ut dictum est supra cap. 20. Vel accipe pannũ, & intingatur oleo calido, pulegino, uel muscellino, & imprimatur, uel illiniatur, uel imponatur uuluę: & ligetur quousque matrix calefacta recesserit per se. Sed caueat ab omnibus quæ tussim inducere possunt.

De inflatione Vuluæ. Cap. XXXI.

VVLVA mulieris quandoque inflatur ex coitu. Tunc sedeat in aqua decoctionis maluæ, altheæ, & pulegij, & liberabitur. Vel accipe pulegium, pulicariam, folia lauri: bulliant in aqua, in qua sedeat mulier: deinde fiat ex prædictis suffumigatio.

De ruptura Vuluæ. Cap. XXXII.

AD rupturam inferiorum partium post partum, accipe radicem consolidæ maioris: desicca eam bene, & pulueriza: & puluerem cimini subtilem, & cinnamomi etiam in uuluam inijce: & consolidabitur.

De dolore Vuluæ. Cap. XXXIII.

AD dolorem Vuluæ post partum, accipe rutam, artemisiam, camphoram: pista bene, & cum oleo muscellino, uel pulegino conficiantur: & calefacta in olla inuoluantur panno, & superponantur.

De Mulieribus mingentibus in lecto. Cap. XXXIIII.

MVLIERES quædam sunt, quæ nocte in lecto, uelint nolint, mingunt: quoniam meatus naturales paralysim patiuntur. Has igitur cum herbis calidis fomentamus.

De modo coartandi Matricem, ut etiam corrupta appareat uirgo. Cap. XXXV.

NISI de restrictione amplitudinis uuluæ, propter honestam causam liceret tractare, nullã de ea mẽtionem faceremus: sed cum per hanc impediatur aliquando conceptio, necesse est tali impedimento sic subuenire. Recipe sanguinis draconis, boli armeni, corticis mali granati, albuminis, masticis, gallarum, ana unc. I. uel unc. II. uel quantum uis singulorum, & in puluerem redige: & omnia simul in aqua calefacta conficiantur. & de hac confectione pone in foramen transiens in matricem. Vel Recipe gallarum, sumach, plantaginis, consolidæ maioris, aluminis, chameleæ, ana unc. I. Decoquantur in aqua pluuiali: & cum ista decoctione fomententur pudibunda.

De crassis Mulieribus, & gracilibus. Cap. XXXVI.

SVNT quædam mulieres, quibus non committitur carnale commercium: tum, quia uoto, tũ quia religione tenentur, tum quia uiduæ sunt. Nam quibusdam mulieribus non licet ad secũda uota transire: quę cum uoluntatem habeant coeundi, & non coeunt, ideo incurrũt grauem ægritudinem. Illis igitur fiat tale remedium. Accipe bombacem, & oleum muscellinum, uel puleginum, & inunge, & uuluę impone. Quòd si tale oleum non haberes, accipe triferam magnam, & cum modico uino calido resolue, & cum bõbace, uel lana succida uuluæ impone. Hoc enim bene castigat, & refrænat luxuriam, dolorem eius & pruriginem sedans. Nota, quòd in hoc casu nullum pessarium est administrandum, ne matrix longa abstinẽtia restricta lędatur: quoniam os matricis, uuluæ coniungitur ut ori labia: nisi fiat conceptio. tunc enim retrahitur matrix. Alia enim est cura, qua reddimus matricem aptam ad concipiendum. Sed quoniam quędam sunt crassæ, quasi hydropicæ, & quædam graciles: tam illę, quàm alię ineptę sunt ad concipiendum. Vtrisque ergo diuerso modo subueniendum est. Vnde si fuerit phlegmatica, & crassa, faciamus ei balneum de aqua marina, & salsa. Ad moderationem tamen aquæ imponimus iuniperum, nepitam, pulegium, laureolam, absinthiũ, artemisiam, hysopum, huiusmodique herbas calidas. In hoc balneo faciat morã, quousque satis sudet. Postea recipiatur cautè in lectum, & bene cooperiatur. Et si aliquando cibum petierit, detur ei in principio rosata nouella. Detur etiam cibus bonus, calidus, sani nutrimenti, & uinum optimum modicè sumptum. Sic ter, uel quater in die fac ei balneum, & in crastino die similiter. Tertio uerò die fiat fumigiũ optimũ, & odoriferũ, quod suprà diximus. Hãc etiam curam uiris frigidis facimus. Sed loco fumigij damus eis confortatiua calida. Si uerò sit crassa, & quasi hydropica, distẽperamus stercus uaccinum cũ uino optimo, et inde illinimus eam: quę sic linita intret stupham usque ad collũ: quę stupha multũ caliditatis habeat ab igne facto ex sambuco, & ebulo: & in ea cooperta multũ sudorem emittat: & in stupha moretur, donec quasi

quasi aliquantulum per inferiora se purget. Et erit quasi uiride illud quod exibit. Quæ postquam satis sudauerit, abluat se cum aqua prioris balnei, & sic cautè intret in lectum. Et hoc fiat bis, uel ter, uel quater in hebdomada, & satis gracilis inuenietur. Istam bene cibabis, & bonum quoque & odoriferum uinū potet. Viros etiam crassos hac cura reddimus graciles. Curamus etiam aliter uiros crassos multùm ieiunādo, & balneādo. Similiter & faciendo eis sepulchrum iuxta litus maris in arena, modo dicto illinimus eos: & cùm calor est fortissimus, tanquam positos in sepulchro, suffundimus arena calida, & inibi facimus multū & copiosè sudare: & postea cum aqua prioris balnei optimè lauamus.

De retentione Secundinæ. Cap. XXXVII.

AD difficilem partum, & educendam Secūdinam, accipe radicem petroselini, folia porrorum, & extrahe succum, & admisce pauco oleo: & da bibere patienti: & misce acetum in uuluam, & liberabitur.

De Aborsu. Cap. XXXVIII.

CONTRA Aborsum assuetum fieri quibusdam mulieribus in septimo mense, uel nono. Accipe oleum, ceram, puluerem thuris & masticis: misce, & inde ungatur mulier antè & retrò in hebdomada bis uel ter: quia multum confortat Matricem, & cotyledones.

De exitu ani. Cap. XXXIX.

ANI exitus, est morbus cōmunis, tam uiris quàm mulieribus: & facit sanguinem fluere. In restringendo igitur sanguinem, & anum reponendo, subuenimus hoc modo. Primò fomentamus patientem cū decoctione uini, in quo bullierit absinthium: & cum hac decoctione bene fomentetur anus, & liniatur per totum cum encausto ad restringendum. Postea cineres de salice, & eius radice, & arista alicuius piscis salsi facti, superaspergantur, & reponatur anus cum panno lineo. Et hoc fiat tribus diebus bis in die, & saluabitur. Sunt & alij, quibus non exit anus, tamen maximum dolorem patiuntur: & illis taliter subueniendum est. Puluerizetur aloe epaticum, & cum uino calido distemperetur: & cùm adhuc est tepidum, intingatur in eo linum, uel lana, uel cotum, & ano imponatur: id enim dolorem mitigat, & inflationem ani aufert.

De dolore iliorum. Cap. XL.

DOLOR Iliorum quibusdam accidit: quibus sic subuenire solemus. Solatrum decoquimus in aqua cum cinere, & loco dolenti apponimus. Ad idem ualet sisaminum crudum decoctum cum semine, & loco dolenti applicatum.

De Stranguria. Cap. XLI.

STRANGVRIAM patiuntur tam uiri, quàm mulieres. Viris autem succurrimus decoquendo nasturtium aquaticum: facimus cataplasma, & pectini superponimus: & in eius decoctione iubemus sedere patientem. Mulieribus uerò eadem passione laborantibus, facimus suffumigium ex mentastro, nepita, & pulegio. Item tam uiris, quàm mulieribus facimus stupham, in qua bullierint iuniperus, nepita, pulicaria, mentastrum, folia lauri, pulegium, absinthium, & artemisia: & in balneo damus benedictam simplicem: & sic liberabitur patiens. Nisi fiat impedimentum per lapidem confirmatum eijciendo arenulas, & se purgando per urinam.

De Lapide. Cap. XLII.

SI autem lapis adesset, decoquimus saxifragiam cū radice graminis in aqua ad consumptionem medietatis: de qua decoctione damus lapidosis id potandum. Et si uinū appetit, concedimus eis ipsum lymphare cum huiusmodi aqua. Et hoc facimus bis uel ter in die, continuādo per quatuor uel quinque dies. Quòd si tunc non minxerit, erit signum lapidis confirmati. Tunc ergo, si fuerit in collo uesicæ, accipe maluam, cretanum, cauliculum agrestem, saxifragiam, paritariam, nasturtium aquaticum, ameos, & semen urticę: & decoque ista in liquore, cuius tertia pars sit uinum, & tertia oleum, & quarta aqua marina, uel salsa. Cum hac ergo decoctione fomentetur patiens bene, maximè circa partes illas apponēdo herbas. Hac cura fuit quidam liberatus habens lapidem in uesica, quem post longam fomentationem fecit sugendo extrahi per foramen factum circa peritoneon, & fecit inungi uirgam, & maximè caput uirgæ cum oleo laurino, uel unguento aureo.

De Dysenteria. Cap. XLIII.

FIT dysenteria quandoque ex cholera, quandoque ex phlegmate. Cura igitur dysenterię phlegmaticę est, ut primò suffumigemus cū thymo, epithimo, uel colophonia: postea fomentemus cum eruca agresti. Contra dysenteriam uerò ex cholera, Recipe flores rosarum rubearum, decoquantur in aqua pluuiali: in qua decoctione intingatur cotum, seu bombax, & ano imponatur.

De Pediculis nascentibus in pectine, & sub asellis, & circa oculos. Cap. XLIIII.

AD pediculos, qui in pectine, & sub asellis nascuntur; Distemperamus cineres cum oleo inungẽtes illa loca. Contra pediculos uerò generales circa oculos, facimus unguentum satis ualens ad expulsionem eorum, & ruborem oculorum, et ad mitigationem doloris eorum; Recipe aloes, unc. I. cerusę, olibani, ana unc. ʒ. laridi quod sufficiat; larido minutim contrito: cętera puluerizata imponantur, & fiat unguentum.

De Scabie coxarum, uel & aliarum partium. Cap. XLV.

AD hanc infectionem cutis ualet tale unguentum. Recipe radicem enulæ, aceti, argenti uiui, olei ana ad placitum, cum axungia sic conficiendo. Radix enulę mundetur, & incidatur minutim: & postquam satis decocta fuerit in aceto, teratur in mortario cum axungia: postea argentum uiuum ponatur cum oleo & cum aceto, in quo cocta sit enula: distemperetur. Valet hoc unguentum illis, qui per pruritum se scalpendo excoriant. Notãdum tamen, quòd si quis hoc unguento se unxerit, aquam frigidam in ore teneat, ne dentes lædantur ab argento uiuo, quòd circum quaque fluit.

De Cancro. Cap. XLVI.

CANCRVM, ubicunque sit in corpore, mundamus, & puluerem factum de cimino, & uiridi ære superaspergimus, ut decet. Postea locum infirmum desiccatum inungimus hoc unguẽto. Recipe olibanũ, masticem, ceram, oleum, picem græcam, galbanum, aloen, absinthium, artemisiam, paritariam, rutam, saluiam. Conficiantur sic. Terantur herbæ, & infundatur oleum, & misceatur super ignem: & cùm fuerit in supremo calidum, oleum coletur, & iterum igni apponatur: & cùm incipiet bullire, apponatur cera: & postea cętera puluerizata, & decocta colentur, & superponatur hoc unguentum. Signum autem decoctionis est, cùm gutta super marmor posita resederit, & indurauerit. Et nota, quòd loco cancroso folia hederæ syluestris satis ualent in uino decocta, & superposita.

De Cancro nasi. Cap. XLVII.

AD Cancrum nasi. Recipe pallam marinam, saluiam, colophoniam, hermodactylos, atramentum, id est, terram Campaniæ, omnia æqualiter: & pulueriza. Sed ante, quàm puluerem istum ponas, ablue locum cum uino calido, in quo coctum sit absinthium: postea pone desuper puluerem predictum.

De formicationibus & sironibus. Cap. XLVIII.

AD formicationes & sirones ubicunque sint in corpore, maxime in facie, & in fronte, frumentũ distemperamus cum uino, puluere Olibani apposito: & ad modum emplastri loco apponimus.

De inflatione pedum. Cap. XLIX.

CONTINGIT aliquando pedes inflari ex dolore matricis. Tũc accipe tribulos marinos, & coque in aqua marina uel salsa, & fumiga sępe pedes: & post fumigium cum fomentũ erit tepidũ, lauabis pedes.

De inflatione uirgæ uirilis, & testiculorum. Cap. L.

SVNT quidam, qui in uirga uirili patiuntur inflationem, sub præputio foramina multa cum excoriatione: quibus sic subuenimus. Maluam in aqua bullimus: & bullitam exprimimus, ut nihil aquæ remaneat. postea pistamus cum sanguine calido, uel butyro sine sale, uel oleo, & igni apponimus, ac calidum super folijs caulium, & super pannum lineum positum, membrum uirile circundamus. Et hoc tale fit remediũ ad inflationem tollendam. Deinde preputio euerso, cum aqua calida lauamus collum preputij ulcerosum, & puluerem de pice gręca, & carie lignorum, uel uermium, & rosarum, & de radice tapsi barbati, & myrtilli superaspergimus. Quod si deesset myrtillus, alia quatuor sufficiunt. Et hoc sic fiat bis, uel ter singulis diebus, donec sanetur. Ad testiculos uerò inflatos fiat talis fomentatio. Accipe maluam, absinthiũ, uerbenam, bismaluam, cassilaginem, artemisiam, & caules: hęc omnia coquantur in uino forti, uel ueteri, & inde fomentabis bis uel ter in die: & eas herbas pista, & misce cum melle, & bullias: & hoc totum cum uino superpone.

De pustulis paruis puerorum. Cap. LI.

QVANDO pustulæ nascuntur pueris paruæ, tunc illæ cum sale trito solui debent, & cum fascia ligari, ut resoluantur: quibus pueris nec unctuosa, neque dulcia dari debent. Si uero in corpore pueri antarax apparuerit, detur nutrici aqua hordei, & quandoque scarificetur. Similiter & ipsa neque dulcia, neque

que salsa comedat. Quo casu lac nutricis hoc modo debet cognosci. Si gutta una distillata super unguem, nec nimis subtile, nec nimis liquidum, nec nimis grossum, nec nimis coagulatum apparuerit, habens bonũ odorem, & puram dulcedinẽ. Salsum autem lac, aut malè redolens, infantis nutrimento nõ est conueniẽs.

De foetore oris. Cap. LII.

AD foetorem oris uitio stomachi, summitates myrtæ terantur, & coquantur in uino, usque ad medietatem: & stomacho mundato tale uinum propinetur.

De casu Vuulæ. Cap. LIII.

HIS qui casum uuulę patiũtur, sic subuenimus. Puluerem zinziberis, pyrethri, & cinnamomi decoquimus in uino, & facimus gargarizare, & puluerem horum calidum uuulæ apponimus.

De uerme Manuum & pedum. Cap. LIIII.

AD eijciendum uermem de manibus & pedibus, scilicet syronem. Accipe laterem calefactum, & aliquod uas plenum aqua: & postea super laterem candentem ponatur semen iusquiami: & patiens teneat pedes super fumum, & uidebis uermes quasi pilos in aquam cadentes. Item ad idem, accipe paleam auenæ & combure in cineres: postea apponatur aqua calida quantum patiens poterit sustinere, & in ea teneat pedes quousque infrigidentur. Postea coletur, ita quòd nihil aquæ remaneat, & stringantur bene cineres, ut aqua exeat: & separentur paulatim, & inuenies uermes instar fili per fumum iusquiami expulsos. Sic similiter cadunt syrones manuum. Nota quòd si locus corrodatus à uermibus: accipe paleam, & incinera, & postea ponatur in aquam calidam: & in illam aquam, quantum calidam sustinere poterit, collocet patiens membrum, & exibunt uermes: postea curetur locus, ut aliud uulnus.

De Surditate aurium. Cap. LV.

AD Surditatem aurium, accipe pinguedinem anguillarum recentium, quæ apparet post decoctionẽ illarum, & succum caprifolij, & barbæ Iouis, & ouorum formicarum, plenam palmam: tere, & cola: & hęc omnia simul cum oleo misceantur, & decoquantur. Post decoctionem, admisceatur ei acetum: ut magis sit penetratiuum, uel uinũ quod sufficit, & auri sanæ ĩfunde: & obturetur auris infirma, & super sanam iaceat partem: & manè caueat, ne uento appropinquet. Et fac illum per aliquantulum tempus super aurem sanam iacere: & iterum super infirmam.

De Glandulis. Cap. LVI.

AD Glandulas artemisia calefacta simul trita, & superposita, glandulas dissoluit. Quæ etiam in uino trita, & in melle cocta, glandulas faciei superposita mollificat, maturat, & attenuat.

De Hemorrhoidibus. Cap. LVII.

AD hęmorrhoides innatas uitio partus, accipe absinthium, abrotonum, cassiam ligneam, cassiam fistulam, coquãtur fortiter in uino, & facias mulierem ibi balneari: & cùm exierit de balneo, accipe puluerẽ aloes confectum cum oleo muscellino, uel pulegino: & intinge bombacem, & superpone. Aliter, accipe sotulares ueteres, & pineam herbam, & coquantur ea in uino, & inibi fac sedere eam, quàm diu pati poterit: & cùm exierit de fomento, accipe alumen album pulucrizatum, & suppone. hoc enim ita consolidat, ut reddat uiolatam, plusquàm uirginem.

De dolore Dentium. Cap. LVIII.

AD dolorem dentium, & eos confortandos, si moti fuerint, Recipe salis armoniaci drach. XI. costi drac. XIIII. melon, piperis, drac. IIII. folij, drac. II. confice sic. Sal & furfur in ollã dimitte, donec carbonescant: & cùm infrigidatum fuerit, cum cæteris speciebus tere, & in puluerem subtilissimum redige, & inde dentes, & loca ulcerosa frica. Item aliud, & est pimpinella, uel succus eius: dentes enim optimè dealbat. Similiter herba eius trita, & apposita, tumorem gingiuarum emendat.

De Fistula. Cap. LIX.

EXPERIMENTVM probatum ad Fistulam. Accipe foliorum caulis rubei, & seminis eiusdẽ, radicis rubeę maioris, ana partes ęquales: terãtur, & in uino optimo decoquantur usque ad tres partes, fiat colatura, & addito melle coquatur ad spissitudinem; dentur quotidie duo cochlearia, manè & serò patienti.

Nota, quòd si fistula fuerit in aliquo loco, cuius cannale penetret ad oculos, ut iuxta nasum, incurabilis est: quia nec incisionem, nec aliquam medicinam ibi administrare possumus, propter teneram substantiam oculorum. Quidam tamen testantur, quòd talis fistula possit curari per solam agrimoniam, ex multo usu habitam, siue in potu, siue in puluere. Ad idem ualet Filipendula, & grana in fine radicis eius inuenta.

De Scabie manuum. Cap. LX.

AD Scabiem manuum sanandam, accipe lapatium acutum, & fumum terræ, confice in modum unguenti cum axungia porcina, & butyro facto in Maio, quo inunge manus.

De ornatu, & partium eius: adq; faciem dealbandam. Cap. LXI.

RADICEM accipe draconteæ, & munda, & radicem iari, ana, tere in mortario cum axungia, & distempera cum aqua calida, & cola per pannum; & postea bene moueas, & sic stet per noctem: & in mane aquam suauiter remoue, aliam infundendo aquam: ad cuius linimenti confectionem optima esset aqua distillationis florum caprifolij. & hoc reiterando, continua per quinque dies, ad reprimendam malitiam eorum, quæ possent inferre faciei læsionem. Sexta uero die, abiecta aqua, expone, ut desiccetur. Postea accipe prædictæ confectionis, unc. II. cerusæ, unc. I. camphoræ, unc. V. boracis, gummi arabici, ana drac. I. Dissoluatur borax in aqua rosacea, fricando inter manus: & postea distemperentur hæc omnia cum aqua rosacea. De quo faciem dealbando, accipe ad quantitatem fabæ, & distempera cum pauca aqua frigida inter manus fricando, & cum ambabus manibus faciem illinias, prius facie lota cum aqua & sapone, deinde cum aqua frigida aspergatur, & pannus subtilis superponatur, siue in mane, siue in sero hoc fiat, & talis decoratio faciei per tres uel quatuor dies durat. Vnguentum ad faciem dealbandam. Recipe cerusæ optimæ, unc. II. teratur, postea cribelletur per pannũ, & quod in panno remanebit, abijciatur: & aqua pluuialis admisceatur, & coquatur usque ad consumptionem aquæ. quod potest cognosci, quando uidebimus id coctum ferè esse desiccatum. tunc infrigidetur, & huic infrigidato & desiccato addatur aqua rosarum: & iterum bulliat, quousque fiat durum, & spissum, ita quòd inde possint formari pilulæ minutæ. & cùm uolueris inungi, accipe pilulam unam, & liquefiat in manu cum aqua, & inde fricetur facies bene, ut desiccetur: deinde cum aqua pura abluatur, & hoc durabit per octo dies. Secundò ad faciem rubificandã, accipe radicem uiticellæ, & munda, & inde minutim, & desicca. Postea pulueriza & distempera cum aqua rosacea, & cum bombace, uel panno lineo subtilissimo illiniendo: inducit ruborem faciei. Mulieri autem satis albæ, si rubore careat, facimus colorem rubeum, ut submentita, uel palliata specie albedinis, color rubeus, quasi naturalis appareat. Item ad rugas faciei uetularum, accipe spatulam, id est gladiolum, & succum extrahe, & cum illo succo in sero faciem inunge, & in mane erit cutis eleuata, & rumpetur. Quam rupturam curamus cum prædicto unguento, in quo radix lilij recipitur, & puluere cutim extrahendo, quæ post rupturam lota satis apparet subtilis. Item ad lentigines faciei, quæ sunt ex accidenti, accipe radicem draconteæ, & in puluerem redige, & ossa sepię, & olibanum, & de omnibus istis fac puluerem, & cum pauca aqua misce: & inde manus illinias fricando in mane cum aqua rosata, uel aqua furfuris, uel cum mica panis fricando, donec remoueas. Aliud. Pone in acerrimo aceto oua septem integra, & tam diu dimitte ibi, donec exterior testa in modum interioris pelliculæ mollescat, & cum eis admisce pulueris sinapis, unc. IIII. & simul tere, & inde faciem inunge frequenter. Item ad tollẽdos rubores faciei. Sanguisugas, quæ uariæ sunt, apponimus in calamo, loco prius loto cum uino, cui debent adhęrere scilicet circa nares, & aures ex utraque parte: aut uentosas ponimus super scapulas. Item ad uenas, quę apparent in facie, uel in naso. Accipe de sapone partes quatuor, & quartam partem de pipere, & puluerizata apponimus loco, & prædicto modo curamus. Item ad asperitatem faciei ex sole, uel uento, & ad eam dealbandam & clarificãdam. Accipe sepum ceruinum, bulliat in aqua, deinde in aliam aquam coletur, & colatum diu manibus malaxetur, & tunc adde puluerem crystalli & uermis. Nota singulare unguentum ualẽs ad solis adustionem, & quamlibet fissuram, maxime ex uento, & contra pustulas faciei ex aere, similiter cõtra maculas, & excoriationes faciei, quo utuntur mulieres Salernitanæ. Recipe radicem lilij, unc. I. cerusæ, unc. II. masticis, olibani, ana unc. V. camphoræ, drac. I. axungiæ, unc. I. aquæ rosatæ, q. s. Conficiantur sic. Radix lilij mundata decoquatur in aqua, & hæc extracta bene teratur; axungia uerò liquefiat ad ignem, & bene colata, & à sale mundata: simul hęc duo distemperentur prius, addendo cerusam in aqua rosacea dissolutam: deinde reliqua, secundum artem puluerizata, & fiat unguentũ. Hoc igitur unguento solent prædictæ mulieres se ad ignem inungere in sero, ut in mane à prædictis, scilicet à solis adustione, & fissuris, & pustulis & huiusmodi, tam per aerem, quàm per solis ardorem illęsę, de die permaneant. Id enim eleuat cutem, & pulchrè colorat. Neque mane lotionibus, uel aliquibus alijs est opus ad remouẽdum à facie: quoniam non derogat colori quoquo modo. Valet etiam ad repressionem pustularũ in leprosis, & satis mũdificatiuum est. Quoniam huiusmodi ornatus mulieribus in frequenti usu est. quia, si fuerint deformes, paleat eas. Ideo notandum, quando uoluerint se ornare, primò abluant faciem cum sapone gallico, & cũ aqua calida, & cum colatura furfuris, & hoc fiat in balneo: postea inungant faciem prius desiccatam cum oleo de tartaro, continuando per septem noctes, & totidem dies, uel etiam per quindecim, si uultus multũ fuerit pannosus, & lentiginosus. Et quando uerecundantur inungere faciem de die, tunc solent se inungere de

re de nocte,& mane laua te cum aqua tepida, in qua resoluta fuerit pinguedo amidi, ad mitigationem. Volens ergo Mulier faciem suam decorare, uadat ad balneum,& intret stupham, ibique faciem inungat cum oleo tartarino,& sic inuncta sudet optime: postea lauet faciem, ut patet ex supradictis. Et si uoluerit tollere pilos in facie, tunc post balneum faciem suam bene desiccatam cum pãno, illiniat hoc psilothro. Recipe colophoniam & ceram,& in uase fictili resolue: & his resolutis addatur parua gutta galbani,& diu coquantur, mouendo cum spatula. Deinde accipe masticem, olibanum, gummi Arabicum,& cæteris commisceantur. hoc facto, ab igne deponatur: & cum fuerit tepidum, faciem suam liniat: sed non tangat supercilia. Dimittat per horam, donec sit infrigidatum, postea remoueat illud. subtiliat enim cutem,& pulchrã reddit faciem,& pilos remouet,& omnem spurcitiam reddit coloratam & lucidam. Item ad pannum remouendum post partum, illinias faciem cepa uel squilla,& inde cutis eleuabitur. eleuata autem cute sepũ hircinum recens faciei superpone,& postea eleuatam cutem remoueas. Aliud ad pannum faciei remouendum. Accipe tartarum de uino albo fortissimo,& cum urina pueri madefactum stuppis inuolue,& cũ pãno lineo per noctem sub cinere calido dimitte: mane uero proijcias pannum,& tartarum tere,& distempera cum melle,& unge faciem, ut supra diximus. Item ad cutem in facie subtiliandam. Accipe draconteam, uel maluam tere, uel bryoniam, pista fortiter,& postea misce cum melle albo, & fac bullire per duas horas;& in fine decoctionis adiunge puluerem camphoræ, boracis, salis gemmę, cum spatula diu mouendo,& usui reserua,& utere facie lota in aqua tepida, uel furfure, ter in hebdomada,& in die Dominica de hoc unguento inunge. Recipe camphoram, radicem lilij in aqua elixam,& axungiam porcinam recentem, hęc omnia confice cum aqua rosacea,& utere. Item ad uermes faciei delendos, qui depilant. Accipe lapatij acuti, olibani, draconteæ, ossis sepiæ, ana partes æquales: fac puluerem,& ter in hebdomada frica, prius tamen facie bene lota in aqua furfuris,& in die sabbati faciem bene laua cum albumine oui,& amido, & per unã horam in facie remaneat: prius laua cum aqua recenti,& illini eam. Item ad serpiginem faciei, accipe lapatium paruum, id est, acutum, pista fortiter,& frica locum patientem diu: postea accipe furfur,, & infunde in aqua bullienti,& inde laua locum patientem,& postea desiccetur,& fiat tale unguentum. Recipe enulam campanam bene incisam,& in aceto diu decoque: postea pista fortiter,& immisce puluerem olibani, masticis, lithargyrij, aloes, auripigmẽti, cimini, argenti uiui extincti cũ saliua, ana unc. III. ossis sepiæ, unc. I. saponis & axungiæ, ana. q. s. Confice cum aceto, in quo cocta sit radix enulę. Mulieres Salernitanæ ponũt radicem uiticellæ, id est, bryonię, in melle,& cum tali melle inungunt faciem suam,& miro modo rubescit.

Aliter. Mulieres ornant facies & labia sua, accipientes mel despumatum, cui addunt parum bryonię, uiticellæ, cucumeris agrestis,& parum aquæ rosaceæ. Hæc omnia usque ad medietatem bulliant: quo unguento inungantur labia in nocte,& mane lauentur cum aqua calida. consolidat enim cutem labiorum,& eam subtiliat,& reddit tenerrimam,& ab omni ulceratione præseruat,& si ulcerationes in eis fiãt, sanat.

Si uero mulier uoluerit se colorare, tunc optime fricet labia cum cortice radicis arboris nucum,& super dentes,& gingiuas habeat bombacem,& intingat in colore composito,& cum tali bombace ungat labia,& gingiuas interius. Color autem compositus sic fiat. Accipe herbam marinam, de qua Sarraceni tingunt pelles in colore uiridi, hæc bulliat in uase fictili nouo cum albumine usque ad tertiam partem: colaturæ addatur bresilum frustatim incisum,& iterum bulliat,& iterum dimittatur infrigidari. Et cum tempus fuerit, apponatur puluis aluminis,& tũc in ampulla aurea, uel uitrea ponatur,& usui reseruetur. Hoc igitur modo tingunt mulieres Sarracenæ facies suas, quibus unctis desiccatis, ponunt ad dealbandam faciẽ aliquid prędictorũ, ut cerotũ, uel aliquid aliud,& apparet color pulcherrimus admixtus rubori, et albedini.

Item ad guttam oris lauamus os cum uino tepido, dentes bene fricando: & hoc in mane,& idem facimus in sero, postea oleum rosatum circundamus per noctem,& liberabitur in breui. Item ad dentes nigros & male coloratos, Accipe cortices nucum maiorum bene mundatos ab interiori cortice, qui est uiridis,& fricamus ter in die dentes: & cum bene fuerint fricati, abluimus os cũm cum uino calido & cum sale admixto, si placet. Similiter dentes sic dealbantur. Accipe marmor album combustum,& ossa dactylorum combusta,& uitrum album,& tegulam rubeam, sal, pumicem: & de his omnibus fac puluerẽ, in quo lana succida inuoluta, in panno lineo subtili dentes interius & exterius frica. Aliud ad idem, quod dentes emũdat & albissimos reddit. Patiens post prandium os lauet uino optimo: deinde bene exiccare debet,& abstergere cum panno albo nouo: postea masticet quotidie fœniculum, uel leuisticum, uel petroselinũ, quod melius est masticare, quia bonum reddit odorẽ,& bene gingiuas emundat,& dẽtes facit albissimos.

Puluis item ad dẽtes nigros dealbandos,& confirmandas gingiuas corrosas, uel comestas,& ad os male olens, optime facit. Recipe cinnamomi, gariophil. spicænardi, masticis, thuris, frumenti, absinthij, pedum cancrorum, ossium dactylorum & oliuarum, ana partes æquales, terantur omnia,& in puluerem subtilem redigantur,& inde loca fricẽtur. Ad idem. Recipe pumicis usti, salis, ana drac. X. cinnamomi, antifolij, ana drac. II. micellis q. s. pumicem,& sal cum sufficienti melle commisce,& in patella rudi super carbones pone, donec incendantur,& aliæ species in puluerem redigantur,& cum opus fuerit, dentes inde fricentur.

Linimentum ad manus dealbandas,& leuigandas. Aphodilli decoquantur in aqua usque ad cõsumptionem aquæ,& bene mouendo tartarum admisce,& postea duo oua: & fiat linimentum, quo manus fricabis. Item ad fœtorem oris; nota, si mulier habeat os fœtidum, causa putredinis gingiuarum, illi sic subueniendum est. Accipe calcem uiuam, sulphur uiuum,& auripigmentum de calce & sulphure,& puluerem cucurbitę combustæ,& piperis. Et habeas peciam unam scarletæ, uel alicuius panni rubei, eamque minutim incidas, quanto plus poteris,& adde prędictis. Tunc habeas acetum fortissimum,& ponas in alio

uaſe fictili,& aliquantulum dimitte bullire : & poſtea pone auripigmentum,deinde ſulphur, poſtea puluerem cucurbitæ,& piperis per interualla,ad ultimum ponas peciam panni,& remoueas ab igne: & tunc extrahas ab olla,& ponas ſuper tabulas diuiſim per paſtillã,ad ſolem,& dimittas ſiccari : & de his autem ſiccatis fiat puluis,& ponatur ſuper gingiuas cancroſas & putridas,eis tamen prius ablutis cum aceto tepido,in quo bullierit radix tapſi barbati. Putredine conſumpta,deſuper ſpargatur puluis cinnamomi,& roſarum rubearum. Ego autem uidi quãdam Sarracenam cũ hac medicina multas liberare,quę accipiebat patum de folijs lauri, parũ de muſco,& iubebat mulieres tenere ſub lingua,ne perciperetur ab eis grauis anhelitus. Id ego quoque laudo,ut mulier teneat hoc medicamen ſub lingua die & nocte, et maxime quãdo debet coire cum alio. Si autẽ fœtor oris fuerit cauſa ſtomachi,uel inteſtinorum, ſic curetur. Fiat puluis de meliori aloe quod inueniri poterit,& diſtemperetur in modum ſyrupi,cum ſucco abſinthij , de quo accipiat quotidie, ſole oriente 4. cochlearia : quibus acceptis,accipiat totidem de melle, & ſanabitur.

Item ad remouendas labiorum fiſſuras,debent ipſa perungi cum oleo roſato,uel ſemine lini decocto in ciclamine concauato,& etiam ex ſemine ſaxifragiæ cum ſucco centaureæ,uel ariſtolochiæ rotundę trito liniantur. Ad idem ualet ſuccus abſinthij. Contra fiſſuras autem labiorum,propter nimios amplexus, & oſculationes amantium,ualet inunctio facta de muſcilagine ſeminis pſilij : uel unguento de lilio. Si uerò tales fiſſurę fierent ex uento,uel aere,& ſimilibus cauſis,tunc liniantur labia cum melle,& poſtea ſuper aſpergatur puluis colophoniæ. Vel accipe nucem magnam,& decoquatur ſub cinere calido,& nucleus teratur,& fiſſuris apponatur,admixto oleo tartarino, & ſanabitur. Itẽ ad labiorum groſſitiem fiat eorum attenuatio cũ unctione mellis: aut aqua,in qua bullierit radix draconteæ,ireos uel ſcrophularia,uel etiam amidum,in mulſa diſſolutum,& puluis marmoris,& puluis pumicis aſſi,& oſſis ſepiæ miſceantur,& ungatur locus mixto puluere algithiræ (id eſt,draganti)cum maſtice ſiccatæ. De his ergo bene ſiccatis fiat puluis,& ponatur ſuper gingiuas cancroſas & putridas,prius bene ablutas cum aceto tepido, in quo bullierit radix tapſi barbati. Putredine autem conſumpta,habeat puluerem cinnamomi , & roſarum , & deſuper aſpergat. Item ad ſubitam inflationem faciei,ſufficit ſola aquæ calidæ ſuffumigatio. Similiter ad inflationem eiuſdem,& oculorum,accipiatur axungia recens,& cum ſenatione teratur, & ſuperponatur. Et hæc de ornatu faciei & eius partium ſufficiant. Vnguentum ad capillos aureos faciendos: recipe medianum corticẽ ſambuci,flores geneſtę,crocum,uitella ouorum,hęc coquantur in aqua,& quod ſupernatauerit,colligatur,& inde capilli inungantur. Item ad capillos cãdidos faciẽdos. Apes quamplures in olla noua include,& ita incẽde,& cum oleo tere,& inde caput unge. Ad idem ualet agrimonia trita cũ lacte caprino. Item ut capilli creſcant ubi uis,accipe panem hordeaceum cum cruſta,& ſale, & adipe urſino: tere,ſed prius combure panem hordeaceum,& ex tali mixtura unge locum,& creſcent capilli.

Item ut capilli fiant flaui, Recipe corticem nucis exteriorem,& corticem interiorem ipſius arboris: & coque in aqua,& cum ipſa aqua alumen diſtẽpera,& gallas: & cũ iſtis diſtemperatis caput prius lotum linias,folia ſuperponendo,& cum faſcia ligando per duos dies poteris ſic colorare. Et pectina caput ut quod capillis adhæret,tanquam ſuperfluum recedat. Poſtea appone tincturam quæ fit de croco orientali, ſandalis,alcanna,cuius maior erit pars diſtẽperata cum decoctione breſilij,& ſic remaneat per tres dies ,& quarta die abluatur cum aqua calida,& nunquam de facili remouebitur. Vel accipe radicem chelidonię & agrimoniæ,& raſuram buxi,& ſuperliga ſtramen auenæ : deinde cineres auenæ,uel uitis , & fac lixiuium & caput laua. Vel recipe radicem chelidonię,& rubeę maioris,ana partes ęquales,tere,& cum oleo in quo diligenter ciminum,raſura buxi,chelidonia,& parum croci ſunt cocta,diſtempera: & caput unge,& unctũ maneat die ac nocte,& laua cum lixiuio,facto de cinere caulis,& paleæ hordei. Item fecem uini albi coque ad ſpiſſitudinem ceroti cum melle,& unge capillos. Si uis eos habere flauos,priùs prædicto modo parentur,ut inueniantur habiles ad tincturam. Poſtea gallę cum oleo ponantur in teſtam,& comburantur,deinde puluerizentur : & imponantur aceto,in quo poſitum ſit atramentum,quod fit in Gallia,& ſimul diſtẽperentur. Item ad idem. Puluerem galangæ cum ſucco nucis miſce,& fac bullire , & inde fiat inunctio ad tincturam capillorum. Item flores myrtæ,& gallitrici coquantur in aceto, & ungatur caput . ſed caueat à uino forti,& à forti lixiuio,quia capillos corrumpit & corrodit. Item ad capillos criſpandos,teratur radix ebuli cum oleo,& inde caput ungatur,& cum folijs eiuſdem ſuperligetur caput. Item,ut capilli fiant ſpiſſi,accipe agrimoniam,& corticem ulmi,radicem uerbenę,radicem ſalicis,abrotonum,ſemen lini combuſtũ & puluerizatum,radicem cannę. hęc omnia decoque cum lacte caprino,uel aqua,& ablue inde locũ prius raſum. Item ſtipites & radices caulium puluerizentur,& cum eis admiſceatur raſura buxi uel eboris puluerizata,& ex iſtis pulueribus fiat lixiuiũ,quod facit capillos aureos. Item ad capillos longos faciendos,teratur radix altheæ cum axungia porcina,& diu bulliat in uino : poſtea apponatur ciminum bene tritum, & maſtrix,& uitella ouorum bene cocta parum ſimul miſcendo : & poſtquam cocta fuerint,fiat colatura per pannum lineum,& dimittatur donec infrigidetur. deinde pinguedo ſupernatãs accipiatur, & inde caput bene ablutum ungatur. Item ad ſyrones capillos rodentes, Recipe flores myrtæ,geneſtę, gallitrici,coquantur in aceto uſque ad aceti conſumptionem,& inde extrema capillorum aſſidue fricentur. Hoc idem remouet fiſſuram capitis ex eo bene abluti. Item lupini amari puluerizentur,& in aceto bulliant,& inde capilli fricentur intra manus;hoc enim ſyrones expellit & occidit. Cum autẽ ſingulare ſtudiũ ſit Mulieribus ornare capillos,& poſt ornatum capillorum,ornare faciem (cuius ornatus ſi fuerit pulcher,deformes pateat mulieres) pro illarum explenda uoluntate recurre ad proxime narrata. Quòd ſi mulier uelit habere longos capillos,& nigros, accipiat lacertam uiridem , & remotis capite & cauda, decoque in

oleo

oleo communi: & tali oleo inungat caput: reddit enim capillos longos & nigros. Experimētum Sarracenicum ad denigrãdos capillos. Accipe corticem mali granati, maxime dulcis: teratur, & bulliat in aceto uel aqua, coletur: & huic colaturæ addatur puluis gallarum & aluminis, in multa quantitate, ut fiat spissum in modum pultis, & hoc tali, quasi quadam pasta capillos inuoluat. postea furfur distemperetur cum oleo, & ponatur super ignem in aliquo uase, quousque furfur totum fiat ignitum. hoc tale aspergat radicitus super caput, postea madefiat, & iterum caput in eadem colatura prædicta inuoluat, & dimittat per noctem, ut melius inungatur, postea abluatur, & erit totum nigrum. Ad idem. Si mulier multos & nigros capillos habere uelit, accipe pomum coloquintidæ, abiectis carnibus, oleo lauri impleatur, addito semine iusquiami, & modico auripigmenti, & adiungantur sæpe cineres. Si uerò molles, & lenes, & subtiles habere noluerit, abluat eos sæpe cum aqua calida, in qua sit puluis nitri & orobi. Sed ut mulier suauissima & planissima fiat, & sine pilis à capite usque inferius, in primis eat ad balnea: & si non consueuerit, fiat ei stupha hoc modo. Accipe tegulas, & lapides candentes, & eis in stupha positis sedeat mulier in ea. Vel aliter. Accipe tegulas calidas, uel lapides nigros calidos, & ponas in stupham, uel foueam factam in terra: tunc superinfundatur aqua calida, ut fumus resoluatur, & supersedeat Mulier bene circundata pannis, ut sudet. Cũque bene sudauerit, intret aquam calidam, & abluat se optimè, & sic exeat à balneo, & abstergat se bene cũ pãno lineo. Postea inungat se totam hoc psilothro, Recipe calcem uiuam bene cribellatam, & de ea pone in uase figuli, uncias IIII. & decoque in modum pultis: postea accipe auripigmenti unc. unam, & iterum coque, & proba cum penna an sit satis coctũ. caue autem ne nimis coquatur, & ne nimis super cutem moretur, quia maximum faceret ardorem. Sed si ex psilothro accidat cutem uri, accipe populeõ cum oleo rosaceo, uel uiolarum, uel cum succo semperuiuæ. distempera applicando, donec sedetur calor, postea inungatur unguento albo, donec cessauerit ardor. Aliud depilatorium. Calx uiua, & auripigmentum in sacculo lineo posita bulliant, donec decocta sint: hanc decoctionem probabis ut superiorem. Si autem depilatorium sit nimis spissum, appone aquam recentem ut rarefiat, & attenuetur. Nota, quòd puluis eius desiccatus ualet ad carnes malas corrodendas, & etiã ad capillos reparandos in capitibus tineosorum. Sed prius cum oleo uel melle capita eorum inungantur, deinde puluis superaspergatur. Item ut fiat perpetua ablatio capillorum, Recipe oua formicarum, auripigmentum rubeum, & gummi hederæ, cum aceto: misce, & inde locum depilandum fricabis. Vnguentum pro nobilibus, quod pilos remouet, cutim subtiliat, & maculas aufert. Recipe succum foliorum cucumeris agrestis, & lac amygdalarum: his in uase positis admisce calcem uiuam, & auripigmentum, subtiliter puluerizata: postea galbanum contusum distemperatum cum modico uino, per diem & noctem, & cum ipso decoque. quo bene decocto remoueas substãtiam galbani, & addas parum olei, uel uini, & argenti uiui. facta decoctione, remoueas ab igne, & puluerem istarum specierum appone. Recipe masticis, olibani, cinnamomi, nucis muscatæ, garyophyllatę, omnium istorum ana partes æquales. Istud unguentum suauiter redolet, & lene est ad mitigandum. Hoc psilothro nobiles Salernitanæ uti consueuerunt. Cum igitur mulier se totam hoc psilothro inunxerit, sedeat in stupha multùm calida: nec fricet se, quoniam excoriarentur membra eius: sed cùm parum steterit, tentabit pilos euellere à pectine: si uerò leuiter non cadant, aquam calidam faciat super se infundi, & abluat se totam trahendo palmam suauiter. si enim cum impetu fricaret, cũ cutis sit tenera, ex psilothro citò excoriatur. Hoc facto intret aquam tepidam, & bene abluatur, deinde exeat: & tunc accipiat furfur, distemperatum cũ aqua calida, & postea colet, & super se fundat. Istud carnem mundificat, & lenit. Deinde lauet se aqua tepida, & stet parum, ut cutis aliquantulum desiccetur. Postea accipiat alcannam cum albuminibus ouorum, & inũgat oĩa membra. hoc enim carnẽ lenit: & si qua fuerit ustura ex psilothro, hãc remouet, & lucidam reddit & suauem. & sic uncta stet parum, & tandem cum aqua calida abluat se, & postremò panno lineo albissimo inuoluta uadat ad lectũ. Post exitum quoque balnei ornet capillos suos, & imprimis abluat eos cum tali lixiuio. Recipe cineres uitis combustæ, nodos paleæ hordei, & lignum liquiritiæ, ut melius liniant, & panem porcinum: paleam, & panem porcinum bulliant in aqua, de pane, palea & cinere repleatur olla, habẽs ĩ fundo duo foramina, uel tria parua. aquã, in qua panis porcinus & palea prius decocta sint superducta fundatur in olla, ut per foramina coletur. Tali lixiuio mulier abluat caput suum: post ablutionem, dimittat siccari per se, unde capilli flaui, & lucidi fiunt. Cùm autẽ pectinauerit se, habeat hunc pulueresn. Recipe rosas siccas, garyophyl. nucem muscatam, cardamomum, galangam, hæc omnia puluerizata distemperentur cum aqua rosarum, & tali aqua aspergat capillos, & pectinet illos pectine, eadem aqua intincto, ut melius redoleant: & fasciculos faciat, & prædictũ puluerem superaspergat, & miro modo redolebunt. Nobiles, tam uiri quàm mulieres ferant muscum in capillis suis, aut garyophyl. aut utrunque: cautè, tamẽ, ne ab aliquo uideatur peplum etiam, cum quo caput ligatur, ponatur cum garyophillata, & musco, & nuce muscata, & alijs redolentibus.

Pro conseruatione corporis humani ab aliquot infirmitatibus, aqua mirabilis effectus. Cap. LXII.

RECIPE aquę uitæ de uino meliore distillatæ, lib. IIII. salis usti, lib. II. sulphuris mortui, lib. II. tartari albi, unc. IIII. de carbonibus ligni auellanæ, unc. IIII. salis petrę, unc. III. Hęc oĩa terãtur, & cribellentur, & misceantur inuicem: & superinfunde aquam uitę supradictę: & ponatur totum ad distillandum.

Operatio eiusmodi Distillationum.

Distillatio prima attrahit uirtutes omnium spirituum, ut nullum animal uenenosum poterit appro-

pinquare ei. In ea cōseruantur carnes, pisces sicut in balsamo. Facit etiam recedere omnes lentigines, necnon & omnes maculas faciei: ipsamque clarificat. Expellit etiam omnem scabiem corporis: mundificat quoque omnes lacrymas oculorum.

Secunda Distillatio expellit apostemata, & superfluitates corporis. Dentes inualidos expellit, & sanat. Expellit etiam inflaturam epatis.

Tertia Distillatio expellit omnes maculas, & omnem leprā. Anhelitum foetidum, & omne phlegma stomachi purgat, ut puta cibum indigestum.

Quarta Distillatio expellit sanguinē coagulatum in corpore, similiter & sanguinem refrigeratum.

Quinta Distillatio expellit morbum caducum à corpore humano.

Sexta Distillatio expellit omnes languores & infirmitates ex parte guttae accidentes.

Septima Distillatio expellit podagram.

Octaua Distillatio praeualet balsamo. Quod bene reserues.

Nona Distillatio ualet & reseruat epar: si aurum in ea soluatur.

Decima Distillatio. Si una gutta istius aquae ponatur in scyphum, in quo sit uinum, & quòd scyphus sit deauratus: inuenitur ibi spuma natans supra uinum, quod est purum aurum. Et omne illud quod tingitur cum eo, est aurum pulchrum.

Notandum tamen, quòd post quamlibet distillationē, fęces debet teri & cribellari, sicut in principio.

Aqua alia, seu Balsamum ad idem ferme.

Recipe Terpentinae tribus uicibus distillatae: ultimò coniunctim, lib. I. ligni aloes similiter tribus uicibus distillati, lib. I. ambrae crudae, lib. I. muscatae tritae super lapidem ad modum liquidi unguenti, cum eisdem superaddito oleo, ut fiat unum corpus. Et distilla nouem uicibus. Balsamum hunc conserua, quoniam ipsum est perfectum, & sustinet

Primò, omne iudicium ignis & aquae.

Secundò, manum penetrat.

Tertiò, ungendo faciem, iuuentutem conseruat.

Quartò, omnem incisionem consolidat.

Quintò, oculos mirè purificat.

Sextò, ungendo cum ea totum corpus, nunquam putrescere ferunt: nec uermes ipsum ascendere. Hermes philosophus posuit. Et ego feci, & probaui: & est uerissimum.

Aqua alia, per quam medicus mirabilia facit, & quasi propheta reputabitur.

Recipe limaturam argenti, aeris, ferri, plumbi, chalybis, auri, spumae argenteae & aureae, storacis, secundū diuitias & paupertates patientis. Ponantur primò in urina pueri uirginis primo die. Secundo die in uino albo calido. Tertio die in succo foeniculi. Quarto die in albuminā oui. Quinto die in lac mulieris lactantis puerum. Sexto die in uino rubeo. Septimo in septem albuginā ouorum. Et hoc totum ponatur in Capellam ad lentum ignem: & quod distillauerit, serua in uase aureo, uel argenteo.

De laude aquae huius est silendum, quia emi non potest. Virtus enim eius palliat leprosos. Lepram enim puram sanat, & destruit, omnem maculam delet, conseruat iuuentutem, oculum pulchrum facit, super omnia, taceo de secreto huius aquae, quia timeo, ne habentes superbia extollantur.

Puluis ad conseruationem uisus. Cap. LXIII.

RECIPE betonicae, rutae, chelidoniae, saxifragiae, leuistici, pulegij, anisi, cinnamomi, euphrasiae, ana M. I. cardamomi, zinziberis, foeniculi, petroselini, hyssopi, origani, sileris mōtani, ana drac. I. galangae, unc. I. Zuccari, unc. I. Ex istis fiat puluis, & cum cibo continuè sumatur: & uisus recuperatur, & seruatur.

Puluis praedictus ordinatus est per Magistrum Geraldum: cuius probā senex expertus est: qui annis duodecim usus fuit specillis uitreis, ita quod grossas literas sine ipsis uidere non poterat: sed postquam usus est hoc ipso puluere, sola una quadragesima liberatus est: intātum, quòd toto tempore uitae suae uidit & legit literas minutissimas.

Ad uisum item.

Recipe tutiae praeparatae, drach. I. Masticis, drac. V. charabe, scrup. I. camphorae, scrup. V. uitrioli albi, scrup. II. fiat puluis omnino subtilis, ut athobol. ponatur in quartam partem aquae rosatae optime distillatae ad solem tribus, aut quatuor diebus, serua in uitro bene obturato: & mane I. uel. II. guttas in hircquos oculorum impone.

F I N I S.

postpone Marcellum & enbomio.

VIRIS ET PIETATIS ET LITERARVM PROVEHENDARVM STVDIO CELEBERRIMIS, IOANNI REINEKE, ET GVLIELMO RINCO, REI METALLICAE IN ILLVSTRI COMITATV MANSFELDIANO PRAEFECTIS, IANVS CORNARIVS MEDICVS PHYSICVS NORTHVSEN. S. D.

OMNES quidem bonæ artes ac disciplinę, Viri celeberrimi, à Gręcis, utpote acutissimis hominibus, aut inuentę sunt, aut certe ab alijs quibuscunque gentibus initio dato, per græcam nationem sic excultæ sunt, ut apud nullas alias prius fuisse uideri possint. Verum uix ulla est alia, quæ & totam se græciæ debeat, & tota in ipsius lingua adhuc restet, quàm Medicina. Tametsi enim non constet quando & ubi primum cœperit, & mihi sane uideatur mox cum ipsis hominibus initium sumpsisse, ex naturæ instinctu ad experienda auxilia, contra tot mala ingruentia progressis, non minus utique, quàm alia quædam animantia ad salutaria remedia ex sese agnoscenda ac usurpanda aptis, tamen antiquissimi auctores Medicinæ Græci celebrantur, atque præteritis in præsens Apolline, Aesculapio, Machaone ac Podalyrio, ob medicandi gloriam partim ἀποθέωσει dignis iudicatis, partim non minus in diuina Homeri Iliade celebribus; unum summum artis auctorem ac scriptorem Hippocratē proferemus, cum quo nemo priorum aut posteriorum conferri meretur, utpote qui non, uelut illi quos recensui, uni seculo, sed omni posteritati scriptis suis commodauit, & ad ęternitatem medicinam propagauit. Hunc pręcesserunt tamen alij aliquot non ignobiles medici ac physici, & in primis Democritus. Insecuti sunt etiam multi, sed maxime clari, Diocles, Anaxagoras, Herophilus atque Erasistratus fuerunt, quorum tamen omnium scripta interciderunt. Hippocratis autem opera haud dubiè diuini numinis beneficentia in hunc usque diem seruata supersunt, habentur, leguntur, & in ipsis adeo conseruata restat nobis uera medicina. Velimus enim nolimus fatendum est, hunc solum esse & parentem artis & propagatorē, ut caliginosissimo errore inuoluti hallucinentur, quicunque aliunde, quàm ex istius doctissimis uiri scriptis, quærendam medicam artem ducant, aut discendam tradant, aut edocti, ut sibi uidentur, feliciter se exercere posse sperant. Negas ergo tu, inquit aliquis ex illis, quidquam esse apud latinos homines auctorum, unde medicinam condiscere possimus? & unde accepta medicamina, malè affectis corporibus prosperè accommodare queamus? An tu Auicennam, Rasim, Auerroim, Albucasim, & quid opus est recensere singulos? tam multos Arabes scriptores insignes medicos, qui hodie in plerisque omnibus gymnasijs regnant, & latinè leguntur, nullo loco ponis? & num tot Itali ac Galli medici, tot practicarum (ut appellant) scriptis editis clari, tibi nón uidentur medici? & quidem tales, ut ex ijs etiam citra Hippocratis cognitionem ac lectionem, liceat esse medicis, & non uulgo tantum, sed & publicis etiam scholis doctoris titulo insigniri? Ego uerò ut non negauerim sic hodie publice medicos fieri; sic constanter asseuero, tales non aliter medicos esse, quàm olim Musicos Timotheus esse iudicabat ab ineptis artificibus institutos, nimirum quos omnes artem dediscere cogebat prius, quo apti fierent ad ueram musicam ab ipso discendam; atque id duplicato pretio exacto, cum geminus labor esset, & dediscendi prauam institutionem, & addiscendi ueram artem. Et sanè cōsultum esset, ut omnes publicæ scholæ semel agnito errore, omnia tum Arabum, tum Italorum ac Gallorum barbarorum Medicorum opera, aut potius onera, quorum iugo non aliter quàm uilissima seruitute grauissime premuntur, excuterent ac exterminarent, & se Hippocrati uero artis medicæ Timotheo formandos concrederent; uisuræ utique essent, uel sero tandem, in quantis tenebris uersatæ fuissent, ubi ueritatis lumen ex Hippocrate ipsis illucesceret, ut tum ratione, tum experientia, quæ duo iudicandi de rebus omnibus uelut instrumenta homini à natura cōtributa sunt, constantissimā & euidentissimā Hippocratis scriptorum certitudinem cognoscere possint. Sed difficilimū est eos qui se semel alicuius sectæ opinionibus addixerunt, ad ueritatem reducere. At uerò non penitus desperandum, quando nuper adeo una Florentina academia resipiscendi aliquando etiam alijs spem nobis exhibuit, quæ excusso Arabicæ & barbaræ seruitutis medicæ iugo, ex professo se Galenicam appellauit, & profligato barbarorum exercitu, unum totum & solum Galenum, ut optimum artis medicę auctorem, in omnibus se secuturam pollicita est, quod cum fecit, non exclusit utique Hippocratem, super cuius scripta uelut firmissimā basim & solidum fundamentum, omnia Galeni opera sunt extructa, utpote qui omnia quæ tradit, ubique omni arrepta occasione, ad reuerendum illum senem, sic enim ferè appellare solet, referat, eius auctoritate defendat, ut qui primus omnium recta usus sit uia; ad quam proximè quidē aspirarint Aristoteles & Theophrastus; multi uerò alij postea desciuerint, aut tandem etiam corruperint; in quibus omnibus refutandis, accerrimum Hippocratis uindicem pręstat Galenus; ut nisi Galenus scripsisset, longe uilior Hippocratis gloria apud omnes esset, cum fuerint qui palam hominis doctissimi scripta incessere nō erubuerint. Manetque hoc modo, quasi unum coniunctum corpus, Hippocratis & Galeni scriptorum aceruus, in quo uidelicet uera medendi ars & ratio, eaque tota comprehensa est, ut pręter hos nullis alijs medicis scriptis sit opus. Ingenij saltem uigore opus est, & linguarum cognitione atque industria diligentia; quibus adhibitis, summorum uirorum

scripta assequamur. Apud hos enim, uelut dixi, græcos auctores medicina nobis restat, sic exculta ac propagata est, ut ad nullos alios potius & maiore merito, etiam ipsam inuentionis gloriam referamus; atque hos non aliter quàm diuinos homines ueneremur, ueluti per quos nobis & sana tutandi, & morbida corpora sanandi ratio, diuinitus est ostensa. Et sane hoc sensisse uidentur omnes medici, qui post uerum illū Hippocratis discipulum Galenum scripserunt. Nam & Hippocratem & Galenum ex æquo sibi imitandos proposuerunt, relictisque omnibus empiricis ac falsò se appellantibus methodicis, qui ab Hippocratis placitis desciuerunt, rationali uia ac methodo ab Hippocrate inuenta & indicata, & a' Galeno exculta ac dilatata progressi sunt. Tales sunt Oribasius, Aetius, Paulus, qui palàm professi Galeni nomen, pleraque omnia ex illius scriptis accepta prodiderunt. Porrò latinos libenter ad huius cum græcis gloriæ participationem admitterem, sed nescio quomodo ij a' Medicina sic abhorruerint, ut nihil extet, quod hunc honorem mereatur, præter unicum Cornelium Celsum; qui tamen & ipse octo libris de re medica editis, in plerisque omnibus Hippocratem ipsum expressit, ut integras sententiarum periodos ex ipso descriptas subinde in eo uideas; Imò tota capita nihil aliud quàm Hippocratis sententias ad uerbum reddunt. Plinius contra Romanam grauitatem uisum esse ait, si instar leuium hominum græcorum, artem medicam exercerent, & hoc quæstu ex immani uitæ pretio facto. Sed & illud addit. Non fuisse futuram aliter, quàm Græce tractantibus fidem ac auctoritatem, cum etiam imperiti linguæ minus crediderint se iuuari ijs, quæ ipsi aliquo modo intelligerent. Et ipse sane Plinius medicinam ex professo non tractauit, sed ut arbiter quædam a' se producta æstimauit ac expendit. Quare quò etiam latina res medica auctior redderetur, annisi fuimus nuper ipsos græcos medicos latinos facere, aggressi in primis optimum auctorem Hippocratem, sed partim rei difficultate deterriti, partim quæsiti ad rem opportunè cōficiendam Mœcenatis fauore ac benignitate destituti, & eodem non longè post fato sublato; ab hac opera destitimus; non tamen ut penitus hoc seculum desperare iubeam ab Hippocrate nostro latino legendo. Est enim bona pars eius operum apud me conuersa; sed cui expoliendæ, atque ei quæ superest addendæ, tum anni isti, tum temporum infelicitas, in quibus talia nullius pretij existunt, non sufficiunt. Neque enim expetendum a' me puto, ut meo priuato sumptu hoc otium mihi comparem, quò publica studia iuuentur, quanquam non ignorem, quantam gloriam res ista mihi parere possit; hæc est enim scilicet, quæ ut ingens præmium nobis ab amicis proponitur; quam tamen ut non ambio, sic non adeo cornea fibra præditus sum, ut nō hinc iucundè afficiar. Reges ac magnos principes hęc gloria decebat; ἀλλά, πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Mihi ut priuato, onerosior quàm honoratior existat. Hippocrate itaque relicto, Aetium nuper paucis antè cognitum medicum, latinum exhibui fermè dimidiatum, additurus & reliquum, si fuisset exemplaris græci copia, & nisi Italus quidam interpres hoc onere me leuasset, qui partem quam ego nō habuij de suo conuersam adiecit; quanquā hoc ipsum opus uisum quidem nondum possideam, & ex integro moliar nouam cōuersionem; cùm etiā interim dum is hanc operam præstitit, mihi exemplaris græci reliqui copia contigerit. Sed & post Aetiū, suprà tractationem de respiratione, librosque de semine, & uteri dissectione, ac fœtus formatione, omnia a' me primùm conuersa, non ita dudum insigne opus Galeni de compositione pharmacorum secundùm locos, Frobenio Typographo obtuli, latinum primum a' me factum, & medicis commentarijs nostris additis illustratum. ex quibus Galeni quidem opus, omnibus Galeni scriptis, imò uniuersæ rei medicæ, uelut Colophonem addit. Nostri autem commentarij, nisi penitus fallor, aliquot milibus difficilium ac obscurorum locorum, tum apud græcos, tum apud latinos medicos intelligendis sufficient, suprà institutum, hoc est Galeni librorum κατὰ τόπους expositionem, & in integrum restitutionem. Sed tamen hæc omnia adhuc non sunt alia quàm a' græcis accepta; hinc enim ceu fonte perenni, Medicorum apollineis ora rigantur aquis. Quo igitur & latina parte studiosos medicinę iuuaremus, en uobis ornatissimi uiri, etiam latinum αὐτογενῆ medicum hunc Marcellum, qui quidem ex suo instituto hoc opus latinè prodidit, sed tamen ut in præfatione fatetur, hinc inde collectum, & præsertim ex latinis auctoribus, utroque, ut inquit Plinio, Apuleio, Celso, Apollinari, ac Designatiano. sed & Siburio, Eutropioque ac Ausonio, quos proximo ante se tempore uixisse testatur, illustresque honoribus & ciues ac maiores suos appellat. Quare ex ijs adeo uerbis clarescit, sub Gratiani & Theodosij magni Imperatorum ætatem hunc Marcellum floruisse, Gallumque atque adeo Burdegalensem ciuem fuisse. Nam Ausonius medicus Ausonij Poetæ pater sub Valentiniano uixit, & ipse Poeta Gratiani præceptor fuit, cui cōtemporaneum fuisse Marcellum uerisimile est, imò etiam ὁμόπατρι, quando Siburium Eutropiumque ac Ausonium medicum ciues ac maiores suos dicit. Sed & Eutropium sub Valentiniano uixisse constat, quanquam presbyterum & diui Augustini discipulum fuisse Volaterranus ex Ptolemæo Lucensi tradat, & scripsisse Epitomen Romanæ Historiæ ab urbe condita usque ad Iouinianum & Valentinianum Imperatorem; quæ res tamen nihil obstat, quò minus & medicus fuisse credatur. De Ausonio certè medico, ex Poetæ Ausonij filij Epicedio in patrem satis constat. Siburius uerò, si tamen rectè legitur, penitus obscurus existit. Est autem planè Empiricus totus hic Marcelli liber, ex obseruationibus cum aliorum, tum ipsius congestus, adeo ut nec plebeia & agrestium hominum remedia fortuita inquirere ac prodere neglexerit; atque ea magna ex parte superstitiosa. & quanquam Christianum fuisse appareat, cùm ex aliquot locis, tum ex eius seculi ratione, tamen mirum quàm uana pleraque tradat a' gentibus etiam fastidienda, præsertim ubi carmina attexit, & incantationes penitus ridiculas, aliquando græcas, aliquando lingua ignota; quod nimirum hoc ipsum est, quod Plinius dixit, homines minorem fidem habere ijs quæ intelligunt. Eiusdem uanitatis sunt & characteres quidam peregrini proditi ab ipso amuleti gratiā ad alligandi, & quædam anulorum scalpturæ gestandæ,

omnino

omnino talium præstigiorum ac delirametorum, qualium magna mole refersisse scripta sua Xenocratem Aphrodisiensem,& Pamphilum quędam sexto simplicium pharmacorum Galenus refert. Sed & Plinius eiusmodi subinde prodere non dubitauit. Nos ut talia non probamus, sic reijcere ex opere publico nobis non permisimus; Imô quædam ex ijs græca miserrime mutilata suo nitori restituimus, ut aliquem sensum exhiberent; quãquam quædam supersint eiusmodi ut dedita opera obscurata uideantur, ne uidelicet intelligantur, atque sic maioris æstimationis sint, uelut clandestina aliqua ui auxiliarem opem conferentia. Insunt præterea multa Empirica remedia, quæ itidem apud Galenum κατὰ τόπους leguntur, ex Archigene, Apollonio, Heraclidaque Tarentino, & alijs quibusdam citata, ut quædam nobis eò facilius fuerit redintegrare detruncata ac uitiata. Certè nihil temere in toto opere mutauimus, nisi palàm corruptũ; qualia multa librarij & ignorantia, & incuria fuerunt admissa. Et tantum sane' me præstaturum promisi Hieronymo Frobenio Typographo Basiliensi, diligentissimo, qui hoc opus meæ fidei ac curæ concredidit. Est autem hic uir supra diligentiam, qua optimos quosque auctores accuratissimè excudit, etiam non uulgariter studiosus, ut ueteribus auctoribus productis ac quasi nouis factis, rem literariam omnem adaugeat. Sic nuper auctores publicauit nemini antea notos, & hac parte laudem omnibus Europæ typographis præripuit; Veluti sunt Arriani & Hannonis periplus, Strabonis Epitome, Parthenius de fluminibus & montibus, uelut ego sentio; quanquam inscriptio Plutarchum præferat, & idem Parthenius de amatorijs affectionibus a' nobis latine redditus, Ptolemæi geographia, Diogenes Laertius, Aetius medicus, & hic Marcellus medicus, & quem aliquando nostra ope inuulgabit, Constantinus Cęsar de agricultura, ut taceam de tot scriptoribus alijs, & pręsertim ueteribus Theologis, Erasmi Roterodami auxilio publicatis. Illud pręterea admonendum duxi, Scribonium Largum nuper in Gallia primum inuulgatum, & publicè omnibus latinum medicum scriptorem creditum, totum in hoc Marcelli opere contineri, diuersis locis insertũ; ab ouo (ut aiunt) fere usque ad mala, adeo ut perorationem etiam Scribonij Marcellus cap. 35. habeat. Quę res facit, ut ego dubitem Scribonium ipsum latine scripsisse. Cùm enim in lib. Galeni κατὰ τόπους, tum ab Andromacho, tum ab Asclepiade medicamenta Scribonij nomine præfixo producantur, eademque etiam magna ex parte in uulgato latino Scribonio legantur, uideri potest Andromachum & Asclepiadẽ ex latino scriptore Scribonio medico transtulisse ea medicamenta, utpote qui ijs paulò annosior, sub Tiberij & Claudij Cæsaris ætate uixit; & sic sane' uulgò omnibus persuasum esse uideo. At uerò cùm pleraque ex ijs pharmacis quæ in Galeno græce leguntur, itemque in Scribonio latine habentur, dissideant tũ in rerum diuersitate, tum in ponderum ratione, & hoc tamen sic, ut ea diuersitas ex similitudine quadam appellationum ipsarum rerum uideatur oborta, ueluti uerbi gratia, quod καρδάμωμον in græco Galeni, Nasturtium, id est κάρδαμον legitur in latino Scribonij exemplari, & χαλκάνθη in græco, æris flos, id est χαλκοῦ ἄνθος habetur in Scribonio; minimè existimandum puto, grecos homines, Andromachũ & Asclepiadem, talia ex latino Scribonij opere malè transtulisse; Sed plane uice uersa, aliquem interpretem posteriorum seculorum, Scribonium græcum transferendo, gręca uel non intellecta, uel ex similitudine uocum corrupta, bona fide reddidisse, hoc est errorem ex errore propagasse, uelut etiam in commentarijs nostris medicis abundè declaraui. Indicat autem & ipsa dictio, se translatitiam esse, ut quæ illud latinissimum seculum non resipit. Sed & si Scribonius latinè hoc opus prodidisset, nõ uidetur Plinius eius mentionẽ fuisse neglecturus. Ignotum enim ipsi esse non potuit, qui postea sub Vespasianis illud suum naturalis historię uolumen edidit. Quare Scribonium omnino græcè scripsisse iudico, & quanquam Romani generis nobilissimæque Scriboniorum familię nomen habeat, ut & hinc latinè scripsisse uideri possit; Tamen tale tum seculum erat, ut quicunque ex Romanis medicinam tentaret ac exerceret, se ad gręcos transferret, atque hoc est quod Plinius dixit, In tanto fructu, paucissimi Quiritium attigêre, & ipsi statim ad gręcos transfugę. Atque hoc sane' iudicium meum de Scribonij libro, hoc loco ideo pretermittendum non duxi, quod totum eum librum Marcellus transcripsit, & huic operi suo inseruit. Et tamen cùm in pręfatione multorum latinorum medicorum, ex quibus sua collegerit, mentionem faciat, similiterque aliquoties in operis progressu, Scribonij adeo aut eius interpretis nusquam cõmeminit, sed simpliciter illius libri uerba, eodẽ etiam ordine transcripta habet; ut ego aliquandiu dubius hęserim, uter ex altero sua excerpsisset. Verùm ubi uiderẽ in Galeno eadẽ legi, Scribonij nomine pręfixo, quę in eo libro continentur, plane' translatitium Scribonij libellum, uelut dixi, iudicaui; & hoc factum suspicor circa Valentiniani Imperatoris etatem, inclinata iam tum re latina. Ex' ea itaque translatione, Marcellus bonam partem excerpsit, auctoris nomine suppresso, quod fortassis etiam ipse eius libri interpres suppressit. Et quando in re obscura nõ aliter, quàm suspitionibus & coniecturis agere possumus, addam & illud. Siburius, cuius in pręfatione meminit Marcellus, omnino Scribonius mihi legẽdus uideretur; nisi proximo tempore uixisse, ac ciuem suũ, uelut Ausonium & Eutropium diceret, quod de Scribonio intelligi non potest, qui sub Claudio Cęsare uixit; nisi tã inconsiderantem circa temporum & hominum rationem fuisse credamus Marcellum, ut Scribonij ętatem & patriam ignorarit; aut nisi Siburius omnino is est, qui Scribonium latinum fecit, & Scribonij nomine reiecto, suum prefixit; quem proinde Marcellus, ut auctorem libri, & ciuem suum, & proximi ante se temporis agnouit, dum eius mentionem facit. Quidquid eius rei est, Liber sane' Scribonij ubique corruptissimus, uel ex toto ex Marcello ipso corrigi ac restitui potest; Cuius opus, ut uetus, & medici Empirici, & qui ipse latinè scripsit, dignissimum uisum est, quod ab interitu uindicaretur, tum honestissimis uiris, Hieronymo Frobenio & Nicolao Episcopio Basiliensibus typographis pręstantissimis, tum etiam mihi. & sane' me nihil pœnitet eius operę, quam in eo euoluendo ac emendando collocaui, maxime cum

ipse Galenus magis empiricos, atque remedia usu cognita probet, quàm methodicos ex ratione inconstanti ad morborum curationem progredientes; ut sperem, imò certò sciam, etiam rei medicæ studiosos non exiguo fructu hoc opus sibi comparaturos ac lecturos, maxime uestris, uiri celeberrimi, nominibus præfulgentibus, ac quasi illicentibus; de quibus iam cõstans in ijs regionibus fama est, uos nihil nisi egregium ac publica commodans probare; & de te quidem Ornatissime Ioannes, frequenter in confabulationibus meminit optimus & prudentissimus uir gener tuus Michael Meienburg K, huius urbis syndicus, ac amicus noster summus, quàm uidelicet integro animo sis erga bona studia & ueram pietatem affectus, ut uel eximiæ uirtutis tuæ gratiâ sæpe cupiuerim tibi notior esse. In te uerò, optime Guilielme, eundem affectum cominùs & corâm etiam cognoui, ut non iniucunda mentio mihi de præclaris uirtutibus tuis apud honestissimum iuuenem Casparum Ernestum generum tuum quotidie ferè contingat. Magis enim mirum uidetur, in uobis adhuc uigere animum ad bona studia amplexanda ac iuuanda propensum, quem olim adolescentibus uobis in publicis Gymnasijs excitatum, declarare indies amplius non desinitis; & hoc ferè toti à literis ad rei metallicæ curam digressi ac quasi sequestrati, cùm plerique, qui omnem ætatem in publicis scholis detriuerunt, iam ea ætate, qua uos estis, non solùm non fructum aliquem studiorum ex se ostentent, uerùm etiam adolescentium studijs inuidentes incommodent; timentes uidelicet ne indies amplius ipsorum ignauia, imò ignorantia mundo inclarescat, aut etiam solis studiosorum ac doctorum titulis superbientes, aliâs uel in aulis magnatum colaces agant, uel caupones sint & pincernæ, sordidum quæstum ex omni occasione captantes. Quare ubi, à curis & officijs, quibus præclarè incumbitis, fueritis otiosiores, aliquando ad hunc Marcellum medicum uobis inscriptum & à me dicatum, diuertentes, aut salutaria medicamenta legere ne pigrescite, aut superstitiosa suauiter ridere satagite, Meque uestri nominis studiosum uel de fidicina hac amate. Opt. Valete. Northusæ, Calendis septemb.

ANNO. M. D. XXXV.

INDEX MEDICINARVM INFRA SCRIPTARVM.

Notis ponderum ac mensurarum Marcellus ijs utitur.

∋	scrupulum	⁎	denarium
Ʌ	uictoriatum	—	unciam
P	pondo	Є	semunciam
S	sextarium	S	semissem

MARCELLVS VIR INLVSTER EX MAGNO OFFICIO THEODOSII SEN. FILIIS SVIS SALVTEM DICIT.

SECVTVS opera studiosorum uirorum, qui licet alieni fuerint ab institutione medicinæ, tamen huiusmodi causis curas nobiles intulerunt, libellum hunc de Empiricis, quanta potui solertia diligentiaque, conscripsi, remediorum Physicorum siue rationabilium cõfectionibus & adnotationibus fartum unde unde collectis. Nã si quid unquam congruum sanitati, curationique hominum uel ab alijs comperi, uel ipse usu approbaui, uel legendo cognoui, id sparsum inconditumque collegi, & in unum corpus, quasi disiecta & lacera Aesculapius Virbij membra, composui. Nec solum ueteres medicinæ artis auctores Latino duntaxat sermone perscriptos (cui rei operam uterque Plinius, & Apuleius, & Celsus & Apollinaris ac Designatianus, alijque nonnulli etiam proximo tempore inlustres honoribus uiri, ciues ac maiores nostri, Siburius, Eutropius atque Ausonius commodarunt) lectione scrutatus sum; sed etiam ab agrestibus & plebeis remedia fortuita atque simplicia, quę experimentis probauerant, didici. Quorum uobis copiam labore nostro uigiliaque faciendam, filij dulcissimi, pro necessitate infirmitatis humanæ piissimum duxi; orans primum diuinam misericordiam, ne uobis uestrisque experiendi huius libelli necessitas ulla nascatur: Tum si qua fuerit prospiciendæ salutis & tuendæ ualetudinis causa, gratulemini super hac re, labori studioque nostro; quod uobis absque medici intercessione, opem necessariam curationemque præstabit. Cuius scientiæ beneficia, uice mutua caritatis humanæ, cum omnibus infirmis amicis, notis, ignotisque, immò uerò cum aduenis magis & pauperculis communicare debetis; quia & deo acceptior, & homini laudabilior misericordia quę ęgro hospiti ac peregrino egenoque defertur. Moneo sane, si qua fuerint paranda medicamina ne absque medico aut incuriosius componantur, aut indiligenter habeantur. Nam licet attentissime species & mesuras specierum remedijs quibusque adscripsero, & ipsarum mensurarum notas, uel ponderum qualitates secundum Græcam traditionem & medicorum ueterum consuetudinem seorsum libello huic inseruero, & non solum Romana sed etiam Graia expositione digessero; tamen e re est, ut hæc eadem cum peritioribus conferantur, ac sæpius retractentur; & quæ confecta fuerint, uel parata medicamina sub signaculis semper habeantur, ne aut casus incidat, aut malignitas alicuius obrepat, quæ beneuole & sincere parata corrumpat, fitque de remedio uenenum, & de salubritate pernicies; culpeturque medicina, cũ peccarit incuria. In summa, me hæc benigne parasse, & tamen super ijs monuisse sufficiet; uos perinde sanitati uestræ, atque opinioni meæ cõsuluisse conueniet. Epistolas quoque eorum, quorum studium æmulatum me esse scripsi, huic operi, ne quid deesset, adieci; quarum lectio & incitare uos ad necessariam cognitionẽ, & instruere poterit ad salutem. Versiculis quoque lusimus, migmatum & specierum digestione compositis. Non quod sit dignum aliquid in carmine, sed ut lectorem, scrutatoremque huius operis & poëma pelliciat, & exoptatio blanda conciliet, quod opusculum in infima parte huius codicis collocaui, & ut sermone nostro opera hæc solertia nostra composita claudantur, & nugas nostras multiplex foliorum celet obiectus.

De mensuris & ponderibus medicinalibus ex græco translatis, iuxta Hippocratem.

VNCIA habet drachmas numero VIII, scrupula XXIIII. Mina habet libr. I. uncias II. Cheme habet sicut drachma, ℈ III. Obolos habet denarius VI. Cotyla hemina, facit acetabula siue oxybapha IIII. Olyscion facit heminę partem septimam, quod facit — I & drachmas II. Cotylos habet — IIII. quod facit cyathos II. & coclearia VI. Item Cotylus triunciarius, habet heminę tertiam partem. Tetrobolon, est quarta pars heminæ. Chœnix sextarij duo sunt. Stater est quod metitur drachmas IIII. Est autem quanta semuncia. Denarius est argenteus drachma I. quod facit ℈ III. Victoriatus denarius dimidia pars drachmæ est. Obolus minor, drachmæ sexta pars est. Cyathus, pars octaua sextarij, sed ad pondus drachmarum pars decima est. Coclearium, dimidia pars drachmæ est. Tetrasarius, semuncia est.

Item de ponderibus & mensuris medicamentorum, ex libro XXI Plinij historiarum naturalium.

Drachma attica denarij est argentei pondus. Drachma eadẽ habet in pondere obolos VI. Obolus habet chalcos X. Cyathus pendit drachmas X. Acetabulum, quod dicitur, habet heminæ quartam partem. Hemina habet drachmas numero LX. Mna quam nostri minam uocant, pendit drachmas atticas centum.

Mensuras quoque ipsas Græcorum de medicinalibus ponderibus addidimus. quæ sequenti pagina continentur, ut in huiuscemodi rebus, si uisum fuerit, de fonte, quod aiunt, ipso petatur auctoritas.

περὶ

Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν.

ἡ μνᾶ ἔχει ὁλκὰς	ϛξ
ἡ λίτρα ἔχει οὐγγίας	ιβ
ἡ οὐγγία ἔχει ὁλκὰς	η
ἡ ὁλκὴ ἔχει γράμματα	γ
τὸ γράμμα ἔχει ὀβολοὺς	β
ὁ ὀβολὸς ἔχει κεράτια	δ
τὸ κεράτιον ἔχει χαλκοῦς	β
ὁ μέδιμνος ἔχει ἡμίεκτα	ιβ
τὸ ἡμίεκτον ἔχει χοῦς	β
ὁ χοῦς ἔχει χοίνικας	β
ἡ χοῖνιξ ἔχει κοτύλας	δ
ἡ κοτύλη ἔχει ἡμίξεστον	α

τὸ τρυβλίον δὲ, κοτύλη ἐστὶν α ἥμισυ.
τὸ ὀξύβαφον δὲ, τέταρτόν ἐστι κοτύλης.
ὁ κύαθος ἕκτόν ἐστι κοτύλης.
ἡ χήμη ἄγει ὁλκὴν μίαν.
ἡ ἑλλήνικὴ κοτύλη τοῦ ἐλαίου ἔχει λι α.
ὁ δὲ ξέστης, λι β. ὁ δὲ ἰταλικὸς ξέστης λι α ϛ
δῆλον οὖν, ὅτι καὶ ἡ ἰταλικὴ κοτύλη ἔχει γο θ ϛ
ἡ δὲ ἀλεξανδρίνη κοτύλη ἐλαίου μὲν ἔχει γο η
οἴνου δὲ, γο θ.

Τὸ κεράμιον ἔχει

ἐλαίου	οἴνου	μέλιτος
λι ο β	λι π	λι ρ κ

τὸ κόγγιον ἔχει.

λι θ	λι ι	λι ιε

ὁ ξέστης ἔχει

γο ιη	λι α γο η	λι β ϛ

ἡ κοτύλη ἔχει.

γο θ	γο ι	λι α γο γ

ὁ κύαθος ἔχει,

γο α ϛ	γο α ϛ γρ δ	γο β ϛ.

EPISTOLAE DIVERSORVM, DE QVALITATE ET OBSERVATIONE MEDICINAE. LARGIVS DESIGNATIANVS FILIIS SVIS SALVTEM DICIT.



LEGI ante hàc Hippocratis Coi Epiſtolam medicinę auctoris uel peritiſſimi, quã de tuenda ualetudine ad Antiochum regem ſcripſiſſe fertur ; cuius quia præcepta & monita uobis ad ſalutis cuſtodiam nota cuperem, collegi ut potui, quidquid ſeriem eius continere memineram, eámque ore Romano interpretans ſcripſi. caui fateor ne ad uerbum uerba transferrem, quò minus pleraque linguarum diuerſitate congruerent, ſi parum ponderis in ſignificationibus ueris fieret, itaque explicandæ rei aduerſus obſcuritatem conſului. Igitur Epiſtola talis eſt.

ANTIOCHO REGI HIPPOCRATES COVS SALVTEM D.

Eam te in hoc regnandi munere & culmine reputans ſuſtinere perſonam, ut rex magnus uitã multis utilem in longum prouehere debeas, ingentem ſimul prouidentiæ tuæ metiens curam, qua experientiſſimus rerum, matheſim quoque apprime adeptus es; conuenire talibus regalis peritiæ ſtudijs arbitratus ſum, domeſticam quoque tuendi corporis & procurandæ ualetudinis ſcientiam. ſuper cuius obſeruationibus ad te ſcribendum putaui, ut & quibus cauſis morbi exiſterent, & quibus prænoſcerentur indicijs, & qualibus inter exordia perimerentur medelis, oſtenderem. Nam ferè ut cæli turbulenta tempeſtas nunquam niſi pręcedentibus ſolet ſignis ingruere, ita corporum imminentia pleraque incommoda, ortus proprijs ſignificatione monſtrantur. Spondeo autem pro ingenita docilitate, qua noſtram quoque ſuper ijs rebus ſolertiam probas, monitis meis auſcultantem, poſſe te reliquum uitæ tempus firma ualetudine & plena incolumitate producere. Corporis igitur humani fit à nobis quadripartita diuiſio, cuius in partibus ſingulis ualetudinum moderatio continetur. Sunt autem partes hæ, cum capite oris ſublimitas, pectoris

latebra, uentris receptaculum, sentina uesicæ. Si capiti igitur eueniet incommodum, aut tenebræ offunduntur, aut cietur dolor, aut onusta quasi pondere supercilia sentiuntur. Aut fit temporum pulsus assiduus, aut tumescentibus mane oculis caligat aspectus, aut aures tinniunt, & accepto quodam interius tumultuantur sono. His ergo signis existentibus, caput est purgatione curandum. Sed super huiusmodi tamen leniore medela, hyssopi uel origani indici coma iniecta defruto siue mulsę, quæ septem uel plusculis diebus maceratur. De quo liquore postmodum coagitato atque colato tepido heminæ dimidium, aut ampliorem modum gargarizari oportet die calido uel sereno, ita ut resupinato ore faucibus liquor ille contineatur aliquantulum, & agitetur alterna uice, idque sæpius fiat, donec heminę dimidium consumatur, uel cum phlegmate proijciatur; sed hæc ieiuno adhibenda curatio est, qua nulla capiti leuior aut commodior reperietur. Hoc remedium qui neglexerit, & indicijs supra scriptis non occurrerit, necesse est sentiat aut oculorum uitia, aut ulcera intimis auribus erumpentia, aut strumas in confinio colli, aut pulsus cerebri, aut suffocationem, aut circa guttur anginam, aut uuę destillationem, glādulas quoque patietur, & tabem fluentium capillorum, & ulcera per capitis efferuescentia, doloremque dentium creberrime. Quod si a' pectore morbus minatur, qui esse simplex & non uiolentissimus solet, ijs præsentitur indicijs. Primum pectoris sudor intimus testatur æstum stomachi laborantis. Splen erit quasi distensus & eminens, sputamenta fellita, scapulæ cum lateribus grauabuntur, & improuiso dolore marcescent, assiduę oscitationes ora diducent, importunę uigiliæ somnos fugabunt, arctatus spiritus siti nocturna maxime inardescet, expergefactis mens erit tristis & nubila, post soporem, totius pene corporis pulsus, tremor in brachijs uel in manibus, sicca etiam tussis quatiet infirmum. His igitur sapienter occurritur, si consuetudo fiat sine ullo medicamine post cœnam uomendi. Vtile autem est etiam ieiunum uomere; magis enim humor noxius qui stomacho insiderit egeritur. Itaque qui mane uomiturus est, debet minutatim rafani radices manducare, easque uel succum earum transmittere, cardamum quoque, id est, nasturtium, sed & sinapi, & ericam deuorare, & aquam inde tepidam super bibere, ac digito uomitum prouocare. Qui ista contempserit, erit ijs obnoxius uitijs, pulmonis labore uexabitur, frenesim sustinebit, atræ bilis infesta commotio, ad usque uesani eum furoris periculum trahet, iactabitur febribus acutis, inops somni agitabitur perniciosis uigilijs. Si quando autem morbus a' uentre molitur, qui & ipse multiformi grassatur incommodo, hæc signa præmittit. Torquetur aluus & correptos cibos immoderatis fluoribus fundit. Potus in amaritudinem uertitur, membrorum omnium existunt dolores, causa latente grassantes, nimijs feruet ruboribus corpus, & acutis atque occultis febribus inardescit. Aduersum hæc uenter est molliendus sine grandi cura aut graui medicamento. Nam qui lapatho uel mercuriali herba usus fuerit, commode aluum temperabit. si parum proficiet hæc medela, & supra dicta indicia perseuerabunt, decoctus urticæ succus potui dabitur. Vtiliter accipiuntur & cymæ caulium multa aqua uehementer excoctæ. Etiā brassicæ humor melle admixto, & asperso sale temperatus bibi debet ad heminarum quatuor modum. Qui hæc adhibere cessauerit, ijs patebit iniurijs, ut aut cœliacus fiat, aut meatibus ruptis immoderato uentris fluore uexetur. Hinc dysenteria oritur & iliacus morbus, & ad superiora fimus redundans uomitibus & empneumatis inficiet. Hinc ischij passio erit dolorque coxarum, apoplexis etiam ijs originibus existet. hinc & sanguinis per inferiores meatus, id est, per hemorrhoidas, fluor multus emanat. articulorum quoque morbus, quem Græci arthritim uocant, istinc creatur. Cum uero ex uesica imminet origo uitiorum, & ipsa non minus causis pluribus nocens, ijs significationibus intelligitur; inflatio uesicæ adest; solet enim in eam multus ex alui meatu uentus immitti, inde assidua ructatio, inde incontinentes crepitus egeruntur, inde grauis somnus, inde urina sordida & diri odoris egeritur, & circa genitalia, tumor surgit. His ergo animaduersis, tali subueniendum medela; fœniculi & apij radices uino condito ueteri & odorato inijcies, & cum se hæc confusa macerauerint, cum uini cyathis duobus tantundem miscebis aquæ calidæ, & ieiuno potui dabis. Præterea radicis asparagi succus cum uino mixtus, optime sumitur. sed & ciceris albi non arietini decocti succus accipitur. ex hac ualetudine, nisi in exordio curatio adhibita fuerit, per urinę difficultatem & hydrops nascitur, & dolor iecoris, & uitia renum, & stranguria uesicæ, uentrem molestissimi dolores uexabunt. Hæc sunt de prænoscendis præueniendisque morborum causis. Addidi etiam, quibus & quatenus per anni circulum pro temporum uicissitudine obseruatis, incolumitas custodiatur. ab hyeme igitur salubrius fiet exordium. Ex die VIII calen. Ianuarias corporibus humor adcrescit usque ueris æquinoctium, quod incipit VIII calen. Aprilis. Hoc ergo tempore utendum calidissimis cibis, & optimis, uino aliquatenus indulgendum, usus etiam ueneris minime respuendus. Ex æquinoctio incipit phlegma crescere, id est, concretus humor & frigidus usque in ortum pleiadum, qui incipit pridie Idus Maias. ergo tum adhiberi cōuenit bene odoratos, sed & acres cibos. exhinc sanguis ardentior febribus augmenta suppeditat, nec minus humor obbibitur, usque ad æstiui temporis commutationem, quæ ad VIII. calen. Iulias inchoatur, a' quo die uenere abstinendum ieiunandumque. Ab octauo enim calen. Iulias æstiua progressio incrementa fellis exsuscitat usque in autumni æquinoctium, quod est VI calen. Octobris. erit igitur utendum frigidis & sapidis & bene olentibus cibis, parcius ieiunandum, & a' uenereo usu, ab VIII calen. Iulias certe per dies duodecim penitus abstinendum. post autumni æquinoctium, id est post diem VI calen. Octob. acres biles uires & augmentum sortiuntur, in occasum pleiadum, qui est IIII Idus Nouemb. humores etiam graues serpunt. Erit igitur utendum acidis & acribus cibis, uenere quoque abstinendum, parcius etiam ieiunandum. Ab hoc rursus tempore, id est, a' IIII Idus Nouembris sanguis deficit; congruit igitur leuioribus cibis uti, uino indulgere, nec usu ueneris abstinere, in

VIII

VIII calen. Ianuarias, ex quo incipit tempus hybernum. Hæc, ut dixi, obseruans in columi sospitate uitæ spatia transcurres, nec ulla indigebis uisitatione aut curatione medicorum.

EPISTOLA ALIA EIUSDEM HIPPOCRATIS EX GRAECO TRANSLATA, AD MOECENATEM.

QUEM roganti tibi libellum promisi, omni cura adhibita descriptũ misi, ordinatissimum tuæ salutis custodem; quem debebis tam diligenter intueri, quàm scriptus est. ad curationẽ enim corporis tui omnia explorata sunt, quæ cum rerum effectu comperi, celeriterque complexus sum. intueri ergo omnem medicinæ rationem debebis. Namque ego diligenti cura, licet summa breuitate, comprehendi singula curationum genera, sicut proxime in eo libello feci, quem Cæsari nostro coram te tradidi; quas curationes per temetipsum æstimare poteris; sapientibus enim ratio uenire in consilium adsueuit. Omne itaque corpus hominum, pecudum, alitumque ex quattuor generibus constat, sed præcipue hominum, calido, frigido, sicco & humido. Frigido enim continentur uiscera, unde spiramus. Calore continetur anima, qua uiuimus, id est, qua uita sentimus. Sicca sunt ossa, quæ uires faciunt ad sustinendum laborem. Humidus est sanguis, quo alitur uita. Per omnia enim uiscera uenæ currunt, quæ sanguinem regunt. Sanguis animam, anima uitam sustinet, spiritus autem aeris est. Ossa neruis munita, uirtutem corpori præstant. Sanguis cùm abundat, ualetudinem uitiat. Ex eo nascitur sanies, quam in uulneribus sectis uidemus. Nascitur & pituita, quæ nauseã facit. Nascitur etiam bilis acida & amara, quæ dicitur mater morborum. Bilis enim cum est, concitat calores. De pituita perfrictio nascitur quę facit dolorem intestinorum, torsiones etiam inflationemque, quę corpus extenuat. sanguis autem a nimio cibo, nimiaque potatione incipit abundare, & cruditate corrumpitur. Qui cùm euacuatur extra cursum naturæ, infert aliqua corpori uitia, & in quacunque parte corruptus incubuit, fatigat & lædit. Nam sanguis animam quoque uitiat, & inde os hominis incipit foetere. Cùm est ergo integer sanguis, animam sine dubio confirmat, ut possit frigus caloremque fortius sustinere. At cùm abundat, cumque calore animæ corrumpitur, fit sanies, tum & bilem atram concitabit, & calorem interdum ac frigus faciet, corporique uniuerso languorem, animæque malum odorem uel anhelitum faciet. quò facilius igitur commodis ualetudinis fruamur, & incommoda uitemus, prognostica, id est, præcurrentia uitia, signis naturalibus cognoscamus, cognitaque emẽdemus, ne mortifera fiant. Quattuor igitur disponuntur corporis partes, cuius origo in capite est, & thorace, deinde uenter sequitur & uesica. ita ergo locorum istorum sinceras notas cognoscemus. Hominis sani urina manè alba erit, & ante prandium rufa. Pransi rursus candida, item ante cœnam rufa. Nec ego tamen necessitatem prandendi imposui, sed magis urinam & tempora naturalia ostendi. Candida enim urina debet esse, ubi cruditas non est, manè quieto corpore, deinde motus ipse & deambulatio urinam turbat, excitatque uesicam; ideoque coloratior fit. Quòd si mane urina mutauerit colorem, ostendit subesse uitium infirmitatis, quod tamen pro prijs indicijs intelligimus. cùm enim a capite morbus oritur, solet capitis dolor comparere, tunc & supercilia grauantur, tempora saliunt, aures sonant, oculi lacrymant, nares repletæ, odorem non sentiunt. cùm ex ijs ergo aliquid accidit, caput purgari oportet hac ratione. Hyssopi aut cunilæ bubulæ fasciculum cum aqua deferuefacias, inde aquam ore continebis, sed caput calide tractabis ut fluat pituita. Quòd si quis negligit, capiet epiphoras oculorum, aut dentium uel aurium dolorem. Interdum etiã strumæ parotidesque nascuntur, & alia uitia, quæ circa fauces ceruicesque oriri solent. Item distillatio aut grauedo narium erit. Et interdum ulcera in capite nascuntur, aut etiam capilli defluunt. Cùm autem a thorace morbus nascitur, incipit caput sudare, linguaque fit crassior, aut os amarum, aut tonsillę dolent. Oscitatio erit frequens sine somno & quiete. Torpor membrorum, animi dolor, prurigo corporis, brachia manusque adsiduè intremiscunt, subitaque tussis arida & inquieta nascetur. Ex ijs ergo cum aliquid acciderit, uitabis uitium graue, si uomueris siue ieiunus, siue post cœnam, uel in balneo. Plus autem prodest si ieiunus bilem eieceris. Eam enim dicimus matrem morborum. Sed qui uomere nolunt, uel non possunt, quia stomacho laborant, decimo quoque die ieiunando, omni cibo se abstineant; quo facto uitium grande uitabunt. Nam frequenter uomendo, solet stomachus corrumpi. Quòd si a uentre morbus orietur, hęc erunt signa; uẽter uertetur atque turbabitur & sentiet crebros dolores, cibus & potio uidebuntur amara. Genua succident, lumbi grauabuntur, interscaplium contrahetur, totumque corpus particulatim grauabitur. Tardabuntur pedes, pigra fient crura, renes indolescent. Et post hæc, febriculæ incurrent. His itaque cognitis, prima est abstinentiæ utilitas. Tum etiam medicamentis aluum purgari oportebit, ut graue corpus leuamentis adiuuetur. Quòd si morbus maior premere uidebitur, adijcies alterum diem abstinentiæ, si tamen uires patientur; sin minus, quàm leuissimum sumes cibum, ut ouum sorbile tantùm, aut aliquid ouo simile accipias. Hoc qui negligunt, fiunt cœliaci, torminosi, dysenterici, etiam ex eo nascuntur tertianæ & quartanę, fiunt podagrici chiragricique, morbus etiam articularis hinc accidere solet. Quidam etiam fiunt amentes, quibusdam sanguis etiam erumpere è naribus solet. Oportet ergo occurri tam grauibus malis curatione prædicta. A uesica qui nascuntur morbi, hæc dabunt signa; pleni uidebuntur, & citò saturari, quos grauabit. Sequentur inflationes uentris, & crepitus crebri, uidebuntur oscitare nec oscitabunt, sed tantùm os diducent, sequetur totius corporis stupor somnusque grauis, quasi marcor, fiet urina liuida & uix erumpens. tumescunt etiam ueretra, inde & calculosi fient. Hæc uitia sic emendantur. Feniculũ &

apium uino austero madefacito, uel etiam earum herbarum radices contere, & ex uini cyathis duobus, & tantundem aquæ calidæ accipe adsidue, uel dauci semen, & myrtum ex aqua calida sume, uel cicer album sume non arietinum, madefactum uino, ut supra scripsi, ebibe, uel radicem asparagi, uel eruum erraticum, uel serpillum decoque, eiusque aquam uino mixtam bibe. Quæ qui negligunt, fiunt hydropici. Sequetur ijs iocineris & renum & uesicæ dolor. Fient quoque calculosi, stranguriam quoque sustinebunt, & uentris tumorem. Intueri autem oportet ægri uires, quomodo possit sustinere medicinam, ut ita febri & cruditati eius adhibeatur. fiunt ergo cataplasmata adhibenturque, quæ apta sint capiti, uentri, uesicæ, cruditati, frigori, calori, pro ut tempus exegerit. uti autē ad hæc oportet rosa, aceto, uino, oleo irino, linguam quoque ægri asperam melle perfricari, uel mentæ folio. reliqua diligenti medico permittenda sunt, quia iuxta morbos debet adhibere medicinam. Quoniam ostendi corporis sani & imbecilli notas per urinam denunciari, & adieci curationum consilia, nunc & compositiones medicamentorum adijciam; unum, ne nascantur corpori uitia, alterum, ut emendatio sanitatem reducat. Aduersus autem omnes impetus morborum duo sunt remedia certissima, Primū est, decimo quoque die ut te abstineas a cibo & potione. Deinde postero die laueris ciboque firmo uteris; qua re & obseruatione efficies, ne quid omnino uitij corpori tuo accidat, & perpetua sanitate sis tutus. Est & potio salubris, quæ omne corporis uitium elimat, & ualetudine confirmat. Eius potionis iam tecum habes compositionem, per annos enim complures amicissime Mœcenas, cum Cæsare nostro pariter nos morari meministi; quo tempore hæc obseruando, nunquam in ullum corporis languorem incidisti. Quo tempore nec nostrum Augustum, quidquā molestioris incommodi passum esse nosti. Ita enim me tecum habebis, si libellum meum legendo sæpius tractaris, qui plenius tibi me absente præstare consilium in omnibus poterit. Terentij Velpisti in ultimo libello leges dynames herbarum, quas ut crescentibus numeris Lunæ obserues, dum tollis & componis, curato. Si ita non feceris, & ad deminutionem Lunæ sustuleris, minus ualebunt. Ipsum etiam mare per Lunam augeri & minui scimus, cerebra etiam hominum augentur crescente Luna. Cùm autē minuitur Luna, una quæque res deminutionem sentit; quod licet recognoscas, ex ijs quibus cotidie uteris: Tamen & per me admonitus, scies omnibus & minui augmentum & augeri per lunam. quod si ita est, in herbis quoque legendis, componendisque medicamentis, uim eius & potestatem nos obseruare debere, ne dubites.

EPISTOLA PLINII SECVNDI AD AMICOS DE MEDICINA.



FREQVENTER mihi in peregrinationibus accidit, ut propter meam aut meorum infirmitatem, uarias fraudes medicorum experirer, quibusdam uilissima remedia ingentibus pretijs uendentibus, alijs ea quæ curare nesciebant, cupiditatis causa suscipientibus; quosdam uero comperi hoc genere grassari, ut languentes qui paucissimis diebus uel etiam horis possint sanari, in longum tempus traherent, ut & ægros suos diu in reditu haberent, & seuiores ipsis morbis existerent. Quapropter necessarium mihi uisum est, undique ualetudinis auxilia contrahere, & ueluti in breuiarium colligere, ut quocunque uenissem, eiusmodi insidias uitare, & hac fiducia securior iter ingredi queam; ut & sciam, si quis mihi languor acciderit, non facturos medicos ex me uel ex meis reditum, nec taxaturos incommodorum occasionibus sanitatēs. Ante omnia autem puto in prompto habenda quæ subito desiderata, difficillima uidentur inuentu; sicut oleum uetus, quod si ad manum non erit, celerrime fieri poterit. Deferuefactum enim, uel recentissimum, & odorem & uires uetustissimi præstat. Et, si forte curatio exegerit, aquam marinam in mediterraneo quæri, sollicitudini locus non erit, si ita prospiciatur; duo enim salis sextarij in quatuor aquæ sextarios missi, temperatissimam marini liquoris copiam facient. Oxymeli uero facile erit fieri, si in duobus cyathis mellis, sextarius aceti addito pulegio & salis modico contemperetur. Polenta autem hoc modo fiet. Hordeum aqua perfusum, una nocte siccatur, deinde ad XX libras hordei adijciuntur tres libræ lini seminis, coriandri selibra, salis acetabulum. Tunc deinde hæc mixta torrentur, & mola franguntur. Omnibus autem curationibus mel optimum est, in quo apes moriūtur; & lana succida ea bona est, quę de ouis collo fuerit adtonsa. Cinerem autem uel aliorum animalium desideratum sic fieri oportet; in ollam nouam mittitur auis, aut quodlibet aliud animal quod putaueris exurendum; quod addito operculo, circumlitoque argilla, in furno feruenti torrebitur, spiramento permodico facto. Gargarizationes uero omnes calidæ utendæ sunt, sicut & fomenta, ut medendi ratio & usus ostendit.

Alia Epistola.

CORNELIVS CELSVS CAIO IVLIO CALISTO SALVTEM D.



INTER maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Caliste, fertur dixisse, medicamenta deorum immortalium manus esse; non sine ratione, ut mea fert opinio; prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id pręstant medicamenta usus experientia cōprobata. Animaduertimus itaque sæpe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate præcedentium, dum quæritur, quid nam faciendum, aut qua ratione succurrendum


rendum sit ægro, quosdam humiles quidem & alioqui ignotos, reiecta peritiores, uel quod fateri pudet, longè summotos à disciplina medicinæ, & ne affines quidem eius professioni, medicamento efficaci dato, protinus, uelut præsenti numine, omni dolore periculoque liberasse ægros. Quamobrem spernendi sunt quidem, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum, forsan non à medendo, sed à potentia effectuque medicamentorum ita appellatam. Probandi autem sunt, qui omnimodo succurrere periclitantibus student. Ego certè aliquoties magnum scientiæ consecutus sum titulum ex usu prosperè datorum medicamentorum, multosque ex eadem causa nõ mediocrem gloriam tulisse memini. Est enim hec pars medicinæ uel maximè necessaria, certè antiquissima; & ob hoc primum celebrata atque inlustrata. Siquidem uerum est, antiquos herbis ac radicibus earum, corporis uitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro ignique committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes. Et nisi magna compulsi necessitate ipsius salutis, non patiuntur sibi fieri, quæ sanis uix toleranda sunt. Cur ergo aliqui excludant medicinam de usu medicamentorum, non inuenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. siue enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, meritò accusandi sunt, quôd tam negligentes in tam necessaria parte artis fuerint; siue experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt: quia crimine inuidentiæ flagrant. quod malum cùm omnibus animantibus inuisum debeat esse, tum præcipuè medicis; in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis uoluntatem, hominibus dijsque omnibus inuisi debent esse. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinæ legitimè est obligatus. Sed persequetur eos, cùm res postulauerit, ut militans & ciuis bonus omni modo; quia medicina non fortunâ, neque personis æstimat homines, uerùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua porrecturam & succursuram se pollicetur; nullique unquam nocituram profitetur.

Hippocrates conditor nostræ professionis, initia disciplinæ à iureiurando tradidit; in quo sanctum est, ut ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstretur à quoquam medico; uidelicet longè præformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim nefas existimauerint spe dubia homines lædere, quantò scelestius, perfecto iam nocere iudicabunt? Magni ergo æstimauit nomen decusque medicinæ conseruare, pio sanctoque animo quemque, secundum ipsius propositum se gerentem. scientia enim sanandi non nocendi est medicina. quæ nisi omni parte sua plenè excubat in auxilia laborantium, non præstat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo, qui prodesse adflictis aut nolunt, aut non possunt, alios quoque deterrere, negando ægris auxilia, quæ per uim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primùm cibis, ratione aptoque tempore datis, tentat prodesse languentibus. Deinde si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit uim. Potentiora enim hec & efficaciora, quàm cibi. Post ubi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduersæ ualetudinis, tunc coacta ad sectionem, uel ultimò ad ustionem uenit. At Asclepiades maximus auctor medicinæ, negauit ægris danda medicamenta. Quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamẽ, si uerum id esset, dicere, quid Asclepiades senserit: forsitan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo sanè fuit, qui parum feliciter se in hoc negotio gessit. Itaque non deterreor persona, cùm re manifesta prodesse uideor. Nunc uerò cùm tam impudenter quidam de eo mala comminiscantur, quid possum ultrà dicere, nisi quodammodo parricidium ac sacrilegium eos committere, qui hæc dicunt. Ille enim febricitantibus uitijsque præcipitibus correptis, quæ oxypathe Græci dicunt, negauit medicamenta danda, quia cibo uinoque apte interdum dato, remediari tutius eos existimauit. Cæterùm in libro, qui Parasceuòn, id est, preparationum inscribitur, contendit ultimæ sortis esse medicum, qui non ad singula quæque uitia binas ternasque compositiones & expertas & protinus paratas habeat. Vides ergo, quâm non placeat Asclepiadi usus medicamentorum? cui nisi plura ad unum quodque genus uitij medicamenta composita habeat, non uidetur dignus professione medicinæ. Sed ista licentia, nomine tantummodo medicorum, propter quorundam negligentiam latius processit. Raro enim aliquis, priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat (cum nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam, nisi probato prius artifici per quædam experimenta, atque electo) habeat ne omnia pondera ac mensuras exactas, ne quid errorum in rebus necessarijs accidat. Videlicet quia sunt quidam, qui pluris alia quàm seipsos æstiment. Ob quod sublata est unicuique studendi necessitas; & non solùm antiquos auctores per quos consumatur professio quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de ijs audent. Vbi enim delectus non est personarum, sed eodem modo malus bonusque habetur, disciplinæ ac sectæ obseruatio perit; quodque sine labore potest contingere, & in quo dignitatis atque utilitatis præstare uidetur æqualitas, id unusquisque magis sequitur. Atque ut quisque uult, facit & medicinam. Quosdam enim à peruerso proposito nemo potest mouere; & sanè omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis eius. Multos itaque animaduertimus unius infirmitatis sanandæ scientia, medici plenum nomen consecutos. Nos uerò ab initio rectam uiam secuti, nihil prius in totius artis perceptione, quàm homini permittitur, iudicauimus. Quia ex hac omnia commoda consecuturos nos existimabamus, non medius fidius tam pecuniæ aut gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis scientiæ. Magnum enim & supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, uel recuperare suam & unius cuiusque bonam ualetudinem; itaque ut cæteris partibus disciplinæ, ita huic quoque, quæ per medicamenta uirtutem suam exhibet, curiosè institimus, eò magis, quòd percipiebamus indies ex usu profectus eius,

quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid ultra opus est proba re, necessarium usum esse medicamentorum? præcipuè tibi, qui, quia percepisti utilitatem eorum, idcirco à me compositiones quasdam petisti. Ego autem memor humanitatis tuæ, candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plenissime, mihi etiam peculiariter præstas, non solùm quæ desyderas remedia, uerumetiam si qua alia de expertis in præsenti habui, in hunc librum contuli, quem ad te misi. Cupio enim mediusfidius, qua possum tuæ in me tam perseueranti beneuolentię respondere, adiutus omni tempore à te, præcipuè uerò istis diebus; ut primùm enim potuisti, non es passus cessare tuæ erga me pietatis officium, tradendo scripta mea latina de medicinalibus nostro Cæsari. Quorum potestatem tibi feceram ut ipse prior legeres, simpliciterque indicares mihi quid sentires de ijs. Plurimùm enim iudicio tuo tribuo. Tu porrò candidissimo animo & erga me beneuolentissimo, dignos nomine editionis, non uerbis sed re probasti; periculumque non minus tui iudicij, quàm ego stili, propter me adisti; quo tempore diuinis manibus ea tradendo cōsecrasti. Fateor itaque me gratias tibi agere, quod & prius quàm rogareris, consummasti amicissimo affectu uota mea, & quod contigit mihi fauore tuo, maturiorem percipere studij huius mei fructum ac uoluptatem. Ignosces autem, si paucæ tibi uisæ fuerint compositiones, & non ad omnia uitia scriptæ; sumus enim, ut scis, peregrè; nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus librorum. Postea autem, si & tibi uidebitur, ad singula quæque plures compositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam habere; quoniam reuera quædam magis quibusdam, & non omnes omnibus conueniunt, propter differentiam scilicet corporum & affectionum, quarum initium à capite faciemus; summum enim & quasi primum locum hoc obtinet; dantes operam, ut simplicia remedia prima quęque ponamus. Interdum enim hæc efficaciora sunt quàm ex pluribus composita medicamenta. erit autem nota denarij pro Græca drachma; æquè enim in libra denarij L X X X I I I I apud nos sunt, sicut drachmæ apud Græcos incurrunt.

Alia Epistola eiusdem Cornelij Celsi.

CORNELIVS CELSVS PVLLIO NATALI SALVTEM D.



ECTIS duobus libris compositionum græcis, Pulli Natalis, quos misisti mihi, ut in latinum sermonem conuerterem, libenter parui tuæ uoluntati, dignos eos existimans, quibus operam impenderem; quos plenos utilitatis comperi; alioquin excusassem, ni me propositum haberet, nihil non dignum sublimi Romanorum maiestate, de bono medicinæ artis splendidissimè scribere, idque perennitati & litteris mandare. Habebit ergo & præsens tempus & futura posteritas, in hoc perpetuæ uoluntatis meæ utræque gratissimum munus; si quidem bona ualetudine nihil est pulchrius. dedi autem operam, quantum potui, ut ad uerbum transferrem, quæ in græcis medicinalibus repperi, nec necessariam curam cultus orationis putaui; quia rectius duxi proprietates nominum edere, & rem ueram sub herbarum peregrinarum uocabulis explicare. unum genus fateor me translationis de industria declinasse, quo ferè Græci utuntur in medicamentorum scripturis, omnia ad secundam personam dirigentes. Ego uerò in usum medicamentorum, quæ edidi, omnis boni gratia, nullam malui, quàm infinitam inferere personam. Admoneremque, nisi certum haberem, te non ignorare, me huiusmodi bona utilitatis magis, quàm delectationis causâ scripsisse. Græci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt; quæ quia ad denarium nostrum conueniunt, octoginta enim & quatuor in libram incurrunt, pro nota Græcæ drachmæ, quæ est figura talis Z, notam denarij Latinam, quam nosti, posui, id est hanc ✳, & ad eius pondus Græcas drachmas rediges. & quando quæ uolui, præfatus sum, nunc quæ desideras, explicabo.

Epistola Vindiciani Comitis Archiatrorum, ad Valentinianum Imperatorem.



Vm sæpe, sacratissime Imperator, humani generis fragilitas falsò de natura sua queratur, aliquando tamen potuimus redditis causis, ostensisque remedijs, uanas & innumeras querimonias refrenare. Nam sicut rudis gubernator turbatum mare sulcans, incertus periculorum, dubius salutis, cuncta rimatur; Ita & mortalium natura, quæ perpetua sanitate optat frui, placida quæque desiderat. Sed quia nec mare semper potest esse tranquillum, nec unus in diem uenti spiritus durat, nec securus nauta ratem potest scandere, cùm æquor mole fluctuum tollitur; sic neque mortales possunt semper esse ualidi aut uiuentes, sed pro ætatis & temporis uarietate, diuersis morborum aguntur incommodis. Quæ cùm ita sint, clementissime Imperator, magna laus est ueterum instituta scrutari, maior uerò gloria inuenta seruare. Siquidem illi uiam laboribus suis uirtutibus aperuerunt, nobisque iter intelligentiæ sua sapientia reliquerunt. Vnde cùm quidam febribus teneretur, & diu uentris duritia strangulatus, die duodecimo iam morti proximus uideretur, adhibitis ad curam multis, & magnis medicis, ut remedium consequeretur, hoc illis summum periclitanti præsidium uisum est, ut per intestinum clysterio ei curatio pararetur. cùm ille imminenti

periculo

periculo æstuaret, & ueluti morti proximus, curationis etiam extrema deposceret; ego pudoris & reuerentiæ modum seruans, quem cúctis semper exhibui, prospexi ad tempus, ne ueluti turpis cura forti uiro adplicaretur. Cùm ergo uidissem physin eius, quam de colore collegi, & siccitate uiscerum fatigari eum penitus aduertissem, ilico infuso sale aquam frigidissimam obtuli eius ardori; qui cum desyderio recentis, quo cruciabatur, totum quod ei oblatum fuerat, ebibisset, auctores medicinæ magni, qui id spectabant, exclamauerunt, occidisti hominem. nec dum uox eorum ab ore manauerat, euestigio eum somnus occupauit, sudorque perfudit. Quibus ego præsentibus, clementissime Imperator, tantis sudoris eius abstersionibus laboraui, ut si dici fas sit, Nilus ex eius corpore uideretur effluere. uerùm cùm æger expergefactus, recreatum se extinctis febribus, & ab infirmitate leuiorem esse sensisset, uentris etiam cœpit desyderio uehementer urgeri. adlato itaque uasculo, omne alui onus, quo grauabatur, exposuit, ad tam dirum fœtorem, ut omnes qui illic aderant, fugarentur, dicentibus egregijs medicis, quod omnia eius interna putruissent. Post tertiã intæger ad balneas mittitur, ut lauacro eius siccitas humigetur. qui perunctus unguentis remediabilibus, cùm post balneum uestimenta accepisset, sitire se dixit; statim eum absinthio, in quo libisticum fuerat decoctum, progressum à balneo potaui, ne quid causationis in corpusculo eius maneret, quo uesica scybalis uel lapidibus per uicina loca meantibus premeretur. Præcepi etiam ei escam fieri de minutalibus porcinis, id est, podocylijs & uentriculo, in quem uentriculum acetum cyminatum modico adiecto lasere mitti mandaui, ut omnino excocta caro, etiam ossium duritiam emolliret, ut soluta eorum medulla cum iure ipso absorberetur. non dubium est autem, optime Imperator, quod ex indigestione externarum crudissimarumque crapularum, uel superfusa diuersi nimietate uini, repletis & plene tumentibus uenis, potus in uisceribus amarescunt, aufertur somnus, subsequitur calor, atque occultarum febrium pestis, & quædam phrenesis pulsu cerebrum inquietat, uenter durescit, qui iam dudum crudus repletus fuerat exuberantibus cibis; qui dum excoquuntur, consumptis quæ humida sunt, inflammationes importunissimas faciunt; quæ adiecta calida aqua amplius necesse est excitentur. Inde ergo uenter durescit, inflatur pulmo, splen distenditur, pinnæ etiam iecoris porriguntur. Quibus coangustatum & coartatum fel exprimitur, quo infuso, tingitur corpus & fit luteum. Cùm ergo peruenerit ad ea loca uenarum, in quæ pocula hausta descendunt, duo mala iuncta, id est, res acris ac dulcis, citò auferunt animam; sicuti petrarum humidarum sudor igni subiectus, citò absorbetur ab igni, petra autem ipsa exusta & concremata, spongia efficitur; unde calx uel gypsum conficitur. ita calore febrium excoquitur uitium cruditatis, ciborumque congestio. Quibus consumptis & exhaustis, frigida sine dubio superfundenda est, ne penitus arescant. Nam nimirum æstimas, ô bone Imperator, calidam & frigidam mortalibus inclusam esse corporibus cùm singulæ res propriam habeant naturam. Ignis ignem, aqua aquam desiderat. sed ad horum iungendam societatem siue temperantiam procurandam, siluarum materies, lignumque deposcitur, quod & nutrit ac suscitat & rapit ignem, & frigidam uertit in calidam. sed non ita in nobis est coæquandum. Accipe igitur serenissime Imperator, quod conueniens nobis putetur exemplum; thermarum scilicet abse calidarum mixtio temperata, ubi nec ignis uidetur, nec lignum suggeritur, nisi uapor solus sponte conficitur, & aer calidus sine labore sentitur. nonne duo unum sunt? & diuersa atque contraria inuicem prosunt? diuina prouidentia salubri permixtione ac temperie procurata, nonnullam corporibus abluendis sanitatem præstant, competentemque medicinam præbentes, uarios languores à corporibus mortalium pellunt? Hæc cùm ita sint, nihil aliud reor mortalibus præbendum, nisi id quod cùm infirmi essent desiderauerunt, & oblatum sibi profuisse senserunt. His ergo utamur, quibus sumus bene experti, & quorum beneficio consecuti sumus optabilem sanitatem. Nam similiter quidam cùm oculorum lachrymantium reumate carere non posset, productus est in medium conuentum multorum spectantium medicorum. Qui cùm inspectus ab ijs fuisset, dixerunt ei palpebras incidi debere. comburi etiam hemicranium & raso capite uenas secari, quod Græci arteriotomõn dicunt; imponi etiam escharas; & cùm iam omnibus locis debilitatum & cauterizatum caput haberet, nihilque ei tormenta, quæ desiderio sanitatis patienter tulerat, profuissent, deflebat omnibus infelicitatem suam. In ultimum hæc ab egregijs medicis inuenta curatio est, ut cùm dexter oculus lacrymam funderet, uena ei dextri brachij laxaretur; cùm fuisset, similiter in sinistro brachio fieret. Quod cùm pati cœpisset infirmus, flens & gemens illud Catonis sæpe dicebat, corporis exigua medico committe fideli. Ego autem dico, & perito. Restiti igitur ijs, nec laxari uenam permisi; magnoque silentio facto, auctores nostros in medium protuli ac recitaui, dixique ad eos: Si ex multifario tormentorum genere miserandus iste, uel unam medelam fuisset adeptus, meritò uos pateretur; sed cùm, neque inunctione, neque incisione, neque combustione, inundationem lachrymarum reprimere potueritis, cur indoctè uenas ei laxari præcepistis? cùm hic iam semianimis, uisionem ipsam ferri perhorrescit. Vnde reddite mihi sapientissimi uiri hodiernæ causas curationis, cur fuerit desuper oculus incisus, cur rasum caput, cur meacula exusta uenarum; meatus enim irrigatio si uenerit ad ea loca, in quibus habebat receptaculum collectionis suæ, quo impetu exinde descendebat deorsum, recurrens rursum ad fontem cerebri, ibique coangustatus cùm feruere cœperit, uerendum est, ne perforans cutem, ac pertundens cratẽ capitis, generet in eo uitia diuersa. aut ne iterũ per aliquã uenarũ erumpat ad aures, faciatque hominem surdũ, totũ oppilans auditum; aut uermes in auribus generet, uel naribus polypos nutriat, aut oculis ægilopia excitet, aut dentibus sit molestus, & faciat hominẽ oris fœtidi, atque corrupti; uel quod maximè cauendũ est, ne per uuę destillantis, aut exulceratæ uitiũ, ipsa musicè hominis corrupta languescat, pulmonique & stomacho plagã inferat, lumbos quoque renesque dissoluat, & incipiat humor noxius p inguina

& coxas, & crura decurrens, facere contractiones talorum atque neruorum, paulatimque auferat gressus; totoque organo tabescente, uideamini potius consumpsisse hominem, quam curasse, cum uere uiolenta morte uideatur de hac luce migrare. Nam si ceparum acritudo aliquotiens nobis non manducantibus, nostris tamen oculis molesta est, aut sinapi, ubi & mel miscetur, leniri penitus non potest, sed calore eius commotum cerebrum ita desudat, ut oculos & nares acer humor infestet; quid putamus illi patiuntur, quibus circa oculos cura rursus aut igni adhibetur aut ferro? quare imperator, fidem nostris auctoribus adhibentes, non credamus quibuscunque medicinis, nec uulneri uulnus superponendū putemus; sed ita ęgris remediū porrigendum esse credamus, ut neque grauibus tormentis, neque intolerabili medicinæ curatione crucientur. Plura ergo de obseruatione medicinæ pietati tuæ ac posteris tuis, digna memoria tradidi, quæ homines docti de expertis remedijs prodiderunt; quæ tua diuina serenitas, oro, suscipiat, & ad memoriam cæteris relinquat.

Incipit ad capitis omnes subitos & diutinos, & multiplices dolores. Cap. I.

Ad capitis dolorem etiam in febri, primis diebus incommodi. serpylli — I. rosæ aridæ — II. incoquuntur cum duobus sextarijs aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. inde sumitur cyathus, & duobus rosę cyathis bene commiscetur, frequenterque curatur ex eo caput: ubi enim incaluit quod infusum est, nisi recens adijciatur, nocet. Item prodest eodem modo ruta per se uel cum hederę baccis decocta, & capiti tepide infusa. Polygonos quoque herba, quæ latine sanguinaria dicitur, & menta multis profuit eadem ratione decocta, & capiti tepide infusa. Dolorem capitis leuat spondylion, & agni semen, & platani pilulæ, similiter aceto incoctæ: rosa quoque duplici mensura, simplæ aceti commixta, sicuti & polygonos superius dicta, debet excoqui, id est, ea quæ sanguinaria dicitur. cum autem plurimis diebus manserit dolor capitis, tum omnium supradictorum oportet uncias singulas sumi, ijsque admisceri lauri baccarum, castorei, nucum amararum, pulegij, sambuci foliorū, uncias singulas, & in aceti sextarijs quatuor decoquere ad dimidias, & eodem modo rosa admixta dupliciter, sed non tam frequenter caput curare. Ad omnē capitis dolorem efficaciter prodest medicamen tale. crocomagmatis — I. aluminis scissi, uel gallæ — I. hæc teri ex acri aceto, & rosa duplicis ponderis uicissim adiecta oportet, usque dum mellis habeant spissitudinem, atque inde frontem, & utrinque tempora oblinere. Ad capitis dolorem, cum inueterauerit, bene facit hæc compositio. myrræ ⁎ I. croci ⁎ II. amygdalarum amararum ⁎ II. rutæ uiridis ⁎ III. spondilij & panacis ⁎ singulos, lauri baccarum ⁎ III. serpylli ⁎ II. castorei ⁎ I. teruntur hæc omnia cum aceto, & fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aceto & rosa in mellis spissitudinē, atque ita frons & tempora oblinuntur. Permanente uero capitis dolore, materiam quoque humoris oportet detrahere ex eo per nares, uel per os; quæ res etiam auriculam uel dentem dolentibus prodest, nec minus ijs, quibus subitę uertigines obuersantur, quos scotomaticos gręci dicunt. item comitiali morbo correptis prodest; sed & caligine impeditos ex magna parte leuat. debent autem ij homines pridie abstinere, & superioribus diebus aquam potare. per nares ergo purgatur caput, ijs rebus infusis per cornu, quod græce rhinenchytes uocatur. hederæ succo per se uel betæ succo cum exiguo flore æris, uel cyclaminis succo, mixto lacte aut aqua, pari mensura. bene detrahit e naribus liquorem & hęc compositio. salis, nitri, aceti, olei ueteris, mellis, singularum rerum denarios binos, cyclamini, succi staphidos agrias, quam herbam pedicularium, quod eos necat, quidam appellant, singulorum denarios binos. hæc in unum mixta, naribus per cornu infunduntur, uel pinna longiore nares interius perfricantur. cum satis uisum fuerit fluxisse humoris aut sanguinis, ut reprimatur, aqua frigida pura nares diutius oblui oportet, uel croco macerato in eadem pridie.

Sed si per os magis detrahere humoris materiam uisum fuerit, quia non sine tormento quodam per nares ea deducitur, suadebimus pyretri radiculam commanducare, atque subinde hiantem pati fluorem saliuæ. uel uuam passam cum piperis albi totidem granis dabimus commanducandam, & expuendam; æque enim & hæc deducunt pituitam. bene facit & sinapi, ex aceto tritum; sed non excastratum gargarizare, trium cyathorum mensura, admixta mellis libra una. detrahit enim & hæc compositio largiter pituitam.

Cum uero diu caput dolet & adtonderi pressius & adradi prodest, ut possit diutius fricari, & aqua calida foueri pura uel lauro incocta; quo tempore etiam sternutamentum concitare nō alienum erit hoc medicamento, quod ex ijs rebus componitur. ueratri albi, castorei, struthij, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum denarios singulos. hæc contusa, tenuiter forato cribro transmittantur, cum opus fuerit, per pinnam, aut calamum scriptoriū naribus insufflentur, uel specillo tincto in aqua & excusso, naribus inijciuntur; proderit autem ad sternutamentum etiam per se contusum, & eadem ratione iniectum ueratrum album, linguam enim siccam & aridam sternutatio statim inundat.

Capitis dolorem quamuis ueterem & intolerabilem protinus tollit, & in perpetuum remediat torpedo nigra uiua imposita ei loco, qui in dolore est, donec desinat dolere, & obtorpescat pars; quod cum primum senserit qui dolet, remoueatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. plures autem paradę sunt torpedines eiusdem generis, quia nonnunquam uix ad duas tresue respondet curatio, id est, torpor, quod signum est remediationis.

Ad capitis dolorem factum ex perustione, prodest rosæ bonæ succus infusus capiti, sed cum succo de moris facto pari mensura admixto.

Ad capitis

Ad capitis dolorem factum ex perfrictione satis prodest oleum irinum cum serpyllo & exiguo aceto infusum;magis autem si aut iridis radix aut peucedani succus prioribus admixtus fuerit. prodest & ruta cum oleo irino & exiguo aceto cocta,& tepidè infusa capiti;nec minus prosunt folia lauri cum irino oleo & exiguo aceto trita & infusa capiti.

Ad capitis dolorem factum ex uino nimio,prosunt quidem & ea quæ diximus proficere ad capitis dolorem ex perustione factum.prosunt & rutæ folia trita cum aceto admixta eis rosa,& nuces amaræ eodẽ modo.faciunt & agni folia quæ nascuntur in uirgultis,quibus Græci pro uiminibus utuntur, eademque lygus appellant,cum iridis aridæ radice trita,mixta eis rosa atque aceto.

Ad capitis dolorem factum ex ictu aut casu è sublimi, prodest rosa & irinum oleum aceto decoctum; item rosæ aridæ folia macerata prius passo,deinde cocta atque trita,& ita imposita;simili modo prosunt;& sertula campana similiter facta prodest,uel myrti folia tenera ex uino trita cũ myrrha,& pulegium ex uino tritum,& mala cydonea uino cocta & trita atque imposita capiti plurimum prosunt.

Medicamentum quod repellere possit ea,quæ ad caput redundauerunt,castorei uictoriati tertiam partem,sphondilij ✳ I. nucis amaræ ✳ X. rutę folia ✳ II. sili massaliotici ✳ II. cum aceto prius hæc teruntur diligenter,deinde rosæ admiscentur.

Ad diutinos capitis dolores,salis integri mensura,quantum manus plena cõprehendere poterit,coquitur ex oleo superfuso,ita ut superet salem,deinde cum omnino nihil incurrerit de sale asperum, perungitur dolens capitis pars hoc oleo,superque lana succida eodem oleo tincta imponitur. Sertulæ campanæ coronæ quinque ex passo & aqua frigida pari mensura coquuntur,donec permadescãt, tunc teruntur,admiscetur que opij quod satis sit,uel papaueris lacryma quæ sopora à quibusdam appellatur, ad uictoriati pondus adijcitur. ex ijs pannus quantum satis est,linitur,& utrinque tempora tinguntur. Ad capitis dolorem omnem efficaciter prodest,baccarum lauri denarij semissis. scamoniæ — I. croci uictoriati pondus.teruntur hæc optimè ex aceto & rosa,cùm opus est,dolens pars capitis perungitur.hoc medicamentum successus mirificos habet. Ad dolores capitis puerorum,maxime eius partis quam bregma Græci appellant.lini semen tritum ex aqua imponere oportet;uel oliuæ folia tenera trita cum uino,adiecto uiridi oleo,simili modo superponere:uel opij quantum fabæ ægyptiæ magnitudo est,& salis duas partes,& pulegij partem unam terere oportet cum aceto, deinde adijcere ungentum suprà scriptum, & sic perungi dolentem partem capitis. Ad ulcuscula in capite similia mammarũ capitulis, ex quibus sanies manat;radi caput oportet,& ex nitro lauari.furfures quoque ex melle coctos imponere utile est, uel bulbos scillæ ex aqua coctos,ita ut aluminis liquidi tantundem ponderis ammisceatur,& sic caput inlinatur. Ad ea quæ feruescunt in capite cum rubore,lini semen contusum, & melle consparsum imponendum est. Ad capitis dolores in febri.rutæ siluaticæ seminis,uel rutæ noditis radicis, ex qua rhus nascitur,myrrhæ,pyrethri,aphronitri,salis ammoniaci,piperis longi, hederæ albæ foliorum uel baccarum, bdellij,galbani,balsami,iris illyricæ,singularum specierum denarios denos. castorei denarios quatuor.balani unguentariæ ✳ II. rhamni ✳ X. trita omnia in unum conijciuntur cum aceti scillitici quantum sit libra una.sed ita temperabitur medicamen, donec spissitudinem mellis recipiat, atque ita reponetur in uaso fictili.& cùm opus fuerit,inde sumetur quantum satis sit,quod in linteolo bene tenero spisso inlinatur,perunctumque rosaceo modico,imponetur.

Si uastior fuerit dolor capitis,medicamentum tam spissum fiat infrascriptum,quàm est emplastrum, & linteolo denso imponatur: agni seminis & peucedani radicis ✳ IIII. iridis ✳ II. aceto prius maceratas has species excoques uel contundes, & rosa dilues, atque ita raso capiti impones. Ad uehementes fœminarum capitis dolores, & suffocationes quæ de uulua ueniunt, quod genus ualetudinis Græci hystericeñ pniga uocant, & ad eos qui caduci appellantur, & ad freneticos, & qui uertigines habent. sphondylij denarios sex. castorei ✳ VI. peucedani ✳ II. nucum amararum ✳ VI. hæc cum aceto & rosa bene trita & permixta capiti infunduntur. Ad diutinos capitis dolores, etiam ueternosos, quos græci lethargicos uocant, & phreneticos, & ad omnia uitia quæ circa caput generantur, etiam ad podagram. ceræ ✳ LXXXIIII. olei ueteris ✳ LXXXIII. aluminis fissi ✳ VI. glutinis taurini ✳ X. peucedani ✳ XX. casiæ ✳ X. resinæ terebinthinæ ✳ XX. picis liquidæ ✳ X. galbani ✳ XIIII. aloes ✳ XVI. taurinum gluten cum aceto ad ignem soluitur,peucedanum & casia uino macerata conteruntur & taurino glutini commiscentur: cætera ad ignem liquidata,dum calent,suprascriptis admiscentur. Quæ bene subacta manu reponuntur: cùm opus fuerit, põdus inde denarij sumitur,& dilutũ aceto atque rosa capiti infunditur, sed melius facit hoc medicamẽtum linteolo inductũ,raso capiti impositũ. Ad capitis dolorẽ sine febri, bene facit de experimẽto capitis derasio,aquę potatio,cibi abstinẽtia,uẽtris solutio. sed tũ etiã rosa atque aceto curãdũ caput. ꝓdest etiã detrahere pituitã,sinapi aut hyssopo ex passo decocta. itẽ herbę peduncularię semine,quã gręci staphidaagriã uocãt,trito cũ pipere et melle,oleo admixto;aut ipsius herbę pedũcularis semine ꝑ se mellẽ admixto.

Permanente autem diutino capitis dolore,prosunt ei huiusmodi perunctiones. ruta cũ aceto & oleo calefacto. iridis radix cum aceto. salicis folia trita ex aqua. serpyllum aceto tritum & inseruefactum cũ oleo & aceto. Millefolium quod greci polygonon appellant cum ruta tritum, admixto aceto & oleo. nuces amarę purgatę tritę cum aceto & oleo, ita ut hęc interdum uelut cerotum cum linteo fronti superponantur. similiter prodest & ruta syluatica trita cum aceto & oleo, quasi cerotum fronti superposita. aut agni albi semen ex posca tritum. aut ocimum uiride uel semen eius ex aqua tritum.

& impositum; aut hederę albę folia quatuor cum aqua mulsa, aut git, quod græci melanthion uocant, eodem modo fronti impositum aut naribus iniectum prodest. Ad torridam aut constrictam cutem capitis bene facit castoreum, & balsamum, & peucedanum, incoctum simul & seorsum in uaso cum aceto & cum oleo capiti infusum. Faciunt etiam huiusmodi medicamenta capiti superposita, quæ Græci cataplasmata dicunt. iridis radices contusæ ✳ V I. & pusillum rosæ siluaticę seminis cum farina hordeacea cocta, aut fęniculi radices similiter coctæ cum farina hordeacea. Prodest etiam ad nimios dolores capitis constrictio eius per fasciolam non nimium latam, ita ut ea per mediam frontem & utraque tempora circundetur. bene facit & fomentum per spongias molles aquæ calidæ, decoctis in ea prius lauri folijs & capitibus papaueris adhibitum. & unctio capiti facta ex folijs lauri & agni & populi, tritis cum aceto & oleo. Ad ulcera quæ in capite efferuescunt, cum humoris manatione prodest aqua calida bis ter ue die per spongiam sæpius super ulcera expressa, quod Græci catantlesin appellant. Perunctiones autem, quas Græci synchrismata uocant, & ea quæ superposita dolentibus partibus ijdem cataplasmata appellant, eiusmodi prosunt. folia salicis ex aqua trita, aut uitis albæ radix aqua pura cocta, aut lenticula ex aqua cocta aut asparagi radices ex melle coctæ. Ad capitis dolorem, folia lauri uel baccas uel florē terere oportet cum aceto & irinum oleum illis admiscere, atque ita caput naresque perungere. Facit & iridis radix cum malo cydoneo cocto ex aqua pariter imposita. Ad omnem capitis dolorem inter initia prosunt aquæ refrigerantes, & repellunt eum, interdū admixto pane, uel polentę polline consperso aceto. Plantaginis quoque succus, & rubi, aut lentisci, aut millefolij, aut herbę urceolaris, aut rhus syriaci, aut maciæ, quam Græci anagallida appellant. item mentæ succus, uel intiborum, uel myrti, uel staphidos agriæ infusus capiti plurimum prodest. Ad diutinos capitis dolores prodest infusum capiti oleum uetus cyprinum uel irinum cum peucedano, sphondilio, & castoreo. imponi autem statim oportet lini seminis farinam & hordeaceam in unum coctam ex posca; sed postea prodest impositum cerotum ex cyprino oleo factum cum ruta. Item benefacit cerotum ex irino aut syriacino oleo cum butyro, dummodo calefacto medicamine caput perungatur. Opobalsamo autem cū serpyllo & rosa uel peucedano prodest etiam lethargicos perungi. Ad omnem capitis dolorem benefacit centaureæ tenuis succus cū aceto calido infusus capiti. Ad capitis molestum & diutinum dolorem medicamina infra scripta facies; hederæ nigræ folia trita admixto aceto, oleo, uino, æquis portionibus quod sufficiat, in uasculo quolibet feruere facies, ac postea frontem & tempora lines. Ciculę folia, aut si folia non fuerint, radicē eius teres & fronti inlines, aut in saccello lineo ad frontem suspendes. Aloes ℈ V I. croci ℈ V I. gummis ℈ V I. albū oui & cocleas minutas numero V. hæc uniuersa conteres in mortario marmoreo, & aceto admixto, fronti inlines. Rasamē pastæ, quod in magide adhæret, ℈ V I. & cretæ ℈ V I. & bulborum incoctorum ℈ I I I. tritos & medullam siue uitellum oui gallinacei, conteres pariter ex aceto, & fronti inlines. Muris cerebrum tolles, & in uinum mittes, ac maceratum & tritum fronti inlines. Euforbij ℈ I. croci ℈ V I. permisce cum aceto, & pariter bene tritum fronti inlines. Hederæ succus densus fronti & temporibus inlinitur, & cum siccatus fuerit, iterum inlinitur, quo facto dolori capitis potenter subuenitur. Ad compescendum capitis dolorem, pollinem thuris cū uisci scrupulo pariter fronti inline. quod si dolore medium caput findi uidebitur, hederam contunde, ac succum eius oleo rosaceo misce, & cum linteolo mundo fronti inducito; tempora quoque ex eo & nares perunge; quod si grauior dolor fuerit, etiā cerebro superfunde. Limaci calculum, quem in capite habet tolle; quod nō facile facies, nisi ei, dū in uia repit, caput subito abscideris; quem lapidem quamdiu tecum habueris, nunquā ullum dolorem capitis, nec senties nec patieris. Lauri baccas numero quinque ex aceto contere, aut septem pilulas stercoris caprini ex aceto tere & fronti inline. Herba in capite statuæ cuiuslibet nasci solet. ea decrescente luna sublata, capitique circumligata, dolorem tollit. hemicraniæ etiam efficaciter medetur, si in panno rufo lino rufo ligata capiti uel temporibus alligetur. Radicem atractylidos herbæ, quam nostri carduum uocant, uel eius ramum, uel florem acia ligatum & capiti circundatum, dolori eius mederi constat. Nec minus herbam polygonon, quam rubiam uocamus, circundatam capiti, dolorem tollere experti sumus. Ramus spinæ albæ alligatus capiti, efficaciter medetur. Sinapi quoque cū ruta & aqua tritum & ad mellis crassitudinem redactum. Corona ex herba hierabotane, quam nos uerbenam dicimus, facta, capitique imposita dolores tollit. Cucurbitæ uiridis ramenta cerebro imposita, infantibus quoque, qui ex dolore capitis nauseam patiuntur, ualidissime prosunt. Herba strumus contrita & cum oleo permixta impositaque temporibus, & toto corpori cum ipso oleo perducta, incredibiliter & capitis dolorem tollit, & languorem si quis fuerit, corpore discutit. Radix cupressi tenuis capiti circundata dolorem eius leuat. Baccæ lauri impari numero contritæ, & oleo adiecto calido fronti impositæ prosunt. Oleum ex nuce iuglande, quæ manducatur, expressum, subitum capitis dolorem, si eo perfricetur, mire compescit. Malum cydoneum, palmulæ quinque, papaueris caput unum, dempto semine, usque ad quatuor cyathos cum aqua ad tertias decoctum & cū mulsa aqua potui datum, ualde prodest. Folia mali punici diligenter contrita, & deinde succus eorum, uel ipsa, oleo permixta, potenter etiā inueteratos dolores persanant, si inde adsidue frons & tempora perfricentur. Cum intrabis urbem quamlibet, ante portā lapillos qui in uia iacebunt quot uolueris, collige, dicens tecum ipse, ad capitis dolorem te remedium tollere, & ex ijs unum capiti alligato, cæteros post tergum iacta, nec retro respice. Creta, quæ cimolia appellatur, cocta ex aceto, fronti imposita potenter medetur. Sal cum ruta tritum adiecto melle, fronti inlitum, certissimum remedium est. Fæcula qua infectores utuntur, si spondam lecti priorem, qua uir cubat perunxeris, & spondæ

& spondæ medio inligaueris, dolores capitis remediabis. Ex eadem aqua, de qua bos aut asinus biberit paululum sumptum & potatum tollit efficaciter capitis dolorem. Porri sectiui succum coclearia duo, & unum mellis, permixta ituro dormitum uel in nares uel in auriculam tepidum infunde, statim proderit. Pollinem siliginis admixto oui albo, & quidpiam salis confricato, & fronti inlinito, & fascia superligato, mirabile est. Anethum ita ut de horto collectum fuerit, decoquitur ex oleo, & succus eius capiti infunditur.

Si de capitis dolore difficilis somnus sit, amygdalino oleo caput perungi oportet. Si de sole caput doleat, cupressi folia contrita cum polenta de hordeo, uel amygdalis, & succo portulacæ fronti inlinuntur. Magnetes lapis, qui antiphyson dicitur, qui ferrum trahit & abijcit, & magnetes lapis, qui sanguinem emittit, & ferrum ad se trahit, collo alligati aut circa caput, dolori capitis medentur. Expertum est mihi pulegium in oleo coquere, eoque frontem & tempora & cerebrum perungere. Glebulas de limine uel ipso cardine erasas cum aceto simul permisce, eoque luto frontem inlines, quo caput confestim grauissimo dolore releuabis. Terra uiua in ouum mane coniecta, & sub lectum ad caput conlocata, unicè prodest. Duo folia lauri circũcisa rotundabis, resinaque terebintina glutinabis & utrisque temporibus adfiges, nisi reddita sanitate, non decident. Hirundinum pulli lapillos in uentriculis habere consueuerunt, ex quibus qui albi maximè fuerint, si in manu etiam singuli teneantur aut circa caput lino nectantur, ueterrimos & diutinos capitis mulcent dolores, nisi contactu terrę, lapillorum potentia minuatur. Cornicis cerebrum coctum & cibo sumptum, graues & inueteratos dolores capitis effectu mirabili pellit. Vulturis cerebro paululum cedri, si immiscueris, & nares inde intrinsecus caputque perfricueris, omnes dolores statim minues.

Ex quacunque causa grauedinem capitis exortam, quæ intempestiuum concitet somnum, sine dolore discutit, si quis impetigines in asini cruribus naturaliter natas detrahat, easque in scobẽ delimatas, immixto aceto naribus penitus obstipet. Si dolor ex cerebro gignetur, hederæ folia septem & nucleos purgatos ex persicis septem, ex oleo & aceto decoques, pariterque conteres, atque inde tempora & frontem dolentis obduces. Ruta trita aceto & oleo rosaceo mixta, mirificè dolorem capitis auertit, cerebro uel temporibus infusa. Caput ocimi tritum cum rosaceo oleo aut myrteo & aceto, fronti rectissime imponitur. Serpyllum decoctum ex aceto & tritum, rectè imponitur temporibus & fronti. Corona de pulegio prodest capiti imposita, si terram non tangat. Si difficilis somnus est ex dolore capitis, oleo amygdalino caput ungere oportet & tempora; nucleorum uerò persici farina cum melle & aceto fronte inlita prodest; nuclei quoque amygdalini triti utiliter imponuntur. Etiam in febribus baccæ lauri impari numero in oleo contritæ & capiti inlitæ, sanant dolorem. Hederæ folia mollissima trita ex aceto & rosaceo aduersus omnem dolorem fronti inlinuntur. Panaceæ radix in oleo conteritur, & deinde capiti instillatur. Ossa de capite uulturis alligari prodest capiti dolenti. Gallinaceus pullus inclusus abstinetur nocte & die, deinde eius gallinacei pluma uel crista alligatur ad collum aut dolentis caput, ac statim medetur. Surculus ex nido milui, puluino dolentis caput superpositus prodest. Murenarum pellium exustarum cinis ex aceto fronti inlitus prodest. Cocleæ matutinũ rorem pascentis caput arundine præciditur, & in linteolo licio alligatur, colloque suspenditur, cõtinuò medetur. Fracto capiti tela aranei ex oleo & aceto imposita non recedit, nisi sanauerit. Cornu ceruini exusti cinis inlitus fronti ex aceto & rosaceo prodest.

Lanam ouiculæ de inter femora uelles & combures, & in aceto intinges, & super tempora dolentis ligabis. Lanam arietis de fronte uelles, & combures in operculo ollæ nouo, & in mortario confricabis, atque ex aceto fronti inlines. Sertulæ campanæ fasciculum ex aceto decoques, & fronti inlines. Caput si dolere cœperit, ouo cum melle mixto in balneo laua, statim cessabit dolor. Intybi contusi succum oleo rosaceo, & aceto acri, æquali mensura mixtum, capiti laborantis infunde. Betæ nigræ succus temporibus dolentis impositus, mirum remedium est. Serpyllum in aceto decoctum fronti laborantis infunde, uel temporibus imponito. & si somnus difficilis est, oleo amygdalino caput perunge. Rutam uiridem tritam cum aceto acerrimo & oleo rosaceo, æquali mensura, toto capiti laborantis infunde. Lauri baccas XXXV. piperis grana XXXV. tere, & tritas cum ouo albo temperabis, & fronti impones. Ossa de persicis etiam duracinis franges, & nucleos eorum colliges & siccabis in umbra & cum necesse fuerit, cum oui albo temperabis & fronti superimpones. Caput si quis sic doluerit, ut medium findi uideatur, hederæ contusæ succum per linteolum delicatum mundum exprimat & oleo etiam rosaceo admisceat, & sic frontem & tempora perungat, & cerebro & naribus inde & auriculis infundat. Caput si ex frigore doluerit, ungentum irinum cum oleo laurino misce, & calefactum cerebro superfunde, & insuper lanam unctam circa caput pone. Sicui nulla de causa subitò caput & tẽpora doluerint, myrrã ex uino crassius trita, tempora oblinat; uel fabã fresam in aqua prius maceratã, postea in uino decoctã tritamque inlinat fronti; uel baccas lauri impari numero cõterat prius, deinde admixto oleo diligentius terat, adinstar collyrij, & postea in fictili calefaciat, eoque caput perfricet. Purgatio aũt capitis, ne supra scripta nascatur, utilissima fertur hęc; si hyssopi aut origani summitatibus cõtritis, & ex mulsę aquę cotyla dimidia coctis, os adsiduè cõlueris. Capitis ulcerationes sanãtur, si succo de beta e radice expresso caput in balneo pfricetur. Si cui in capite tubera nascuntur, cupressi baccas uirides in uino decoctas tritas tuberibus adponat, ita ut per dies quinque in capite alligatum & signatum medicamen maneat, post diem quintum soluat ac renouet; & hoc si necesse fuerit ter aut quater faciat, intra diem uicesi-

mum persanabit. Brassicæ succus naribus infusus, capite purgato, dolorem quoque eius efficaciter adimit. Radix pyrethri in sole diu commanducata, etiam pituitam expellit. Hiera maior faciens ad capitis nimium & ueterem dolorem, & ad phlegmata spissa & constricta laxanda & prouocanda, ex calida aqua ieiunis data, ad spleniticos ex posca, ad hepaticos ex uino græco, ad accessiones quotidianas ante suspitionem datur ex muria, quia & uentrem temperat, maxime prodest etiam melancholicis & scotomaticis; danda autem omnibus ieiunis & bene digestis ad modum nucis auellanæ, quæ constat ex speciebus ijs, stichados — I. ∋. VI. agarici — I. ∋. VI. colocyntidos, id est, cucurbitæ, quod habet interius molle inter semina siccatum — I. ∋. VI. opopanacis ∋ XV. sagapeni ∋ XV. petroselini ∋ XV. aristolochiæ rotundæ ∋ XV. piperis albi ∋ XV. cynamomi, spicæ nardi, myrræ troglodytis, folij, croci, uncias singulas, mellis uero optimi despumati tantum mittes, quantum sufficiat pulueri specierum supra scriptarum colligendo, ad spissitudinem congruentem, deinde confectum medicamen in uasculo uitreo aut fictili sub signaculo reponatur. Cupressi tenuissimi radice caput coronatū, dolorem breui ponit. Pulegij florem destringes & teres ex aceti cyathis duobus, adijcies rutæ tantundem quantum pulegij, & unā cepam, & salis bolum. cum omnia trita erunt, adijcies olei boni cyathum, & tenuiter subcoques, ac bene permiscebis, atque aduersus pilos caput ex eo diligenter perunges.

Ad omnes dolores hemicranij & heterocranij subitos & diutinos. *Cap.* II.

Hircinum fimum tritum cum aceto scillitico misce, & fronti & temporibus inline. hoc ad dolorem hemicranij sedandum etiam in perpetuum prodest. Tus, & myrram, & ouum teres simul, & fronti induces uel temporibus, subitus cum hemicranij dolor fuerit. Laser cyrenaicum cū aceto tere & inline frontem cum temporibus. Hemicranium statim curant uermes terreni pari numero sinistra manu lecti, & in limine cum terra de limine eadem manu triti, & cum aceto optimo eadem manu fronti uel temporibus inliti, cum dolor urgebit. Fimum uel cinerem coclearum & granum sinapis cum aceto ad ternos scripulos miscere, & temporibus inlinire prodest. Herba strumus, & stercus murinum contrita, & ex aceto fronti inlita, celeriter dolores etiam heterocranij abolent. Ossicula in capite porci duo naturaliter forata inueniuntur, id est unum in dextera parte, & aliud in sinistra, quæ reperta & reposita, & cum opus fuerit, licio suspensa, medelam capiti prout inuenta sunt, præstant, id est dextrum dexteræ parti, & sinistrum sinistræ; sed præter te & ægrum ossicula tertius non contingat, quæ ad hanc necessitatem colligi diligenter & seruari debent. Piperis grana XXI. murini fimi pilulas XXI. sinapis quantum tribus digitis possis tollere, teres & aceto acri ad ceroti modum permiscebis, & ita fronti impones, & aluta desuper teges. Laseris granum medicinalibus digitis auri inijce ex ea parte, qua caput dolebit, statim proderit. Herbę meliloti interiora, & oui cocti uitellum cum uino modico tere diligenter, & inde hemicraniū uel tempora quæ dolebunt, inline, confestim sanabis. Pampinum continuo de uite lectum cū oleo coques atque simul tritis diligenter tempora inlines. De muris fimo pilulas septem teres, & cū aceto fronti uel temporibus dolētibus inlines. Si uir aut adulescens aut infans hemicraniam patietur, obseruet ut semper luna septima, & septima decima, & uicesima septima se tondeat. mirum remedium habebit, neque curet, si dies martis aut saturni in has lunas inciderit. Heterocraniam siue hemicraniam discutit hæc cōpositio, gallæ syriacæ — III. crocomagmatis — III. aloes — III. sed gallas prius tundes & cribrabis, tum cætera similiter tunsa & cribrata miscebis, idque medicamē in pyxide conditū seruabis, cumque usus exegerit, ex aceto temperatum partē frontis quæ dolebit, impones. Terrę ægyptiacæ partes duas, crocomagmatis partem unam cum aceto diligentissime ac minutissime contere, & partem quæ dolebit, inlinito. Opij — I. colophonij — I. myrræ — I. hyoscyami — I. peucedani — I. anethi — III. crocomagmatis — I. seorsum hæc tundes, & cribrata in mortario diutissime cōteres, & ex aceto optimo de hoc puluere collyria formabis, cumque opus fuerit, in cote ex aceto teres, & spissum parti frōtis & temporum, quæ dolebit, ante diligenter detersæ frequenter induces. Grana hederæ & serpyllum pari pondere teres ex aceto, & inde totum uerticem perfricabis. Baccas lauri ex aceto tritas adiecto oleo fronti impones aduersum heterocranij molestias. Peucedanus herba trita & ex aceto & oleo fronti inlita, heterocraniam statim sedat. Herba uel hedera in capite statuæ cuiuslibet nasci solet; ea si in panno rufo acia rufa, uel lino rufo ligata, capiti uel temporibus alligetur, mirum remedium hemicraniæ, uel heterocraniæ præstabit. Nouem grana piperis in uino optimo teres, atque ex eo frontem & tempora inlines in ea parte capitis, quæ de hemicrania dolebit. Succum de allio in eam aurem, ex cuius parte dolor hemicranij fuerit, infundes.

Ad uertiginem capitis. *Cap.* III.

Ad uertiginem capitis, quā Græci scotoma uocant, peucedani ✱ II. castorei ✱ I. spondilij ✱ I. baccarum lauri purgatarum ✱ I. terentur hæc omnia diligenter, & ex ijs componetur medicamentum, quod cum opus erit, admiscebitur ei rosæ & aceti quod satis sit, est enim hoc mirabile medicamentū. Cerebri dolores ex quibus etiā subitæ uertigines oriuntur, discuties, si planta ulmea caput circūligaueris, atque coronatus ita triduo dormieris; expertū est. Veteres dolores capitis & uertigines citò emendabis, si betæ

 nigræ

nigræ succo tempora perlinas,idem præstat intibi succus,si cum rosaceo oleo & aceto mixtus, caput illinatur. Ad uertiginem abolendam efficacissimum est, si abrotonum tritum in uini potione tepidum bibatur,uel cum oximelle non acri accipiatur. Quibus uertigines fiunt, aut quibus mens perturbatione capitis alienatur, cochleæ singulæ contritæ maiores cum suis testis ex calida passi uel defruti potione datæ diebus plurimis,prosunt,si post triduum continuum interpositum,iterum plurimis diebus accipiantur. Qui unam cocleam maiorem semicoctã comederit die primo,sequenti duas,tertio tres,quarto duas,quinto unam,remedium experietur non solùm ad uertiginem,sed etiam ad suspiria & uomitus prodest. Vertiginem capitis abolet uettonicæ fasciculus cum aqua nitida ad tertias excoctus, aut apij uiridis fasciculus cum ture similiter decoctus,& ex mulsa aqua tepida potatus. Hyoscyami ramusculum in aquæ sextarijs tribus usque ad tertias decoques,& dabis per triduum potui quartarios singulos,aut etiam minus,pro habitudine,uel ætate,uel sexu. Trifolium herbam,quę gallice dicitur uisumarus,aqua frigida macerato, & eam aquam diebus decem bibito,sed ut herbam quotidie mutes. Misy libra una cum aceto acri contrita & fronti inlita,mirabiliter uertiginem sedat.

Pityriasi,& porrigini,ac prurigini,atque ulceribus,& lendibus,& pedunculis capitis. Cap. IIII.

Pityriasin & porrigines capitis quæ plerunque in perniciem se conuertunt,nisi occurratur, perungi oportet assiduè bulbis tritis,sulfure uiuo,& uino bono in unum permixtis. Item prodest cedria tantũ ungere caput,uel allio trito & aceto & nitro. Farina fœniculi ex uino capiti inducta,porrigines expurgat;furfures quoque idem præstant,si caput inde assiduè in balneo luatur. Oesypum ex oleo tritum & instillatum capiti,pityriasi medetur. Ex uino & oleo & cedria pruritum scabiemque capitis tolli manifestum est,si ungatur assiduè. Prurigines capitis discutit fel ouillum inlitum cum creta cimolia, donec arescat,mirum est. Nitrum alumini admixtum prurigines capitis tollit,si inde frequenter fricetur & lauetur. Vlcera in capite,tanquam proprius morbus præcipuè infantibus nascuntur, sed & uiros & mulieres grauiter molestant. hæc ergo felle taurino cum aceto tepefacto inlita, efficaci remedio sanantur. Seuum uituli cum sale subactum,utilissime adhibetur pityriasi. Testarum muricum uel purpurarũ exustarum cinerem ex melle ulceribus capitis imponi oportet. Allium cum sua ueste cõburitur cinisque eius ex oleo capiti ulceroso imponitur. Oleum amygdalinum cum uino optimo permixtum expurgat capitis uitia. Folia rubi in quo mora nascuntur,arida contrita capiti insperguntur,& desuper lana succida & charta superponitur. Malua erratica cum urina humana,id est puerili,trita & imposita, ualde siccat capitis humores. Omnia autem capitis ulcera cùm purgata sunt,iucundissime ad cicatricẽ perducuntur sic.spumę argenti tunsę selibra,& cærę libra,cerussæ libra, olei rosacei libra, cum liquefacta & mixta & trita fuerint,hæc refrigerantur & adijciuntur ijs ouorum incoctorum quatuor lutea,id est uitella,& simul pistillo in mortario permiscentur,atque inde inducitur caput;mirum remedium experieris. Nasturtij semen mixtum adipi anserinæ tritumque,furfures capitis assidua lauatione depellit. Betæ uiridis contusæ expressæque succo porriginosum caput frequenter in balneo lotum omni tabe purgatur. Semine salicis contrito caput lautum furfures citò deijcit. Ouo gallinaceo caput inlinito, postea aqua uel succo herbæ cyclaminis,quæ orbicularis dicitur,caput lauato,hoc pacto lendes necati ultra non renascuntur. Puerile lotium nitro admixtum,ulcera quæ erumpunt,lauto capite mire deliniunt; expertum remedium. Cornu ceruinum in scobem limatum,& cum uino potum,lendes enecat,renascique non patitur. Stercus scrofinum uino immixtum,cum rosa liquida id est rosæ succo,lendes pedunculosque discruciat. Felle uituli caput perunctum,lendes exterminat. Axungiæ ueteris semuncia,seui caprini semuncia,resinæ perlucidæ semuncia,aluminis infectorij semuncia.alumen teres in mortario, cætera igni resolues,& confundes,ac sic leni uapore deficere uel excoqui facies,ut ex omni confectione uncia medicaminis restet.tum caput lautum diligenter,atque siccatum hoc medicamine perunges, porriginemque discuties. Scobem citream ex aqua deferuere facies,nitrumque asperges, atque inde caput porriginosum oportet lauare. Fimo bubulo usto succũ betæ admisceri,atque inde caput porriginosum lauari oportet. Porriginem potentissimè hac potione purgabis;rosmarinum teres,succumque eius uino uel aqua scripulis tribus dabis potui;sed qui sumit,supra limen adsistat,idque triduo faciat. Fraxineo cinere lixiuiam maturam nimis facies,eaque caput lauabis in balneo ; quod cùm siccaueris , saponem & argenti spumam conteres,eoque caput perfricabis,porriginemque exterminabis , si capiti lauto atque siccato hoc medicamen addideris: Cretæ cimoliæ P. I. nitri alexandrini P. I. sulphuris uiui P. I. hæc omnia tunduntur atque cribrantur,& capiti porriginoso imponuntur. Mali punici corium ex aceto coquitur, & succus eius capiti porriginoso imponitur,& frequẽter abluitur; ita ut & ipsum pomum excoctum teratur & sic exprimatur. Anethi surculi uruntur,eiusque pulueris cribrati — I. cicharbæ — III. remittes in olei ℥. I. & adijcies gallæ tunsæ semunciam , inlinesque eo porriginosum & ulcerosum capite, contra pilum,& postea lauabis in balneo. Compositio optima & experta ad uitia capitis omnia suprascripta; pumicis unciã,castorei — V. spumæ argenti uncias VI. cyperi — III. myrræ — III. myrobalani — IIII. sulphuris uiui — I.oĩa tũdes & cribrabis & ꝑmixtis pro aphronitro in balneo uteris. Adipis ueteris suillę P. I.& picis cedrię P. I. igne dissolues.tũ staphidos agrię tunsę unciã miscebis,& ante horã,quã ad balneũ uadas,ita caput uitijs supra scriptis laborantem,contra pilum fricabis , ut insideat medicamen. quod non ante dilues,quàm ad solium uenias.si autem medicamini huic adieceris ladani scripulum,capil-

lum nutries pulchriorem. Furfures capitis extenuabuntur, si stercore murino liquefacto in aceto caput in balneo perfricueris. Lotio taurino caput si laueris, porriginem uetustissimam tollit. Vetustam porriginem mire adimes, si herbæ cyclaminis, id est orbicularis succo, sulphuris aliquantum miscueris, & fel scrofinum, atque inde caput in balneo bene perfricabis. Vlcera capitis subito nata sanātur si asini stercoris succo, & scillæ contritæ quantum satis uidebitur, & bubulæ adipis tantundem miscueris, atque ad capitis ulcera ueluti ceroto usus fueris. Fel taurinum mixtum cũ nitro & uino & oleo quod satis sit, ulcera capitis uel feruescentem scabiē sanat. Vlcera recentia & uniuersa uitia ulcerum in capite sanant uermes, qui in arbore caua uel putrida nascuntur triti & in panno impositi. ijdem uermes cōbusti, & cum anetho sicco pari pondere triti & impositi, sanant etiam carcinomata. Inula in oleo discocta & contrita & cum butyro ouillo & melle imposita, Cacoethe, maligna emendat, eadem ratione curantur & tubera; sed hoc uitij, emplastri panno inlini debet. Vermes ulceribus capitis uel quibuscunque innati, ranarum felle tolluntur. ea uerò quæ intrinsecus serpunt, salsamento uetere tunso in uicē emplastri imposito sanantur. Radix peponis contrita & adposita, sanat ulcera, quæ capiti in modū faui concrescunt. Semen rafani tritum & ex aqua adpositum, sistit omnia ulcera. Porrum capitatū contritum & ex melle impositum, uniuersa ulcera optimè purgat. Allium contritum cum sulphure & resina, ulcerum & fistularum quælibet uitia extrahit. Vetera ulcera etiam carcinosa foueri debent aqua calida, in qua excocta sint holera diuersa. deinde ipsa holera trita si imponātur, ualde prosunt. Farina lini seminis, uel farina erui, uel lenticulæ, decocta & ex melle adposita, suppurationes & pustulas ulcerum sanat. etiam genitalibus laborantibus bene adijciatur. Cinis uitium cũ axungia uetere impositus, pustulas omnes in qualibet parte corporis curat & sanat. Folia oliuæ commanducata & imposita ulceribus manantibus medentur. Oleastri cauliculi teneri decocti, & cũ melle impositi, carnes supra oscula in uulneribus quælibet prohibent excrescere. Herba chelidonia contrita & cum axungia uetere subacta & imposita, ulcera uetusta & putria purgat & sanat. Nuces iuglandes perueteres contritæ, uel quod melius est, cōmanducatæ & impositæ, singulare remediū ulceribus præstant. Glandes de robore tritę cum axungia & impositę, duritias, quas Cacoethes medici uocant, emendāt & reprimunt. Pix brutia cum melle trita & imposita, ulcera omnia purgat & sanat. eadē pix ex uua passa purgata & cū axungia uetere imposita, ulceribus medetur. Aqua in qua lentiscum decoxeris, ulcera quæ serpunt utiliter fouebis. Hedera ex uino decocta ulceribus quibuscunque imponitur, prodest. Cinis ex ossibus agnorum rectè adhibetur ulceribus, quæ non trahunt cicatricē. Pulmo arietinus calidus adpositus, carnes excrescentes in uulneribus exæquat & reprimit. Vim serpentium ulcerum coercet calx uiua ex aceto & oleo rosaceo temperata atque inlita; rosaceo autem & ceræ permixta, mox perducit ad cicatricē. Carcinomata curantur coagulo leporis cũ pari pondere capparis, quod utrunque uino aspersum unà teritur & sic adponitur. Carcinomatis, quæ serpunt circa ulcera, fel ursinū uel cinis de asini ungula exusta per pinnulam bene adponitur. Vlcera quæ sordidata sunt, fimi uitulini cinere & muliebri lacte purgantur. Vetustis ulceribus, uettonica cũ sale contrita & adposita medetur. Idē pręstat farina lupini incocti, & sine cortice inspersa cũ uino. Ad porrigines detergendas, rutæ fasciculũ & sulphur uiuum cũ uino uetere simul decoque, & caput ex eo in balneo laua, ante tamen aqua tepida, sicut est consuetudinis, elue. Ad papulas in capite efferuescentes, uel qualibet parte corporis, etiā ad ignē sacrum benefacit hoc medicamentum, rutę uiridis P. I I. spumę argenti P. I. S. aceti. 8 I. olei uiridis 8 I. cũ aceti parte spuma & ruta teruntur, donec lęuia fiant, postea quod superest aceti, uicissim cũ oleo adijcitur, uel superfunditur medicamini, dum teritur; & cùm bene tritum & permixtum fuerit, tum imponitur locis necessarijs. Ad pedunculos necandos hoc medicamine uteris. oleum cũ puluere cineris cuiuslibet de foco, sed bene creti, pariter miscebis, & ita teres, ut sit ad spissitudinem mellis, atque inde cum opus fuerit, caput unge. Ad pedunculos in omni parte corporis necandos efficax hoc remedium est; ellebori radicis uncia, staphidos agrię uncia, simul trita adiectoque oleo, totum corpus perunctum, etiam in tunicis necabuntur. Nitri alexandrini, & staphidos agrię æquale pondus, aphronitri quoque aliquā portionem, & sulphuris uiui particulam simul terito, ac decimo die in balneo corpus fricato, omnes pedunculos necabis. Serum, id est aquam lactis, quæ remanet facto caseo, si quis adiecto aceto in potione aliquotiens sumpserit, ita liberatur à pedunculis, ut penitus extirpentur, nec postea in eo renascantur. Ceruini cornus scobes limatæ, & ex uino potui datæ, pedunculos in capite lendesque nasci non sinunt.

Ad capitis reumata, & purgationem, & ad pituitæ, & phlegmatis deductionē, & restrictionē catarri. Cap. V.

Ad reuma, quod de capite descēdit, medicamentū facies tale. nitri — VI. pyretri — I. S. capparis — I I. struthij — I I. hęc omnia tunsa & in puluerē tenuissimū redacta permisce, atque in balneo feruenti ita utere, ut tertiā partē pulueris de superscripta mensura specierū mittas in caput, & pfrices diu ac diligēter, ut p sudorē digeras, postea aqua tepida laues caput, & in frigidā mergas, & crasso sabano diligēter siccabis. Ad reumata capitis, talpā in uaso fictili clauso ita in furno torreto, ut tenuissimū puluerē ex ea facias, cui addes puluerē piperis albi ex granis decē & octo, & cocleare unū de succo ocimi; de quo medicamine dabis cui medēdū erit, in potione uini ueteris calida cocleare unū, ita ut in balneo, in quo nūquā lauit nec lauturus sit, in solio remediū accipiat, & interposito biduo, alternis iterum accipiat; sed cui remedio opus est, XIX. fermè diebus porcina, liquamine, & holeribus abstineat. Ad idē trochiscus; croci drachmas duas.

myrræ

myrræ — II. calchãti — II. cymini — II. opij drachmas II. turis — I. Crocomagmatis drachmas II. aluminis ſciſſi — I. hæc omnia contrita auſteriſſimo uino permiſcebis,ut ſint ad craſſitudinem mellis,& inde frontem denſiſſime ſuperlines uſque ad capillos,intermiſſa ſemita ſuper naſum;præcluſo enim itinere,quod ad oculos humori patere cõſueuerat,uiam facies,qua de cerebro per nares fluxus omnis emanat,& hinc perpetuus decurſus fiet,quo humores oculorum ab omni inundatione ſiccentur. hac curatione in perpetuum lippitudo remouebitur,ſed ijs quos nimium reuma humoris urgebit, ex aceto acri trochiſcus ſupra ſcriptus imponatur. Ad diſtillationes perfrictioneſque & grauedines, cyclaminis herbæ,quæ latinè orbicularis dicitur,radicem ſupra carbones cultello radito, fumumque eius ramenti naribus trahito. Hyoſcyami drachmas duas, apij ſeminis bene purgati drachmas quatuor, anethi bene purgati drachmam unam,opij pondus uictoriati argentei unius; hæc omnia trita & cribrata permiſceto, & ex aqua paſtillos temperato, atque ex ijs ſingulos in aquæ calidæ cyathis duobus, cùm dormitum ibit, cui medendum erit,potui dato.eiuſdem herbæ radices ſi decoquantur,ſuccuſque earum ad craſſitudinem mellis miſſus in aquam,naribus trahatur,omnem à capite pituitam detrahit mire.

Creta cimolia ex aceto trita, & quàmdenſiſſime fronti impoſita, pituitam ſiſtit. Maſtichen cum pipere qui diu commanducauerit,calefacto cerebro humorem pituitæ naribus effundit. Ad catarrũ ſiue diſtillationem humoris ex capite,turis ℈. unum,piperis ℈. unum,conteres diligenter & uini nouelli, quod ſufficiat,admiſcebis,& naribus tepidum infundes,uel gargarizabis;ſed utilius eſt naribus infundi. Ad caput leuiter purgandum, ſinapi tritum ante diem in aceto infunde ad heminæ menſuram, & ex eo intra os tene,& gargariza in ſole calido ieiunus,& aperto ore poſtmodum ſede,ut humor decurrat. Staphidem agriam ſumito,& pro modo ſinapis granum,& uuam paſſam commiſce cum betæ ſemine, & ex eo facito paſtillos;quibus ſi opus fuerit,adijcies acetum, & eos ieiunus in ſole aut in balineo commanduca,& apertum os tene,ut humor defluat. Ad caput purgandum,quod fuerit humoroſum,ſtaphidos agriæ ℈. III. pyrethi ℈. II. hyſſopi ℈. IIII. pariter,hæc pro modo aſſiduè in ore miſſa commines & maſticabis,incuruato capite,ut humor ex maſticatione defluat;quod facito aut ad ſolẽ, aut in loco tepido. Ad pituitam ex ore euocandam,æris floris ſcripulus unus, & de ſucco hederæ idem pondus in unum mixtum,& naribus infuſum,euocant pituitam, & defluere compellunt. Radix pyrethri in ſole commanducata pituitam & humorem capitis patefacto ore depromit. Betæ radicibus tunſis,rectè ſuccus eius naribus ducitur ad humorem capitis extrahendum. Mellis & ſinapis triti æqualiter mixtæ partes tepeſiunt,& humor multus è capite poſt longam gargarizationem deducitur. Ad catarrum reſtringendum mittes in ollam rudem pro modo ollæ heminam roſæ ſiccæ, & tres heminas aquæ mulſæ,& heminam ſapæ,inhibe nucem pineam;hæc coques ad tertias & tepidum gargarizas. Rumicis acumina tenera colliges,ſiue rubi,& herbam quam alij burdunculum uocant,alij linguam bouis,addes etiam roſæ heminã;hæc omnia in ollam mittes,præterea addes furfuriculas in linteo ligatas,adhoc ut amaritudinem herbæ deliniant,& ſic furfuriculæ ipſæ in ſaccello combulliant; hæc omnia ad tertias decoques & tepidum gargarizabis. Experimentatum remedium aduerſum ingruentem catarrhum,ut cœna te abſtineas,& ab holere,& à rebus ſalſis & liquaminoſis. Nam indigeſtione cibi, & uitio cruditatis naſcitur catarrus,abſtinendum ſane ante omnia pinguibus cibis. Sed ſi de perfrictione fuerit catarrus, caldamentis adhibitis ilico ſopietur;quòd ſi de cruditate,placabitur illa re ſola,ut non cœnetur, donec penitus fluxus eius areſcat. cùm ſubſtrictus fuerit, ad conſuetudinem cœnandi reuerteris. Ad catarrum reſtringendum, ſapæ heminas tres,& ſatureiæ faſciculum,& hyſopi aliquantum feruere ſimul facies, quouſque inde ſextarius fiat,& ſic gargarizabitur ter in die in loco tepido,aut ad ſolem;atque hoc tãdiu facies,donec inhibeatur omnis catarrus;atque illis diebus,quibus gargarizas,abſtinebis liquamine,& holere,& ſalſis ac pinguibus cibis. Ad catarrum reſtringendum,quinque partes uini, & ſextam mellis miſcebis,ac tepefacies & ſic gargarizabis.

Alopecijs, & tineis, & capillo fluenti atque infirmo. Cap. VI.

Herba quæ dicitur trichomanes,uel adianton,eadem & callitrichos appellatur,contuſa & cum oleo inlita uel incocta,alopecias facilè curat. Cepe longum,quod ceputius nominatur, ſuper alopecias terito frequenter,quo facto capillos maturius excitabis. Nucis eſcariæ,id eſt iuglandis teſta contuſa,uel combuſta,& minutatim trita atque adiecto oleo impoſita infantum alopecijs,capilli naſcuntur. Infantum alopeciarum uitia anſerinæ adipis perfrictione ſupplentur.

Gallinaceorum ſtercus cum oleo utroque permixtum,alopecijs utile eſt. Adeps urſina cũ fungis, qui in lychno lucernæ concreſcunt,ſubacta,& alopecijs peruncti one impoſita,priſtino decori caput reuocato crine reſtituit. Stercus murinum cum aceto tritum ad alopecias unctas forma priore mirabiliter crines commodat. Lac caprinum incoctum,ſed non adulteratum,aut uitiatum,rectè alopecijs infricatur,mirũ eſt. Vitium capitis,in quo ſunt alopeciæ,prius raditur. poſt illic cepa acerrima perfricatur, deinde hordeum cõbuſtum & in puluerem redactũ cum urſina adipe permixtũ ſuper imponitur. Herbã cardui agreſtis ĩ mortario uſque ad leuitatẽ terito,ſuccoque eius expreſſo,locũ alopeciæ ſix. dieb. oblinito, ſed bis per dies ſingulos perunctione renouata. Cũ ſinape naſturtiũ tritũ alopecijs inlinitum,efficaciter prodeſt. Cydonia mala diſcocta cum uino,dehinc trita,ceræque liquefactæ addita, & capiti impoſita,capillum nutriunt. Opobalſamo operæpretium eſt alopecias ungere,ut citò capilli naſcantur. Nitri ru

bri ℈ VIII. pumicis ℈ II. salis ammoniaci ℈ VIII. teres diligenter & postea miscebis, priusque caput alcyonio & nitro commixto perfricabis, mox medicamen impones; quo facto capilli nascentur. Magnam fœditatem capiti adferunt alopecię quę sic emendantur. ex pelle uiperarum cinerẽ facies atque assiduè illic asperges, emendabis sine mora uitium. Fermentum sulphuris combusti, quod à fullone factum fuerit, cum oleo rosaceo miscebis, & de pinnula capiti inlines. Roboris pilulæ, quæ gallas similant, cum adipe ursina tritę emendant alopecias. Glandis quoque faginę exustæ cinis cũ melle alopecijs inlitus prodest. Cupressi pilularum exustarum puluis tritus, ungularum muli, uel mulę exustarum cinis, & oleum myrtinum, cinis quoque uel fimus murium tritus, & cinis exusti erinacei recentis uel fimus erinacei recens, & sandaracha, hæc omnia cum aceto, & cum pice liquida mixta & imposita, etiam fluentes capillos continent. Leporinæ lanæ exustæ cinis cũ oleo myrtino & felle taurino, & alumine trito miscetur, tepefactumque medicamen inlitum admodum prodest. Muscarum capita conbusta & cum melle trita, capitique inlita, mirè alopecias tollunt. Fimum columbinum si quis cum aceto tritum capiti imponat, alopecias & cicatrices omnes sanabit. Capilli & barbæ nascentur etiam glabro, si lichenẽ asini, id est collectionem duram, quæ est circa crura eius, comburas & teras, & puluerem illum ex oleo uetere imponas. hoc ita ualidum est, ut si mulieri inde maxillam unxeris, barbas ei nasci facias. Erinacei caput & pellicula combusta, cinisque ei adiecto melle inlitus, alopecijs citò prodest. caput autem eius per se combustum, & adiecta ipsius adipe, cinis ille alopecijs inlitus, etiam cicatricosis facit pilos renasci. quod si totũ ipsum quis exurat, & puluerem eius bene tritum cum adipe ursina caluo ad integrum capiti imponat, decorem pristinum restituet capillorum. Ad tineam curandam, sulphuris uiui — II. salis fossicij — I. tunsa & cribrata hæc, raso capiti & loto in balneo confricabis, ita ut prius de oleo locus capitis tineosus perungatur, & sic puluis iste aspergatur, & diu fricetur, quousque liquefiat sudore capitis. hoc modo intra sex dies curabitur tinea. facit hoc medicamẽ & ad scabiosos, prodest & ijs quibus pustulæ nascuntur in facie tanquã elephantiacæ rubentes. Ad capillos, qui post infirmitatem decidunt, confirmandos, cedria & oleo pari pondere mixto assiduè eos unge & leuiter pectina, laudabis effectum. Ad capillos decidentes confirmandos adipem ursinam cum ladano miscebis, & caput perunges, uel loca defluentium capillorum; aut ladani uncia una & œnelæi uncijs duabus, tritis & permixtis caput perunges. Ad fluentes capillos, scobẽ de cornu ceruino permisce cum semine myrti nigræ, adiecto butyro oleoque, & capiti raso densissimè obline, etiam ex infirmitate fluentes capillos efficaciter continebis. Sandaracha cum aceto incocta & emplastri more imposita, fluentem capillum ualidissimè solidat. Si quis maleficijs capillos perdiderit, hac eos ad pristinam formam ratione reparabit, si lacertum salsum martensem cũ suo capite, & lanæ purpureæ optimè in conchylio tinctę duas ligulas, & chartam cubitalis mensuræ separatim comburat, cineremque permisceat conteratque cum oleo cedrino paulatim adiecto, ut crassitudinem uelut glutinis faciat, eoque medicamine glabrum locum perfricet, ita ut prius diu linteo asperiore detergat. Aphronitri floris pilulas XXX. nucẽ pineam, de qua propter uetustatem nuclei deciderint, tunsam, saponis gallici selibram, uini aminei cyathos tres, simul permiscebis & conteres, & caput glabrum inlines; hoc medicamine etiam crispi capilli nascentur. Malua cũ sua radice uehementer coquitur, ex cuius aqua capillus cui curatione opus est, in balneo assiduè lauatur. Olei cicini — III. ladani — III. ladano trito paulatim admiscebis oleum, & cùm mellis crassitudinem feceris, radices capillorum assiduè inlines.

Capillo nigrando, & incrispando; ijs adiecta sunt quæ phlegma, & perfrictiones capitis deducunt. Cap. VII.

Crispando capillo compositionem huiusmodi facies; aphronitri floris tortulas numero XXX. nucem pineam, de qua propter uetustatem nuclei delapsi sint, tunsam & in puluerem redactam, saponis gallici — III. & aminei uini cyathos III. atque inde caput inlines & in balneo lauabis; sphondilio quoque caput perungatur, sed prius radatur. Cornuum arietis uratur, cinisque eius cum oleo conteratur, atque inde derasum caput frequenter ungatur. Capillis nigrandis infectio optima, hirundinum stercus, quantum sufficiat, cum aceti sextario, mitte in uas fictile, atque in fimo caballino per dies XXXV. suffossum habeto, ac sic macerato; atque hoc medicamento rasum caput inlinito in umbra per peniculum pictoris; sed seuo ceruino faciẽ prius perunge, nequid inde destillet, & maculet, & dũ siccatur infectio, oleũ intra os teneto, ne & dentes inficiantur, ac postquàm imposueris medicamen, quarto die caput lauato. Medium lapidem conterito, eique admisceto nardi puri quantum satis uidebitur; quo medicamine si frequenter caput ungas, prohibebis canos nasci, & in locum canorum nigri emicabunt capilli. Experieris uerum remedium, si agnũ candidissimi capitis decoxeris, atque inde caput eius, quẽ canum esse nolis, ungi præceperis. Hoc facito ne capilli canescant; radicem unam caulis quanto ampliorem & uetustiorem in furno siccabis, eamque minutissimè concides, & in ollam rudem mittes, & aqua fontana recenti implebis, & ad medium decoques operta olla, tũ in balneo caput sapone optimè lauabis. Cũque satis mundũ effeceris, etiã ea aqua, quã parraueris de radice caulis, caput ita confricabis, tanquã solũ ex ea laues, mox capillum linteo inuolues, nec ulla suprà aqua uteris & ita siccabis; hoc purus ages, puris etiã ministris usus. Ad nigrã dũ capillũ egregiè facit, si oui coruini, quę sunt interiora, impari numero in uas ęreũ mittas, atque illic diu coagites, & raso capite in umbra p peniculũ pictoris imponas; sed donec siccetur infectio, & oleũ in ore teneri oportet, & seuo ceruino faciẽ perungi, ne distillãtibus guttis maculetur. tãta. n. solet esse uis eius, ut et

dentes

dentes, dum siccatur inficiat. quarto autem die caput lauari oportet post medicamen impositum. Vermium terrenorum cinis, oleo adiectus, quo uti fœminæ in pectendo solent, capillos prohibet senectute mutari. Folia cupressi trita & ex aceto capiti inlita, & inficiunt canos & in eorum locum nigros educunt capillos. Nuces iuglandes adhuc uirides & teneras, & totidem glandes uelles ex arbore adhuc uirides, & necdum maturitate solidatas, atque in pila contusas exprimes, earumque succo, ad inficiendos canos, dum caput pectis, pectinem tinges. Sanguisugarum sextarius duobus sextarijs nigri uini miscetur & xl. diebus in uasculo plumbeo diligenter clauso maceratur; postmodum cum ipso uino conteruntur hirudines, & in sole calido, capiti deraso, ad permutandos capillos, earum succus imponitur; oleo, ne dentes inficiantur, donec siccetur medicamen, in ore detento. Erui siliquæ priusquam arescant, cum folijs & caule suo conteruntur, & raso capiti ut capilli nigrescant protinus inlinuntur. Herba quę grecè chamæacte, latinè ebulus, gallicè odocos dicitur, exprimitur etiam cum suis granis, eiusque succo cotidie inlito pectine, crines qui inficiendi sunt, perducuntur. Pomorum de moro maturrimorum — III. acaciæ P. I. caricas, numero VII. quantò nigriores, pariter macerabis cęlesti aqua in uasculo ęreo clauso, atque inde capillos semper inlines & fricabis; sed quæ superfuerint, in eodem uasculo permaneant, diuturnitate enim efficaciora sunt. Compositio efficax ad capillos inficiendos & confirmandos & specie augendos, fœnogręci sextarium, lini seminis tantundem, calami aromatici P. I. schœni P. I. cassiæ P. I. gallæ trichidos P. I. ladani — III. Rhois coriarij P. I. aquæ fluuialis 8. XIX. omnia hæc in unū uas mittes, & diebus XL. sub diuo positum iubebis cotidie per puerum uirginem commoueri. Ita ut si quando puer ipse defuerit, signetur, neque à quoquam nisi à puero alio uirgine contingatur; postea recondes diligenter & sub signaculo habeto, & cotidie aqua eadem caput inrora, & pectine inde madefacto caput pecte. Ad phlegmata de capite & aqualiculo deducenda, scillæ libram unam in aquæ 8. III. infusam coques ad tertias. postea aceti optimi sextarium adijcies, & tamdiu iterū simul omnia excoques, quamdiu ad sextarium perducas; tum colabis, & adijcies mellis optimi P. II. Iterumque omnia simul tam diu coques, quamdiu ad mellis crassitudinem ueniant. Compositio pulueris ad reuma totius corporis, sed maximè ad capitis, nec non & ad perfrictiones & constrictiones cerebri resoluendas; euforbij — II. piperis — IIII. bacarum lauri siccarum — IIII. sansuci — II. centaureæ — III. aristolochiæ longę — IIII. iris illyricæ — IIII. myrræ — IIII. bdellæ — IIII. cicidos — IIII. stypterię schistes — IIII. nitri alexandrini combusti & uino uetere extincti — IIII. salis ammoniaci — IIII. hęc omnia contundenda, deinde cribranda & permixta in uasculo uitreo habenda; cùm necesse erit, conspergendus in balineo capiti hic puluis uel membris dum adhuc sicca sunt, id est antequàm sudent, & perfricanda diutissimè, postea quàm puluerem consperseris. de hinc lauandum caput in calore frigida aqua; & obseruandum, ne in calidam caput mergas. in frigidam sanè quoties uolueris merge, & postea sabano diligenter exsicca.

Confectio siue dispositio emplastri, cui uocabulum est Dictamnos.

Dictamni part. XXV. chamæmeli part. XIIII. sphagni part. IX. cyperi part. VII. polij part. XII. lapidis gagatæ part. VII. ceræ rufæ part. XII. resinæ terebinthinæ part. XIIII. ammoniacæ guttæ part. XXXV. propoleos part. XII. psimmythij part. XII. chalcanthi part. XXIIII. galbani part. XXV. chamepityos part. VIII. trifolij part. IIII. pentafolij part. IIII. aristolochiæ grossæ part. XXXV. centaureæ aut gentianæ part. XII. lithargyrij part. CL. resinæ colophoniæ part. L. terræ ampelitidos part. XXII. picis brutiæ uel siccæ, si terra ampelitis non fuerit, part. XII. lepidos chalci, id est, squamæ ferri, part. XVIII. diphrygis part. VIII. aloes part. XVI. libani cādidissimi part. XII. opopanacis part. VII. chamædryos part. XII. marrubij part. XII. artemisiæ part. IIII. iris illyricæ part. VII. libanitidos part. VI. olei ueteris part. XLVIII. resinæ pityinæ part. XXII. chalcicecaumenū part. XVIII. milti part. XII. chalcitidos part. X. myrræ part. VII. æruginis part. I. Oleum uetus, quantum mittendum fuerit, pro modo specierum suprà scriptarum, mittes in ollam nouam, & calefacies leni flamma uel potius igne, tunc mittes, sed paulatim de manu inspergens lithargyrum bene tritum & adsidue spathomela agitabis, quousque oleum ita inficiatur, ut colorem lithargyri trahat; & aliquantulum spissescat; postea aut picem brutiam tritam mittes, aut quod melius est, terram ampelitidem similiter tritam; pro qua diximus picem brutiam mitti debere, quia terra ampelitis uera difficile inuenitur; ijs additis, cùm cœperit medicamen bene permixtum esse, ceram rufam pro modo, ut suprà scriptū est, postea resinam pityinam remissam adijcies, nec non & resinam colophoniam; post hæc mittes ammonia cum thymiama, id est, guttam bene tritam & cribellatam, post addes lepidos chalci, nec non & chalcicecaumenū, deinde addes milton, deinde diphryges, deinde chalcitin, postea chalcanthū & psimmythium; post hæc addes libanon leucon, id est thus album & myrrā & aloen. super ijs omnibus addes resinam terebintinā & galbanū, & lac uel humorē panacis, id est, opopanacē. Sed oēs has species prędictas optimè tritas & cribellatas mittere debebis ad mēsurā uel partes suprà scriptas, prout uolueris cōficere medicaminis copiā. quę cū oīa bene mixta fuerint & bene agitata, ollā tolle de foco, & deinde calido adhuc medicamini herbas suprà scriptas bene tritas & cribellatas infundes. imò manu uel digitis moderantibus paulatim inspergęs, & adsidue spathomela cōmouebis & permiscebis. post hęc oīa mittes chamęmelū, & iterū igni nō

nimio adposita olla lente & paulatim decoques medicamen,ita ut illud manu non contingas,sed spathomela agites;cõfecto autem medicamine uteris sic. ad dolorem temporum uel hemicranij linteo spisso induces medicamentum,& sic fronti uel temporibus adpones. Si uerò humore capitis reumatizantis oculi grauabuntur,per totam frontem emplastrum inductum linteo similiter impones. Si in naribus uel in auribus dolor aut uulnus fuerit,siue carnulentæ erunt,aut humor inde manabit, oleo rosaceo solutum medicamen immittes. Si fauces angina uel glandulæ & parotides occupauerint, aut inguina paniculæ tentauerint,in initio doloris medicamen linteo inductum,sed siccum adpones. facit & ad splenis dolorem aluta inductum & adpositum,nec nõ & laterum dolori prodest similiter impositum. Empyicis uel hæmoptoicis,id est,qui sanguinem de uisceribus per os eiectant, proderit,si thoraci inductum aluta imponatur. facit & ad thraumata,& ad arthritim pro malagmate adpositum,protrahit & sagittas & sudes,& si qua corpori inhæserint,similiter adpositum.ad loca uerò pudenda,id est,ad penem siue ad podicem, cũ aliquod illic uulnus fuerit,solutum medicamentum cera & oleo myrtino adponitur. Si uerò muliebribus causis fuerit necessarium,id est,si uulua dolorem uel carcinomata contraxerit,ponetur cũ oleo susinato , ita ut emplastrum contra illum locũ,qui in causa est,adponatur. ad carbunculos sanè & anthracas & escharas aliaque reumatizantia,uel ad strumas & apostemata,medicamen solutum aliquantulum melle debebis adponere. cùm autem purgatę fuerint pustulę uel collectiones & uulnera, tum sine melle emplastrum cum puro medicamine adpones. facit & ad furunculos similiter siccum adpositum, & ad omnem pustulam & maculam curandam. Rumpit enim,quæ concreta sunt,& purgat,& cicatricat. Cùm autem uulnus est, de quo immodicus sanguis erumpit,adpositum hoc medicamentum ilico & sanguinem sistit,& uulnus curat , & cutem constringit,& cicatricem tenuem facit. Resolutio autem uel cõpositio adponendi uulneribus medicaminis,talis est. mittes huius medicaminis — III . & adijcies ceræ — I. olei ueteris — VI. ijs uerò qui habent,aut in capite,aut in auribus,aut in naribus causas & uulnera, adponendum sic resolues medicamen sine cera. oleum sanè pro tempore,id est,si æstas fuerit, minus adijcies; si hyems, amplius infundes. facit & ad morsus serpentium & ferarum omnium,& ad morsus hominis,& canis rabidi. neruorũ quoque incisiones uel collisiones salubriter curat. quibus cùm medendum fuerit, addes oleum rosaceum cum modico aceto lanę succidæ infuso. Cùm autem adposueris ijs causis hoc medicamentum, post triduũ aut post dies quinque ligaturam quam feceris, solues. si uerò ictu aliquo caput fractum fuerit & testa conlisa, medicamen rosaceo oleo liquefacies , & sic ipsi fracturæ uel uulneribus infundes. infuso uerò interius medicamine, nihilominus desuper solum medicamen linteo inductum adpones,& suprà ligabis lanam succidam oleo & aceto modico infectam. de ipso autem medicamine si succenderis in cubiculo,uel in domo, fugabis serpentes,& si qua illic mala sunt, foràs eijcies. hoc ipso medicamine incenso suffita mulier facilè purgabitur,etiam si pecus intra uterum habuerit immortuum ; saluberrimum autem esse omnibus & uirilibus & fœmineis causis,ne dubites,si primùm diligenter ac sollicitè conficias, deinde ut suprà scriptum est, scienter utaris.

Ad omnes & multiplices oculorum dolores collyria & remedia diuersa, etiam physica de probabilibus experimentis. Cap. VIII.

AD conturbationes & lippitudines subitas epiphorasque oculorum scio multa collyria, tametsi tarde, magnos tamen effectus habere. sed nulli collyriorum tantum tribuo, quantum lycio indico uel per se;hoc enim inter initia,si quis ut collyrio inungatur, protinus & dolore præsenti,& futuro tumore liberabitur;superuacuum est autem nunc laudes eius referre;in alijs enim expertus,intelliges simplicis rei uix credendos effectus. oportet ergo ut minimè quater quinquies'ue ex interuallo lippientem inungi. deinde cùm conbiberint oculi,ad singulas inunctiones,ex aqua quàm poterint sustinere calidissima spongijs expressis uaporari diutius,eodemque die in balineum duci eum, qui inunctus fuerit, ita ut cum cætero corpore,caput quoque & faciem calidæ immergat,& foueat;uinumque post balineum ita ut adsuetus est, sumat. postero die si qua uestigia epiphorę remanserint , inungi collyrio aliquo acriore aquato sub uespere debet,& rursus in balneum duci,& uinum bibere. hoc modo uno ferme die tolletur epiphora , præcipuè incipiens,neque adhuc alio medicamento tacta. sed si ea uis fuerit epiphoræ,ut non concedat uno die, expectari oportebit, donec impetus eius sedetur, & ita æger in balneum ducatur, cæteraque fiant, quæ præcepimus fieri . idem hoc medicamentum etiam supra oculos inlitum, tardius quidem, sed eosdem effectus prestat, maximè in teneris corporibus, ut mulierum & puerorum, quorum oculi nullius medicamẽti uim sustinere possunt. triduo autem aut quatriduo plerunque tollit dolorem, adiutum oui infusione, & aquę calidę uapore. Compositio collyriorum, quam maximè probo ad recentes epiphoras uel conturbationes oculorum tumoresque & dolores. plantaginis tritæ succi cyathos II. teri oportebit cũ croco quod sufficiat, id est ✳ II. deinde cætera quæ infra scripta sunt, admisceri pridie macerata cum succo herbæ suprà scriptæ,id est, aloes indicæ ✳ IIII. gummis ✳ IIII. postea eiusdem plantaginis succi cyathos duos addi, ut cùm spissata fuerit commixtio, collyria fingantur. Vtrunque autem genus medicamenti eximiè prodesse iudico, proprietate quadam, sed præcipuè quòd nullam in se asperitudinem habet, ut pleraque, quibus ferè inunguntur homines. nã quæ ex cadmia, aut ære usto, eiusdemque generis pigmentis componuntur, quamuis curiosè terantur, naturam tamen suam amittere non possunt. nunquam enim ut succus diluuntur, sed cùm ad summam subtilitatem perducta sunt , tamen quasi puluerulenta necesse est maneant,

est maneant, quæ oculorum partes uelut configunt: certè exterius pungunt foramina prima, & tunicułæ oculi ab initijs adhibita, interdum molestiorem futuram concitant epiphoram. Quo nomine etiã quod dia glauciũ dicitur, probo in initijs; nanque prodest hoc genere, quod ex eadem materia constat, quę nullã asperitudinem habet; quandoquidem componitur ex croci ✱ V. sarcocollæ ✱ X. glaucij succi ✱ XX. tragacanthi ✱ V. & opij ✱ V. hoc enim ego adijcio, & ita melius respondet; sed opium & in hoc, & in omni collyrio medicamentoque, uerum adijci oportet, quod ex lacte ipso papaueris siluatici capitum fit, nõ ex succo foliorum eius, ut institores huiusce rei compendij & lucri causa faciunt. illud enim cum magno labore & exiguum conficitur; hoc sine molestia & abundanter teritur. ante omnia, crocum aqua pluuiali infusum macerari debet. deinde adijciatur illi sarcocolla, glaucium, opium, tragacãthũ; prius enim omnia seorsum macerari oportet, non multa eius generis aqua, id est pluuiali, ut quàm primũ, id est, si fieri poterit, eodem die fingantur collyria; solet enim hoc diu neglectũ, mortario inacescere: ijs fere utor primis diebus, collyrijs, non sine cæteris auxilijs, prout res postulat, abstinentia dico, & sanguinis detractione, meliusque ea cæteris proficere adfirmo. Cùm uerò pluribus quis diebus uexatus fuerit epiphora, & perseuerantia humoris, atque pituita ipso calore oculorum glutinosior uisa fuerit, quod ferè sexto septimo'ue die accidere solet: tunc proderunt & ea collyria, quorum genus superius improbauimus, composita ex rebus metallicis: faciljus enim tum patientur oculi, si modò exulcerati non fuerint, iniuriam: quorũ præcipuè hoc mihi placet, quod à colore, phæon dicitur. accipit autem hæc; æris usti ✱ XII. cadmiæ ustæ ✱ XII. stibij cocti ✱ VI. acaciæ chylismatis ✱ VI. croci ✱ IIII. aloes ✱ III. opij ✱ II. castorei uictoriati pondus, myrrę, lycij, idem ponderis. gummis ✱ XVIII. aqua pluuiali quę sunt dura, macerantur, & diu teruntur, donec lęuissima fiant; postea cætera alio mortario singula trita admiscentur. cùm tollendum est, id est, cùm sunt fingenda collyria, gummi adijcitur. hoc quidam etiam in initijs utuntur cum oui aquato liquore per se. Nec non & hoc collyrio quidam in initijs utuntur, quod à cinereo colore, spodiacon appellatur. Componitur autem ex ijs; cadmiæ botryitidos ustæ super testa, donec candescat, & uino falerno extinctæ ✱ XL. cretæ samiæ, quam astera uocant, ✱ LXXX. stibij cocti ✱ XX. opij ✱ V. gummis alexandrinæ ✱ XX. teruntur hæc omnia pluuiali aqua macerata, ultimum gummi adijcitur. antè sanè cætera ad lęuitatem summam terantur, & ne prima tunicula oculi exesa aliásue exulcerata sit, ut purum ulcus sit, diluitur oui albo, quod est ferè tenuissimum. Collyrium psittacinum à colore ita dictum; facit ad epiphoras quæ cum tenui & acri lacryma existunt. item adustiones & solutas cicatrices & uastum tumorem; quod quia loco interdum uidetur propellere oculũ, proptosin uocant, cum oui albo, quod est tenue, imponitur. sed præcipuè facit, cùm quasi sanguine suffusi sunt oculi; & ob id nullum nisi lenissimum collyrium patiuntur: recipit autem hæc; croci ✱ IIII. cadmiæ lotæ, ✱ IIII. stibij ✱ IIII. opij ✱ II. gummis ✱ II. amyli recentis & dulcissimi ✱ IIII. eodem ordine quo scripta sunt, in mortario debent teri ex aqua pluuiali; amylum autem, cùm iam fingendum erit collyrium, adijcietur. interdũ autem & hoc super inungantur, qui prius Athenippio curati sunt. ijs ferè collyrijs lenibus, omnia quæ cum tumore & dolore fiunt circa oculos, remediamus. Perunctiones oculorum lippientium, siue inunctiones quæ appellantur galacticæ, huiusmodi sunt. crocomagmatis ✱ I. myrrę & croci ✱ VII. aluminis fissi ✱ VI. tùris ✱ VI. gummis ✱ VI. rosæ floris ✱ VI. uino chio non salso conspersa teruntur hæc omnia diligenter. deinde confecta in collyrijs aut pilulis reponuntur. Perunctio oculorum ad omnem epiphoram satis utilis. croci — I. myrrę — I. crocomagmatis — I. æris floris — I. aluminis fissi — I. tùris Є. ex uino teruntur hæc optimè, ijs Cosmus medicus adijcere solitus erat etiam mãdragoræ succi — I. & lentisci succi — I. ac deinde permixtis omnibus formare collyria uel pastillos, aut in uas stanneum recondere, & cùm opus esset, uti, ad inungendum uel superliniendum. Est huiusmodi medicamentum, quod perichristarion uocant græci, quod medicamentum satis efficax est; quo ita uti oportet, ut palpebræ subtiliter inde superlinantur, ne quid intra oculum fluat. recipit autem hæc; croci siculi ✱ III. magmatis croci ✱ XII. tùris ✱ III. aluminis rotundi ✱ VI. opij ✱ II. myrrę ✱ II. gummis ✱ III. ex uino falerno teruntur hęc uel aspergũtur. & cùm bene lęuia facta sunt, ad crassitudinem boni mellis spissantur, adijcitur postea passi cretici ✱ I. & reponitur in pyxide stannea. cùm enim passum adiectum fuerit, collyrium erit; nã ex ipso superlini debet. Benefacit hoc medicamentum ad superliniendos oculos, quo Augustus usus est. aluminis fissi ✱ XL. tùris ✱ X. aloes ✱ XV. croci ✱ XV. opij ✱ II. gallæ ✱ X. rosæ foliorum aridorum ✱ X. plantaginis succi uel seminis ✱ X. ex uino falerno teruntur hæc, uel asperguntur, & cùm lęuia facta sunt, ac mellis spissitudinem habent, adijciuntur ijs passi sextarius, uel quod sufficiat, & reponitur in uaso stanneo uel argenteo. Collyrium nigrum ab Antigono repertum, ad omnia intacta faciens; accipit cadmiæ ✱ XXXV.S. stibis ✱ XXIIII. piperis ✱ VIII. æruginis rasæ ✱ VIII. gummis ✱ XXIIII. teritur ex aqua pluuiatica atque conficitur. Cosmus adiecit huic collyrio centaureę tenuis succi ✱ X. quod rectè factum reor. Collyrium, quod ad omnem epiphoram & inquietationem & tumorem facit, sedandum siue dolorem. accipit hæc; pompholygis ✱ VIII. cicutæ succi aridi, id est siccati ✱ VI. opij ✱ IIII. mãdragorę succi aridi ✱ V. acacię ✱ VI. gummis ✱ V. teritur ex coriandri teneri succo. hoc collyrium prodest etiam extra oculos perunctum, id est circunlitum. Collyrium ab Asclepiade ad epiphoras speciatim repertum. cretæ samiæ denarios undecim, opij denarios decem, stibij denarios XL. gummis denarios uiginti, aloes denarios decem: teruntur hæc & conficiuntur ex aqua pluuiali. Collyrium quod habuit Cosmus medicus inter arcana, mirifi-

cum ad omnia oculorum uitia. acaciæ ✱ X L. spumæ argenti tritæ bene & lotæ, donec candidissima & leuissima fiat, ✱ X I I. plumbi usti & loti ✱ X V I. stibij ✱ X I. cretæ samiæ denarios duodecim, cerussæ ✱ X V I I I. cornuum ceruinorum ustorum & lotorum, quod erit candidissimum, ✱ V I I I. squamæ æris denarios quatuor, opij ✱ I I I I. æruginis rasæ denarios septem, cardamomi interioris ✱ duos, lapidis hæmatitæ ✱ quatuor, lapidis fissi ✱ quatuor, tamaricæ seminis ✱ I I I I. croci ✱ I I I I. turis denarios quatuor, myrrę ✱ quatuor, opobalsami ✱ quatuor, lycij ✱ quatuor, aloes ✱ quatuor costi ✱ quatuor, piperis albi ✱ duos, cicutæ succi aridi ✱ V I I I. ammoniaci guttarum ✱ V I I I. bdellæ ✱ octo, saliuncæ purgatæ ✱ sex, gummis ✱ X X V. teruntur hæc omnia diligenter ex uino chio non salso austero, uel ex uino falerno, ac deinde confestim collyria finguntur, & in umbra siccantur; quod & de alijs omnibus collyrijs obseruari oportet. Collyrium acharistum theodotium ab Antigono inuentum, ad omnem epiphoram & omne uitium oculorum. accipit hæc, acaciæ ✱ X X. stibij ✱ X. croci ✱ I. S. aloes ✱ duos, myrrę ✱ duos, cadmię ✱ octo, castorei uictoriati duas tertias partes, opij ✱ unum, lycij ✱ duos, ęris usti ✱ octo, cerussæ ✱ quatuor, nar dispicæ ✱ unum, & tertias eius, gummis denarios uiginti, palmarum ossa, siue nucleos ustos, denarios triginta. trita hęc ex aqua pluuiatica conficiuntur. Monemerum collyrium dicitur, quod dolores in impetu statim tollit; conficitur sic. lepidos unciam unam, æris usti semunciam, hæmatitæ — unam, myrrę unciā unam, opij semunciam. unum hoc collyrium mirabiliter prodest, ijs qui cicatrices nō habebunt, ex ouo infusum, & leui admodum agitatione contritum. Ad suffusiones oculorum, quas Greci hypochymata dicunt, fœniculi succi liquidi ✱ tres, opobalsami ✱ tres, mellis attici ✱ tres, olei uiridis ✱ tres, hyenæ fellis ✱ unū, euphorbij ✱ unum. hoc oleo diluitur, & ita admiscetur cæteris. aquato uti oportebit hoc medicamento; est enim acerrimum, & undique humores trahit; quamobrem nō sunt inungendi, qui capitis dolorem aut grauedinem habent, & ante biduum aut triduum aquam bibant quos destinaueris eo inungere; quanquā melius facient, si etiam perseueranter aquam potauerint; uitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt. non autem præterit me, habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum hoc in libro scriptorum, contendent forsan se quoque habere eadem composita; sed si pondera aut effectus comparare uoles, longe diuersos inuenies. ego enim ipse eodem nomine multa composita, non ijsdem ponderibus & rebus interdum habeo, sed maximè probatis utor. nec utique adfirmo, non posse & alios eadem habere; nam & ipse ab alijs accepi; sed rarò scio oculariorum quosdam simpliciter tradere compositiones, neque multum elaborasse, ut ueras & incorruptas acciperem, cōscius sum mihi. neque illud rursus dico, nouas omnes & non aliquibus notas me in hoc libro congestutum compositiones, uerumetiam quasdam uulgatas & ut ita dicam, publicatas. eiusmodi enim quia efficaces sunt, etiā plurimis in notitiam ueniunt. Collyrium efficacissimum ad tumorem oculorum & lacrymarum nimium fluorem, etiam suprà perunctum uel inlitum efficax est; accipit acaciæ ✱ X V I. cadmiæ ✱ duodecim, aloes ✱ duos, croci, myrrę, opij lecti, singulorum denarios binos, castorei ✱ unum, gummis ✱ octo. teruntur hæc omnia diligenter & ex aqua permiscentur, atque inde statim collyria formantur ex aqua, quæ sunt omnino mirifica. Xerocollyrium optimū ad epiphoras acres, & initia lippitudinis; croci ʒ duo, sarcocollæ ʒ duo, aloes hepatitidos ʒ unum, glaucij ʒ unum; hæc omnia diligenter trita simul recondes in pyxide cuprea, & pro xerocollyrio uteris.

Ad epiphoras & lippitudines oculorum, remedia de experimento & physica diuersa.

AD lacrymas & tumores oculorum lippientium restringendos, atramentum sutorium, id est chalcantum uiride, cyprinum, tundes & cribrabis, & factum mollissimum puluerem ex oui incocti albo, id est lacryma consperges, & facies collyria, quæ in umbra siccabis, atque inde palpebras inunges & tempora inlines. Si ex reumate lacryma abundans est, oui albo collyrium temperabis. Si lippitudo & sanguinis infusio est, ex aceto temperabis, & desuper oculos circumlines, ita ut nihil interius de medicamine ingrediatur. tempora quoque dolentis eodem superlines.

Brassica cruda trita cum pane candido madefacto subacta, ac fronti inlita, dolorem oculorum plurimū releuat. Medicamen ad oculum diutina lippitudine uel epiphora laborantem intrinsecus curandū. lapidis gagatis scripula sex, tundes, cribrabis, & aqua pluuiali, uel fontana conspersum puluerem liquidū facies. deinde in ampulla uitrea repones. cum necesse fuerit, pinna aquilina uel columbina laborantē oculum inunges; quo facto, & caliginem & infusum sanguinem absterges, clarioremque uisum restitues. Dolores oculorum tempore hyemis frigore contractos, qualiter curare debeas. Concham æream de melle albo abintus perunge totam, eandemque supra gastrum lotij uirilis ex ea parte, qua melle inlita est, superpone, ad lotium uersus, & per dies triginta bis in die lotiū agitari facito, ut omnis odor uel acritudo lotij, & uirtus eius ad mel in concha hæreat. postea rades concham ipsam, id est, quod melle inlitum fuerat, & rasuram tundes in mortario, & cribrabis diu, & repones in ampulla, uel uitrea uel cuprea; cum necesse fuerit, ex melle temperabis, & intrinsecus oculum perunges; mirabile remedium experieris in omnibus ferme oculorum etiam grauioribus causis. Gramen, quod in summo trisulcum habebit, decrescente luna radicitus sublatum, quamplurimum repone. deinde ex multis unum auspicante lippitudine ad collum subliga, celeriter incumbentem epiphoram discuties. Si impetus oculorum eruperit, huiusmodi remedium confestim adhibebis; atramenti sutoricij — I. in aquam mundam defundes, idque acriter feruere facies,

re facies,tum operies,ut feruor paululũ conquiescat;atque ubi modicum intepuerit in concham transfundes,ibique faciem demerges,& oculos patefacies intra ipsam aquam; paululum quidem admordebit, sed certissimo experimento,dolorem incumbentem auertet. Colophonię modicum phœnicio inliga & collo lippientis suspende,statim proderit. Dolorem oculorum ut anno integro non patiaris, cùm primum cerasia erunt idonea esui,id est,quasi matura,de tribus cerasijs lapillos pertundes,& gaitano lino inserto pro phylacterio uteris,uoto prius facto contra solem orientem,quod eo anno cerasia non sis manducaturus. Herbã quę appellatur peristerion,discoques,ut madescat ex aqua fontana ad tertias,& inde oculos fouebis impetu laborantes,intra triduum persanabis. Vitandæ perpetuò lippitudinis gratia obserua,ut Kalend. Ianua. eo tempore,quo Kalend. solis die fuerint, & etiam hora prima uel octaua, & deinceps alio die solis,& tertio solis die similiter,collyrio tenui inungaris,dum conuersus ad orientem rogabis deum,ut eo anno dolere oculos tuos non sinat. Cùm primum hirundinem audieris aut uideris, tacitus ilico ad fontem decurres uel ad puteum & inde aqua oculos fouebis, & rogabis deum, ut eo anno non lippias,doloremque omnem oculorum tuorum hirundines auferant. Expertum remedium ad lippitudinem,ne unquam tentetur,si quis obseruet sine intermissione aut obliuione, ut quotiens lauerit,deducta utrisque manibus ad pedes infimos aqua,statim manus ambas ad oculos referat,atque ad angulos eorum utraque manu perfricet,& hoc ter facere debebis. Aduersus humores & subitos impetus oculorum & epiphoras,radices betæ maximè nigrę ex aqua tepida lauabis,& expressas sabano siccabis. deinde tundes in pisone marmoreo & succum inde linteo intorto exprimes. tum leuiter ad carbones despumatum tepefacies,& naribus infundes. ita ut is,cui medeberis,aquam tepidam in ore contineat; & si unus oculus laborabit,diuersæ partis nares infundes,& melle attico continges. Si tamen uideris oculos succi illius infusione turbatos,herbę quam quidam cerebellum canis appellant,radix ex aqua decoquitur,eoque humore oculi aduersus epiphoras utiliter fouentur. Farina ordeacea & galla contusa cum aqua permixta & collecta,oculis cum tepore imposita,tumores doloresque sedabis. Coriandrum uiride tritum lactique mulieris immixtum, & tumentibus uel dolentibus oculis adpositum,statim prodest. idem & apium præstat similiter impositum. Ros cœleste manu munda collectum,& rutæ siluaticæ contusæ succo admixtum,in plumbea pyxide reconditum,cùm opus fuerit,aduersum epiphoras oculorum fronti & supercilijs impones. Vino,in quo laurus fuerit decoctus oculi foti dolore potentissimè leuabuntur.

Spina alba combusta & benè trita cum ouo superinlita,uel inuncta,sedat mirificè dolores oculorum. Gallæ contritæ turisque pari modo puluis uino permixtus & fronti inlitus, tumorem oculorum doloremque sedat. Crebro lacrymantes oculos ut exsicces, lucernam oleo cedrino repletã accensamque, superposito uel iuxta suspenso æneo uasculo permitte consumi, inde fuliginem collectam in pyxide cyprina reconde,& cùm opus fuerit,inunge,miraberis efficaciam medicamenti. Caprinus caseus recens coagulatus supra oculos positus,dolores citò lenit. Rumicis syluatici radicem luna decrescente collige,& tecum habeto nitidissimè;quandiu eam tecum habueris,non lippies. Democritus adfirmat,felle hyenæ si frons perfricetur,epiphoras incipientes & omnem oculorum dolorem posse sedari. Si mulieris saliua,quæ pueros non puellas ediderit,& abstinuerit se pridie uino & cibis acrioribus, & in primis si pura & nitida erit,angulos oculorum tetigeris, omnem acritudinem lippitudinis lenies humoremque siccabis. Chelidonia herba in hirundinum stercore nascitur,quæ oculis plurimùm suffragatur; maximè autem caliginem deterget,si paulatim inde oculi suffundantur, quos citò in pristinam formam reuocato uigore reparabit. Hirundinis uentriculo scisso albi ac nigri lapisculi inueniuntur, qui si lupino aureo includantur,& collo suspendantur, omnem dolorem oculorum perpetuò auertent. sed & contra quartanas prosunt,croceo linteo uel panno inuoluti,linoque ad collum ualidiore suspensi. Mel in quo apes fuerint mortuę,utilissimum est oculis,si nitidum ac purum opportunè & paulatim infundatur. Qui ciconiæ pullum elixatum comederit,negatur multis annis continuis posse lippire. Hirundinũ pulli plena luna excæcantur,restitutaque eorum acie,capita comburuntur; horum cinere cũ melle mixto rectè usus fueris ad reparandam oculorum claritudinem. Lacertam uiridem excæcatam acu cuprea, in uas uitreũ mittes, cum annulis aureis,argenteis,ferreis,& electrinis,si fuerint,aut etiam cupreis, deinde uas gypsabis,aut claudes diligenter atque signabis.& post quintum uel septimum diem aperies,lacertamque sanis luminibus inuenies;quam uiuam dimittes,anulis uerò ad lippitudinem ita uteris, ut non solùm digito gestentur,sed etiam oculis crebrius adplicentur,ita ut per foramẽ annuli uisus transmittatur. obseruandum sanè in primis,ut in loco nitido atque herbido deponatur ampulla,& cùm lacerta discesserit, tũ annuli colligãtur. obseruandum etiam,ut luna uetere,id est à luna nonadecima in uicesimam quintam,die iouis,Septembri mense,capiatur lacerta,atque ita remedium fiat; sed ab homine maximè puro atque casto. Lacerti uiridis,quem ceperis die iouis,luna uetere,mense Septembri, aut etiam quocunque alio, oculos erues acu cuprea,& intra bullam uel lupinum aureum claudes,colloque suspendes; quod remediũ quãdiu tecum habueris,oculos non dolebis. lacertum sanè eodem loco in quo ceperis,dimittes. uel etiam si sanguinem de oculis eius lana munda excipias,eamque phœnicio conuoluas,colloque suspendas,uteris efficacissimo aduersum oculorum dolorem remedio. Cancri oculus subtiliter sublatus & in phœnicio colligatus colloque suspensus,lippitudini incipienti medetur;si tamen remediũ à casto homine fiat. De manu sinistra muscam capies, & dum capies,dicere debebis nomen eius,cui remedium facturus es, te ad curandos oculos eius muscam prendere. tum uiuam eam ligabis in linteo, & suspendes collo dolentis, nec retro respicies. Ad epiphoras oculorum sedandas,limaces complures tere in mortario nouo uel

nitido,& adijce ibi ouum gallinaceum incoctum,& tinge illic lanam fuccidam,& fronti impone. Ad epiphoras oculorum pultem fabaceam fine fale,fine ullo uncto, tepidam linteolo inline, & oculis de nocte impone,ita ut non alliges,continuo feruor recedit. Vt omnino non lippias,cũ ftellam cadere uel tranfcurrere uideris,numera,& celeriter numera,donec fe condat;tot enim annis quot numeraueris,non lippies. Ad lippitudinem inter principia fedandam,in chartam uirginem fcribe ουβαια, & licio, quod in tela fuerit,collo lippientis innecte. Incipiens lippitudo mirifice & fine dubitatione depelletur, fi in charta uirgine fcribas, & collo dolentis licio fufpendas, φυρφαραν, & hoc præligamẽ purus caftus facias. Hoc etiam remedium indubitate impetus oculorum,fi preuenias, prohibebit, fcriptum in charta uirgine, ρουβες. ρυονειρας ρηελιος ας. παντεφορα. και παντες κακοτει, quod ad collum dolentis licio fufpendi debet. fed & cœptã atque inueteratam lippitudinem fedat, fi in faciendo ac fufcipiendo præligamine,caftimonia ab utroque feruetur. In lamella aurea acu cuprea fcribes, ορυω ουρωδ'η, & dabis uel fufpendes ex licio collo geftandum præligamen ei qui lippiet; quod potenter & diu ualebit,fi obferuata caftitate die lunæ illud facias & ponas. Ne anno perpetuo lippias,de acinis nouem uuę albę,antequam uuam guftes, nouies te inunges,ita ut intra oculos tuos grana fingula fingulis uicibus infundas. Stercus caprinũ uino confperfum tritumque & impofitum oculis atque obligatum,omnem dolorem tumoremque detergit. Oculos cùm dolere quis cœperit,ilico ei fubuenies,fi quot literas nomen eius habuerit,nominans eafdem, totidẽ nodos in rudi lino ftringas,& circa collum dolentis innectas. Si impetus dolorem præuenerit,abfinthium uetus & fuliginem conteres diligenter,tum mellis quantum fatis uidebitur,adijcies,& denuò teres, atque ex eo oculos inlines,ualidiffimè proderit. Ne anno perpetuo lippias, cùm primum cucumerem nactus fueris,in fontana aqua eum per triduum effe in uafculo mundo permittes. deinde oculis adapertis,faciem tuam ea aqua fouere curabis. Qui crebro lippitudinis uitio laborabit, millefolium herbam radicitus uellat,& ex ea circulum faciat,ut per illum afpiciat,& dicat ter,excicum acriofos, & totiens ad os fibi circulum illum admoueat,& per medium expuat,& herbam rurfus plantet. Quæ fi reuixerit,nunquam is qui remedium fecerit,uexabitur oculorum dolore.ad utrunque oculum hoc facito.quæ fi minus reuixerit,ex alia iterum faciat.oportet autem dari operam,ut non nimis herba conftringatur,quò facilius plantata confurgat. Cæpę longæ fuccus opobalfamo mixtus,& fucco fœniculi,adiecta adipe anferina, incipientes hypochyfes difcutit, caliginefque extenuat. Accipitrem fi decoquas in oleo fufino,donec caro eius refoluatur,& ex eo oculos frequenter inungas,& hypochyfim & caliginem difcuties. Chamęleontis fel tantam uim habere creditur, ut hypochyfes intra triduum inunctionibus fanet. Lupi fimus diu perfrictus ad fummam lęuitatem,cum melle mixtus,& inunctione adhibitus,oculorum hypochyfis difcutit,& ad fummam claritudinem eos perducit fuffufione ficcata.

Xerocollyria,& remedia phyfica diuerfa ad xerophthalmiam,& caliginem,& afperitudinem detergendam.

Ad caliginem & afperitudinem oculorum,ficcamque perturbationem,fine tumore,quam xerophthalmiam gręci appellant,facit hoc collyrium,quod pforicon dicitur;accipit autem hæc.croci ✱ XII. pforici ✱ XIIII. pfimythij ✱ IIII. opij idem,piperis albi idem,gummis ✱ II. cum aqua pluuiali teruntur hæc,collyria ftatim inde finguntur,ne confectio dilata uanefcat. Collyrium ad caliginem & afperitudinem,quod ftratioticon dicitur,recipit hæc,pfimythij ✱ VI. piperis albi ✱ I. omphacij ✱ II. cadmiæ ✱ III. opobalfami ✱ II. opij ✱ I. gummis ✱ II. ex aqua pluuiali hoc teritur atque cõficitur,quod melius fuperiore ad caligines facit. Collyrium quod ftacton uocant græci, ad eadem ferè quæ fuprà fcripta funt,utile,fed magis mulieribus prodeft,accipit hæc.Cadmiæ ✱ II. ftibij ✱ VI. piperis albi ✱ II. æruginis rafæ,& mifyos,donec puniceum fiat,ufti ✱ fingulos S. æris floris ✱ I. S. gummis ✱ V. quidam ijs addunt, opobalfami ✱ II. trita hæc diligenter pluuiali aqua afperguntur, & in collyria colliguntur. Collyrium acre,ad extenuandas cicatrices quamuis ueteres, caliginefque angulorum;quod femel inunctum,plurimis diebus effectum præftat.oportet autem eo aquato uti,diu enim tenet morfum;accipit hæc.ammoniaci guttæ,quæ fit fine forde,P. I. æruginis P. S. gummis P. I. primũ cum aqua pluuiali teritur ærugo,poftea cætera adijciuntur macerata aqua pluuiali, & tum collyria finguntur. Fel teftudinis cum melle optimo mixtum & diu coagitatum,mirè caliginẽ tollit,fi oculi inde adfiduè circumlinantur,aut fubtiliter fuffundantur. Calliblepharum xerocollyrium primum,accipit hæc. æs uftum,ftibium,cadmiam,æquis ponderibus mifcebis, terefque diligenter, & donec fpumam non faciant,neque crefcant,ad ignem lentum agitabis in uafo æreo; ibique tãdiu effe patiêris,donec refrigerentur atque ficcentur;quæ poftea ad mortarium nitidiffimum transferes,atque illic iterum ex uino uetere optimo teres,tãdiu quoufque ficcentur;de quibus pulverem tenuiffimum factum,intra pyxidem ęream condes,eoque uelut ftibio cùm uolueris,utêris. Xerocollyrium optimũ conficitur fic,lapidis phrygij — II. croci — I. falis ammoniaci ℈ II. folij ℈ II. æris ufti ℈ IIII. piperis albi ℈ I. omnia feorfum diutiffimè & diligẽtiffimè teres,ut puluerem tenuiffimum facias,quem permixtum recondes in doliolo uitreo, & cùm uolueris,puluere ipfo pro ut uolueris,utêris. Xerocollyrium optimũ & ad initia lippitudinis probatum,conftat ex ijs,croci ℈ II. farcollæ ℈ II. aloes hepatitidos ℈ I. glaucij ℈ I. teres hæc omnia diligenter,& puluerem tenuiffimum in pyxide cuprea recondes,& cùm opus fuerit,& intra oculos & ad fuperliniendos utêris. Capilli muliebres fuper teftam cõbufti & cum fpuma argenti contriti atque ad fummam lęuitatem redacti,xerophthalmias & prurigines oculorũ efficaciter fanant,fi inde inungãtur. Ad

caliginem

caliginem abolendam de experimento uteris hoc remedio; salem ammoniacum exustum tere & permisce cum lotio pueri inuestis, atque inde adsiduè oculos inunge uel superline. Naturalem succum argemoniæ, succum millefolij, & succum arnoglossæ, id est plantaginis, colliges diligenter ac nitidè æquali mensura, & de succo marrubij, rutæ, serpylli, euforbij, exprimes per linteum delicatum, & admiscebis ʒ binos ijsque adijcies mellis optimi despumati libram unam, atque omnia simul diu conteres. deinde iterum colabis tenui linteo, & recondes in uasculo uitreo, atque uteris cùm opus fuerit, ad suffundendos & superliniendos oculos caligine laborantes; quibus hoc remedio citò aciem acutissimam reddes. Maluæ succus expressus cum farina tenui miscetur ac diutissimè teritur, postea adijcitur mellis despumati aliquid, ac uini uti liquidius fiat, potenter inde inunguntur oculi caligine laborantes. Ros nocturnum colliges nitidissimè in prato, & in ampullam mittes, atque adijcies illi mellis attici ʒ X I I. & opobalsami ʒ V I. ac pariter utrunque miscebis, & sic uteris ad inungendum uel superliniendum; mirum remedium experieris. Succum uettonicæ tenuissimum oculis infunde, clariores eos facies, & importunam lacrymarum destillationem citò siccabis. Fel cameli solum per se fronti inlitum prodest aduersum caliginem, sed ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis optimi cyathis tribus, & croci uncia in unum miscebis, & sic suffusionẽ ad oculos facies, uel etiam superlines inde caligantes & lippientes oculos. hoc medicamine etiã excrescentes carnes in oculis & cicatrices curantur. Ad caligines oculorum detergendas, medicamẽ ualdè efficax; rosæ siccæ pugnos duos plenos, cum radice fœniculi diligenter purgati, & fœni græci pugnum unum plenum in ollam nouam mittes, & decocta prima aqua effusa, sic postea decoques ut spissescat; deinde mellis attici unciam supermittes, & piperis scripulum bene triti, addes etiam passi cretici aliquantulum ut liquidius facias, deinde per linteolum delicatum colabis, & ad suffusionem uel superlinitionem oculorum uteris. Perdicis fel mixtum melli attico caliginem tollit, si oculis adsiduè infundatur, sed cũ modo & æquali mensura. Aquilæ fel cum melle attico, myrrã uera, & nitro albo, singulis uncijs mixtum, oculis uisionem acutissimam præstat, si cum modo infundatur. Vt acie certiore intueri omnia possis, ficus africanæ etiam ueteris, dummodò pinguissimæ, ad ignem calefactæ succo expresso, uinoque diluto, oculos inunge, gratulaberis remedio. Vipera uiua mittitur in uas nouum fictile, & adijcitur ei succi fœniculi cyathus unus, & thuris granum unum. deinde uas obturatur argilla, & circumlinitur, & in furnum feruentem mittitur, atque illic excoquitur, donec cinis fiat. hoc de experimento hypochyses caliginesque potenter atque mirificè purgat. Anagallidos herbæ flos purpureus ad mensuram obolorum trium diligenter tritus, & cum pauxillo uini ueteris mixtus, inunctioni caligantium oculorum mirabiliter prodest. Lacertas pissinnas, quæ in segetibus morantur, quas Græci aruras uocant, comburito, & ad tenuissimum puluerem redigito, atque ex eo cum uino aut melle optimo caligantes oculos inunge, ualde proderit. Centaureæ minoris succo oculi ex melle inuncti, caligine citò deposita, tenuissimam aciem resumunt. Fœniculi radicis contusæ succo, tantundem mellis optimi despumati, utinam attici, misceto, eaque lento igne ad mellis crassitudinem discoquito, repositaque in pyxide etiam ærea habeto; cùm erit opus, cum aqua cisternina aut muliebri lacte inungito, quamuis crassas caligines citò discuties. Fœniculi radicis decoctæ aqua oculos adsiduè foueto, citò omnem caliginem tolles. Caligiantibus oculis, uisus acutior restituetur, neque facilè in hoc uitium incidet, qui usus fuerit remedio tali, ut centaureæ manipulum nitidum in uini optimi, sed nouellastri congium mittat, aut etiam excoquat, ac triduo in uasculo clauso uel operto macerari faciat. Deinde post triduum, heminam eius uini mixtam cum calida aqua, adiecto melle ieiunus manente illic centaurea, cotidie bibat. Lauri folia X X. leuiter contrita, passo diluito, & linteo colato & in caccabulo decoquito ad crassitudinem mellis, atque ex eo inungito, efficaciter caliginem discuties. Baccæ myrti supra carbones uiuos ad suffumigandum positæ, caliginem extenuant, si oculis apertis fumum earum patienter exceperis. Pulli hirundinum uel assi, uel elixi, in cibo sæpius sumpti, oculis caligiantibus efficaciter prosunt. Lapidem bostrychiten tecum semper habeto, quia ad aciem oculorum excitandam efficaciter prodest. Muris agrestis, id est, qui in campis inuenitur, combusti cinis contritus, & cum melle assiduè inlitus, aciem oculorum caligine extenuata confirmat. Scarabæus coloris smaragdini tantũ beneficij oculis præstare dicitur, ut uisionẽ ei acutissimã reddat, qui eũ contẽplatus fuerit assiduè. Cocleas africanas ueras super spissam craticulã dispositas ponito, & carbones acres adsiduè suggerito, ut æqualiter comburantur, deinde mortario terito, ut tenuissimum ex ijs puluerem facias, adiectaque mellis attici cotyla una, iterum ualidissimè terito, & postmodum in uasculo fictili repone, & signa, & cùm alicui mederi uoles, spicillo inde eum inunge, intra paucos dies integram aciem eius claramque restitues. Fit ex uipera collyrium ad caligines oculorum adaperiendas discutiendasque mirificum. comprehensam igitur occisamque uiperam in uaso fictili repones, eamque illic putrescere permittes, donec ex ea uermiculi nascantur; hos eliges & conteres & adijcies ijs croci paulum & iterum teres, atque inde collyria facies, & sic cum melle attico, aut lacte muliebri oculis inunges. idem præstat & cinis uiperæ combustæ, sicut supra scriptum est, sed cum ijs quæ hic adiecta sunt, temperatus. Salem quàm candidissimũ ieiunus si quotidie gustaueris, omnem oculorum caliginem citò extenuabis. Fel ursinum atque hyenæ cum melle optimo mixtum & diu coagitatum, caligines eximit, si adsiduè inde oculi suffundantur, aut superlinantur. Adipes omnium fluuialium piscium in sole liquefactæ adiunctoque melle inunctioni adhibitæ, mirificè oculis caligantibus prosunt. Herbæ chelidoniæ succum, fœniculi succum, ad quartarios singulos misce cum mellis optimi quartarijs quatuor, & oculos grauedine & asperitudinem laborãtes inunge, mirè proderit, sed simul omnia decoque in uaso æreo, & sic inunctioni reserua. Lapis medius in lu-

pina pellicula subligatus collo, atque ita diu portatus, sed prius muliebri lacte pertractatus, non tantũ ca li gines tenuare, uerum etiam hypochysim discutere, & obductam aciem aperire consueuit. Hygra, quæ prodest ualde ad caliginem detergendam, conficitur sic. croci — II. piperis albi unciam, aphronitri unciam, myrrae unciam, mellis attici unciam. crocum & piper ex uino teres. nouissime aphronitrum & myrram seorsum conteres, & sic uniuersa coniunges, atque ad suffundendum uteris ex melle. Hygra mirifica, quæ & caligines abigit, & oculis suffusis lumen instaurat, accipit hæc. opobalsami ℈. III. myrrae ℈. III. opopanacis ℈. I. S. mellis attici selibram. opopanacem primum ex uino teres diligenter, tum myrram adijcies & teres, postremum opobalsamum addes, atque omnia communiter terendo, admiscebis & postea ad inungendum uteris. Fellis gallinacei uel uulturini, quod longe magis prodest, scripulũ & mellis optimi unciam, bene trita cõiunges, atque in pyxide cuprea habebis, & opportune ad inungendum uteris; hoc nihil potentius caliginem releuat. Ros matutinum quod inhæserit rutæ, & succum chelidoniæ, & mel optimum despumatum pari mensura permisce, atque ad tertias decoque, & in pyxide cuprea reconde, & caligantes oculos infunde. Fellis terræ, & chelidoniæ, utriusque herbæ succum, cũ mellis optimi despumati pari mensura permisce, atque ex eo caligantes oculos inunge, efficacissimo medicamine uteris. Satureiæ uiridis succo tenuissimo si adsidue angulos oculorum contingas, caliginem cito discuties. Idem præstat & rutæ succus per linteum tenue expressus, in pyxide ærea conditus, atque angulis oculorum caligantium adpositus. hoc cuiuslibet ætatis hominem infirmissimi uisus mirabiliter curat, certe si aliquid mellis attici fuerit admixtum.

Remedium ad tumorem oculorum uel nimiam destillationem.

Pulegij flores destringe, eosque madefacito ex aqua frigida, & contere bene, atque ex eo panni tenuissimi partem dimidiam line, ut ex altera parte panni integas oculos, & cum ibit dormitum, cui medendum erit, supra oculos pones, ipsa nocte tumorem humoremque oculorum eius sedabis. Ad oculorum subitum impetum uel dolorem, remedium efficax sic. succum cardonis, succum urticæ alexandrinæ, succum bugillonis, crocum, atramentum sutorium, æquis mensuris ista coniunges, & addes ijs sapæ modicum, & aceti quantum sufficiat, & decoques ad spissitudinem mellis liquidi, atque ita oculos inde superlines, ut modicum ingrediatur eos, & delacryment, continuo sanabuntur.

Ad uulnera, ulceraq; & cicatrices, atque carbunculos, crustasq; oculorum; & glaucomata atque albugines detergendas, & palpebras componendas, collyria & remedia de experimentis physica & rationabilia diuersa.

Ad sordida ulcera oculorum crustasque habentia quas medici escharas uocant, & ad carbunculos oculorum, quos anthracas dicunt, facit bene & per se, mel atticum purum pyxide cuprea conditum, & repositum sub signaculo mẽsibus ferme duobus; quanto enim diutius in pyxide ea manserit, efficacius fiet. sed præcipue hoc, quod quidam diasmyrnon, nonnulli euodes, quia boni odoris est, nominant, quod etiam ad pustulas papulasque & suppurationes oculorum, & ad cicatrices non ueteres, & ad palpebrarum recentem etiam in corporibus tenerioribus asperitudinem facit; oportet autem eo ad sordida ulcera diluto oui albo, id est aquatissimo uti, deinde cum lacrymę fluere desierint, cineraceo collyrio super inungi; item ad pustulas ex ouo tritum facit, ad papulas uero & ad dolores cum rubore & distensione oculi sicca, bene imponitur cum lacte mulieris. ex aqua autem ad cicatrices recentes extenuandas & palpebrarum asperitudinem tollendam teri debet, & subiecto spicillo, aut inuersa palpebra oculis inseri. componitur autem ex ijs rebus; pompholygis lotæ ⚹ VIII. æris usti ⚹ VIII. croci ⚹ IIII. myrrae ⚹ IIII. nardi spicæ ⚹ I. & pondus uictoriati, lapidis hęmatitæ ⚹ II. S. piperis albi grana X. opij ⚹ I. & pondus unius uictoriati. gummis ⚹ X. teruntur hæc cum chio uino, & confestim collyria finguntur, atque in umbra siccantur. Atriore autem collyrio ad cicatrices extenuandas, & ad palpebras asperas utimur; quod quia ex quatuor rebus, ut quadriga equis constat, & celeres effectus habet, harma dicitur. recipit hæc, æris usti ⚹ IIII. tureæ arboris corticis ⚹ IIII. ammoniaci guttæ ⚹ IIII. gummis ⚹ IIII. teruntur hæc ex aqua pluuiali. hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras & qui non sufferunt unctionem, optime facit. Collyrium, quod proprie facit ad asperitudinem palpebrarum & callositatem. oportet autem aut subijcere spicillum palpebræ, aut inuertere ipsam palpebram, & sic inungere. recipit æris usti ⚹ XIIII. eruginis ⚹ VI. croci ⚹ X. myrrae ⚹ I. cassiæ rufæ fistularum uictoriati pondus, piperis albi grana XLV. gummis denarios nouem, cum uino chio hæc teruntur, & sic colliguntur. Ad palpebrarum ueterrimam asperitudinem, & excrescentem carnem, quam sycosim Græci uocant, in qua est callũ durissimum. est autem liquidum medicamentum, quod ideo hygra appellatur, quod etiam carnem ex palpebris tollit sine magno dolore. Recipit hæc, myrrę, turis, croci, misyos singularum specierum denarios ternos, chalcitidis ⚹ VI. hæc teruntur diligenter ex aceto acri; ubi leuia facta erunt, & habebũt spissitudinem passi, miscetur ijs mellis attici P. I. deinde in patella æris cyprij super carbones posita inferuescit, donec mellis habeat non nimium liquidi spissitudinem, atque ita reponitur in pyxide æris cyprij: Cum opus est, inuertitur palpebra & per spicillum adponitur; quod medicamentũ suffricatur curiose in oculo ad delacrymationem; & ubi desierit mordere, rursus inuerti oportebit palpebram, atque ita pollice impresso, membranas innantes adducere, quę facile subsequentur; post hoc, cinereo collyrio

collyrio ex aqua inungendi erunt oculi crassius, hoc medicamentum, multorum annorum callos & asperitudines palpebrarum desperatas a quibusdam medicis ocularijs, paucis diebus tollit. Collyrium ad ulcera papulas & epiphoras. cadmiæ ✱ VIII. cerussæ ✱ IIII. amyli ✱ III. opij ✱ II. acaciæ ✱ I. gummis denarios duos. tragacanthi denarium unum. ouorum semicoctorũ uitellos duos, fabæ sine cortice, id est, purgatæ modicum, quæ ante diem ex aqua macerari debet cum tragacantho, atque ita teri, tum formari collyria, quæ lachrymarum impetum & iugitatem potentissimè sedant ac reprimunt. Collyrium dionysianum, quod appellatur theodotion, ad lacrymam tenuem restringendam, & ad ulcera & asperitudines palpebrarum & ad cicatrices recentes efficacissimum, conficitur sic. cadmiæ ✱ III. æris usti & loti ✱ VIII. crocomagmatis ✱ VIII. stibij ✱ IIII. opij ✱ IIII. castorei ✱ IIII. nardi syriaci ✱ IIII. lycij ✱ IIII. acaciæ ✱ XVI. croci ✱ VIII. myrrhæ ✱ VIII. palmularum ossa uel nucleos ustos, numero XII. gummis ✱ VI. uini austeri ueteris bene odorati sextarium unum. teruntur hæc diligenter, & confestim ex ijs collyria finguntur, atque in umbra siccantur. Collyrium stratioticum, facit ad tumores oculorum & lacrymam acrem compescendam atque ad palpebras asperas & ad caligines & cicatrices ex itinere & puluere & fumo collectas. cadmiæ denarios octo. cerussæ ✱ VIII. crocodili stercorum ✱ IIII. æruginis rasæ ✱ II. castorei ✱ S. omphacij aridi, aluminis fissi atque usti denarium unum. piperis albi ✱ V. opij ✱ I. S. gummis ✱ VI. teruntur hęc diligenter, & ex uino falerno colliguntur, atque inde collyria formantur. Collyrium quod appellatur sphragis, ab Antigono medico inuentum; facit ad omne ulcus & ad omnem ustionem & plagã & ruptionem tunicularum oculi, & ad omnia oculorum uitia, præter epiphoram incipientem; accipit hæc, cadmiæ ✱ IIII. pompholygis ✱ X. opij ✱ IIII. amyli ✱ IIII. acacię ✱ IIII. tragacãthi ✱ IIII. gummis ✱ II. teruntur diligenter hæ species, & ex aqua pluuiatica, collyria componũtur. Collyrium stratioticum psoricum, cõpositum ex cadmiæ ✱ XIII. S. croci ✱ XII. piperis albi ✱ XV. cerussæ ✱ II. opij ✱ II. gummis ✱ IIII. chalcitidis ✱ I. componitur autem psoricum sic; teruntur hæc seorsum singula bene siccata: deinde in unum collecta, aceto consperguntur, ac postea in ollam fictilem nouam conijciũtur cum ipso aceto; quam bene opertam in equino stercore obrui oportet, atque illic haberi per dies XL. postea hæc permixtio in sole arefieri debet, ac deinde teri, & tum aqua pluuiali collyria formari conuenit; de quibus & inungi oculos, ut suprà scriptum est, causis grauibus laborantes, & superlini optimum est. Ad oculorum omnem dolorem & præsentem & ueterem, & ad caliginem atque albuginem, & pruritum atque antiquam, ut ita dixerim, cæcitatem. Nam ut auctori huius remedij de experimento credamus, duodecim annorum cæco intra dies uiginti uisum restituisse se dicit; quanto autem recentior ualitudo fuerit oculorum, tantò uelocius curabitur medicamine tali. collyria multi generis, id est, uel decem confectionum æquali uel numero uel pondere, infundes in lotium pueri uirginis, & ad uncias singulas collyriorum, quæ infuderis, septena grana piperis in mortario nitido diligentissimè teres, ut puluerem subtilissimum facias, & cum mellis optimi despumati cochlearibus tribus miscebis, & iterũ diligenter teres, postea simul confundes omnia, id est, collyria, lotium, & piper illud cum melle, & iterum diutissimè ac diligentissimè teres, collectumque nitidè in pyxide cuprea recondes, atque ex eo quemlibet oculorum causarum intus, id est, intra oculos inunges. quod si per tempus medicamen spissatum fuerit, lotium puerile infantis, quantum opus fuerit, ut more collyrij liquidum fiat, infundes, & sic sub cilio & palpebris, id est, intra oculos, sicut diximus, sollicitè inunges. hoc medicamine multis experimentis probato, constat nihil esse præstantius, si quis eo castus & purus utatur. Medicamen barbaricum, ad omnis oculorum causas uel impetus, siue sint scabri & lacrymosi, siue etiam uermiculos habeant aut brigantes, qui cilia arare & exulcerare solent. in ollam rudem mittes tres sextarios aceti acerrimi & ferrum, id est, clauos ueteres minutos, uel alia minutalia ferri uetusta, & claudes ollam diligenter; operculum tenuiter pertundes, & in illo foramine pones aut cannam, aut sambucum perforatam, unde habeat spiramentum; mittes tamen in eandem ollam cum aceto & ferro, rosæ siccæ unciam unã semis. ac postea ollã ipsam cooperies fimo caballino recenti, ita ut spiramen illud ollæ per calamum liberum sit, hoc est ut supra molem illã fimi caballini, quo fuerit olla constricta uel operta, solum spiramen emineat, ut semper habeat anhelitum, quindecim diebus, quibus necesse est ut in fimo illo perseueret. nam omnino obseruabis, ne unquam illis XV. diebus deoperiatur. sextadecima die tolles ollam de stercore illo, & diligenter mundabis, ne quid illic sordidum hæreat; & cùm patefeceris ollam, mittes in eam fœniculi uiridis succum, quanta est mensura bonæ potionis in uino. deinde agitabis diu & colabis linteo tenui & mittes in bucculare rude uel diligenter nitidatum, deinde lento igne decoques, & semper agitabis, cùm aliquantulum coxerit, addes in sextarium medicaminis, tria cochlearia mellis optimi despumati, & iterum diligenter coagitatum repones in ampulla uitrea, aut pyxide cuprea, ac sub signaculo habebis; & cùm opus fuerit, ad caliginem & albuginẽ detergendam interius oculos inunges. Ad præsentem autem impetum uel dolorem, quamuis uehemens sit, desuper oculos inlines. quòd si grandis feruor oculorum & acres uel frequentes lacrymæ erunt, etiam tempora & frontem medicamine inlines, ita ut in die uel quater superlinas; & cùm siccata fuerit superlitio ipsa, non eluas eam, sed semper addes nouam inductionem. quòd si scabri oculi fuerint, aut uermes, qui palpebras exarent, & inde sit tumor inuectus, cilia superiora & inferiora, id est, palpebras ipsas, ubi causa ualitudinis est, inunges; experièris ad omnia ferè oculorum uitia mirificum medicamentum, si castus & purus eo utaris; de quo tamen, dum in fimo est, uix tertia, aut certè media pars remanere debet. ita enim melius fiet, nã quanto plus consumitur uapore fimi illius, tantò magis confortatur; & ideo maior olla esse debet, ut pro-

pensius medicamen fiat; quod & diu seruari oportet, & multis necessarium est. Ad oculos scabros & palpebras perforatas humore uetusto, uel pedunculis exesas, remedium præsens barbaricum quidem, sed multis probatum. Scarabæum pilosum, qui similis est scarabęo uero, in sepibus uetustis lapidosis, aut in fossatis sepium requires, qui cutiones sunt, colore pseudoflauo, quasi leonino, pilosi, lucentes. ante ergo quàm illum cutionem tollas, folium caulis primo mane cum suo sibi rore uel gutta conclusa in eodem folio teneatur, ut ubi cutionem illum inueneris, digitisque pollice & medicinali adprehenderis, confestim supra folium illud caulis teneas, ut supra guttam illam lotium eius excipias; quia ubi manu adprehensus fuerit, statim se submeijt. prouidendum ergo, ut uelocius supra folium illud caulis ponatur, ne lotium eius quod citò effundit, alibi excidat; quod commixtum cum illo rore caulis per spicillum palpebris impones, & loca scabra, uel exesa inter pilos perunges, effectum rei citò miraberis. quòd si casu uno in loco, uel in diuersis, plures istos cutiones inueneris, omnium lotium uel humorem quemadmodum diximus, in folio caulis humidi statim de horto suscipere debebis. & adiectis guttis aliorum de caule foliorum in uasculo uitreo recondere, ut cùm opus fuerit, præsto habeas, quia difficulter huiusmodi bestiolæ inueniuntur. Ad albuginem oculorum detergendam efficax hoc remedium. uulpem uiuam capies, eique linguam præcides, ipsamque uiuam dimittes, linguam autem eius arefactam, phœnicio ligabis, & collo eius, qui albuginem patietur, suspendes. Herbæ symphoniacæ surculum collo eius, qui albuginem patitur, lino suspendes, ita ut per dies triginta illic sit; quantò recentior albugo fuerit, tanto citius sanabitur. Rosmarinum combure & puluerem eius cum melle attico diligenter tere ac permisce, atque inde inunge, confestim subuenies ei, qui albuginem patitur. Fabam fractam purgatam atque ustam, ad summam leuitatem teres, & oculos inde albugine occupatos adsiduè ex aqua circumlines, miro remedio subuenies. Piscis marini felle, qui scorpios dicitur, oculi inuncti, caligine atque albugine quamuis crassa citò liberabuntur. Sanguis columbarum de loco pinnarum eo momento, quo pinna auellitur, oculis dum adhuc tepet, debet infundi, qui ictu aliquo uulnerati aut sanguine suffusi fuerint; album quoque oui incocti cum croco trito oculis superpositum, & lana alba succida inuolutum medetur. Ranam de lacu prendes, & spino oculos ei subtiliter erues, atque in panno coccineo de licio ligatos, oculis interius cruentis superpones, citò medeberis. Mel atticum & stercus infantis, quod primum dimittit, statim ex lacte mulieris, quæ puerum allactat, permiscebis, & sic inunges; sed prius eum, qui curandus est, erectum ad scalam alligabis; quia tanta uis medicaminis est, ut eam nisi alligatus, patienter ferre non possit; cuius beneficium tam præsens est, ut tertio die absterfa omni macula, mirificè uisum reddat incolumem. Ad cicatricem uel plumbum extenuandum, & asperitudinem pruriginemque oculorum purgandam, & humorem siccandum, & ad scabras ac scabidas palpebras, atque alia oculorum uitia, unum hoc remedium uel præcipuum est. folia oleagina commanducato diligenter, eorumque succo, quem in ore collegeris, quotidie ieiunus oculos ablingito, uel inlinito per linguam, celeriter uitia suprà scripta discuties. Ex hirundinum pullis fit calliblepharion bonum, quod asperitudinem pruriginemque oculorum potenter expurgat: nec patitur quidquam in ijs molestiæ concrescere, humidos quoque naturaliter oculos exsiccat; quod hoc modo componitur; capita pullorum quàm plurima igne lentissimo comburuntur, & trita in puluerem tenuissimum rediguntur, quæ admixta recenti adipe gallinæ, inunctioni maximè prosunt. Intybi rustici, de quo nascuntur cauliculi complures, contriti succus in oculum instillatus, celeriter cicatrices & plumbum oculorum eximit. Caput stellionis combustum, & tritum, & melli attico admixtum, oculos lacrymosos inunctione adsidua siccat & sanat. Pulmonis hędini combusti cinis prurigines oculorum discutit, & scabras palpebras emendat, si quasi stibium imponatur. Felle catelli dierum septem, oculi ex melle inuncti, citò a leucomate liberabuntur. quidam etiam adfirmant efficacissimum remediũ esse ad detergẽda glaucomata, si catello dierum septẽ caput uiuenti diffindatur, & de dextra parte cerebri oculus dexter, de sinistra sinister, intincto illic spicillo inungatur.

Vt leucomata & albuginem quamuis densam ex oculo detergeas, turam & anturam herbas uirentes nitidissimè collectas contundes, & per linteum tenue succum earum exprime, eoque oculos inunge. Leucomata ut extenues & discutias, utere medicamine quod conficitur sic; pumicis combusti triti ℈. XIIII. chalcitidis ℈. VIII. gummis ℈. quatuor, & sinapis pusillum ut toleretur, adijcies; hæc omnia in tenuissimum puluerem redacta, in unum permisce, & ex aqua fontana facito collyria crassiora; quibus sic uteris, ut circundetur tribus partibus cera collyrium, sed extremum collyrij sit leue ac tenue, quod in ipsum leucoma imponas, & iube oculum adoperiri paulisper, ne excidat collyrium; quòd si exciderit, iterũ reponatur, post hęc inunge oculum leni collyrio, statim emittet quasi squamam. si ergo magnum leucoma fuerit & crassum, ita curabis; sin autem tenue, cùm imposueris medicamen, maturius tolles; postea uerò utere ad inunctionem collyrio, quod græco uocabulo diacopon appellatur; etenim apud medicos hoc collyrij genus magnam habet effectus sui dignitatem. Turturis fimus ad summam leuitatem tritus & cum melle attico, aut etiam alterius generis, dummodò optimo & despumato inunctus, leucomata oculorum potenter extenuat. Galli gallinacei maximè albi fel ex aqua dilutum, & inunctione adhibitum, leucomata oculorum & hypochyses sanat, & aciem luminum confirmat. Stercus quoque gallinaceum album cum oleo uetere tenuissimè tritum & ad positum, idem oculis remedij præstat. Fel uituli diligenter collectum ad cotylæ mensuram, in uas æreum mittitur, tenuique igne admoto ita excoquitur, ut spissetur; deinde mellis boni tantum mittitur, quantum fellis illius decocti remanserit; adijciuntur postea myrræ tritæ drachmæ duę, & croci una, & æris flos pauxillum, ac postea simul omnia diu coagitata ad tertias decoquuntur,

tias decoquuntur;quod medicamen in pyxide ærea debet reponi,satis utile,& leucomatis, & cicatricibus, & omnibus uitijs oculorum,si adsidue inde,& opportunè inungantur. Vt leucomata oculorum efficaciter discutias,ungulas asini uiuentis lima , & scobe earum quàm tenuissimo,qui leuitate sua oculos nō offendat,cum lacte muliebri mixto, frequenter inungito. Araneus albus cruribus longissimis ac tenuissimis cum oleo uetere cōtritus,per inunctionem adsiduam,leucomata eximit,& ideo plures cum oleo sufficienti teri oportet,ne ante confirmatam sanitatem medicamen necessarium desit. Cæpa longa contusa exprimitur,eiusque succus opobalsamo,uel quod efficacius est,lacti mulieris admixtus,leucomata,& cicatrices , & quæ græci argemata appellant,miro effectu inunctione adhibita extenuat atque persanat. Anemone dicitur a Gręcis herba,quę tantam uim remedij habere creditur,ut portata ab eo uel subligata collo eius,qui glaucoma patitur , intra dies quadragintaquinque eum sanissimum reddat. Vt glaucoma incipiens celeriter discutiatur,herbam serpyllū decoque , & eius aqua oculos adsiduè foue, postea pice liquida pura ac nitida uelut collyrio inunge , citò recipies sanitatem. Perdicis unius fel, opobalsami cyathum unum , cyperi sidonij cyathi partem dimidiam , trita hæc & ad summam lęuitatem perducta,permixtaque in pyxide plumbea repones,& inunctione aduersum glaucomata,& hypochyses, & caliginem mirè uteris. Corui marini fel inunctione adhibitum,caligines tollit,albugines & cicatrices extenuat,carnes excrescentes compescit,fluoresque oculorum reprimit. Pisciculi,qui equum marinum similat,fel,ouorum albumini mixtum & cum lana succida oculis adpositum, melius remedium suprascriptis oculorum causis, quàm ullum aliud medicamen præstare manifestum est. Scrofina adipe recenti si quis contritos angulos oculorum , quos græci canthus uocant, interius exteriusque inunxerit, uermiculos qui noxij sunt oculis potenter educit. Sepiæ testa interior,quæ mollis est, diligentissimè trita,& muliebri lacte permixta,atque inunctioni adhibita , supradictis oculorum causis plurimū prodest. Nardi indici uel syriaci ex uino uetere triti siccatique puluis, pro xerocollyrio oculis impositus,mirabiliter prodest ad ualetudines suprascriptas. Mel optimum despumabis,ut bene purum sit, & admiscebis pari mensura succum rutæ & herbæ chelidoniæ,atque ad tertias decoques;& cùm omnia bene permiscueris,in ampulla uitrea sub signaculo seruabis , & uteris miro medicamine ad scabros , & lippos oculos inungendos.

Item ad oculorum causas,remedia physica,& rationabilia diuersa,id est,oculis ictu læsis,& si quid subitò eos fuerit ingressum, & aduersum molestias pilorum,& ad ægilopas,& ad nyctalopas,& ad uarulos, id est,ordeolos oculis infestos,ijs additæ infra collyriorum diuersorum confectiones.

Quocunque ictu læsus oculus,si sanguinolentus uidebitur,palumbinus ei uel perdicis , uel turturis sanguis,aut si hæc animalia non erunt,columbinus de pinna sublatus,statim , id est adhuc calens infundatur. Bitumine,sulphure,& thure permixtis,oculos ictu læsos suffumigato,statim sanabis,si frequenter id feceris. Herba,quam græci sarcocollam,nos argemoniam appellamus,si uiridis erit,trita,sin arida calida aqua macerata,quò facilius teri possit,inlita oculis sugillationes liuoresque eorum maturè discutit. Sanguine hirundinis recenti ac tepido inunctus oculus ictu læsus,& cruore suffusus statim sanabitur. Radix rutæ trita,& inlita oculis cruore suffusis,etiam commansa,& adsiduè posita plurimùm prodest;uinum quoque,in quo ruta diu fuerit macerata,rationabiliter infunditur. Mulieris primiparæ puræ ac nitidæ saliua ieiunis instillata oculis liuorem suffusionemque quamlibet cruentam,efficaciter adimit. Herbæ uettonicę folia teres,& salis triti modicum adijcies,& super ictu perculsum uel cruoribus suffusum oculum conligabis,mirè proderit.nam quando ei id solueris,uidebis ex eo sanguinem distillare , ita omnē causam extrahet. Lana succida madefacta oleo uinoque permixto ac tepens oculis superposita,optimè uitia supra scripta persanat. Ad eijciendum, quæ casu oculum intrauerint, herbam artemisiam uelles radicitus,& inde coronam factam capiti impones.sed is cui medendum erit , dum coronam illam in capite habet,quantum fieri potest,oculos apertos habeat. Digitis quinque manus eiusdem, cuius partis oculum sordicula aliqua fuerit ingressa,percurrens & pertractans oculum,ter dices,tetunc resonco,bregan,grello.ter deinde spues,terque facies. Item ipso oculo clauso,qui carminatus erit,patientem perfricabis,& ter carmen hoc dices,& totiens spues,in mon dercomarcos axatison.scito remedium hoc in huiusmodi casibus esse mirificum. Si arista uel quælibet sordicula oculum fuerit ingressa , obcluso alio oculo,ipsoque qui dolet,patefacto, & digitis medicinali ac pollice leuiter pertractato , ter per singula despuens,dices,os gorgonis basio.hoc item carmen si ter nouies dicatur, etiā de faucibus hominis uel iumenti os,aut si quid aliud hæserit,potenter eximit. Leporem marinum,uel eius sanguinem cum oleo tere,atque ex eo uulsorum de oculis pilorū loca frequenter perunge;post quod,& si renascentur pili,molliores erunt;quibus iterum euulsis,supradictum medicamen inducitur,tum uerò non renascentur. Si autem etiam lacrymas oculi destillantes adsiduè,uitare uis , hederam & uitem exustas , & in puluerem tenuissimum redactas,pari mensura cum suprà scriptis permisce ad spissitudinem mellis,atque inde inducito,uel superline frequenter oculos & confestim defluet humor noxius; & aduersum uulsos palpebrarum pilos proderit. Si felle hyenę loca,quibus molesti sunt pili in palpebris nati adsiduè tangantur, confestim tabescent; certè si prius uulsis superducatur,non renascentur. Pilos oculis molestos si exstirpare penitus uolueris,loca eorum,cùm prius eos euulseris,ranæ marinæ felle continge;quòd si fel eius repositum aruerit,aquam marinam ei modicè admisce.

Sicui uolueris pilos uulsos non solum in oculis, sed etiam in locis uerecundioribus non renasci, lacte mulieris eo die expresso quo peperit, continge crebrius loca de quibus pilos tuleris. Pili si oculis molesti erunt, potenter uteris hoc medicamine. lacertæ uiridis fel misce cum uino albo, quantum sufficere existimaueris, & mitte in uas æreum, positumque ad solem tam diu agita, donec crassitudinem mellis habeat, atque ex eo loca pilorum uulsorum ungue. Lucernam fictilem de papyro & medulla uaccina concinnato, atque eius fumo, siue fuligine uel ligny, pro calliblephario utere, quo palpebras exesas & glabras sepius inungendo, decentissimas facies. Glabris palpebris pilos induces, si œsypo, quod sub armis ouium nascitur, adiecta myrrà, pariterque in mortario trita, specillo calido loca pilis nuda perduxeris. Pilos oculis molestos diligentissimè uelles, atque eorum loca hircino sanguine recenti, aut leporis, aut uespertilionis inlines; uel canino lacte continges; aut acu cuprea calido aceto sæpius delibuta perduces. Capnos nomine, est herba, cuius succus uino mixtus atque inlitus locis, de quibus pili ab oculis fuerint exstirpati, renasci eos non permittit. Ranunculum uiridem comprehensum, acu cuprea pungito, & sanguine eius excepto, palpebras, de quibus pilos tuleris subinde continge, nunquam renascentur. Sanguisugarum in olla combustarum tritus delicatissimè cinis, & uulsis pilis palpebrarum impositus uel inspersus, renasci eos non sinit. Adipe uituli si palpebras crassiores perunxeris, extenuabis eas, & ad sanitatem perduces. eiusdem medulla cum cera & oleo rosaceo equis ponderibus liquefacta & permixta, & ad emplastri modum imposita, duritias palpebrarum, & si qua illic in modum pilularum nascuntur, commollit ac discutit. Aegilopia emendat fimus columbinus ex aceto coctus & inlitus. cicatrices quoque oculorũ & albugines mirè detergit. Inulæ rusticæ radix ualidè commanducata & cum succo suo imposita, ægilopas potenter emendat. quæ quia ubi aruerit, cadit, recentior donec persanet, assiduè debet imponi. Ad nyctalopas abolendas, lychniten lapidem, quem nos carbunculum dicimus, tecum habeto, magno remedio uteris; quem ut uerum esse scias, sic experire; si festucas leues admotas ad se rapit, sicut lapis magnes ferrum rapere consueuit. Iecur ouillum, id est, ouis candidæ decoctum, cum aqua madefactum contritumque & oculis superpositum, nyctalopas purgat. Varulis id est, hordeolis oculorum remedium tale facies. annulos digitis eximes, & sinistræ manus digitis tribus, oculũ circum tenebis, & ter despues, terque dices, rica, rica, soro. Si in dextro oculo uarulus erit natus, manu sinistra digitis tribus, sub diuo orientem spectans, uarulum tenebis & dices. nec mula parit, nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat, aut si creuerit, tabescat. cùm hæc dixeris, iisdem tribus digitis terram tãges, & despues, idque ter facies. Efficax hoc remedium hordeolis; nouem grana hordei sumes, & de singulis uarum punges, perque singula puncta carmen dices; & proiectis nouem granis, septem alia corripies, & similiter de singulis punges, & carmen septies dices. abiectis etiam iis, quinque sumes, & idem quinquies facies. idem de tribus granis similiter. idem de uno similiter. carmen autem hoc dices. κύριε, χύριε, χλὸ σ ἄριε, σ ουρεσφθι. Item hoc remedium efficax; grana nouem hordei sumes, & de eorum acumine uarolum punges, & per punctorum singulas uices, carmen hoc dices. φύγε φύγε, χειθὴ σε διώκει. Item digitò medicinali uarum contingens, dices ter. ugaria, gasaria, uarumque grano hordei ardenti, aut stipula fœni, aut palea ures.

Confectiones collyriorum diuersorum de experimentis sic.

Collyrium factum ad recentes caligines, & cœptas suffusiones oculorum, conficitur sic. cadmiæ ✱ VIIS. nardi celticæ ✱ IIII. acaciæ ✱ IS. æris usti ✱ IS. stibij cocti ✱ IS. myrræ ✱ I. lycij ✱ I. croci ✱ I. cerussæ ✱ I. aloes ✱ I. æruginis ✱ I. lepidos cypriæ ✱ I. opij ✱ IS. piperis grana uiginti. castorei ✱ IS. gummis ✱ VII. hæc omnia in puluerem tenuissimũ redacta, aqua pluuiali colliges, & collyria inde formabis, quæ in umbra siccentur. Collyrium nomine monemeron, facit ad impetus lippitudinis ex ouo inunctum, ita ut cum oui liquidissimo inunxeris lippientem, pusillum sustineat, & iterum eum inunges; quem cùm bis aut ter inunxeris, eadem die iube bis lauari. hoc collyrium facit ad scabritudines, & diatheses tollendas ex aqua inunctum, recipit autem hæc. Lapidis hæmatitis ✱ XII. pompholygis ✱ XII. croci ✱ XII. myrræ ✱ XII. æris usti ✱ VI. Nardi syriaci ✱ XII. piperis albi grana XX. opij ✱ VI. Gummis ✱ IX. hæc uniuersa in puluerem tenuissimum redacta, postea cum falerno uino cõteres, atque inde collyria facies, quæ diu in umbra siccentur. Collyrium dialibanos, ad suppurationes oculorum, conficitur sic. cadmiæ ✱ S. cerussæ ✱ XII. opij ✱ I. gummis ✱ S. rosæ siccæ ✱ I. gentianæ ✱ S. puluerem tenuissimum ex iis factum, cum aqua pluuiali teres, & ita collyria, qualia uolueris, effinges. Collyrium dialepidos accipit hæc. croci ✱ III. spicænardi ✱ V. cadmiæ ✱ IS. hæmatitidos ✱ I. piperis grana V. myrræ ✱ I. eris usti ✱ S. lepidos ✱ I. gummis ✱ I. rosæ uiridis foliorum purgatorum ✱ II. hæc ut suprà de aliis collyriis scriptum est, trita aqua pluuiali subiges, & ita collyria formabis. Collyrium ad lippitudines & primos impetus oculorum, conficitur sic. Acaciæ ✱ X. cadmiæ combustæ & de lacte caprino aut muliebri, quod melius est, extinctæ & tunsæ & cribratæ & lotæ bene, donec aqua eius limpida fit, ✱ X. hoc quoque pluuiali aqua colliges, & ita collyria formabis. Collyrium diamisyos, quod facit ad asperitudines oculorum tollendas & ad lacrymas substringendas, componitur sic. misy combures hoc more; conijcies illud in pultarium, & purgabis, & in furnũ mittes, ut tam diu coquatur, donec sit sanguineum. huius ergo ✱ V. spicę nardi ✱ V. croci ✱ II. cadmię ✱ S. ęris usti ✱ S. opij ✱ S. myrræ ✱ S. lepidos cypriæ ✱ S. gummis ✱ IS. hęc tunsa & cribrata cum uino optimo teres atque inde collyria formabis.

Quidam

Quidam adijciunt huic collyrio uiperam siccam & arefactam bene in sole, tanquam si sit salita. hanc ergo si uolueris adijcere, exossabis prius & linteolo inuolues, atque ita super eam uinum, unde collyrium hoc temperandum est, defundes; sed prius eam sic præcantabis, ne lacrymus exeat, ne extillet, ne noceat. dices autem, quomodo tu non uides, sic & tuus succus gustatus nulli noceat; sed ob rem propter quam adiecta es, proficias bene curatione, precor. Collyrium liquidum de lacrymatorium, accipit hæc. chelidoniæ herbæ succi ✱ S. mellis attici ✱ I. opobalsami ✱ S. succi porri ✱ S. hæc mixta, de ipso succo colliges, uel de aqua fontana, atque ita collyria formabis. Collyrium siccum, oculis siccandis utile, conficitur sic, cadmiæ ✱ I. æris usti ✱ I. stibij ✱ I. adijcies huic collyrio, si acrius illud facere uolueris, stactes ✱ S. & tundes atque cribrabis per tenuissimum cribrum, & sicco puluere uteris. Aliud siccum collyrium, ad idem efficax, sic. cadmiæ ✱ VIII. salis ammoniaci ✱ VII. piperis ✱ V. cassiæ ✱ V. tundes hæc atque in puluerem tenuissimum rediges, & sic uteris. Collyrium siccum calliblepharon conficitur sic. stibij combusti ✱ I. piperis albi ✱ S. folij capitulum I. stibium combures & lotio pueri impubis extingues, & siccabis, & tundes, & cribrabis, & sic uteris. Collyrium dioxus, ad asperitudines oculorum tollendas, conficitur; cadmiæ ✱ XII. æris usti ✱ X. hæmatitis ✱ V. myrræ ✱ IIII. gummis ✱ VII. hæc in puluerem redacta aceto optimo colliges, & deinde collyria formabis. Collyrium stactum accipit hæc, piperis albi ✱ II. cadmiæ ✱ VII. S. cerussæ ✱ V. S. indici ✱ V. S. opobalsami ✱ S. gummis ✱ VIII. hæc in puluerem redacta, falerno uino temperabis & colliges. Collyrium diapsoricum accipit hæc. piperis albi ✱ I. croci siculi ✱ I. myrræ ✱ II. amyli ✱ I. opij ✱ S. opobalsami ✱ S. gummis ✱ II. aqua pluuiali hæc colliges, tunsa atque cribrata, atque inde collyria facies. Collyrium dialibanum; cadmiæ ✱ I S. cerussæ ✱ I. turis masculi ✱ I. opij ✱ I. gummis ✱ I. aqua pluuiali colliges hæc similiter tunsa atque cribrata, atque ita collyria formabis.

Hygra, ad suppurationes oculorum, conficitur sic. croci siculi denarium unum, turis masculi ✱ I. ex melle optimo despumato, hæc bene trita colliges, & cum eo prius bene permiscebis, & sic collyria facies. Collyriu idem, id est, hygra, recipit hæc; croci ✱ III. æris usti ✱ V. cadmiæ ✱ II. hæmatitis ✱ V. S. folij ✱ I. amomi ✱ I. stibij ✱ I. cerussæ ✱ I. myrræ ✱ I. opij ✱ I. piperis albi ✱ I. gummis ✱ II. S. uino amineo tunsa & cribrata hæc colliges, atque ita collyria formabis. Collyrium dialoes conficitur sic; cadmiæ ✱ I. S. hęmatitis ✱ V. ammoniaci ✱ I. S. opij ✱ S. æris usti ✱ S. aloes ✱ II. ęruginis ✱ S. opopanacis ✱ S. salis ammoniaci ✱ I. galbani ✱ S. myrræ ✱ S. fellis taurini ✱ S. lepidos ✱ S. gummis ✱ I. S. cum aqua pluuiali hæc in puluerem redacta teres, & formabis. Collyrium diasmyrnes recipit hæc. croci denarium unum, cadmiæ ✱ S. hæmatitis denarium unum, myrræ ✱ S. misui ✱ S. piperis ✱ S. opij ✱ S. gummis ✱ S. puluerem tenuissimum harũ specierum cum uino uetere teres, sed collyria inde formabis. Hygra, ad suppurationes oculorum, recipit hæc; cadmiæ ✱ VIII. spodij ✱ IIII. stibij ✱ VII. croci siculi ✱ VII. amyli ✱ VII. opij ✱ IIII. gummis ✱ IIII. hæc in puluerem subtilissimum redacta, cum aqua pluuiali teres & formabis. Descriptio xerocollyrij, quod calliblepharon dicitur; piperis — I. stibij — I. folij — I. lapidis phrygij P. I. quem lapidem diuides in partes septem & combures, cõbustum extingues hoc modo: unam partem in balsamo, alteram in omphacio, tertiam in lacte muliebri, quartam in uino, quintã in urina infantis, sextam in butyro, septimam in melle attico; quæ omnia in minutissimum puluerem redacta cribrataque miscebis; quod si acrius esse uolueris, adijcies balsami unciam, piperis semunciam. Descriptio acharisti collyrij; æris usti & loti unc. II. cadmię lotę — II. & ℈ VI. croci — I. opij — I. & ℈ VI. myrrę troglodytidis ℈ III. turis VI. gummis ℈ XVIII. uini optimi quod sufficiat, quo omnia colligantur & collyria fingantur. Descriptio trachomatici collyrij; æris usti & loti ℈ XVIII. cadmię lotę ℈ XVIII. lapidis hęmatitis uncia una, chalcitis ustę ℈ XVI. ęruginis ℈ IX. opij ℈ VI. gummis ℈ VI. aquę pluuialis quantum satis sit ad colligendum puluerem, & collyria formanda miscebis.

Descriptio musę collyrij; aluminis schisti ℈ XVIII. aloes ℈ XVIII. myrrę ℈ XVIII. croci ℈ IX. crocomagmatis ℈ IX. chalcanthi ℈ XVIII. mali granati caliculorum semunciam; quę trita diligenter oenomelite confundes, & colliges, & formabis. Descriptio rosacei collyrij; rosę unc. nouẽ, cadmię lotę uncię tres, ęris usti scripula septem, croci scripula XII. stibij ℈ nouem, ęruginis ℈ septem, spicęnardi ℈ septem, myrrę ℈ septem, opij ℈ duodecim, gummis uncię tres, aquę pluuialis adijcies quantum sufficiat ad colligenda & formanda collyria. Descriptio stacti collyrij; cadmiæ P. unum, stibij P. S. ęris floris unc. tres, misyos unc. IIII. piperis unc. tres, ęruginis — I. opij — II. balsami — II. gummis selibram; hęc omnia diligenter trita & cribrata aqua pluuiali colliges & formabis.

Collyrium, quod proteus dicitur, facit ad oculorum suffusiones & ad omnem caliginem & albugines detergendas; conficitur sic. cadmię ustę & lotę — V. psimythij loti — V. chalcitis non ustę — V. auripigmenti loti — II. piperis albi — tres, & ℈ XVIII. croci uino infusi & triti — II. myrrę troglodytidis — I. S. guttę ammoniaci — II. S. rosę siccę — V. omnia hęc diligentissime teres ad summam leuitatẽ, tum addes sagapeni — III. laseris — II. S. opopanacis — II. S. opij — I. S. gummis — II. S. balsami — II. quę pmixta atque cõfusa coelesti aqua colligẽtur, atque ita collyria formabũtur.

Ad aurium dolores uniuersos, & uitia omnia, & surdiginem. Cap. IX.

Fellis caprini ℈ unum, mellis ℈ unum; conteres & in strigili calefacies & infundes, & lana obcludes

aurem. Nihil hoc medicamine potentius neque certius, etiam si intrinsecus cancerauerint aures. Porros uirgines, id est non plantatos, impari numero, & lumbricos terrenos impari numero capies, & simul ex oleo optimo ad tertias decoques, & tepidum inde quod sufficiat, infundes auriculæ.

Laser cum lacte caprino incocto recenti miscebis, & inde aures prius dilues, ac postea fel taurinum, & oleum cedrinum æquis portionibus mixtum, tepens infundes; hoc dolores mirè mulcet, & dubium auditum confirmat, & pus collectum expurgat. Coriandrum uiride teres, & in uini cyatho miscebis & colabis, & lana molli in aurem instillabis, & eadem lana obstrues aurem.

Ad aures quæ grauiter dolent, & uetera uulnera intrinsecus habent, mellis optimi unam partem aceti acerrimi duas partes confusas decoques feruoribus tribus, & longius ea ab igne remouebis, donec commotus feruor conquiescat. tum nitrum addes eò usque, donec ex uapore agnoscas nitrum resedisse; & iterum leni igne recoques, ne efferueat; tunc addes fel hircinum, uel aprignum, uel uerrinum aut porcinum, dum modo non de scrofa, & commouebis, & iterum concoques, ac tepefacies, & inde quantum satis est, auribus infunde. Adeps ranarum palustrium liquefacta si tepens in aures infundatur, dolores nimios mitigabit. Dolor aurium sedatur etiam canino lacte & ursino, si recens instilletur. Terreni uermes cū anseris adipe, uel cum oleo decocti, sine dubio medentur auribus purulentis. Vrina apri seruatur in uitro, sed melius cum uesica ipsius, quomodo ei sublata fuerit; hæc tepens infusa auribus, unicè prodest. Bestiolæ multipedes, quæ contractæ in globulos complicantur, in oleo excoctæ infusæque auribus, statim prosunt. Tres araneæ uiuentes in oleo si ferueant ad focum positæ, atque inde tepidū auribus quod sufficiat, instilletur, citò medebuntur. Seuum uitulinum adipe anseris mixtum, adiecto ocimi succo, tepidum auribus infusum optimè sanat. Raphani quoque, id est, radicis quæ manducatur, succus infusus auriculæ dolenti, infinitum prodest. Gari excellentis cyathum, & aceti optimi cyathum, & mellis dimidium cyathum, super aquam feruentem in alio uase coques, & frequenter despumabis de pinnula, tepidoque medicamine aures inrorabis & conchyliata lanula claudes; ualde hoc remedium inter experimenta laudatur. Fraxini tenerrima folia tundes & exprimes succum eorum, atque auribus dolentibus tepidum infundes. Fraxini recentem surculum, id est, humore proprio adhuc madentem, ex una parte in foco pones, & cùm per aliam partem succus ebulliet, suscipies eum diligenter, & oleo addito tepefactum auribus instillabis. Cardui siluatici semen ex oleo coques ita leniter, ne uratur; quod postea colabis per linteolum, & tepidum infundes dolenti auriculæ, ac deinde lana purpurea obturabis. Croci, myrræ, thuris, uncias quaternas conteres & adijcies mel atticum, quantum sufficere putaueris, ac decoctum medicamen auriculæ infundes. Galbanum cum oleo rosaceo remissum, & ter aut quater infusum, auribus mirè dolores tollit. Aluminis liquidi — IIII. mellis — III. aceti quartarios tres; alumen cum aceto teres, & simul omnia concoques ad tertias; hoc medicamē tepidum auriculæ infusum, pus optimè purgat, uermes necat, aquam etiam si intrauerit, educit. Herbæ polygoni, quam nos sanguinalem dicimus, succus expressus & infusus, mira efficacia dolorem ulceraque aurium sanat. Adeps anseris miscetur croci succo, & allij contusi succo; quæ infusa auribus, incommodos sonitus tinnitusque earum propriè & unicè tollunt.

Pueri inuestis urina recens, auriculę dolenti & ulcerosæ instillata, omni humore siccato, & dolorem tollit, & ulcera, mira celeritate persanat.

Lotio humano uetere si quis iam desperatū auriū uitium eluerit, saluti integrè lenito dolore restituet.

Fel ouillum mulso mixtum, si clysterio addideris, & inde auriculas irrigaueris, expurgatis ulceribus certissimam sanitatem consequeris. idem fel cum lacte mulieris instillatum, etiam ruptas interius auriculas certissimè sanat. Coriandri uiridis succus cum lacte muliebri mixtus, infusus auriculæ, dolorem omnem potenter aufert. Cannabi seminis uiridis succus tepens instillatus auribus, dolorem apprimè tollit.

Senecionis herbæ succus itidem auribus insertus, eandem efficaciam præstat; quod ab experto scriptū & proditum est. Si auricula aliquo pacto uitiata fuerit, anserina adipe infusa, diligenter expurgabitur, sanitatique reddetur. Compositio medicaminis, ad omnia ferè aurium uitia, sic; mellis sextarium, aceti bene acris heminam, radices quæ manducantur tres, mittes in ollam rudē bene lotam; sed mundatas & integras radices mittes & pariter decoques. sed ut ne refrigeretur medicamen, citato igne usque ad modum luti aquatioris decoquatur; deinde cùm refrigeratum fuerit, condes illud in uasculo uitreo, ac tepefactum, quamdiu dolorem & tinnitum, uel sonitum auriculæ perleniat, in aurem de spicillo infundes.

Infirmatis auribus prodest præcipuè picis flos, quem pissełæon Græci uocant, cū oleo cōmuni mixtus, ita ut tertia pars sit olei; nam & dolorem sedat, & non patietur suppurationem fieri; & si facta fuerit, eodem medicamine persanatur. ad summam, ego ipse diu uexatus auris tædio, cùm multis frustrà usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus, & alios complures sanaui. florem autem picis appello, qui excipitur dum ea coquitur, lana superposita eius uapori. hoc etiam grauem odorem de aure protinus tollit.

Ad auriculæ tumorem & dolorem sine ulcere, prodest herbæ urceolaris aut cucurbitæ ramentorū succus recens ac tepens per strigilem, in foramen auris dolentis infusus.

Cutiones, bestiolæ sunt multipedes, cute dura & solida, quæ tactæ, complicant se in orbē pilulæ rotundissimæ, polypodas Græci appellant. hæ complures coctæ cum oleo molli in uase ferreo, remedio sunt auribus laborantibus, si inde curentur.

Gliris

Gliris pingue, & galline adeps, & medulla bubulina uel taurina liquefacta tepenſque infuſa auribus plurimùm prodeſt. Benefacit hoc medicamentum, & ad tumorem, & ad exulcerationem aurium: aceti acris ſextarijs duobus incoquuntur mala granata duo, quibus coriarij utũtur; & quia ſemper acida ſunt, nec unquam matureſcunt, thoas oxias hæc græci dicunt. Tum deinde adijciuntur ijs & admiſcentur aluminis fiſſi — II. acaciæ ſucci — II. & cùm bene permixta hæc & coagitata fuerint, reponitur medicamentum in ampulla uitrea; cùm opus eſt, ad tumorẽ, calidum per ſtrigilem infunditur, & foramen ſummum auriculæ lana ſuccida tegitur; ad ulcus autem, frigidius medicamen per eiuſdem generis lanam & auriſcalpium inijcitur. Aliud medicamentum, ad tumorẽ aurium & exulceratiõe; mellis cyathi III. aceti acris cyathus I. S. miſcentur, poſtea adijcitur gari optimi cyathus unus; deinde carbonibus infeſueſcit; cuius ſpuma ſurgens pinnulâ abijcitur, & tam diu coquitur uel agitatur, donec habeat ſpiſſitudinem; hoc calido ad tumorem, frigido ad ulcus, cùm oportebit, uteris. Item benefaciet hæc compoſitio etiã ad ueterem aurium dolorem; aluminis P. I. mellis P. II. hæc in mortario prius bene permiſceri oportet, deinde olla noua excoqui, donec habeant mellis ſpiſſitudinem; cùm opus eſt, infunditur in auriculam ex lana conchyliata, eaque clauditur. hoc & combuſtum locum ſanum reddit, ſine dolore, & ſine cicatrice, ſi ei protinus imponatur. Si caro excreuerit in foramine auris, comprimetur ſine dolore aut ferro, hoc paſtillo qui conficitur ſic; aluminis fiſſi P. II. æruginis P. II. miſyos uſti P. II. rubricæ ſinopidis P. II. gummis P. I. teruntur ſpecies priores ex aceto acri, donec quaſi collyrij confectio, leues fiant; ultimum gummi adijcitur, & finguntur paſtilli, qui ad omnia ulcera faciunt, aqua diluti, emplaſtri more impoſiti, cũ aut tumores compeſcendi ſunt, aut cicatrices ſedandæ; ſed aquatioribus ijs uti oportet, cùm cicatrix ducenda eſt, ut facilius auriculæ inſerantur. benefaciunt ijdem & ad nares, qualibet cauſa exulceratas & grauiter olentes. Araneas uiuentes in aceto macerabis, & ſic conteres, atque inde aurẽ elues, ſtatim proderit. Mel, butyrum, & oleum roſaceum, pari menſura permiſce, ac tepidum auriculæ dolentis infunde. Fel aprugnum, & oleum amygdalinum pari menſura permiſce, tepidumque laboranti auriculæ inſtilla. Putorem ſordeſque auriculę optimè curat, cucurbitæ uiridis ſuccus, & porrus capitatus cum oleo decoctus atque infuſus. Ad auriculæ dolorem, haſtulæ regiæ radicis ſuccus cum melle uel uino infunditur; interdum admiſceri oportet turis & myrræ partem, uel capparis foliorum ſuccum infundere, uel rutę ſuccum, aut eius ſemen tritum cum roſa, & lentiſci ſuccũ cum roſa aut amygdalino, uino admixto infundi oportet. Si pus aut ſanies manabit ex aure, maluæ ſuccum uino & amygdalino immixtum, uel ſucco roſæ uel roſaceo, tepefactum inſtillari oportet, protinus effectum exhibebit. Dracontex ſuccus aut ſemen tritum cum roſa aut amygdalino, & uino infuſum, purulentæ auriculæ ſanitatem maturrimam præſtat. Crocum tritum cum lacte muliebri, ſi inſtilletur tumori auris plurimum prodeſt. Hyſſopum contuſum & cribratum cum aceto & nitro & melle infuſum, bene facit ad tinnitus aurium atque inflationes; ſed melius, ſi cyprinum oleum admixtum fuerit. Ad tumores & ad dolores auris prodeſt, croci & opij par pondus ex aqua tritum, aut ex uino tenui infuſum. Opopanax cum roſa & amygdalino, & uino trita, rectè laborantibus auribus inſtillatur. Alium rotundum tritum cum aceto, repoſitum in pyxide plumbea; & cùm opus fuerit, cum aceto & roſa infuſum auribus prodeſt. Opobalſami, roſæ, croci unguentarij, opij, ſingulorum æqua pondera, trita, tepefacta, infuſa auribus proſunt. Virentis papaueris ſuccus cum roſa uel amygdalino, & uino, uel porri ſeminis ſuccus cum lacte muliebri, uel ueratrum album tritum cum amygdalino oleo aut roſaceo, uel ſuccus granorum punici mali cum roſa aut oleo amygdalino infuſus dolentibus auribus prodeſt. Croci — VII. nucis amaræ ⁎ VII. mellis boni cyathos III. aceti boni quod ſatis erit, mittes, ut ſpiſſitudinem habeat medicamentum mellis liquidi, & ſimul permixtum atque excoctum, dolentibus auribus inſtillabis. Myrræ, croci, opij, nardi ſpicæ, turis corticis, mali punici aridi, fabæ ægyptiacæ pulpam, nucum amararum interiora, mellis boni, ſingulorum ⁎ IIII. caſtorei ⁎ II. aluminis fiſſi ⁎ II. piperis longi ⁎ I. tritis ijs omnibus diligenter & cum aceto acerrimo mixtis atque excoctis, fieri oportet medicamentũ tam temperatum ut ſimile ſit paſſo. hoc tepefactum inſtilletur, etiam exulceratis auribus mirè prodeſt. Ad incipientes dolores auriũ & exulceratas aures, hoc medicamen facies; turis — IIII. mellis — III. uini auſteri cyathos II. aceti acerrimi cyathũ I. nardi ſyriaci ⁎ II. myrrę ⁎ I. S. croci ⁎ I. S. nuces amaras numero III. aphronitrũ uictoriati pondus, piperis longi ⁎ I. fabę ægyptiacę grana purgata IIII. hęc omnia primũ per ſe, deinde in unũ mixta teruntur; & tepida dolentibus auribus inſtillantur. Caſtorei obolos II. id eſt, duas partes uictoriati, radicis lanarię, ſalis ammoniaci, ueratri albi idẽ ponderis; quibus ſuperadijcies croci uictoriati pondus, olei irini & mellis pari menſura, id eſt, ſingulorũ ⁎ XVI. ea ſeorſum prius ſingula trita miſcentur in unũ; faciunt bene ad dolorẽ & ulcera auriũ tepidè inſerta. Dolenti auriculę oportet farinã hordeaceã per ſe coctã, ex aqua mulſa cataplaſmatis more à foris imponere; uel farinam lini ſeminis & fœno gręci in unum coctam, uel alteram earum cum farina hordeacea, ſimiliter ex aqua mulſa coctam; oportet etiam extra adhiberi ſpongias molles & aqua calida bene expreſſas, deindę tepidum inſtillare amygdalinum oleum uel laurinum ſępius in die. Prodeſt bene auribus infirmis huiuſmodi medicamentum; myrrę denarium unum. croci denarium unum. ſtyracis globulos non ampliores, quàm cicer eſt, numero XXX. piperis longi grana XXX. nuces amaras numero XXX. cum aceto hęc teruntur, tãdiu donec habeant ſpiſſitudinẽ paſſi; atque ita reponuntur in pyxide cuprea, aut in doliolo uitreo; cũ opus fuerit, medicamẽtũ roſa admixta liquefactũ tepidũ fiet, quod in lana ſuccida auribus inſtillabitur. Nardi ſyriaci ⁎ VI. aphronitri ⁎ VI. myrrę ⁎ IIII. piperis lõgi &

turis ⚹ IIII. mellis attici denarios quatuor, balani, qua unguentarij utuntur in pilulis ⚹ VII. fabæ ægyptiacæ interiora, quæ sunt amara, ⚹ VII. diligēter & seorsum trita prius hæc, postea permixta cum aceto leuigantur, & cum res postulauerit, rosacei olei quod satis fit, admiscebitur, atque ita tepens instillabitur hoc medicamentum, quod protinus omnes aurium sedabit dolores. Hæc quoque compositio statim dolores aurium sedat. centauricæ succo, si non sordidum ulcus fuerit, ex aqua uti oportebit; cum autem multum puris erit, uinum admiscebitur. Supra opinionem efficax auribus hoc medicamentū reperitur; myrræ, croci, opij, nardi syriaci, turis corticis, mali punici aridi, fabæ ægyptiacæ, quæ sunt interiora, nucum amararum itidem, mellis boni, singulorū ⚹ quaternos, castorei ⚹ II. aluminis fissi ⚹ III. piperis longi ⚹ I. omnia prius seorsum diligenter teruntur, postea cum aceto acerrimo mixta teruntur tandiu, donec habeant spissitudinem passi. cum opus fuerit, medicamētum instillatur tepidum; idem facit egregie & ad ulcera aurium sananda atque purganda. His qui surdi sunt, & quorum aures sonant succus uuæ immaturæ & rosæ, pondere pari admixtus, tepideque infusus, plurimū prodest. Faciunt bene ad aurium uitia, & emplastra quæ scripta sunt in libro secundo, plurima rosa, uel amygdalino, & uino diluta, præcipue quæ inscribuntur, Cyzicena. Terreni uermes cum adipe anseris decocti infunduntur auribus, etiam ad iam deplorata uitia. Spumæ argenti ℈ VI. olei laurini librā teres in mortario, & coques ad spissitudinem mellis, & auriculæ dolenti infundes. si autem & cætera, quæ infra scripta sunt, habueris, eadem medicamine admiscebis; croci ℈ I. myrræ ℈ II. rosæ siccæ ℈ II. hæc uniuersa pariter miscebis, & auriculæ dolenti infundes, qua re, curabis & concretionem siue hypersarcosim aurium, si addes & aluminis schisti ℈ II. olei cedrini cyathos IIII. Aduersus grauitatem audiendi, fel bubulum cum urina hirci, auriculæ, quæ molestiam surdiginis patitur, instillabis, statimque subuenies. Auribus purulentis nitrum uino liquefactum recte infunditur, quia statim prodest. Ad aurium dolorem, quæ pus emittent, laridum uetustissimum teres in mortario, & succum illum lana delicata collectum in auriculam immittes, & subinde aqua calida fouebis; & iterum succum illum infundes, mira uelocitate sanabis. Pullinum sanguinem tepidum in eam aurē, quæ obtusior erit, uel dolebit, infundes. Lotium caprinum sub eo momento, quo egeritur, tepidum auri obtusæ infundes. Apri etiam lotium in fumo siccatum & melle liquefactum, auri infunditur, & remediat surdiginem uel dolorem. Ad auris dolorem, mel stillatitium opus est, quod ita facies. fauum contundes & suspendes in linteo nitido & denso, & quod decurrerit, suscipies in calice; quem calicem postea pones in ollula fabri cum calida feruentissima, quantum calix sufferre possit, atque inde medicinali spicillo in aurē infundes, quæ dolebit, quam lana claudes. iacere autem debet in alio latere is, cui medendum est, tandiu, donec combibat mel quod infusum fuerit. Sambuci uuam maturam exprimes, & pones ut considant sordes; & post hæc colabis, ut fit liquidissimus succus; de hoc liquore duas partes mittes & unam mellis stillatitij, aut certe attici optimi, & sic decoques in uase duplici ad tertias, tum decoctum recondes, & cum opus fuerit, calidum per spicillum medicinale in aurem infundes, ita ut postmodum ipsam de lana marino conchylio infecta claudas. Cunilę uiridis succus expressus, atque auriculæ infusus, unice dolorem tollit. Vettonicæ herbæ uiridis & recentis folia, uel per se, uel in aqua madefacta terito, succumque eorum excipito, deinde adiecto rosę succo aut rosaceo oleo tepido, in aurem instillato, lanaque claudito, mirum est. Si auricula interius ulcerosa erit, porri sectiui succum ʒ. I. cum mellis hemina ad tertias decoquito, & per lanam, tepidum in aurem instillato. Cannabis foliorum succus auriculæ instillatus, uermes innatos necabit, & si quod aliud animal inrepserit, interficiet. Eiusdem seminis uiridis succus instillatus, dolorem omnem auriculæ potenter auertit. Cæpæ succus cum melle permixtus, & auriculæ instillatus, grauiter audientes emendat, dolorem sedat, purulenta expurgat, uermes enecat. aquam etiam, quæ ingressa fuerit & omnem humorem educit. Cyminum siluestre contritum & succo rutæ immixtum, instillatumque, auriculæ dolorem lenit, uentos quoque interius sonantes remouet atque omne uitium potenter emendat. Herbam quā græci polygonon, nos aliquot uocabulis, sed præcipue sanguinalem dicimus, mira efficacia dolores aurium discutere, etiam nos experti sumus, si expressus succus eius tepefactus auribus instilletur. Senecionis herbæ succus cum liquido nardo instillatus, & dolores & ulcera aurium sanat. Oleum laurinum strigili ferreæ inditum, atque ita calefactum infusumque auriculæ dolorem sedat. Vermes ex qualibet arbore rubri coloris contriti cum oleo & infusi, dolores aurium sedant. Aqua ingressa auriculam si dolorem faciet, rubi teneri succus expressus & infusus sine dubitatione sanabit. Salicis succus foliorū cum rosæ succo aut rosaceo oleo, in cortice mali punici calefactus, & auriculæ inditus, mire succurrit. Gallæ ex uino decoctæ humor instillatus auriculæ ex qua sanies fluit, etiam quę fuerint purulenta, purgabit. Resina terebintina remissa adiecto muliebri lacte instillata, ruptas auriculas potenter sanat. Nucis iuglandis foliorum succus tepidus instillatus, dolenti auriculę mire proderit. Myrrę tritę uictoriati argentei pondus, & lanę succidę non carptę combustę pulueris tantundem, infuso passo cretico simul terito, donec ad crassitudinem mellis redigas, tum calefactum per triduum auriculę infundito, quarta die sanam efficies, & mirabere magnum remedium. Turis masculi, myrrę troglodyticę, croci corycij, tantundē ponderis, nucū quoque amararū tantundē miscebis, sed omnia ad summā leuitatē contrita, adiecto aceto, tēperabis, ita ut medicamē ad crassitudinē liquidi mellis adducas, tū in pyxidē plūbeā transfundito, atque illic sub signaculo conditū habeto; cū opus erit, purgata prius auricula utere, ita ut ex eo lanulā madefactā inseras, hoc auxilio usque ad pfectā sanitatē uti poteris; nāque nō solū dolores auriū, sed & uetera & purulenta uitia potentissime expurgat & sanat. Galbanū rosa liquida aut unguēto nardino dilutum

lutum instillatumque, dolorem aurium lenit. Alumen mulso optimo dilutum & lana instillatum, dolorem aurium sanat. Gallinæ adeps liquefacta & tepide instillata, quodlibet uitium aurium sanat. Galli gallinacei ex uentriculo interiore mẽbrana, quæ proijci solet, arefacta tritaque ex uino, adiecto paululo opij, medicamen auribus utilissimum facit, quod calefactum, infusum suppurationem eius expurgat & sanat. Adeps anserina cum croci succo mixta & tepefacta ac sic infusa, aquam & omnem humorẽ de auriculis euocat & persanat. quòd si ex ictu alio'ue casu auricula uitiata fuerit, tũ per se anserina adeps sola diligenter expurgata, leuique igne liquefacta, infusa auriculæ, & dolorem tollit, & uitium persanat. eadem adeps adiecto ocimi succo tepefacta instillataque, dolores auricularum infantilium leuat. Aranei triti humor expressus, & rosæ liquidæ quantum uidebitur, immixtus, lanaque molli madefacta, auriculę insertus, continuò dolorem releuat. Spuma equi recens detracta & cum oleo roseo infusa, auricularũ quamuis uehementes dolores resoluit. Verrinum fel in mali punici cute sicca tepefactum infusumque purulentas auriculas expurgat. Verris cùm scrofam saliet, priusquam in terram destillet de uerendis eius uirus, exceptum tepefactumque & cum aquæ modico auriculæ inditum, quamuis molestos dolores releuat, quod etiam circa auriculam inlitum plurimum prodest. Apri lotium infusum auriculę ualde medetur; quod quia uetustum magis prodest, collectum seruari debet in uaso uitreo, ut sit ad remedia præparatum. Cum felle uitulino & aceto, pari mensura, serpentis senectus, id est exuuię decoctę, & lanula madefacta medicamentum auriculæ insertum, maximę utilitatis esse creditur, si prius feruenti aqua de spongia aurem foueris. Vituli adipem resolutam succo ocimi adiecto, si pariter tepefactam auriculæ infuderis, amarissimo incommodo laborantem continuò liberabis. Medulla eiusdem uituli recens cum cymino contrita infusaque, quamuis magnos dolores auriculę statim releuat, & intra triduum tollit. Lotium caprinum instillatum, dolorẽ sedat; quod magis prodesse suppuratis auribus adfirmatur; ob quam causam præsentis auxilij plures exceptum & cornu caprino inditum, in fumo suspensum, diligenter ad necessarias medelas reseruant. Pueri impubis mingentis lotium exceptum & recens ac tepidum auriculæ suppuratæ instillatum, humore exsiccato dolorem tollit & mira celeritate ulcera ad sanitatem perducit. Saliua hominis ieiuni auriculæ indita, uermes, si qui erunt, erumpere ex ea constat. Butyrum recens instillatum, humores doloresque aurium sedat.

Terrestres lumbrici combusti ac triti, & cum rosa liquida mixti, infusique, aurium dolores citissimè sedant. Lac muliebre mixtum cum sulphure, auriculæ infusum, dolorem lenit. epiphoras quoque earum resoluit; hoc potentius, si etiam extrinsecus eodem lacte aures perunxeris. Si dextram aurem aquam ingressa fuerit, finistro pede insistes, & caput in dextram partem inclinabis, similiter facies ediuerso si sinistra auricula aquam acceperit. Gari optimi cyathum unum, mellis optimi dimidium cyathum, aceti optimi cyathum. hæc mixta in calice nouo denso super aquam feruentem, quam leni pruna feruere facies. ita despumabis, ut pinnula omnis spumas eijcias, deinde cùm bene fuerit despumatum, medicamen recondes, & cùm uti uolueris, tepefacies, & tenuiter infundes, & madefacta lanula aurem claudes. hoc medicamento ad omne uitium aurium mirificè uteris. sed si tumor auriculæ erit, succum coriandri uiridis tepidum prius infundes. deinde suprà scriptum medicamen, cùm tumor desiderit, instillabis. Purulentæ & obtunsæ auriculæ & dolorem tolles & auditum confirmatissimum reddes, si prius eluas eam lasere cum recenti caprino aut mulieris lacte permixto, deinde instilles tepidum fel taurinum, cũ oleo cedrino æquis portionibus mixto. Fellis aut lactis canini ℈ unum, mellis optimi ℈ unum, miscebis, conteres, & in strigili calefacies, & auriculę infundes, & lana obcludes, nihil potentius neque certius hoc medicamine, etiã si intrinsecus cancerauerint aures. Cardui siluatici semen ex oleo coques, ita lentè ne uratur, id colabis per linteum & tepidum infundes, & purpura aurem obturabis. Herba leucadion cum uinaceis in unum trita, adiectoque aceto & aqua commixta, expresso per linteum succo eius, & cum lana alba auribus inserto, post tertium diem exempta, auditum restituere adfirmatur. Cardamum, id est, nasturtiũ tritum cum fico, atque auriculæ inditum, ijs qui grauius audiunt, prodesse fertur. Oleum ex nuce iuglande instillatum auriculæ, grauius audienti ualde prodest. Cedri resina hyssopi decocti aqua diluta, & auriculæ indita, sonitus tinnitusque omnis discutiet, & auertet dolorem. Oua formicarum contrita & auribus instillata, quamuis obtusos auditus adaperire creduntur. Canis adeps cum oleo uetere & succo absinthij auribus instillata, quacunque ex causa exsurdatas aures, miro modo reparare creditur. Aphronitrum delicatissimum, & mel optimum, & acetum acerrimum, conteres pariter usque ad summam leuitatem & auriculæ infundes, non solum auditum restitues, sed & dolorem emendabit. Parum audientes acetum utiliter gargarizant. Si aliquod animal aurem intrauerit, præcipuum remedium est, murinum fel aceto dilutum instillare. Gliri seu blattæ pellis detrahitur, & intestina eius decoquuntur in uase æreo nouo cum mellis heminis tribus usque ad tertias, atque ita seruatur, ut cùm opus est strigili medicamentum tepefactum auribus infundatur. Si caro creuerit in auriculę foramine, cõprimetur sine ferro & dolore, medicamine tali; aluminis unciam semissem, misyos usti — S. sinopidis rubricæ — S. gummis — S. tritis cæteris ex aceto acri & ad instar collyrij lęuigatis, gummi admiscetur, ut pastilli corpus efficiat, & sicut collyrium tritum superponitur, aut infunditur, hoc & dolori, & putori, & uulneri medetur auriculæ.

Corticẽ de fraxino uiridi contunde, ac succum eius tepidũ, auriculę adsidue infunde, donec persanetur. Mel, myrrã, acetũ, in se coques, & in aurẽ tepidũ mittes. Aphronitrũ delicatissimũ, & mel optimũ, & acetum acerrimũ cõteres pariter, usque ad lęuitatẽ, & tepefactũ, auriculæ infundes. propter effectũ, medicamẽ

iterum ſcripſimus. Porri ſectiui ſuccum & lotium apri,& oleum cyprinum pari pondere coniunges, & tepefactum auribus inſtillabis. Herbam,quæ gallice uernetus dicitur,conteres & exprimes,& ſuccum eius auriculæ non audientis infundes,hoc remedium etiam dolorem emendat. Herbam,quæ gallicè dicitur blutthagio,naſcitur locis humidis,eam teres,ſuccumq́ue eius,etiam ſi modicus fuerit, cum modico aceti confundes,& pariter teres,colatumq́ue ac tepefactum auribus inſtillabis. Radicis ſyriacæ ſuccum in aurem,quæ auditu difficili erit,infunde, gratulaberis remedium.

Ad omnia uitia narium & ad pituitam,remedia phyſica & rationabilia diuerſa,de experimentis multorum. Cap. X.

Plerunque erumpit nimium è naribus ſanguis;qui cùm abundanter fluxit,niſi celerius ſupprimatur, periculum adfert,proderit ergo aqua frigida uel poſca ſubinde totam faciem per ſpongiam refrigerare. Acetum acre infundere in aurem prodeſt,cuius è regione ſanguis fluit,aut in utranque mittere, ſi ex utraque nare manabit. Gypſo totam faciem cum fronte,& maximè nares , craſſius oblinere prodeſt; & caput frigida aqua multa perfundere. Cucurbitam quoque medicinalem occipitio adfigere,plurimũ prodeſt. Inijcere autem intus in narem oportebit cocleæ uiuæ carnem per ſe,aut cum thuris polline tritam. Verbenam herbam,quæ quia multa eſt & ubiqúe naſcitur,polygonos appellatur,inſeri naribus prodeſt. Similiter facit & lyſimachios herba trita impoſita. Eodem genere proderit & ſpongiæ particulam præſectam aptè forfice,& ad amplitudinem narium figuratam inijcere paulò preſſius,aceto infectam,& interdum eodem inſperſam. Gallæ & chalcitidis puluis curioſè tritus, atque in unum æquis ponderibus mixtus,inſertusque naribus,optimè ſanguinem ſiſtit . Bene ſupprimit & hoc medicamentum ſanguinem de naribus profluentem;mali corticis,quo coriarij utuntur, P. I. aluminis ægyptij P. I. chalcitidis P. I. diligenter trita hæc & in unum permixta per ſuccidã lanã inijci naribus oportebit;facit autem etiam ad omnem ex qualibet parte corporis,uel ex quolibet uulnere ſanguinis eruptionem. Quoniam interdum,ita ut diximus,minus curati,naris uitio præfocari uidentur , maximè cùm obturato utroque foramine narium,ſpirandi facultas eripitur;non alienum eſt ſcire,qua ratione utrũque preſtari poſſit,ut neque ſpiratio impediatur,nec remedium efficaciſſimum , per quod opitulatio naribus efficitur,excludatur.oportebit ergo ſumere pinnam anſeris quàm maximam,uel calami ſcriptorij fiſtulam modicè pleniorem.deinde aptare ad longitudinem naſi,atque ita præcidere,ut ex utraque parte perforata ſit,atque inuoluere eam faſciola tenui lintea quaſi inſtita,& explere circuitum eius , donec uideatur in narem cum cũctatione quadam recipi poſſe,atque ita ut eſt circumuoluta immergere eam naſo, aceto acri infectam,& per eam inijcere interdum acetum acre,uel ſuccum ſuprà dictorum medicamentorũ.hoc autẽ remedio magis uti oportebit,cùm per utraſque nares fluxerit ſanguinis abundantia . Si quando ulcuſcula in naribus fuerint,ſanabuntur fomento aquæ puræ calidæ per molles ſpongias , & medicamentorum infrà ſcriptorum perunctione,id eſt,ſucco de moris cum uino tepefacto permixto compoſito ad ſpiſſitudinem mellis. Roſæ aridæ uel recentis folijs tritis ex uino,melle adiecto,infici nares utile eſt. Vuæ immaturæ ſucco eodem modo compoſito,quo ſuccum de moris componi debere ſuprà diximus,nares fluentes repleri percommodum eſt. Malorum punicorum dulcium atque acidorum ſucco,eodẽ modo compoſito,nares ſtipandæ ſunt. Myrti baccis atque folijs tritis ex uino in mellis ſpiſſitudinẽ, uti,ut ſuprà ſcriptum eſt,conuenit. De terebinthi,lentiſci,rubi,fruticibus & folijs ſucco ſimiliter cõpoſito uti debebis. Sertula campana ex paſſo decocta & infuſa naribus prodeſt. Mel per ſe coctum & cum galla ſyriaca contuſa,ac tenui cribro tranſmiſſa permixtum,atque infuſum naribus prodeſt. Grauedines narium ſedabuntur,quæ ex ſole aut perfrictione generantur , abſtinentia ciborum ſalſorum & inter initia uino remoto,aqua largiore potata,capite & naribus , nec minus ore diligenter operto . nec non fomentum ex aquæ calidæ uapore,per ſpongias molles adhibere extra oportebit. ſubinde etiam gargarizare lac tepidum,aut humorem ptiſanæ,aut aquam in qua furfures ſiliginis deferbuerint , uel aquam ex fœno græco decoctam. Sorbitiunculæ quoque proſunt,quæ fiunt ex amylo,uel ptiſana,uel oryza. Ad ulcera in naribus ſedanda,plumbi ſtercus,quod ſcoriam dicunt,ex uino, myrteo oleo uicibus adiecto teri oportet,donec ſpiſſum fiat,& ita naribus infundatur . Facit & hoc medicamentum bene grauedini narium . pompholygis ✱ I I I. uino falerno & roſa uicibus adiecta teruntur, donec medicamentum mellis habeat temperationem,& ita naribus paulatim infunditur. Ad grauem odorem narium (ozęnam Græci hoc uitium uocant) prodeſt egregiè hoc medicamentum;æruginis P. I. aut ſquamæ æris P. I. in mellis P. I. coqui oportebit,& eo uti adſidua infuſione. Ad polypos ſanandos;miſy uſtum,chalcitidem uſtam,æs uſtum,ęris ſquamam,paribus ponderibus ſiccata hęc bene teres, & eo puluere utèris adſiduè. Quia uero plerunque uexantur nares grauedine , quæ ex humore earum efficitur, non alienum eſt ſcire eius quoque rei remedia.prodeſt igitur quies unius diei , & ab omni re abſtinentia; perungendæ nihilominus nares erunt,bitumine liquido,aut myrra ſtacta,uel pice liquida;poſtero autẽ die, paſtillus infrà ſcriptus in noctem ſuper cibum dandus erit, & ſi opus fuerit,per triduum continuum eodẽ tempore dabitur,qui recipit hæc;apij ſeminis ✱ I I I I. aniſi ✱ I I I. alterci ſeminis,quod hyoſcyamos dicitur ✱ I I. opij denarium dimidium.fiunt autem paſtilli ponderis uictoriati,& alij tertia parte detracta;dantur cum aquæ cyathis I I I. faciunt autem & ad oculorum epiphoras,& ſtomachi nauſeam,& oſcitatiunculas,& ad omnem fluorem. Siſtet ſanguinem ſeuum ex omento pécoris naribus inlitum ; co-

cleæ contritæ

cleæ contritæ & fronti inlitæ, similiter prosunt. Aranei tela sicca adposita subuenit narium cruentis fluoribus; ex feruenti aqua uapor naribus tractus, medetur earum grauedini. Gallinacei cerebrum uel sanguis colūbinus ob id seruatus remedioque adhibitus, naribus prodest. sed si ex uulnere immodice fluat sanguis, fimus caballinus quomodo egeritur, adpositus statim subuenit. De porro sectiuo trito nares fluentes rectè obturantur. Lana succida conijcitur in nares cum oleo rosaceo, & auriculæ de lana succida obturantur, & ita sanguis profluens continetur. Coagulum agninum ex aqua subactum & infusum naribus fluentibus mire prodest. Adeps de anseribus cum butyro pari pondere infusus, profluuium narium sistit. Terra uel argilla de camino, uel de furno antiquo teritur, & ex aceto temporibus & cerebro, naribus quoque inlinitur uel infunditur, quæ res profluentem nimiè sanguinem sistit. Tus & resina in farinam redacta naribus induntur; quod remedium etiam ex ore manantem sanguinem cohibet. De sanguine ipso qui fluit, nomen eius in fronte scribe cui medendum est, aduersum profluuium narium, statim subuenies. Scribes carmen hoc in charta uirgine, & linteo ligabis, & medium cinges eum uel eam, quæ patietur de qualibet parte corporis sanguinis fluxum. sicycuma, cucuma, ucuma, cuma, uma, maa. Item carmen hoc utile profluuio muliebri. stupidus in monte ibat, stupidus stupuit. adiuro te matris ne hoc iracunda suscipias. pari ratione scriptum ligabis. Myrrham cum nardo puro contere, & inde nares tange, mane & uespera; subuenies sanguini nimium profluenti. Veru ferreum candens in aceto assiduè extingue, & fumum eius naribus ducito. Ruta sæpius olefacta, uel trita inlita, sanguinem ex naribus nimis fluentem retundit. Radix urticæ capiti imposita, si manibus utrisque supra caput contineatur, mirè prodest aduersum profluuium narium. Herbæ polygoni corona capiti imposita naribus profluentibus mirabiliter medetur. Costum contusum & cribratum naribus infricato, & profluuium sistet, & ulcera sanabit. Ranæ rubetæ occisæ in fumo arefactæ particula quanta uidebitur, in linteolo inuoluta, & ex licio collo suspensa eius, cui nares fluunt, mirè prodest. Linū uel papyrus ligata summitati ueretri uirilis, sanguinem profluentem naribus mirè reprimit. Pili caprini combusti, adiecta pice & aceto inserti naribus, citò sanguinem sistunt. Lana succida ex oue fœmina decerpta, atque intorta, madefactaque rosa liquida, & naribus indita, sanguinis abundantiam reprimit. Cocleæ tritæ cum aceto, naribus inditæ, quamuis magnos fluores sanguinis compescunt. Si fœminæ sanguis ex naribus nimiè defluat, mammillæ eius uinciantur corrigio caprino. Pilos sub uentre uiuo lepori candidos uelles, & seruabis, & cùm usus exegerit, intortos naribus fluentibus fulcies. Specularia combusta ex aceto temperantur & fronti eius inlinuntur, cui nares fluunt. Spongiæ africanæ combustæ cinis si naribus hauriatur, plurimum prodest. Si & per nares & per os sanguis fluat, herba uerbena, quam græci hierobotanen dicunt, cum suis radicibus ex aqua decocta & percolata potatur. Porrum sectiuum tere, & succum cerebro eius infunde, qui profluuio narium laborat, statim medebere. Millefolium ex aceto teritur, & naribus hauritur, continuò quamuis nimium sanguinem sistit. Si ex una nare sanguis defluit, diuersam auriculā cera obturabis. Carmē ad profluuium sanguinis ex quocunque membro manantis. locum ex quo defluit, digito medicinali tanges & uicies septies dices, & quotiens uolueris, repetes, donec fluorem peruincas, socnon socnon, mirè prodest. Pollicem & medicinalem digitum a fronte usque ad cerebrū, & inde usque ad ceruicem duces, & nonagies nouies dices, sirmio, sirmio. quod ad aurem eius partis dici oportet, de qua nare sanguis propensius fluit. Herbam uettonicam teres, cui paululum salis, quantum duobus digitis pollice & medicinali capere potueris, adijcies, & formatam pilulam rotundā naribus inseres, & omnibus uitijs purgatas nares citò ad sanitatem perduces. Polypum emendat herba proserpinalis, quæ græcè dracōtium, gallicè gigarus appellatur; uel si succus eius naribus infundatur, uel si papyrus inde infecta, & spicillo inuoluta naribus inseratur, & postera die educatur. omnis enim morbi radices extrahi eius iniectione manifestum est. Nares grauiter olentes emendat succus hederæ frequenter infusus. Cuius nares fœtebunt, remediabitur, si nares muli osculetur. similiter proderit mulieri, si nares mulæ basiauerit. Qui polypum patitur, brassicæ erraticæ radicem conterat, & eius succum adsiduè naribus quantum potuerit, ducat, intra triduum remediabitur. Succum hederæ & aristolochiam, & cyperum, & draconteæ semen, & melilotum, æquis mensuris contere ac naribus infunde; quo facto nō solum fœtorem, sed etiam carcinoma narium curabis. Naso grauiter olente, succus hederæ frequenter infunditur; dracontei quoque succus cum melle inditur; quæ res etiam carcinomata extirpat. Ficus etiam ueteres contritæ & in olla cum posca coctæ naribus instipantur. hoc omnia narium uitia emendat. Ruta ex aceto acri conteritur, atque inde pinnula intingitur. ea in nares coniecta, sanguinem fluentem efficaciter cohibet. Stercus asinæ aridum naribus infrictum, sanguinem sine intermissione fluentem citò compescit. Stercus caballinum exprimitur, dum recens est, eiusque succus naribus trahitur ab eo, cui importunius fluunt. Radicem symphyti, quod halum gallice dicunt, commanducet & glutiat qui profluuio narium laborat. Ad aurem eiusdem partis de qua per narem sanguis fluit, dici oportet ter nouies. σοκσοκαμ συκυμα. etiam postea similiter dices. Scribes in charta uirgine, & collo suspendes lino rudi ligatum tribus nodis ei, qui profluuio sanguinis laborat. ΨαΨεΨηΨεΨηΨαΨε. Si in manu dextra duo digiti medij lino simul copulentur, statim proderit aduersum pituitam, & grauedinem & distillationem narium. Cinis testarum ex ostreis, si in morem salis, pane colligatur, & uoretur, statim ad remouendam grauedinem narium proficit. porri quoque capitati folia incocta, si sine pane manducentur, plurimum prodest. Corrigio canino rudi, nec unquam uincto, quilibet digitus in quauis manu ligatus, remedium destillantibus naribus præstat. Oleum calidū

euntí dormitum ei qui grauedinem narium patitur, in cerebrum infunditur & in aures immittitur, ilico prodest. Ostrea ita ut lecta sunt, adhuc testis suis clausa, in carbonibus coquuntur, atque ita cibo dantur ei, qui narium grauedinem patitur. creta quoque cimolia ex aceto tusa quàm densissima fronti eius imponitur, cui sanguis uel pituita descendit. Mastiche cum pipere mixtam qui diu commanducauerit, calefacto cerebro omnem humorem narium cohibet. Git calidum tostum in linteolo colligatũ & sępe odoratum, grauedinem narium & pituitam depellit. tunicæ quoque ueteris combustæ fumus frequenter naribus admotus idem præstat. Proderit ei plurimum, qui grauedinem narium patitur, si in charta se emungat, eamque alligatam, epistolæ modo, in publicum abijciat; & si in cinerem se emungat, æque proficiet ad sanitatem. Salem torreat & in noctem sibi ad cerebrum in sacco liget, qui pituitã patitur. Cœpam afram conditoriam contusam cum aceto acerrimo commiscebis, & adpones naribus eius, cui sanguis fluit, ut ad se naribus trahat, & quasi sorbeat, statim cessabit sanies, & fluxus inhibetur. Radicem cannabis brachio dextro ligato; si totum brachium cinxeris de ipsa radice, melius erit; sin uero partem habueris, collo suspende ligatam licio, quod in tela fuerit. & ut scias quanta uis sit huius remedij, ubi alligaueris hanc radicem, statim sanguis perstringetur; cùm solueris & remoueris, fluet. Caprificum, quæ in lapide nascitur, colliges siue siccam, seu uiridem, id est ipsum pomum, & in pelle caprina inuolutum ligabis de licio, quod in tela fuerit, & ei loco adpones, unde erit sanguinis fluxio, statim cohibebitur; siue uiro de naribus, siue mulieri de locis uerecundioribus fluat.

Vitijs labiorum, & gingiuis, & oscedini, & oris ulceribus, & fœtori, & linguæ pustulis, & palati exulcerationi, remedia physica & rationabilia diuersa de experimentis. Cap. XI.

Vitia oris, & faucium, & ulcera quæ in ore fiunt, & celeriter nigrescũt, inter initia oportet rebus simplicibus, id est aqua calida per se, uel mulsa, postea uero decocta aqua cũ lenticula, uel palmulis, uel capreolis, id est summitatibus uitium, uel malis cydoneis, aut piris tyriaticis, aut rosæ folijs, adiecto melle curari. Adeps anserinus aut gallinaceus rimas labiorum egregiè curat impositus. Nigrescentibus ulceribus proderit colluere os aqua, in qua coctum sit lentiscum, uel rubus, uel myrtus, uel rhus syriacus, uel oleastrum, uel iunci radix, quam græci cyperon uocant; aut similiter adiecta per se, & decocta galla syriaca contusa. oportebit autem perungere adsiduè ulcera succo rubi, lentisci, oleastri, rosæ uiridis foliorum. facit bene & sal tritum cum melle inculcatum copiosè ad nigredinem talium ulcerum eruendã. Labia rupta uel exulcerata, mira celeritate sanabis, si ceram in oleo rosaceo ad ceroti modum liquefeceris, cumque in caccabo uel acetabulo conferbuerit, anchusæ radices adieceris, & refrigerato unguine in noctem labia inleueris. In oui testa, membrana quæ hęret, ruptis labijs rectè adponitur. Alga marina sicca candidaque adposita, labijs ruptis efficaciter prodest. Allij tunicula uel operimẽtum pari modo labijs profuturum, ut hærescat, imprimitur. Seuum bouis uel uituli cum adipe anserino impositum, rimas scissurasque oris optimè iungit. Fagi folia commanducata prosunt exulceratis labijs & gingiuis, si cum humore saliuæ imponantur. Serpillum herbam, quam galli gilarum dicunt, ieiunus diu commanducet, cui os fœtebit & glutiat. Murinus cinis, id est puluis exusti muris, cum melle dentibus infrictus halitum fœtidi oris emendat. Folia myrti & lentisci pari pondere & gallæ syriacę dimidium pondus unà teri oportet, & sparsa uino manè à ieiuno commanducari, uel ori fœtido imponi. Capitis leporini exusti cinis cum nardo uel cum melle impositus, lenit graue olentia oris ulcera. Acorum ponticum ieiunus uice mastiches mandat, qui emendari uoluerit oris fœtorem. Contra oris fœtorem, origanum & salem pari mensura conteres, & inde manè ac uespera gingiuas fricabis; ut uerò os tuum semper bene oleat, cyperum commanduca, uel intra os tene. Oscedinem herba britannica uiridis, sumpta in cibo lactucæ modo, sanat; tritæ etiam atque expressæ succus si ore contineatur, mirè prodest. quòd si uiridem nõ habueris, aridam infunde uino & deinde sume eam & exprime, illumque succum intra os adsiduè tene, aut etiam gargariza, mirè prodest. Cicer columbinum maceratum tritumque & gingiuis inlitũ prodest. Vlcera gingiuarum, tonsillarumque carbunculos, hac ratione curabis; polentæ partes duas, & salis partem unam, bene contusam conspargito ex mulso, deinde ex ijs panes tenues facito, eosque furno aut clibano pistoris coquito, & cùm opus fuerit, bene contritos ex aqua gingiuis inlinito, continuò sanabuntur. Arboris pruni folia cum uino decoquuntur, eorũ succus expressus intra os retentus, plurimum prodest. Galbanum melle dilutum, ulcera in ore, quæ græci aphthas uocant, inlitum sanat. Puluis tenuissimus costi, ulceribus, quæ in ore erunt, adpositus, mirè prodest. Linguæ ulcera uel pustulæ bene accipiuntur, si oleæ uel oleastri succo foliorum & sulphure tritis, adsiduè perfricentur. Rosę flos luteus, alumen scissum, galla, iris, pari pondere omnia diligenter teruntur, & oris ac linguæ uitia frequenter eo puluere perfricantur. Cyclaminis succus melli lycio æqualiter mixtus, linguam & totius oris ulcera potentissimè sanat; humorem quoque & pituitam largiter infusam deducit. Pustulæ cũ subitò in lingua nascuntur, priusquàm idem loquaris, extremæ tunicæ, qua uestiris, orâ pustulam tanges, & ter dices, tam extremus sit qui me malè nominat; & totiens spues ad terram, statim sanabere. Solent gingiuæ quorundam fluore infestari, quas prægnantes quidam uocant. prosunt ijs lentisci folia arida contusa & cribrata tenuiter perforato cribro; facit & cinis eiusdem lentisci foliorum exustorum impositus, & aqua eiusdem decocti os elutum iuuatur. Compositum hoc medicamentum prodest gingiuis, & ad omnia ulcera quæ in ore fiunt, utile est, quod anthera à Græcis appellatur. recipit hæc, aluminis fissi, ✳

III. myrræ

III. myrræ * II. croci * II. cyperi id est, iunci radicis * tres, gallæ * II. rosę lutei floris * II. sandarachæ ponticæ * III. thuris masculi * II. hoc medicamine arido uti oportebit. uel etiam cum melle mixto, ad parulidas aut epulidas, id est, ubi ex transuerso gingiua suppuratur, uel ubi super extremum molarem increscit. Molestè interdum gingiuis & cancer per os serpit, qui inter initia neglectus, breui temporis spatio mortis causa est. oportet ergo cùm primum uisus fuerit, antequam latius serpat, faucesque occupet, misyi usto quamplurimo cum melle uti sæpius; sed antè dentes & os collui debent oleastri aqua decocti, aut corticis mali granati. Prodest & hoc medicamentum etiam in omni parte corporis positum, contra cancerem, quod uocatur andronios. recipit autem hæc, mali granati corticis * X. terræ mali * IX. aloes * quatuor, myrrhæ * II. gallæ * VII. aluminis fissi * quatuor, æris floris * II. teruntur hæc siccata curiosè, deinde admiscetur passum creticum, ut habeat spissitudinem mellis; cùm opus est, uino austero diluitur & soluitur. facit hoc medicamentum & ad carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad zonam, quam Græci herpetem dicunt. Cochlearum inanium exustarum cinis cum melle gingiuis impositus, mirè prodest, si sit hæc adsiduè curatio. Gingiuas humidas & fœtentes hoc medicamine mirè sanabis; alumen scissum, tus masculum, aloen epatitidem pari pondere; hæc in puluerem tenuissimum rediges, & simul permixtis uteris, ita ut prius os uino uetere consuas, & sic gingiuis digito medicamen adponas. utile est interdum admixto huic puluері melle despumato, gingiuas contingere. Ad gingiuarum nimium tumorem, & fœtorem, & carcinomata, medicamen hoc facies decrescente luna, die iouis; sic, piperis grana nouem teres cum modico lasere, & cucurbitam siccam combures, & caput sardę combures, ac separatim omnia diligẽtissimè teres, ita ut in puluerem tenuissimum redigantur, eoque sicco gingiuas asperges uel continges; & cùm iterum adhibere uolueris medicamentum, uino uetere bono os elues. sed illis diebus, quibus adhibes curationem, oleum & porcinam non manducabis; quo facto, facilè te absolues suprà scripta omni molestia gingiuarum. Ad ulcera quæ nascuntur pueris uel infantibus utriusque sexus in ore, aut in gutture, aut in stomacho, quæ pluribus uno tempore solet accidere, & ideo pestilentiosa appellantur, ualde utile est adhibere medicamẽ huiusmodi. myrrę, nardi syriaci, aluminis fissi, costi, gallæ syriacæ immaturæ, carnis agninæ aridæ, corticis malorum punicorum, omnium paria pondera seorsum contunduntur, & postea in unum miscentur, atque inde dantur ad diem duæ drachmæ cum uini austeri cyatho uno. Malipunici floris * II. myrrę * II. aluminis fissi * II. croci * II. puluis ex ijs tenuissimus factus insufflatur per arundinem quod satis sit, faucibus uel gingiuis, quod factum & intrinsecùs & forinsecùs omnibus uitijs oris infantum statim medebitur. Medicamentum quod facit ad omnia, præcipuè autem ad ea uitia, quæ in ore subsistunt, & abalienationes auditus; & ad tumores aurium, & puris inde manationem, & dolorẽ, & ad palpebras asperas, & ad ulcera sordida in oculis, atque in ano & ueretro, nec non & ad carbunculos. uti autem eo oportet, cùm resoluendum & eliquãdum est aliquid ulceris cum melle, cùm autem constringendum, cum uino austero; sed ubi ulcera cicatricem ducere oportebit, aut sordida & tetri odoris expurgari, cum ceroto ex rosa facto. proficit autem & ad tumentes atque compressas fœminæ uuluas, prope os ipsius uuluæ adhibitum; est enim ad omnia muliebria utile, cum rosaceo oleo adpositum. facit etiam ad narium uitia & polypos & cætera ulcera, daturque ijs qui sanguinem eijciunt, quantum faba est, cum aquæ duobus cyathis tepidæ; recipit autem hæc, crocomagmatis optimi * VI. misyos usti * V. aluminis rotundi * VIII. rosæ aridæ * III. æris floris * IIII. gallæ syriacæ * XV. omphacij aridi * VIII. squamæ æris * VI. chalcitidis ustæ * VII. mellis despumati ℔. I. hęc omnia seorsum prius & in unum postea cum uino trita, admixto passo atque melle, coquuntur molli pruna in uase rubri ęris, id est cupreo, ita ut subinde agitetur & coquatur lentissimè, donec mellis spissitudinem habeat; quod medicamentum recondi debet in pyxide cuprea & signari. Ad ea quę in ore subsistunt, & ad puerulorum uel infantũ ulcera pestilentiosa, croci * IIII, myrrę * VI. gallæ syriacæ * IIII. aluminis fissi * II. thuris * II. rosę floris * VI. glycyrizę succi * VIII. iris * VI. crocomagmatis * VI. nardi syriaci * V. piperis * IS. & eius tertias, costi * III. cinnami * VI. cassię * VI. polij * II. mellis quod satis sit. hęc trita, diligenter concorporantur, & in uasculo ęreo aut uitreo custodiuntur, & cùm opus est, uitijs oris & faucium remedio adhibentur. Anthera ad ulcera & sanguinis eruptiones, & ad eminentias quasi callosas circa angulos geuliarum, & radices dentium; facit & ad uetera, & ad longioris temporis fissuras in ano, quas gręci rhagadas appellant. chartę ustę, plumbi usti, squamę rubri ęris, auri pigmenti * binos. sulphuris uiui * I. siccis ijs & bene tritis uti oportet; est enim efficacissimum omnibus suprascriptis medicamentum. Anthera, ad gingiuas tumentes, & ad ulcera abalienata in ueretris, & ad ea in quibus nimiùm caro uitiosa excreuerit; cyperi denarios duos, croci denarios duos, myrrę * I. aluminis fissi denarios duos, sandaracę denarium unum; hęc trita seorsum, & in unum mixta reponuntur, & sicca suprà dictis uitijs adhibentur.

Dentium doloribus, & uitijs eorum uniuersis, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XII.

Ad dentium dolorem quamuis plurimi dicant forficem remedium esse optimum, multa tamen citra hanc necessitatem scio profuisse. itaque cùm exesus est aliqua ex parte dens, non suadeo protinus tollendum, sed excidendũ scalpro medicinali, quà cauatus est; quod sine ullo fit dolore; reliqua enim solida pars eius, & speciem, & usum dentis pręstabit. sed cùm dolor urgebit, uariè sedãdus est, partim collutione quo-

rundam,partim commanducatione,nonnunquam suffitione, aut impositione aliquorum remediorum. prodest ergo colluere os frequenter radice herbæ quinquefoliæ incoctæ uino. item herba urceolari & cu pressi baccis aqua incoctis. alterci quoque radix bene accipit, aut eiusdem semen linteolo spisso inligatũ, & aqua sæpius inferuefactum;etiam succus eius tepens dentibus adhibitus, plurimũ prodest. Suffiri autem dentes oportet ore adaperto alterci semine carbonibus adposito, atque subinde os colluere aqua calida,in qua radix eius fuerit incocta;interdum enim e dentibus quasi uermiculi quidam eijciũtur. leuat dolorem dentium & bitumen suffitum. item commanducare proderit mentastrum uel radicem cotyledonis,quæ herba similia folia cymbalis habet,nasciturque fere in parietibus humidis. pyrethri quoque radix commanducata multorum leuauit dolorem. nec minus alumen fissum linteolo spisso circundatum, & ita diutius dolentibus impressum dentibus medetur. imponere uero ipsi dolenti oportet denti totũ hoc medicamentum,quasi emplastrum,quod conficitur sic. peucedani succi ⚹ III. opopanacis ⚹ unum, turis denarios duos, uuæ passæ sine granis ⚹ I. hæc omnia per se contundi iubebis, deinde ceram cõmisceri,& ceroti modo emplastrum fieri. ubi fuerit grauior dolor dentis, auriscalpiũ lana molli inuoluitur, deinde tinguitur feruentissimo oleo,atque ita denti proximisque gingiuis superponitur; post hoc medicamento dens operitur. si repetierit aut permanserit dolor nihilominus,iterum auriscalpium cũ lana inuolutum ex oleo candenti eodem modo imponi sæpius oportebit, donec dolor omnis adimatur.

Si quando mouebuntur dentes,confirmandi erunt alumine,quo infectores utuntur & melle attico, ita, ut duæ partes sint mellis,tertia aluminis. hæc misceri & teri oportet in mortario, deinde in patella fictili ferueflеri ut spissentur,atque ita recondi in quolibet uase, dum ne æneo. hoc medicamentum primum austerum est,& nimis constringit dentes,postea remissius uidetur. Proderit motis dentibus & hoc medicamentum;aceti acerrimi ℥. I. cedriæ ℥. I. aluminis fissi P. II. teritur alumen cum aceto, miscetur deinde cedria,& una omnia uase æneo coquuntur,teda pingui mota, donec in mellis spissitudinem temperatam redigantur. hoc medicamento si quis ter in mense dentes perfricuerit, dolorem eorum non experietur. Ad dentium dolorem bene facit muria ex piscibus lacertis ueteribus,si quis ea subinde os colluat;uel herbam peduncularіam si quis commanducet,& subinde pituitam,id est humorem noxium expuat;uel marrubio sicco contuso & cribrato, si quis dentem cum gingiuis tegat. Facit bene & aqua, in qua marrubium coctum est,cum os aliquis inde colluerit. Item millefolium commanducatum, uel anemones herbæ radix cum pari pondere fici commanducata, pituitam dentium detrahit. Cornu ceruinum combustum tritum cum aceto,dentibus adpositum prodest. Radix lapathi cum uino cocta;uel teda pinguis incocta aceto;uel papaueris capita,& cortex mali punici,pari pondere uino incocta; uel tithymali radix similiter cum uino cocta;uel colocynthidos interiora cũ lacte & aceto, pari mensura trita atque permixta;uel alterci radix cum aceto cocta; uel capparis radix cocta cum aceto uetere; uel iunci radix, quam græci cyperum appellant;uel cucurbitæ radix, quam ijdem sonchon appellant; uel pyrethrum commanducatum,aduersum dolorem dentium plurimum prosunt, si & aqua ipsa, qua incoquuntur, ore teneatur. Rosæ floris quod est luteum ⚹ VII. crocomagmatis ⚹ octo, myrrhæ ⚹ octo, gallæ syriacæ ⚹ IIII. ijs in unum mixtis & tritis uti oportet siccis,ut hoc ex puluere gingiuæ assidue dentesque tangantur. Rosæ lapillos uel grana,quæ in folliculis eius postea quam esse desierit, inueniuntur, assabis & in puluerẽ rediges ad ⚹ III. floris quoque eius sicci ⚹ II. myrrhæ ⚹ I. teri facies,& sicco puluere aduersum dolorem dentis uteris,ita ut prius os colluas aceto salso tepido. Rosæ caninæ succi, quam Græci cynocytidam uocant, uel ipsius herbæ radicis ⚹ II. lycij ⚹ I. cum uino austero coqui facies,& adijcies aluminis ⚹ IIII. myrrhæ ⚹ I. & de sepiarum testis quæ sunt interiora ⚹ II. ijs tritis & in unum corporatis,dentes & gingiuas continges;post hoc,uino austero os collues. Cyperi ⚹ VIII. sandarachæ ⚹ VII. gallæ duas partes, piperis albi ⚹ I. aluminis fissi ⚹ II. myrrhæ ⚹ II. & huius medicamenti similis est usus sicut superioris,ut sicco puluere gingiuæ & dentes tangantur adsidue,& post uino uetere os eluatur. Sinapis grani ⚹ III. piperis ⚹ I. herbæ peduncularię siccę ⚹ VI. cyperi idem, nitri ⚹ II. pyrethri ⚹ IIII. origani ⚹ III. lauri foliorum tenerorum ⚹ I. bituminis aridi ⚹ VI. in sole hęc omnia teruntur,& ex aqua deinde pastilli fiunt, quorum unus ad diem datur commanducandus dentium causa. Piperis ⚹ II. sinapis in grano ⚹ XII. anesi ⚹ VI. uuę passę pinguis exgranatę ⚹ XXIIII. pyrethri ⚹ IIII. herbę peduncularię ⚹ IIII. hyssopi de denario duas partes,lauri folia numero X. ęris floris ⚹ II. hęc cum melle decoquuntur, atque inde pastilli facti, ob salubritatem dentium commanduntur. Emplastra autem dentibus dolentibus poni oportet eiusmodi;aphronitri ⚹ II. piperis ⚹ III. herbę peduncularię ⚹ V. resinę terebinthinę tantundẽ; hęc colliguntur,& inlita linteolo,uel aluta, dolenti maxillę imponuntur;sed si excauatus fuerit dens,inijcitur in cauernam eius quantum sit satis medicamenti, ad explendum locum,tum cera tegitur exterior pars foraminis. Item emplastrum alio modo conficiendum aduersum dentium uitia; pyrethri ⚹ IIII. cedrię ⚹ IIII. amurcę coctę ⚹ XVI. sulfuris uiui ⚹ XVI. picis liquidę ⚹ XII. bituminis aridi ⚹ VII. ęstiuis temporibus confici oportet hoc medicamentum, ita ut sub ortu sideris canis hęc terantur in sole calidissimo,donec habeant ceroti teneri spissitudinem. Item aliud emplastrum aduersum dentium dolores;piperis, pyrethri, sulphuris uiui, soreos, singulorum ⚹ IIII. amurcę ⚹ VI. arboris mori lacrymę ⚹ V. picis liquidę ⚹ II. aluminis fissi ⚹ IIII. cedrię ⚹ X. bituminis aridi ⚹ VI. herbę peduncularię ⚹ II. similiter sub ortu canis componitur hoc emplastrum, & ut supra scriptum est,adhibetur maxillę in qua dens dolet, linteolo denso uel alutę inlitum. Item aliud emplastrum,

plastrum, piperis, opij, oliuæ æthiopicæ, lacrymæ mori, myrræ, singulorũ ✱ binos, hederæ nigræ baccarũ ✱ IIII. betæ nigræ radicis succum, uel eiusdem foliorum succum ✱ IIII. omnia trita in unum consparguntur & concorporantur, & melle colliguntur, atque ita ut supra scriptum est, affectæ maxillæ ad sedandum dolorem dentium, & gingiuarum, & geusiarum adhibentur. Dentium dolorem sedabit, si quis gramen masticet patienter, & in doloris locum conlocet. Cauos dentes cinis murini fimi impositus sanat & supplet. dicuntur dentes ei non putrescere nec uacillare, qui manè ieiunus sub lingua salem assiduè continuerit. Dentem cùm dolebis, si circa eum gingiua suppurabit scalpellabis & herbæ millefoliæ radices teneras commasticabis, tum succum eius in ea parte in qua dens dolet, tenebis. Papaueris succum tritum cum lacte muliebri, denti causario infundes, statim prodest. Carmē ad dentium dolorem mirificum, de experimento. luna decrescente die martis, siue die iouis, hæc uerba dices septies, argidam, margidam, sturgidam. dolorem rumpes etiam, si calciatus sub diuo, supra terram uiuam, stans caput ranæ adprehendes, & os aperies, & spues intra os eius, & rogabis eam, ut dentium dolores secũ ferat, & tum uiuam dimittes; & hoc die bono & hora bona facies. Vermiculus in cardone herba inuentus, phœnicio inligatus colloque suspensus, dolori dentium medetur. Cucurbitæ satiuæ coctæ succus in linteo expressus, & in ore tentus, & dolorem inhibet dentium, & coercet mobilitatem. Acetum tepidum scilliticum in ore tentum, & gingiuas tumentes constringet, & continet dentes uacillantes. Caprifici radix uino decocta tritaque, maxillæ imponitur, ac desuper ligatur, & illud uinum in ore diu tenetur, ualde remedio est dentibus. Ruborum cymæ teneræ ex uino uetere coquuntur, & id uinum sæpius ore continetur, interdum & gargarizatur: quod statim gingiuis, uuæ, & dentibus prodest. Quinquefolium in quo fraga nascũtur, colluitur ex aqua marina, deinde ad tertias decoquitur ex uino aut aceto, idque in ore diutius continetur: etiam exustæ eius herbæ cinis prodest, si eo dentes infricentur. Vermes terreni, id est lumbrici decocti in oleo & triti, infunduntur auriculæ ab ea parte, qua dentes dolent: eorundem exustorum uermium cinis dentibus cauis uel dolentibus insertus, & cera opertus, facilè cadere eos cogit; comburi autem debent testa candenti. Ossium ex ungulis porcinis cõbustorum cinis, pro dentifricio habitus, plurimum confirmandis dentibus prodest. Ad dentes cauos & exesos, ne penitus exedantur aut excidant, facies hoc: gummi quod in hedera nascitur, cauo denti inserito. Harenula quæ in cocleis inuenitur, denti cauo & dolenti inserta, statim prodest. Gũmi cupressi optimè facit, si insertum die ac nocte in cauo dente permanserit. Vt labantes dentes cõfirmes, cedrum quo libri perunguntur, in ore quàm diutissime tene, & subinde recentius sumito, non solũ dentes confirmabis, uerumetiam dolorem eorum auertes. Sepiæ os, uel ipsius combustæ & ex melle contritæ puluis, adiecta gutta ammoniaci, gingiuis & dentibus prodest, si ita perfricentur, ut ex eo nihil in fauces descendat. Caprino lacte recenti sicut mulsum fuerit, os assiduè collutũ, laborantes ex ictu dentes confirmat. Lentisci decocti aqua intra os frequenter detenta, dentes confirmat. idem præstat asparagi siluatici succus. idem & omphacinum oleum, id est bonum uiride, si calidũ in ore teneatur: idem & inula à ieiuno commanducata pręstabit. Vt labantes & dolentes dentes facilè excutias, succum hederæ nigræ adiecto pauxillo olei uiridis habeto repositum ac præparatum, ut cùm opus fuerit, nates ex eo contingas digito uel perfrices: quo facto, spiritum aliquandiu introrsum trahes, deinde calculo dentibus comprehenso, hianti ore humorem omnem, qui ex pituita contractus erit, defluere permittes. infinitus enim decurret, usque ad trium heminarum mensuram. post quod, oleo puro naribus perfricto, & uino ore eluto, dentes sine dolore erunt, & facilè extrahentur. Ad epiphoras dentium & pituitam, si in dentes inciderit, quam epiphoram Græci appellant. Ligustri folia commanducato, finitoque egeri pituitam saliua inritatam; quæ dum hianti ore decurrit, dolor desinet. sine dolore autem qui caui & inutiles sunt, decident medicamine tali: piperis grana numero V. gallæ & galbani, & aphronitri, æquale pondus ad fabæ magnitudinem, una contundes, & contusis mel admiscebis, & subiges, donec redigas ad ceræ lentitudinem, eoque medicamento dentem cauum & dolentem implebis, ita ut prius eum calida foueas, sine dolore excidet. Ad dentes mobiles & dolentes, & gingiuarum tumorem, remedium sic. cornus ceruini combusti — II. folij ℈ I. salis ammoniaci ℈ I. piperis grana I X. iris illyricæ ℈ I X. ex his puluerem tenuissimũ facies, & eo dentes quotidie perfricabis: si mobiles erunt & dolebunt, facilè cadent: & si sine dolore ualidi sunt, confirmabuntur, & candidiores & odoratiores erunt: melius autem proficiẽt, si in iuncturis, aut radicibus, aut cauaturis eorum de hoc ipso dentifricio aliquid resederit. Ramenta cornus ceruini uel scobem eius lima factam cum uino uetere ad tertias coque, & inde adsiduos elue: mirè proderit roborandis. Portulaca adsiduè commanducata, stridorem dentium tollit. Africanam spongiam siccabis, & lana inuolues, atque inde radicem dentis perfricabis; sed caue ne alium pro alio tangas. nam contactus post triduum cadet, si enim putidus fuerit & dolebit, facilè excidet. Cùm primum hirundinem uideris, tacebis, & ad aquam nitidam accedes, atque inde in ostium mittes. deinde digito obsceno, id est medio, tam manus dextræ quàm sinistræ dentes fricabis, & dices. hirundo tibi dico, quomodo hoc in rostro iterum non erit, sic mihi dentes non doleant toto anno. Iterum alium annum & deinceps sequentibus similiter facies, si uolueris remedij huius quotannis manere beneficium. Cocleas nostrates minutas etiam inanes collige, & in mortario marmoreo diligenter tere, deinde puluere ipso mollissimo dentes tibi perfrica; quo facto dolorem sedabis. Si tibi partis sinistrę dens dolebit, cubito dextro calidam fabam coctam tritam impone & diligenter liga. Si uerò partis dextrę siue superior siue inferior dens dolebit, cubito sinistro ligato similiter fabam, & hoc per triduum facito.

Dolorem dentium & gingiuarum hac maxime curatione cōpesces, si mellis — I. aluminis infectorij — III. subferuefacias in pultario, & agites ac misceas, tepefactumque medicamen ore contineas. Acorū ponticum cum aceto & cum tæda usque ad quartas decoctum, rectissime aduersum dolores dentium gargarizatur. Succus cyclaminis & mel lycium æquis portionibus miscentur, atque inde dolor dentiū confricatur. Lapathi radix in aceto acerrimo coquitur, atque eo aceto dentes colluuntur, uel fouentur. Millefolij radix sub primo dolore dentium commanducabitur, & ijsdem dentibus, qui dolebunt, diu commanducata retinebitur, intolerandam molestiam præsentissimo remedio coercebit. Oleū cum aceto ex tertio decoctum, dum adhuc calet, recte ad sedandos dentiū dolores ore retinebitur, ita ut plus aceti, quàm olei mittatur. Radix terræ mali surculo eruta & commanducata, si ore contineatur, inter initia quidem excandescere facit dolorem dentium, sed mox eum potenter extinguet. Porcelli lactentis uentriculo, id est aqualiculo exempto, quod in interiore cute luteum adhæret, lanæ coniunges, madefactaque ea, illū humorem auriculæ inseres, cuius e diuersa parte dens dolebit, certissimo remedio statim subuenies. Mori radix tempore messis inciditur, ea succum aptissimum inhibendo dolori dentium emittit, quē ideo colligi & seruari oportet, ut cùm opus fuerit, dentibus imponatur. Nucleus gallæ commanducatus medetur dolori humorique dentium. Hyoscyami radix mixta uel madefacta aceto & commanducata, mirè dentibus medetur. Plantaginis radix recte manditur, eiusdemque succo in aceto decocto salubriter dentes colluuntur. Fimus corui lanula obuolutus, denti cauo insulcitur minutatim, ac sine dolore eū discutiet. Veretrū, id est bulbus, quod est genus cepæ, in aceto decoquitur, idque acetū ore continetur, ut mobilitas dentium sistatur. Rumicum in quibus mora nascuntur, pampini decoquuntur in uino austero, quod uinum adsidue ore detentum, uel ipsa folia commanducata dentes labantes confirmant. Bestiola quæ brasicæ innascitur, dens uitiosus sæpius confricatus, intra dies paucos eijcitur. Aeris florem floresque hederæ pari pondere in unum terito, uinoque misceto, ac naribus moderatè, cùm dentium dolor fuerit, infunde, statim omnis molestia dentium compescitur & sanatur.

Dentifricia diuersa de experimentis. Cap. XIII.

Dentifricium, quod splendidos facit dentes, conficitur sic. farinæ ordeaceæ 8. I. conspargi oportet aceto cū melle mixto, & subigi diutius, atque ita in globulos diuidi sex; quibus dilatatis, admisceri salis fossitij semunciam, deinde furno coqui, donec in carbonem redigantur. tunc teri oportebit eadem, & admisceri spicænardi, uel folij quod satis uidebitur, ad odorem faciendum. hoc Octauia Augusti soror usa est. Dentibus curandis benefacit radicis edulis, id est quæ manducatur, cortex arefacta & contusa cribrataque pro dentifricio adhibita. Vitrum candidum, quod simile est crystallo, diligenter tritum, admixta spica nardi, pro dentifricio adhibitum plurimum prodest. Vtuntur plerique etiam huiusmodi dentifricio; herbam urceolarem, quàm plurimam cum radice colligunt, deinde lotam uno die siccant, post diem recenti muria macerant, tertio die expressam in olla noua componunt, subinde salis fossitij quasi tabulata interponentes, atque ita percoquunt fornace balneari, donec in carbonem redigatur, postea tritæ admiscēt spicænardi quod satis sit, quia & candidos facit dentes, & confirmat. Augustam constat hoc usam Messalinam. deinde aliorum Cæsarum matrimonia hoc dentifricio usa sunt. Cornuum ceruinorum ustorū in olla, & ad cinerem redactorum 8. I. masticches chiæ ⚹ VIII. salis ammoniaci semunciam, diligenter hæc trita in unum concorporantur, & perfricandis dentibus adhibentur. Folij — I. costi — I. piperis ∋ VIII. masticches grani — II. hordei farinæ nitidæ 8. VIII. singulatim singulas species tundi uel teri facies, & cerni tenuissimo cribro. farinam uero hordei in ollam grandem nouam mittes, & adijcies mellis optimi quantum sufficiat, ut neque sicca sit, neque supernatet farina. postea simul speciebus omnibus in ollam missis, adijcies fasciculos septem herbæ parietalis, ita ut folia huius herbæ sint in fasciculis, non uirgulę; deinde operculo superposito & clauso, uel gypsato diligenter de argilla, mittes in furnum calidum, ita ut usque in alteram diem furni feruor duret, donec exurantur omnia, quæ sunt in olla. quæ cū exusta fuerint, simul uniuersa diligenter tundes uel teres & cribrabis, & puluere eo quotidie uteris, ad candorem dentium faciendum, & gingiuas firmandas, & catarrum restringendum. Dentifricium ad dentes nigros emendandos; hordei farinam delicatam, & sal tritum cum melle confricato, donec sibi cohęreant, & postea pastam ipsam linteo inuolutam comburito, ac puluerem tenuissimum facito, atque eo dentes manè ac uesperè confricato, citò candidissimos facies. Lapis sparius tritus ad summam leuitatem & pro dentifricio adhibitus, intra diem decimum, quamlibet nigros uel pallidos dentes purgabit. Nitro cocto atque contrito, uelut dentifricio, utere ad dentes purgandos. Porci ungularum ossa combusta tritaque & cribrata, adiecto nardo, & folio, frictione frequenti dentes candidissimos præstant. Lana succida melle inlita, dentes perfricti miro modo candorē maximū consequuntur. Dentifriciū optimum ac saluberrimum, sic. cyperi — II. salis ammoniaci — II. pumicis uncias tres, marmoris candidi uncias tres, schœni anthos, uncias quatuor, casfiæ uncias II. folij unciam I. piperis albi unc. I. specularis usti — I. corni ceruini usti — I. ostrei testarum ustarum — I. aluminis scissi — I. masticches — I. turis optimi — I. myrræ unc. I. tunsis cribratisque his omnibus & in puluerem tenuissimum redactis, atque permixtis, ad incolumitatem & nitorem dentium uteris. Pernæ scrofinæ os quod est amplissimum, combustum tritumque, optimum & salubre dentifriciū præstat; gingiuas enim siccat & adstringit, dentesque ab humoris iniuria & tumore defendit. Cybium optimum ac uetustissimum ollæ inditur, atque argilla circumlinitur,

circumlinitur,& furno ardenti obijcitur,ut ad cinerem cybiũ excoquatur. tunc adiecto pario lapide contuso, fallamenti supra dicti fauilla conteritur,hoc dentifricium ita bonum est, ut ad inanitatem dentes nõ finat peruenire. Mastiches — I. turis optimi uncia una,myrræ unc.I. folij unc.I. iris illyricæ unc. I. cassiæ unc.I. tere hæc diligenter atque permisce,& dentifricium facito,quod mirabere. Nardi spicæ — I. amomi — I. piperis — I. ijs tunsis cribratisque ad incolumitatem dentium utendum esse de experimentis suademus.

Compositio dentifricij,quam Artemius Dianio ostendit,contra dentium stridorem. panem candidum siccum uetustum,qui teri possit,salem,piper,folium,costum,cornu ceruinum;hæc æquis ponderibus teres ad maximam leuitatem,& quotidie inde dẽtes curabis; quo facto stridorem eorum omnem humoremque depelles. Ad colorem nitidum reducit dentes,nitrum cũ porro rudi coctum,& pro dentifricio sumptum. Ad dentes nigros purgandos, panem candidum & pumicem pari pondere combure & tere, atque adsidue hoc dentifricio utere. De sepiarum ossibus,quod est molle, unc.quatuor,salis ammoniaci uncias II. marmoris candidi — II. schœni anthus unc.IIII. cassiæ unc.II. folij unc.I. piperis albi semunciam,herbæ cyclaminis succum & mel lycium quantum sufficiat,æquali mensura permisce;quibus rebus dentifricium egregium facies,quod dolorem dentium sedat, eosque confirmat & candidissimos reddit;sed quæ terenda sunt,diligentissime terantur,atque cribrentur,& sic omnia misceantur,quod dentifricium, nec non & alia omnia supradicta,in pyxidibus ligneis aut corneis debent recondi.

Vuæ & faucibus, & arterijs, & raucedini, remedia physica, & rationabilia diuersa de experimentis. Cap. XIIII.

Ad faucium uuæque tumorem,hac fere omnes compositione uti debent, quæ nullam asperitudinẽ habet,& satis efficax est . uuæ amineæ acerbæ cùm primùm granum eius incipit perlucere,succi 8.IIII. mellis attici 8.I.misceto in unum,atque in æneo uase coquito,subinde mouens,donec mellis habeat spissitudinem,atque inde fauces continges . Altera ad eiusmodi molestias compositio,cùm diutius uexatæ sunt partes supradictæ,ut facile placentur : aluminis fissi denarios II. gallæ tunsæ ✱ II. omphacij aridi ✱ I. croci ✱ I. passi cretici 8.I.hoc decoquitur uase fictili ad medias , ita ut quæ terenda sunt, diligenter trita admisceantur;utrunque autem medicamentum signatum stanneo reponendum est uasculo,& uua uel fauces adsidue inde tangendæ . Vbi suppuratio faucium suspecta est,diutius permanẽte earum tumore, & interdum febriculis non sine horrore incurrentibus , oportebit quidem gargarizare aquam mulsam,uel cum ficis aridis decoctam;sed perungi fauces utile est hoc medicamento, quantum tactus sustinere poterit,paulò pressius,quod conficitur sic . mellis boni despumati heminam,resinæ terebintinæ P. I. rosæ succi cyathos V. resinam cum rosa duplici uase,ut solent unguentarij uti,liquefieri oportet,deinde admisceri mel,& coqui donec spissum fiat medicamentum . hoc etiam cùm eruperit suppuratio,uti oportebit;expurgat enim & explet omnia . Vuam supprimit diu iacentem, sal & galla contusa æquis ponderibus,admixta,& ita per cocleare adposita . Item gallæ ✱ II. æris floris ✱ II. menarum sine ouis,id est piscium salsorum capita X . hæc comburuntur , & ita cæteris bene tritis trita admiscentur;sed postea nihilominus in unum diutius teruntur . oportet autem tangi digito humido medicamentum,& sic uuam ab imo rectam diu supprimi sursum uersus. Ad arteriam exasperatam simplicia quidem hæc faciunt, gummi alexandrinum,uel tragacanthum per se sub lingua retentum; sed composita hæc ad tumorem arteriæ maximè prosunt : papaueris siluatici iam maturi,uiridis tamen adhuc,capita quàm plurima uase fictili conijciuntur, atque aqua superfunditur tanta,ut supersint de uasculo duo uel tres digiti. hæc ubi triduo macerata fuerint,eodem uase incoquuntur, donec madescant,postea exprimuntur,omnisque aquæ percolatæ prius diligenter mensura capitur,ad cuius soliditatẽ,mellis attici quarta pars miscetur : deinde in duplici uase tam diu coquitur,donec mellis habeat spissitudinem. hoc medicamentum & ad auriculæ tumorem & ad tussim facit . Altera arteriace ad fluorem arteriæ, & ad raucitatem,& ad tussim,& ad spissum sonum uocis . accipit hæc,tragacanthi ✱ VI. gũmis acanthini,quod ex uermiculis qui illic sunt,uerum docetur,denarios sex,myrrę denarium I. turis denarios II . croci ✱ I . piperis albi grana XX . cariotarum recentium trium pulpas medias,detracta exteriore cute,uuę passę incorruptę,purgatis interioribus granis,denarios VIII . gummi & tragacanthum passo cretico uno die & una nocte macerari oportet,postero die pilo mundo contundi & cętera trita mortario curiose admisceri . inde dari debet fabę magnitudinis globulus,& sub lingua teneri, & deuorari statim quod liquefactum fuerit . hoc medicamentum pipere detracto,& ad tumorem arterię facit,seruandum autem est pyxide buxea . Arteriace,qua melior non est;refertur autem in Asclepiadem medicum optimum,facit ad omnia superius dicta,& quidquid in arteria uitij est,efficaciter curat . cõstat ex his,myrrę optimę pinguis denarios XXIIII . tragacanthi candidi denarios XXXVIII . glycyrizę radicis denarios XVIII . resinę terebinthinę uerę denarios XXXVI . tragacanthum sicut est,contundi & percribrari tenui foramine oportet . deinde myrram tritam seorsum admisceri,& rursus utraque in unum diu teri , atque ita in pilam conijci,& ibi cum concaluerint omnia ictu pilę assiduo,terebintinam paulatim misceri,donec omnium unitas fiat.postea glycyrizam contusam & cribratam, mortarioque nihilominus diligenter tritã, sensim adspergi conuenit . sed ubi hęc bene mixta fuerint , dum calet medicamentum,plures accedant & pilulas faciant uitię magnitudine ; fit enim citò durissima hęc arteriace ; & hoc ipso pręcedit cęteras,quia

linguæ subiecta nõ facile soluitur, & ita diutius exhibet salubritatis effectum. Brassicæ crudæ folium leuissime terito, ex eo succum exprimito, quo uua contacta potenter subleuatur. Pruni folia siue satiui, seu siluestris ex uino decocta, & sæpius gargarizata, uuam resilire compellunt. Gallæ tritæ puluere uua contacta, eodem die resilit, si ter ei interiectis horis medicamen fuerit adpositum. Capitis summi uerticem si quis uua laboranti mordeat inopino, omni eum molestia liberabit. In principio doloris uua bene subleuatur, si aqua frigida uel posca adsidue gargarizetur. Lotium uetus humanum adiecto croco ab inscio ne fastidiat, epotum, uel gargarizatum, mirum in modum uuam reprimit, & consumit. Cinis testarum ustarum ex ostreis cum melle tenuissime contritus uuæ illitus prodest. Rubi coliculi teneri discoquuntur ex uino, idque uinum gargarizatur, quod confestim uuam prominentem coercet. Folia rubi arefacta in umbra, in cinerem cõcremantur; is cinis in cocleari uuæ subiectus, præsentaneo remedio eam contrahit. Hirundinum exustarum cinis usque ad periculum laboranti uuæ, cum melle mixtus potenter inlinitur. Alumen scissum leuiter tritum uel tunsum, uuæ subditũ prodest. Chalcitidis scripulum unum, thuris scripulos tres, calcis uiuę denarium, misyos, nardi, folij scripulos binos, croci sicci, scripulos duos; omnia tunsa & cribrata in unum miscebis, deque eo puluere in cocleari posito, uuam tanges, ter mane, ter ante balneum, certum experieris remedium. Salis granum, panis micam, carbonem mortuum in phœnicio alligabis, & lino circa collum uuam dolenti suspendes. Succo uel lacte caprifici in cocleari posito, uua optime subleuatur. Vrtica teritur, eiusque succus expressus & tepefactus, ab eo, qui uuam dolet, salubriter gargarizatur. Lapillus qui in spongia africana inuenitur, phœnicio obuolutus, linoque ligatus, collo suspenditur eius qui uuæ uitio laborat. Carmen ad uuæ dolorem, quod ipse sibi qui dolet, præcantet, & manus supinas a gutture usque ad cerebrum coniunctis digitis ducens, dicat. crissi, crasi, cancrasi. quibus dictis, rursum manus a gutture ducat, & ter hoc faciat. Laboranti uuæ diuturno labore, hæc cura succurrit. hirundinem uiuam testa africanæ cochleę includes, eamque phœnicio inuolutam, lino circa collum subligabis, intraque diem nonũ, omni molestia liberaberis. De uua passa eliges granum, quod unum intrinsecus nucleum habeat, eumque in phœnicio alligabis, & faucibus, id est, in regione uuæ inseres, & tenebis, & dices, uua uuam emendat; mox ipsum phœnicium supra uerticem eius tenebis, & idem dices, cumque ter ipsum feceris, & carmen dixeris, collo dolentis subligabis. Rosæ siccæ partes duas, myrti partem unam, cum aqua mulsa decoques, & laboranti de uua dabis gargarizandum. Lenticulam, ficus siccas, & furfures, cum aqua mulsa decoques, & pro gargarismatio uteris ad uuam reparandam. Allium cum sale tritum, in cocleari adpositum uuæ, uehementer eam releuat. Allij umbilicum quo grana continentur, atque ubi radices inhærent, cum ipsis radicibus, in phœnicio conliga, & laboranti de uua, luna septima phylacterij more suspendes. Ouum exinanitum completum uiua terra, loco clauso si abscondatur ab eo, qui de faucibus & arteria laborabit, remedio præsenti sibi subuenit. Olei ueteris quod satis erit, infusum naribus, tumorem arteriarum, represso periculo suffocationis, euincit. Fimum columbinum, ficus aridas, & nitrum tundes, eaque mixta, extrinsecus adpones. hoc medicamentum asperitatem faucium mollit, destillationemque castigat. Cocleæ terra tantum excussa, inlotæ coquuntur, dehinc tritæ cum passo cretico aduersum faucium molestias hauriuntur. Vt faucium duritiam lenias, medicamen facies tale. myrrhæ uncias III. croci unc. I. tragacanthi uncias tres, ammoniaci uncias tres, mellis quod satis sit. omnia hæc trita atque permixta recondes, & parato certoque subsidio, ad arterias crassiores, & ad difficultatem uocis uteris. Ad tumores uuæ & faucium reprimendos, gargarizari oportet tepidam aquã mulsam cum humore ptisanæ & cum melle decoctam. passum quoque cum glycyriza, uel hyssopo, uel fœno græco, uel lini semine decoctum iuuat, nec non & aqua maluarum illic incoctarum gargarizationi plurimum prodest. Bene opitulatur & fomentum per spongiam adhibitũ ex aqua calida arteriæ & faucibus, quas partes postea tegi oportebit lana succida pura. Sedant tumores faucium & uuæ perunctiones quędam, ut succus de moris coctus in mellis spissitudinem. Item mali punici granorum succus. Item uuæ acerbæ succus eodem modo decoctus. prodest & lentisci & terebinthi, & rhus syriaci, & myrti & rubi, & rosæ succus, si cum melle hæc omnia decoquãtur: pruna quoque prosunt matura, si aqua in qua cocta fuerint, gargarizetur, aut os ex ea colluatur. hæc omnia prosunt etiam anginam habentibus, & cętera uitia in ore nata efficaciter curant. Non desinente faucium tumore, prosunt non solum fomenta molliter adhibita faucibus atque arterijs per spongias aquæ calidæ, sed etiam cataplasmata uel fomenta de farinis. itaque imponi oportebit ijsdem partibus, farinam ordeaceam ex aqua pura, uel mulsa coctam, uel lini seminis farinam, uel fœnogræci farinam similiter coctam. sed mirifice prosunt pulli hirundinini pingues saliti, uel recentes assi, in cibo sumpti; protinus enim omnem præfocationem, & tumorem faucium tollunt; uerum si purare fauces uidebuntur, oportebit sæpius gargarizare aquam cum ficis aridis coctam, uel aquam mulsam cum supra scriptorum admixtione: quod si tantus fuerit tumor, ut etiam præfocari aut strangulari fauces uideantur, aluum subtrahere clysterio oportebit, aut sanguinem emittere de brachio, uel sub lingua uenam præcidere. Thymbræ ex aqua coctæ, uel aceti uapor, per arundinem ore receptus prodest ad tumores oris, & gutturis, & faucium. Origanum tritum cum melle impositũ, ulcera oris purgat, nec patitur ea longius serpere; coctum uero cum aqua & arida ficu, atque adsidue gargarizatum, facit & ad alia uitia, id est & ad anginam, & linguam sideratam, quod genus morbi Græci paralysin uocant. Sorbitionibus uti oportebit, eos qui de uua & faucibus laborant, factis examylo, ptisana, oryza, alica, farina triticea, faba alba, urtica tenera cum lacte decocta; deinde cum ex aliqua parte releuati fuerint, tum uti

ouis

ouis sorbilibus debent. Ad uuas callosas,& nimium tumentes,mirifica hæc compositio est,facit & ad cætera faucium,& oris uitia;est autem hæc, æris floris ✱ II. chalcitidis ✱ II. picis liquidæ cyathum. coquitur pix donec amittat odorem,deinde adijciũtur ei mellis cyathi sex:atque iterum utraque mixta inferuescunt. post hoc,adijcitur uini aminei sextarius,& rursum coquitur,ubi autem bene decoctum fuerit, cætera supra scripta,quæ sicca sunt trita adijciuntur, iterumque decoquitur medicamentũ,donec sit spissum uelut mel. Rhus quo coriarij utuntur foliorum tenerorum collectorum æstate, priusquàm semen arbusculæ eorum habeant, ✱ XXIIII. macerantur in aquæ nitidæ congijs tribus,totidem diebus,totidemque noctibus, deinde expressa folia abijciuntur, aqua in qua macerata fuerant,transfunditur in uas æreum,& coquitur donec in mellis spissitudinem redigatur; oportet autem moueri aquam ipsam rudicula,uel spathomela æris rubri. postea adijci debent trita hæc.myrrę, turis, nardi syriacæ, cinnami, casiæ, singulorum denarij bini. deinde bis ter'ue feruefieri medicamentum, & reponi in pyxide cuprea. facit ad omnia uitia,quæ in ore nascuntur,& ad uuam,& arterias,& anginam,& ad auriculas,ex quibus puris multum fluit,& ad ueretra,& ad nigredinem carbunculorum,crustas quoque,& papulas omnes,& maximè ea humoris uitia,quæ in nocte concitantur,expurgat. sed si uetustate medicamentum inaruerit, remittitur,& temperatur uino austero bene calido. Remedium Cosmi medici,ad anginã, & ad omnia uitia,quæ in ore nascuntur,& ad aures pure manantes,& ad carbunculos,atque ad ueretra,quæ nigredinẽ duxerint,& ad crustas,& ad ulcera in pedibus subtrita calciamentis;rhus syriaci ✱ II.myrrę ✱ IIII. cassiæ ✱ II. croci ✱ II. mellis attici cyathos II. coquitur medicamentum lentè in cinere calido, donec spissum fiat,reponitur in uase æreo. Arteriace ad grauedines oris,& capitis,& ad pleuriticos,& per tussim, sanguinem eijcientes.conficitur sic;passi cretici sextarij duo decoquuntur ad tertias. deinde admiscetur turis uictoriati duæ tertiæ partes, myrrę dimidia, croci una, tragacanthi denarius unus, gummis ✱ I. piperis grana numero uiginti.glycyrizæ succi ✱ III. cariotarum pinguium succi exemptis interaneis, ✱ III. gummi, & tragacanthum in aqua mulsa maceratur: deinde utraque trita cæteris bene tritis,& leuigatis admiscentur;post hoc,globuli finguntur ad fabæ magnitudinẽ,quos sub lingua teneri oportet,& quod de ijs liquefactum fuerit, statim deuorari.hæc compositio facit ad omnia arteriæ uitia,& thoracis,& ad uocis interceptionem. Compositio,quæ dicitur stomatice,facit ad tonsillas, & uuas tumentes,& ad uulnera,& ulcera in auriculis uetera, excepta ex libris Ptolemæi regis, qui Euergetes appellatus est,accipit hęc,succi ex moris facti,& in sole cocti ℈. unum semis, glycyrizæ succi ✱ II. corticis lycij ✱ S. myrrę troglodyticæ ✱ I. aluminis fissi ✱ I. nardi indici ✱ S. mellis attici cyathos IIII. uini malei cyathum I. quæ arida sunt,seorsum teruntur,& in unum cum uino temperantur.deinde passum ijs admiscetur,& coquuntur omnia in cinere calido, donec mellis spissitudinem habeant. non oportet autem ignorare,utiles esse arteriam imbecillam habentibus gestationes,deambulationes,corporis uocisque exercitationes;contraria autem balnea,& omnia quæ uidentur caput implere,uel humores excitare. Vuæ & faucium dolori,fimus agnorum priusquàm herbam gustent,in umbra arefactus,& confrictus,atque emplastri more adpositus medetur. + Succo coclear acu transfossæ inlita uua sanatur, ita ut ipsa coclea in fumo postea suspendatur. Vuæ destillationi,quæ omnibus ferè periculosa est (nam & phthisin, & syntexin,& alias molestas ualetudines creat) prosunt porri sectiui folia non cocta sine pane adsiduè manducata. Oleum calidum ei,qui de uua,& arterijs laborat,eunti dormitum in cerebrum,& in aures infundi utile est. + Vuam toto anno non dolebit,qui cùm primùm uuam uiderit procedentem, sinistra manu digito medicinali,& pollice granum uulsum sic transglutierit, ut dentibus non contingat.

Stercus caballinum recens colliges,& in furno calefacies; tunc oleum medio capiti infundes contra uuam, & sic stercus prædictum in panno, uel in linteo spisso capiti superligabis in noctem.

Frumenti grana super candentem tegulam pones, & disperges ea, & cùm uideris ex ijs humorem nigrum exire,de cocleario colliges,& subinde uuæ adpones,statim remediabis. Ad fauces,& arteriam impeditam,remedium utile sic.croci drachmas octo, nardi drachmas duas, schœni anthus drachmam unã, amyli drachmam I. S. rosæ seminis drachmam unam,mellis attici cyathum unum, cum tenuissimo puluere specierum supra dictarum miscebis, & decoques tenuiter, & ad peruntionem faucium uteris.

Lac bubulum recens mulsum, & lento igne calefactum gargarizatumque,arteriam constrictam infuso catarro,& fauces exasperatas,pristinæ sanitati restituta persanat.

Vuæ dolenti,& destillanti medicamentum præsentaneum,sic;gallæ rufæ semunciam,aluminis scissi scripulos IX. myrrę pinguissimæ scripulos IX. cunicularis herbę aridę super mundam tegulam combustę cineris semunciam.hęc omnia in tenuissimum puluerem redacta,& in unum permixta seruantur uase uitreo,& per triduum,coclear e semiplenum ieiuno,& bene digesto intra os inseritur,ut uuam contingat,& inlinat. Causticum ad uuam penitus minuendam, uel consumendam, sic; fœniculi drachmam unam. calcis uiuæ drachmam unam. aphronitri drach. II. chalcanthi drachmas II. ioni drachmas II. contusa hęc,& in puluerem redacta permisce,& subige cum cinere lixiuij ficulnei, & impone siccum, ita ut hęreat uuę,uel faucibus. Raucis,& grauedini uocis plurimùm prodest, tragacanthum si sub lingua diu teneatur,aut piper,& paulatim saliua quę collecta fuerit, sorbeatur. Raucus si oua incocta recentia singula per triduum ieiunus hauserit,statim remediabitur. Raucis si in balineo clament, & aerem calidum intra fauces recipiant,satis utile est.oleum quoque uiride in ore tepidum teneant,& adsiduè gargarizent,etiam in balneo plurimum prodest. Ad uocem clarificandam,radicem edulem,quę incocta manducatur,cum mulso coque,& deinceps ipsum mulsum bibe,& radicem ipsam manduca.

Ad uuam destillantem, platani pilulam, quam singularem inueneris, lino traiectam suspende collo laborantis. Vuam caniculatam, & cocleam germanam combure, & contere, atque ex eo puluere mixto, pollice summo, uel certe cocleario, uuam ieiuno tange per triduum. Herbæ cymbalitis radicem ante solis ortum colliges sinistræ manus digitis pollice, & medicinali, in nomine eius qui uuam dolebit, & licio conligatam collo eius suspende. Picem mollem cerebro eius impone, qui uuam dolebit, & præcipue ut super limen stans superiori limiti ipsam pice capite suo adfigat. Ad dolorem uuæ scribes in charta, & collo laborantis in linteolo suspendes, formica sanguinem non habet, nec fel; fuge uua, ne cancer te comedat. Araneam, quæ sursum uersus subit, & texit, prendes, & nomen eius dices, cui medendum erit, & adijcies; sic citò subeat uua eius, quem nomino, quomodo aranea hæc sursum repit, & texit; tum ipsam araneam in chartam uirginem lino ligabis, & collo laborantis suspendes, die iouis, sed dum prendes araneam uel phylacterium alligas, ter in terram spues. Medicamen causticum ad uuam sine ferro tollendam, de quo etiam ischiadici curantur; calcis uiuæ — I. saponis albi pilulas tres, sinopidis, hoc est minij, modicum, lixiuium unde operantur coactiliarij aliquantum, in unum miscebis hæc, & coagitabis diu, & repositum habebis, ut cum opus fuerit, utaris. Descriptio trochisci, plurimis rebus satis utilis, id est, ad uetustas tusses, & reumata, quæ in arterijs consurgant, ad paralyticos, ad eos qui ex incommodo tremunt, ad uesicam, ad hydropicos, ad opisthotonicos, ad pedum subitos dolores, uel grauedines, ad longas uiscerum causas, uel dolores, ad phthisicos, ad inediam, ad lienis, ad hepatis, & ad intestinorum dolores, ad duritiam quoque hepatis resoluendam, ad partus extrahendos, qui ante maturitatem fuerint enecati, & si quid post partum resederit, euocandum, quod medicamentum ab Eutychiano archiatro primum traditum fertur, cuius descriptio talis. styracis ⚹ IIII. iris illyricæ denarios IIII. hyoscyami ⚹ I. opopanacis ⚹ IIII myrrhæ troglodytidis ⚹ IIII. resinæ terebinthinæ ⚹ II. piperis albi ⚹ XII. aphronitri ⚹ XI. opij ⚹ XI. galbani ⚹ IIII. hæc omnia diligentissime tunsa, cribrata, & trita, ut permisceri inter se possint, aqua nitida in unum colliges, ita ut styracem, & galbanum separatim ante contundas, quæ simul confusa aqua colliges, & trochiscos ad mensuram oboli facies, & cum necessarium fuerit, ex aqua calida bibendos dabis, cum cyathis tribus ternos, prout ætas, aut uirtus fuerit.

Ad anginam, uel synanchen, & strumas, & parotidas, & reumata, & glandulas, uel tonsillas, & ad ea quæ faucibus hæserint, euocandā, remedia rationabilia, & physica diuersa de experimentis. Cap. XV.

Anginæ prodest sanguinis detractio, cucurbitarum adhibitio, cæteraque auxilia, quibus medici efficacius utuntur; medicamenta autem simplicia hæc recte faciunt. laser cyrenaicum aqua dilutum crassius per pinnam faucibus adhibetur; uel euphorbium aqua dilutum similiter impositum. compositionum autem hæc sunt apta; fellis taurini, salis, aceti, mellis, olei ueteris, æquas partes in unum misceri oportet, & cum opus fuerit, pinna perfricare fauces diutius laborantes. Item bene facit, & hoc medicamentum compositum sic. git, fricti ⚹ II. pyrethri ⚹ I. sagapeni uictoriati pondus; trita hæc cum melle miscentur, & ita faucibus adhibentur. Facit bene, & medicamentum hoc compositum sic. fellis taurini ⚹ II. succi cucumeris siluatici ⚹ I. cachryos, & misyos animati ⚹ singulos; trita hæc melle admixto reponuntur; cum opus est, aqua tepida diluuntur, & fauces exinde perunguntur, coguntur que inde quàm plurimum deuorare, qui faucium dolore uexantur; soluit enim uentrem, & ita uehementissime prodest. Item benefacit, & hoc medicamentum. hirundininorum pullorum exustorum cineris ⚹ I. hyssopi ⚹ I. nitri ⚹ I. piperis denarij semissem, laseris ⚹ II. hoc medicamento, & sæpius fauces, & pressius fricari oportet. Multis, & hoc profuit medicamentum. costi, opij, anesi, schœni, cassiæ rufæ, singulorum denarios binos, git, denarium unum, amomi uictoriati pondus, asari, quod est semen, ⚹ II. aluminis fissi ⚹ I. gallæ quod est medium magnitudine ciceris pilulas numero quinque, croci denarios II. crocomagmatis uictoriati pondus, myrrhæ uictoriati pōdus, aristolochiæ Græcæ denarios IIII. cinnami denarios tres, hirundinum siluestrium exustorum pullorum cineris denarios V. nardispicæ uictoriati pondus; melle attico despumato comprehenduntur hæc omnia diligenter trita; cùm autē opus fuerit reparari hoc medicamentum, adijcietur quod satis erit eiusdem mellis, & sic faucibus inseretur. hoc Liuia Augusta semper compositum habuit, & reconditum in uasculo uitreo; facit enim mirifice aduersum anginam, & synanchen. Medicamentum ad anginam, quod deuoratur quātum digito uno tolli, uel colligi potest; componitur ex ijs; rhus syriaci denarij semissem, hyssopi tantundem, capparum cypriarum capita tria, laseris cyrenaici quantum erui granum est, uini bene odorati cyathos tres. cū uino cepæ trita teruntur, ut soluantur, deinde mittuntur in uas æris rubri, atque adijciuntur cætera, & coquuntur ad mellis crassitudinem. hinc dabitur bis, uel ter digito lingere ei cui medendum est. Ad synanches molestiam, & faucium dolorem periculosum, efficax medicamen, conficitur diligenter, & reconditum in præsidio habetur. ius in quo hirundinum pulli cocti fuerint, accipitur tepens, & intra fauces continetur, atque aliquid inde transmittitur. Sed præcipue contra synanchen prodest, si hirundininos pullos uiuos in nido prendas, & uiuos incendas, ut puluis ex ijs fiat, die iouis, luna uetere. sed obserua, ut impares in nido inuenias, & quanti fuerint, exuras. horum in calida aqua puluerem bibendum dabis, & de ipso puluere digito locum synanches ab intro continges; miraberis remedium; sed inlotis manibus remedium facies.

Rutam,

Rutam, allium, laser, æquali mensura trita, si ex uino gargarizet, qui synanchen patitur, certum, & præsens remedium sentiet.

Præcantabis ieiunus ieiunum, tenens locum qui erit in causa, digitis tribus, id est medio, pollice, & medicinali, residuis duobus eleuatis, dices, exi hodie nata, si antè nata, si hodie creata, si antè creata, hanc pestem, hanc pestilentiam, hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem, has tolles, has tonsillas, hunc panum, has paniculas, hanc strumam, hanc strumellam, hanc relegionem, euoco, educo, excanto, de istis membris, medullis. Ad tonsillas, herbæ quæ lingua bubula dicitur, radix, circa collum inligata, plurimum prodest. Gladioli folium medium diuisum, & in similitudinem coronæ in se connexum, ac pro torque circa collum habitum, tonsillas sedat. Pruni arboris folia ex uino decocta, & gargarizata, tonsillas molliunt. Turis mannæ, & myrrâ, & cinnamomum, & galbanum æquis ponderibus separatim ad lęuitatem contusa, cribrataque, & cum resina terebinthina ceraque decocta plurimùm, atque emplastri modo adposita, sanant tonsillas. Si adipe leonina tonsillæ interius perungantur, eodem die sanabuntur. Lac caprinum, uel bubulum, uel ouillum recens mulsum, dum calet, uel etiam calefactum, gargarizatum, tonsillarum dolores, & tumores citò sedat. Plantago, uel eius radix diligentissimè contrita, cum axungia uetere imposita in panno, uel linteo, prodest anginæ, uel tonsillis. Cyclaminis succum, & mel lycium æquis portionibus miscebis, & eo gargarismatio ad omnia faucium uitia potenter uteris. Pulticulam ex alica facies, in quam capita porrorum contusa mittes, & simul decoques, & deinde colabis, & sorbitione ea contra faucium molestias cum uolueris, uteris. Si quis grillum manu contriuerit, & ad tonsillas, uel suas, uel alterius tenens ter adplicuerit, tactu illo tumorem sanabit. Tonsillis renes uulturini aridi in melle triti, uel decocti, mirum remedium præstant, si pro emplastro adponantur. Cæpæ longæ conditoriæ succo, adiecto melle permixto, interiora faucium pertractantur; quo facto, angina laborantem à periculo liberabis; resina quoque, uel liquore cedri arboris angina adsiduè peruncta sanatur. Myrti foliorum succus gargarizatus, uel etiam transmissus, anginæ plurimùm prodest. Myrrâm contritam ex aqua tepida constanter absorbendam dato ei qui anginæ periculo laborat, statim eum liberabis. Hirundinum combustarum cinis cum melle attico mixtus, faucibusque inditus, & anginam reprimet, & ulcera si qua arterijs inerunt, contacta purgabit sanabitque.

Taurinum fel melle permixtum, & extrinsecus faucibus adpositum, uel pro unguine inductum, anginas efficaciter sanat. Idem præstat, & caprinum fel similiter adpositum. Si subita angina ita fauces præfocabuntur, ut nullum auxilium celeriter inueniri possit, ferro quàm acutissimo ex uenula quæ sub lingua est, in parte sinistra, quæ statim de hoc morbo pallescit, sanguis emittatur, continuò subuenietur. Herbæ proserpinalis, quæ dracontion dicitur, contritæ succo admisceto salsam aquam, & olei parum, atque inde linguam, & quæ sunt circa linguam, & fauces perfricato, donec uomat cui medebere, citò sanabitur. Alumen tritum ex posca gargarizatum, anginæ molestijs prodest. Lini semen, & anethum cum sale, & oleo, & aceto decoctum, bene contra faucium dolores gargarizabitur. Nucis iuglandis nuclei triti cum ruta, & oleo impositi, faucibus prosunt. Ruborum caules teneri teruntur, succusque eorum expressus, & in sole coagitatus, donec spissetur ad crassitudinem mellis, ab interiore parte faucibus, & gingiuis inlitus, plurimùm prodest. Pullus hirundinis siluestris, uel melius si ripariolæ, certè etiam domesticæ, assus, uel elixus comestus, anginam uelocissimè certissimeque sanat; adeo ut hominem ab hoc morbo per totum annum tutissimum præstet. Ad parotidas sedandas; asphodeli herbæ radix inuoluta lana fusca, & circa collum suspensa, remedio plurimùm erit. Brassicæ stirpes siue stipites arefactæ, uel combustæ, & in puluerem redactæ, & cum axungia uetere subactæ, atque emplastro alutario parotidibus impositæ, satis prosunt. Lupino crudo deme folliculos, atque ex eo farinã tenuissimam facito, quam melle subactam, uice malagmatis parotidibus adponas, continuò dolores tumoresque sedabis; idem pręstat, & cum aceto decoctus similiterque adpositus. Herba uerbena cum plantagine in ore contrita, adiecto modico salis, pro emplastro adposita, parotidas mirè discutit; quas cùm aperuerit, detracto sale sola contrita, & imposita, celeriter sanabit, nec cicatricem magnam faciet. Noctuę iecur diligenter seruatum, atque ex unguento nardino trito auriculis subinde infusum, celeriter parotidũ uitium omne persanat. Ostrei testarum combustarum cinis cũ melle impositus, parotidas citò soluit. Aqua marina tepida, uel ex marino sale infecta, parotidas spongia prius elue, tum calcẽ cũ axungia uetere subactã imponito, confestim sanabis. Spumæ argenti P. I. olei ueteris P. II. salis ammoniaci P. II. galbani P. II. simul hęc omnia permiscebis, ita ut spumã argenti in oleo decoquas usque ad crassitudinem mellis, tum adijcies salem, & pones, ut ferueat. item galbanum addes, & rursum pones, ut ferueat. postea simul omnia colabis, & recondes, & cũ opus fuerit, more emplastri miro remedio sedandis parotidibus utẽris. Vitium exustarum cinis cum cera, & resina paribus ponderibus adpositus, parotidis prodest, sed unà decoctus. Stercus columbinum tritum cum farina hordeacẽa ex melle subactum, & calidè adpositum, nascentes parotidas cõprimit. Adeps ursina pari pondere cũ seuo taurino, & cera permixta atque adposita, parotidibus mirum remedium est. Pingue laridi quod inter cutẽ, & carnẽ macrã est, si parotidibus adponatur, & illic ligetur, citò sanabuntur. Mus araneus si in orbitã inciderit, naturali fato illic detentus emoritur. hunc illic inuentũ, argilla, aut linteo, aut phœnicio inuolue, & ex eo ter circũscribe parotidas, quę in corpore subitò turgebunt, mira celeritate sanabis. Maluę radice lino, uel licio traiecta, aut arnoglossę, id est plantaginis radice similiter collo circũdata strumas sanari manifestũ est. Mentastri succus cũ uino gargarizatus frequẽter, strumas tumoresque discutiet. Farina hordeacea, pix liquida, cũ cera

Ad tonsillas.

Gargarisma.

Dracontion, herba proserpinalis.

Ad parotidas.

mirum.

arnoglossa, id plantago.

& oleo mixta percoctaque, adiecto pueriliſ lotio ſubacta, more emplaſtri impoſita, ſtrumas utiliter ſanabit. Galbanum impoſitum ſuper ſtrumas, facile eas diſcutit. idem prçſtat, & ſal ammoniacus adpoſitus, uel deſiore liquore inditus, aut inlitus. Contra omnes ſtrumas, & fœminis, & maribus utiliſſimum eſt, ſi cor lacertæ uiridis lupino argenteo clauſum in collo ſuſpenſum ſemper habeant. Fel bubulum, uel caprinum ad incipientes ſtrumas optimè facere experimenta docuerunt; nam penitus creſcere non ſinentur, ſi eo adſiduè tangantur. Cancri fluuiales combuſti triti, & cum melle adpoſiti ſtrumas diſcutiunt. idem præſtant, & teſtę echinorum ex aceto tritæ, & adpoſitæ. Si uolueris explorare, utrùm ſtruma ſit loci illius qui tumebit, antequàm medicinam adhibeas, lumbricum terreſtrem ad tumorem adplica, & poſtea ſuper folium pone; ſi ſtruma erit, lumbricus terra fiet, ſi non erit ſtruma, integer atque inlæſus permanebit. Sepiæ teſta minutiſſimè contuſa cum axungia uetere ſubacta, & impoſita, ſtrumis medetur. Naſturtium cum alumine contritum, inlitum, uel impoſitum, ſtrumis opitulabitur. Talparum capita reciſa cum terra ſua contunduntur, & pro emplaſtro adponuntur ſtrumis, utiliter proſunt; ob quod paſtilli inde facti, in pyxide ſtagnea reponi debent, ut præſto ſint cùm opus eſt. Calx uiua cum reſina liquida, & adipe ſuilla ſubacta, & addito melle impoſita, ſtrumis mirè medetur. Vngularum equinarum exuſtarum cinis cum oleo impoſitus, uel inlitus, ſtrumis medetur. Acu oſſea id eſt ſpiculo trygonis, quæ paſtinaca dicitur, ſtrumam ſępius punge, ſtatim areſcit. Ad ſtrumam ſedandam, buxi tenera, & cicutam teres, uel contundes, & cum axungia ſubiges, & in panno tenui inductum medicamen adpones. Virgulas teneras buxi, manipulum tenerum urticæ unipeciæ in ollam rudem biſextialem cum aqua mittes, & ad medias decoques. poſtea de aqua ipſa dormitum eunti ſtrumoſo calidum quantum pati poſſit, ſorbendum dabis, non tranſmittendum, ſed ad eum locum, qui dolet intra os tenendum. quanto autem diutius, aut calidius tenuerit, tantò citius ſanabitur. ſufficit autem ut ternas ſorbitiones ſingulis noctibus intra os teneat. Medicamen ad fauces curandas, ſic. rutæ ℈ VII. mentæ ſemunciam, folij ſemunciam, anethi tantundem, apij idem, cōliculi ſeminis idem, cucurbitæ, & marrubij idem, teres diligenter hæc omnia, & permiſcebis, & cùm opus fuerit, fauces inde tanges. Item puluerem ad idem, uel quæ intra os dolent, conficies ſic. piperis — I. folij — I. ſpicænardi ℈ XII. myrrhæ ℈ XII. coſti ℈ XII. caſſiæ fiſtulæ ℈ XII. aloes ℈ IIII. guttæ ammoniaci — I. dactylorum oſſa exuſtorum ℈ XII. ſalſarum ſardarum capita trita ℈ XII. rutæ ſeminis ℈ XII. mentæ ℈ XII. pulegij ℈ XII. anethi, apij, cōliculi, cucurbitæ, marrubij ſcripula duodena. omnia tundes, & cernes; & quæ urenda ſunt, ſuper teſtam combures, & teres, atque in uaſe uitreo repones, & cùm opus fuerit, ſicco eo uteris. Ad ſynanchen remedium ſic. cuniculum uiuum in olla rudi combures, & puluerē de ipſo cum coſto, & folio ęquis ponderibus miſcebis, & ſic in potione plenum cocleare de hoc puluere cum uino dabis, atque etiam fauces inde perfricabis. Caput uiperæ linteolò conligatum, colloque ſuſpenſum tolles, optimè ſanat, aut prohibet innaſci. Lac caprinum cum malua, & exiguo ſale decoctum gargarizatumque, tonſillis primè medetur. Menarum ſalſarum uſtarum de capitibus cinis ex melle inlitus faucibus anginam cohibet. Aqua in qua mus coctus fuerit, aduerſum anginas ſalubriter inſcio propinatur. Caninæ cutis corrigium ter collo circundatum, mirè anginam releuat. Multipedes cutiones, qui in ſtercore naſcuntur, quique contacti in globulis complicantur, adiecta tertia parte reſinæ, ualidiſſimè triti, & malagmatis uice impoſiti, incipientes parotidas aperiunt, & expurgant, maturatas uerò perſanant. Axungia uetus cum teſta uaſis ſalſamentarij contuſa ſubactaque, & adpoſita, collectionem parotidum laudabiliter diſcutit. Vulpinis teſticulis recentibus parotides perunctæ, citò diſcutiuntur. Muricum teſtæ uruntur, earumque cinis cum melle parotidibus ſalubriter imponitur. Fimo capræ axungia uetus permixta, & ſubacta, atque ut emplaſtrum adpoſita, parotidas perſanat. Calcis floris ſcripula III. allij ſpicas duas cum axungia tundes, & impones parotidibus malagmatis more. Naſturtium cum lomento contritum ſanat ſtrumas; etiam marrubium cum adipe mixtum adpoſitumque prodeſt. Exulceratis ſtrumis muſtelæ ſanguis rectè inlinitur, uel ipſa in uino decocta ſalubriter imponitur. Cocleæ quæ ſalinis inhærent, cum teſtis ſuis tunſæ, atque impoſitę ſtrumis efficaciter proſunt. Talpæ cinis ex melle inlitus ſtrumis, uel iecur eius inter manus tritum adpoſitum, plurimùm prodeſt. Strumæ optimè medetur radix uerbenæ, ſi eam tranſuerſam reſeces, extremamque eius partem laborantis collo ſubnectas, priorem autem partem in fumo ſuſpendas; areſcente enim ea, ſtrumę quoquè ſiccabuntur, & omnis earum humor areſcet. cùm ſanus fuerit, quem curaris, ſi tibi ingratus extiterit, utranque partem in aquam conijcito, ſtrumæ renaſcentur.

Vrticæ radices cum aceto coctæ contuſæque, ac ſubactę manibus, tepidæ imponuntur, incipientes ſtrumas continuò comprimunt. hęc autem cura non ſolùm diſcutiet prorumpentes ſtrumas, ſed & maturas, ita aperiet, ut omnibus radicibus penitus extractis, ad certiſſimam ſanitatem, ſine ulla cunctatione perducat. Adeps caprina cum calce ſubacta, & appoſita, ſtrumas ſtatim diſſoluit, & ſanat.

Lupus marinus, id eſt piſcis, tantę efficacię eſt aduerſum ſtrumas, ut ad quamlibet partem corporis admotus, ſtrumarum uitium omne perſanet.

Aduerſus languorem faucium, expertum medicamen hoc facies. piperis albi — I. naporum ſeminis — IIII. rutę uiridis ℈ VI. abſynthij gallici ℈ VI. laſeris optimi ℈ VI. mellis optimi ſextarium. de ijs tritis commixtis in unum, coclearium plenum dabis ieiuno uorandum, uel fauces inde continges. Apij ſeminis quantum tribus digitis comprehendas, tantundem & ſalis, & ſinapis alexandrini adijcies, rutę quoque uiridis puſillū, addes, & allij ſpicas V. hęc teres diligenter, & adiunges aceti

boni

boni quartarium,& dabis bibere ex aqua calida,si iam per dolorem faucium manducare non poterit. Adipis ueteris — I. turis grana III. laseris grana III. satureiæ pusillum,allij spicas XI. teres,& calefacies flammula tenui,atque inde collum eius,& fauces diligentissime perfricabis,qui de talibus laborabit.

Remedium ualde certum,& utile faucium doloribus sic.scribas in charta hæc:

Εἶδον τρίμεγα χρύσεον Τοκεαδον,
Καὶ τετρακέρατον Τουκάδον.
Σῶσόν με σῖμε νεκτίρων ὑπέρτατε.

quam chartam in phœnicio obuolutam lino conligabis, colloque suspendes; memimerisque, ut mundus hæc facias,& ne tertia manu scriptura tangatur.

Gallam tunsam,& cribratam,atque alumen utrumque æquis portionibus sumes,& prius in ollam nouam mittes,& mel bonum,atque alumen utrunque adijcies,& in unum decoques; atque inde orificia geusiarum,& fauces intrinsecus perfricabis. Vettonicam,argemoniam,uerbenam,rubum,senecionem, mentam,cucurbitam siccam,hinc amplius mittes sardæ caput assatum; piperis modicum; teres hæc omnia diligenter,& miscebis.& sic etiam per pinnulam delicatam faucibus inseres, mire hoc remedio carbunculum, & quidquid mali intra fauces erit,curabis. Olei boni cyathum unum,& succinum uerum,in ollam nouam mittes,atque ad medias decoques.deinde succinum tolles, & combures, & teres, & puluerē eius in oleum suprà scriptum mittes,& unà iterū diligenter teres, atque inde tollibus quotiens opus fuerit,adpones,experieris magnum remedium. Ad parotidas conuenit noctuę cerebellū butyro mixtū adponi,discutit enim fere eas sine dolore,& molestia;oportet autem per aquam marinam feruentem,nouis spongijs illic demersis,& linteo,uel sabano intorto,utrinque expressis,uaporare eas, atque ita oblinire hoc medicamentum, superque tegere lana sulphurata totam maxillam. Bene discutit parotidas iris illyrica contusa cocta ex passo,& more cataplasmatis farinę hordeaceæ,calida bis, uel ter in die imposita. Discutit,& hoc medicamentum parotidas antequàm suppurent,quod conficitur sic.spumæ argēti P.II. cerussę P. I. salis ammoniaci P. I. æris floris P. I. aceti ℥ I. olei ueteris ℥ II. spumam, cerussam, salem, per se,& cum aceto terere te oportet mortario marmoreo,deinde oleo admixto traijcere in caccabū amplum,ne extrà effundatur,& ad ignem ponere;efferuescet enim ualde. cùm hęc super ignē posita habuerint emplastri mollis temperaturam,deponi oportebit caccabum;cū uerò desierit feruere, paulatim aspergere æris florem,& mouere spathula medicamentum,ne extrà fundatur, & rursus coquere,donec habeat emplastri spissitudinem,debebis. Ad strumas benefacit radix cucumeris siluatici cocta ex aqua mulsa,& trita,atque ita imposita.hibiscum quoque eodem modo coctum,& impositum melius facit. Marini lepores oleo ueteri iniecti,benefaciunt discutiendis strumis;sed cum ipso oleo in plumbea pyxide clusi,quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet haberi.postea ex eo pinnula oblinēdæ sunt strumæ,superque eas pellis lanata non nimium tonsa, tegendi gratia imponenda est. præcipi autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet,aut inquinatas priusquam bene eluerit, ad os referat. Ad strumas,& ad duritias mammarum,mirificè facit hoc medicamentum, antequàm suppurent, & post suppurationem nihilominus utile est;accipit hæc.olei ueteris P. I. spumæ argenti P. unum,gallæ syriacæ P. II. mannæ P. I. & unciam,galbani P. I. cum oleo coquitur spuma,donec ceroti spissi habeat temperaturam,deinde admiscetur ei galla,& secundum hanc,manna. cùm emplastri habuerit spissitudinem, tollitur ab igni medicamentum, & cùm desierit feruere,paulatim galbanum miscetur, deinde linitur in aluta cùm opus est adponi,tertio uel quarto die soluitur,si nō suppurauerint strumæ,sed si apertæ fuerint, hyeme alternis soluetur,æstate quotidie. Malagma ad strumas, & ad omnem duritiam relaxandam mirificum,sic,resinæ terebinthinæ P. II. ceræ selibram,propolis,quam quidam ceram sacram uocant,P. I. galbani P. I. olei ueteris selibram, hæc omnia cum oleo ad ignem liquefieri oportet, & postea misceri uisci de quercu P.I. xiphij radicis,quod nos gladiolum appellamus, P. I. fęculæ putris, P. I. aphronitri libræ quadrantem, opopanacis P. I. hæc omnia ordine quo scripta sunt,trita cribrataque,in cacabum conijciuntur,opopanax oleo diluitur,& soluitur;ubi temperatum est medicamētum,manibus subigitur, linitur cùm opus est,aluta,& sic adponitur. Glandulis facies remedium sic;farinam,mel,crocum,& caricas,simul misce,& cōtere,atque unum corpus facito,& ita linteo inline,& super glandulas pone. Carmen mirum ad glandulas sic,albula glandula,nec doleas,nec noceas,nec paniculas facias, sed liquescas tanquam salis in aqua;hoc ter nouies dicens,spues ad terram,& glādulas ipsas pollice,& digito medicinali perduces, dum carmen dicis;sed ante solis ortum,& post occasum,facies id,pro ut dies,aut nox minuetur. Glandulas manè carminabis,si dies minuetur;si nox ad uesperam,& digito medicinali,ac pollice continens eas, dices;nouē glandulę sorores,octo glandulæ sorores,septē glandulæ sorores,sex glandulę sorores,quinque glādulæ sorores,quatuor glādulę sorores,tres glādulę sorores,duę glandulæ sorores,una glandula soror, nouē fiunt glādulę,octo fiūt glādulę,septē fiunt glādulę,sex fiunt glādulę,qnque fiunt glādulę,quatuor fiunt glandulę,tres fiunt glandulę,duę fiunt glandulę,una fit glandula, nulla fit glandula. Ad ea quæ faucibus inherebunt,remedium;si os aut arista hęserit gulę,uel ipse cui acciderit,uel alius,confestim ad focum adcurrat,& titionem uerset,ita ut pars eius quę ardebat,forinsecus emineat,illa uero quę igni carebat, flammę inseratur;conuertens uerò titionem,ter,dices remedij gratia te facere,uti illud quod hęserit in faucibus tuis,uel illius,quē peperit illa,sine mora,& molestia eximatur. hoc inter certissima remedia subnotatum est. Herba appellatur uincaperuinca,ex quia si fauces obligaueris dormitū eunti,eius cui aliquid ex ijs inhæserit, manè sanus consurget. Omnia quæ hæserint faucibus,hoc carmen expellet, Heilen

proſaggeri uome ſipolla nabuliet onodieni iden eliton. hoc ter dices, & ad ſingula expues. Item fauces quibus aliquid inhæſerit, confricans, dices, xi exucricone, xu, crigrionaiſus ſcriſumiouelor, exugri conexu, grilau. Si de piſce os faucibus hæſerit, ſpinam mediam eiuſdem piſcis infringes, & aliquam partẽ ex ea pollice, & medicinali digito ſuper uerticem eius cui os, uel ſpina hærebit, adpones, ſed utilius erit ſi neſcienti id facias. Ad os, ſiue quid aliud hęſerit faucibus, hi uerſus, uel dicendi in aurem eius qui offocabitur, uel ſcribendi in charta, quæ ad collum eius lino alligetur; quo remedio nihil eſt præſtantius.

Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
Ἐξ ἀΐδος πέμψειεν ἐπαινὴ περσεφόνεια.

Ad reumaticos efficax remedium, ſic; muſtela die iouis, luna uetere capta, uiua in olla rudi ita excoquitur, ut teri poſſit, & in puluerẽ redigi; qui pulluis collectus ex melle, & bene contemperatus, ieiuno reumatico ad diem per cocleare dabitur, ſed unius ligulæ menſura mirè proderit. Ad ſynanchen remedium efficax, ſic. rapæ ſeminis heminam, caulium ſeminis heminam, opopanacis ſemunciam, laſeris ℈ IIII. allij modicum, ſalis montani modicũ, omnia hæc diligentiſſimè trita, & melle collecta, laboranti dabuntur, menſura ac ratione, ita ut terna coclearia ieiunus accipiat.

Ad omnes moleſtias tuſſis, & ſubitæ, & diutinæ, ac uetuſtæ, & ſiccæ atque humidæ, & ad phthiſicos, atque eos qui ſanguinolentum, & purulentum excreant, & ad empyicos, uel pleumoniacos, atque eos quibus caſu ſanguiſugæ intra ſtomachum irrepſerint, nec non & ad ſtomachi ſtridorem, & ne media doleant, remedia phyſica, & rationabilia diuerſa de experimentis. Cap. XVI.

Paſtillus ad tuſſim, & deſtillationem pectoris, & pulmonis, & ad epiphoras oculorum, & ueſicæ dolorem, & quibus tubus ſtrangulatur ſæpius, & non ſine cruciatu urinam faciunt. Item ad eos qui ſanguinem ore eijciunt, aut per urinam reddunt, ad deiectionem quoque alui, & ad tormina, & grauedinem uentris, & choleram, & ſtomachi crebram nauſeam, quæ cum uomitu ſine febri excitatur, utilis eſt, & quidquid reprimi, & ſiccari oportet, optimè compeſcit; præterea facit, & ad omnium partium corporis dolorem, præter capitis; quin etiam ſi quando alicuius rei cauſa datum fuerit, aliæ rei uitio non erit hoc medicamentum. Cùm autem ad omnia quæ ſupra dixi, manifeſtè proſit, tum precipuè ad initia phthiſeos benefacit. multos enim eripuit ex magno periculo, interdum bis ter'ue datus hic paſtillus. recipit autem hæc, myrræ troglodytidos ✱ VI. croci ✱ V. thuris ✱ V. opij denarios IIII. alterci albi ſeminis denarios quatuor. apollinaris herbæ radicis corticis denarios IIII. contunditur hic cortex per ſe, & cribratur tenui cribro. deinde crocum, poſtea altercum, deinde myrrã, & thus, quibus miſcetur opium pridie in aqua maceratum, & ſubinde aquæ exiguum adijcitur, donec fingi paſtilli poſſint ad pondus denarij ſemiſſis; licet alij tertia huius ponderis detracta faciant paſtillos. dantur in noctem ex aqua, cyathis tribus, ſomnum faciunt, dolorem omnem ſedant, ut ſuperius dixi. oportet autem ex eo etiam catapotia fieri. quidam enim facilius ea, quâm potionem ſumunt, & non multum ad medendum intereſt. Catapotium, id eſt, medicamentum quod non diluitur, ſed ita ut eſt uoratur, ad tuſſim cum ſine modo defluit, conficitur ſic. croci ✱ III. myrræ ✱ II. opij ✱ I. contunditur crocum ſiccum, & cribratur. contuſæ, & cribratæ myrræ opium admiſcetur aqua exigua dilutum, poſtea adijcitur crocum; & cùm in unum omnia bene mixta ſunt, finguntur erui magnitudinis pilulæ. dantur in noctem ternæ, uel quaternæ; & ſi ſiccæ nõ potuerint tranſmitti, ex aqua calida modica dabuntur, & formabuntur ex aqua. Catapotium alterũ ad tuſſim aridam, ſic. myrrę, piperis, caſtorei, galbani, ſtyracis, opij, ſingulorum idem ponderis. Caſtoreum, & piper contunduntur, & cribrantur. deinde myrrã antè contrita, cæteris contuſis, & cribratis admiſcetur; ubi omnium unitas facta eſt, formantur pilulæ ex aqua uiſiæ magnitudinis. dantur cum caldę aquę modico, ternæ, uel quaternæ in noctem, ſed digeſtis. Aliud catapotium ad tuſſim ueterem, quod & ſuſpirio, & phthiſi tentatos, & lienoſos, & iecur durum habentes ſanat; idem inflationem tollit, & purgat mulierum ſi qua ex partu ſordida reſederint, conficitur ſic. ſtyracis ✱ VI. myrræ ✱ II. S. opopanacis ✱ V. reſinæ terebinthinæ ✱ IIII. alterci ſeminis ✱ I. iris illyricæ ✱ I. nitri ✱ I. piperis albi ✱ II. galbani ✱ II. opij ✱ I. irim, altercum, piper, contundere oportet, & cribrare. nitrum mortario terere, cætera pilo comminuere, & poſtea omnia permiſcere, ac facere catapotia magnitudinis fabæ. inde terna, uel quaterna in noctem, uel ſicca, uel ex calida aqua dare, quę & ad inflationes, diſtenſioneſque cum aquæ calidę cyathis tribus utiliter dantur. Ad eam rem remiſſior quidem paſtillus, ſed non contemnendus, accipit hęc. croci, myrrę, alterci, opij, pondera paria contuſa miſcentur deſpumato attico melli, fiunt paſtilli eiuſdem ponderis, ut ſuprà ſcriptum eſt; dantur iuxta ętatem, & uires in noctem; licet & hinc catapotia facere, propter eandem cauſam utile ſit, ſed tunc aquę mel adijcitur. Paſtillus ad tuſſim, & ad ſanguinem reijcientes, & ad ſtomachum ſolutum habentes; facit & ad deiectionem uentris, & ueſicæ dolorem. accipit hęc, apij ſeminis ✱ VI. roſę foliorum areſactorũ in umbra ✱ XII. myrrę ✱ XII. croci ✱ XI. opij ✱ IIII. apij ſemen, & crocum, & folia roſę contunduntur cribranturque, myrrã teritur, opium aqua maceratur, omnia deinde in unum miſcentur, aqua adiecta fiunt paſtilli ad pondus denarij ſemiſſis, aut tertia parte detracta; dantur ſtomachum imbecillum habentibus, & ſanguinem reijcientibus ex aquę frigidę cyathis duobus, cęteris ex calidę totidem cyathis dari debet.

Paſtillus ex odoribus, qui benefacit ad omnem internum dolorem, propriè autem ad tuſſim, & pectoris

deſtillationem,

destillationem, & oculorum epiphoras, facit & ad suspirium, & ad lateris dolorem, & ad phthisicos, uesica quoque uel renibus laborantibus, uel sanguinem de urina reddentibus cum dolore, utiliter datur; accipit hæc. cinnami, cassiæ, croci, singulorum ⚹ ternos, alterci seminis, & apollinaris herbæ radicis singulorũ denarios quaternos, piperis denarios II. opij denarios II. thuris denarios III. nardispicæ ⚹ II. uino falerno contusa, & trita hæc, ut debet, consparguntur; fiunt pastilli ad pondus denarij semissis, aut tertia parte detracta; dantur in noctem prout ægri uires sunt, cum aquæ calidæ cyathis duobus, aut tribus.

Medicamentum, quod per coclearium deuoratur, benefacit ad tussim aridam, & eos qui difficulter glutinosa excreant, & præfocari uidentur interdum. sed præcipuè prodest ijs, qui dolorem lateris cum febre sentiunt, quos Græci pleuriticos dicunt. liberat enim omni periculo eos. hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, & præceptoris nostri Valentis, nec unquam ulli uiuus compositionem eius dedit, quia magnitudinem opinionis ex ea traxerat; est autem hæc. mellis attici libram, piperis nigri denarios duos, myrrę troglodytidis, & cassiæ denarios singulos, stachyos nardi denarium I. cinnamomi hemiobolum; quod si non habueris cinnamomum, duplicem cassiam conijcies. piper contunditur diligenter, & cribratur; myrra teritur mortario marmoreo. postea utraque in unum miscentur, deinde mellis optimi despumati adijcitur quantum sufficiat, ut sit pseudoliquidum. dantur inde phthisicis coclearia quina uel sena, pleuriticis etiam plura, & sæpius; sed interuallo, hoc est non simul omnia dari oportet. & tum maximè, cum tussiunt, & præfocari uidentur, difficulterque spirant, siue etiam non tussiunt, & phlegma illis interius coquitur dari debet, protinus enim excreant quæ optant, & transitum spiritus habent, & tussire desinunt. Alterum medicamentum ad tussim aridam, conficitur sic. Nasturtij animati seminis unciam, alterci seminis unciam, opij denarium unum. myrræ semunciam, sulphuris uiui semunciam, piperis albi — I. melle colligitur hoc medicamentum, datur fabæ ægyptiacæ magnitudine ex cyathis aquæ calidæ III. in noctem; facit autem hoc medicamentum, & ad lateris dolorem, & ad stomachi inflationem grauedinemque, cœliacis quoque, qui subitò uniuersa deijciunt, prodest, & dolenti superpositum, uel circundatum denti, & si exesus est, in cauernam eius insertum, utile est. præterea ad horrores febrem præcedentes, quæ circuitum habent, datum ante horam accessionis, utilissimum est, sed prius corpore perfricato oleo calido. prodest, & ijs qui sine horrore circuitu febrium uexantur; quamobrem lexipyretos hæc compositio dicitur.

Alia compositio ad tussim aridam, & glutinosam, & difficulter excreantibus; purgat etiam interanea, uomicas & suppurationes; accipit hæc, lini seminis, urticæ seminis, nasturtij seminis; iris illyricæ radicis æquis ponderibus. hęc in puluerem redigi, & misceri oportet cum melle, & frequenter ieiuno per coclearium dari. Stercus porcinum siccum inligatum phœnicio, & collo suspensum, tussim molestissimam sedat.

Hyssopi — I. mentę siccę — I. pulegij sicci — I mellis decocti — II. marrubij — I. papaueris — I. sunt qui addunt, & sulphuris uiui semunciam, hęc trita permiscentur, ut pseudoliquida sint, & per coclear dantur, ita ut per triduum coclearia singula, qui tussit, ieiunus accipiat. Hederæ folia tria cum tribus granis piperis, ex uini cyatho, & aquæ calidæ quãtum sufficiat, prima die dabis, sequenti die folia quinque cum granis quinque, similiter ut suprà, tertia die folia VII. cum granis VII. similiter ut suprà; sed infirmo ex calda aqua dabis, mirabiliter tussim quamuis molestam, & uetustam sedabis. Ad diutinam tussim, quæ nunquã desinit, & satis molesta est, medicamen facies sic. laricis — I. piperis — I. croci — I. myrrę — I. marrubij tunsi succi quartarium, ficus siccas tres, mellis optimi quod satis esse ęstimaueris. coques, hec pariter miscebis, & cõteres, ac sic ieiuno triduo continuo coclearia singula dabis; miraberis remedium; sed si necesse fuerit, intermissis diebus iterum, ac sepius dabis; hoc etiam phthisicos sanat. Ad tussim ex perfrictione collectam, medicamen hoc utile est. aceti optimi heminam, aquę heminam, hyssopi ℈ VI. tandiu coques, donec ad medietatem decoquantur. tum heminam mellis boni despumati adijcies, & lento igne decoques, ut spissescat; antè tamen quàm mel adijcias, suprà scripta colare debes, inde terna coclearia ieiunus, & post cœnam accipies. Ad tussim remedium utile. resinam terebinthinam, & mel despumatum pari pondere permixta cum ouo leuiter decocto, debebis ieiunus haurire.

Pulegium siccum ad mensuram cyathi, & nasturtij tantundem in puluerem tenuissimum redige, & mellis optimi adijce quod sufficiat, ac decoque, & manè, ac uesperè coclearia inde singula accipe, miro aduersus tussim quamuis molestam, remedio uteris. Ad tussim nocturnam, & stomachi confirmationem, remedium probatissimum sic. caricas tres pinguissimas Africanas prima nocte accipies assatas super carbones, ita ut singulis caricis inseras piperis grana nouena lecta, & pulegij quod non fuerit in fumo, aliquantulum; sed caricas sic assare debes, ne comburantur penitus, sed ut resoluantur; & ea hora qua te in lecto posueris, tum eas accipe, & obserua ne quidquam postea loquaris, aut quemquam appelles, antequam obdormias; hoc obseruans per tres noctes facies. Ad tussim pręsentaneum remedium sic. radices rumicis minutę eius quę per campum se sternit, & mora fert paruula, colliges sine ferro, & earum P. III. in aquę ♉ XX. lento igne usque ad tertias decoques. deinde radicibus separatis, ponderabis aquam, & quantum separata aqua pensauerit, tantum mellis optimi despumati admiscere debebis; & rursus utrunque mixtum tamdiu decoques, donec mellis spissitudinem habeat. deinde admiscebis piperis optimi triti quantum ęstimes posse sufficere, ut sine molestia accipiatur, atque ex eo medicamine manè, & serò terna coclearia sumes. Marrubij fasciculum bonum in aquę congio ad medias decoque, & ex ea aqua adiecto mellis aliquantulo, ieiunus quotidie singulos cyathos, donec tussire desinas, bibe. omne genus tussis efficaciter curabis. Fœniculi radicem uiridem nitidam in pila lignea contunde, atque eius succum ieiunus cum uino uetere per dies cõtinuos nouem in limine stans bibe, ualidissimè aduersum

tussim quamlibet molestam tibi proderit. itidem proderit & puluis ex eadem radice sicca factus, similiter potus. Porri contusi succus expressus cum oleo decoctus & epotus, plurimum tussientibus præstat. Verbenæ herbæ arefactæ tunsæ atque cribratæ tenuissimi pulueris coclearia quinque maiora maioribus, minoribus pro ætate minora, sed sinceri ex uini aminei ueteris cyathis totidem, per dies quinque potanda dabis, febricitantibus ex aqua dari oportebit, mirè tussientibus proderit. Scillæ interioris medullæ teneræ contritæ succum cum mellis pari mensura decoque, & inde etiam si minimum, quantũ summus digitus recipere posit, ieiunus quotidie manè gustaueris, tussis molestia mire carebis. Tussis molestia citò liberabere, si obseruaueris remedium tale. piperis albi grana III. baccarum lauri grana III. in unum contunde, & adiectis aquæ calidæ cyathis duobus, ieiunus bibe. deinde piperis grana V. & lauri baccas V. ex aquæ ut supra cyathis duobus bibe, deinde VII. & VII. ex aquæ duobus, deinde IX. & IX. ex aquæ duobus. & si tam molesta tussis fuerit, ut non statim desinat, iterum deminuendo similiter facies, ut IX. & IX. & deinde VII. & VII. V. & V. III. & III. cum aquæ calidæ binis cyathis bibas. Cupressi baccæ numero impares quàm minutissimè tritæ & ex uino uetere ieiuno potui datæ, tussim potentissimè leniunt. eiusdem tenera cauliculorum à ieiuno commanducata, ita ut succus transglutiatur, mire sanant tussientem, si id adiectis semper impari numero cauliculis per triduum fiat.

Myrræ, styracis, opij, croci, pares mensuras conterito, & de contritis ac permixtis speciebus globulos ex aqua, cicerculi magnitudine facito, ac prius quàm dormitum eat, tussienti tria catapotia deuoranda, id est transglutienda dato; super quæ, tres aquæ calidæ cyathos potandos adijcito. hoc remedio nocturna tussi laborantem citò liberabis. Ventriculi gallinacei membranulam, qua sordes aqualiculi continentur, arefactam terito diligenter, & cum uino potui dato, humidam tussim sedabis. Tussim quamuis grauem maiorum natu intra quinque dies, paruulorum etiam intra triduum sanat, qui sulphuris triti quantum tribus digitis capere potest, in ouo semicocto sorbili per triduum ieiuno, aut per quinque dies dederit. Hyoscyami — I. sulphuris semunciam, fellis terræ — I. piperis — I. gentianæ — I. opij ℈ II. marrubij — I. mellis despumati quantum sufficiat, suprà dictis speciebus tritis cribratisque miscebis, ac leuiter decoques; inde si quis tussi grauiter conflictabitur, pastillum ad magnitudinem fabæ ieiunus manè hauriat, & in noctem cum calda aqua alium pastillum bibat, bonum ualde & utile remedium experietur. Scillæ bulbum unum purgatum tribus ferUORIBUS in aqua decoques, & ex eo quod fuerit tenerrimum, sumes — IIII. panacis & iris illyricæ, drachmas quaternas, ammoniaci — II. hęc omnia diligenter teres. sed scillam seorsum confricabis, tum omnia confundes, & mellis optimi despumati ad colligendum in unum medicamen, quod sufficiat, mittes, atque inde laboranti per coclearé bis uel ter diebus singulis dabis; intra dies VII. etiam sanguinem excreantem & uetustæ tussis molestia liberabis, dum aut deorsum purgatur, aut per uomitũ pituitæ interius collectæ humor effunditur. Folia ulmi quæ orientem spectant, cum piperis granis totidem, sed impari numero trita, & cũ falerno uino à ieiuno sumpta, etiam purulentas tusses potenter emendant. Salis quantum intra palmam tenere potest, qui tussiet, in potionem ceruisæ aut curmi mittat & calidum bibat cum dormitum uadit, neque postea loquatur, sed tacitus somnum capiat, citò sanabitur si hoc uel triduo fecerit. Millefolium tritum ex aceto potum tussientibus atque etiam stomacho ruptis & sanguinem excreantibus prodest. similiter prodest quinque folium tritum, atque ex aqua potui datum. Quinque ouorum incoctorum uitelli cum uini ueteris aut mulsi cyathis tribus permixti, & calidè per triduum poti, excreationes cruentas emendant. Nuces pineæ inanes contusæ in ollã mittũtur, & quot fuerint nuces, tot hyoscyami unciæ & aquæ sextarij adijciuntur; hæc ad medias decoquuntur, atque inde ad tussis remedium etiam phthisico bibenda ieiuno quotidie potio, etiam ex uino, si non erunt febres, salubriter dabitur. Si de tussi stomachum quis aut latera dolebit, herbæ uettonicę fasciculum cum suis radicibus in olla noua decoquat, cũ aquæ lixiuę ℔ duobus, donec ad tertias consummantur, atque inde dimidium cyathum frigidum cum dolore urgebitur, bibat. Vettonicam, nepetam, pulegium, ęquali mensura cum uini ℔ duobus, & salis pusillo, ad heminam decoques, atque inde laboranti tussi, & doloribus stomachi cyathos singulos ieiuno, ut per coclearé paulatim infundas, per triduũ dabis. Si quem tussis intolerabilis uexat, de lupi iecore arido uel exusto quantum uoluerit, conterat, adijciatque uinum, mel, & aquam tepidam, atque inde ad diem cyathum ieiunus bibat, intra paucos dies mirè sanabitur. Inuenta casu in uia portio de cribro, impari numero foraminum, collo inligata, tussi & suspirio remedio est. Ad tussim nimiam, & ueterem, remedium sic. marrubij sicci P. III. in ollam nouam fictilem mittes, & aquę fontanę ℔ XVIII. & decoques ad tertias. deinde ipsam aquam colabis, & in rudem ollam alteram mittes, atque addes illic mellis optimi ℔ I. piperis triti semunciam, & iterum ad tertias decoques, ut spissum fiat. deinde diligenter in uase uitreo repones, atque ex eo ieiunus terna coclearia quotidie sumes. ęquè prodest marrubij uiridis succus cum mellis despumati pari mensura decoctus, & coclearé pleno manè sumptus & uespere. Herba argemonia contrita, & ex uino uetere diluta, potui data, unicè tussientibus prodest; tamẽ, ut dixi, qui remediandus est, ieiunus accipiat. Betæ radix pipere adiecto conteritur, & ex eo ad piperis magnitudinem catapotia fiunt. inde bina ieiuno data deuorantur, donec tussis uitium consenescat. Fabæ solidę granum infusum in aqua, adeoque inflatum, ut plus humoris nequeat haurire, subitò deuoratum, tussim mirè tollit. Lotium humanum uetus adiecto croco, ut odor eius occulatur, exhaustum, ueteres tusses, & eos qui crassa pituita uexantur, emendat. Si cui saliua resiliens, tussim mouerit, aliquis ei in frontem sufflet, statim desinit. Ex ouo duro interius quod est, passo intritum, adiectis aquę calidę cyathis duobus, si antequã cubitum

cubitum eas,biberis,quietiorem à tuſſi maiorem partem noctis habebis, & eius potionis adſiduitate ſanabere. Faba freſa tuſſientibus,in qua allium coctum fuerit,maximè prodeſt,uel ex melle in cibo ſumpta,efficaciter remedium præſtat. ſed & purulentas excreationes cohibet & ſanat. Ficus ſiccæ tres cum hyſſopi modico,& paruo rutæ faſciculo,& quartario fœnogræci purgati, cum aquæ nitidæ ſextario propenſæ in olla rudi ad medias decoquuntur,& colantur, inde tres potiones per triduum tuſſi nimia laborantibus dantur,mirum remedium eſt. Seuum ouium decoctum,& cum uino auſtero depotum, tuſſi medetur. Sandaracha quoque cum reſina terebinthina ex ouo ſorbili ſumpta,tuſſim remediat. Vettonicæ pollinis drach. I I. in paſſi cretici cyathis duobus permixtæ aqua calida,utiliter aduerſum tuſſim bibuntur. Palmare remedium ad tuſſim ſic. fœniculi ſicci triti ℈ I X . anethi ſimiliter ℈ I X. opij hiſpani ℈ I I. hæc iuncta ex melle optimo temperabis,& ex eo nucis auellanæ magnitudine cũ aqua calida manè ieiuno , uel etiam digeſto ad ueſperam dabis. Valde bonum & utile ad tuſſim qualemlibet,hoc remedium eſt;apij ſeminis ℈ I I I I. hyoſciami ℈ I I. anethi ℈ I I I I. opij ℈ I I . mellis quod ad colligendas,& glutinandas ſpecies ſuprà dictas ſufficiat, cùm in puluerem fuerint redactæ. Tuſſi & cruditati medetur hoc medicamen.coſti — I I I. cinnami — I I. piperis ℈ V . item piperis longi ℈ V. opij ℈ I I. croci — I. mellis quod ſatis ad hæc trita temperanda,& catapotia facienda,quę cum calda aqua & manè,& ſerò,ſed interiectis uicibus dari oportet , quod ſimiliter , & de ſuprà ſcripto medicamine fieri debet. Aquam in qua rutam,& hyſſopum,& roſam ſiccam,decoxeris,uino immiſce,& ita bibendam ieiuno offer tuſſienti,citò ſubuenies. In ouum ſorbile maſtichę puluerem mittes ; ſed opus eſt, ut mox coagitatum ſtatim ſorbeas,ne dilatione fiat cruſta;quo exhauſto,facilè tuſſim ſedabis , ſi id ſæpius feceris. Fabæ grana quinquaginta toſta in furno,piperis totidem tundes & cribrabis, & pulegij tantundem menſuræ, quantum fabæ eſt, in puluerem rediges,ac ſimul melle conſparges,& coques in olla rudi atque agitabis,ne comburatur.poſtea de tepefacto medicamine per ſeptem dies ſingula coclearia, ſiue manè,ſiue ſerò,tuſſi laborantibus dabis,citò ſubuenies. Herba centauria trita ex uino dulci bibitur,mirè prodeſt etiam ijs qui ſanguinolentum,aut purulentum extuſſiunt,quos phthiſicos dicunt. Vuam paſſam enucleabis ad ponderis libræ ſextantem,& diligenter teres ; adijcies ſinapis optimè ſeparatim triti libræ ſextantem,ac deinde adiecto aceto ſcillite,cum mellis modico teres,& miſcebis, ita ut eam ſpiſſitudinem habeat,ut paſtilluli fieri poſſint,nō tamen grandes;inde qui phthiſi & diutina tuſſi laborat , ſingulos cum calda aqua ieiunus manè,& ſimiliter dormitum uadens ad ueſperam ſumat. Cerui pulmones cũ ſuis gurgulionibus,uirgulis tenſos,in fumo,donec areſcant,ſuſpende, & ex ijs aliquid cōtuſum tritumque diligenter adiecto melle,ecligmatis modo phthiſico dato, quem ſanari citiſſimè uoles. Lacerta uiridis uiua immiſſa in uas fictile nouum,& cum uini 8/ I I I. decocta ad cyathum unum, incredibiliter phthiſico prodeſt,ſi ex uino eo manè ieiunus bibat cocleare unum. Qui phthiſi laborabit,laſer tritum in aqua tepida ieiunus quotidie bibat,potenter remediabitur. Cancros marinos impari numero exuſtos uel aridos tritos,& baccas laureas impari numero tritas,adiecto melle atque adipe anſerina remiſſa, æquis ponderibus,uniuerſa permixta,unum corpus facies,atque ęqualiter in duodecim partes diuides,& in cibo,aut in potione laboranti phthiſico dabis,mirè proderit. Oua incocta duo in calice diffundes,& deijce olei optimi ℈ I I . & axungiæ uetuſtiſſimæ in trulla ad calidam remiſſæ ℈ I I . & coagitato, ac permixtum phthiſico tepidum quotidie da bibendum,donec ſanetur , ualde proderit. Qui phthiſi adficiuntur, maritima loca uitare debent,atque illic maximè,ubi pix conficitur,commorari,ibique coclearum carne cũ uino excoctarum adſiduè ueſci. Picem præcoquam,ſiue quam uiſcoſam uocant , & rubricam ſcythicam,quam alii piſſaſphaltum uocant, cum ſeui ceruini remiſſi cyatho uno , & lactis bubuli,uel ouilli pari menſura,ſi quis iam periclitanti phthiſico in potu,uel in cibo quotidie dederit,mirè ei ſubueniet. Mus gliris degluptus,& cum oleo,ac ſale aſſatus,pleumoniticis,uel empyicis cibo datus,mirè ſuccurrit;eos quoque qui purulenta excreant celerrimè ſanat. Marrubij uiridis faſciculum, & ambroſiæ faſciculum, & abrotani faſciculum,mitte in ollam ſemodialem nouam,& uini 8/ I I I I.& decoque ad ſextarium,tum exprime herbas,& cola,& adijce in ollam mellis optimi ſextarium,& poſtea decoque ad craſſitudinem mellis;ex eo uteris ieiunus quotidie plena ligula ad ſanguinis reiectionem ſedandam,& ad ſtomachum confirmandum. Butyrum nitidum,& tantundem mellis optimi deſpumati coquito,donec color ruffus ſit, & in pyxide cornea reconde, atque inde manè ieiuno ſingula coclearia dato , qui pulmonis exulcerati uitio fœtidum olet,uel purulentum,& fœtidum excreat. Axungiæ ſuillæ uetuſtæ unciæ tres , ex uini uetuſtiſſimi cotyla una decoctæ,potui phthiſicis datæ, potenter remediantur. Anethi ſicci ueteris puluerem,& reſinæ pityinæ puluerem,cum adipe uetere anſerino,aut gallinaceo , edendum manè ieiuno empyico coclearia tria,& ueſperè tantundem dabis,mirè ſubuenies. Ad eos,qui ſanguinem excreant, remedium efficax ſic. turis maſculi diligenter triti,drach. II. ammoniaci unam,cum aceti hemina ſimul cōtemperabis,ita ut bibi poſſit,& laboranti ieiuno hæmoptoico dabis. Si quis purulentum tuſſit , ouũ crudum cum pari menſura ſucci de porro ſectiuo expreſſi,tantundemque optimi mellis permixtum, calefactum ieiunus ſorbeat. Ad excreationem cruentam remedium ſic. cocleæ elixatæ teruntur, & ex aqua calida à ieiuno bibuntur;nec non ad idem cocleæ inloeæ ex aqua marina coquuntur , & deuorantur. Phthiſicis & empyicis prodeſt aqua, in qua cydonea mala cocta fuerint, adſiduè propinata. ipſa etiam ſi incocta mãducentur,iuuent. Spongiæ africanæ exuſtæ cinis cum ſucco porri ſectiui hauſtus, empyicos ſanat. Rafani cocti cibo ſumpti, ſanguinolentas excreationes celeriter emendant. Gummi optimum in ore ſolutum,& deglutitum,ſummo empyicis remedio eſt. Ruborũ in quibus mora naſcun-

tur cauliculi teneri tunduntur, ex ijs ſuccus exprimitur, qui in ſole ad craſſitudinem mellis ſpiſſatuſ agitatus; hic hauſtus ſanguinolentam excreationem efficaciſſimè cludit. eorũdem ruborum cauliculi teneri ex uino auſtero diſcocti, eduntur. idque uinum etiam merum potatum, ſanguinolenta excreãtibus prodeſt. Coagulum ceruinum, ſiue leporinum, ſiue hedinum, in potione ſolutum bibitur utiliter ab empyicis, uel hæmoptoicis. ceruini quoque cornus exuſti cinis in potione datus, ſimiliter medetur. Bubulus ſanguis, uel hædinus ſanguis recens cum pari menſura aceti diſcoctus, ſanguinem excreantibus prodeſt, ſi per cocleare adſiduè deguſtetur. Glutinum quo charta glutinatur, calidum, in modum ſorbitionis hauritur, uel ex aqua calida ſanguinem excreantibus datur. Nuclei amygdalarũ, triticum, amylon, & menta, trita in qualibet potione utiliter ab hæmoptoicis, uel empyicis hauriuntur. Semen ſalicis tritum, & ex uino auſtero ſumptum, ſanguinem tuſſientes ſiſtit, & uitium potenter emendat. Hederæ baccæ, quæ ſunt luteæ, impari numero tritæ, & ex aqua tepida potæ, phthiſicos ſanant. Herbæ uettonicæ folia in umbra areſacta, & tunſa cribrataque reponito, atque inde laboranti uulſo uictoriati argentei pondus ex paſſo bibendum ſæpe præbeto. quidam quo potentius herbæ huius auxilium facerent, adiecto melle, cribratum puluerẽ comprehenderunt, atque inde fabæ magnitudine dederunt laborantibus, phthiſicis, uulſis, & reumaticis, eoſque qui etiã purulenta excreabant, incolumitati ſolidæ reddiderunt. Ad phthiſicos remedium, & præſens, & maximum; nam etiã uitæ dubios ſanat, & quibus ſpes ſupereſſe nulla uideatur. equi ſaliuam, uel ſpumam cum aqua calida bibendam per triduum dabis, etiam quem tuſſi intoleranda, & diutina laborare uideris; hoc remedio liberabis; ægrũ quidem ſine cunctatione ſanabis, ſed equũ mors ſubita conſequitur. Oua cruda duo in calicem uerguntur, eò adijciuntur olei optimi — V. gari floris — V. paſſi cretici — V. cúmque hæc in calicem conieceris, axungiæ uetuſtiſſimæ — V. in uaſe, igne diſſolues, eundemq́ue liquorem calidum cæteris rebus adijcies, omniaq́ue pariter ſuper aquam feruentem remittes, & calida phthiſicis bibenda præbebis. Herbæ ſenecionis uiridis contuſæ, & expreſſę ſuccus ad menſuram cyathi unius per dies ſingulos potui datus, phthiſicis miro remedio eſt, ſi interiectis diebus, uel ſepties propinetur. Rutæ teneræ contritæ cum ramuſculis ſuis, & expreſſæ ſuccus, cum aliquantulo bitumine, ex uino uetere calido, phthiſicis celeriter, ſimiliter, & empyicis in potu medetur. Antidotum phthiſicis incomparabile, ſic. piperis albi ℈ III. myrræ ℈ I. opopanacis ℈ I. turis maſculi ℈ I. opij ℈ I. croci ſiculi ℈ I. zingiberis ℈ II. laſeris ℈ I. rutæ ſiccę ℈ II. abrotani ℈ II. narciſſi ℈ II. uettonicæ ℈ II. marrubij ℈ II. pulegij ℈ III. mellis deſpumati optimi ℥ I. uini amineį quartarium, papaueris triti ℈ I. ex quocunque liquore hoc phthiſicis propinatum, ualde prodeſſe memoratur, ita ut de contritis diligẽter mixtiſque ſpeciebus, catapotia fiant magnitudine fabæ, quæ aut integra haurienda, aut liquefacta dentur, & manè & ueſpera. Trochiſcus dielectru prẹſtantiſſimus, ad hæmoptoicos, id eſt ſanguinem, uel excreantes, uel uomentes, uel eos qui maximè cum tuſſi ſanguinem iactant; huius confectio ſic. croci ℈ X V. ſuccini ℈ X V. maſtiches chiæ ℈ X V. iris illyricæ ℈ X V. opij * II. S. pſyllij, quod eſt ſemen nigrum, minutum, pulicibus ſimile — II. S. hoc ſemen coques in hemina aquæ, donec denſa fiat, quemadmodum de lini ſemine, quam colabis poſtea, & reliqua omnia trita ex hac aqua colliges, & formabis trochiſcos habentes maximos ℈ IIII. S. alios ℈ III. S. minimos, uſque ad ℈ I. S. Ita ergo facies, ut pro ætate unuſquiſque, & pro corporis firmitate accipere poſſit. Ad eos qui ſanguiſugas inſcij deuorant, cimicum in carbonibus poſitorum fumus remedio eſt, ſi ore hianti, & faucibus apertis excipiatur; eijci enim, & expelli deuoratas ſanguiſugas hac ratione, certiſſimum eſt. In eo aceto, in quo prius ferrum feruens ſit extinctum, butyrum miſſum, & calefactum paulatim, ſi abſorbeatur, eijciet de ſtomacho ſanguiſugas. Ad ſtridorem pectoris deponendum, ſinapis optimi triti cyathos duos, & mellis optimi deſpumati cyathum miſcebis, & ieiunus die calido, aut in loco tepido gargarizabis, & ſines patenti ore humorem decurrere. Ne media doleant, luna ſeptima decima ſemper allij incocti terna grana purgata tranſgluti, mirè proderit. Corallium tritum ex aqua potui datum, reiectionem ſanguinis reprimit. cui rei, & caſtaneæ medentur, ſi coctæ quàm plurimæ manducentur. Ad tuſſim, Vindiciani medici remedium, ſingulare. ſulphur uiuum teres, & inuolues de axungia porci uetuſtiſſima, & dabis ut tranſglutiat tres pilulas prima die, ſecunda duas, tertia unã. tales autem pilulæ erunt, ut facilè tranſuorari poſſint; hoc remedium etiam equis tuſſientibus prodeſt. Ad tuſſim remedium efficax; herba quæ gallicè calliomarcus, latinè equi ungula uocatur, collecta luna uetere liduna die iouis, ſiccata prius, in ollam nouam mittitur cum prunis ardentibus, quæ intra ollam mitti debent; ſuperficies ſanè eius argilla diligenter claudi debet, & calamus inſeri, per quem humor, uel fumus caloris hauriatur intra os, donec arteriam omnem, & ſtomachum penetret. Compoſitio ad tuſſim. mellis deſpumati P. I. anethi ſeminis — III. piperis — I. hæc diligentiſſimè trita miſcentur melli, ut cùm uſus exegerit, bis in die terna coclearia qui tuſſi laborabit, accipiat. Compoſitio ecligmatij ad pulmonem corruptum reparandum. marrubij faſciculum unum, hyſſopi faſciculum I. glycyrizę — III. iris illyricę — III. inulæ — III. nuces pineas reſinoſas V. aquę ℥ VI. mellis P. V. omnia hęc in aquam nitidam infundes, ita ut ad tertias coquantur, hoc eſt, ut ſimul uniuerſa ad triſextium ueniant, poſteaquàm addideris ſuprà ſcriptũ mellis pondus, ut ad mellis ueniant denſitatem; de quibus colatis, & in uitro cõditis, terna manè coclearia, terna ueſperè, qui ſuprà dicta ualetudine laborabit, accipiet. Deſcriptio ecligmatij ad pulmonem curandum. herbę gladiatoritię ſuccus, lilij ſiluatici ſuccus, marrubij ſuccus, ęquis menſuris parabitur. deinde quantum de tribus ſpeciebus fuerit ſucci, tantùm mellis mittetur, ita ut poſtea in ſextarium huius permixtionis tria coclearia olei uiridis mittantur; quod tandiu poſtea coquetur, quãdiu medicamen ad menſuram

suram mellis ueniat. ex hoc ieiunus accipiat terna coclearia, & post cœnam terna, qui pulmonis uitio laborabit. Confectio unctionis ad ipsam pulmonis causam, olei mollis ℥ I. cymini quartarium, lento igni tam diu coques, quamdiu cyminum percoquatur; quod postea colabis, & addes olei chamęmelini heminā, olei anethini quartarium, olei rosei quartarium, olei ranacei heminam, medullæ ceruinæ recentis — III. adipis anserinæ atque porcinæ recentis — VI. butyri recentis sine sale — VI. ceræ punicæ — III. hæc omnia ad uaporem soluta miscentur, & quando æger ungi debet, tolles ex eo — VI. ad triduanā unctionem, & addes illic succi de fœnograeco — II. febri fugiæ — II. lactis humani quartarium; quod lac sub hora qua æger ungendus est mittatur, nec calefaciat cum cæteris speciebus, & iacens in lecto ungatur lenta satis manu; sed ante lucem postquàm unctus fuerit, statim lac uaccinum bibat eadem hora mulsum, non coctum, dum calet.

Ad suspiriosos, uel ad dyspnoicos, & omnes causas arteriarum, de quibus ruptis sanguis emanat, & ad uomitus restringendos, & prouocandos, & ad sitim arcendam, & ad singultus inhibendos, & ad reumaticos, & uulsos, remedia rationabilia, & physica diuersa de experimentis. Cap. XVII.

Ad suspirium facit bene acetum, quod scilliticum uocant, cocleario ter quaterue sumptum ad diem. prodest & scilla argilla circundata, & furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, & quod eius tenerrimum est, tritum, adiectis mellis attici duabus partibus, & aceti boni una parte, atque ita decocta, & per ligulam unam semel in die sumpta. Profuit multis ad suspirium, uel dispnœam depellendam, pulmo uulpis, uel iecur in olla fictili exustum, atque ad cinerem redactum, & datum ad diem ieiuno, mensura coclëariorum trium, cum aquæ cyathis tribus, si febricitabit; si sincerus erit, ex uino uetere. profuit, & pulmo ceruі eodem modo arefactus, & datus. Prodest suspiriosis hoc medicamentum euidenter, aluminis fissi * VI. opij * I. aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini antè trito. fiunt globuli ciceris magnitudine, dantur ieiuno ante cibum quaterni, aut quini. hoc medicamentum, & ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit, & ad ueterem tussim, & ad phthisicos, uel purulenta excreantes. Hoc quoque medicamentum ad suspirium satis commodè facit; sulphuris * I. nitri * I. abrotani, quod tribus digitis comprehendi possit. hæc contunduntur, & teruntur curiosè, cùm opus est, dantur ex ijs ieiuno coclearia duo cum duobus cyathis aceti calidi. Aliud medicamentum strumis, & suspirio efficax, facit autem, & ad lumborum diutinum dolorem, & ad paralysin, & ad hydropicos, & ad lienosos, cōficitur sic. broniæ, id est albæ uitis radicis, * XII. iris illyricæ * XII. ammoniaci guttæ * XII. asparagi radicis * VI. scillæ bulbi crudi tenerum ex interiore parte * XII. tragacanthi * VI. ijs mellis miscetur quod sufficiat, sed prius contusis diligenter, & tritis, donec ceroti habeant temperaturam. inde cum opus est, datur ieiuno * I. cum aquæ mulsæ cyathis tribus.

Balsami semen tritum potum ex uino, prodest suspiriosis, caducis, phreneticis, pleuriticis, & ad omnia uitia, quę in thorace subsistunt, pulmonis, & suspirij causis medetur. Thymum tritum potum ex uino, extenuat, & calefacit quæ sunt in stomacho grauia, unde suspirium nascitur, uentrem quoque releuat, sanguinem extenuat, & quæ sunt glutinosa, & hęrentia in thorace, & faucibus detrahit. Origanum cum croco tritum, potatumque cum uino, suspiriosis prodest. Hyssopum quoque aridum cōtusum, & cretum, ex aqua, aut uino, aut aceto, aut melle datum, aut decoctum cum aliquo suprà dictorum liquorum, suspiriosis medetur. Marrubium aridum tritum cum mellis cocleario sumptum, uel succus eius potus, æquè suspiriosis remedio erit. Chamedrys extenuata tritaque, & pota, prodest suspiriosis, quæ propter crassitudinem suam, liquore aliquo, etiam aqua extenuari debet, & sic accipi. Herba tiniatica contusa, & ex melle cocleario sumpta, suspiriosos curat. rutæ quoque atque herbæ blattariæ succus per se datus, aut radices earum incoctæ aqua, & potui datæ, similiter prosunt. necnon, & capparis radices idem præstant, si ut suprà scriptum est, accipiantur. Resina terebinthina deuoratur ad magnitudinem fabæ ægyptiacæ, ab eo, qui suspirio laborat, uini cyatho supersumpto, quæ res magno remedio est. Centaureæ tenuis succus, quantum nux auellana recipit, cum aqua mulsa datus, uel ianthidis herbæ quæ humidis locis nascitur, unius fruticis folia trita cum cyatho aquæ data, suspiriosis plurimùm prosunt. uino uti oportet suspiriosos in quo centaureæ, absinthij, origani, & tragorigani, & hysopi, & thymi, & pulegij, & rutæ fasciculi retracti fuerint decocti. Cupressi pilulę tritę, potę ex uino, faciunt bene, non solum ad suspirium, sed & ad iocineris, & pectoris, & uuluę dolorem, si fœminis dentur; folia autem eiusdem cum ruta trita, & pota, pectoris tollunt dolorem. similiter cortex, & radix cupressi decocta, ad eadem prosunt; sed faciunt, & ad phalangiorum morsum, si extrinsecus imponantur, emplastri more composita.

Acetum ex scillæ bulbo factum, mirificè prodest suspiriosis; similiter acetum ex thymo, origano, pulegioque confectum prodest, si assiduè degustetur. utiles sunt inter initia, quamuis molesta, suspiriosis sorbitiones de porro capitato factę, & ex urtica atque nasturtij semine. perungi autem eos oportet rebus calefacientibus certè pyretro cum oleo decocto. gestationes quoque per uiam myrteam prosunt, & si super lectum suspendatur illis myrtus, remedio erit. + Ad suspiriosos remedium salutare; spumā de ore mulę collige, & in calicem mitte, atque ex aqua calida, siue uiro, seu fœminę, quę hanc molestiam patitur, continuò da bibendam, homo statim sanabitur, sed mula morietur. Ad suspiriosos sanandos, fel ursinum aqua dilutum, bibendum optimè datur, intra paucos enim dies potenter medetur. Ad suspiriosos re-

medium potens. herbæ ſalutaris faſciculum, & ficorum africanorum aridorum ſelibram, ex aquæ fluuialis heminis tribus decoquito ad heminam, eamque potui dato per triduum. Ad ſanguinis eruptionem ſiue ex arteria, ſiue ex pulmone, uel pectore, benefacit ſymphyti radix, quam quidam inulam ruſticã, quidam alium gallicum uocãt, lota hac aqua frigida, & raſa cultello eburneo, uel oſſeo: datur ſextans libræ ex ea, aut eo amplius, uel quantũ potuerit, debet manducare, & deuorare, cui opus eſt; neque enim amara eſt: oportet autem eo die acetum non guſtet, quod interdum per ſe ſolum magnificè ſolet prodeſſe. ſed huius radicis effectum reſoluit, ſi cum ea detur. Benefacit ad arteriæ eruptionem, polygoni ſuccus cyathorum duum, aut trium per triduum datus. & plantaginis tritæ eodem modo datus ſuccus, plurimũ prodeſt. cretæ quoque ſamiæ denarius unus, ſumptus ex aquę frigidæ, rigore detracto, cyathis tribus, ualidiſſimè iuuat. herbæ etiam polygoni, quæ, ut opinor, tiniaria uocatur, faſciculus, quantus manu comprehendi poſſit, in tribus heminis aquę decoctus ad tertias, rectè medetur eruptioni ſanguinis ex arterijs, ſi quis inde laboranti cyathos tres ieiuno per triduum dederit. oportet autem ſentienti uulnus interius, loco ipſo ſed à foris, ſpongiam cum aqua frigida recenti imponere, uel ex aceto acri; ſed frequenter mutare, ne concalefacta noceat; & uetare artus conſtringi, quod plerique medicorum faciunt, ignorantes quia incitatur ſanguinis eruptio muſculorum compreſſione. quandoquidem omnis conſtrictio in utranque partem exprimit uenam. Faciunt, & compoſita medicamenta ad ſanguinis eruptionem, quorũ hoc eſt præcipuũ; acaciæ ſucci uncia, hypocyſtidos, qui eſt ſuccus roſæ ſiluaticæ, quam caninam quidam uocant, uncia. Balauſtij, qui eſt flos mali granati, quo coriarij utuntur, uncia, opij ſemuncia. Balauſtiũ contunditur, & cribratur, uel ſiccũ in mortario teritur; cętera pridie macerata in aqua cõmiſcentur diligẽter, & paſtilli inde fingũtur quidã maiores, qdã ad denarij ſemiſſem; dantur reſoluti iuxta ætatem, uel uirtutem infirmi ex aquæ frigidę cyathis tribus, aut duobus. hic paſtillus benefacit, & ad dyſentericos, & ad torminoſos. Alter paſtillus ad ſanguinis eruptionem mirificè faciens. accipit hæc; tragacanthi ✱ IX. ſamiæ cretæ ✱ VII. rutæ ponticæ ✱ IX. glycyrizæ ſucci ✱ V. ſymphyti ſucci ✱ VII. gummis ✱ IIII. hypocyſtidos ſucci ✱ VII. turis ✱ V. aluminis liquidi ✱ V. opij ✱ V. amyli ✱ VI. myrræ ✱ V. croci ✱ VII. plantaginis ſucci ✱ III. & paſſi myconij quod ſatis erit; tritis diligenter ſuprà ſcriptis ſpeciebus miſcebitur. fient paſtilli ad denarios ſingulos, & ad ſemiſſes, qui pro ætate, aut uiribus infirmi ex aquæ tepidæ cyathis tribus ieiuno dabuntur. Ad reiectionem ſanguinis ex ore manantis, ſymphyti radix in uino decocta ſalubriter bibitur. liguſtri quoque ſuccum ieiuno per triduum dato, ſtatim ſubuenies: quæ res, & torminoſis, & dyſentericis eſt ſalubris. Si ex quocunque corporis loco ſanguis per abundantiam nimiam exuberet, & fluat, herbæ ſabinæ ſuccus quantus uidebitur, ſiue uiridis, ſiue ſiccæ contritæ, ex uino picato uetere optimo, ieiuno per triduum dabitur; ſanabit hæc potio etiam in uitæ diſcrimine conſtitutum. facit autem, & ad colicos, & ad dyſentericos, quibus tamen decocta datur. Qui ſubito ſanguinis uomitu laborat, corallium contuſum, & in puluerem redactum, ex potione mixta calida bibat. Ad uomitum nimium reprimendum, ſulphuris uiui puſillum, & ramenti de cornu cerui tantundẽ, in ouo ſorbili tritum, & permixtum bibi utile eſt. His qui cibum non continent, aloes minimum cum frigida aqua potui datum, plurimum prodeſt. Perſonaceæ herbæ radix contuſa, adiecto modico ſale, & uino ſparſa, & quotidie recens impoſita ſuper tumorem ſtomachi, uomicas omnis per ſudorem emanationeſque occultas potenter expurgat. Mandragoræ drach. hyoſcyami tantundem, opopanacis idem, croci ſiculi tantundem, myrræ atque turis ſimiliter, gummis itidem; omnium ſpecierũ pares menſuras tere diligenter, & in puluerem tenuiſſimum redige, atque ex uino uetere collige, paulò craſſius quàm ſpiſſitudo ſit mellis; ex eo medicamento ad menſuram uictoriati, id eſt dimidium drach. dabis ruptum, & infirmũ ſtomachum habenti in tribus cyathis aquæ calidæ eunti dormitum; beneficium remedij prima ſtatim potione ſentitur, ſecunda incredibilis profectus eſt, tertia curatio omnis potentiſſimè explicatur. Ouum incoctum in calicem defunditur, & teſta eius ſucco marrubij impletur, & in ipſum calicem defunditur, & mellis optimi deſpumati tantundem; omnia hęc in ſe permiſcentur, ac tepefacta hauriuntur, miro modo uomicas rumpunt, & ad ſanitatem laborantem ſtomachum perducunt. In ouo ſorbili cimicem unũ contritum ieiunus ignorans qui ſorbeat, deſinet uomere, hoc ſæpe expertum eſt. Compoſitio medicaminis ad arteriam ſanandam, ſic. coſti ℈ III. ſpicænardi ℈ III. piperis ℈ III. radicis lappæ maioris, id eſt herbæ perſonaceæ ℈ III. hęc omnia ſimul teres, & ieiuno in balneo ex uino candido bibenda protinus dabis. Herbæ uettonicæ folia arefacta contuſa cribrataque proſunt ſuſpirioſis, ſi ex eo puluere coclearia ſingula ex aquę calidę cyathis duobus ieiuni interiectis diebus, donec ſanentur, biberint. Aqua quę in arborum lacunis cauiſque corticibus conſiſtere conſueuit, ſuſpirioſo potui data, celeriter eum ſanabit, atque omni periculo liberabit, ſi adſiduè, uel ipſa pura calida, uel mixta potetur. Sitim quamlibet moleſtam reprimes, ſi aquam tepidam cum oleo permixtam biberis, & continuò uomueris, denuoque, ſi neceſſe fuerit, id facies, quo ſitis maxima conſeneſcit. Gallinacei oui uitellum ſemicoctum, oleoque permixtum ſi quis ſorbeat, ſitire deſinet. Lapidem de aqua fontana ſublatum ſtatim ſub lingua pone, & illic aliquandiu tene, ſitire deſines. Glycyrizę ſurculum paruum ſub lingua habeto, & ſaliuam quę creuerit, tranſglutito; quo facto, neque ſities, neque os tibi inareſcet. Ad ſingultus inhibendos, feſtucam quam bibens in calice acceperis, protinus ſupercilio ſiniſtro imponito, continuò remedium experieris. In aquam calidam manus miſſæ, diuque illic retentę, ſingultus crebriores inhibere dicuntur. Annulus in ſiniſtra manu in medio digito poſitus, uel ibidem tranſlatus, ſingultus ſtatim compeſcit. Si quis ſingultiens, aceti ſcillitici cocleare plenum acceperit, ſtatim ſingultire deſinet; idem pręſtat, & aquę

ſatis

satis frigidę adsiduus gustatus;& si quis spiritum introrsum reuocet,& aliquandiu contineat, similiter remediabitur;nec minus huic rei prodest sternutamentum in tempore excitatum. Herbæ trixaginis contusæ in lignea pila succus expressus cum uino calido potui datus,ruptos,siue uulsos,& reumaticos efficaciter sanat. Asparagorum radix ad pondus denariorum duorum,& brassicæ folia tantundem mensuræ contrita atque ex uino nigro,uel austero potui data, uulsis & reumaticis mirifice prosunt. In pila,in qua frumentum tunditur,quantulumcunque sordium , aut pulueris inueneris,collige. itemque in eo loco,uel foramine,in quo ianuæ pessuli descendunt,quidquid reppereris,collige, & in unum permisce, & tacite,uel occulto loco in potionem , aut cibum uulsi laborantis insperge , continuo malum dolorque sedabitur. Serpentis senectus,id est exuuiæ,licio alligatæ,& uulso circundatæ,mire prosunt. Stercus uerris primo uere collectum arefactumque & tritum in potione datum,efficacissime uulsos, & reumaticos sanat. Ad eos qui sanguinem per os proijciunt,remedium tale.testæ nucis maioris combustæ diligenter terantur,& cum aceto dentur;sed si febricitat cui medendum est,cum posca accipiat pro modo ut causæ sunt,aut ætas uniuscuiusque patitur,id est ut unius nucis testæ,aut duarum, uel etiam trium dentur. Compositio ecligmatij quod facit ad phthisicos, & ad eos quibus pulmo per distillationem uuæ uulneratus est; iris illyricæ — I. spicæ celticæ — I. hysopi cretici — I. ameos — II. resinæ terebinthinæ — II. piperis — II. erui russei — II. butyri — VI. mellis despumati. P. III. & — IX. ea quæ in puluerem redigenda sunt,tundes,& diligentissime cernes;resinam uero, & butyrum liquefacies lento igne. postea melle permixtum totum supra scriptarum specierum puluerem colliges, & simul commaceratum in doliolo uitreo repones ; utendum cum usus exegerit , ita ut mature ieiunis terna coclearia dentur.

Humerorum,& ceruicum doloribus,& opisthotonicis,& hircosis,& unguibus,& paronychijs,remedia rationabilia,& physica diuersa de experimentis. Cap. XVIII.

Humeri dolorem mustelæ exustæ cinis tritus,& cum cera permixtus,ac subactus,& ceroti more impositus,mire sanat. Ad ceruices,& neruorum subitos,aut ueteres dolores,& cõtusiones,medicamentum ualde necessarium,quod diasteaton dicitur,sic,mastiches — III. olei rosei libram, olei gremialis selibram,uel quod sufficiat.ceræ ponticæ libram,seui ceruini libram,medullæ ceruinæ libram, adipis pullinæ libram,adipis anserinæ libram, adipis scrofinæ P. II. fœnogræci succi heminam , lini seminis succi heminam, ibisci succi heminam , chamæmeli fasciculum , anethi surculos VII. mastiche cum oleo rosaceo in mortario conteratur.species uero supra scriptæ lento igne decoquantur , & succi cum cera seorsum misceantur,& omnia mixta colentur.sic postea mastiche cum oleo supermittatur,& misceantur omnia diligenter,mixtaque coagitentur ad focum,& refrigerata in dolio uitreo reponantur, quibus cum opus fuerit,ceroti more uteris. Ceruicis dolor inflexibilis, quem opisthotonon græci uocant,leuatur urina capræ auribus infusa;aut bulbo trito cũ fimo eiusdem capræ ceruici inlito; sed nihil utilius est medicamento diasteaton,de adipe diuersa facto,quod supra scriptum est. Ad ceruicum dolores remedium physicum,sic.ieiunus dextram manum saliua tange,& dextrum poplitem perfrica,deinde sinistra manu sinistrũ, & hoc ter per singulos poplites facito,statim remediabis. Butyro, & adipe ursina perunctę ceruices statim sanabuntur. Cerę selibram,olei cyprini selibram,absinthij uiridis contusi — II.simul ad ignem permisce,& pro ceroto utere,ad omnes ceruicum dolores. Rigor ceruicis adipe anserina,uel potius suina perunctus,uelocissime mollietur. Fici folia,& poma eiusdem immatura contrita , & imposita, ceruici subueniunt. Neruorum omnium rigori,& perfrictionibus citò subuenitur malagmate tali; olei laurini P. I. resinę terebinthinę P. I. picis liquidę P. I. axungię ueteris P. I. decoctis , & permixtis una ijs speciebus nerui rigentes,& offensi salubriter perfricantur. Opisthotonicis , & tetanicis lotiũ caprinum cum aqua mixtum,efficaciter prodest,si ieiunis potui detur. Summum opisthotonicis , & arthriticis remedium,& multis experimentis probatum,cõficitur sic:castorei,piperis albi,petroselini,ęquales portiones simul tundes,& cribrabis,atque inde cocleare unum cum uno cocleari mellis , & aquę calidę cyathis duobus,ieiuno ad diem dabis. Farina lini seminis,addito nitro,ex uino calido in modum malagmatis temperatur,& imponitur ceruicum dolori , statim medetur. Farina quoque hordei cum ficu arida tunsa permixta,& imposita,idem pręstat. Lenticula in aceto discocta,ceruicibus malagmatis more adposita,dolores earum mitigat. Ad ceruicum tumores sedandos,ouorum uitelli cocti cum adipe anserina inliniuntur,felle caprino ęquis ponderibus permixto , atque inde ceruices fricantur. Rigores ceruicum seuo bubulo optime perfricantur;nam continuo mollescunt,& dolor omnis abscedit. Herbę uettonicę contritę succus ad scripulos duos adiecto mulso,potui datus , dolorem ceruicum leniet; sed febricitanti ex aqua calida dari oportet. Sal in sacco calefactus impositusque humeris,omnem dolorem optime discutit,si adsidue commutetur,ut calidior ponatur; lana quoque succida ex oleo calido humeris adposita medetur. Spongia leuiter mucrone,quo homo occisus est adtacta, & calida humeris adposita,medetur;cętera uero quę sunt in lacertis brachiorum,& cubitis,& digitis,ac neruis, & articulis causaria,acopis,& calefactorijs,& remedijs diuersis curantur,quę uarijs locis sunt adscripta. Ad hircos,& alas fœtentes,remedium sic.hirci maturioris cornu rasum, uel exustum cum felle hirci miscetur , & pondere ęquo myrra adijcitur,atque inde ascellę,demptis prius pilis adsidue perfricantur. Alumen scissum styraci mixtum,si in unum conteras,atque alas fœtidas adsidue perfrices , bonum illis halitum ex-

cluso tetro odore, præstabis. Caro uitulina recens cum aceto cocta, madidaque alis imposita, fœtorē hirci teterrimum tollit. Myrra sicca tunsa adsiduè alas confrica, uitium fœtoris mirè emendabis. Laserpitium uetustissimum tunde, cribra, atque inde alas perfrica, similiter proderit. Nitro ex aqua diluto, uel alumine uino remisso utere quàm sæpissimè ad alarum fœtentium emendationem. Ad paronychiam, & suppurationes unguiculorum, glandem tritam cum sapone adpone; ibiscum quoque cū axungia, & pane trito impone. Vt excussi ungues citò resurgant, quinquefolium cum adipe qualibet tritum imponitur; oleastri quoque folia commanducata, recentibus unguium uulneribus rectè imponuntur. Paronychiæ, stercus ex auriculis impone, & linteolum super alliga, mirabere remedium. Ad idem, uuam passam enucleatam cum ture trito subactam, sicut cerotum linteolo inductam imponi oportet. De paronychia parietem continges, & rursum digitum ducens, dices ter, pu pu pu, nunquam ego te uideam per parietem repere. Ad digitorum, & articulorum subluuium, uel suppurationem sedandam, atramentum scriptorum ex aceto tempera, & de pinnula inline digitum, uel articulum dolentem; lucernæ quoque fungum contere, & impone paronychiæ, uel digito contuso. Ad cubiti uitiū, uel dolorem, spuma argenti trita cum oleo rosaceo, emplastri modo utiliter admouetur.

Ad lichenem, siue mentagram, uel impetiginem, & ad elephantiasim, & lepram, & exanthemata, & maculas, & liuores, tumoresq; de facie abolendos, & ad genas scabras, & cicatrices malarum purgandas, & ad lentigines, & stigmata delenda, uerrucasq; tollendas, remedia rationabilia, & physica diuersa de experimentis. Cap. XIX.

Ad lichenem siue mentagram, quod uitium neglectum, solet per totam faciem, & per totum corpus serpere, & plures homines inquinare. nam Soranus medicus quondam ducentis hominibus hoc morbo laborantibus curandis in Aquitania se locauit. huic ergo ualitudini maximè medentur cantharides tritæ, & inlitæ cum succo uuæ amineæ, & cum seuo ouis, uel capræ, sed priùs facie lota, & nitro diligenter curata medicamen imponitur. Adeps uituli marini imposita mentagræ, plurimùm prodest. Ficulni caules teneri in aceto excocti, triti, & inliti, mentagræ medentur. Idem præstat ibisci radix cum lupino, & aceto ad tertias cocta, & adposita. Flos uisci cum calce subactus, & adpositus mentagræ, ualde est utilis. Ad impetigines detergendas, farinam æri mixtam, cum aceto frequenter inducito. Olei myrtini uncias VI. olei schinini, aut mastichini uncias quatuor, lithargyri uncias III. psimmythij uncias duas. cum uino ueteresimul teres, & oleum statim postea mittes, & diligenter permiscebis, & sic uteris ad impetigines abolendas. Ad impetigines detergendas lapathi radices cum aceto coques ad tertias, & in eo iure iterum oryzam discoques, & sic ad perducendum corpus uteris. Cucumeris siluatici radices ad tertias discoques, easque decoctas teres diligenter, & addes lithargyrum, ac sulphur æquali mensura, & ceræ parum, atque inde loca quæ impetigo ceperit, perfricabis. Ad scabidam impetiginem, scillam albam sumito, & bene contundito, eaque impetiginem inlinito, & adsiccatam aceto acri, mixto sale eluito, deinde spuma argenti contusa, & rosa liquida perungito. & cùm adsiccatum fuerit medicamentum, rursum ut suprà diximus, aceto salso abluito, atque iterum eadem ratione scillam tritam inlinito; idque remedium frequenter iterato, donec ad sanitatem perducas. Picis liquidæ optimæ acetabulo uni, adijce farinam ordeaceam, & nitrum, & apium tritum, & sulphur æquis ponderibus, ac superfunde aceti albi acerrimi acetabula duo, & in patina decoque simul; ac postea calidum medicamen linteo inducito, & sic corpori adponito, non solùm impetiginem hoc remedio, sed & lepram sedabis, & scabiem. Impetiginem quamuis inueteratam citò abolebis, si fęcula uini, qua tinctores utuntur, cum aqua permixta locum perunxeris, ita ut dum quinquaginta numeras, illic esse permittas, & cōtinuò destringas. nam si diutius fuerit, altius uis eius insidet, & ulcus grande faciet. Glutinum taurinum aceto remissum, adiecto sulfure uiuo, leni igne decoctum, ita ut ad mellis crassitudinem perducatur, surculoque ficulno dum coquitur, agitatum, ac bis per diem impositum impetigines, quas græci agrias uocant, potentissimè sanat. Formiculas, quæ herculaneæ nominantur, contritas, modico sale adiecto, impetigini adpone, miraberis remediū; nam celeriter expurgant. Impetigines, & lepras hæc compositio potentissimè extirpat, thuris masculi, nitri, argenti spumæ, sulphuris, ęqua pondera, cum aceto acri teruntur, & pinnula imponuntur, siccatumque medicamē eluitur, & rursum inlinitur, adsiduè elutum, atque siccatum. Si locum, quem impetigo adludit, auro circumscribas, postea eum omnino non adpetet. Loco, quem mentagra obsederit, fimum murinum tritum ex aceto oportet imponi, uel eiusdem muris exusti cinerem cum oleo adponi salubre est. Aduersum elephantiasim, quod malum plerunque à facie auspicatur, primumque oritur quasi lenticulis uarijs, & inæqualibus, cute alba alibi crassa, alibi tenui, plerisque locis dura, & quasi scabida, & ad postremum sic increscit, ut ossibus caro adstricta, tumescentibus primùm digitis, atque articulis induresc at. hic morbus peculiariter ægyptiorum populis notus est, nec solùm in uulgus extremum, sed etiam in reges ipsos frequenter inrepsit. unde aduersus hoc malum solia ipsis in balneo repleta humano sanguine parabantur. mustelæ igitur exustæ cinis, & eiusdem bellue, id est elephantis sanguis immixtus, & inlitus huiusmodi corporibus medetur. Nitrum cōtritum, & ex melle, & lacte bubulo impositum, elephantiosis prodest. Radix asparagi decocta in aceto, & trita, elephantiosis rationabiliter imponitur. Mentastri folia commanducata, uel contrita adposita, elephantiosis medentur; cedro quoque tabes illa adsiduè peruncta sanatur. Fel ursinum

finum leprosos admodum sanat, si eo adsidue perlinantur; adeps quoque eius, liuores, & maculas eximit.
Apij semen, & anethi conteres, & cum melle miscebis, atque inde malandriosis quantum sufficiat, adpo-
nes. Inula contrita impositaque, primò quidē exulcerabit, deinde expurgata omni lepra, detersaque
putri & tabida cute, nouam similemque cætero corpori reddet, nec cicatrices fœdas esse permittit.
Allij decocti aqua crura ulcerosa adsidue fota celeriter sanabuntur. Herba quæ britannice dicitur,
cibo uel potui sumpta, intra diem sextum lepræ molestiam tollit. Lapati agrestis radices surculo erue,
easque sine ferro contunde, adiectoque acri aceto subige, & parum salis misce, atque ex eo omnem corpo
ris asperitatem in balneo cum sudore confrica, citò sanat. Gluten uitulinum aceto remissum, admixta
modica calce uiua, ut crassitudinem mellis habeat, inlines locis leprosis, atque illic siccari medicamen per-
mittes, efficaciter proderit. Vulpis stercus cum aceto tere, & perungue lepram, citò subuenies. omnē
autem lepram inlitus hircinus sanguis emendat. Ad exanthemata curanda, oui cocti uitellus cum
melle, & psimmythio tritus rectissimè adhibetur. Pelliculæ caprinæ ramenta cum punice trita, aceto
que permixta, exanthematis prosunt. Lotio humano si nitrum admiscueris, eoque exanthemata fre
quenter elueris, reprimentur. Oesypum cum melle corsicano tritum, & adpositum, abolet de facie
omnes maculas; quidam & butyrum addunt. si uerò, & uituli fimus, & fel caninum misceatur, medicamen
utilius erit, ita ut pariter temperata omnia decoquantur. Coclearum minutarum, quæ passim inueni
untur, exustarū cinis cū melle permixtus, tollit ex facie uitia omnia, lentigines quoque, & liuores abolet.
Stigmata delentur columbino fimo trito, & ex aceto imposito, ita ut adsidue medicamen super ducatur.
De tincturis, uel maculis corporis abolendis remedium sic. oculos, uel oua sepiæ in aqua solue, & cū melle
permisce, atque inde maculas perfrica, citò abolebuntur. Lac mulieris puellam nutrientis, cum melle,
& oleo permixtum, omnes etiam ustionum maculas tollit. Si nitrum cum oleo misceas ad spissitudi
nem mellis, atque inde maculas inducas, mirè detergentur. sanguine quoque caprino maculæ contactæ ab-
luuntur. Si autem nescias, unde sit macula, ex cepæ succo locum perfricabis, & dulci aqua elues, sesa-
mumque commanducatum super impones, uel bulbum africanum tritum cum aceto impones. Ne
cicatrices appareant etiam de usturis, & ut pili renascantur, facies tale medicamen. calcis uiuæ — III. adi-
pis porcinæ coctæ, & colatæ libram permisce, & quantò diligentius tere, uel confrica, atque in modum ca-
taplasmatis adpone. Mastichen, personatam, saponem gallicum, ceram ponticam, oleum uetus, spu-
mam argenti, æquis ponderibus miscebis, & coques ad spissitudinem liparæ, atque inde emplastrum macu
lis in facie, uel pustulis, & ulceribus adpones. Ad nigredinem, & maculas colli, & uultus purgandas,
farinam de faba cum humore peponis, id est succo eius interiore miscebis, & facies trochiscos octo, & sicca-
bis in umbra. ex octo illis, quantum sufficiat, teres cū aqua, & inlines maculas; atque ita uteris ante balneū,
ut siccetur inlitio, & sic ingredieris; & cum humorem acceperis in calore, tum perfricabis, & elues. Ad
tumorem siue liuorem de facie tollēdum, herbam rhodiam ex aceto tritā inline, & siccare permitte, atque
ita elue. Vrticæ folia contere & ipsa tantummodò cum succo suo cohibendis tumoribus uel abolē
dis liuoribus frequenter adpone. Ad genas scabras & cicatrices maxillarum, remedium sic. chalciti-
dis drachmas XX. misyos drac. X. croci drach. VI. turis drachmas X. myrræ drachmas V. opopana-
cis drachmas V. aceti 8/ V. mellis optimi 8/ II. S. quæ sicca sunt, tundes & in puluerem rediges & ex eo
coques cum aceto, & postea melle admixto simul omnia teres, donec sufficienter medicamen sit spissum
uel liquidum, & in pyxide ærea pones, & cùm opus fuerit, uteris ad perungenda uel superliniēda quæ
sunt. Ad genas scabras & scabidas, & ueteres cicatrices, remedium sic. æris usti & loti, myrræ, opij,
drachmas ternas, cadmiæ ustæ, & extinctæ uino drachmas VIII. hæc in puluerem redacta, ex aqua fon-
tana uel cælesti teres, donec leuia sint, & cùm glutinosa fuerint, superaddes mellis optimi despumati coty-
lam unam, deinde perfricando uel terendo, concorporabis omnia, & in pyxide ærea condes, & cùm uolue
ris, uteris ad superlinienda quæ sunt. Spongia noua cum aqua salsa calida sæpius imposita, suggilla-
tiones liuoresque detergit. Fimus suillus in testa arefactus & tritus, & cum oleo impositus, mirè sa-
nat liuores. Appium uiride subtiliter tritum, cum oui albo inlitum, liuoribus prodest. Malua
erratica trita & calida panno inducta, & oleo peruncta, & sic adposita recentibus suggillationibus ac tu-
moribus & uexationibus neruorum ualde medetur. Ad pustulas papulasue de facie tollendas, medi
camen compones sic. sagapeni — II. scobis eburnæ delicatissimæ IX. myrræ II. S. aphronitri II. S.
tragacanthi — VI. tunsa hæc & cribrata, cum melle liquidissimo & candidissimo teruntur, ita ut crassi-
tudinem habeant mellis densioris. ex eo in balneo uel ante horam lauandi, facies diligenter inlinitur, &
post balneum eluitur. Vt liuorem de facie tollas, gladiolum, herbam palustrem harundine aut osse
acuto radicitus auelles; obseruans prorsus ne ferro eam contingas; huius radices tunsæ & subactæ atque
emplastri more adpositæ, liuores potenter emendant. Radicis, quæ manducatur, id est rafani cortex
tritus diligenter & cum melle permixtus inlitusque, suggillationes atque liuores, qui ex ictibus eueniunt,
celeriter absterget. Origanum ad summam leuitatem tritum, in linteolo udo adpositum, liuores de
quo uolueris loco statim tollit; mentastri quoque folia trita & adposita idem præstant. Nitrum ex
melle & lacte bubulo tritum atque permixtum adpositumque, ulceribus in facie natis aut factis citissimè
medetur. ipsum etiam nitrum cum puluere opij & succo tapsiæ tritum adpositumque, liuores statim exi-
mit. Caseus caprinus mollis, id est recens, cum melle subactus impositusque & panno desuper tectus
aut linteo, suggillationes liuoresque celeriter absterget. Mali, id est pomi quod manducatur, uel
etiam punici corium contusum, admixta polenta impositum, & liuores abolet, & dolores sedat. Lau-

ri baccarum quartarium unum, myrobalani semunciam, fœnograci heminam, serpilli non multum, tunsis quæ tundi oportet, atque omnibus in unũ permixtis, medicamen utile abolendis liuoribus facies; quo per triduum continuum, si ita necesse fuerit, uteris. Pulmo ouillus quàm recentissimus, protinus dum adhuc tepet, adpositus, continuò discutit, & expurgat liuores. Alni folia quàm plurima, & recentia superimpone, & alliga, medeberis tumori; liuorem uerò etiam eum qui de sanguine collectus uidebitur tolles. Absinthium tritum, & cum melle diligentissime subactum, malagmatis modo impositum, liuores cito eximet. Vitelli ouorum incoctorum coagitati, & inliti, liuores qui ex tumore, aut conlisione aliqua facti erunt, etiam ueteres, extenuant. Ad lentigines de facie tollendas, lenticulam cum scobe tenui de corno ceruino, & seuum ceruinum pariter diuide, coque, & tere, atque inde faciem, uel ante horã balnei, uel etiam in balneo frequenter inlinito, ita ut quasi pro pane molli utaris. efficacissimum medicamen experieris, sed lenticulæ maior pars sit, cornus, & seui æqualis mensura. Herbam uerrucariam, id est heliotropium contusam, & subactam, adiecta salis mica, adpositamque malandriosis, uel ijs qui uerrucas patiuntur, prodesse plurimùm constat. Verrucarum genera omnia fimi canini exusti cinis curat impositus. urina quoque canis cum suo recenti luto inlita, plurimum prodest. Sanguis recens muris occisi, uel ipse mus diuisus, atque adpositus, sanat, & abolet uerrucas. Fimus ouillus recens manibus subactus, & emplastri more adpositus, deterget uerrucas. Ad lichenem, fabæ farinæ unciam unam, fœnigræci farinæ unc. I. samsuci unciam I. farinæ hordei unciam unam, aphronitri unciam S. sulphuris unciam S. erui farinæ unciam S. hæc omnia in pollinem tenuissimum redacta, aceto colliges, & permiscebis, & ita licheni adpones.

Ad omnia stomachi uitia, & ad omnes eius causas, & dolores, & ad omnem cruditatem, atque indigeriem depellendam, & ad omnem uiscerum, atque aqualiculi confirmationem, antidota, epithematia, potiones, oxyporia, unctiones, aliaque nonnulla rationabilia, & physica remedia diuersa, experimentis probata, usuq; collecta. Cap. XX.

Principale atque unicum remedium ad stomachi, & lateris dolorem, aliaque nonnulla interni corporis mala, seu cum febre, siue sine febre fuerint. est enim compositio mirifica, multis omnino necessaria infra scriptis causis, non ignorata quidem antiquioribus medicis propter effectuum probitatem, sed præcipue à Paccio Antiocho auditore Philonidis Catiniensis, usu inlustrata. fecit enim magnos quæstus ex ea, propter crebros successus in uitijs difficillimis; sed ne hic quidem unquam ulli uiuus uiuo cõpositionem istam ostendit. post mortem Tiberio Cæsari per libellum scriptum data est, & per eum in bibliothecis publicis posita, uenit in manus nostras; quam ante nullo modo extrahere potuimus, quamuis omnia fecerimus, ut sciremus, quæ esset. ipse enim clausus componebat eam, nec ullis suorum committebat; pluraque quàm recipit, pigmenta emi, & contundi iubebat, fallendi suos causã, & sane in libello ipse fatetur, non à se inuentam, sed usu exactiore comprobatam, ad quæ uitia, & cum quibus, & quemadmodum data proficeret. est enim non ignota. ponderibus tamen antiquis, aut adiecit, aut detraxit aliquid; & res quæ in hac compositione sunt, non utique conueniunt ad antiquitatem: interdum enim earum quædam, & non tam multa, quædam minus, & pondere, & numero specierum accipiunt; atque ideo non idem omnibus præstant, cùm interim hæc mirifica temperatura composita mirificos effectus habeat. facit uerò hoc medicamentum nõ solùm ad stomachi, & lateris dolorem, sed etiam ad plura uitia efficaciter. quamobrem semper habendum est compositum. Percurram autem quàm breuissimè, ad quæ uitia qualiter datum prosit, ut & in libello eius scriptum est, & ego ex magna parte expertus sum. Sanat ergo morbo cõmitiali correptos quos Epilepticos Græci uocant, & furiosos, quos mænomenos dicunt.

Item sanat, quibus subito tenebrę obuersantur in oculis cum uertigine quadam, scotomaticos hos Gręci appellant; nec minus diutino correptis capitis dolore, quem cephalæam appellant, prodest, data denarijs duobus ex aquæ mulsę cyathis quatuor, cũ remissi fuerint; & si frequenter quibus necessaria est, corripientur, post binas ternas ue accessiones danda erit. Hęc antidotos Hiera dicitur hoc enim nomen tribuit ei, propter duas causas, ut existimo; unam, ne nomen eius uerum dicendo, ostenderet quę esset. Dicitur enim à quibusdam picra, quia amara est; à quibusdam diacolocynthidos. alteram, quòd ideo inditum est, quò magis sub tanta specie nominis commendaret medicamentum. Sed si longo ex interuallo accessionibus supra scriptis, quibus medendum est, uexabuntur, in remissione earum, & in alio atque alio dolore sępius dandum erit medicamentum.

Ita enim, aut ex toto remediabitur, aut certè minuetur impetus uitiorum, & sedabitur, interuallaque maiora accipiet. Dari autem oportebit secundùm purgationem bilis (nam fellita, & spumosa, & glutinosa deijciunt, qui acceperint) cum ptisanę cremore, aut cum holere leui ex urtica, & lapatho, & malua facto. facit bene hęc compositio, & ad suspirium, & ad uocis abscissionẽ, & ad subitas pręfocationes, ex qualibet causa ortas. & ad eos qui sępe existimant se ab incubone inludi, qui usque eò hac molestia uexantur, ut interdum, & uitę periculum adeant. est enim uitium non contemnendum, maximè in processu ætatis; quibus dandum erit medicamentum proximo die eius noctis, qua incubonem pertulerint, cùm interuallum à somno fecerint, & quod satis sit, deambulauerint. dari debet ex aquę, in qua hyssopum, aut marrubium fuerit incoctum, cyathis quatuor, uel quinque, ad pondus denarij unius, uel uictoriati, prout res, aut ætas postulauerit. Deinde post horas tres, uel quatuor, cremor ptisanę, aut altera sorbitio leuis detur. facit hoc

hoc medicamentum ad eos,quorum musculi maxillares cum maximo dolore tensi sunt, adeo ut aperire os nullo modo possint.tetanon hoc uitium Græci dicunt.

Item facit ad deprauatam faciem in utramlibet partem, cynicon spasmon hoc ijdem appellant genus morbi;præcipuè uerò ad pectoris laterisque dolores prodest,ex qualibet causa factos,siue latenti, siue manifesta,aut ex casu aliquo,aut supra uires, & supra modum ponderis portati, uel ex contusione,quæ frequenter gladiatoribus accidere in prælusionibus solet. Nec minus eorum maximè sanitati conuenit, qui arbore alta delapsi sunt,uel scalis deuoluti,aut excussi rheda,uel curriculo tracti. Sed ijs, id est ex manifesta causa uexatis,cum aceti cyathis tribus,uel quatuor,danda erit antidotus. ijs uerò qui ex occulta causa laborant,ex aqua mulsa proderit data. Præterea neruorum tensionibus, & contractionibus, atque doloribus omnibus mirificè conuenit. Quamobrem facit,& ad tremulos,& ad sideratione tentatos utralibet;una enim cum contractione,altera cum remissione neruorum conspicitur.

Paralysim hoc utrunque uitium Græci appellant. ad quod etiam cùm correpti sunt, prodest ex aquæ mulsæ cyathis tribus quatuor'ue datum,ad pondus denarij unius, aut uictoriati, admixto castorei denarij semisse.prodest,& ad articularem morbũ,quem arthritim Græci appellant, & ad spinæ totius lumborúmque dolorem ex aqua mulsa datum iuxta uires cuiusque.

Item ad podagram benefacit;nam & in præsentia detractionẽ doloris releuat,& in futurum,omni molestia liberat. dimidio enim celerius sanantur,qui acceperunt hoc medicamentum,quàm prius solebant sanari.quid dicam,quemadmodum prosit ad duritias mammarum muliebrium, quæ cum dolore magno solent nasci,quásque nullum aliud medicamentum releuat;nam has,& ad præsens admodum curat,& in perpetuum ex toto interdum sanat;quas quidem causas plerique medicorum insanabiles adfirmant. carcinomata enim,& cacoëthes hæc uitia sequuntur. sed ego honestas fœminas quasdam sæpissime hoc medicamento adfirmo sanatas. illud uerò supra omnium opinionem est, quod stomachicis euidenter conuenit, cum sit uirosissimum amarissimumque medicamentum,& stomachus ne aduersum leuia quidem, & simplicia medicamenta aptus sit. Sed disposuimus in huiusmodi rebus potentiorem usus rationem sequi.expertus enim quisque intelliget,stomacho quoque hoc medicamentum eximiè prodesse. Remediat enim eos,quibus frequenter inacescit cibus,& eos qui stomachi inflationibus urgentur, uel doloribus uexantur adsiduè,& uel nauseant,uel nimia saliua abundant,uel inedia cõsumuntur, stomachumque ita solutum habent,ut ex eo uarios liquores subinde reijciant, consentiente capite, ut nullum genus cibi continere possint.

Item ad bilem atram generantes,quos melancholicos uocant,benefacit. oportet autem non continentibus cibos,secundum uomitum protinus oleo perunctis,& diutius pressè fricatis dari medicamenti denarium unum ex aquæ cyathis tribus. deinde artus eorum constringere, & interdum olfactarijs reficere, & commanducatione oliuarum contusarum,earumque rerum quæ stomachum constringere solent,subrectos recubantesque alere; deinde ubi deiecerint,solutis uinculis rursum perungere, & fricare totum corpus,atque ita uarietate ciborum,& perunctionis,stomachum proritare, ita ut reficiantur halica ex mulso, aut malorum cydoneorum succo,uel ex granis punicis facto,aut si quos magis delectabit; frigida posca,secundùm quæ sumpta,& hapala proderunt oua,& intubi cocti,uel non cocti ex aceto dati.

Itemque lactucæ,& caules haplosiles ex posca decocti, aut ungula porcina excocta, & madida: uulua quoque,& murices,& pelorides plurimùm iuuant;& pomorum præcipuè sorba,& mala orbiculata,& pira scauriana,crustumina,signinaque in olla reposita.item prosunt uuæ ex olla sumptæ. Hęc enim, & huiusmodi,quæ sunt ijs similia,confirmant stomachum;quibus escis,& in sequentibus diebus uti oportebit,paulatim ad consuetudinem progredientes,donec omni molestia liberentur.

Est & illud stomachi uitiũ,quod cum siccitate,& ardore eius,& siti inrequiebili, & ut ita dicam inextinguibili nascitur.eccausin hoc Gręci uocãt,ab eo quòd exsiccat omnẽ stomachi humorem. scimus quosdã urnas aquæ bibisse,nec sitim aliqua ex parte in præsentia compescuisse;ad hoc denarius unus,uel pondus uictoriati, datum ex aquæ frigidæ cyathis tribus, ita prodest, ut facilè abstinere à potu diebus proximis possint.

Lienosis uerò ex posca,& iocineris duritiem diutinam habentibus,ex aqua mulsa datum satis cõuenit. Nec minus hydropicis,quibus datur eadem ratione. Sed ijs per complures dies oportebit in ptisanæ cremore sine ullo alio liquore dari.prodest cõpositio hęc,& colo inflato,& cæteris intestinis. futuras quoque,uel iam factas uomicas ijsdem partibus,aut discutit,aut celerius aperit.

Item menstrua mouet mulieribus quæ difficulter purgantur.dãdum autem erit ijs medicamentum ex aqua,in qua decoquatur herba,quæ artemisia dicitur,aut quæ dictamnos appellatur. Etiam ad papulas,& sacrum ignem,uel quam zonam uocant,benefacit data ex aqua mulsa,detracto priùs sanguine, si res postulauerit.quod,& in omnibus alijs uitijs suprà dictis faciendum est.omnia enim auxilia adhibẽda sunt, quæ ex usu prodesse comperta habemus,quia adiuta antidotos faciliores habebit effectus. Recipit ergo hęc.Chamædropis,quę herba simillima quercu folia habet,agarici,cucurbitæ siluestris, quã colocynthidem appellant,stœchadis,singulorum denarios denos,opopanacis,sagapeni,petroselini, terræ mali, piperis albi,singulorũ denarios quinos,cinnami,nardispicæ,myrræ,folij,croci,singulorum denarios quaternos; in unum omnia diligenter ponderata contunduntur,& cribrãtur,præter opopanacem,& sagapenum, & myrrã.hęc enim mortario teri debent,adiecto melle tenui, id est, quã liquidissimo. deinde cæteris permiscentur; quæ & ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda, & con-

tinenda ea, uel conglutinanda. reponitur medicamentum uase uitreo sub signaculo; datur, ut supra diximus; & quemadmodum diximus, cum summa obseruatione pro cuiusque rei causis, uel mensuris, uel necessitatibus. est prorsus sacrum, ut auctor nominis huius appellauit. Si quando autem efficaciore uoluerimus uti, propter difficultatem naturalem uitiorum, aut causarum diuturnitatem, ut si dandum sit furiosis, aut comitiali morbo correptis, uel lumborum perpetuum dolorem habentibus, podagra'ue cruciatis, cucurbitæ siluestris adijciemus ad supra dicta pondera denarios decem, & opopanacis, atque sagapeni denarios quinos, quamobrem utraque parata debent esse medicamẽta, ut, cùm opus fuerit, usus utriusque in promptu sit. illud sane præ cæteris mihi credas uelim, dum in alijs rebus ipse uim eius experiris, hoc medicamento non solùm non noceri stomachum, uerùm etiam refici, & confirmari supra omnium opinionẽ.

Medicamentum, quod propriè aduersus solutionem stomachi facit, & fluorem eiusdem; maximè uerò cũ infirmi nihil cibi retinere possunt, & quidquid datum est, reijciunt. recipit hæc, masticheſ candidæ unciam, tragachanti albi unciam, apolinaris herbæ radicis unciam unam. contunditur tragacanthum cum radice, postea mastiche trita adijcitur, & reponitur medicamentum in uitreo uase. dantur, cùm opus est, coclearia bina, aut prout oportuerit, plus minus'ue, secundùm uomitum factum ex aquæ frigidæ cyathis tribus.

Ad stomachi dolorem, & inflationem remedium, sic. palmarum denarios XXX. anesi ✱ IIII. croci ✱ II. git ✱ II. asari ✱ II. myrti nigræ baccarum ✱ IIII. iuniperi baccas enucleatas numero uiginti. contunduntur seorsum omnia, & in unum commiscentur. deinde fiunt pastilli, alij ad mensuram denarij, alij ad pondus uictoriati. dãtur ieiunis ex aquæ cyathis tribus, aut ex protropo musto, quod est passi genus. Medicamentum siccum ad stomachi inflationem, & dolorem, & inediam, mouet & urinam. Ideo facit, & ad hydropicos, & iecur durum habentes, & ad auriginem: quam quidam regium, quidam arquatum morbum uocant. refertur in Musam Antonium. recipit autem hæc; aloes denarios V. croci, cinnami, nardi syriacæ spicæ, asari, xylobalsami, mastiches chię, singulorum denarios senos; dantur coclearia bina, uel terna, ex aquæ cyathis tribus. Potio Cosmiana ad omnem internum dolorem; sed facit mirifice ad stomachi dolores, & ad tussicos, & phthisicos, sanguinẽ, & pus reijcientes, & ad iocineris uitia, atque pulmonis, & ad lateris dolorem, nec minùs ad torminosos, & conuulsam, aut ruptam aliquam partem intestinorum, & ad destillationes, & ad eos qui somnum nullo modo capere possunt. facit, & ad hydropicos, siccat enim mirifice eos. componitur sic. dauci seminis denarium unum, alterci seminis denarium I. turis denarium I. Λ. S. myrræ denarium unum, croci denarium I. Λ. S. fiunt pastilli ad denarij semissem. dantur etiam febricitantibus, & sine febre, potissimùm pleuriticis, & peripleumoniacis ex aquæ mulsæ dilutæ cyathis duobus, phthisicis ex posca. Ad conuulsa autem, & rupta ex melle, & aceto. cæteris ex aqua calida, uel frigida. facit hoc medicamentum etiam ad eos, quibus stomachus inacescit. Antidotus, qua utitur Cosmus, ad omnia interna uitia, quæ supra scripta sunt, nec non, & ad omnes serpentum noxios morsus. Recipit hæc; glycyrizæ denarios VIII. S. & tertias uictoriati, uel duas partes, opij denarios septem, & tertias partes uictoriati, uel duas, castorei denarios VI. & uictoriati duas tertias'ue partes, piperis longi denarios quinque, & uictoriati partem tertiam, piperis albi denarios quinque, & uictoriati duas tertias'ue partes, nardi syriacæ denarios VI. S. dauci seminis denarios VI. malobathri denarios V. S. cassiæ nigræ denarios quinque, & uictoriati semissem, turis denarios V. sil denarios V. & uictoriati duas tertias'ue partes, rosæ caninæ succi denarios sex, acori denarios duos, sagapeni ✱ II. balsami seminis ✱ II. scordij ✱ V. & uictoriati duas tertias'ue partes, myrrę ✱ VI. croci ✱ VI. & duas uictoriati tertias'ue partes, styracis ✱ II. S. cinnami ✱ VII. & uictoriati duas tertias'ue partes, zingiberis ✱ VII. & uictoriati duas tertias'ue partes. phu ✱ VII. petroselini ✱ XIIII. & duas tertias'ue uictoriati ponderis partes, foeniculi seminis ✱ IIII. saliuncæ ✱ IIII. rutæ siluaticæ ✱ II. agarici succi ✱ II. gentianę ✱ IIII. iris illyricæ ✱ V. anesi ✱ III. thlaspi seminis ✱ VI. & uictoriati tertiam partem. rosæ foliorum ✱ IIII. misyos ✱ V. gummis acãthini ✱ II. cardamomi ✱ IIII. schoeni floris ✱ IIII. & uictoriati duas tertias'ue partes, opopanacis ✱ VI. & uictoriati duas partes, & sextantẽ, resinę terebinthinę ✱ VI. & duas tertias'ue uictoriati partes; in uino chio, uel falerno bono odorato, omnia contusa cribrataque consperguntur, & pastilli inde fiunt diuersi ponderis, uel mensurę quanta auellana, & quanta faba ægyptia est, qui dari debent, non febricitantibus ex mulso, infirmis ex aquæ calidę cyathis tribus.

Pulegium tritum, uel in aqua maceratum, adiecto aceti paululo, & potum, nauseam stomachi sedat. Thymbra trita cum melle sumpta pituitam concretam in pectore, & stomachi collectiones extenuat. marrubium quoque tritum, uel succus eius cum melle epotus, stomachi dolorem protinus tollit.

Scordij succus ad mensuram denarij potus, morsus stomachi tollit; datur enim sine febre languentibus ex mulso, febricitantibus uerò ex aqua mulsa. Polion herba, quæ à quibusdam libanotis appellatur, trita, uel succus eius cum melle tenui, id est modico potus, morsui uentris, & stomachicis prodest. Centaureæ tenuis succus, quantum cicer, ex aqua datus, stomachicis prodest. Origanum quoque tritum, morsus stomachi sedat, potum ex aqua tepida; extrahit enim concretos liquores.

Prosunt etiam quædam in aqua macerata stomacho, ut pira, mala, cydonia, palmę, cariotæ thebaicę, mespila, capreoli de uite, rosæ folia, granorum punici mali succis. benefacit etiam succus malorum cydoneorum per se cocleario sumptus, uel cum alphita, aut alica, aut trago, aut oriza.

Solutum autem stomachum, & omnia reijcientem, initio quidem curari oportet extra, id est forinsecus, imposita ei sertula campana cocta ex uino uetere, aut ex aqua mulsa, uel myrteo oleo trita, cum aceto, &

myrrha

myrra. nec minùs lanam ſuccidam, uel ſpongiam aceto intinctam, & expreſſam adponi oportet. faciunt bene, & folia uitis trita, & mala cydonia trita, & palmulæ tritæ, & emplaſtri more cum ceroto ex myrteo oleo facto impoſita. & folia tenera rubi, uel lentiſci, uel portulacæ, aut aizoi, cum polenta, ex aqua frigida conſparſa, impoſita proſunt. fricandæ autem erunt hæ difficultates ſtomachi, nec minùs ſcapulæ oleo uetere, uel aliquolibet calefactorio unguento. Cibos uerò dari oportet huiuſmodi. polentam cum paſſo protropo, uel cum uino falerno dulci, uel fauſtiano, atque alio eiuſdem generis. Item lenticulam cum beta, uel oriza, incoctis illic malis cydoneis, aut palmulis thebaicis, aut baccis myrti, uel folijs, aut granis mali punici, aut lentiſci folijs teneris, aut rubi, admixto illic aliquo ſuprà dicti generis uino. panis autem huiuſmodi difficultatibus prodeſt ſummatim fermẽtatus, edulia quoque proſunt hæc, intubi, lactucæ ex aceto, braſſicæ, ſiſer, cocleæ bullientis fruſtella. ungellæ, turdi, perdices, turtures, attagenæ, palumbi, cancri, locuſtæ, lolligines, ſepiæ, muli, murices, purpuræ, pectunculi.

Ad reſolutum ſtomachum dari oportet protinus cùm reiecerit, panem ex aqua frigida, uel ex poſca; & ſi ne hoc quidem continuerit, ſtatim dare debes lentem, & betam coctam, uel alicam, uel oua hapala, uel ungellam diſcoctam, uel cocleas elixas, aut murices, & aquam frigidam. ſed ſi nihil ſuprà dictorũ continuerit, dandus erit uini auſteri meri cyathus, & ex interuallo bis ter'ue rurſus idem faciendum erit.

Vinis quoque utendum eſt ſatis ſtomacho utilibus, aut ex baccis myrti factis, aut ex malis cydoneis preſſis, aut ex iuniperis, uel hyſſopo condito, uel origano, uel ex marrubio, uel ex ruta ſiluatica, uel ex herba lucernaria, quam græci phlomon uocant, uel ex ſcordio, uel ex centaurea, uel ex lycio, uel abſinthio, uel ex terebintho, uel ex lentiſco, uel ex piris ſyriacis, uel ex malo granato.

Ad inflationem ſtomachi, & uentris dolores, dandum eſt huiuſmodi medicamentum; piperis denarios quatuor, caſtorei ✱ I. opij ✱ II. myrrę V. petroſelini ✱ IIII. aneſi ✱ III. nardi ſyriacæ ✱ I. contunduntur, & cribrantur omnia, & permiſcentur; inde datur, & ante noctem, & in noctem coclearium, uel plus, pro cuiusque uiribus, cum cyatho aquæ calidæ, & mellis quantum ſatis uidebitur. hæc potio ſomnum conciliat, concoctiones doloresque omnes ſedat, præcipuè autem prodeſt mulieri quæ colo uexatur, & uiris eodem modo laborantibus conuenit.

Item ad tumores pręcordiorum etiam in febribus, & ad tuſſim, & ad lateris dolorem, & ad conuulſa, uel rupta interiora, & ad urinæ difficultatem data plurimùm iuuat. Cataplaſma hoc ſtomacho imponere non alienum erit. mali cydonei ex farina cocti, id eſt illic inuoluti denarios VI. carįotarum pulpæ ſubactæ ✱ III. ceræ ✱ VII. croci ✱ II. abſinthij ✱ II. olei malini, aut myrtei ✱ III. uino conſpergitur crocum, arida tunduntur, cera liquatur. & ſimul omnia commiſcentur, atque ita adponuntur mane in lecto ſtomacho laboranti. Hoc quoque cataplaſma ſtomacho utiliſſimum eſt. palmarum interiores partes ✱ III. croci ✱ III. hypocyſtidos ✱ I. S. mali cydonei cocti, ut ſuperius dixi ✱ VI. abſinthij ſucci ✱ III. floris mali granati ✱ I. S. fęces uini chij ✱ VI. ceræ ✱ XII. olei myrtini ✱ XII. chameleæ eius quę ſimilia folia habet oliuę, ex aquę coctę ✱ VI. mirificè enim prodeſt ſtomacho, pręcipue ſuccus eiuſdem ſimiliter impoſitus ad conuulſa, & rupta cõuenientiſſimum eſt. Hiera ad ſtomachum confirmandum; mouet interdum uentrem, interdum urinam; conficitur ſic. aloes ✱ V. xylobalſami, acori, croci, nardi ſyriacę, maſtiches chię, ſingulorum denarios ſenos, malobathri ✱ I. teruntur quàm diligentiſſimè ſeorſum omnia: ac deinde mixta in unum reponuntur. Cùm opus eſt, dantur inde coclearia quibuſdam duo, quibuſdam tria, ex aquę cyathis ſex, uel mixtis cum uini cyathis tribus, uel ex quolibet alio liquore, prout conueniet ſtomacho, eiuſdem menſurę dabitur.

Pertice coſmiana. hoc medicamentum ad ſtomachi uitia, & ad coctionem ualde utile eſt. accipit hęc; petroſilini denarios VII. phu denarios IIII. piperis albi ✱ XIX. inulę ✱ VI. nucum iuglandium animatarum ✱ VI. nucum pinearum animatarum ✱ XII. amij ✱ VIII. liguſtici ✱ XII. zingiberis ✱ VIII. carei ✱ XII. apij ſeminis ✱ XII. aneſi ✱ VIII. cardamomi ✱ VIII. acori ✱ VI. dauci ſeminis ✱ VIII. coriandri ſeminis ✱ XII. fœniculi ſeminis ✱ VI. facit bene hęc compoſitio, cùm habeat in ſe nihil tetri medicamenti, ad inflationem ſtomachi, & cruditates, & acidas ructationes, & ad uentris dolorem, & urinæ difficultatem, & ad conuulſa intrinſecus, & rupta omnia, & ad horrores; mouet etiam menſtrua mulierum cùm difficulter purgantur.

Item detrahit ſi qua ex partu, aut aborſu intrinſecus nociua ſubſtiterunt. datur omninò ſine metu, & ieiunis, & ante cœnę tempus, & poſt cœnam, ad menſuram denarij unius, uel duorum, ex aquæ cyathis tribus. & ſi plus ponderis quislibet ſumpſerit, non lædetur. prægnanti non eſt dandum hoc medicamentum, nec febricitanti. Antidotum philonianũ, ad omnes internos dolores, quod ad tenſiones ſtomachi, & empneumatoſim præcipuè facit; colicis quoque prodeſt, quibus in dolore ex aqua frigida datur, cęteris ex calida, cum oxymelite dari debet; tuſſim ſedat, tertianas mirificè tollit, ante momẽtum ſuſpitionis datum. omnibus autem ad modum fabæ dandum erit; conſtat ex ijs, croci ℈ XV. pyretri ſemunciam, euforbij ſemunciam, ſpicænardi ſemunciam, piperis albi uncias duas ſemis, hyoſcyami — IIS. opij ℈ III. melior erit, ſi addas petroſelini ℈ III. dauci cretici ℈ III. colligitur melle attico, & in uaſe uitreo ſub ſignaculo reponitur. Stomacho laboranti cocleæ proſunt, ſi in aqua ferueant, & ſic carbonibus torreantur, atque ita ex œnogaro ſumantur impari numero. Stomachum ſeumatizantem, & dolentem, & languentẽ, & diſſolutũ, primũ manſio lucida, & non nimiũ frigida, nec ſatis calida bene accipit. tũ cataplaſma fieri debet de folijs uitiũ, uel ſi uineæ folia non fuerint, de rumicis, ſiue rubi folijs, uel de ea ſummitate rubi, quę ſatis tenera eſt. hoc diligenter teritur cum dactylis quinque minutatim carptis, in aceto diu maceratis.

Epithematio autem hoc post cataplasma uti oportet, quod fieri debet de plantagine ea, quę arnoglossos dicitur, cum aceto trita. cibis autem uti debet cui medendum est austeris, & stypticis.

Cataplasma fit stomacho laboranti ex pomis cydoneis optime percoctis; quæ poma manibus subiguntur. deinde rosa sicca teritur, & cribello medicinali cribratur, tum aceti optimi quãtum sufficiat, adijcitur, & simul omnia permiscentur, factumque cataplasma stomacho calidum adponitur,

Portulaca, hoc est allium gallicum, coquitur diligentissime, & coctum bene, edetur ex aceto. ab eo, qui stomachum dolebit, uel uitiosum habebit, cito ei proderit.

Cuminum teres, & uino mixtum dabis bibendum ieiuno, si non febricitabit; si febricitabit, ex aqua tritum dabis, continuò emendabis stomachi dolorem. Nardum, & mastiche, & semen apij cum bacca lauri, & absinthij semine, æquis portionibus conteruntur; puluis hic super stomachum aspersus, mirè eum reficit. Absinthij uiridis manipulum, in caccabo nouo fictili cum aquæ hemina decoques ad tertias, & in ipsam potionem mittes mastiches modicum, & piperis triti grana septem, uel nouem, & sic manè ieiuno bibendum dabis, continuò sentiet stomachi laborantis medelam.

Ad stomachi carbunculum reprimendum, dactyli in uino austero macerantur, & admixto pomo cydoneo cocto, & rosa, & mastiche, & aloe, & oleo rosaceo, stomacho adponuntur, ita ut cataplasma inde exactissimum fiat. præterea semper ante cibum infirmus stomacho debet accipere mellis attici coclearia duo, uel tria pariter in uino austero decocti, quod duplum sit quàm mel; uel pro uino austero, succus rosarum permixtus detur. siccat enim stomachum, & recreat dissolutum, & tardè cibum conficientem confirmat. Mellis libra una, sinapis tosti, ac pòst diligenter triti unciæ duæ, pariter coquuntur, ex eo plenum coclearę ieiuno, qui stomachi dolore laborauerit, datur. Ad stomachum nauseantem, & acescentem, coriandri seminis triti ∋ III. & lactucæ albæ seminis triti coclearę unum; si hæc aqua permixta ieiunus accipiat, prodest. Stomachum conroborat herba absinthij decocta cum uino austero, atque ita subinde pota, si febres non erunt; quòd si inquietudo fuerit, cum aqua coqui, & dari debet; mirum est.

Ad solitaneos stomachi dolores, malagma sic compones; fœnigręci cyathum, lini seminis cyathum, ibisci purgati libram unam, aquæ 8/ IX. olei 8/ IIII. spumæ argenti libram unam, ceræ russę P. I. S. hæc omnia in unum concorporabis, & decoques, & cùm malagma feceris, in pannum induces, & stomacho apponęs, & circa uiscera, tam diu habebis, & tam adsiduè adpones, donec dolor abscedat.

Ad stomachum fastidientem escam, & reuomentem, rosæ medium, quod semen portat, id est ipsum florem croceum, contundes, & aluminis scissi, cyperi, bdellæ, absinthij succum, meliloti, rosæ siccæ, acaciæ, iris illyricæ, olei nardini, ceræ, opobalsami; pares mensuras harum omnium specierum conteres in mortario marmoreo, & stomacho epithematium mirificum superpones, ad ignem, ut est consuetudo, compositum. Epithematium optimum ad stomachum reparandum; mastiches uncias VI. aloes — III. styracis — II. ceræ P. I. nardi — VI. hæc pariter miscebis, & epithematium subtile facies, quo multis horis, certè hyeme per totum diem, uti poteris.

Ad dolorem stomachi, uettonicæ radicis fasciculum in olla decoques ex aqua, eandemque ollam sub diuo habeto opertam; cùm stomachus dolore uexabitur, usque ad tertias eandem aquam excoque, & inde cyathum unum bibendum ieiunus ad diem sume.

Vrticam semen habentem in summo deme, ac diligenter laua, & ex ea sorbitionem facito bene conditam sine pipere; suauissimè accipieris ad stomachum reficiendum. Lactucæ nigræ semen, quod ipsum ualde nigrum est, in pila lignea tunsum, cum melle subige, atque permisce, & inde quotidie ieiunus sume coclearę plenum, bene stomacho laborantem accipies. Ad dolores stomachi ueteres, & ad stomachum fatigatum, facies oxyporium sic. piperis seorsum teres semunciam, & bulbos XI. incoctos separatim nimium diligenter teres, & utrumque miscebis, tum adijcies mellis optimi despumati 8/ II. & ita in olla noua coques ad tertias, & sumes ieiunus diurna coclearia singula bina, uel terna tandiu, donec corrigas stomachum laborantem. Butyri libram decoque, quousque inde pars sexta decedat. tum cum eo serpyllum coque, & si patietur stomachus tuus, ieiunus illud fortiter manducabis; sin autem fastidium erit, pultem facies, & tum in ea mixtum manducabis. Sal tritum ex mulso ieiunus contra dolorem stomachi qui biberit, remediabitur. uenter quoque ossifragi arefactus, & potioni aspersus, plurimùm prodest. Stomacho exulcerato, cicatricem hoc medicamentum inducet; aloes ∋ VIII. misyos scripula VIII. turis scripula VIII. tunsa cribrataque, hæc melle optimo comprehendes. si plenius, uel ualidius facere uolueris hoc medicamentum, myrrham, & anethum ex tertio adijcies, & dimidium coclearę cum potione mulsi ieiunus accipies.

Stomachi dolorem concitatissimè sedant, absinthij unciæ tres, rutæ unciæ III. ex aqua ad dimidias coctæ & ieiuno ad mensuram potionis bonæ potui datæ. Marrubij uiridis fasciculum decoques ex aceti sextarijs tribus, usque ad heminam: tum exprimes marrubium, & adijcies despumati mellis quartarium, & iterum decoques, quousque ad crassitudinem coeat; inde coclearę unum contra dolorem stomachi ieiunus accipies. Herbæ uerbenæ tunsæ, & cribratæ pulueris coclearia quinque, laboranti stomachi dolore dabis ieiuno per triduum, in tribus optimi uini cyathis. cæteris, prout uires erunt, dato, febricitantibus sanè ex aqua calida dare debes. sed si quis exulceratum stomachum habuerit, caprinum lac coctum frequenter bibat. Rutæ semen cum sulphure uiuo, minore mensura adiecto aceto contrito, atque ieiunus manè gustato, optimè aduersum dolorem stomachi accipieris.

Repentinum stomachi dolorem, tres ceputij longi purgati, & singuli cum melle sumpti statim sanant.

necnon

necnon,& terræ malum comeſtum,dolores ſtomachi celeriter caſtigat.

Solutionẽ ſtomachi infirmitatẽmque confirmat oui ſemicocti uitellus,& gallæ pars dimidia trita, ſi ante duas horas,quàm cibus ſumatur,mixta hæc cum uino hauriantur,ſed uetere, & tepefacto. Rancorem ſtomachi temperat caro uaccina ex uini,& aceti æqua portione diſcocta,& cibo ſumpta.

Inflationem ſtomachi ſedant,marathri,id eſt fœniculi,& apij radices,in uino albo odorato uetere infuſæ;de quo ſi ieiunus quis cyathos duos potet, cum calidæ aquæ cyatho mixtos, optime accipietur. rutæ quoque hortenſis paululum cibo ſumptum, uel in potione dilutum, atque epotum, inflationes ſtomachi compeſcit.

Inflationẽ ſtomachi potentiſſime diſcutit, fimus uituli recens ex uino potui datus; hoc & dolores eius ex frigore,aut cruditate obortos mirabiliter mulcet. Remedium phyſicum magnum aduerſum dolorem ſtomachi.in lamina argentea ſcribes,& dices; aritmatho,aufer dolores ſtomachi illi,quẽ peperit illa. eandem laminam lana ouis uiuæ inuolutam, collo de licio ſuſpendes, & id agens,dices, aufer mihi, uel illi ſtomachi dolorem aritmatho.

Dolorem,& inflationem ſtomachi ſanat iecur lupi,priùs aqua coctum,mox areſactum,& tritum,potionique inſperſum. Faſtidium ſtomachi releuat papauer ſilueſtre, quod gallice calocatanos dicitur, tritum,& ex lacte caprino potui datum. Epithema optimum ad ſtomachum reficiendum,mihique expertiſſimum,conficitur ſic.maſtiches,turis,nardiſpicæ,aloes,abſinthij,ſingulas uncias.ſtyracis — I I. S. croci — I I. S. ceræ,& medullæ ceruinæ,ſingulas libras. ſtyracem , & crocum pridie macera uino ueteri infuſum,& ſic diligenter tere;medullam,& ceram remitte igni,cætera tunſa cribrataque ſimul miſce, & ce roto ſuperinfunde , & in panniculo utere ad ſtomachum duabus , uel tribus horis; & ſi durius uidebitur quàm eſſe debet,oleum nardinum,aut gleucinum adijce,ut molleſcat. Hyſſopum coctum cum oxymellite ieiunus,uel poſt cœnam,qui per cocleare quotidie accipiet,facilius conficiet cibum.

Radicem fœniculi in uini cyathum radito, & priuſquàm cœnes, uel cùm dormitum ibis,potui ſumito, quo facto melius digeres. Laſeris ueri modicum,ex aquæ frigidæ cyatho dilutum, dormitum iturus bibe,digeſtorium mirum experieris. Mellis attici libram unam, uettonicæ tritæ — I I I I. in unum permiſce,& pone,ut conferueat; quod cùm refrigerauerit, facies paſtillos nucis auellanæ magnitudine,& poſt cœnam ſingulos hauries;quo facto apprime quoſlibet concoques cibos.

Item aliud embamma digeſtorium optimum,& utiliſſimũ,ſic.liguſtici drach. I I I I. gingiberis drach. I. petroſelini drach.I. piperis drach.I.epithymi drach.I.& laſeris ſcripulum dimidium;tunſa hæc,ac diligenter cribrata miſceto cum paſſo;hoc facit, & ad eos,qui cibum tenere non poſſunt, eumque uomitibus reiectant;mox ergo ubi cibum ſumpſerint , dato paſtillum ad modum nucis auellanæ de medicamine ſupra ſcripto,& ad præſens eos abſtine potu,citò remediabis.

Epithematium uehementiſſimum ad cibum conficiendum , ſic. zingiberis ex aceto macerati P.I. auripigmenti P.I. feculæ P.I. calcis uiuæ drach. I I. ſinopidis ponticæ P. I. lixiuæ ℥.I. trita hæc in ollam nouam mittes,& feruere facies ſimul,donec mellis craſſitudinem habeant,& cùm opus fuerit, inducta panno calida uiſceribus adpones. Cùm ibis dormitum,zingiberis modicum ſub lingua teneto,& ex poſca calida manus laua,optimè digeres. Vrticæ — I I I. iris calydoniæ — I I I. ſchœni — I I I I. cyperi — I I I. magmatis — I I I. petroſelini — I I I I. inulæ — I I. piperis albi — I I.melle colliges hæc omnia trita,& uteris oxyporio optimo ad digerendum,unde etiam cœnatus parum accipies.

Cùm te in lecto poſueris,uentrem tuum perfricans dices ter,lupus ibat per uiam,per ſemitam, cruda uorabat,liquida bibebat.phyſicum hoc ad digerendum de experimento ſatis utile. Pulegium,& naſturtium ex aqua ſimul decoctum,manè bibe,emendabis,uel diſcuties cruditatem. Quercus uiridis folia, cum ſalis ſpuma contrita,& potui data,remediant cruditatem. Acorum ponticum tritum ex aqua calida,potum menſura cyathi unius,ieiuni ſtomachum reficit cruditate depulſa.

Iis,qui nec potu iuuantur, nec cibo , & ſtomachi ructus amaros patiuntur, centauream,id eſt fel terræ contritam ad menſuram denarij argentei ex aquæ calidæ cyathis tribus bibendam ieiunis per triduum dabis,ſtatim diſcutietur infirmitas. Succum abſinthij, quem Græci chylon abſinthiu uocant, auellanæ magnitudine,in aquæ calidæ quartario bibendum da ieiuno,componetur ſtomachus,& adpetentiam ciborum habebit,quiſquis patietur ex infirmitate faſtidium. Oxyporium mirum neronianum æſtiuum, & hyemale, ſi ei,cùm uolueris, piperis aliquid adieceris, quod faſtidium ſtomachi marcoremque deterget, conficitur ſic. In muſti recentis,& dulcis congium ex uuis albis facti,atque in ollam grandem miſſi, adduntur cydonea V. non purgata,totidem mala punica, additur, & ſorborum maturorum ſextarius, & rhus ſyriaci ſextarius,croci ſcripulus.hæc coquuntur,uſque ad craſſitudinem mellis. poſtea diligenter colantur,repoſitum medicamen ſeruatur in uitro ſignatum,ſed omnino diligenter colatum, ut excrementa omnia ſeparentur,inde datur ieiuno ligula plena grandis.hoc eſt oxyporium,quo Nero utebatur ad digeſtionem,quod Marcellus medicus egregius oſtendit, quod & nos uſu probauimus. Nam & ſtomachum mirè componit,& humores ſiccat.excrementa quoque illa data dyſentericis, mirabili efficacia proſunt. Oſſifragi uenter madefactus adpoſituſque ijs ad ſtomachum,qui cibos non conficiunt,utiliſſimus eſt,uel etiam ſi tantùm manu teneatur,plurimũ iuuat. Oxyporiũ dionyſianum ad digeſtionẽ,& ad rigorẽ ſtomachi,& ad confirmationẽ aqualiculi,conficitur ſic.cydoneorum incoctorum tunſorumque ſucci ℥.I. mellis deſpumati ℥.I. aceti optimi ℥.I. hęc in unũ permixta,uaſe duplici decoquũtur,donec ſoliditas ad unũ ſextariũ redigatur;additur pulueris petroſelini — I. cymini ſemuncia, & bene cõtempera-

tum medicamen uasculo uitreo conditur sub signaculo, atque inde cocleare plenum a ieiuno accipitur. Oxyporium olympianum polyetes ad digestionem parandam, accipit hæc. piperis — I. S. zingiberis — I. S. in puluerem redacta & creta hæc, dum ad digestionem temperanda erunt, ex melle dabis. Oxyporium pancharianum ad digestionem, quod & aqualiculi corruptelas uel aciditates cōsumit, & stomachum marcentem recreat, tertianam etiam cum uino & calida sub hora datum, mirè tollit; conficitur sic. piperis uncias quatuor, ∋ III. seseleos — I. zingiberis — I. S. ameos — I. ∋ VI. anesi uncias duas, libystici — I. S. iuniperi hispani — I. ∋ VIII. ita ut iuniperum ablutum purgetur sublato semine, & sic teratur. hæc omnia in puluerem redacta reponuntur in doliolo uitreo signato; ligula plena ex mulsa aqua datur ieiuno. Ad cruditatem, quæ nauseam facit, remedium sic. uettonicæ drachma una, in oxymelitis cyathis tribus mixta potui datur. ius quoque pulli, uel ubi coctus fuerit, cruditati opitulatur, si in primo prandio sorbeatur. Ad digestionem parandam, iuniperi baccarum enucleatarū, & zingiberis, & petroselini macedonici, & piperis uncias singulas, mellis libram unam. quæ sunt sicca, tundes uel teres & cribrabis diligenter: postea mel coctum, id est despumatum admiscebis, & uteris medicamine & ieiunus, & post cœnam, per cocleare accepto quanta sit magnitudo auellanæ maioris. Ad stomachi dolorem in impetu cohibendum, pomorum cydoneorum cutem tolles, atque inde uncias quatuor, & pulegij unciam unam, piperis unciam unam, zingiberis uncias tres, allij gallici uncias tres, mellis selibram, aceti quod sufficiat, adijcies, & diligenter trita omnia permiscebis, atque inde cocleare plenum dabis, etiam cibato. Antidotum acharistum multiplex, mirum. facit ad eos qui escam non digerunt, & qui male ructant, & ad stomachi dolorem, & ad lateris, & uesicę, & renum molestias, & ad omnia quæ interius causas malę ualetudinis habent, id est ad scotum, ad febrem quotidianam, & tertianam, & quartanā, ad sanguinem tussientes, ad suspiriosos, ad dysentericos & ad colicos, & ad hepaticos, & ad nimiam uigiliā, & ad strophum, & ad intestinorum dolorem. morsum etiam serpentis curat, ter ad diem uulneri impositum, uel potui datum. confectio hæc est; cinnamomi — I. myrræ — III. piperis — I. castorei semunciam, galbani — I. styracis — I. casiæ fistulæ semunciam, piperis longi — I. costi — I. opij semunciam, spicænardi €. croci €. mellis attici 8. I. omnia ista tundes diligenter, & cernes bene, & in puluerē mollissimum redacta mensurabis, præter opium & galbanum. galbanum in olla noua excoques, ita ut ter bulliat super prunas: opium autem cum uino uetere teres, & permiscebis diligenter, & tum cętera omnia simul permiscebis diu, & diligenter agitata recondes sub signaculo, in pyxide buxea, aut in doliolo uitreo, & dabis cui uolueris, ad modum auellanæ, cum mellis coclearibus tribus, uel quatuor. & postea dabis potionem calidę aquæ, & cum dederis, accipies mercedis quodcūque: multi enim qui citò curati sunt, ingrati extiterunt, propter quod ipsum antidotum acharistum appellatur, id est sine gratia. Oxyporium quod dicitur chymation, facit ad calculos, & ad renium dolorem, & ad inflationem stomachi, phlegmaticis quoque prodest, & halycis, sed & tortiones & hæmorroidas curat, & quæ in ano nascuntur. restringit & mēstrua nimia, & hepaticos & spleniticos, & tussicos solitaneos curat, & cadiuis prodest; accipit hęc. Inulæ — I. fœniculi seminis uncias tres, piperis nigri uncias II. tundes hæc separatim & cribrabis bene, & conficies uel permiscebis melle semicocto, & dabis nucis pōticæ magnitudine cum aqua calida. quidam hoc in oxymelite soluunt, quidam in uino mixto accipiunt, alij consuerunt cocleario accipere purū ad lapides eijciendos. Descriptio panni rustici facientis ad uiscerum curationem sic. olei P. I. axungiæ ueteris P. I. butyri P. I. herbæ sabinę P. I. barbæ iouis P. I. tandiu hęc decoques, quandiu herbæ arescant; postea colantur, & additur ceræ libra, resinæ P. I. farinę de pulegio P. I. pulueris de bacca lauri P. I. de fimo ouillo unde ouibus in lana hæserit P. I. hęc omnia in unum corpus rediguntur & permiscētur, & inde pannus inducitur, & quotiens uolueris reparatus stomacho adponitur. Dia tessaron, quod febrem sedat, & uiscera componit. accipit hęc, olei coclearia tria, aceti coclearia tria, mellis boni despumati coclearia tria, uini ueteris boni coclearia tria, hæc tandiu decoquuntur, quandiu omnia ad tria coclearia redigantur, & ita linteo inducta stomacho superponuntur, uel ieiuno tepida per cocleare dātur. facit hoc medicamen ad omnes stomachi molestias. Ad dolorem stomachi, uel tumorem, uel uiscerum infirmitatem, remedium sic. succi ex absinthio 8. I. aceti optimi 8. I. olei mollis 8. I. ceræ ponticę libram unā, medullæ ceruinæ — IIII. hęc lento igne decoques usque ad mensuram sextarij: exinde linteum densum tinghes, & mature in lecto uisceribus adpones, utendum in horam II. Confectio oxymelis dia scilliu, ad stomachi causas sic. scillæ libram comminues de hastula lignea acuta minutissimis partibus, & superfundes illic aquę nitidæ fontanæ 8. III. ac die tota & nocte coopertum uas, in quod hęc miseris, esse permittes: alia die in olla rudi cum ipsa scilla deferuere facies lento igni usque ad sextariū aquę, tum linteo nitido exprimes scillam ipsam, ut sextarius ille defluat, adijcies huic sextario aceti optimi sextarium, & mellis optimi despumati P. II. rursum in eadem olla feruere usque ad sextariū. tum recondes in ampulla nitida, & signatum habebis, & cùm imparationem stomachi senseris, coclearia singula plane tepefacta ieiunus accipies. Ad stomachi dolorem remedium physicum sic. in lapide iaspide exculpe dracōnem radiatum, ut habeat septem radios, & claude auro, & utere in collo. Epithematium ad stomachum confirmandum sic; aloes — III. turis masculi — II. mastiches albæ semunciam, styracis — II. croci I. S. meliloti semunciam, cerę ponticę uel etiā rufæ — IIII. nardi — VI. ius absinthij pontici — I. hęc omnia separatim tunsa & cribrata miscentur & coquuntur, & inducuntur in panno atque mature stomacho adponuntur. Ad digestionem parandam, quisquis sollicitus erit, acorum ieiunus commanducet, & iactet; radicem quoque amaram & inlotam ieiunus commanducet.

Nec non

Nec non anethi ſemen etiam uiridis manducatum iuuat. nam & ſomnum conciliat,& digeſtionem parat. Cōpoſitio medicaminis ſubfragi,quod facit ad digeſtionem,& uitia ſtomachi,ſiue aqualiculi. accipit hęc, petroſelini macedonici — II. apij ſeminis — I. ſeſeleos — V. piperis — V. nepetæ montanæ — IIII. pulegij ſicci quod in fumo non fuerit — IIII. thymi ſicci Є. libyſtici etiam ſeminis — I. inulæ radicis tunſæ,atque cribratæ Є. zingiberis Є. ex ijs omnibus tunſis, atque cribratis puluerem molliſſimum facies:adijcies deinde mellis optimi deſpumati quantũ putaueris mitti oportere, id eſt ut propè liquidæ,ac temperatæ colligi poſſint ſpecies ſuprà ſcriptæ, & ſic recondes in uaſe uitreo, & cùm uolueris, ieiunus,cùm tamen te digeſtum ſenſeris, ſingula coclearia non pleniſſima matutinis horis accipies.

Confectio epithematij,quod ſtomachi uetuſtas cauſas emendat,& ad digeſtionem confirmat; accipit hęc: ſeuum taurinum, ceram,medullam ceruinam,axungiam ueterem,reſinam terebinthinam,horum pondera ſingula æqualia,& mellis uncias tres,maſtiches uncias tres,ſimul miſcebis;quæ liquanda fuerint,liquabis igni: Et quę tundenda,in puluerem tenuiſſimum rediges:& confectum medicamen linteo tenſo induces,& ſtomacho,uel uiſceribus adpones;quod tamen ante momentum prandij detrahi conuenit.

Aliud Epithematium,quod ad eaſdem ſtomachi cauſas efficaciter prodeſt,ſic. ſtyracis uncias duas,aloes uncias duas,petroſelini — I. cerę libram I. nardi libram I. maſtiches uncias II. reſinæ frictę pondo S. reſinæ terebinthinę uncias duas,quę liquida erunt,& quę tundenda,ſimiliter ut ſuprà ſcriptis ſpeciebus facies:& ſimiliter medicamen uſque ad horam prandij uteris. Item aliud epithematium,quod arete dicitur,quod facit ad uetuſtas cauſas ſtomachi, accipit hęc. cardamomi unciam unam, libani unciam unã, cerę unciam. VI. reſinę uncias quatuor,ſtyracis uncias duas,olei cyprini unciam unam,uini ueteris heminam. cardamomum,& libanum ſeoṁtè tundendum,& cribrandum , ſtyrax uino infundendus, & reliqua quę remittenda ſunt,lento igne ſoluenda,& tum ſimul omnia permiſcenda; quod epithema ſimiliter linteo,aut phœnicio inducendum, & ſic ad uiſcera adponendum. & in horam prandij,ſi non fatigauerit,habendum;ita tamen,ut aduerſo pectore cuiuſlibet pueri tepefactum ponatur. Intyba decocta in cibo ſumpta,aut eorum aqua pota,ſtomachum purgant. Herbam uettonicam menſe Auguſto lectam cum ſemine, & radicibus ſuis, ſed ſine ferro erutam, areſactam diligenter, & excuſſam,ne terram habeat, contundes,& cribrabis, ac pulueris eius tenuiſſimi cyathos duos, cum aquæ ſextarijs ſex in olla noua ad tertias decoques,ollamq́ue ipſam opertam ſub diuo repoſitam habebis;ex qua ſi quando ſtomachi ardores concitabuntur,coclearia duo, aut tria laboranti glutienda dabis,mirè ſubuenies.

Herbę uettonicę faſciculum,herbę nepetę,ac pulegij uirgulas ſingulas,& ſalis paulùlum, cum uini ueteris heminis tribus in olla rudi uſque ad heminam decoques, & ieiuno ſtomachico manè coclearia ſingula,aut eo amplius dabis. Quotiens ſtomachi morſus ſentire cœperis,glycyrizæ ſuccum de ſurculo eius trahito,aut ipſam ſub linguam ad magnitudinem ciceruli habeto, nec dolorem ſtomachi, nec ſitim ſenties. Lac bubulum tepidum incoctum,ſubinde ſumptum, exulceratum quoque ſtomachum ſanabit. Coclea cruda deuorata, ita ut dentibus non tangatur, ſtomachum curat, certè languentem ſi per triduum ſic ſumatur,emendat. Cocleas ſed ueras africanas conditas ex ſale,& paulo olei coctas, ſed non purgatas,qui ieiunus ternas,aut quinas quotidie,& frequenter ſumpſerit, rariſſimo ſtomachi dolore uexabitur. certè ſi carbonibus toſtę ſumantur,melius proſunt. Si quis cymini triti ex melle terna coclearia quotidie ieiunus accipiat,ſtomachi dolore mirè carebit.

Stomacho remedium optimum de experimento tale eſt. petroſelini uncias tres,ſalis uncias duas, nardi ſpicę unciam,amomi uncias duas,hyſſopi — II. uettonicę uncias duas. hęc omnia in cucumam fictilem nouam mittes,quæ ſit ſextariorum nouem,eamq́ue aqua ſupplebis,& obturabis, ut modicum ſpiramenti relinquas,& decoques ad tertias,ac denuò aqua ſupplebis,& rurſum ad tertias decoques. tunc adijcies mellis optimi deſpumati quartarium,& tertia uice ad medias decoques, ac poſtea in uaſculo uitreo, aut fictili recondes ſub ſignaculo , atque ex eo aduerſum ſtomachi laborem terna coclearia ex aqua calida, ſi febres erunt,aut ex condito ieiunus,ſi non erunt,ſumes. Ne ſtomachus perfrigeſcat, unctio ſaluberrima hæc eſt. foliorum lauri,& baccarum,fœno græci,ſampſuci,cupreſſi,roris marini, uncias ſingulas contundes, & in uini ueteris ſextarijs V. per triduum macerabis,quarto die olei boni ſextarios tres adijcies, & in olla rudi ad prunas non acres,ita decoques,donec uinum conſumatur; tunc colabis, & excrementa, uel ſordes abijcies & rurſus ollam cum medicamine ad tenues prunas repones,eiq́ue addes ceræ nitidę libram,reſinę terebinthinæ purgatæ ſelibram. hæc omnia permixta,& coagitata,ad modum ceroti recondes. & cũ opus fuerit,non ſolùm ad ſtomachi,ſed etiam ad neruorum ; & muſculorum perfrictionem uteris ſaluberrimo unguento. Antidotum Hadriani,quo utebatur Cæſar Auguſtus; quæ potio dat omni corpori fortitudinem;quiſquis enim ea uſus fuerit,nec ſtomachi,nec iocineris,nec ſplenis,nec cordis,nec lateris,aut pulmonis , aut coxarum dolores patietur , ſed nec tuſſim , nec perfrictiones , nec ſpaſmos , nec coli dolores ſentiet , nec dyſentericus , nec hydropicus , nec ſuſpirioſus , aut cholericus erit. facit etiam hoc remedium contra omnes humores noxios , & omnia uenena , uel maleficia in cibo , aut in potionibus data. compoſitio ergo eius eſt talis . fœniculi ſeminis , cymini , gummis thebaici , phu , pulegij , origani , piperis albi , herbæ ſabinæ , petroſelini , cedri ſeminis , chamedropis , caſſiæ bonæ , iouis barbæ , rapæ ſeminis , nardoſtachyos , iunci ſeminis , euforbij , echyos radicis , hoc eſt capſellæ , cyperi , pyrethri , trifolij ſeminis, quo mulieres utuntur in capite , amomi , ſerpylli ſicci , gentianæ , ariſtolochiæ longæ, rutę agreſtis ſeminis , omnium ſuprà ſcriptarum ſpecierum uncias ſingulas. Item rutę radiculam, quę facit ad porcorum incommoda , agni radicem , hociamſani ſiue agrimonię radicem , draconteę

radicem,quæ radix eſt quaſi coſtum,& beneolet, acori radicem. harum ſpecierum ſingulas ſemuncias adpendes,& omnia,uel infrà,uel ſuprà ſcripta diligenter tunſa, & cribrata, in puluerem tenuiſſimũ rediges, ac poſtea cum melle attico,quantum ad ſpiſſitudinem ſufficiat,permiſcebis, atque ex eo,cùm opus fuerit, quanta auellanæ eſt magnitudo, ieiuno dare debebis.

Confectio aceti diaſcilliu,ad digeſtionem, & ſtomachi uitia ſic. ſcillam ſumes, & inde tolles duriſſima quæque,& proijcies,deinde omnia tenerrima concides minutè, ut habeant libram ſemis, eamq́ue crudam conijcies in aceti congium unum acerrimi;& cùm diu macerata fuerit,& combiberit, tolles ſcillam, & exprimes,idque acetum percolabis,& in uas bene picatum repones,eiuſque aceti ieiunus manè ſi ſorbeas ſingula,uel bina coclearia,ſtomachum curabis.& quod ad oris olidi ualetudinem attinet , hoc medicamento odor malus emendabitur;& ſi in naſo polypus fuerit,hoc aceto gargarizato eijcitur. quod quidem acetũ, & ad claritatem oculorum,& ad auditum aurium optimum eſt, ſi adſiduè gargarizetur; ad uocẽ quoque, & ad ſuſpirium,& ad ſplenem,optimum remedium eſt.ſi quis autem inde ad diem ſorbeat, uel dimidium cyathum,colorem optimum habebit,& facilius ſuſpirabit, & cibum melius conficiet. Nam ſi quis multum comederit,& non coxerit,& cibus ei in ſtomacho inacuerit,ſorbeat de hoc medicamento, continuò deſinet crudus eſſe.ut ſcias uerò quantam uim habeat,etiam caducis datum prodeſt. Nam ſi uel duos cyathos cadiuus inde ſorbeat,& currat paſſus milleducentos quinquaginta ieiunus, mirè remediabitur,ſi uel tertio,aut quarto die id acceperit.quòd ſi quis erit in accipiendo quotidie patiens, penitus carebit hoc morbo .hoc medicamen,& uentos eijciet,& uenas purgat. Nam is morbus ex uentorum multitudine mouetur.frigeſcit enim corpus de imparatione,& nauſeam facit,& uomitus mouet. Si quis ergo hoc ſumat,omnem eſcam,& potionem bene concoquet,& nulla res ei nocebit.ac ſi uoles hoc medicamine phthiſim ſedare,adde uini dulcis paululũ,& ſic dato mixtum ſorbere ieiuno.ſi quis ſanguinem excreabit,hoc medicamine accepto,facilè eijciet omnẽ moleſtiam,& uenæ ei purgabuntur;quodq́ue ad pulmones,& arterias corruptas attinet,per uomitum ſanabitur,ſi hoc medicamento utatur adſiduè.& ſi quẽ aqua intercutis tenebit,id eſt ſi hydropicus erit , ſanabitur ; faciliusq́ue curabitur, ſi recens morbus fuerit. nam per urinam illum cito digeret; & quod ad ſplenem attinet, extenuabitur. oportet ergo prius uidere, unde quis morbus ueniat.ſi à ſplene erit,uenter ſoluetur,aut crura turgebunt. dari itaque oportebit manè ieiuno duos cyathos,certe,uel unum cyathum, ſi ſatis infirmus erit dato.quòd ſi ab iecore erit morbus, mellis cyathum,aut paſſi commiſcẽs cum cyatho eius aceti,idque per dies aliquot dabis ; primùm nanque ſudoribus uehementiſſimis,poſtea etiam urina multa purgabitur,deinde cibum,& potionem libentiſſimè ſumet,omniaq́ue citò concoquet. Ad ſtomachi dolorem arcendum,cymas ſinapis uiridis ex aqua diligenter coques in olla noua,eaſq́ue conditas oleo, & liquamine manducabis; ſanè obſerua, ut paululum ſalis mittas,dum coquuntur,propter Bromum. Mel,rutam,cyminum,piper, ſimul tere, & utere pro oxygaro ad inhibendum ſtomachi dolorem. Papauer noſtrate cũ lacte ſuo ſimul decoques in aqua, & ipſam aquam diligenter colatam,ſtomachico cum melle attico potui dabis. Iris tunſæ heminam, cyperi tunſi heminam,in uini aminæi ſextarium infundes , ut una nocte macerentur , deinde addes reſinæ terebinthinæ — I X. ceræ — I I I. quas cum olei cyprini ſelibra liquefacies:deinde ſimul omnia miſcebis,& manibus ſubiges,atque malagmatis more ſtomacho laboranti adpones. Ceram,adipem anſerinam,& butyrum in ſe decoque , & in panno tenui ſtomacho calidum adpone,confeſtim dolori ſtomachi ſubuenias. Peucedani radicem contritam ex uino qui frequenter biberit,nec ſtomachi dolorem,nec pulmonis inflationem patietur.

Item ad ſtomachi dolorem,perſici folia uiridia teres , & cum axungia uetere purgata ſubiges , atque in panno ad ſtomachum pones.idem præſtat mentaſtrum,quod ſupra ripas naſcitur ſimiliter impoſitum. Oxiporium cydonite,quod facit ad ſtomachum,& tuſſim,empneumatoſim quoque ſoluit , & digeſtionẽ citiſſimam præſtat;conficitur ſic.cydonea matura purgabis de foris,& deintus, & penſabis ad pondo tria, coqueſque ex mulſo in olla rudi;& cùm fuerint cocta,eijcies de olla in catinum, uel mortarium, ſeparabis deinde ſuccum illum,quem excocta dimiſerint:poſtea remittes cydonea ipſa in ollã,& tunc addes ibi aceti pondo duo,mellis optimi pondo tria, mali granati expreſſi ſextarium unum; coques poſtea lento igni, donec unum corpus fiat,& habeat mellis ſpiſſitudinem;poſtea autem refundes illud in mortarium,& teres diutiſſimè,donec omnis duritia diſſoluatur.& dum teris,ſummatim adijcies ſemunciam zingiberis, & piperis triti — I I. petroſelini — I. & ſimul iterũ diſcoques; ac poſtea miſcebis mulſam,ubi cocta fuerint cydonea,atque ita in uaſculo uitreo recondes, & cùm opus fuerit per cocleare ieiunus accipies. Stomachi,& capitis dolores,tuſſim quoque,lõgaſq́ue ægritudines curat , & dyſentericis medetur, leptopyrexias ſanat,dolori etiam faucium, & ſynanchæ ſuccurrit, tale medicamen. piperis albi — I. S. mellis attici — I. S. aſari — I. uettonicæ,ſaxifragæ,caſſiæ fiſtulæ, pondus ut ſuprà.hęc omnia trita cum deſpumato melle miſcebis,& dabis cocleariũ grãde plenũ ex cõdito mixtũ,febricitanti uerò ex aqua calida. Antidotũ multiplex ad multa remedia,recipit hæc.croci ſcripulos X V. piperis albi — II. S.amomi ſemunciã, pyretri ſemunciã,dauci cretici ſemunciam,folij malabathri,nardo ſtachyos,caſſiæ, apij ſeminis,euforbij, rutæ ſeminis,petroſelini,roſæ ſiccę,opij,ſingulas ſemuncias,opobalſami ∋ V I.mellis boni P. I I.cinnami Є. ſi non fuerit cinnamum,mittes caſſiæ fiſtulæ duplum pro eo; & hæc omnia tunſa cribrabis cribello tenui. & ſic miſcẽs,opium cum melle,& mittes in mortarium, & diligentiſſimè teres,donec unum corpus fiat; ac ſic omnia permixta mittes in doliolum uitreum.cùm opus fuerit,ex hoc colicis fabæ ægyptiacæ magnitudine cum aquæ frigidæ cyathis tribus potui dabis;Iocineroſis,qui iecur grauiter dolebunt, cũ uino mulſo dabis,

dabis, ut suprà scriptum est. epilepticis, quos caducos dicunt, dabis ut supra. pleuriticis cum aquæ mulsæ dabis cyathis tribus: Stomachum dolentibus, cum poscæ cyathis tribus: dysentericis, qui persoluto uentre sunt, cum aqua frigida dabis; periodicis febribus qui laborāt, id est accessionibus diurnis, & nocturnis, cum aqua calida dabis: quibus dentes dolent, & quibus sanguis de gingiuis defluit, cum posca frigida, aut cum uino dabis, ita ut resolutum in ore teneant: splenеticis ex posca dabis: Paralyticis ex aqua calida: præcordia dolentibus, itidē ex aqua calida: tortiones uentris qui patiuntur, ex aqua calida dabis: morsiunculas leues qui patiuntur, ex aqua calida dabis: Secundas etiam mulieribus, quę ex partu, uel ex abortu remanserint, discutiet, si ex succo fœnogræci cocti, uel ex mulsa, bibendum detur: Apostemata etiam & omnia intrinsecùs collecta expurgat, ex mulsa datum, uel ex fœni græci succo: Sicca uerò tussi laborantibus, ex melle solo dabis: Ad uuam stillantem ex mulsa gargarizandum dabis: ijs uerò qui fungos uenenatos comederint, cum oxymellis cyathis tribus dabis: Venenum si quis biberit, ex succo ptisanæ resolutum accipiat. In omnibus sane passionibus triduo continuo dabis. si necesse fuerit, iterum alio triduo dabis. omnibus sane quantum fabæ ægyptiacæ granum est, dabis. Confectio potionis ad omnem sanitatem utilis, & ad stomachi confirmationem, accipit hæc. lauri baccarum purgatarū unciam unam, myrrhæ — I. gentianæ — I. aristolochiæ rotundæ — I. puluerem tenuissimū ex ijs speciebus separatim tunsis facies, & postea permiscebis, & repones: & cùm uti uolueris, cocleare unum cum potione calidæ aquæ ieiunus accipies; & interpositis diebus cùm uolueris, iterum accipies. Primo uere tamen incipies hac potione uti, & deinde quomodo uolueris, per tempora triduo continuo uteris. Antidotum quod facit ad omnes dolores internos, & ad stomachum confirmandum, recipit hæc. apij seminis ℈ XXI. anethi seminis ℈ IX. castorei ℈ VI. piperis ℈ III. opij ℈ III. myrrhæ ℈ III. hæc omnia separatim tundes, & ex melle optimo temperabis, & cùm uolueris dare potionem, in modum fabę globulos facies, & dabis ex condito, siue uino uetere; sed si febricitauerint, ex calida aqua. hæc confectio dicitur athanasia, facit ad lateris, & ad coli, præcipuè ad stomachi dolorem. Lini seminis, & fœnogræci, & fœniculi farinæ, singuli sextarij cum aqua mulsa decocti, & in panno stomacho laboranti, & uisceribus duris adpositi, plurimùm prosunt. Ad eos, quos subitò linquit animus, & quibus mens alienatur, aut uertigo est, coclee cum suis testis tritæ incoctæ, ita dantur per dies quinque, ut prima die coclea una, cum passi cyatho potanda detur: alia die duæ, cum duobus cyathis, tertia die tres, cum tribus cyathis, quarta die duæ, cum duobus cyathis, quinta die una cum cyatho uno. Potio efficacissima stomachi remedio, sic. apij seminis drach. VI. petroselini drach. IIII. spicænardi drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. piperis longi drach. V. contrita uniuersa hæc diligenter in unū miscentur, deinde adijcitur mellis optimi despumati quod satis sit, atque in uase uitreo mixta seruantur. inde cùm opus fuerit, post balneum drach. IIII. aut etiam minus, si infirmior erit qui accepturus est, ex aqua calida, uel ex mulso, in potione dabuntur. Porri capitati excocti in cibo sumpti cum aceto, plurimum prosunt stomacho laboranti. Vrticæ semen coctum iuuat stomachum, si cum pane manducetur, & cū iure suo. cydonea quoque incocta, in melle seruata, ieiuno data plurimùm prosunt. Thalassomeli quod iucundissime ∫ & inflationes deponit, & uentrē purgat, sine stomachi uexatione. est enim, & odore, & sapore gratissimo, quod hoc modo fieri debet. aqua marina ex alto, id est de profundo, uel aqua cœlestis cum sale mixta, pari mensuræ mellis optimi despumati permiscetur, & seruatur in uase fictili: & cùm opus fuerit, tepefacta potui datur. Purgatorium efficax, quod nec stomachum uexat, nec caput grauat, & bilem deducit. lactis caprini sextarium, salis ammoniaci — II. mellis optimi — I. in unum omnia diu cōtrita, & permixta ieiuno potui dantur. sed post potionem diu inambulare debet, ut ipsa potio melius motu corporis prosit. Sambuci liber inter corticem, & surculum rasus, & tritus, adque nucis iuglandis magnitudinem ex aqua, uel mulso potus, miro modo detrahit bilem, ac stomachum releuat. Vettonicæ herbæ folia in umbra arefacta contunde, & cribra, atque ex eo puluere paululum, & mellis decocti cyathum unum permisce: atque inde post cœnam ad magnitudinem ciceris transglutiendum dabis ei, qui cibum euomit statim, & non potest continere. Radicem ficulneam uini ueteris cyatho uni in rade, & priusquàm cœnes, uel cubitū eas bibito, si uitio stomachi laborabis. Laseris ueri modicum ex aquæ frigidæ cyathis quatuor dilue, & dormitum iturus bibe, ut cibum bene concoquas; aut eius radicem gustato dormitum uadens, idem tibi præstabit. Rorem marinum ieiunus commanducet, aut in aqua calida excoctum bibat, qui cruditatem patietur, statim remediabitur. Compositio potionis ad dolorem stomachi, siue ad nauseam reprimendam, sic. herbæ mandragoræ, quæ nascitur in locis montanis, succus expressus ad ponderis scripulum dimidium, potatusque ex aqua calida, uel ex mulsa, nauseam expellit, abundantiam phlegmatis purgat, sedatque dolorē stomachi, & fastidium discutit. ultra hoc autem pondus ne dederis, quia nullius stomachus uim eius poterit sustinere. Pulegium cum oxymelite decoctum, ad mensuram heminæ tepefactum, ieiuno, & digesto dabis bibendum, non solum stomachum reficies, sed etiam si circa cor aliquid erit uitij, eadem potione sanabitur. Ad stomachum componendum uteris remedio tali satis commodo. rutam, apium, anethū, cyminum, æquis portionibus coques cum uini ueteris sextarijs duobus, postea addes olei amari 8. I. & iterum coques, uel aliquandiu combullire permittes; atque inde cùm utcunque resederit feruor, per globum lanæ succidæ stomacho quod sufficiat, infundes, ita ut postea densus lanæ floccus supra stomachum iacentis ponatur: Post horam quàm hoc feceris, de nardo tepido stomachum perfricabis, & de sabano molli leuiter detergebis, deinde infirmum deambulare facies. Confectio epithematij, quod stomachi uetustas causas emendat, & ad digestionem confirmat. ceram, seuum taurinum, medullam ceruinam,

axungiam ueterem,reſinam terebinthinam, horum pondera ſingula æqualia mittes, deinde adijcies mellis — III. maſtiches uncias tres;quæ liquanda fuerint liquabis, & quæ tundenda tundes: & ſic confectum medicamen in linteo adponetur ſtomacho,quod ante momentum prandij ſubtrahi conuenit. Item aliud epithema,quod efficaciter prodeſt ſtomacho,& uiſceribus.ſtoracis — II. aloes — II. petroſelini — I. ceræ libram unam,nardi P. I. maſtiches — II. reſinæ frictæ P. S. reſinæ terebinthinę — II.quę liquanda ſunt, liquabis,& quæ tundenda tundes,& permiſcebis,& ſic confectum medicamen ſimiliter linteo inductum ſtomacho adpones. Ad confirmandum ſtomachum,uel conſeruandum,ſi quis infirmũ habet de quartanæ labore,epithematium tenue;axungiæ porcinæ,butyri,reſinæ frictæ,herbæ ſabinę,cerę rufę libras ſingulas,ceruſſę — III. cerę ponticę — III. hæc omnia ſeorſum parata miſcebis, & ſimul decoques,& ſic uteris. Deſcriptio polyarchij ad ſtomachum poſt diutinas febrium moleſtias componendum.caſſiæ — I. roſę ſiccę — I. cyperi — I. cardamomi — I. nardoſtachyos — I. nardi celtici — I. malabathri — I. iris illyricę — I. œnanthes — I. maſtiches chiæ — I. croci — I.amomi — I. meliloti — I. abſinthij — I. coſti — I. guttę ammoniaci — I. aloes — I. turis — I. myrrę — I. bdellij drach. VIII. ſtyracis drach. X. in uino infuſæ,xylobalſami drach. IIII.ſchœnianthus drach. IIII. reſinæ terebinthinæ drach. XLVIII. nardomyri drach. LXIIII. ex quo cerotum facies adiectis olei roſei drach. LXVI. ceræ ponticę drach. CXXVIII. opobalſami drach. XVI. hęc omnia tunſa cribrata,& cętera uino optimo madefacta,ſimul in mortario colliges,ex quibus trochiſci,uel madgalia fient.ceroto uero facto,uel puluis ſuprà ſcriptus,uel ramenta miſcentur.

Cordis dolori,& corco,& præcordijs,remedia rationabilia diuerſa de experimentis. Cap. XXI.

Præcordiorum dolorẽ catuli lactentes admoti uiſceribus humanis,transferre in ſe adſeruntur,idque exenteratis perfuſiſque uino deprehenditur uitiatis eorũ uiſceribus. Ad corcum,carmen in lamella ſtagnea ſcribes,& ad collum ſuſpendes hęc; ante uero etiam cane. corcu nec megito cantorem. utos utos utos,præparabo tibi uinum leue,libidinem diſcede anonnita. In nomine dei Iacob, in nomine dei ſabaoth. Item ad id,aliud carmen;corce corcedo,ſtagne, paſtores te inuenerunt, ſine manibus collegerunt,ſine foco coxerunt,ſine dentibus comederunt. Tres uirgines in medio mari menſam marmoream poſitã habebant.duæ torquebant,& una retorquebat;quomodo hoc nunquâm factum eſt, ſic nunquàm ſciat illa gaioſeiã corci dolorem. Ad cordis dolorem, uel ad eos qui lumbricis in corde uexantur.aquam maluæ cum melle pari menſura permixtam tepidam ieiuni bibant. Ad cordis dolorem herbæ erythrodani,id eſt caulis purpurei,hoc eſt marini,uel ſiſymbriæ ſuccum, ad plenitudinem conchulę oblongæ,quam Græci telyneſi, alij chemam macram uocant, cum aqua calida prope noctem dormitum uadens bibat. Pinus uiridis aciculę contritę,ex uino optimo potui datę,cordis dolorem ſedant,ita ut qui potionem acceperit,pinguibus eſcis abſtineat. Dolorem cordis leuat cymini æthiopici commanducati ſuccus frequenter tranſmiſſus. Aduerſum cordis pulſum,uel dolorem,mirum remedium quod in lamella ſtagnea ſcribes, . & phylacterium de ſtyrace ſubfumigabis,& in collo ex licio ſuſpendes,ita proderit,ut ſtupeas. Ad dolorem præcordiorum cataplaſma egregium. lini ſeminis ſextarium unum,fœniculi ſeminis ſextarium unum ex aqua mulſa decoques, & in panno calido pręcordijs ſępius adplicabis, mirè proderit. Cerotum ualde efficax ad cordis dolorem; cerę ſelibram,olei cyprini ſelibram,abſinthij pontici ſelibram.abſinthium tundes,ceram remittes, & permiſcebis, ac pro ceroto utêris. Qui pręcordiorum ardore uexantur,ſi etiam febres, & lumbricos habeant, hoc remedio ſanabuntur.ouum crudum ſuminitèr apertum exinanies,idque implebis oleo uiridi,& defundes, & lotio uirginis pueri implebis,& defundes;tum adijcies parum mellis,& in unum cum oui ipſius interioribus permiſcebis,& potandum ieiuno dabis.hoc & ſtercus uetuſtiſſimum, & lumbricos noxios pellit,& febrem acutiſſimam releuat. Bulbi excocti triti inliti,tumorem pręcordiorum, & uentris emolliunt. Item proficies,ſi ocimum triueris,& eo pręcordia ſpiſſius inleueris. Fœniculi farina cum pari menſura mellis decocta,ceroti modo,panno inlinitur,& calens tumori pręcordiorum imponitur. Malagma ad pręcordiorum tenſionem,& uentris,ac ſtomachi duritiem diutinam cum dolore,quod & iecori, & lieni prodeſt,conficitur ſic.cerę P. I. guttę ammoniaci P. I. iris illyricæ denarios XXII. opopanacis denarios XX. aneſi denarios XXV. fęnogręci ſeminis ⚹ XXV. reſinę terebinthinę P. I.adipis ſuillę ueteris P. I. aceti acris 8; I. mellis P. II. mel cum aceto permiſcendum eſt, atque illic arida omnia,die, & nocte maceranda ſunt: Terebinthinam uerò,& ceram,& adipem liquefactam in unum cæteris admiſcere oportet,& deinde manibus diutiſſimè ſubige,donec ſine offenſione malagma temperatiſſimũ fiat. Ad cordis pulſum,ſiue ſaliſſationem,ſuccinũ uerum mittes in aquã feruentem, & illic eſſe patieris, atque inde per triduum laboranti ſingulos cyathos tepefactos,ſi nimium erit frigus dabis bibendos;hoc remediũ & hominibus,& animalibus prodeſt.

Ad hepatis ſiue iecoris uitia omnia,& moleſtias uniuerſas, remedia rationabilia, & phyſica diuerſa, de experimentis. Cap. XXII.

Putæ ſiluestris manipulo,in ollam nouam coniecto decoctoque ex tribus heminis aquę ad heminã, adijcies mellis librã, ruſuſque ferueſacies; ex eo per triduum ieiuno potum dabis iocineris dolore nimio laboranti.

laboranti. Hircinus sanguis adhuc calens supra prunas excoctus, & cibatui datus ieiuno, iocineroso mederi traditur. Viuerra tosta porcelli lactentis modo inassata, & cibo data ieiuno, mire iocineroso succurrit. Hepatice experta sic. piper album & masticen ęquis portionibus tundes & cribrabis, rursusque in mortario teres, atque ita oleo hispano optimo temperabis, ut sit spissum. inde catapotia facies magnitudine ciceris, atque in sole siccabis, ut durescant. tunc in pyxide recondes, & ex his unam pilulam ieiuno in ouo sorbili dabis, adijciesque parum salis, sed per triduum dabis. Tumori iocineris adprime medetur hoc remedium. inulæ radicis uncias tres, quæ Græce dicitur helenium, decoques ad medias in aquæ sextarijs tribus, atque heminam ex ea ieiuno in dolore bibendam dabis, idque per triduum facies.

Ad ueteres iocineris dolores potio optima sic. nardispicæ ℈ VIII. croci ℈ II. myrrhæ ℈ III. cassiæ ℈ VIII. schœni ℈ VIII. omnia trita & cribrata, melle optimo comprehendes, & dabis ieiuno in potione ℈ III. ex aquæ mulsæ cyathis IIII. quousque uitium exstirpes. Ad tumorem iocineris & ad dyspnœam, remedium sic. petroselini, costi, chamæpitys, ęqua pondera tundes, cribrabis & dabis ieiuno epatico duo coclearia cum aqua mulsa. Melanthium id est git, quantum cocleare recipitur, cōtere, & da cum uino tepido dulci bibendum ieiuno epatico. Nimium laudatum iocinerosis remediū, sic. picem duram contere, & ex ea da potandum ieiuno epatico cocleare unum cum uino austero. ✝ In lamina stagnea scribe. Ite ερου, & desuper nomen eius iocinerosi, cui mederi uoles, scribe: laminam uero licio ligatam collo eius suspendes, mundusque id facito. Absinthij florem, cassiam, crocum, nardispicam, assarum, schœni florem, folium, mastichen, xylobalsamum, amomum, cinnamomū, ad drachmas septenas, aloes indicæ drachmas VI. tundes & cribrabis singula separatim, eademque miscebis, atque inde coclearia bina ieiuno epatico cum mulsa aqua tepida aut uino uetere austero per triduum dabis; quod remedium & ad digestionem, & ad crapulam deponendam facit. Antidotum ad epaticos sic. pelecini seminis, eupatorij, iocineris lupini, picis brutiæ, costi, fœnogræci, piperis: paria hęc tundes, cribrabis, & melle comprehendes, atque inde catapotia ad ciceris magnitudinem ex aqua calida dabis. Antidotum philonium ad iocineris & ad omnium uiscerum intrinsecus dolorem sic. croci drach. V. pyrethri drach. I. piperis albi drach. XX. hyoscyami drach. XX. euforbij drach. I. nardi indici drach. I. opij drach. X. quæ sunt sicca, tunduntur; cętera in mortario conteruntur, & permixta melle comprehendūtur. Hęc potio his modis ieiunis danda est: cœliacis & colicis, qui sine febre erunt, ex aqua frigida; febriculentis ex aqua in qua anethum ad tertias decoctum fuerit. in declinatione uero febris, ad magnitudinem auellanæ. spleniticis ex aqua cum appare decocta cyathis tribus, magnitudine qua supra. epaticis dimidium auellanæ modum, febriculentis ex hydromellis cyatho, uel ex aqua mulsa, in qua anethum cum surculis suis fuerit decoctum. orthopnoicis, magnitudine auellanæ, remissa in aceti scillitici coclearibus quatuor, ex aquæ calidæ cyathis quatuor. ad spasmum & cordis dolorem uel tremorem, ex aquę mulsæ cyatho magnitudine auellanæ: Ad lateris dolorem, ex aqua mulsa magnitudine auellanæ, contra noctem dabitur. ad singultus, & quibus frigus etiam estate insederit, ex aqua mulsa, modo auellanæ. phthisicis ex succo ptisanę, uel ex mulsi cyathis tribus, modo auellanæ. dysentericis ex posca cyathis duobus, modo ciceris arietini. Auriginosis ex aquę mulsæ cyathis duobus, auellanæ duplum. dysuriæ & calculo ex aquę cyathis tribus, in qua tres manipuli apij fuerint decocti, magnitudine auellanę. Potio ad epar utilissima; pręterea hęc ipsa compertum & præsentaneum remedium est, etiam ad lateris dolorem. accipit hæc. piperis — I. costi — I. lupini sicci amari — I. hęc omnia sicca tunsa, cribrata, mixta simul repones; cū opus fuerit, unū cocleare plenum, uel si uires infirmiores sunt, rasum id est ruclatum, cum uino austero, ieiuno epatico per dies tres uel quinque continuos dabis: ita ut in eo latere complicatus aliquandiu iaceat, & cooperiat se sagis: & cum cœperit sudare, leuet se & deambulet diu. Item expertum atque utile ad epar remediū, de folijs fici aridis, id est siccatis sub umbra & arefactis, tritis cribratisque; de quo puluere cum condito ad mensuram tria coclearia accipiet epaticus ieiunus, & in eo latere diutule iacebit, deinde ambulabit; & per triduum continuum hoc medicamen accipiet, similiter obseruans. ✝ Prodest mirifice hæc compositio ad tumorem & dolorem cum duritia iocineris & lienis: item ad renum dolorem benefacit: nam & colorem corporis restituit, qui propter uitia supradictarum partium corrumpitur, pallidusque conspicitur: prodest hoc idem medicamentum, etiam ad aquę mutationes, id est ad hydropem. cōficitur sic. croci ✱ X. nardi ✱ II. cassiæ ✱ II. costi ✱ I. S. schœni ✱ I. cinnami ✱ I. myrrhæ stactę ✱ I. mellis optimi ✱ XXV. datur ieiuno quanta faba est ęgyptia, ex mulsi cyathis IIII. Remedium efficax ad iocineris duritiam ueterem, quod & hydropicos, & lienosos, & arquatos, & quibus opus est moueri urinam, potentissime sanat. muliebribus quoque causis prodest; nam & ex partu residua purgat, & mā mis tumentibus prodest. perduci illud, id est potari, ex mulso uino oportet; conficitur sic. anesi ✱ IX. dauci ✱ III. petroselini idem, iuniperi idem, silis idem, tragacanthi ✱ I. S. panacis radicis ✱ VIII. iris, myrrhæ, costi, amomi, singulorum denarios senos, cinnami ✱ III. cassiæ ✱ VI. smyrnij quod est semen holeris atri ✱ VIII. nardi syriacæ ✱ IIII. acori ✱ VIII. balsami seminis ✱ VI. opij ✱ V. erui moliti 8 I. scillæ coctæ ✱ II. uini chij aut lesbij quod satis erit. pastilli ex his in puluerem redactis, fiunt denariorum duūm uel trium, & dantur cum opus est ex mulso, ieiuno & digesto. Antidotos, quę zopyre dicitur; facit non solū ad iocineris, sed & ad lateris, & ad pectoris, & ad uesicæ dolores & ad tussim ueterem, & ad hydropicos, & arquatos, & lienosos, & ad eos qui mala medicamenta sumpserint; quæ siue postea data, siue ante pota fuerint, per hoc remedium non nocebunt; conficitur sic. myrrhæ ✱ VII. S. nardi syriacæ ✱ V. S. croci ✱ I. S. schœni ✱ II. cassiæ ✱ IIII. cinnami ✱ VI.

piperis albi ✱ I. piperis longi ✱ I. turis ✱ I. scordij ✱ III. polij ✱ III. rosæ aridæ ✱ III. rapæ seminis ✱ III. anatis sanguinis recentis ✱ IIII. eiusdem aridi sanguinis ✱ III. melle misce tur contusa & cribrata omnia, donec habeat ipsius mellis temperaturam; inde plenum cocleare datur; sed a' serpente percussis, aut morsis, ex uino, ceteris ex mulso uel aqua dari oportet. Malagma ad omne uiscerum dolorem, præcipue ad iocineris stricturas, conficitur sic. nardi celticę id est saliuncę ✱ XI. iris ✱ VIII. meliloti, quod a' nobis sertula campana dicitur ✱ XXV. cyperi ✱ VIII. ammoniaci thymiamatis, & styracis ✱ VIII. cardamomi ✱ VII. croci idem. omnia suprà dicta contusa & cribrata uno die & nocte in uino uetere macerantur, prçter ammoniacum, hoc enim aceto dilui oportet. post hæc, ceræ P. II. resinæ frictæ P. I. olei rosei P. II. uel tria, ut sufficiens uisum fuerit addentur, liquefiunt quę liquefieri debent, & refrigerata atque rasa cęteris miscentur, atque unum corpus ita fit, ut diligentissimè subigantur. hoc & ad precordiorum tensionem benefacit, & ad uesicæ dolorem. Attali regis medicamentum, quod facit pręcipue ad iocineris uitia, & ad auriginem, & ad aquam intercutem, & ad lienosos, & ad præcordiorum inflationem, & ad pectoris dolorem, & ad eos qui colorem luridum habent; conficitur sic. croci ✱ X. nardi indici ✱ II. casiæ ✱ II. myrrę ✱ I. cinnami ✱ I. schœni floris ✱ I. costi — I. hęc seorsum contunduntur & cribrantur, deinde ex singulis eorum supradictis pondera sumuntur, & in unum melle mixta colliguntur, atque in pyxide argentea reponuntur. inde datur, cùm opus est, fabę ægyptię magnitudo cũ mulsi cyathis tribus, si sine febre fuerint, qui sumpturi sunt; si febricitabunt, ex aqua mulsa dabitur. prodest etiam calculosis hæc compositio, sed ad omnes causas ieiunis & maximè digestis opportune dari debet. Ad dolorem iocineris, physicum remedium sic. calculus siue lapillus, qui a' calculoso fuerit eiectus, super iecur dolentis alligatus, statim proderit. Glycia pota & uentrem laxabit, & iocineri proderit, & digestionem stomachi opitulabitur; quam glyceam sic facies. aceti 8 I. mellis P. II. aloes — III. fœniculi radices P. II. quas sublata cortice diligenter siccabis, & tundes, atque una nocte in aceto macerabis. postera uerò die excoques ad medias & colabis; tunc admiscebis mel & coques sufficienter; atque ab igne sublatum refrigerabis ut tepescat; postea aloen teres, & miscebis; pręterea apij uiridis pugnum plenum, & tantundem rutæ uiridis addes. hæc omnia ad spissitudinem mellis cocta colabis & refrigerabis, atque inde coclearia terna cum aqua calida ieiuno & digesto per triduum dabis. Item ad iocineris dolorem, remedium sic. lupinum, absinthium, costum, fœnum grecum, sed quod tostum sit, pari pondere hęc sicca tundes, & cribro medicinali cribrabis. unde ieiuno cocleare propensum ex aqua calida per triduum dabis; quod intermissis aliquot diebus, rursus per triduum similiter bibendum dabis. memento tamen ut fœnumgręcum diligenter torreatur, ut bene tundi possit; & omnia obseruet, quæ infrascripta sunt, qui remedium accepturus erit. Iecur lupi sublatum luna decrescente, in fumo ponitur, & cùm siccatum est, teritur, inde particula trita miscetur pulueri ęquis portionibus facto de fœnogręco, lupino, & absinthio & costo, ita ut ex eo, quod in se totum permixtum fuerit, mensura coclearis cumulati detur ad diem non febricitãti ex uino mixto, si febricitabit, ex aqua: ita ut per triduum, hoc medicamen ieiunus accipiat, & porrecto brachio in dextro latere uel semihora iaceat. inde diutissimè deambulet, & tardissimè cibum sumat; & obseruet, ut illo triduo purissimus & digestissimus sit, & frigidam non bibat, neque salsum aliquid aut dulce manducet. Violas agrestes siue siluestres conteres, & succum earum cum pari pondere mellis decoques, & ex eo coclearia terna ieiuno ad diẽ iecoritico dabis. ad lateris autem dolorem, si ex iecoris causa fuerit, thymi scripulos duos, & aquæ quartarium dimidium ieiunus bibet. Compositio medicaminis ad iecur, quod diatessaron dicitur. costi — I. fœnogræci — I. inulæ radicis — I. fœniculi radicis — I. hęc omnia separatim diligenter tundes & cribrabis, & delicatissimum pulverem mensurabis, & postea permiscebis; sed in sole omnia bene siccato, antequam contundas, & in una potione cocleare plenum mitte. sano ex uino, febricitanti ex aqua calida, uel ex mulsa aqua, ut uẽtrem soluat, potui ieiuno per triduum dabis, ita ut accepta potione in dextro latere aliquandiu iaceat, & postea diu deambulet, & digestissimus cibos sumat. hoc remedio scitote nihil esse pręstantius, etiam si fœminis, sed non prægnantibus detur. De medio osse sepię, quod est molle, puluerem facies, & in mixtione conditi optimi iecoritico ieiuno per triduum dabis, ita ut in dextro latere aliquãdiu iaceat cùm acceperit, & postea diutissimè deambulet. Ad iocineris dolorem, remedium sic. intyborum succi heminæ, aquæ cyathos tres miscebis simul, & calidum dabis, donec totum triduo perbibatur. quod si ex ipso dolore, cui medendum est, turgidus & indigestus fuerit, porrum capitatum incoctum manducet. Gentianam ex passo decoques, & ieiuno iecoritico per triduum bibendam dabis. Piperis albi grana XL. salicis folia ad hanc mensuram, ut fasciculus inter digitos duos & pollicẽ teneatur, cucumeris quoque quantum tribus digitis tollere potueris, contere in unum, & per triduum iecoritico ieiuno da ex aqua calida bibendum. Costi semunciam, aloes epatitidis — I. mastiches granorum — II. eupatorij — I. piperis — II. amomi semunciam, rhapontici semunciam. aloen & mastichen simul teres & cribrabis bene. reliquas species in pila tundes, & cribrabis bene, & omnes postea in unum confundes, & repones diligenter in pyxide qualicunque. cùm uolueris potionem dare iecoris uitio laboranti, in olla uel caccabo rudi, sed excocto, quartarium fœnogræci decoques. primam aquã fundes, cùm feruere cœperit, & aliam fundes, cùm feruebit. tertiam coques ad tertias, & repones uas, in quo ad tertias decoxeris fœnumgręcum, cum succo & humore suo, & inde potionem in calicem mittes, & addes de puluere suprascripto cocleare plenum. & quãdo accipit is, cui medendum erit, digestus & ieiunus accipiat, & acceptam potionem bene digerat; ita ut cũ biberit, tenso brachio dextro iaceat in ipso latere,

& hoc

& hoc per triduum similiter faciat. hęc potio iecoriticos etiam ueteres mirè sanat. Epaticis herba centaurea ex uino decocta, ac potui ieiunis data, mirificè auxiliatur. Herbæ uettonicæ in umbra arefactæ puluis, ex aquæ calidæ cyathis duobus, ieiuno iecoritico potui datus, magnificè prodest. Potio saluberrima ad epaticos, à Prociano medico ostensa. Ficatum lupi integrum folijs lauri inuolues, & ita ad solem uel ad ignem siccabis, & siccatum diligenter sublatis folijs in puluerem rediges: quem puluerem in uasculo nitido seruabis, atque ex eo coclearia duo, cum piperis granis decem tritis, adiecto melle optimo despumato quantum sufficiat, cum caroeni cyatho, in potione ieiuno dabis; quam prius ferro candenti calefacies, & diligenter in mortario permiscebis, sedentique in lecto dabis; ita ut accepta potione, contractis genibus hora integra in dextro latere iaceat, & postea uel una hora deambulet.

Herbæ uerbenæ solstitio lectæ puluis, in coclearibus quinque cum uini aminei cyathis tribus, ieiuno potui datus, mirificè prodest; sed pro ætate aut uiribus uniuscuiusque, potionem dabis.

Asini iecur tritum, cum petroselino & nucibus iuglandibus purgatis ac melle inlitis, in cibo datum epatico ieiuno, mirabile est. Prociani medici remedium de experimento, ad epatis suppurationes, & ulcera & apostemata, sic. sagapeni uncias II. myrrhæ troglodytidis uncias III. cardamomi uncias VI. castorei uncias III. piperis albi uncias duas; aut si album non fuerit, duplum de nigro mittes, opij optimi uncias II. hæc omnia tunsa & cribrata per impubes pueros, aqua pluuiali miscebis, & facies trochiscos de binis drachmis. qui trochisci in umbra, non in sole siccentur. uiris uel senioribus integros, pueris uel minoribus dimidios trochiscos, infusos in aqua calida dabis, id est non febricitanti, cum uini austeri meri cyatho uno, infirmo autem, ex aqua calida dabitur. sed quibus medendum erit, nihil pingue manducent, non oleum, non carnem, sed de lenticulæ farina pultem, cum oxymelle coctam, admixto anetho & pulegio manducent, & poscam, postea quàm excreare uel sitire cœperint, tepidā accipiant, & sensim bibant. Qui palmulas dactylos ex aceto frequenter manducauerit, iocineris dolore carebit. De lupi præda, id est, de reliquijs ueriecis, aut capræ, aut cuiuslibet animantis, quam comederit, carnem, uel pellem, uel os, collige & serua: & quando aliquis iecur doluerit, inde eum tange, continuò sanabitur.

Origanum in aqua decoque ad tertias, & postea mitte mellis quod sufficiat, atque iterum decoque diligenter ut bulliat, & inde da epatico ieiuno quod satis sit adsiduè bibendum, ualde subuenies.

Lacertam uiridem prende, & de acuta parte cannæ iecur ei tolle, & in phœnicio uel panno naturaliter nigro alliga, atque ad dextram partem lateris, aut brachij laboranti epatico suspende. sed uiuam lacertam dimitte, & dicito ei. ecce dimitto te uiuam: uide ut ego quemcunque hinc tetigero, epar non doleat. Ad duritiam iocineris molliendam, & quamlibet ueterem dolorem sedandum, benefacit cunilæ aridæ, quam satureiam quidam uocant, in puluerem redactæ denarius unus, ex mulsi cyathis duobus, si non febricitabit, uel totidem calidæ aquæ, si febriculentus erit, assiduè datus.

Ad iecoris dolorem, potio salubris conficitur sic. piperis — I. eupatorij — I. costi — III. bacani — II. fœnigræci — I S. omnia hæc trita & creta seruabis, & cùm usus exegerit, dabis in uini potione coclearе plenum ieiuno, ita ut in dextro latere tenso brachio iaceat cùm acceperit. Epithematium ad iecur sanandum, sic. guttæ ammoniaci P. I I. ceræ tantundem, olei rosei tantundem, croci — I. gutta ammoniaca cum bono aceto teritur, donec bene trita sit, & glutinosa fiat; crocum si siccum est, tunsum & cribratum, guttæ ammoniaci admiscetur, & diu teritur; si humidum est, in aceto madefactum primùm separatim, deinde cum gutta ammoniaca teritur. quibus tritis, cerotum de roseo oleo & cera punica factum refrigeratum admiscetur, & tam diu teritur uel subigitur, donec unum corpus fiat, ut magdalia inde formentur, quæ stomacho, phœnicio inducta imponantur.

Ad lienis siue splenis uitia omnia, & molestias uniuersas, remedia rationabilia & physica diuersa de experimentis. Cap. XXIII.

Ad lienosos benefacit tamarici longe à mari collecti, arefacti & contusi pulueris denarius unus, aut pondus uictoriati datum ex aqua ieiunis uel ex posca. Prodest lienosis inula arida campana contusa & cribrata, mensura denarij unius, ex uini ueteris mixti cyathis quatuor, ieiunis data.

Potio ad lienosos sic. balani quo unguentarij utuntur, denarios duos, capparis radicis ⁎ I. hederæ nigræ baccarum denarios duos, periclymeni, quam syluæ matrem uocamus ⁎ S. galbani denarij S. cardami nigri, id est nasturcij seminis ⁎ I I S. piperis nigri ⁎ I. scillæ coctæ ⁎ I I. hæc omnia colliguntur ex melle, fiunt globuli parui; dantur denarij duo uel unus, pro ætate, aut infirmitate, ex oxymelle uel ex aceto mixto, in cyathis quatuor aut tribus. eadem potio benefacit ad hydropicos ex aqua mulsa data; nam urinam mouet plurimum per quam purgantur. Lienosos sanat, extra cutem impositum, sinapi aceto pridie maceratum & tritum, adiecta lenticula ex aceto cocta. oportet autem à parte lienis impositum medicamentum tam diu illic esse, donec dolorem pati non possint qui utuntur. postea solio calido demittantur; ubi plures eos contineant, dum desinit feruor; alioqui exilient ad primum feruorem; maior enim in cute fit dolor, calda tactis. postea ceroto rosaceo eos perungi oportebit.

Aliud lienosis remedium, eadem ratione impositum. sinapis cyathos duos, git cyathos duos, nasturcij cyathos IIII. myrobalani corticis cyathos IIII. piperis cyathos II. sinapi pridie aceto acri maceratum, deinde tritum, cōtusis cæteris permiscetur, pannoque inlitum medicamentū imponitur, fasciaque

longissima alligatur, uel pluribus in unum commissis, quo tardius soluatur. hoc efficacissimum remedium est, & multorum annorum lienosis omnes causas tollit, atque duritiam; sed post hoc, si quæ reliquiæ manserint, ammoniaco tollendæ erunt frequenter illic inlito. Infantibus lienosis dari oportebit aquam calidam, in qua candens ferrum dimittatur; uel lac caprinum semicoctum, si capræ tantummodo hedera pascantur. proderit ijs & sinapi siccum contusum ceroto tenui mixtum, extra cutem impositum, ut fascia diligenter ligetur. Malagma ad lienosos, & ad iocineris tumorem, sic. ammoniaci guttæ pondo I. ceræ P. I. rosæ pondo I. ammoniacũ ex aceto teritur, mixto crocomagmate, quantum colorare possit. ammoniacum itaque teritur, quousque leue fiat, & mellis crassi habeat spissitudinem. postea cera liquefacta, & rosa adijcitur, ac prius mortario bene, & pistillo cõmixta, manu utraque subigũtur. facit hoc malagma, & ad luxum, & ad capitis dolorem, fronti superpositum. Malagma ad lienosos, sic. myrobalani P. I. aphronitri ✱ X X X. capparis radicis ✱ X X V. cardamomi ✱ X X V. ammoniaci guttæ denar. X X X. ceræ P. I. irini olei P. S. cera irino soluitur, quibus ammoniacum aceto dilutum miscetur; postea arida quæ sunt, cribrata admiscentur, & sic diu in mortario teruntur. deinde manibus bene subiguntur. Medicamentum Iunij Crispi, quod appellatur ambrosia. hoc ex mulso datum lienosis præcipuum præstat auxilium, phthisicis quoque, & ijs qui difficulter ex imbecillitate longa reficiuntur, & qui mali sunt coloris, nec non ad alia multa uitia satis utile est; recipit hæc. croci optimi ✱ I I. cinnami, nardi, costi, cassiæ, myrræ, schœni floris, singulorum ✱ singulos. ijs contusis, & cribratis, mellis attici admiscetur quod satis sit. inde datur ex calida aqua ad supra dicta omnia uitia, quantum fabæ nostratis modus est. Lienosis prodest hyacinthi seminis denarius dimidius potus ex aceto, & melle, polion herba, uel tamarici folia, aut eiusdem semen, aut cortex, uel herba, quam nos utrum, Græci isatida uocant, qua infectores utuntur, similiter pota, plurimũ prodest. Ammoniaci denarius dimidius, piperis grana quinque, rubi teneri cauliculi tres; hæc in unũ trita miscentur, & dantur omnia ieiuno lienoso una potione, ex aceti semimixti cyatho uno; mire aduersum dolorem, & duritiam lienis prodest. Capparis radicis, uel corticis, scillæ bulbi aridi ex interiore parte, radicis quoque panacis, singulorũ denarij deni, contusi, & cribrati, aceto & melle consparguntur: fiunt pastilli denariorum singulorum, dantur lienosis ex aceto, & melle. quidam addiderunt ijs, piperis, & uitis albæ radicis denarios decem, tritos. facit hoc medicamentum ijs additis, & ad hydropicos, & ad suspiriosos; est hoc utile de experimento. Imponenda sunt lienosis, & maxime ijs, quorũ nimium duri, & tumidi sunt lienes, medicamenta huiusmodi; sinapis, & pyrethri, paria pondera ex aceto trita, chartæque inlita, quã horis tribus habeant. deinde cum dolorem intolerabilem ferre non potuerint, deducendi sunt in balneum, & ibi in solium calidum dimittendi, & fouendi, præcipue ijs locis, in quibus medicamentum habuerunt impositum; sed a fortioribus retinendi sunt in solio. exiliunt enim subinde, & fugere conantur, non sustinentes feruorem. a solio uero, unguendi sunt oleo, & tergendi; tum cerotum ex rosa imponendum locis perustis; quæ in sequentibus diebus, si satis exusta fuerint, curari debent.

Pinguis fici aridæ contusæ denarios X X V. capparis radicis siue corticis denarios quinque, aphronitri denarios quatuor, hysopi fasciculum. contusa hæc, melle temperantur, donec ceroti habeant temperaturam, deinde inlita linteolo, super lienem ponuntur, & duabus, uel amplius horis illic habentur. deinde is qui curatur, ad balineum ducitur, & in solio calido aliquandiu fouetur. Malagma lienosis utile, sic. ceræ libram unam, ammoniaci guttæ denarios decem, lapidis assij floris, id est cineris denarios uigintiquinque, balani quo unguentarij utuntur, denarios X V I. bdellę denarios X V I. croci denarios I I I I. resinæ pityinæ ✱ X X I I. olei laurini sextarium dimidium. aceti P. I I I I. hoc genere componitur hoc quod niliacum malagma dicitur. arida ex aceto tam diu teruntur, donec leuia facta habeant mellis spissitudinem; quæ ad ignem soluenda sunt, cum oleo, & adipe liquefacta, in mortarium super trita infunduntur: deinde uniuersa permixta cum refrigerata fuerint, manibus subiguntur. Ad lienes, qui non ab infantia, sed postea indurruerunt, malagma sic. myrobalani, panacis, pyrethri pondo singula, balsami seminis ✱ X. sinapis P. I. ijs tritis, acetum acre miscetur, & diu permixtio ista subigitur. cumque ex ea malagma factum fuerit, rubrica coloratur, & imponitur; atque tribus horis habetur. post hoc, in balineum homo ducitur, & solio diu fouetur. Æris florem tritum bene cum sinapi, aut etiam solum, mittes in acetum, simulque in bucculari decoques: ita ut aliquãdiu illic bulliant, & ad similitudinem pulticulæ spissentur. postea in uaccinam uessicam calida ea transferes, ita ut duobus digitis liquori huic uessica maior sit, tum spleni satis calidum medicamen adpones; ligabis fascia, tertia die solues, mirabili gratulaberis remedio.

Guttã ammoniaci in acetum scilliticum infundes: post biduum ita teres, ut in panno possit induci; quo facto, spleni adpones, & fascia diligenter ligabis, & uteris tamdiu, donec per se consumatur, & sine balneo abstergeatur. Ad splenis dolorem, expertissimum remedium, sic. cardamomi, pyrethri, sinapis, turis masculi, aphronitri, ęqualia pondera de singulis speciebus contundes, & coques in aceto scillitico, & in unum miscebis, locumque, cui medicamen adpones, frequentius detergebis, & adpositum mane medicamentum in horam septimam esse patieris. postea eum, cui medebere, ad balineas ire præcipies, atque in calida diu foueri facies. Ad splenem, remedium mirum, sic. picis durę optime tritę — I. & costi triti — I I. permiscebis, & ex eo singulas potiones ex uino uetere mane ieiuno per triduum dabis, ita ut in sinistro latere qui accipit diu iaceat. Ad splenis dolorem, remedium efficax, sic. gallas, de quibus encaustum fit, quãtas uolueris, pone super carbones uiuos, & exures non nimie, ita ut puluerem de ijs, in quo sit aliquis sapor gallarum, facere possis. de quo puluere optime trito, cocleare plenum mittes in potionem uini uetustissimi, & potetur. Ebuli contusi succum coclearia tria ex uini ueteris cyathis tribus per triduum da lienoso

da lienoso bibendum,ita ut ebulum semper secum habeat qui remedium accipit,nec terra ipsum ebulum ferrum'ue tangat. Cornum bouis combures ex ea parte,qua capiti adhæret, & in puluerem tenuissimum redige,atque ex eo puluere coclearia duo, cum aquæ calidæ cyathis tribus, & paululo aceti, ieiuno splenitico per triduum da bibendum. Cataplasma ad splenem,quod Ianuarius medicus ostendit,sic. pyretri — III.myrobalani — III.grani sinapis — III.cardamomi — III.urticę seminis — III. piperis — III. hæc omnia teres,& cribrabis diligenter,& cum aceto scillitico permiscebis,ut unum corpus facias;atque inde cataplasma in panno denso supra splenem impones;sed prius locum ipsum,cui medicamen impositurus es,ex nitro aqua remisso lauabis,ita ut spuma,uel pinguedo nitri illic adhęreat. Cataplasma ad splenem de experimento,sic. allium purgabis,& ante diem in acetum acerrimum infundes mature,cùm positurus eris,teres cum ipso aceto,uel de aceto sublatum,ita ut spissum sit sicut cataplasma, & tepidum supra splenem adpones,& fascia conligabis,& uteris,usque ad horas prandij. hoc si triduo cōtinuo usus fueris,mirum remediū experieris;sed patientia opus est aduersum uim medicaminis;quod plus proderit,si postea balineis utaris,& in solio calido diu fouearis. Herbæ cyclaminis,quæ orbicularis appellatur radix suspensa collo,ita ut contra lienem dolentem sit alligata,efficaciter medetur. Porri primitiui sectiui succus expressus, & aceto pari mensura immixtus, absorptusque a' lienoso sæpius prodest. Chamepitys cum oxymelle,& absinthio paribus mensuris decocta,& potui data,utiliter lienosis occurrit. Herba salutaris,id est spina alba,qua Christus coronatus est,quæ uelut uuam habet,lienē leniter in eodem loco perfricata sanabit. Equi lingua arefacta,& ad leuitatem trita,atque ex uino potui data,protinus utilitatem suā sedato lienis dolore manifestat. Stercus mulinum cum oxymelle lienosis potui datum,dolores efficaciter tollit. Hircinus splen calidus,id est statim ubi de pecude sublatus fuerit,super lienem hominis impositus, & alligatus mire dolorem intra paucos dies auferet,si postea ad fumum suspendatur,ut illic arescat. Hædinus uerò lien similiter,ut hircinus super splenem infantis adpositus,& tumores,& dolorem eius emendabit. A' lanio lienem uituli quanti uolueris,emes, cumque medium exsecabis,seruatis integris eius lateribus, ut undique contineatur; atque eum,qui dolet splenem in balineum duces,& per mediam scissuram illius lienis a' capite corpus eius omne summittes,ita ut usque ad pedes lien decidat.postmodum ipsum lienem in fumo suspendes,atque arefieri facies.quo facto cum tumoribus etiam dolores lienis,is cui medeberis sedari sentiet,omnique molestia citò liberabitur. Ebuli radicem,quam sine ferro euellas aridam,contusam,& pollinis modo cribratam repones; inde coclearia tria ex uini cyathis tribus in limine stans contra orientem per triduum bibito ieiunus,sed omnino obserua,ne ebulus ferro contingatur,aut ne ipse,dum remedium accipis,ferrum tecum habeas. Ebuli baccas permaturas exprime, atque ex eo succo,uiro tria coclearia ad diem da bibenda, mulieri duo; quo sumpto deijciet per uentrem instar sanguinis. tum interiecto triduo rursum dabis, & per hæc interualla repetes,dando potionem,donec persanes.si propter amaritudinem solum succum haurire non potuerit, tantundem uini,aut oxymellis augebis. Aceti scillitici cyathum unum,mellis attici ℈ III.uettonicæ tunsæ cribratæ ℈ tres,in unum miscebis,& adijcies aquam calidam,& dabis ieiuno per triduum splenitico potionem. Lotium eius,qui splenem dolet,quotiens urinam fecerit,collige,& cinerem de foco cribratum in unum subige,& panno inductum,super splenem imponito,& una hora calidum habere permitte,maximo eum periculo liberabis,si sæpius id feceris. Allij purgati capita tria,adipis porcinæ nimium uetustæ P.I. simul conteres,& panno induces,& supra dolorem lienis impones, & fascia conligabis. Conij id est cicutæ radicis P.unum,adipis uetustæ hircinę P.I. allij purgati P.I. olei cedrini P.I. simul teres,& genus malagmatis facies,& supra splenem alligabis, nec ante quartum diem solues; certissimam scies hanc esse medicinam. Optimum spleni remedium tale est.gentianæ tunsæ,coclearium dimidium,fellis terrę tunsæ coclearia tria,fœniculi tunsi cocleare unum,& dimidium bibes ex picato mero, uel nigro austero tepefacto, ita ut diligenter supra scriptæ species cribratæ in pollinem redigantur, & sic misceantur. Rubiam herbam,qua infectores utuntur,tunsam ex picato,uel austero,uel nigro uino, aut ex posca dabis bibendam ieiuno splenitico amplitudine nucis auellanæ,confestim proderit.

Laudabile spleniticis remedium sic.hieram botanen, quæ uerbena appellatur, contunde cum axungia uetere,& inductā in panno albo mundo impone splenitico; dolore sedato uidebis sanguineum locum in quo dolor fuerit. Solea piscis spleni imponitur,uel torpedo,uel rhombus, sed impositus rursum uiuus in mare mittatur,mirè prodest. Qui quotidie ieiunus serum caprinum, sed earū capellarum,quæ hedera pascuntur,biberit,splene consumpto erit. Sarmentorum cinis aceti cyathis duobus aspersus, rectissime lienoso ieiuno ex aqua tepida datur bibendus. Caninus splen recens supra splenem hominis imponitur,dicente eo qui adponit, remedium se spleni facere; postea splen intra parietem dormitorij cubiculi tectorio,id est capsella inclusus,reponitur,& desuper ter nouies signatur. Splen uiuenti catulo exemptus,ciboque,sed coctus,splenitico datus ignoranti,liberat eum quamuis grauiter laborantem. Sedant lienis dolorem radices uiolæ luteæ,si ex aceto,spleni uice emplastri adponantur. Tamaricis radicem,uel folia trita ex aceto bibat,qui de splene laborat; cuius usum si experiri uolueris,da porco edendam per dies nouem;cùm eum occides,sine splene inuenies. Lacerta uiridis uiua in ostio splenitici ante cubiculum eius suspenditur,ita ut procedens,& rediens,eam semper manu sinistra, & capite contingat;quo facto mire ad sanitatem proficiet. Herbā urceolarem in aqua decoctam da lienoso cum oleo & liquamine manducandam,mire subuenies. Sisymbrium, absinthium,nepetam,marrubium,æquali mensura aceto macerata tertio, & melle mixta, sed cum polenta hordei modica,impone lieni emplastri

modo, potenter medebere. Hederę folia tenera tundes, succumque eius cum uino austero lienoso ieiuno per triduum potui dabis. Filicis radicem tunsam impones lieni, cum axungia uetere; eamque radicem mundatã ex aqua ad tertias decoques, ita ut quod de sextario decoctum fuerit, per triduum cum oxymelle, aut mero austero, ieiuno lienoso potui detur, summum remedium citò experietur. Ad splenis dolorem, remedium egregium sic. quinque capita allij, diligenter in grana purgati, per dies septem lienoso manducanda dabis, ita ut primo die grana XXXI. comedat ieiunus, secundo die grana XXV. tertio XIX. quarto XV. quinto XI. sexto IX. septimo VII. bibat autem conditum satis piperatum. quo facto, omne malum per uentrem digeret. sed & porros comedat ante diem quàm allium manducet infusos in aqua, quos incoctos, uel tres, aut eo amplius, quod tamen non sit nimium, semel manducare debet. Nitri albi matronalis pilulas V. uel VII. in aceto acerrimo solues, ex quo singulos cyathos per triduum lienoso ieiuno bibendos dabis. Herba uettonica ex uino decocta, & potui lienosis data, plurimùm prodest. Si quis de splene asini arefacto quotidie ieiunus pauxillum manducet, ita potenter sanabitur, ut intra triduum utilitas remedij huius appareat. Herba hippuris contrita, & cum uino austero, aut cum oxymelle potui data, potentissimè lienosis succurrit. Hederæ siluaticæ nigræ folia contrita, & ex uino potui data, lienosis maximo auxilio erunt, ita ut prima die tria, deinde quinque, tertio septem, quarto nouẽ, quinto undecim, sexto tredecim, septimo quindecim, octauo XVII. nono XIX. decimo uigintiunum dentur. Vtilissimum lienosis hoc remedium est. capræ lactares abstinentur à cibo per triduum, tertio die hedera tantummodo saturantur, & mulgentur antequàm bibant; si ex eo lacte sextarios tres per triduũ calidos statim, quomodo mulsi fuerint, ieiunus lienosus acceperit, ita ut nullos alios cibos illo triduo manducet, potenter sanabitur. Herinacei lien assus in cibo sumptus, lienosum efficaciter curare fertur. Vulpeculæ etiam iecur aridum tritum cum oxymelle datum lienosis, mirè medetur. Coclearum combustarum cinis cum lini semine atque urticæ semine tritus, adiecto melle quod satis uidebitur, assiduè à ieiuno lienoso acceptus, intra paucos dies eum sanabit. Lienosus oxyfera assiduè bibere debet, & dum curatur, in uentrem debet iacere. Ruta cum adipe anserino, uel gallinaceo contrita, panno inducta, & lieni imposita, sedat dolorem. Stercus aprugnum siccum contritum, ex uino potui datum, pulchrè non solùm splenis, sed & renium dolori medetur. Corticem caprificus arboris detrahes, & dum recens est, ad splenem, uel etiam si opus fuerit, ad iecur pones. & ubi tumor siue duricies splenis, uel iecoris erit, ibi corticem diutius continebis. deinde in fumo eam suspendes. quod cùm facies, rogabis, ut sicut cortex ille paulatim fumo siccatus arescit, sic splen, uel iecur laborantis arescat. hæc autem res tantum ualet, ut si catulis recens natis fiat, dicantur omnino non crescere.

Cyperi drach. VI. radicis quæ manducatur seminis cyathum unum, propensum, cum aquæ sextarijs tribus ante diem infusis in olla noua, ad tertias decoques. postea ipsam aquam potandam lienoso ieiuno per triduum dabis, mirè subuenies. Si quis agnum recens natũ cõfestim manibus diuellat, lienemque eius, ubi extraxerit, calidum super lienem dolentis imponat, ac fascia liget, & dicat assiduè, remedio lienis facio; postero die sublatum de corpore eius, parieti cubiculi, in quo lienosus dormire solitus est, luto prius inlito, ut hærere possit, imponat, atque ipsum lutũ XXVII. signaculis signet, ad singula dicẽs, lieni remediũ facio, hoc tale remediũ, si ter fecerit, in omne tẽpus lienosum quãuis, infirmũ, & periclitantẽ sanabit. Ad splenẽ, remediũ probatum sic. capparis est herba, uel leguminis genus, nã lupino similes siliquas adfert nascitur in locis saxosis; huius radicem colliges, & findes in partes duas; quarum unam siccabis, ac minutatim concides, & mittes in pilam ligneam, atque illic diligenter tundes. deinde in ollam rudem conijcies, & cũ aceti heminis tribus ad tertias decoques, & colabis, atque inde ieiuno lienoso singulas potiones mixtas bibendas per septem dies dabis, obseruaturo, ne per illos dies unquam frigidam, aut calidam aquam bibat, sed tantummodò uinum uetus immixtum meracum. partem uerò dimidiã radicis illius lino ligabis, & ad fumum suspendes, atque illic, donec persiccetur, manere patieris. Catellum lactentem de canna occide, & de ipsa canna splenem eius tolle, ac nescienti splenitico, in carbonibus coctum, uel assatum, manducandum dato. Ammoniaci drach. VI. ex aceto dilutas per sex dies lienoso ieiuno dabis bibendas, ita ut singulis diebus singulas drachmas accipiat. Aceti scilliticí africani cyathos tres, & roris marini — III. conteres diligenter, ac ieiuno lienoso per triduum dabis bibendos; qua potione, si quid experto creditur, spleniticum de ultimo periculo liberabis. Malagma, quod & splenis, & iocineris dolorem, & tumorem potentissimè curat. crocomagmatis sextarium unum, guttæ ammoniaci libram unam, ceræ librã unã, olei rosacei uncias tres. ammoniacum cum crocomagmate ex aceto teres, ita ut colorari possit, atque illic triduo esse permittes, donec mellis spissitudinẽ habeat. postea cera liquefacta, & rosaceum oleũ, sed cum sua rosa tritum, adijcietur: & simul uniuersa diligentius conteruntur, atque inductum in panno medicamen spleni, uel iecori adponetur. Picis duræ sextarium, sulphuris uiui — I. simul ad ignem remitte, & permisce, atque in charta uirgine inductum spleni adpone, nõ prius emplastrum ab eo recedet, quã penitus persanetur. Ad splenem, remedium singulare, quod de experimentis probatis Gamalielus patriarcha proximè ostendit, sic. lapidis assij unciam unam semis, uisci quercini uncias sex, calcis uiuæ uncias tres, olei cedrini unciam unam. hæc à luna sextadecima confici, & coqui debent; omnifariam tamen post quintam decimam lunam debet hoc medicamen parari, & tam diu coqui, donec habeat speciem malagmatis. deinde manibus subigi, & induci in pellem alutaciam, atque inde tepens, loco splenis adponi, fasciaque ligari, ut illic iugiter maneat diebus, ac noctibus quatuordecim; per quos dies abstinẽdum balneis, & frigidis, & uenere, & pomis omnibus, & holeribus, & dulcibus uniuersis; tamen tẽpore hyemis hoc medicamen

dicamen adhibetur, propter molestiam sudoris, ne humectatum infirmius fiat. ipso tamen die, quo confectum fuerit, statim debet adponi, quo efficacius prosit. Ad splenem, remedium efficax, die iouis lidduna sinistrum pedem nudum in caprifico ponet, qui dolores splenis patietur, & corticem quãtum pes eius presserit, incidet, eamque tribus horis de fascia ad splenem positam constringet, sublatam inde fumario suspendet, neque unquam, aut ipse remouebit, aut permittet ab aliquo tolli. Ad splenem, remedium subitum, atque subtile. tres caricas in aceto optimo uespere infunde, & manè ieiunus eas accipe, & hoc triduum facito. post hoc, ferri ex causa ad hoc facti massulam, ter ardentem extingue ex potione absinthiati, & bibe, atque hoc per triduum facito. Ad splenis dolorem, cuminum quantum tribus digitis possis comprehendere, cum uino tritum, ieiuno laboranti dabis bibendum.

Pleuriticis, & laterum doloribus, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXIIII.

Malagma ad lateris, & pectoris dolorem, & quidquid molestum ex perfrictione colligitur; bene enim calficit, & ideo ad omnẽ dolorẽ prodest; cõficitur sic. sampsuci contusi semunciã, iris contusæ idẽ, cyperi cõtusi idẽ, resinæ terebinthinæ P.S. ceræ P.I. olei cyprini P.S. uini amminei 8.I. in hoc, q̃ arida sunt, cõtusa macerãtur uno die, & nocte, tũ in oleo, cera, & resina liquefiunt ad ignem. deinde superfunduntur uino, & pigmentis maceratis, & miscentur, ac manibus diu subiguntur. hoc post dies triginta efficacius prodest; initio enim humidum ualde est, & uix inlitum manet. Malagma ad contusionem lateris. idem facit, & ad suspectas uomicas, aut iam factas; aperit præterea iocineris, & præcordiorum duritiam, & ad dolorem eorum uerè conuenit. proderit etiã omni loco dolenti impositum, cõficitur sic. cyperi, ammoniacæ guttę, cardamomi, bdellæ, turis, resinæ terebinthinæ, singulorum — binas, tus, & bdella macerantur pridie infusa uini ueteris sextario, cætera contunduntur. deinde ceræ P.I. & olei cyprini 8.I. cum terebinthina liquefiunt, cæterisque miscentur, & diu manibus subiguntur. quidam adijciunt myrræ — I. croci — I. cinnami — I. Compositio hæc mirifica, non solùm lateris, uerùm interaneorum dolores minuit. herbæ gentianæ drach. X X. iris illyricæ drach. X L V. myrræ drach. X. piperis drach. X I I. separatim omnia in puluerem redacta misceto, atque adijce his mellis optimi despumati, quod satis uidebitur, & ad magnitudinem nucis auellanæ cum aquæ calidæ cyathis tribus potui dato. Herba, quę iris appellatur, maximè si siluestris erit, inligata lateri dolorem eius protinus tollit. Herbę uerbenę solstitio collectę, arefactæ, & contusę pulsis in coclearibus quinque, robusto, & ualido ex uini amminei, & ueteris cyathis tribus, febricitanti ex aqua calida potui datus, mirè dolori lateris medetur. Herbę gentianę, & sagapeni drach. singulæ contritę, & cum aquę calidę cyathis tribus potui datæ, dolorem lateris sedant, si in latus, quod dolet post curationem infirmus diu iacuerit. In lapide Iaspide phrygia aerizusa, si nota infra scripta insculpta fuerit, id est sss. & collo dolentis latus fuerit suspensus, mirè proderit. Herbę uettonicæ foliorum in umbra arefactæ tunsæ cribratęque ∋ I I. ex uini, aut mulsi cyathis duobus potui sano, febriculento ex aqua mulsa dantur, confestim dolorem lateris emendant. Apri stercus aridum contritum, & potioni inspersum, dolores lateris sanat, mira potentia. Cocleę exemptę testa sua, & cum ptisana coctæ, lateris doloribus medentur; melius si humorem ptisanę ipsius sorbendum dederis, ipsas quoque cocleas contusas uelut malagma, supra dolentem locum lateris imponi satis utile est. Verbasci radicem, & rutę cõliculum, & albi piperis grana I X. in unum contrita, ex aquæ calidę cyathis duobus potui dabis ei qui lateris dolore uexabitur. Marrubium ex aqua tritum, salubriter bibitur aduersum lateris dolorem. coriandri quoque semen tundes, uel teres, & cribrabis, & cum melle coques, donec spissum fit. inde manè, & serò coclearia terna dabis pleuritico bibenda. Sulphur uiuum, & picem cedriã pari pondere simul permisces, & pro malagmate dolori lateris adpones.

Lumborum & coxarum doloribus, & torpori, siue ischiadicis, remedia physica & rationabilia diuersa de experimentis. Cap. X X V.

Ad lumborum dolorem, curatio optima hęc; cucurbitę siluestris flocco rum, aut seminis ⚹ I I I I. pyretri ⚹ I I I. myrrę ⚹ I I. in puluerem rediges; ex quo fiunt pastilli ad mensuram denariorum binorum, uel singulorum, dantur ex passi cyathis tribus, mixtis aquæ pluuialis cyathis sex; sed his quibus hoc remedium dandum est, aluus acri clysmo manè detrahenda est. Ad lumborũ dolorem, & paralyticos antidotos hiera medici Paccij Antiochi, quę melius omni medicamento facit. sed & ad paralysim mirifice hoc acopum facit, quo oportet infirmum in sole diu fricari, aut foco flamma pręcalefacto; recipit hęc, olei sabini denarios sex, cucumeris siluatici radicis recentis ⚹ X V. hæc radix in magnitudine iuglandis nucis cõcisa, uase fictili nouo ex oleo coquitur, donec succum omnem remittat, & quasi arida fit. post hoc, radix abijcitur, & per linteum, aut colum transmisso oleo, adijcitur, dum calet, cerę ponticę in frusta redactę P. I. olei cyprini P. I. olei irini P. I. olei laurini P. I. olei ueteris P. I I. piperis albi contusi, & per tenuissimũ cribrũ transmissi ⚹ II. pyretri cõtusi, & per idẽ cribrũ traiecti ⚹ I. hęc in unũ miscentur, reponitur medicamentum uase fictili. facit pręter remedium lumborum, & ad omnẽ dolorem corporis, &

neruorum,muliebria quoque loca durissima mollit, cùm diu alijs medicamentis nihil profectum est, hoc prodest. Malagma,quod propriè facit ad lumborum dolorem.picis liquidæ 8. I I. olei ueteris 8. I. resinæ terebinthinæ P.I. ceræ P.II. mannæ P. bessis,aphronitri P. triens. coquitur pix cum oleo, donec spissa fiat.post hoc,adijcitur resina.deinde cera,& secundum hanc,ex interuallo manna; ubi emplastri habebit figuram medicamētum,tolletur ab igne,& cùm tepescere cœperit, aphronitrum aspergetur sensim, ne superfundatur,quod in caccabo est. Malagma ad omnem dolorem ueterem ex qualibet causa factum,præcipuè ad lumborum dolorem,sic.bdellæ * I I. styracis * V. œsypi * I I. ammoniaci * V. piperis albi * I I. turis * V. baccarum lauri P.I. terebinthinæ * V I. opopanacis * I I. adipis taurini * V I. medullæ ceruinæ * V. propolis P.S. olei ueteris P.I. ceræ P.II. turis pol linis P. I. oleum,cera,resina,propolis,liquefiunt.deinde turis pollinis pondus superius dictum adijcitur,& cętera minutatim,uel in unum contusa, postea decoquuntur simul omnia; opopanacem sanè oleo dilui prius oportet. Medicamentum,quod facit ad omnes membrorum dolores,quod anodynon appellatur. facit autem præcipuè,ad lumborum dolores;conficitur sic.myrræ denarios octo,croci denarios septem,opopanacis itidem,styracis denarios duos,alterci seminis * V. opij * V I. mandragoræ radicis, uel etiam corticis * I. piperis albi * I. consparguntur trita,& cribrata hęc omnia ex aqua pluuiali,fiunt pastilli uictoriati tertiæ partis,dantur ieiuno ex aquæ cyatho uno,& ex passi cyatho uno. Malagma ad coxæ dolorem;mastiches chiæ P.S. abrotani succi 8.S. turis P.S. salis ammoniaci P.S. aristolochiæ rotundę P.I I. aristolochiæ digitalis P.I I. spumæ argenti P.I. propoleos P.I. cotis creticæ P. I.S. resinæ pityinæ P.I.S. olei ueteris P. I I I. olei laurini P. I I I. galbani P.I. lepidos cyprij P. S. ceræ P. I. S. sinapis alexandrini 8. I I I. aceti 8. I I I. omnia hęc tunsa,quæ tundenda sunt,& remissa,quę liquefacienda sunt, simul excoquuntur,& postea tam diu manibus subiguntur,donec densum malagma fiat. Ischiadicis cocleæ crudæ tritæ in uino ammineo,ex pipere potæ mirè prosunt. Pellem lupi aluminatam,per dies sex lumbis dolentibus impone,statim subuenies.

Lumborum,& uesicæ cruciatibus laboranti prodest in balineis,& loco calido, dum illic est,urinā egerere. Lana succida,nitro,sulphure,oleo,aceto,pice liquida,feruentibus his,tincta, & quàm calidissime sustinere possit,bis in die apposita, prodest lumborum dolori. Remedium mirum aduersum ischiadem,uel arthritim,herba est,uel frutectum,quod maximè circa sepes uinearum nascitur,latinè cytisus dicitur;uirgultis est subtortis,uel curuis,folijs oblongis bene uirentibus,floribus conclusis,oblongis,albis, uel etiam galbineis,bene olentibus,id est mellito odore,frutectum ipsum semper uirens ęstate, atque hyeme; colligitur die iouis luna uetere,liduna ante prandium,& datur ei cui remedio futura est, ieiuno ante prandium trita,ita ut non succus tantùm eius, sed & folia quomodo trita fuerint, uel flores eius si fuerint, sic dentur ex meri uini ueteris,siue etiam nouelli quartario grandi.sed qui accipiet, stans accipiat, & contra orientem bibat;& cum à dextra parte potionem acceperit,ad sinistrā,retro'ue non respiciat,& reddat calicem ei,qui dederit potionē.hoc per triduū faciet;sed qui daturus erit potionē,una hora, uel uno die,lecta herbā simul contēperare debet,unde sint tres potiones,ita ut à nullo alio,quàm ab eo, qui daturus est,herba illa,uel potio,& ab eo qui accepturus est,tangatur.hæc qui bene obseruauerit,mirū remediū inueniet.

Ad coxæ subitum stuporem,uel dolorem;aphronitri — I. sinapis — I. piperis semunciam,teres, & trita miscebis,ut puluerem facias,& in balneo locum,de quo quereris,perfricabis. Remedium ad ischiadem sic.colliges herbam,quæ dicitur brittannice,die iouis uetere luna, & liduna,siccabis,& repones, quia hyeme non apparet.nam,& uiridis prodest.teres hanc cum tribus granis salis,& cum piperis granis quinque,aut septem;addes,& plenum grāde cocleare mellis,& uini potionem bonam, & si uolueris,modicum calidæ aquæ adijcies,& sic bibendum dabis.sed hanc herbam ter,dum teres,& antequam colligas,præcantare debes sic.terram teneo,herbam lego,in nomine Christi, prosit ad quod te colligo. medicinalibus digitis eam sine ferro præcides,uel auelles. Ad ischiadem de experimento remedium,sic. radix bugillonis,sine ferro colligitur,uel eruitur palo acuto . hæc tunditur in pila, uel teritur in mortario, & succus eius exprimitur,ita ut in succo eo sit uel quartarius. deinde grana piperis X X V. teruntur, & mellis libra adijcitur,ac uini ueteris sextarius.hæc omnia cum succo suprà scripto ad modum conditi permiscentur,& laboranti in balneo cùm iam propè lassus fuerit, per triduum potanda in caldaria tribus potionibus dantur,mirè proderit.

Descriptio ceroti chalastici,quod facit ad omnes totius corporis dolores,pręcipuè ad contusiones membrorum,& neruorum infirmitates,& ad stomachi dolorem.insigne est certè in primis ad lumborum,& renum dolores.conficitur uetere luna,& liduna,à mense Martio in quodlibet tempus ęstiuum.recipit hęc. phlomi librā,herbę sabinę P.I. barbę iouis P.I. baccę lauri P.I. has species tunsas coques in olei secundarij boni libris I I I I. postea colatis omnibus,mittes in oleū ipsum,rutę siccę — V I.pulegij sicci — III. symphoniacę succū — V I. hastulę regię succū — V I. uerbenę succū — V I.ibisci succū — VIII. fœnogręci succū — VIII. lini seminis triti — VIII. maluę erraticę succū — VIII. hęc omnia miscebis cū superioribus succis,& decoques ad tertias,ita ut mittas caricas ficus I I I I. quę tādiu coquātur,donec nigrescāt.postea addes axūgię ueteris P.II.seui ceruini P.I.butyri loti P.I. medullę ceruinę P.I.seui bubuli P.I.cerę — VI.resinę frictę — VI.hęc cū cęteris herbis remittes, & cū his q̄ suprà scripta sunt, omnibus pmiscebis,& repones in uasis fictilibus,aut in ligneis, aut corneis, & cū uolueris,tepefacto uteris cōtra omnes dolores,ut suprà scriptū est. Ischiadicis,& lumborū doloribus, porri sectiui triti succus expressus cū uini hemina ieiuno potui datus efficaciter medetur.ęque prodest,& apij succus similiter datus.

Herba

Herba chamedrys contusa,& cum melle potui per triduum data,confestim medetur lumborum,& coxarum dolori. herba quoque senecio in cibo sumpta,coxarum, & lumborum dolores certissime sanat. Adipe ursina dolentes coxas perfrica,continuo sanabis. Qui testiculum leporinum coctum ieiunus comederit,cito coxarum dolore releuabitur. Radices ex integro tritæ cum pane remollito miscentur,atque inde cataplasma factum, coxarum, uel lumborum,etiam renum dolori imponitur, statim prodest. Incredibile,& unicum remedium ischiadicis,& arthriticis hoc est,quo & ipse Ausonius medicus sanatus est,& multos,ita iacentes,ut mouere se sine cruciatu nequirent,intra quinque dies stare,ambulare autem intra septem dies fecit,conficitur sic. fimum ibicum luna septimadecima colliges,quanquam,& alia luna uetere collectum,simili efficacia prosit,dummodo medicamen septimadecima luna componatur. ex eo ergo fimo,quantum unius manus pugno pleno potueris comprehendere, dummodo impar sit numerus pilularum,in mortarium mittes,atque adijcies piperis grana X X V. diligentissime trita. tunc addes mellis optimi heminam,& uini ueterrimi optimi ℥. I I. & contritis prius pilulis,uniuersa miscebis, & repones in uasculo uitreo , ut cum fuerit opus,paratum habeas medicamentum ad subueniendum. sed ut maior sit medicaminis efficacia,luna septimadecima illud facere debebis,& cum daturus fueris remedium,a die iouis incipe,& per dies septem continuos dato,ita ut qui remediandus est,stans in scabello contra orientem bibat. quæ potio,si ita ut scriptum est,data & obseruata fuerit , etiam si omnibus articulis,& coxa infirmus,contractusque fuerit,& immobilis,ac desperatus iacuerit,necesse est,ut septima die ambulet. Ischiadico remedium efficacissimum sic. castorei semunciam,pyretri,nitri, euforbij, adarces, uncias singulas olei cyprini libram. quæ tundenda erunt,siccata tundes,& cribrabis,& sic oleo cyprino miscebis, & decoques. atque eo medicamine sic uteris,ut ischiadicum iacentem in sole diutissime perfrices in coxa quam dolet,deinde ad balneum ducas,& cum sudauerit, diutissime compellas in tosta caldaria commorari.

Ad coxarum,& ad lumborum dolores,herba chamæpitys contrita,ex uino potui data,plurimum prodest. Cucurbitæ semine contrito in ficulneo uasculo,adiecto oleo,& aceto,coxæ,& lumbi perfricati, potenter sanantur,sicut experimenta docuerunt. Serpylli aridi contusi, & in puluerem redacti scripulos tres,adiecto modico melle permisce,& ex eo tres globulos æquali pondere facito, atque ex ijs singulos cum mulsi cyathis tepefactus binis,ieiuno per triduum dato, incredibiliter lumborum dolori medebere. quod si illo triduo non penitus,qui laborat,fuerit absolutus,iterum per aliud triduum dabis.

Radix asparagi trita,& ex uino potui data,lumborum,& coxarum dolori mire medetur. Nuclei amygdalarum triti,& ex aceto poti,lumbis medentur. Nasturcium cum farina permixtum,& ex aceto calido,lumbis medetur si impositum fuerit. Gladioli radix contusa,cum sulphure uiuo , & adipe ursina,lumbis imposita plurimum prodest. Remedium coxendicis mirum de experimento sic. muscerdæ nouem tritæ ex uini quartario,super scabellum,uel sellam laboranti potui dantur, ita ut pede uno quem dolet,stans ad orientem uersus potionem bibat,& cum biberit,saltu desiliat, & ter uno pede saliat,atque hoc per triduum faciat,confestim remedio gratulabitur. Malagma ischiadicis mirum sic. styracis uncias I I. picis P. I I. ceræ P. I. guttæ ammoniacæ — VI. resinæ terebinthinæ — V I. galbani — II. mannę turis — II. omnia quæ tundenda sunt,in puluerem rediges, & admiscebis ijs, quę igni remittenda sunt,& desuper aceti quantum sufficiat medicamento,dum excoquitur,mittes, & cũ opus fuerit,calido uteris. Ad ischiadem,remedium dictatum a Iusto medico,sic. herbam argemoniam,& herbam uerbenam,& lapathium,& bugillonis radicem æquis portionibus,uel ponderibus mittes in pilam,& tundes,& cum tunsæ bene fuerint,addes uini candidi ℥ III. & manibus agitabis cum ipso uino diutissime, postea omnia mittes in linteũ spissum,& expressa colabis, atque ijs quæ colata fuerint,desuper addes uini aliquantulum,& piperis grana triginta trita. postmodũ ex hoc medicamine quartarium calefactum ieiuno laboranti in balneo dum in solio,est,per triduum dabis bibendum. Ad ischiadem physicum remedium. testudinis aquaticæ crus præcide,& phœnicio inuolutum, ex ea parte,qua quis ischiadem patitur,adpone,potenter remediabitur. Git quantum tribus digitis tolli potest,sumptum, tritumque,& passi cyathis duobus aspersum,adiectis aquæ calidæ cyathis totidem epotum,maxime prodest lumborum dolori. Fel terræ tritum ex uetustissimo uino bibere dabis ieiuno,supra limen stanti uno pede, qui coxam dolebit,sed non in uitro hanc potionem bibat. Præsens remedium ad coxæ dolorem,sic. artemisiam aridam tundes,cribrabis,& ex uino dabis bibere ieiuno, continuo emendabitur uitium.

Herbæ pteridis,id est filiculæ,quæ ratis gallice dicitur , quæque in fago sæpe nascitur , radices tunsæ in potione ieiuno dantur cum uino,coxarum doloribus laboranti. Hederam,& herbam sabinam ęquis portionibus tritam,ex uino austero ad modum auellanæ dari ischiadico ieiuno oportet per triduum. eadem potio etiam aliud malum coxendicis purgat. Trixago herba feruefacta cum aqua, ac triduo potui data,ischiadicum mirifice sanat. Crocodilus terrenus pręcisis summis partibus,egestisque interaneis,ex iure coctus,cibatui datus,magnũ ischiadicis pręstat auxilium. Fimus aprugnus uino remissus, tepefactus colatusque,& duorum cyathorum mensura potui datus,ischiadicis saluberrime medetur. Rubiam,qua pelles inficiuntur,quotidie bibere ischiadicis utile est,& in balneo feruenti lauari. Genistæ rami plurimis diebus in aceto macerãtur. deinde tunduntur,& exprimũtur,ex eo succo cyathus unus ad diem ischiadico,quousque sanetur,offertur. Fimum bubulum feruentem, quem in cinere ardenti calefeceris,coxarũ dolori imposito,plurimũ prodest. Vermis terrenus exfoditur,& in ligneo cauco ponitur,si fieri potest fisso,& ferro alligato. tunc aqua perfunditur,rursusque eodẽ loco,unde prolatus est, defoditur,aqua uero in qua dilutus est,in eodem poculo bibitur ab ischiadico ob insigne remedium.

Ad ischiadem remedium sic. herba pentaphyllos, folijs fragorum simillima, iouis die collecta, & cum uino trita, in balineo in solio data potui, hac ualetudine laborantes cito remediabit. Ad ischiadem remedium sic. cera rubea, & stercus canis, quod est album, hoc siccatum in sole, & in modum farinæ cribratum, cum fuerit contusum, lento igni ceræ remissæ admiscetur per partes, & olei parum, tantum ut mollius idem efficiatur medicamen; sed antea tamen colocynthide, & centaurio curetur, cui medendum est, ut si nõ profecerit, curationem iterum adhibeas.

Renium, & uessicæ doloribus, & causis uniuersis, & calculo, & dysuriæ, id est urinæ difficultatibus, & stranguriæ, nec non, & submeiulis, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXVI.

Ad renum tumorem, aut exulcerationem, etiam si sanguinolentam urinam quis faciat, hoc remedio sanabitur. rosæ aridæ foliorum, papaueris nigri seminis, nucleorum pineorum, paria pondera, contunduntur seorsum, & in unum miscentur. inde datur quantum nux iuglandis, ex passi cyathis duobus, & aquæ cyathis tribus. Alia ad renium dolorem potio, quæ etiam quasi harenam sabulosam interdum detrahit, accipit hæc. apij seminis, petroselini, anisi, singulorum ⚹ senosdenos, dauci seminis ⚹ IIII. schœni denarios VI. croci ⚹ XXII. mellis quantum satis uidebitur. hinc datur quantum lupinus ex mellis ligulis duabus, & aquæ cyathis quatuor. Ad renium tumorem, & dolorem remedium efficax, quod facit, & ad iocineris, & lienis tumorem, & ad hydropicos, & ad eos, qui mali coloris propter hęc uitia sunt. accipit hæc. croci ⚹ X. nardi indici ⚹ II. costi ⚹ II. schœni ⚹ I. cinnami ⚹ I. myrræ stactæ ⚹ I. mellis optimi ⚹ XXV. datur quantum fabæ magnitudo est ægyptiacæ, ex mulsi cyatho mixti cum aquæ cyathis duobus, sed febricitantibus ex aquæ mulsæ cyathis tribus dari debet.

Ad tumorem, & dolorem, & exulcerationem uessicæ bene facit aqua pota, in qua ferrum candens dimissum est. hoc tractum est ab aquis calidis, quæ sunt in Tuscia ferratæ, quæ mirifice remediant uessicæ uitia, unde appellantur uessicariæ, qui locus quondam fuit Milonis Brochi prętoris, hominis optimi, ad quinquagesimum ab urbe lapidem. Ad tumorem, & dolorem uessicæ, & ad eos, qui difficulter urinam reddunt sic. alterci seminis, maluæ seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum denarios senos, amygdalorum dulcium purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorum ⚹ ternos, opij ⚹ I. croci ⚹ V. passo contusa hęc omnia consparguntur, datur hoc medicamentum ad mensuram denarij unius, ex passi cyathis duobus, & aquæ tepidę totidem. Ad uessicam exulceratam remedium sic. nucleorum pineorum purgatorum ⚹ I. cucumeris edulis seminis purgati cyathum, anesi cyathum, papaueris nigri ⚹ II. croci ⚹ II. palmas cariotas XXX. has macerari oportet passi 8. duobus, atque cõteri, deinde ijs adijci cætera, ex eo dari nucis iuglandis magnitudinem ex passi cyathis tribus.

Ad sanguinem per urinam cum dolore reddentes. aluminis fissi ⚹ I. tragacanthi ⚹ I. tragacanthũ pridie aqua maceratum, alumini trito admisceri oportet, deinde fieri pastillos, ad denarij semissem, uel tertia detracta, datur ex passi cyathis tribus. Ad calculosos optimum remedium est scolopendros, quã nos saxifragam appellamus, huius contusæ ⚹ I. ex aquę cyathis tribus, per dies XXX. datur. eodem modo data hierobotane prodest, quam nos uerbenacam dicimus. Multos cum admiratione effectus, audiuimus narrantes, Casilini nasci in lapidicinis bestiolas adhærentes saxis quasi uerruculas; has datas tritas ex aquæ cyathis tribus, findere, & per urinam extrahere lapides de uessica. Ad calculosos remedium utile sic. cucumeris seminis, dauci, anesi, apij, petroselini, myrræ, singulorum denarios ternos, casiæ daphnitidis, cinnami, nardi, singulorum ⚹ singulos. trita hęc omnia aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudine, dantur ieiuno ex aquæ cyathis ternis per dies quadraginta. hoc medicamẽtum tunditur, uel componitur in pila lignea, & pilo ligneo. qui contundit annulum ferreum non habeat, hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus, qui adfirmauit multos se hoc medicamento sanasse. detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quædam lapidum quasi harenam. Ad calculosos, lienosos, hydropicos, medicamentum efficax, quod & urinam detrahit, & lapides in uessica extenuat, conficitur sic. eryngij, pyretri, saliuncię, saxifragę, singulorum denarios denos, polij, folij, aristolochię, singulorũ ⚹ quinos, oxymyrsines, quę scopa regia uocatur, succi heminam. hęc omnia contusa, & cribrata colliguntur ex aqua, fiunt pastilli singulorũ denariorũ; datur lienosis ex aceto, & mellis cyathis tribus; calculosis ex passo mixto, quantum manus capit, aut testa auriculæ marinę. quod medicamentũ datur per dies XLV. cuius beneficio in harenam soluuntur lapides in uessica reperti; hydropicis autem ex mulsi mixti cyathis tribus dandum est. Contra calculum, & alias difficultates uessicæ, lapillum qui in gallinacei uessica, aut in palumbi uentriculo inuenitur, conteri, & aspergi, potioni prodest. Itẽ membrana uentriculi eius trita. fimus quoque columbinus in faba sumptus. item glebula de nido hirundinum diluta ex aqua, pota prodest. Ad renium dolorem confectio medicaminis sic. resinę colophonicę — I. galbani — I. opopanacis — I. cerę — VI. seui — VI. axungię ueteris P. I. rutę — III. baccę lauri — III. herbę sabinę — III. olei quantũ opus fuerit, seminis urticę — III. ista omnia simul coquũtur, & colantur, & circa renes in pellicula alutacia adponũtur. Ad urinę difficultatẽ, murino fimo summitatẽ ueretri, uel imũ uentrẽ inlini prodest. Ad calculũ expertissimũ remediũ sic. asparagi radices, & saxifragã, lappę radicẽ, apij radices, ebuli radices, allij capita tria, folia salicis, petroselini macedonici modicũ. hęc omnia conteres, & miscebis, & ex passo bibenda per triduum dabis. si passum non fuerit, ex mulso, uel condito bibat,

to bibat;sed si non febricitabit,cui medendum est. Ad calculum,& urinæ difficultatẽ. pastinacæ hoc est holeris,quod manducatur,summitatem,id est corticem eius teres,uino picato permiscebis , & bibendũ ieiuno dabis. Modicum de succino lapide,& cyperum,& piper cõtundes,& coques, & cocleare unũ plenum ieiuno dabis,qui urinæ difficultate,uel calculi dolore torquebitur. Renibus medetur alum gallicum,cuius radix trita diligenter,& in uino decocta bibitur.interdum etiam,ita decoquitur,ut spissum emplastri more renibus superponatur. Renes leporis crudos, si quis poterit,glutiat.sin minus,coctos transmittat,ita ut dentibus eos non contingat,citò remediabitur. radix quoque asparagi ex uino trita,& pota,prodest renium dolori. Ibisci libram unam, stercoris ouilli recentis P. I I. axungiæ ueteris P. I I. hæc omnia contrita pariter miscebis,& in lana succida renibus adpones emplastri modo, statim proderit. Ad uessicæ dolorem,& ad eos, qui urinam uix faciunt,remedium sic.seminis petroselini cyath. I I I. fœnogręci cyath. I I I. tosta hæc cõtundes,addito myrræ modico,& piperis granis; I X.uini cyath. I I. omnia in unum conteres,& miscebis,& in balineo calido bibendam potionem dabis,mirũ est. Ad urinæ difficultatem,& calculum,lotium caprinum, sed montanum tepidum potari oportet , admixto uino cum aqua,ob fastidium.cyminũ quoque africanum, quod summitate trium digitorũ potueris prendere,ex uino mixto calidum bibatur. Ad urinæ difficultatem,urticæ quantum duabus manibus amplecti potueris,fasciculum,cum uini congio decoctum,ad duos sextarios rediges, & manè bibẽdum ieiuno per triduum dabis. Herbæ mercurialis ex aqua decoctæ ius,adiecta myrra tritum,uessicæ,lumborumque doloribus subuenit,si à ieiuno potetur adsidue. Ad dysuriam,id est urinæ difficultatem,& calculum,echinos tere cum aculeis suis,& ex mulsa aqua frequenter accipito. ad calculum autem , rubi radices sine ferro colliges,lotasque diligenter in olla noua coques,& ex eo quod decoxerit cum uino,si non febricitabit,ex aqua,si incommodabitur,bibendum dabis. Cancri testam diligenter teres,& uino subdulci miscebis,& colatam potionem dabis bibendam ei,qui calculi molestia laborabit. Herbæ millefolię — I I. & eius quæ herba sacra dicitur,tantundem teres,& coques ex aqua,& ex melle, atque ita bibendã dabis,urinæ difficultate,& calculo laboranti. Mense nouembri ante idus easdem,semen fraxini colliges,& in tepido furno siccabis,die postera siccatum tundes,& cribrabis,& repones,& ex eo dabis calculoso,ad diem cum uino uetere bibendam ligulam unam. Ad renium dolorem,remedium sic,apij seminis — I. fœniculi seminis — I. piperis,semunciam.ex ijs bene tritum , & cribratum puluerem facies , & habebis paratum.& cùm opus fuerit,cocleare plenum in calida aqua bibat ieiunus , qui dolore renium laborabit. Ad lapides,de uessica eijciendos,remedium singulare.hircum segregatum,uel clausum septẽ diebus lauro pasces,& postmodum à puero impubi occidi facies,& sanguinem eius excipies munditer,ex eo dabis laboranti in uini cyatho scripulos tres.at uero,ut eius rei experimentum capias, lapillos fluuiales in uessicam mittes,in qua sanguis exceptus fuerit ; nam in uessica excipi debet , & signatam repone.intra dies septem solutos penitus inuenies. Antidotum ad renium dolorem,sic.fœniculi semen recens, petroselini,dauci,zingiberis integri,piperis nigri,porri capitati semen,folia malabathri, grana piperis albi.omnia hæc æquis ponderibus tundes,& cribrabis,& miscebis cùm melle attico,& ex eo pilulam,ad modum auellanæ,ex aqua calida ieiuno dabis. Ad renium dolorem,unguẽtum satis efficax,sic. castorei — I. euforbij semunciam , pulegij — I. S. ceræ — I I I. satyrij — I I I. olei amari — V I. cyperi semunciam,myrræ — I. resinæ terebinthinæ semunciam,piperis — I. S. olei laurini — V I. opobalsami — I. hæc omnia sicca tundes,& cribrabis,& miscebis,& decoques,& liquido medicamine uteris in balneo, & perunges renes,coxas,& super pectinẽ,omnis dolor cito desinet. Trochiscus ad reniũ dolorẽ, & uessicæ dolorem,ac uulnera,& ad eos qui urinam sanguineam faciunt,uel purulentã,accipit hæc.opij drach. I I I. de nucleis pineis excaldatis & purgatis drach. I I I. croci drach. I I I. amygdalæ dulcis excaldatæ, & purgatæ drach. I I I. auellanæ purgatæ,& excaldatæ drach. I I I. cucumeris seminis purgati drac. XII. hyoscyami albi seminis cyath. I I I. apij seminis cyath. I I I. fœniculi seminis cyath. I I I. lapatij seminis drach. I. hęc omnia primũ separatim teres,& permiscebis cũ passo cretico.tũ ex eo facies trochiscos habentes drach. singulas,& dabis bibendos singulos,cũ aquæ mulsę calidę cyathis binis. utile est hoc medicamen etiam si per ueretrum infundatur. Confectio conditi nephritici,quod facit ad dolorẽ reniũ,si aliquo casu uexati fuerint,& ad uessicæ purgationẽ,& ex ea calculos,uel sabulones eijciendos,sic.herbæ uettonicæ — I. herbę saxifragæ — I. herbæ quę appellatur gręce ἄσαρον, semunciam, seminis dauci semunciã, seminis petroselini macedonici unciam,croci — I. spicæ nardi — I. piperis — I I.uini candidi optimi ueteris sextarios sex,mellis despumati optimi ℥.I. quod hoc modo despumabitur,ut mittatur in ollam,& accipiat uini parum de suprà scripta mensura,& cùm cœperit bullire,spuma omnis cocleari paulatim tollatur.herbæ autem omnes in pila tunduntur,similiter,& crocum.sed separatim omnia,& cribello tenuissimo cernuntur,nec nõ,& piper teritur.quæ omnia creta,simul in mortarium mittuntur,& paulatim uino adiecto diligenter teruntur.quæ cùm trita fuerint,adijcietur,& mel,& uinum totum suprà scriptum,& diligenter permiscebitur.postea condetur in uasculo cannarum ; cùm autem fuerit necessarium remedium, potionem in pisinno calice calda mixtam ieiuno dabis bibendam, ita ut accepta potione uectetur.

Ad calculum,remedium efficax sic.nuclei pinei grana purgata X X X. palmulas purgatas infusas X V. tragacanthi ℈ X V I. mali granati dulcis succum ℈ V I I I. croci ℈ I I. myrrę ℈ I I. hęc uniuersa contusa,& soluta,in se miscentur,& ex ijs,qui calculo laborat,manè ieiunus accipiet coclear unum, ita ut non manducet,usque ad horas prandij tardioris. Ad reniũ dolorem remedium utilissimum sic.cucumeris ueri semẽ in testą pones, super carbones uiuos,ita ut temperatè exuratur, neque nimis,neque parum,

& ex eo ℈ X I I. & maluæ ſeminis ſcripul. X V I. & amygdalæ amaræ purgatæ ℈ X X X V I. hæc ſeparatim tunſa, cùm in tenuiſſimum puluerem redacta fuerint, ſimul miſceto, & ex eo cum hepſematis, id eſt ſapæ cyatho, cocleare I. de mane ieiuno dabis bibendum. Ad renium dolorem, herbæ uettonicæ tritæ pondus denariorum duorum, ſano ex mulſo, febricitanti ex aqua calida, bibendum dato. Chamæpitys ex uino trita, atque ita pota, plurimùm prodeſt renium dolori. Baccarum cupreſſi uiridium contritarum ſuccus colatus, cum uino potui datus, mirè renium dolori medetur, ita ut ſi neceſſe fuerit, per alios nouem dies adaucto numero baccarum, & iterum, ſi ita opus fuerit, per alios nouem dies deminuto numero detur, quouſque ad unam baccam potio numeruſque deſcendat; ſed interpoſito uno die, debet eſſe commutatio potionis de maiore ad minorem modum. Lanam ſuccidam pice liquida inline, & umbilico impone, ſtatim renum dolor ſedabitur. Artemiſia herba eſt, quam gallicè bricumum appellant, hanc ubi naſcatur, require, & inuentam, manè, ante ſolis ortum, ſiniſtra manu extrahes, & ex ea nudos renes præcinges. quo facto, ſingulari, & præſentaneo remedio uteris. Pice liquida pollices, tam pedum, quàm manuum ab unguibus, uſque ad prima articulorum initia inlines, & chartam ſuperpones; intra triduum, ita ſanabere lumborum dolore, ut per ſingulas noctes detrimenta doloris intelligas. Qui renium dolore uexabitur, in charta rudi ſcribat characteres infra ſcriptos, & auro, uel cupro includat, & circa renes alliget, miro remedio utetur, χαραβρααδ. Paſſi cretici cyathos tres, lactis caprini itidem, ſeminis cucumeris triginta tria; optime trita ſimul una potione qui biberit, abſoluetur renium dolore. Molliginem ex uino optimo bibat; qui renium dolore uexabitur, confeſtim ſanus erit. ſuccum quoque radicis amaræ cum melle mixtum bibat ieiunus, uel ex uino auſtero, ſtatim remediabitur.

Artemiſiam tundes, & cum adipe ſuilla, aut qualibet uetere ſubiges, & panno inductam, pro malagmate renibus impones. Mulier quæ geminos peperit, renes dolentes ſupercalcet, continuo ſanabit. Remedium unicum, & quod citiſſimè renium dolores cum admiratione perſanat, ſic. bitumen ſuper carbones uiuos pones, & ſago grandi ad modum caueæ eos operies; atque illic interius, nudum qui renium dolore uexabitur, ſupra ipſos carbones ſedere præcipies, ut fumus ille corpus eius omne circumeat. hoc ſi neceſſe fuerit, & ter facies, ut penitus ſanetur. Radix aſparagi trita, & cum uino pota, renium dolorem optimè tollit. Ocymi ſuccus in mali granati corticem fuſus, & potus, plurimùm renibus prodeſt. Fel herinacei cum ueſpertilionis cerebro, & canino lacte renibus impoſitum, mirum prodeſt. Adeps anſerinus cum eiuſdem cerebro, & butyro, & alumine, & œſypo impoſitus, ad ceroti modum, efficaciter renibus prodeſt. Stercus columbinum tritum cum ordei farina, & adipe ſuilla, & ouorũ albo ſimul permixtum, & coctum, emplaſtri more rectiſſimè renibus imponitur. In capitibus piſcium, id eſt mugilum, aut mullorum, ſpina inuenitur cani ſimilis. hæc renibus adpoſita, uel alligata, miro remedio eſt. Plantago ex melle trita, & impoſita, renibus ſtatim prodeſt. Oua ſepiarum in cibo ſumpta, urinam mouent, & renium grauedinem tollunt. Inula trita, & cum uini cyathis tribus per triduum pota, plurimùm prodeſt renibus ſeparandis.

Axungiæ ueteris ſelibram, olei ueteris ſelibram, ſamſuci ſelibram, rutæ faſciculum una decoques, & lanam ibi ſuccidam tingues, ac renibus ſuperimpones, mire ſubuenies. Ad ueſſicæ dolores, & ſtranguriam, cardui ſemen ex uini ſextarijs duobus, uſque ad heminam decoctum, & expreſſum, atque colatum, potuique ieiuno datum, plurimùm prodeſt. Plantæ rutaceæ, & nepetæ radices, baccæque lauri, in uaſe fictili cooperto diligenter coctæ, ne uis medicamenti emanet, potui dantur, ita ut prius expreſſæ colentur, mirabiliter ueſſicæ doloribus proſunt. Herbæ, quæ græce ſiſymbrion dicitur, tritæ ſuccus expreſſus, & ſano ex uino, febricitanti ex aqua potui datus, mirum ad ueſſicæ dolores remedium eſt. Fœniculum cum radicibus ſuis decoctum, & potui ſumptum, efficaciter ueſſicæ doloribus prodeſt. Glycyrizę commanducatæ ſuccus deuoratus, uel tranſmiſſus, urinam efficaciter prouocat. Trifolium minutum cum pipere, & pulegio quãtum ſatis uidebitur, tritum, & cum uino potui datum, ueſſicam reneſque purgabit. Herbæ uerbenæ contritæ ſuccus expreſſus, adiectis uini cyathis tribus, potui datus, admirabiliter continuo urinæ difficultatibus proderit. Herba quæ gramen dicitur, nodorum X X V I I. ex uino ad medias decocta, & expreſſa, atque colata, potuique, ſtrangurioſo ex uini cyatho uno mixta data, adeo potenter ſuccurrit, ut ubi ſine tormento urinam facere cœperit, dari non oporteat, ſed febricitanti ex aqua ſola dabitur. Si quis uitio ueſſicæ, aut ſtranguriæ laborans, lignum tamariſcum ardens lotio ſuo extinxerit, deſinet ultra cruciari. Cupreſſi folia tenera ex aquæ ſextarijs quatuor ad ſextarium decocta, & expreſſa, atque colata, cum uino potui data, ſtranguriam celeriter emendant.

Hederæ nigræ baccas V. aut V I I. aut undecim, prout ætas ægri uireſque patientur, cõtritas, ex aqua mulſa ſumptas, mirè prodeſſe manifeſtum eſt, etiam ſi ſanguinolentam urinam ſtrangurioſus faciet, ex aqua tantummodo calida eas potare debebit. Auis oſſifragæ uentriculus ſalitus, ut ſeruari poſſit, aut exuſtus, & in puluerem redactus, cum uini potione datus, urinam efficaciter prouocat.

Muli impetigines in utroque crure ſuper genua naſcuntur, & ueluti cutis aridæ modo inhærent; has incende, & ſtranguriosum diuaricatum deſuper pone, ita ut ſuffumigationem illam expanſis ueſtibus tegat, ne qua odor, aut fumus emanet, efficaciſſimè incommodi eius uitio carebit.

Aſini renes areſacti, atque exuſti tritique, id eſt in puluerem tenuiſſimum redacti, & ex mẽſura conchulę unius, cum uini meri cyathis duobus ſtranguriosо, potui dati efficaciter medentur. Verris ſiluatici lotium cũ ſua ueſſica in fumo ſuſpenſum, & adſeruatũ, ſtranguriosis cũ potione mixtũ potui datũ, efficaciſſime prodeſt. Pili caprini combuſti tritique, & in potione dati, ſtranguriosos potenter emendant.

Pedum

Pedum agninorum decoctorum ius potui sumptum, stranguriosis plurimum prodest. Herinacei caro optime decocta, atque in cibo sumpta, stranguriosis mire subuenit, & cito naturalem urinæ cursum relaxat. Cocleæ crudæ contritę cum testis suis, & ex passo per dies septem, aut ut plurimum nouem potui datæ, efficaciter dysuriæ prosunt. Amyli semunciam terito, atque addito ouum recens, & eius oui testam ter passo impleto, idque poculum diu agitatum, & feruefactum, strangurioso reuerso a' balneis dato, omni cum dolore, ac difficultate celeriter absolues. Cicer arietinum in aqua decoquito cum sale, eamque strangurioso ad binos cyathos bibendam dato, efficaciter iuueris. Fimus palumbinus in sorbitione sumptus ex faba facta, admirabile stranguriosis præsentat auxilium. Turturum fimus ex mulso coctus, & ceroti modo uentri, ac renibus laborantis impositus, efficaciter prodest. Mentę bene tritæ coclearia duo ex aqua calida ieiuno per triduum dabis, continuo uessicam releuabis, urinamque laxabis. Pulegij fasciculum in olla noua ex uino uetere, ad tertias decoques, & exprimes, atque colabis, & ex uino ieiuno strangurioso potiones singulas per triduum dabis. Lapillus qui inuenitur in scorpionis marini cauda, tritus utiliter bibitur cum uino a' strangurioso. Vngularum aprugnarum exustarum cinis potioni inspersus, plurimum urinæ difficultates iuuat. Leporis cerebrum in uino utiliter bibitur, eiusque testiculi rosti salubriter manducantur, ab eo qui uessicæ molestijs laborat. Anserum siluestrium linguæ assatæ, efficaciter sumuntur in cibo a' calculosis. Cymini — I. rutæ — I. piperis semunciam teres diligenter, & cocleare plenum in meri ueteris potionem mittes, & aquæ, quod sufficiat adijcies: postea ferro candenti sæpius immerso calefacies, & ieiuno bibendum dabis, efficacissime subuenies stranguria laboranti. Spongia ex rubo rosario agresti sumpta, & aqua frigida donec madescat, macerata, ac deinde trita, & ex aqua per triduum potui data, efficaciter calculosos emendat. Piscis scorpio assatus in cibo sumptus, optime calculoso proderit. Cocleæ inanes, id est sine carne sua, casu inuentæ contusæ, & in puluerem tenuissimum redactæ, in potione calculosis datæ medentur. Vngulæ equinæ scobem, uel exustæ cinerem, si calculosus in potionem acceperit, cito sanabitur. Herba saxifraga si ex oleo, & liquamine manducetur, intra triduum calculos soluet. Calculosis expertus adfirmat incredibiliter succurri remedio tali, si hircum, melius si agrestem, melius si anniculum, & si mense Augusto claudas loco sicco per triduum, ut ei solas laurus edendas sumministres, & aquæ nihil accipiat; ad postremum tertio die, id est aut iouis, aut solis occidas. melius autem erit, si castus purusque fuerit, & qui occidit, & qui accipiet remedium. exsecto igitur gutture eius sanguis excipitur, utilius si ab inuestibus pueris excipiatur; comburitur in uase fictili, usque ad cinerem; uas autem in quo torrebitur coopertũ & inlitum gypso in furnum mittetur. quod cùm uapori exemeris, in puluerem conteres, nec non, & polypum marinum identidem, ut dixi exustum, in puluerem rediges. confectio autem uniuersi medicaminis hæc est. sanguinis huius hirci — III. piperis albi — I. polypi exusti cineris — III. thymi — I. pulegij — I. apij, seminis olusatri — I. hęc omnia separatim tunsa, & ad leuissimum puluerem redacta cõmisces, & dabis infirmo; melius si die solis, aut iouis, coclearis mensurã in meri potione, aut cuiuscunque dulcis poculi. prouidere autem debes, ut digesto, ac ieiuno potio detur, & rursum, ut eadem potione bene digesta, cibos accipiat; & eo melius erit, si hanc potionem cum condito, post balineum in sabanis, adhuc cõstitutus acceperit. Supra omnia efficax aliud ex eo facies medicamentum sic. sanguis hircinus ea obseruatione, qua supra excipitur, in patella ferrea cãdente, ut aduri possit, & stringi continuò ipse sanguis, ita ut postea in puluerem redigatur, uel certe cõtinuis aliquot diebus, ad solem ipsum sanguinem pones, ita ut rore iam decusso, post horã secundã ponas, & ante nonã colligas. posteaquã, ita fuerit siccatus sanguis, ut nullum humorem habeat, colliges eiusdem crustulas, & teres, atque ex eo leuissimum puluerẽ rediges. deinde accipies herbam tribolum, cuius herbæ ipsum tribolum, hoc est semen spinosum proijcies, ipsam autem herbam lectã de locis maritimis siccabis, tundes, & in puluerem rediges. confectio autem medicaminis totius hęc est. herbæ triboli — II. piperis — II. petroselini macedonici — II. folij sertulam, id est coronam, siue sphæram unam. hæc omnia separatim tunsa, & ad leuissimum puluerem redacta, cum sanguine hircino miscebis, & dabis infirmo die solis, aut iouis, coclearis mensuram, in meri potione, aut cuiuscunque dulcis liquoris. prouidere autem debes, ut digesto ieiunoque potio detur. quam cùm acceperit qui calculum patitur, mox lapides solutos omnes per urinam emittet. ut uero ammireris sanguinis hircini uirtutẽ, adamas lapis inuictus, qui neque igni, neque ferro uincitur, si sanguine hircino perfusus fuerit, mox soluetur. Ad uessicæ dolorem, & urinæ difficultatem, herbam gladiolum diligenter foditto, ut omnem radicem eius palo ligneo eruas, cuius radicis corticem diligenter nitidatam siccabis optime, & teres, atque cribrabis, ut in puluerem tenuissimum redigas, atque ex eo, coclearia tria mittes in mortarium, & piperis albi grana nouem trita, & myrrę optime tritæ pusillum, & uini optimi ʒ. II. atque hæc omnia in unum permiscebis, & conteres, ac laboranti, in balneo, id est cùm in piscinam descenderit, dabis bibendam potionem, & monebis, ut se post balneum calidissime tractet. hoc medicamine, seu uir, seu mulier, seu puer, seu puella, potentissime sanabitur.

Cocleam grãdem unam uiuam prendes, & eius carnem eximes, ac solam teres in mortario, & cum aceti acris coclearibus tribus dabis bibendam, atque hoc per triduum facies. deinde intermisso triduo, nisi statim expulerit calculum, similiter remedium, & si necesse fuerit, sæpius dabis. Filicis radicem, asparagi spongiam, apij radicem, & petroselinum simul diligenter teres, & ieiuno calculoso, cum uino dabis bibendum. Violæ erraticæ rusticæ radices, & apij, & uiolæ coronariæ semen, una contrita, & ex aqua calida a' balineo continuo potui oblata, dolores uessicę cito abigunt.

Lapis ex uessica hominis, qualibet curatione sublatus, si teratur, & ex uini cyathis tribus calculoso potui detur, lapides uessicæ humanæ innatos, efficaciter dissoluere creditur. Cimex foraminibus uetetrorum confricatus, dolorem uessicæ protinus tollit. Vessica apri recte aduersum uessicæ dolores in cibo sumitur, ita ut mulier fœminæ, uir masculi sumat. Nasturtium tritum cum uino dulci, cibario dabis, uessicæ tædio laboranti, per triduum potui, sed satis spissum poculum detur. Vessicam releuat coliculi cocti aqua triduo a ieiuno iugiter pota. Ad uessicæ uitia curanda, myrræ semunciam bene tritam cum mulsi ueteris cyathis tribus, dabis per triduum ieiuno exeunti statim a balineo, ita ut dum sabanis operitur, singulos in diem cyathos bibat. Si in uessica aliquid molestiæ fuerit, nitri florem, uel si flos non fuerit, ipsum nitrum conteres, & cum aqua in qua coliculi cocti fuerint, uinoque picato, uel austero rubello durissimo dabis bibendum per triduum, uel diutius, si ita opus fuerit, magnificentissime proderit. Prima luce puer uirgo, rorem de folijs cauliũ excussum, in noua olla excipiat, non minus sextarios quatuor, eo adijcies mellis quartarium, & fœnigræci bene mundati, & loti quartarium, & zingiberis uncias tres, atque ita decoques horis tribus, & inde bibendum dabis mane ieiuno calculoso quartarium tepentem. hæc potio per triduum sumpta mensura quartarij, & uessicam, & renunculos, & intestina uniuersis sordibus purgat. Piperis grana I X. eiusdem ponderis sulphur, trita simul in uino uetere dabis bibenda ieiuno calculoso, solet statim perniciem demouere; si tamen ultra dolor manserit, iterum dabis similem potionem. Pellem leporis recentem in olla munda, uel tegula, ita cum lana sua combures, ut in tenuissimum puluerem redigere possis; quem cribratum in uase nitido seruabis. inde cum opus fuerit, tria coclearia in potione dabis bibenda; quæ res, siue calculos, siue uessicæ dolores continuo cõpescit. sed multo potentius erit remedium, si leporem uiuum in olla noua claudas, & gypso omnia spiramenta uasis obstruas, & in furno, usque ad fauillam tenuissimam cremes, tritamque, & cribratam recondas, atque inde certas mensuras in potione uini offeras calculosis, & qui sanguinem mingunt, mire eos sanabis. Cimoliæ cretæ tunsæ ʒ. I I I. & farinæ ordeaceæ ʒ. I I I. ex aqua coques, & in saccos tres lineos mittes, eoque fomento uicissim mutato, ut bene caleat, calculosos, seu uessicæ dolore laborantes ter in die uaporabis, potenter subuenies. Item aliud ad eos certissimum remedium. pruna quæ in sepibus nascuntur, colliges, & eorum nucleos tolles, & seruabis ad præsidium, & cum opus erit, in pila tundes quam optime, & cribrabis quam minutissime, atque inde ex picato, siue austero, ac duro uino dabis ieiuno bibenda in potione diurna, coclearia tria. Hoc uero medicamen non solum uessicam curat, sed etiam uulnera intrinsecus latentia, & uomicas persanat; conficitur sic. cucuma sextariorum nouem rudis aqua impletur, & ad dimidias coquitur; tum adijciuntur in eam spongiarum asparagorum unciæ quatuor, apij radicum tantundem, saliuncæ lotæ diligenter unciæ duæ, cassiæ fistulæ semuncia, amomi ℈ V I I I. petroselini dimidium quartarium, iris illyricæ uncia una, mastichæ chiæ unciæ duę. deinde aqua cucumam supplebis, & de gypso pręcludes, ut tamen modicum spiramenti relinquas, atque ita coquens claudes cucumam, ne medicamen exiliat, & ad medias decoques, ac recondes in ea. cum opus fuerit, dabis ex eo cum potione uini, quantum sufficiat ad bonam mixturam, sed & ieiuno, & dormitum eunti dabis. Petroselini heminam, apij seminis tantundem, in cucuma fictili noua prius imbuta ex aqua decoques ad tertias, ita ut oclusa sit cucuma, ne medicamen ebulliat. postea aquam colabis, & addito melle, iterum ad tertias decoques; inde ieiuno calculoso potionem per triduũ dabis. Calculos potio hæc assidue sumpta cum passo, uel condito non finit gigni, eosque concrescentes confringit, & per urinam harenæ modo promit; conficitur sic. calaminthę, id est nepetæ — I I. silis pistorij, piperis, succini, saxifragæ, petroselini, cyperi, zingiberis, — singulas, tundes, & cribrabis, & coclearium plenum cum uini mixta, & calida potione, ieiuno bibendum dabis.
Ad calculum remedium mirum sic. hederam quæ in quercu nata fuerit, uulnerabis cupro, & permittes humorem, qui inde manauerit, indurari in modum gummis. postea sublatum condito resolues, & admiscebis, & bibes quotiens usus exegerit. Herbæ physsalidis baccas ternas per triduum glutiat, qui uessicæ calculo dolebit. Herbæ britannicæ radices contundes, & terna scripula ex aqua calida calculoso ieiuno potui per triduum dabis. eiusdem herbæ succum expressum in duplici uase decoques, ita ut succi eius naturalis sextarius fiat, quem cum mellis despumati hemina miscebis, & postea in se decoques. & cum colorem mutauerit, refrigerabis, atque inde codeare unum ex aqua calida, si uehementer febricitabit, calculoso potui dabis, statim etiam febris extinguetur; si uero sine febri erit, ex uino eam potionem debebit accipere. Ad renium dolorem, emplastrum utile sic. axungię ueteris P. I I. farinæ ʒ. I. olei P. I. ceræ selibram. ijs liquefactis adijcies sulfuris cõtriti selibram, nitri contriti, & cribrati selibram. omnia permiscebis & concoques, atque inde renes confricabis, uel more emplastri adpones. Herbam sabinam in mortario teres, & cum axungia uetere subiges, & sic renibus adpones. Ad urinæ incontinentiam, remediũ sic. fœniculi radicem, & ramusculum erui contunde, & ex uino uetere da bibendum, cõtinuo remediabis. Vrinam continet, lac caninum, & adeps eius cum alumine datus, ita ut sit fabæ magnitudine globulus qui datur. Cinis coclearum africanarum exustarum si potetur, urinæ incontinentiam sedat. Anserum trium linguas inassatas, si quis ederit, urinæ profluuium non patietur. Vessica uerrina cocta, uel usta, comedenda, aut bibenda efficaciter datur ei qui urinam suam non potest continere. Leporis cerebellum ex uino potum, urinæ incontinentiam refrenat. eiusdem testiculi torrefacti, & ex uino poti, par remedium submeiulis præstant. Vngues aprugni exusti tritique in potione sumpti, efficaciter submeiulis prosunt. Qui urinam tenere non poterit, capræ uessicam comburat, & cinerem eius ex aqua cum uini potione bibat. Verrini genitalis usti cinerem bibere debent ex uino, qui urinam continere non

re non possunt. In cubili canis urinam faciat, qui urinam non potest continere, dicatque dum facit, ne in cubili suo urinam, ut canis faciat. Vrinæ propriæ quantumcunque ignoranti submeiulo efficaciter offertur, uel res quas comminxerit in potione exprimuntur, aut ibidem diluuntur; & ita ei inscio ipsa potio propinatur. Vitrum teres diligenter, & cum pice cedria miscebis, atque ita chartam uirginem inlines, & renibus adpones; quo medicamine diebus septem iugiter usus, sanus firmiter eris. Ad reniculorum dolorem obseruabis, ut post balneum, poscam calidam bibas per plures dies, & quotiens dolore interpellatus fueris, idem facies. Conditum ad reniculorum dolorem, uel ad calculum, sic. saxifragæ — I. uettonicæ — I. petroselini — I. apij seminis — I. rutæ seminis ∋ X V I I I. piperis — II. uini optimi 8. X I I. mellis optimi P. V. tundes omnia, atque cribrabis, & conditum cum exegerit necessitas facies, eoque ubi reniculorum dolor, aut molestia calculi fuerit, uteris. Saxifragam herbam, petroselinum macedonicum, piper, mel, uinum, ex ijs omnibus conditum facies, & laboranti calculoso per singulas septimanas potionem iouis die dabis; conficienda autem potio die iouis luna uetere erit. Ad calculum potio salubris, conficitur sic. semen apij, libystici, fœniculi, anethi, æquis mensuris tritum miscetur, & herbæ saxifragæ grana V. cumini grana tria, piperis grana V. uerbenæ folia tria, & salis permodicum adijcitur. ex omnibus autem seminibus supra scriptis æqualiter quantum tribus digitis, id est pollice, & ab eodem tertio, & quarto leuari potest, mittitur, dein teruntur omnia diligenter: postea adijcitur careni optimi potio grandis. ad hanc sane potionem miscendam, radices asparagorum, & apij, & anethi, & fœniculi lotæ diligentissime in sextarios aquæ nitidæ mittuntur, ita ut radices ipsæ tegantur aqua, atque in olla rudi coquuntur ad tertias. ex ipsa aqua, sed calida, miscēda potio careni, & accipienda per triduū. sufficiunt autem duo huius aquæ sextarij ad tres careni maiusculas potiones. sed si necessitas præsentis doloris exegerit, per triduum continuum dabuntur. si uero quis timeat tantummodo dolores supra scriptos, aut aliquando pertulerit, accipiet etiam sanus hoc modo uetere luna tres tantū tribus mensibus singulas potiones, & iugiter contra hunc morbum erit tutus, & sanus.

Cœliacis, & dysentericis, & torminosis, & ad intestina rupta, & internos morbos, atque incontinentiam stercoris, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXVII.

Pastillus ad cœliacos, & torminosos optime faciens. acaciæ, balaustij idest mali granati, quod cytinum uocatur, germen antequam florescat, hypocystidos, opij, singulorum denarios quinos, alterci, cretæ samiæ, singulorum denarios senos. ijs bene tunsis, & cretis, ex uino myrteo fiunt pastilli denariorum singulorū, aut semissium, ut iuxta ætatem, aut ualitudinem dentur. dantur autem ieiunis, sine febre ex uini myrtei, aut signini cyatho uno, cum duobus aquæ mixto; febricitantibus uero, ex aquæ cyathis tribus. hoc etiam per dysteriū immittitur, quotiens desurrexerint torminosi; quibus, & si grauiter adflicti sunt, statim prodest. Ad cœliacos, id est, qui subite, & multa defundunt, & ad aluum citatam, & ad leuia interdum tormina, medicamentum potens sic. sorborum aridorum contusorum 8. I I. rhus syriacæ quo coci utuntur, 8. I I. mala granata recentia X. mala cydonea matura X. hæc utraque coquūtur in sapa, facta ex musti adhuc in dolio feruentis sextarijs X X X V I. quousque ad sextarios duodecim decoquantur, & donec malorum coria percoquantur, & sint madida. deinde ita teruntur hæc fictili mortario, ut grana omnia comminuantur; postea rhus, & sorba arida admiscentur tunsa, & cribrata curiose, & cum sapa, quæ est residua, temperantur. omnibus ergo in unum bene coactis reponitur medicamentum in uitreo uase; dantur inde ieiunis ligulæ duæ, uel tres, sine ullius rei admixtione. Pastillus ad torminosos efficacior, conficitur sic. acaciæ ✱ I I I I. croci ✱ I I. gallæ ✱ V I I I. hypocystidos ✱ I I I I. lycij ✱ I I I I. myrrhæ ✱ I I I I. rhus quo coci utuntur, nardi syriaci spicæ, aloes, singulorum denarios binos; anesi, gummis, singulorum ✱ ternos, piperis nigri ✱ I I. teruntur hæc diligenter, & ex succo rubi cauliculorum, uel ex uino Signino collyria formantur, ritu eorum quæ ad oculos fiunt; cùm tamē ita fuerit leuis confectio, ut in ungue nulla appareat asperitudo. finguntur autem alia denariorum singulorum, alia semissium, quę inijciantur; sed rectius ad hanc mensuram pastilli dabuntur, ita ut unus ieiuno ante meridiem, alter in noctem ex aqua, si febres erunt; ex uino signino, si sincere corpus fuerit, detur. hoc efficax medicamentū est, si cætera quę in huiusmodi causis curationi, uel cibatui sunt necessaria, obseruatione, & opportunitate cōgrua fiant. Pastillus qui dysterio immittitur torminosis per annum, cū olida, & sanguinolenta deijciunt, id est cùm intestina eorum cancer occupauit; quo quasi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet. Ideoque a quibusdam ignorantibus usurpatus, accusatur quasi nociuus; recipit autē hęc. chartæ combustæ cineris ✱ X X X. calcis uiuæ ✱ X X I I I I. arsenici, quod est auri pigmentum ✱ X I I. sandaracæ ✱ V I. hæc trita, uino consparguntur, in quo rosa, & lenticula prius coquuntur, ut possint fieri pastilli ✱ duum, aut unius. cùm opus est, teritur unus pastillus, & immittitur per aquam, ut supra scriptum est, decoctam cum rosa, & lenticula si febres erunt; sin minus, ex uino eadem decocta utiliæ erunt. facit bene, & myrti fasciculus cum oleastri, uel oliuæ ramulis utroque modo, prout res exegerit incoctus. potio autem, cùm immissum fuerit supradictum medicamentum, hæc conuenit. in noctem in aqua catapotia dātur, quæ fiunt sic. myrræ ✱ I I. lycij ✱ I I. turis ✱ I. opij ✱ I. aloes ✱ I I. acaciæ ✱ I I I I. myrti baccarum nigrarum ✱ V I. ouorum ex aceto coctorum uitellos I I. hæc trita, uino Surrentino consparguntur, & fiunt pastilli ✱ singulorum; dantur febricitātibus ex aquæ cyathis tribus; sine

febre, ex musti surrentini cyathis duobus. Ad uentris dolorem, & inflationem intestinorum, & præcordiorum dolores, & ad conuulsa, & rupta interanea, & ad urinę difficultatem, remedium sic. panacis ✱ IIII. piperis ✱ IIII. dauci cretici radicis, uel seminis ✱ VI. sulphuris uiui ✱ S. opij duas tertiasue partes uictoriati ponderis. castorei ✱ S. myrræ ✱ III. hæc trita, & cribrata uino consparguntur, & ex ijs fiunt pastilli magnitudinis lupini, dantur cum res postulat, ex aceto, & melle in unum mixto cyathis tribus. ad uitium autem mulierum, quo correptæ suffocantur, quod gręci hystericen pniga appellant, ex aqua mulsa dari oportet, & quantum nux auellana est; detrahit enim urinam copiosam. Medicamentum, quod dodecatheon appellatur, mouet urinam, facit & ad eos qui reficiendi sunt post grauem imbecillitatem, facit & ad auriginem habentes; & ad iocineris, & renium dolorem, & ad lienosos, & ad hydropicos, & difficulter urinam reddentes: crapulam quoque non patitur, uino nigro potum, subsistere. prodest stomachicis, & mulieribus a uulua laborãtibus, & ad omnia uenena, & ad serpentium morsus, atque ictus, & ad interius conuulsa satis utile est, conficitur sic. myrræ denarios duos, cassiæ corticis ✱ II. iris ✱ IS. apij seminis ✱ II. & tertiam uictoriati, acori ✱ I. uuæ passæ sine granis denarios sex. hæc omnia uino aruisio contusa cribrataque consparguntur. dein ex ijs fiunt pastilli ✱ singulorum, quamuis auctor dicat se pastillis usum, etiam ad denarij semissem cum uini suprà dicti cyatho.

Medicamentum mirum ad cœliacos, & ex cruditate grauedines doloresque cuiuslibet partis in corpore sustinentes. nec minus ad oculorum facit, & reniũ dolorem arcendum, & ad scabiem uesicæ, & ad iocineris duritiam; exsiccat enim corpus: prodest, & ad arteriam; denique in omnibus laborantibus adiuuat, & concoctiones, & urinã mouet; conficitur sic; Nardi syriacæ, croci, myrræ, cassiæ, costi, cinnami, castorei, schœni floris, piperis albi, piperis longi, galbani, resinæ terebinthinæ, styracis, opij, singulorum denarios quaternos, alterci seminis, anesi, apij seminis, singulorum denarios quinos, tragacanthi denarios sex, mellis, uini falerni, uel similis huius sextarios singulos. hæc omnia contunduntur, & cribrantur, donec mollissimam tenuitatem accipiant, tum in patellam fictilem nouam mel infunditur tepefactum molli pruna. dein uinum instillatur, macerato prius in eo tragacantho, uicissimque cæteræ species inspargũtur: tum simul mouetur medicamentum, & omnia omnibus permiscentur. cum autem crocinum colorem habuerit medicamentũ, transfunditur in mortarium marmoreum, & ibi pistillo bene subactum, reponitur in pyxide cornea; cum opus est, datur ad suprà dicta, cum uini cyathis tribus, admixto aceto, atque melle, prout uisum fuerit. Ad eadem, remedium efficax, quod conficitur sic. myrræ ✱ quatuor, croci & panacis denarios ternos, alterci ✱ V. anesi ✱ II. apij seminis ✱ V. opij ✱ II. papaueris capitati, & satiæ ✱ V. gallę syriacę immaturæ denarios VI. mori ex rubo immaturi aridi ✱ IIII. rosę aridę ✱ VI. Balaustij ✱ III. rosæ caninæ succi ✱ III. rhus syriacæ ✱ V. palmarum purgatarum ✱ XX. quæ coquuntur ex aquę cisterninæ sextarijs tribus, donec relinquatur sextarius unus. deinde ipsæ palmæ exprimuntur pręlo, aut coclea, ex succo eodem, atque aqua modica fiunt de suprà scriptis speciebus in puluerem redactis, pastilli ad ✱ semissem; dantur similiter, ut prius medicamentum dari oportere præcepimus. Prodest torminosis plãtaginis succus, uel rubi, uel lentisci, uel rhus syriaci, uel herbę millefolij, uel terebinthi, omnium ad ✱ semissem potus cum uino, uel aqua. Benefacit torminosis rumicis semen quantum ligula capit tritum ex uini austeri cyathis quatuor, uel aquæ totidem, in tempore potum. Glandes quercinę tres, aut quatuor, uel eiusdem folia, uel liber eius coctus ex aqua, quæ uel sola, uel cum uino torminosis potui data plurimùm prodest. Ceratitidos, quam herbam uiolam marinam appellamus, radices trium digitorum magnitudine incoctæ uino austero, torminosos iuuant; si illud uinum admixta leuiter aquæ calidæ potione potetur. Herbæ britanicę radix, uel folia incocta, uel aqua in qua tamarici folia, & semen incoctum fuerit, torminoso potanda detur, etiam cum admixtione uini austeri. Plantago cocta ante alium cibum data ex aceto plurimo, & exiguo sale, atque oleo, torminosis plurimum prodest. Plantaginis aridæ semen tritum ex partibus duabus, & papaueris capita arida trita ex parte tertia, oportet per cribrum tenuiter foratum traijci, ex eoque puluere dari torminoso ligulæ magnę mensurã, interdum plus aut minus, cum uini ueteris mixti non nimiùm, id est cyathis tribus. hoc medicamentum ante somnũ utiliter etiam ad uesperam datur. Prodest torminosis huiusmodi sorbitio; halicę hemina percoquitur cum cerę, & rutę ✱ I. admiscetur sane ijs, & malum granatum, atque ita simul coquuntur in aqua. post hoc, exprimuntur omnia, & coagitantur diu; ac si opus fuerit, adijcitur alica cocta, ut in modum pultis fit. lactis quoque bubuli, aut cuiuslibet denarius I. admiscetur, & sic sorbetur. si autem mãducare panis more illud uolueris, addes illic oua incocta tria, & polentę nitidę delicatę quantum satis erit, ut panis fieri ex eo possit; qui etiam frigidus comestus plurimùm prodest. Medicamentum ad torminosos huiusmodi satis utile est. croci ✱ I. & duę partes uictoriati, nardi ✱ II. acacię ✱ III. gallę ✱ III. aloes uictoriati pars tertia, lycij ✱ I. opij ✱ S. tragacanthi ✱ S. & tertia eius, turis ✱ I. & uictoriati partes duę, myrrę ✱ duo, piperis ✱ S. teruntur, & cribrantur hęc diligenter, atque ex uino fiunt pastilli lupini magnitudinis; dantur cum tribus cyathis liquoris cuiuslibet, tam diu quousque conueniat, ut tormina uniuersa sedentur. Immitti torminosis per clysterem oportet uinum ex piris syriacis factum cum succo plantaginis; mirificè enim facit hoc remedium, & multis experimentum dedit. Palmarum numero uiginti pulpę, iunci radicis ✱ X. gallę immaturę ✱ X. myrrę ✱ V. tunduntur, & miscentur uniuersa, atque ex omnibus fiunt ex uino pastilli numero triginta; dantur similiter, ut prędicta medicamenta ex quolibet liquore. Balaustij ✱ V. opij denarios duos, gallę immaturę pilularum denarios II. tamarici seminis ✱ II. turis ✱ IIII. rhus syriaci ✱ quatuor, uinaceorum tostorum ✱ V. hinc pilulam

ad duum

ad duûm denariorum pondus, cùm potione ex uini nigri cyathis tribus, totidemq́ue aquæ calidæ mixta, torminoso dari oportet. Si torminosi, uel cœliaci, propter frequentes desurrectiones, uiribus deficientur, dandæ erunt eis sorbitiones ex cremore farris, uel ex ptisana factæ, modò per se solæ, modò cum rosa unguentaria mixtæ; uel ius gallinæ pinguis excoctæ cum butyro; uel lac caprinum, aut ouillum tepidum per se, uel etiam decoctum cum butyro, & lenticula similiter facta, prodest. imponenda uerò sunt torminosis fatigatis à stomacho, usque ad inguina unguenta, quæ spissant cutem, ea quibus unguentarij utuntur.

Medicamentum, quod per anum inijcitur torminosis, sic. calcis uiuæ, sandaracæ, auri pigmenti, singulorum paria pondera; teruntur una omnia ex aqua, uel succo plantaginis, donec possint coire; tunc pastilli fiunt; cùm opus sunt, teruntur, & inicijuntur, ad cuiusque uires, ut plurimùm ✱ IIII. aut minimùm ✱ II. cum hemina, uel ut plurimum cum cyathis IX. aquæ cum myrtis decoctæ, uel cum rosę folijs, uel lentisco. medicamento sanè hoc uti oportet, non inter initia torminosis, sed cùm malignitas uitij apparuerit; & si non eodem die, quo primùm adhibetur, profuerit, etiam sequenti fieri oportebit. si quis autẽ morsus intestinorum, cùm immissum erit medicamentum, aut cum redit, insequitur, infundatur statim per clysterium, lenticulæ decoctæ aqua, uel furfures, sedabitur confestim dolor, cùm eas deiecerit torminosus, post iniectionẽ sanè detur cibus. Aliud medicamẽtũ, quod mirificè prodest torminosis, siue febrẽ habuerint, seu sine febre fuerint. plantaginis succi hemina frigida, uel tepida immittitur p clysterẽ in anũ, uel p se sola, uel cũ uino ex piris syriacis facto. hoc medicamentũ, etiam si æger cibum horrescit, restituit ei cupiditatẽ manducandi; facit uerò sitim intolerabilem, sed moderatè bibendum. Pastillus ad torminosos efficax, conficitur sic. acaciæ ✱ I. mali granati corticis ✱ VIII. gallæ syriacæ immaturę ✱ V. opij ✱ V. myrti baccarum nigrarum ✱ VII. rhus quo coriarij utuntur ✱ VIII. uel eiusdem succi ✱ VI. alterci seminis ✱ VIII. turis ✱ VIII. rhus syriaci ✱ VIII. hæc omnia animantur, præter acaciam, tus, opium, & contunduntur seorsum, & in unum miscentur, uinoq́ue omnia myrtino conspargun tur, atque in pyxide fictili reponuntur. si quis uolet pastillos facere, adijciet gummis ✱ VI. dabitur ex hoc medicamento, ieiuno torminoso ✱ I. ex aqua, uel ex uino mixto myrteo. idem medicamentum immittitur per clysterem ad mensuram iuxta uires cuiusque. Vinis uti oportet torminosos ex myrto, & piris syriacis, ex malis cydoneis, & terebintho, ex rhus coriario, ex glande quercina, ex lapathio, ex populi fructu, ex rubo, ex hypocystide. quæ omnia decoquuntur seorsum cum uino Surrentino, aut Signino; potioni uerò admiscetur aqua cisternina decocta, & sub diuo posita. Prodest torminosis lac potum, in quod lapides feruentes sæpius, uel ferrum candens dimissum fuerit, si tamen non febricitabunt.

Cibi prosunt torminosis huiusmodi, panis fermentatus durus, pultes diuersæ, lenticula aceto condita, brassica, plantago, intyba, mala cydonea, uuæ ex ollis, palmæ ex litore, capreæ, palumbi, anates, merulæ, turdi, grues, mulli, loligines, polypi assati. Torminosis sunt extra cutem imponenda hæc. lana succida ex aceto, uel rosaceo, uel malino oleo admixto. item plantago, apium, millefolium, intybum, lentiscum: per se trita hæc, uel admixto uino austero, quò magis adstringant, adponuntur; postea cerotum ex oleo myrtino, uel malino, id est habente corticem mali punici; adponitur; cui & galla syriaca, & acacia admiscentur.

Torminosis, primis temporibus constringendis, succi utiles sunt, ut plantaginis, acacię, mali granati corticis, hypocystidos, millefolij, intybi, lentisci, rubi, per se tantum, uel cum uino ex piris syriacis facto, mixti. medium autem cursum habentibus torminosis, quod tempus græci ἀκμὴν uocant, oportebit infundere per clysterem rosam, uel oleum myrteum cum cerussa. cedente porrò impetu molestiæ, uel difficultatis, quod tempus græci παρακμὴν uocant, conuenit lenticula, ptisana, cum adipe caprino cocta. inueteratis uerò torminibus prosunt, quæ uehemẽtius spissant, & à putore, atque abalienatione corporis uindicant, ut ea quę ex calce, charta usta, & auri pigmento componuntur, & possunt inhęrere purgatis ulceribus, quo tempore redire oportet ad priora omnia edenda, præterquam ad lentem, & ptisanam. ducũt enim cicatricem, sed præcipue cerussa, admixto uino. emplastra uerò, quæ extra cutem cicatricem ducunt, soluta ad ignem cũ oleo myrtino adponenda sunt. Dysentericos recreat pulmo pecudis, id est ouis, decoctus cum lini semine, ita ut & caro manducetur, & aqua illa potetur. Trochiscus asclepiadęus prestantissimus ad uentris fluxum, & dysenteriam, quam nullus alius, tã facilè stringit, quàm hic, conficitur sic: apij seminis semunciam, hyoscyami semunciam, anesi ℈ VI. opij ℈ III. hypocystidos ℈ III. croci ℈ III. myrræ troglodytidis ℈ III. colliges hæc cum aqua, aut cum uino myrteo, id est in quo myrti baccæ coctæ fuerint. hoc ipsum medicamentũ uentri adpositum, ita ut ceroto myrtino colligatur, epithema dysentericis aptissimum est. Tormina patientibus multi uentrem uiuentis anatis adponunt, adfirmantes transire morbum ad anatem, eamq́ue mori. quòd si uespertilionis sanguine uentrem oblinas torminosi, in omne tempus dolore releuabis. Si in aqua frigida dysentericus pedes, usque ad genicula ponat, sed si non febricitabit, & de uino austero potionem calidissimam bibat, cito sanabitur. Confectio medicaminis miri aduersum dysenteriam: testam locustæ, id est illam spinosam, uel aculeatam, quæ est iuxta caput, combures nitide, & postea teres, ut in tenuissimum puluerem redigas: & sic ei qui uentris fluxu, uel rasura laborabit, ex uino uetere, si non febricitabit; aut si inæqualis erit, ex calida aqua dabis; ita ut de singulis locustis testas singulas integras exustas per triduum bibat, mirè sanabitur. Mellis heminam, uini ueteris sextarium, piperis grana ducenta, teres diligenter, & conditum ex ijs tribus speciebus facies: & ieiuno dysenterico ma ne meralem calicem calidum plenum dabis, statim proderit; sed si necesse fuerit, ex eo condito ipsum plenum meralem per triduum dabis. Lactis caprini statim mulsi grandi potioni, additur de coagulo hędino frustum, quantum auellana grandis est, quod digitis, medicinali, & pollice sublatũ, uel missum, ijsdem

digitis contemperatur,& datur laboranti dysenterico, dum adhuc calet lac, antequam coagulo stringatur per triduum. hæc potio ieiuno dabitur contra orientem bibenda. Succinum de ceraso siluatica exteres,& de testa ostrei æque facies, paribusque mensuris puluere tritum, cum melite, aut cũ uino austero candenti ferro calefacto, bibendum dysenterico dabis, mire proderit. Ouum recentissimum aperies,& in calicem uacuabis, ac testam eius implebis melle optimo despumato, nec non oleo uiridi bono, & in ipsum calicem defundes, ac simul omnia permiscebis,& diu agitabis, ac postea in calida aqua ipsum calicem tepefacies.& sic dabis dysenterico, cui medendum erit, mire proderit. Rhun marinum, siue rhun orientalem, quod est minutum robium simile lenticulæ, quantum tribus digitis prendere potueris, mittes in mortarium,& teres cum uino.& postea in aliud uasculum mittes calidam, atque ibi tepefacies, & sic dabis dysenterico bibendum, statim remediabitur; sed per triduum continuum hoc remedium, & postea quotiens fuerit necessarium, dabis. Vitrum teres diligenter,& cribrabis,& mastiches grana teres, atque æquis mensuris permiscebis,& ex ijs singula coclearia dysenterico in uino cocto, per triduum, uel quotiens opus fuerit, dabis, miraberis remedium experimentis probatum. Ad dysenteriam, remedium efficacissimũ sic. rosę siluaticæ baccas oblongas, rubicundas, maturas, impari numero, uel septem, uel I X. uel X I. tritas diligenter dabis laboranti dysenterico, ad potionis modum cum melite styptico, uel uino uetere, si non febricitabit; uel cum aqua, si febricitabit;& si necesse fuerit, per triduum dabis; mirum experieris remedium. Ad dysentericos, mirum remedium, quod uentrẽ,& purgat,& stringit sic. gypsi peregrini triti — I. specularis combusti triti — I. de testis ostrearum combustarum — I. hæc omnia postea quàm trita fuerint & mixta, tollet inde, qui dabit remedium tribus digitis prioribus cum pollice, quantum semel capere potuerit,& in potione uini ueteris puri, si non febricitabit, dysenterico dabit; quod si inæqualis fuerit, in calida aquæ potione accipiet. Fimum caballinum combures, & cinerem fimi ipsum cum uino uetere miscebis,& conteres,& sic dabis dysenterico bibendum sine aqua, si non febricitabit. Aluminis scissi ℈ I I I I. cum aceti coclearibus tribus miscebis,& teres,& colabis,& tepidum, cum aquæ duplo, dysenterico dabis bibendum. Pumicem mollem, spongiam de qualibet rosa unam, gallam unam semis, corticis sicci de malo granato scripulos I I I I. piperis grana X L I X. diligentissime teres,& cum uino uetere permiscebis,& pastillos æquales inde facies, ut cum opus fuerit, singuli in uini ueteris hemina soluti dysenterico per triduum dentur, ita ut ipsa potio ferro duro calefiat, insigne remedium citò experietur. Leporis uentriculum, cum fimo suo, uino uetere lauabis, ita ut sordes ipsæ ibi sint,& misceantur; aut si in uentriculo non inueneris, pilulas de fimo ipsius impares numero tritas, cum uino uetere, dysenterico dabis bibendas. Ad uentris fluxum, mastichen albam teres, & in potionem mixtam mittes, & calefacies bene ipsam potionem in aqua calida,& bibendam per triduum dabis. Herbam plantaginem colliges ac teres,& succum eius cum uini ueteris potione, si non febricitabit, dysenterico per triduum dabis. Ad uentris fluxum, uel ad dysentericos iam desperatos remedium sic. uermem unde coccum tingitur, teres,& cum uino uetere optimo potionem mixtam,& calidam per triduum dabis. Ad dysenteriam, siue torminosos,& qui deiectionem nimiam patiuntur, sic. ouorum uitellos coctos, siue incoctos, uuã agrestem acidam,& gallas, pari mensura tere, ac misce,& bibendum medicamen tepens trade. Frumenti tosti grana impari numero, similiter hordei,& pisæ, cum mellis despumati hemina misce,& tere,& dysenterico per uncias singulas diebus singulis dato. Coliculos ex aceto coctos, allij spicas quatuor purgatas, oua incocta duo, simul contere,& adijce uini ueteris heminam,& feruefactum medicamen dysenterico da bibendum. Ficum duplicem,& palmam pinguissimam, cum uini ueteris hemina, ad tertias decoque,& piperis albi triti uiginti grana admisce,& tepidum dysenterico potui dato. Vestem oui delicatam interiorem siccatam contere, uino misce,& cola,& ex aqua calida dysenterico da bibendam. Lac caprinum feruens, adiecto polentæ quãtum satis sit, cum fuerit quasi tenuis pulticula, dabis, cũ supra, bibendum. Coagulum leporinum ex uino dilutum tepidum dysenterico dabis bibendum; de quo coagulo si singulos scripulos in singulis ouis sorbilibus ieiuno per triduum dederis, mire subuenies. Vini ueteris fęces,& iocineris caprini frustum sufficiens in ollam rudem mitte,& facito, ut bulliat, atque inde ieiuno cœliaco sufficienter da bibere. Bulbus africanus rubicundus cõtritus, adiecto uino, quod ferro duro candenti calefiat, potui datus, cœliacis medetur. Palumbum ferũ ex passo concoque, atque inde potiones singulas cœliaco per triduum da bibendas. Ad cœliacos, herba plantago,& lentiscus separatim ex aqua coquuntur: postea in unum permiscentur, & tunc adiecto aceto cũ pane, in cibo summe prosunt. Herbæ uettonicę in umbra arefactæ, tunsę cribratęque puluis cum uino potus, cœliacis plurimum prodest. Mali granati cortex siccata tunditur,& cribratur,& puluis ex eo miscetur cum ouorum uitellis tribus, diuque in morem panis subigitur, ac fricatur, atque inde panis formatus in foco coquitur,& sic commanducatur. qui si propter nimiam austeritatem offenderit, cum lenticula, siue oleo cocta, adiecto acerrimo aceto a ieiuno manducari debet; quod eo plus proderit, quo propensius fuerit manducatum. Herbæ quinque foliæ radix in umbra arefacta, contusaque, & ex uino polentę uice pota, mire cœliaco succurrit. sed febricitanti ex aqua calida da bibendum. Capræ siluaticę iecur carbonibus inassatum,& per se sumptum, cœliacos remediat: idemque arefactum,& tritum,& cum uino potui datum, certissime auxiliabitur. Caseus siccus trãsmarinus uetustus, adiecto sili gallico,& sorbis aridis, diligenter omnibus tritis,& cum uini ueteris cyathis duobus potui datus, cœliacos mire sanat. Vituli adeps ex fœmina sublata, cum aquę cotylis tribus decocta,& sorbitionis more sumpta, cœliaco plurimum prodest. Cœliaco,& ei qui eiectionibus, uel doloribus acutis alui uarijs uexabitur, potenter succurres, si

muliebre

muliebre lac quàm plurimum ieiuno potui dederis, donec persanetur. Hædinum coagulum magnitudine fabæ in uino myrteo remissum, & ieiuno cœliaco potui datum, efficaciter prodest. Membrana, quæ est in uentriculo gallinæ siccata, & trita, & cum uino austero, cœliaco ieiuno potui data medetur, ita ut ipsa gallina prius, uel biduo abstineatur a' cibo; & qui potionem accepturus est ante diem frugi sit, & non cœnet. Oua in aceto cum testis suis macerata, & alio die in patella infusa ibique tosta, cœliacis in cibo data plurimum prosunt. Pulticula fit ex alica prius tosta, quàm accipiat aquã, infusa uerò aqua cera remissa illic mittitur, & dum excoquet coagitatur, & a' cœliaco calida sorbetur. Galla commagena comburitur, & cinis eius extinguitur uino, cõtritusque uentri cœliaci inlinitur, statim subuenit.
Flos hederæ tribus digitis sumptus, diligenter tritus, & ex uino austero, cœliaco potui datus medetur.
Seuum ouillum decoctum in uino austero, & calidum potui cœliaco datum, manifesto remedio erit.
Laridi ueteris pinguis — III. mellis boni despumati tantundem, uini ueteris austeri cyathos III. ouorum coctorum uitellos tres, in unum permisces simulque tam diu teres, donec ad crassitudinem mellis adducas. deinde in pyxidem condes, atque ex ea, cum opus fuerit, cœliaco nucis auellanæ magnitudine ex uino, si sine febre erit; si febricitabit, ex aqua calida dabis, mirè celeriterque subuenies. Oua decoquuntur ex aceto, donec indurescant, & uitelli eorum tosti cum pipere esui cœliaco dantur, citò medentur.
Caseus ouillus uetustus in cibo sumptus, uel rasus, & cum uino potus, cœliaco medetur. Cocleæ cum testis suis contritæ duæ, & oua cruda II. & passi cyat. II. aquæ cyat. III. simul permixta omnia, ac diu coagitata, & in uase fictili calefacta, ad modum potionis cœliaco data medentur. Serpentis exuuiæ cum rosaceo decoquuntur in uase stagneo, & postea tritæ, uentri cœliaci utiliter inlinũtur. Ad omnes epiphoras uentris, caseum uaccinum mollem calidum imponi oportet, quo tempore dysentericis potiones ferro candenti calefactas dari conuenit. Glus taurina aqua calida resoluta, cœliaci uentris inflatione utiliter imponitur. Grauissimum uẽtris uitium est ileos; cui maximum remedium est, discerpti uespertilionis sanguis inlitus uentri. Frequentissimè euenit, ut ex qualibet causa subitus dolor uentris exstat: sed qui talum leporis secum habuerit, huiusmodi casum, id est subitum dolorem uentris nunquam incurret. Dysentericis medetur aqua in qua pilulæ cupressi decoctę fuerint, cum uino austero epota. Aqua in qua lauri folia fuerint decocta, potui sumpta, intestinorum doloribus medetur.
Ad profluuium, & incontinentiam uentris, remedium sic. malua circumfossa ferro, quod ex utraque parte acutam aciem habeat, & præcisa a' superiore ad inferiorem partem, id est, usque ad radicem, deinde radix eius inuoluta panno rubro, portata ab eo, cui remedio opus est, profluuium uentris eius inhibebit.
Betæ combustæ, & in puluerem redactæ, atque subactę cum aceto, & a' pectore laborantis inguinum tenus inlitæ, ualidissimè adstringunt profluuium deiectionemque uentris. Ros marinum cum creta molli tritum, & cum aceto modico, uentri impositum alui profluuium sistit. Rubi spinæ radices, & coliculi teneri cum uino amineo austero ad tertias decoquuntur, atque ex eo uino cyathus ad diem ieiuno uentris profluuio laboranti, potui datus, optimè medebitur. Herba oxylapathos cum semine suo arida contrita, & ex uino calido pota, magnum incontinentiæ uentris præstat remedium. Pruni siluatici baccas corticemque, ac radicem eius arboris in unũ ex uino ad tertias decoques, atque ex eo singulos cyathos ad diem, deiectionis tædio laboranti ieiuno potui dabis. Iris illyrica, id est macedonica, quæ fuerit grauissimi ponderis, contundatur, & in puluerem cribratum tenuissimumque redigatur, atque ex eo mensura acetabuli unius dimidiati cum passi cotyla una permisceatur, & coagitetur, atque inde cocleare unum cœliaco manè ieiuno detur, ita ut, & a' cœna abstineatur, mirificè proderit. Si quis tortiones subitò pati cœperit de uentris nimietate, pedes suos in aqua calidissima quàm diutissimè teneat, statim sanabitur. Sanguinem caprinum si polentæ furfuribus, adiecta resina miscueris, atque emplastri modo, ano uentrique adposueris, pondus omne, & libidinem deiectionis efficaciter reprimes. Iecur uerrinũ recens combustum contritumque ad summam leuitatem, cum uino; sed sine sale, potui datum, efficaciter supprimit nimiam deiectionem. Leporis sanguis recens defusus, & cum polenta coctus, & datus dysenterico, illico uentris profluuium sistet. Hircinus sanguis exceptus, & coagulatus, ac super carbones assatus, in cibo datus, mirabiliter profluuium uentris emendat. Ceruini cornus de ipsis radicibus, quæ capiti hærent, scobes lima tenuissimus factus, & ad drachmæ mensuram cum uini austeri cyatho datus, sistet nimios uentris fluores, si uel triduo iugiter bibatur. Panis antiquus ex lacte caprino decoctus, & more sorbitionis, uentris fluxu laboranti bis ad diem datus, citò succurret. Aqua in qua cortices fabæ ad tertias decoctæ fuerint, si bibatur, plurimum cœliaco proderit. Folia fici arefacta sole, deinde combusta, & in cinerem redacta, atque ex uino austero potui data, uentris fluxum efficaciter sedant.
Medulla uaccina cum farina tenui subacta, & uelut excoctus panis cibatui data, mirè dysentericum sanat, maximè, si & caseus bubulus recens manducetur. Adipem caprinum de renibus sublatum, misce cum polentæ furfuribus, atque adijce illic cyminum, & anethum, & acetum, æquis portionibus, atque ex aqua decoque, & colatum sorbitionis more, dysenterico dato sumendum, mirè celeriterque subuenies.
Lac ouillum, quod candentibus glareæ lapidibus in ipsum lac demersis excoquatur, dysenterico potui cum ipsis lapidibus datum mirè prodest; ita tamen, ut prius de ipso lacte serum omne tollatur.
Iecur hircinum missum in ollam nouam cum uini austeri cotylis sex, ad tertias decoctum, sed dum excoquitur, compunctum, ut humor eius cum uino permisceatur, postea dysenterico potui datum efficaciter prodest. Dysenterico, & torminoso, & ei qui iam corruptum sanguinem egerit, saluberrimum medicamentum est tale. allij spicæ quatuor, & oua duo incocta, in unum teruntur, iisque additur uini ue-

teris sextarius,& coquitur ad tertias;inde ieiunus quàm plurimum potest si biberit,efficacissimè intra triduum sanatur. Spondogos,est lanugo quædam,quæ in rosa siluatica solet nasci; eam tritam cum uino austero,desperatis iam dysentericis potui dedi,mirantibusque compluribus,sæpissimè de abrupto periculo liberaui. Torminosis maluæ græcæ albæ radix trita,potuique ex mero,uel per se sola data,remedio est. Farinæ hemina,ouorum uitelli tres,piperis grana uiginti,contrita in unum miscentur,& subiguntur;panis ex ijs formatur,& in foco coquitur,torminosis esui datus plurimùm prodest.

Millefolium contritum,si quis torminosus ex aqua frigida,prout uirtus,aut ætas eius se habebit,biberit,celeriter sanabitur. Lotos unde tibiæ fiunt,in scobem secta,uel rasa,atque ex eo puluere coclearia tria cum aceto scillitico torminoso ieiuno in potione data, mirificè prosunt. Torminibus maximo remedio est lactuca,si decocta cum cymino trito,& oleo manducetur. Sal tritum,sinapi tritum,ouum crudum,in unum uas mittuntur,& testa oui ipsius oleo uiridi repletur, & in ipsum uas defunditur,similiter,& mellis despumati,& uini austeri singulæ testæ ouorum plenæ funduntur, & simul uniuersa coderi diutissimè permiscentur,& tepefacta torminoso bibenda dantur, celerrimè prosunt. Ruta cum hyssopo in aqua ad tertias decoquitur , atque eadem aqua in potione uini à torminoso salubriter mixta potatur. Malum punicum in olla gypsata clausum,in furno combures,& postea diligenter teres, atque in puluerem tenuissimum rediges;quem repones, & paratum habebis; & cùm opus fuerit,ad subitas tortiones cum uini potione detur,prodest continuò. Si quacunque causa tortiones quis pati cœperit,mellis optimi libram decoquat ad tertias, eique addat uini cyathos tres , & aquæ anethinæ cyathos tres,& coagitatam,ac tepefactam hanc potionem ieiunus bibat,continuò sanabitur. Fabam integrã frictam calidam in acetum acerrimum mittat,& madefactam torminosus manducet, citò sanus erit.

Ad profluuium,& incontinentiam uentris,remedium sic. spongiam quæ in pruno siluestri, uel in spina,aut in rosa siluestri nascitur colliges,& suprã batilum torrebis,& diligenter teres,atque in calicem mittes,ac desuper ouum incoctum desundes,& bene permiscebis. deinde super batilum candentem defundes, & coques,ac laboranti cœliaco quasi ouum tortum manducandũm dabis. Baccæ oliuarum in uino tritæ,cœliacis rectè propinantur. portulaca quoque ex aqua feruefacta & polenta aspersa conditur, inde offæ complures si edantur à dysenterico,plurimùm iuuabitur. Vngula porcina combusta ad cinerem,& trita,postera die ex uino hausta,mirabiliter dysenterico prodest. Cinis cribratus aceto commixtus,uentri,& renibus calidissimè inlitus,certissimè uentris abundantiam stringit. Rana uiua,si uentri torminosi adponatur,in eam uitium confestim transire dicitur. Torminosis saluberrimè aqua marina per clysterem infundetur,si molestia diutina fuerit. Fimus columbinus tritus ex melle uentri inlitus,alui incontinentiam stringit. Iuniperi baccæ tritæ ex uino nigro potui datæ,comprimunt alui nimietatem. Caput caprinum cum pilis suis contusum, atque discoctum,ciboque sumptum,rupta interius intestina dicitur glutinare. Pilos leporinos adiecto melle comprehendes , atque inde globulos paruulos facies. hi singuli sæpius glutiti , intestina quamuis perniciosè rupta , certa coniunctione conectunt. Verbasci radicis corticem detrahito,eiusque contritæ succum per linteolum expressum,ex aqua,aut uino bibẽdum dato,omnia interiora uitia,quæ ex frigore,aut labore,aut pectoris lumborumue dolore nascuntur,mira efficacia sanabis. Serpyllum ad pondus uictoriati argentei tritum bene ualenti ex uino,febriculento ex aqua potui datum,omnes uentris dolores sedat. Humanum lotium uetus adiecto croci modico,ut odore eius occultetur,ignoranti potui datum, quamlibet ueteres in uisceribus latentes morbos sanabit; uomitu enim inritato,& eiectionibus concitatis, omne uitium ualenter expurgat.

Vt explorari possit ex latentibus morbis,qui sit ille,qui uexat infirmum,comprehendique qualitas mali, & pars uiscerum possit,catulus fœtæ canis lactens die,ac nocte cum eo qui laborat,accumbat. is postea sectus inspicitur,translatusque in eo morbus,haud difficile notatur; ita tamen, ut æger ei lac de suo ore frequenter infundat. eum tamen catulum cùm fuerit exsectus,obrui oportet. nec ab re est,si triduo idem catulus uiuens cum ægro maneat. uitium enim ægri transire in eum,usqueadeo certum est, ut moriatur catulus,hominemque morbis latentibus releuet. Ad dysentericos solitaneos, cocleam plenam cũ testa sua uiuam teres:ad cuius pondus infra scripta trita miscebis, id est casei ueteris quantum est cocleæ dimidium,oui medullam in aceto coctam,panem candidum uetustum, uel tostum; uel quod est melius,nauticum,nitam,piper ex uino , quod cùm prius ferro candenti calefeceris,potui sine aqua ministrabis ; sed & baccas myrteas adijcies. hæc omnia conteres, & in potione uini ueteris ieiuno dabis. Ad eos qui sanguinem per intestinum iactant,uel per corruptum corpus inferiùs effundunt,remedium sic. herbæ urticæ masculæ summitates teneras colliges,& contundes,succumque eius expressum per triduum ministrabis bibendum. si autem cum aqua frigida,aut aceto acerrimo,aut posca frigida,id ius mixtum dederis , quamuis desperatos de supra scripta infirmitate protinus liberabis. Lac caprinum ex coagulo temperabis, & dum tepet antequam penitus cõstringatur,dysenterico bibendum dabis, citò remediabitur. Remedium ad tortiones;phasianum uiuum in uino necabis,dabisque ex eo uino bibere ei, qui patitur tortiones, confestim remediabitur. Confectio cydonitis,ad dysentericos,& cœliacos,sic. oleum in uase duplici coques;quod dum in igni est,& feruet,operitur alio uase,in quo cydonea diuisa ponũtur. oleum tam diu calebit igne subiecto,quàm diu poma superposita excoquantur,tum oleum solum seruabitur,quod supra dictis infirmis ad perunctionem,& escam utile erit. cydonea quoque ipsa esui dentur cœliacis, ac dysentericis. Iniectio ad dysenteriam. amyli uncias tres, & lactis caprini cocti pro modo quantum uisum fuerit,adijcies,& ita iniectionem facies. Seui hircini uncias duas, olei uiridis sextarium dimidium. hæc simul

simul in duplici uase remissa, & calefacta iniicies. Epithematium ad uentrem stringendum, sic. floris uuarum uncias duas, rosæ siccæ unciam unam, masticis unc. I. aloes unc. I. gallæ unciam unam, aluminis scissi unciam unam, acaciæ unciam unam, ceræ P. I. myrtini olei P. I. picis uncias tres. de his omnibus tunsis cribratis, atque permixtis, magdalia facies, quæ in panno denso, aut phœnicio induces, & sic uteris ad uentrem. Item aliud epithematium ad uentrem restringendum, sic. florem uuæ omphacum, rosæ florem, aloen, gallas, alumen scissum, acaciam, mali granati florem, balaustium, mastichen, æquis ponderibus teres, & uini myrtini, quantum ad coniungendum puluerem sufficiat, admiscebis. dactylorum quoque carnes purgatas, & uino infusas subiges, & cerotum myrtinum facies, ac sic omnia permiscebis, & magdalia facias, quibus ita uteris, ut supra scriptum est.

Lumbricis, & tineis, & intraneis causis, id est tenesmo, & ad rosus ueneris, & strophum, uel intestinis ruptis, eorumq; doloribus, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXVIII.

Verum remedium ad tineas necandas, & eiiciendas. per triduum allium quam plurimum edat, qui hac molestia laborabit, & betaceos, & caseum mollem manducet. post hoc autem filicis macedonicæ aridæ contusæ cribratæ denarios VIII. cum melle quantum ipse uoluerit, sumat: & post horas quatuor, dentur ei aloes, & scammoniæ singulorum denariorum semisses, ex aquæ mulsæ cyathis quatuor; cum uero cœperit desurgere, aqua calida ei supponatur, qua postea elui, & foueri debet. Ad lumbricos depellendos satis commode facit santonica herba, quæ absinthium dicitur, si uel uiridis cum aqua ad tertias cocta potetur, uel sicca trita ex melle manducetur. cornus quoque ceruini limati lima lignaria scobis quantum quatuor uel quinque coclearia sint, ex aqua in qua decoctus fuerit ipse scobes potus ad cyathos III. mirifice facit. rapi etiam seminis cyathus, ex passi cyathis tribus pridie maceratus, deinde tritus & datus, aqua exigua adiecta, infinitum medetur. Tenesmos, est irritatio ultimæ partis directi intestini, in quo uino sæpius libet desurgere sine causa. proderit ergo ad hoc uitium depellendum, quotiens desurrexerit quis, ut uino austero mixto cum aqua calida se foueat. Verbenæ & myrti & oliuæ ramulis iunctis, ita ut duæ partes myrti sint, simulque decoctis, uti conuenit aqua frequentius ad subluendum. quinetiam penicillum tinctum eo liquore, & non nimis expressum, atque ano adpositum proderit. uel eodem modo globulus staminis adpositus iuuat, diutius enim uaporem continet. perungendus autem anus erit spicillo, lycio patarico, uel indico, ex calido uino. Collyrium hoc iniiciendum, quod & ad omnem deiectionem, & tormina bene facit, conficitur sic. acaciæ, & mali granati corticis usti singulorum denarios quaternos, hypocystidos & rhus, quo coriarii utuntur, & opii singulorum denarios senos, omphacii * IIII. S. croci denarios quatuor; teruntur hæc omnia & cribrantur diligenter: postea uino austero colliguntur. uel temperantur, & fiunt collyria magnitudine nucleorum pineorum. & cum opus fuerit, ano iniiciutur.

Ad lumbricos prosunt huiusmodi compositiones. serpylli denarii quatuor, triti in cremore lenticulæ, quantum sint cyathi duo dati; uel ipsa sola per se lenticula, si quis eam aceto infusam coctam comederit.

Serpylli triti, denarii nouem, absinthii denarii duo, clematitidos denarius unus, & duæ tertiæue partes uictoriati, nitri denarii septem, lupini farinæ denarii septem, salis denarii quatuor, terræ mali denarii quatuor, fici aridæ denarii quatuor. hæc omnia colliguntur uino austero, atque ex iis finguntur globuli fabę magnitudine, ex quibus dantur ieiuno, aut post cœnam octo uel nouem, cum aquæ mulsæ cyathis tribus.

Compositio, quæ facit ad tineas & lumbricos eruendos, sic. serpylli * II. coriandri denarii semis, sam psuci denarii semis, nitri denarii semis. cucurbitæ siluaticæ interioris, sed quod est sine semine, in puluerem redactæ denarii semis, mali punici immaturi, & adhuc obstricti, siue corticis eius triti denarii semis, rutę tertiam partem & sextam uictoriati ponderis. melle colliguntur hæc omnia, dantur ex his globuli septem, quantum fabæ Aegyptiacę magnitudo est, uel cum aqua calida, uel ex uino si sinceritas erit, & ieiuno & post cœnam. Ad lumbricos necãdos, remedium mirum sic. seriphii * IIII. cucurbitæ siluestris interiora trita denarios duos, lupinorũ farinę * VIII. ex aqua fiunt globuli fabæ magnitudinis, dantur robustæ ętatis septem, pueris, terni uel quini, cũ mulsa aqua. Ad tineas necandas remedium competens sic. filicis radicis aridę, nasturcii seminis * septenos, coriandri seminis * V. nitri * II. hæc omnia trita dantur ieiuno cum aquæ mulsę hemina. Mali punici succus radicis, uel foliorum eiusdẽ aqua decoctus, potuique cum sale datus, tineas necat. Marrubii & absinthii & lupinorum paria pondera in aqua mulsa cocta, ieiuno bis aut ter potui data, aduersum tineas & lumbricos plurimum prosunt.

Farina lupinorum decocta ex aqua, & more cataplasmatis uentri imposita, lumbricos uel tineas necat.

Ad lumbricos & tineas eiiciendas remedium potens sic. erui, filiculæ radices purgatas ad uncias singulas, seorsum tundes bene in pila lignea: deinde adiicies inulæ radicis ʒ VIII. ammoniaci unciam, & coriandri seminis manum plenam, & euforbii * III. has omnes species seorsum conteres bene usque ad summam leuitatem; & si uiridis fuerit radix filiculæ, quando illam tundes, succum eius exprimes, & ipsum admiscebis. facies pilulas magnitudine ea, qua ano iniici possint, ipsasque factas infundes in ceruisiæ nouę sextariis duobus & mellis cyatho. quod si in ea prouincia faciendum fuerit hoc medicamentum, in qua ceruisia non est, ex aqua dabis, in qua myrtus cocta sit ad sextarios duos, aut cum sapę mixtę sextariis duobus, atque ex eo temperabis potionem & dabis bibendam: intra horas quatuor deiiciat oportet uermiculos uel tineas. ante triduum sane iubebis eum cibari allio & pane per se, & tantummodo poscam bibere.

Inflationibus intestinorum prodest, uel serpyllum potum ex uino nigro; uel cuminum siluaticum tritum ex uino nigro; uel aqua pota apiastri, quod græci erotion uocant, per se data; uel succus eius uino mixtus; uel origani radices cõtusæ ad ⚹ I. ex uino datæ; uel ruta trita ex aquę cyat. IIII. pota, uel eiusdẽ decocta radix cum aceto, & melle data; uel pulegium similiter potum; uel siliquę syriacæ folia; uel roris marini aqua decocta; uel petroselinum ex uino tritum datum; uel origani decocti aqua; uel anesum tritum quantum tribus digitis comprehendi potest; prodest etiam uitrum cum uino, aut aceto datum; tollit enim protinus inflationem, & dolorem intestinorum; uel lauri folia trita, uel eiusdem baccæ, aut flos ex uino potus; aut panacis radix ex uino pota. sed panaces non solùm intestinorum dolores, uerùm etiam choleram sanat. prodest ex uino, uel aceto feruenti, apij semen tritum datum ieiuno; uel terræ mali ⚹ I. tritus potus ex uino uetere; uel hysopi, aut origani uirgulæ V. cùm uini hemina feruefactæ, & ieiuno potui datæ. Fomentum, quod prodest intestinorum doloribus sic. acetum, aut aquam in qua ruta incocta fuerit calidam uentri, & umbilico impones. discutit enim confestim, & sedat dolores. Carmen ad rosus, siue hominum, siue animalium diuersorum sic. palmam tuam pones contra dolentis uentrem, & hæc ter nouies dices. stolpus à cælo cecidit; hunc morbum pastores inuenerunt, sine manibus collegerunt, sine igni coxerunt, sine dentibus comederunt. Ad lumbricos egerendos, felle caprino madefactam lanam umbilico adpone. idem facit; & fel taurinum, sic adpositum; nec non brassicæ semen tritũ ex uino, uel aqua, ita oportebit adponi. Ad lumbricos, & tineas coliculis ex aqua coctis origanum admiscebis, ac ieiuno bibendos in die tres cyathos dabis. Ad uentris rosus remedium sic. piperis albi unciam unã, cymini siccati — I. rutæ folia uiridia — I. nitri ∋ III. euforbij permodicum. hæc omnia melle, & aceto pariter permixta, in pilulas, ad modum fabæ rediges, & bibendas paulatim cùm opus fuerit, ieiuno ex uino mixto dabis. Si uentriculus peruersatus fuerit alicui, aquam bibat unde pedes lauerit suos; & de lana ouis, quæ à lupo occisa fuerit, ad uentrem suum alliget. de herba quoque, quæ muris auricula dicitur, nouem folia tollat, & cum piperis granis nouem terat, & ex aqua bibat per triduum. Talus quoque leporis uentriculo subligatus, dolorem eius excludit. Lenticulæ hemina in aceto madefacta, & cibo potuique data ieiuno, extinctos lumbricos eximit. Malua cum sinapi cocta, & in calice posita, ac sorbitionis modo sæpius gustata, succurrit molestijs lumbricorum. Granorum de malis punicis dulcium acidorumque succus expressus, passo eiusdẽ mensuræ immiscetur potionesque duæ de permixto fiunt, & una ante cœnam datur, alia post cœnam, postera die tertia'ue lumbricos, uel tineas potenter expellit.

Stercus caprinum aridum tritum adiecto melle potui datum ex aqua calida, mirè producit tineas. Ceruini cornus combusti cinis tritus ex aqua potus tineas potenter expellit. Raphanus ex aqua ad tertias decoquitur, eaque uino mixta, ad extirpandas tineas utiliter bibitur. Radix inulæ in uino decoquitur: deinde succus eius exprimitur, potuique datur ad tineas enecandas. sed ea radix posteaquam eruta est, terram non debet adtingere. Allium in œnomelite coctum, & uoratum, proderit lumbricis uel tineis necandis. aqua quoque, in qua lupini decocti fuerint, addita ruta, & pipere trito, potui data medetur. Acini siue corymbi hederæ, tres contriti in oxymelite utiliter aduersum tineas bibuntur, aut uentri inlinuntur. Absinthij sicci santonici combusti cyathum unum, corni ceruini combusti cyathum unum, apij seminis triti cyathum unũ miscebis, & ieiuno, qui tineas lumbricosque patietur, ex aqua calida potui dabis moderatam mensuram iuxta ætatem sumentis. Ad lumbricos eijciendos remediũ mirum sic. satureiæ fascem bonum cum aquæ ʒ. III. mittes in uas amplum, & diligenter claudes. postera die colabis, & adde pteridis tunsæ, & aloes tunsæ diligenter drachmas binas, & mellis despumati, quod sufficiat. inde iunioribus iuxta ætatem dabis, senioribus plusculum, & adijcies colophoniæ drach. I. ita ut qui remedium sumunt, carne abstineant per illos dies, & allium manducent. Coriandrum uiride, uel eius semẽ decoques in aqua, in qua lupinos priùs coxeris; & cùm inde aduersum tineas, uel lumbricos ieiunus sumpseris potionem, uectaberis, aut deambulabis. Nasturcij seminis coclearia quatuor, & filicis, quæ in arbore nascitur P.I. agarici — III. iuniperi — III. coriandri seminis ʒ. I. ex radice syriaca P.I. corni ceruini usti — IIII. nitri alexandrini — III. scammoniæ — III. tithymalli P.I. hæc omnia tundes, & cribrabis, miscebis, & reposita habebis. & cùm opus fuerit, dabis tinearum, uel lumbricorum molestia laborantibus in potione poscę gelidę, iuxta ętatem; sed digestissimi ab omni esca hoc remedium accipere debebunt. Acori tunsi, erucę seminis, coriandri sicci seminis, cardamomi coclearia quaterna, iuniperi uncias tres, absinthij santonici P.I. hysopi uncias sex, corni ceruini usti uncias II. dictamni P.I. filicis quæ in arbore nascitur siccę P.I. omnia hęc tunsa cribrataque miscebis, & recondes, & cùm opus fuerit, pastillos facies fabę magnitudine, & dabis ei qui laborat molestia lumbricorum, ut edat in sicu, etiam sicca, abstentus tamen pridie, ita ut sit digestissimus cùm hoc remedium sumit. Ad lumbricos eijciendos, remedium sic. aristolochię longę contusę ∋ II. cum aquę cyathis duobus ieiuno bibendos per triduum dabis. nucleos quoque de persico amaros, ieiunus edere debebit, qui lumbricis uexabitur. Ad uentris dolorem, remedium efficax sic. sordes de cardine ostij tolle digitis duobus pollice, & medicinali, & super umbilicum laborantis adpone. Baccas lauri tres cum herbę uincę coclearibus tribus pariter contundes, & adijcies uini calidi cyathis tribus, & colatum bibendum dabis ei qui uentris dolore uexabitur. Corrigia canina medius cingatur, qui dolebit uentrem, statim remediabitur. Contra uentris dolorem, argemonię herbę radicem palo ligneo effodito, eamque tritam ex aqua bibendam dato. Lichnum ardentem umbilico superpone, & desuper cucurbitam medicinalem, aut calicem oblongum, si cucurbita non fuerit, admoueto, & paulisper contineto, confestim dolorem uentris auertes.

gium commanducatum,& ad umbilicum positum, atque illic alligatum, ne cadat, dolorem omnem uentris continuo discutit. Anethi seminis paululum contritum ex aqua potum, internos uentris sedat dolores. Nitrum aceti cyathis duobus liquefactum,& potum,dolorem intestinorum potenter auertit. Quotiens dolor,& contractio intestinorum uentris orietur,uespertilionis sanguinem uentre manu perfricato,& ad præsens subuenies,& in totum annum medebere. Piperis grana L X X X. contrita,& ex aqua pota,mire tollunt uentris dolorem. Si cui in uia,aut in loco aliquo difficili subitus dolor uentris,aut intestinorum fuerit,lotio suo degustato continuò sanabitur. Si quis talum leporis secum habuerit,immunis a dolore uentris,& periculo huiusmodi perpetuò permanebit. Ad intestina rupta,leporinum stercus,atque etiam pili,uel lana eius de subuentrili cum melle decocta,ad magnitudinem fabæ glutienda frequenter data , quamuis pernitiose ruptis intestinis,celeriter medetur ; ita ut etiam tenuiora , quæ fuerint disrupta glutinet ; sed adsiduè hoc medicamine utendum est , donec periculum omne tollatur.

Ad colum,& ileon remedia diuersa. *Cap.* XXIX.

Colo,& omnibus intestinorum doloribus,& tam hominibus, quàm iumentis ex hac re laborātibus efficacissimè subuenit,auis galerita,quæ gallicè Alauda dicitur,siue ipsa assata in cibo sumatur,siue cū plumis suis combusta redigatur in cinerem,atque ex eo diligentissimè trito terna coclearia ex aqua calida potui per triduum dentur. Vnicum est intestinum ossifragi miræ naturæ,quod omnia deuorata citissime conficit;huius pars extrema colligitur,& reponitur,& cum opus fuerit, uentri laborantis alligatur,remedio miro omnes intestinorū dolores citissime sedat. Lupi stercus, dummodò non in terra inuentum,sed supra sustem,aut supra astulas,aut supra iuncum,colliges,& seruabis, & cum opus fuerit, laborāti colico alligabis ad brachium,uel ad collū in osse,aut in cupro,aut in auro clusum,licioque suspensum; sed prius ex ipso stercore pusillum ignoranti ex aqua calida bibendum dabis,mire celeriterque subuenies. Ouum recens crudū summiter apertum defundes,& eius testā oleo uiridi implebis,& defundes,mellisque tantundē defundes.similiter lotio pueri implebis,& defundes,tū diligenter omnia permiscebis, & in aqua calida tepefacies,ac ieiuno bibenda dabis.hæc potio non solum stercus uetustum, quod dolores intestinis facit,uerum etiam lumbricos eijciet,& ardores præcordiorum febresque sedabit. Erucæ semunciam conteres,& ei qui lumbricos patietur,ex uino uetere candido,ieiuno,& digestissimo bibendam dabis,satis proderit. Ad interaneos morbos serpylli pondus uictoriati argentei contritum, & ex uino potui datum,febricitanti autem ex mulsa aqua tepida, internos dolores uentris potenter emendat. Verbasci radicis corticem detrahito,& contundito,ac succum eius per linteum exprimito, eumque ex aqua mulsa, aut uino bibendum dato.omnia interaneorum uitia,quæ ex frigore,aut labore,aut indigerie erunt,mirifice sanabis. Lotium humanum uetus,adiecto paululo croco,quod odorem eius emendet , ignoranti potui datū,quamuis ueteres,& latentes interaneos morbos,& uomitu,& deiectionibus concitatis,potentissime sanabit. Laborantibus tenesmo,id est qui de perfrictione adsiduè sedere cupiūt,& nihil deijciunt,lac bubulum decoctum frequenter potum,maximè prodest. Holus discoctum,cum sale plurimū sumptū,aduersum tenesmū iuuat.ostrea quoque ex mulso,& pipere cocta utiliter accipiuntur. Potio asperso plurimo pipere,sub noctē calidissime sumpta,summo remedio aduersum tenesmū esse consueuit. Senectus anguis cum oleo rosaceo decocta in uase stagneo,atque inlita uentri, si tamen illic non sit exulceratio,tenesmo remedio est. Ius piscium marinorum in patina cum lactucis coctorū,utiliter aduersum tenesmum sorbetur. Aqua marina ex alto hauritur,& seruatur in uetustatem, ac postea cū uino austero bibitur.deinde raphani manducantur,ut fit uomitus facilior,qui tenesmi causas effundat. Herbę uettonicę folia in umbra arefacta,& tunsa cribrataque, ad scripulū I. ex aquæ calidę cyathis duobus pota, optime prosunt,absque his quibus ex cruditate intestina torquentur. Herba,quæ pycnon dicitur trita ex passo,uel mulso,uel carœno epota,intestinorum tortiones sedat. Ad coli inflationem bene facit cumini siluatici semen per se,ut est,datum, quantum coclearia tria in aquæ caldæ cyathis quatuor. Colice mirifica Iulij Bassi,cito leuat,dein tollit inflationes coli,& omnis partis corporis:facit & ad stomachi imbecillitates,& ad intestinorum alioqui dolorem,quem græci strophum appellant, ex aqua hyssopū, aut rutam incoctam habente: Item benefacit ad sanguinem,& ex interiore parte; non enim patitur latefieri,nec intus uulnus conuerti, sed & citò supprimit sanguinem, & uulnus cogit coire. dandum autē his medicamentum ex aqua polium coctum habente,aut rutam. Prodest,& torminosis,& cœliacis, datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente,quàm Græci gnaphalida dicunt, aut etiam sorbis incoctis,aut syriaca siliqua: Lienosis datur ex mulso,uel passo,aqua ammixta.eodem modo dandum est,& eis qui sanguinem per urinam,uel aluum reddunt; nec minùs etiam mulieribus, quæ fluore sanguinolento infestantur,quem Rhun erythron Græci dicunt,uel quæ ex partu abortiue residuos uuluæ dolores habent ; & in totum,quibus supprimendus est fluor , aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. recipit autem hæc;spicænardi,costi,piperis albi,piperis nigri,piperis longi,myrrhæ,opij, apollinaris radicis, cinnami,asari,acori,thuris;brassicæ seminis,castorei,singulorum denarios duodecim; opopanacis denarios decem , stœchadis , dauci , ameos , singulorum denarios X V I I I . silis cretici denarios uiginti quatuor: melle attico hæc excipiuntur,ac miscentur. Datur non plus quàm denarij pondus,aut uictoriati.cęteris prout cuiusque uires postulabunt, dummodo infra hoc pondus,ex aquæ calidę cyathis tribus in no-

ctem secundum cœnam. Hæc potio etiam febricitantibus tutò datur, uerum cœliacis in ipso dolore prodest. uitreo uase sub signaculo, ut moris est, seruatur. Ad coli dolorem faciunt quidem mirificè quæ superius posita sunt, sed cætera medicamenta in alijs uitijs dolorē leuant in præsentia, hoc uerò quod dicturus sum, supra hominis spem conditionemque est. ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea à nullo satis dignè laudari potest. nam & in præsentia dolorem tollit, & in futurum remediat, ne eū unquam repetat. Raro enim quis iterum, uel ad summum tertio, hoc acepto medicamento, uexatus est. quamobrem, si quando repetierit iterum dolor, dandæ erunt per triduum, & tunc potiones, eodem modo, quo prima data fuit. Interdum uerò, & tertio in dolore, eodem genere potiones dabuntur; quod raro quidem accidet, ut post primam potionem dolor redeat. sed si admonente causa, iterum atque iterum data fuerit, in futurum quoque; ita remediabit, ut ne suspicio quidem ulla huic uitio relinquatur. si quando tamen repetierit hoc malum, frigus ex multitudine cibi præcedit, grauitatemque quandā, & torporem eius loci, id est coli, sed sine ullo dolore sentiendum infert, planè ut tum intelligant, quanto malo caruerint, qui illa molestia liberantur. hoc medicamento primum muliercula quædam ex Aphrica ueniens multos Romæ remediauit. postea nos per magnam curam compositione eius accepta, id est pretio dato ei quod desiderauerat, qui uenditabat, aliquot non humiles, neque ignotos sanauimus, quorum nomina superuacuum est referre. constat autem medicamentum ex his rebus. cerui cornua sumuntur dum tenera sunt, & quasi in tabulas, uel partes breues, & tenues diuisa in olla fictili componuntur, operculoque superposito, & argilla undique circundata fornace, aut furno uruntur, donec in cinerem candidissimum redigantur; atque ita trita in uase uitreo mundo reponuntur. cùm dolorem coli habebit aliquis, ante diem abstinebitur, quàm poturus est medicamentum, ab omni cibo; atque ita postera die digestus, atque ieiunus accipiet ex hoc puluere cornuum exustorum coclearia tria cumulata, satis ampla; quibus misceri debent piperis albi grana I X. trita, & myrræ exiguum, quod odorem tantummodo prẽstare possit. hæc in unum commixta in mortario diligenter agitantur, ac teruntur. deinde cochlea uera Aphricana, id est inde allata sumitur, quàm maculosissima, & uiua si fieri potest, in alio mortario cum sua testa contunditur, atque ita teritur, donec nullum uestigium, aut asperitudo appareat testularum. postea uini falerni non faccati cyathus adijcitur: & nihilominus rursus teritur; magis enim tunc apparebunt asperitudines, si quę resederint, quibus leuatis, iterum adijciuntur duo cyathi eiusdem uini; atque ita cum priore compositione bene admiscentur; postea transfunduntur, quæ sunt in mortario, in calicem nouum; qui calix super aliud uas ponitur, ad carbones, & adsidue mouetur cocleario liquor, ne quid subsidat, aut peruratur. ubi bene incaluerit adijciuntur in eundem calicem, de his quæ supra scripta sunt, coclearia tria, & rursus permouetur uniuersa permixtio. cùm autem calore sufficienti temperata erit potio, dabitur epotanda uersus orientem. statim dolor, sine dubitatione, cessabit. sed ut penitus aboleatur, dari potionem similiter oportebit per insequens biduum; sed quibus hoc remedium dabitur, cibum in prandio tantummodo, aut de tempore in cœna exiguum capient, quo facile conficiant, ne crudi eam sumant. postea uero in consuetudinem uictus sui remittentur; oportebit autem remediatos nō intemperanter in futurum uinum bibere. Tametsi enim à coli dolore tuti fuerint, metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis æquè adficiantur ob intemperantiam, ob quam utique colo fuerant antè uexati.

Antidotus Cosmiana, quæ facit mire ad colum, eadem mouet urinam, & prodest omni aduersæ ualetudini, sanat & inflationes periculosas omnium, uel plurimorum intestinorum, quem morbum Græci ileon appellant, facit & ad hydropicos; conficitur sic. sorborum semimaturorum denarios decem, marrubij succi denarios X I I I I. centaureæ tenuis succi * X I I I I. scillæ succi denarios X I I I I. mandragorę succi denarios V I. hastulæ regiæ succi denarios sex, opij denarios quatuor, laseris cyrenaici denarium I. polij succi * V I. opopanacis * I I I I. rosę caninæ succi * I I I I. galbani * I I I I. castorei * IIII. agarici * IIII. sagapeni * X. gummis * IIII. artemisiæ succi * IIII. cicutę succi * IIII. resinę terebinthinę * IIII. millefolij succi * IIII. trifolij succi * octo, uitis albę succi * VII. plantaginis succi * II. bdellæ * IIII. draconteę radicis * IIII. terrę mali * X. rhus syriacę * VI. acori & asari * quinos, uel senos, meliloti * VI. inulæ radicis * VI. glycyrizę * VII. erucę radicis * VII. panacis * VI. cyperi * IIII. stœchados * VI. iuniperi * octo, abrotani * I I I I. chamæcypri * IIII. hysopi * IIII. pulegij * IIII. petroselini * IIII. holus atri * IIII. dauci * VI. apij seminis * VI. pastinacę seminis * VI. fœniculi seminis * VI. arotelli seminis * V I. alterci seminis * VI. urticę seminis * VI. radicis in cœna, quę manducatur, seminis * X. balsami seminis * IIII. cachryos seminis * IIII. erui albi farinę * IIII. piperis albi * VI. piperis longi * V I. caroi * VI. rutę siluaticę seminis * IIII. baccarū lauri * VI. amomi * III. malobathri VI. myrrę * VI. tùris * VI. cassię * VI. nardi syriacę * X. croci * XII. schœni floris * VIII. saliuncæ * VIII. costi * V I. iris illyricę * V I I. cinnami * V I. olei magdalini * X. opobalsami * I I I I. tunduntur, & cribrantur, quę in puluerem redigenda sunt; remittuntur diligenter, quę mollienda sunt omnia. datur potio nucis auellanę magnitudine ex mulso, febricitantibus uero ex aqua calida. ad aruriginem quoque, & ad serpentium morsus hoc antidotum satis utile est.

Colice Bassi mirifica, quę prodest, sine sopitione, eadem uentris sanat uitia omnia, facit & ad difficilē spirationem, & ad internos dolores; conficitur sic. mandragorę radicis, siue corticis * V I. rhus syriaci * V I. cinnami denarios sex, acori denarios sex, brassicæ seminis * V I. costi * V I. iridis * V I. piperis longi denarios V I. piperis albi denarios V I. cicutæ succi denarios X I I. opopanacis * VII.

S. stœchadis

S. stœchadis denarios I X. dauci cretici denarios I X. mei ⚹ I X. Phœbus adijciebat, ut auctor remedij huius refert, myrrę ⚹ V I. opij denarios V I. asari denarios nouem, castorei denarios I X. contusa hęc & cribrata miscentur, & ex melle colliguntur diligentissimè uniuersa, atque ex eo medicamento quantũ nux auellana est, datur cum cyathis tribus aquæ calidæ, sed post cibum; ieiuno enim non oportet dari. Coli dolorem auertes, si de lacertarum caudis summitates tuleris & auro incluseris, & ligaueris circa umbilicum; aut de reste uentrem circumcinxeris, de qua quis laqueo uitam finierit. Colum sanat, cũ pinnis upupa exusta, & ex uino cinis eius potui datus. hirundinum etiam stercus, in cibo, uel in potu sumptum, tribuit colo sanitatem. Hoc antidotum, siue oxyporium, quod buphagos dicitur, facit ad coli inflationes, & ad digestionem; unde mane ieiunus accipies catapotia tria magnitudine grani piperis. cõficitur sic. Nepetæ uncias tres. pulegij ueteris uncias tres, libystici seminis uncias quatuor, petroselini unc. I. apij seminis — I. S. thymi unciam unam. piperis unc. sex, mellis optimi non despumati, quod sufficiat ad concorporandas, & temperandas species adijcietur, & in dolio uitreo condetur, sub signaculo habendum, sicut usquequaque haberi debent uniuersa medicamina. Ad ileon, uel colum, baccas lauri octo concides, & coques in uini subdulcis cyathis tribus, & calefactum ex eo poculum ieiuno bibendum dabis. Croci ∋ I I. myrrę ∋ I I. opij ∋ I. singula quæque teres separatim, & postea simul parata in aqua miscebis, atque in modum fabæ pastillos factos in anum inijcies, mire colo remediando proderit.

Satureiæ surculos decem tolles tribus digitis, conteres, & uino ammineo sincero mixtos, colo laboranti dabis bibendos; sincerum qui biberit experietur remedium. Publij pastillus colicus; apij seminis heminam, fœniculi seminis quartarium, piperis grana X X V I I. satureiæ floris, uel seminis quartarium; omnia hæc diligenter teres, & cribrabis, & cum pipere bene trito permiscebis. deinde in mortario omnia pariter cum uino uetere, quantum diligentius teres, & facies pastillos quindecim: quos siccabis; cùm siccati fuerint, singulos pastillos coli dolore laboranti dabis solutos in ternis cyath. uini ueteris calidi. sed bene eos solues, ut totum ebibi possit; pastilli autem paris ponderis esse debent. Salicis foliorum drachmã cum piperis granis uigintiuno, ex uino diligenter teres, & triduo tres potiones ex eo bibendas dabis coli dolore confecto. Herbæ uettonicæ pollinis ∋ V I. ex aquæ calidæ cyathis tribus colico ieiuno bibendos per triduum dabis. Plantaginem, quæ sine lanugine fuerit, contusam cum sale adponito ad umbilicum colici, mirè proderit. Annulus de auro, texta tunica fit exusta, cui insculpitur uice gemmæ piscis, aut delphinus, sic ut holochrysus sit, & habeat in ambitu rotũditatis utriusque, id est, & interius, & exterius græcis literis scriptum. θεὸς κελεύει μὴ κύειν κόλον πόνους. obseruandum autem erit, ut si in latere sinistro dolor fuerit, in manu sinistra habeatur annulus, aut in dextra, si dextrum latus dolebit. luna autem dẽcrescente, die iouis, primum in usum habendus erit annulus. Ad coli dolorem requires fimum lupi, & ossa quæ ibidem inueneris contundes, & puluerem ex his facies, & in aqua frigida ieiuno bibendum dabis. Ad coli dolorem, X I I. Kalend. April. uiolas mane colligi facies, & teri in mortario diligenter, postea in mortarium ipsum mittes uini ueteris potiones V I I. & cùm temperaueris cum uiolis, a die superscripto potiones per septem dies continuos dabis; sed cautus esse debes in uiolis colligendis, quia pleræque sunt noxiæ. Ad coli dolorem, scribere debes in lamina aurea de graphio aureo infrà scriptos characteres luna prima uigesima, & laminã ipsam mittere intra tubulum aureum; & desuper operire, uel inuoluere tubulum ipsum pelle caprina, & caprina corrigia ligare in pede dextro, si dextra pars corporis colo laborabit, aut in sinistra, si ibi causa fuerit, habere debebit. sed dum utitur quis hoc præligamine abstineat uenere, & ne mulierem, aut prægnantem contingat, aut sepulchrum ingrediatur, omnino seruare debebit. ad ipsum autem coli dolorem penitus euitandum, ut sinistrum pedem semper prius calciet, obseruabis. hi sunt characteres scribendi in aurea lamina.

L ⚹ M ⊖ R I A
L ⚹ M ⊖ R I A
L ⚹ M ⊖ R I A

Leporini stercoris pilulas septẽ tere, & cum dulci uino, colico per triduum da bibendum. Ad coli dolores, mentastri folia, quantũ tribus digitis adprehendere potueris, tolles, & his adijcies fœniculi seminis coclearia duo; hęc in unũ quàm minutissimè teres, postmodũ addes uini ueteris optimi cyat. I I I I. & tũ calefactam potionẽ quantũ digitus pati possit, ieiuno bibendã dabis, continuò uentos emittet, & deiectionem faciet. hac ergo potione, si quis triduo usus fuerit, quamuis graues coli dolores euadet. Gallinam per totũ diem a cibo abstineto: dein postero die cum eã occideris, crura eius cum sale, & oleo inassato, & ieiuno colico, qui se pridie cibo abstinuerit, manducãda dato, mirifice profueris. Corydalus auis, id est quæ alauda uocatur, quę animos hominũ dulcedine uocis oblectat, cũ sua pluma in uase fictili gypsato in furno posito, ita conburitur, ut teri possit. contritę autem tenuissimus puluis reponitur, & cũ opus fuerit, ex eo coclearia I I. uel tria cum aqua calida per triduũ, aut quatriduũ dantur; incredibile hoc colicis remedium, quod adeo prodest, ut omnia medicamina meritò superare uideatur. Stercus caprinum recens in aqua remissum colatumque cũ mulsi cotylis tribus, & piperis contriti granis L X. in tres potiones diuisum per triduũ datur. ita ut priùs corpus eius colici, cui potio danda est acopo perũgatur, ut perfrictiones omnes coacto sudore discedant, miro remedio sanabitur. Succinum tundes, & ex eius farina duo coclearia cũ aqua nõ nimiũ feruenti bibenda colico ieiuno p triduũ dabis, efficaciter proderunt. Sanguinẽ anguillę cũ rubello uino duplici mensura coniunges, & ex aqua tepida mixtũ colico ieiuno dabis bibẽdũ; sed sub dolore dari oportet. nam & pręsens remedium feret, & in futurum morbo huiusmodi liberabit.

Si aduersus colum uiro remedio opus erit, de ariete, quē lupus occiderit, fasciolam puer impubis faciat, & inde uirum ad corpus adcingat. si uero mulieri medendum erit, similiter de oue, quā lupus occiderit, puella uirgo cingulum faciat, & mulierem circa corpus accingat, efficaciter prodest.

Lepori uiuo talum abstrahes pilosque eius de sub uentre tolles, atque ipsum uiuū dimittes, de illis pilis uel lana filum ualidum facies, & ex eo talum leporis colligabis, corpusque laborantis præcinges, miro remedio subuenies. efficacius tamen erit remedium, ita ut incredibile sit, si casu os ipsum, id est talum leporis in stercore lupi inueneris, quod ita custodire debes, ne aut terram tangat, aut a muliere contingatur; sed nec filum illud de lana leporis factum debet mulier ulla contingere. hoc autem remedium cùm uni profuerit, ad alios translatum cùm uolueris, & quotiens uolueris, proderit. filum quoque, quod ex lana, uel pilis quos de uentre leporis tuleris, solus purus, & nitidus facies. quòd si ita uentri laboratis subligaueris plurimum proderit, ut sublata lana leporem uiuum dimittas, & dicas ei, dum dimittis eum, fuge fuge lepuscule, & tecum aufer coli dolorem. Euphorbij drachmam rediges in tenuissimū puluerem, & ex eo partes duas facies, unam cū ouo semicocto, ieiuno colico dabis. alteram tertio die similiter facies, mire ac sine repetitione emendabis coli dolorem.

Compositio colice primaria, nardi folia, spicænardi indici, amomi, piperis albi, costi, papaueris, lentis syriacæ, uncias singulas, myrrhæ, zingiberis, asari pontici, semuncias singulas in puluerem rediges, & cū melle optimo despumato, quantum sufficiat, permiscebis, & ieiuno colico, quod satis sit, dabis. Compositio colices, ex libro Philonidis, quæ etiam Tiberio Cæsari componebatur, graues, & inueteratos dolores mitigans. mihi quoque experimentis notissima, accipit hæc. apij seminis heminam, anethi tenuiter arefacti semunciam, castorei semunciam, nardi spicæ semunciam, opij semunciam, croci semunciam, piperis longi semunciam, piperis nigri semunciam, petroselini semunciam. apium pridie macerabis, & teres, cætera tundes, & cribrabis, & mixta cum apio in mortario diligentissime conteres, & melle despumato optimo comprehendes, atque in uase uitreo condes. cùm opus fuerit, dabis denarios singulos, ex aquæ calidæ cyathis tribus. Ad coli dolorem, stercus bubulum recens exprime per linteum mundum, & succum eius in qualibet potione colico da bibendum, statim subuenies; quod remedium efficacissimum esse multa experimenta docuerunt. Papauer ex aqua mulsa decoctum dabis colico ieiuno bibendum, confestim subuenies. Inter experta subnotatum est hoc colicis mirum remedium, sic. fici siccæ unciam unam, iris illyricæ unciam unam, uettonicæ unciam unam, in ollam nouam mittes, cum bisextio aquæ, & cum supra scriptis, ad dimidias coques, & inde heminam dabis ieiuno colico potandam. Herba, quæ millefoliū appellatur, trita ex uino austero nigro utiliter colicis bibenda datur. Herbam nepetam dextra manu colliges, in quantum sufficere posse credideris, eamque ad leuitatem conteres, & cum uino dulci, ac uetere, uel lybicensi, colico ieiuno per triduum dabis. sed uni modus sit quartarius, facillime proderit. Fuliginis bene tritæ, & cribratæ ternos denarios per triduum ex aqua calida ieiuno colico potui dabis. Lacertum uiridem quem Græci σαῦρον uocant, capies, perque eius oculos acum cupream cum lycio quam longo uolueris, traijcies, perforatisque oculis, eum ibidem loci, ubi ceperas, dimittes, ac tum filum præcantabis, dicens. trebio, potnia, telapaho; hoc ter dicens, filum munditer recondes, cumque dolor colici alicuius urgebit, præcinges eum totum supra umbilicum, & ter dices carmen supra scriptum. Præsentaneum colicis remedium sic. oua putidissima in sole ponito, ut perficcentur; cùm aruerint, conteres, & minutissime percribrabis, & ad præsidium in doliolo uitreo condes. cumque in aliquo auspicabitur coli dolor, in hemina aquæ calidæ dabis bibenda coclearia tria. Costum, & piper pari pondere tundito, & cribrato, inde scripulum unum ex aqua colico da bibendum. Stercus murinum ex quocunque liquore, ignoranti colico, ne horrescat, bibendum dabis, mirum est. Subpositoria colica inuicta. myrrhæ uncias tres, croci siculi uncias duas, piperis albi — II. opij hispani — II. hæc omnia tundes, uel conteres, & pilulas facies magnitudine fabæ solidæ, & tres subpones. habebis sane curam ut æger dormiat, & ne uomat; uomitus enim concitare consueuit. Ad coli dolorem, remedium physicum sic. stercus ouis montanæ mense Septembri, deficiente luna, pridie inclusę mane excipies, & sole durabis, atque in puluerem rediges, & habebis in uase uitreo, siue stagneo. cùm usus exegerit, cocleare plenum colico ex aqua calida si febricitauerit, si sincerus erit, cum uino per triduum dabis. Ouis agnū, quē primū pariet, manu excipies, ita ut terrā non tangat, & de fronte eiusdem agni lanam tolles, sed & de ipsa oue, & uerris qui coitum cū scrofa faciet, semen eadem lana excipies, ita ut terram non tangat, & includes lanam cum semine uerris in lupino aureo, uel tubulo, & alligatū in brachio, uel medijs partibus corporis, colico suspendes. De nouem coloribus, ita ut ibi album, uel nigrum non sit, facies ex singulis singula fila, & omnia in se adunata, acu argentea per oculos catuli nouelli qui nondum uidet, traijcies, ita ut per anum eius exeant. tum ipsa fila in se counata torquebis, & pro cingulo ad corpus medijs partibus uteris. catulum sane uiuum confestim in flumen proijcies. Ad colum remedium physicum sic. canem de sterquilinio, aut de aliquo sordido loco iacentem expellat, & fuget, qui patietur coli dolores, & statim illic mingat, ilico remediabitur. Iniectio ad coli empneumatosim sic. olei anethini uncias sex, butyri exsalati — III. nardi — II. hæc permixta, & calida per clysterem infunduntur. Ad colum sanandū remedia infra scripta de Prosdochi medici remedijs electis. lotium ichneumonis cum lacte uaccæ nigræ dabis in impetu coli potandum, continuo subuenies. Iniectio ad colum sic. colocynthidas duas, & rutæ, & fœnogræci, & baccarum lauri quantum satis existimaueris, in aqua coques diu, & addes mellis parum, & ita inijcies colo laborantem. Olei rutacei heminam, asphalti iudaici uncias quatuor, castorei uncias

quatuor,

quatuor,terens permiscebis,& sic inijcies colicum. Allij caput purgatum tritum infundes picis liquidæ,atque ita inijcies,statim sedabitur coli dolor. De experimento ad colum. rubi foliorum succum, & capparis succum,aut rhammi,& mellis tantundem miscebis,& dabis plenum ex eo cocleare, aut nocte, aut satis mane,colico potandum. Iniectio ad colum sic.butyri coclear unum,cedriæ coclear unum, opij quanta Erui sit magnitudo,olei P.unum,in quo baccæ lauri X V.tunsæ, & cymini quantum manu capias,cum speciebus suprà scriptis infusis,& diligentissimè tritis coquantur ; ex eo qui laborat coli uitio, inijcietur,ita ut prius caldam aquam bibat. Confectio iniectionis ad colum sic.opij drach. VI. castorei drach. I I I I. myrræ troglodytidis drach.I.croci drach.I. nitri drach.I I. euforbij drach. I I. rutæ silustris drach.I I. mellis quantum denseri omnia possint. quibus permixtis trochiscos diligentissimos factos seruabis, & cùm necessitas fuerit inijciendi adijcies olei anethini uncias sex, butyri exsalati — I I I. nardi — I I. his omnibus de trochiscis quorum descriptio superiùs continetur, adijcies quantum fabæ granum est,in aqua modica solutum,& ita hac deiectione diligenter uteris.

Ad uentrem resoluendum,& omnes difficultates,nec non, & ad choleram proijciendam, uel inhibendam,sales,& potiones,& cacapotia cathartica,diuersa de experimentis. Cap. XXX.

Quoniam interdum res postulat, & per aluum detrahere materiam omnis humoris, siue hydropis, siue diutinæ lippitudinis,secundùm sanguinis quidem detractionem,qua;& scabiem, & ignem sacrum,& papulas habentibus subuenitur;nam maximè phlebotomo huiusmodi circa cutem summam uitia innata sedantur,itaque non tam alienum iudicauimus horum quoque genera exponere; sed priùs dicemus, quæ aluum mediocriter molliant,& quæ sint ad hoc simplicia remedia.mollit ergo aluum herba mercurialis leuibus holeribus quàm plurima mixta. Item mollit aluum,nitri ⚹ semissis, mixtus cum resina terebinthina,& auellanæ nucis magnitudine deuoratus. Caules quoque quinque,uel sex,cum salis granis totidem,& apij semine paribus mensuris decocti, in uino non austero, molliendo uentre plurimũ prosunt,si & ipsi manducentur,& ius illud bibatur, ante cibum. ut inter prandium, & cœnam aluum leniter molliat. Ouilli lactis sextario,si quis adijciat cnici purgati denarios quatuor,& discoctum, ita ebibat, molliet uentrem. Quidam tribus heminis uini adijciunt aloes denarij semissem, & ita totum per partes aqua mixtum bibunt,ut molliant uentrem. soluit autem utiliter aluum ipsa aloe per se uictoriati denarij pondere,ex aquæ cyathis tribus,uel frigidæ,uel calidæ epotata.

Purgat optimè uentrem chameleæ herba ; quæ folia similia oliuæ habet; quorum quinque, uel sex dari oportet trita ex aquæ mulsæ cyathis quatuor frigidæ,si adsuetus erit cui remedio opus est;sin minus calidæ,adiecto salis coclearıo;detrahit enim largiter bilem.

Purgat bene aluum filicis radix lota, & rasa , atque in minimas particulas concisa , ad semunciam aceto aspersa,deinde cocta,ut solet holus coqui,& ita cum panis uncia consumpta.

Purgat bene hęc compositio uentrem.aloes denarij semissis,colophoniæ denarij semissis; unà teruntur hęc,adijcitur mellis quod satis sit ad colligenda ea.datur ex aquæ calidæ , uel frigidæ cyathis quatuor. hoc medicamentum stomachum non corrumpit.

Globuli mirificè purgantes uentrem,qui ut sumuntur,ita integri deijciuntur , nec lædunt stomachum, conficiuntur sic.colophoniæ denarij quatuor,bdellæ denarij duo , gummis denarij duo . hæc trita lactucæ succo colliguntur,& finguntur pilulæ magnitudine fabę;dantur à tribus pilulis , usque ad septem , prout cuiusque uires patientur.

Globuli qui etiam cœnatis dantur,& efficiunt manè uentris deiectionem quantum satis sit,sic.colophonię denarios tres aloes,& tragacãthi binos,hoc pridie aqua maceratur,postero die cęteris admiscetur.fiunt inde globuli fabę magnitudine , dantur à tribus, usque ad septem. prosunt plurimùm uentri , & stomachum nullo modo uexant.

Cucurbita siluatica trita,quam Gręci colocynthida uocant,detrahit per uentrem,& pituitam,& bilem luridam,nonnunquam,& atram deorsum uersus uocat,si cum mulsa aqua detur.

Item cucumeris anguini radix, & eius quem edimus detrahit bilem. sed anguini radicis cortex eandem uim quam ueratrum habet ; nisi quia paulò remissior est , & multò magis uiribus caret quàm cucumeris quem edimus. Anguini ergo cucumeris dari oportet denarios V I. S. ex aqua mulsa.detrahit enim pituitosa,& biliosa.cucumeris quem edimus radicis dari oportet denarios quatuor;similiter uel sparti seminis tantundem:similiter,& iridis radices datæ prosunt.

Itẽ thapsię radices pituitã,& bilem detrahunt;nec minus epithymon;pręstant hoc melius,quòd atriora & acriora deducũt;& herba urceolaris quę appellatur,detrahit biliosa,& aquatiora.nam cunila,quã græci onitim uocant,detrahit aquatiora per uomitũ.aquam uero solam deducit mori lacryma,uel radix incocta potui data. Iris calefacit,soluit,purgat,concoquit,ulceris quoque interni duritias mollit,& uẽtris stricturas mouet. Irinum oleũ per clysterẽ immissum pituitosa,& aquata, & purulenta, & atra deducit. polion uerò biliosa,& atra,oleo chamęmelino mixto per sellas deducit . scammonię succus solã detrahit bilẽ;datur ex aqua ad denarij semissem,& tertias eius,cũ salis ⚹ V. sed stomacho infirmo non conuenit. Elaterion purgat sursum per uomitum,aquam uero deorsum, & pituitam, & bilem omnis generis deducit. plus autem eius quàm uictoriati tertiam partem non oportet dari . cyclaminos uerò detrahit per sellas pituitam,& aquã.hippophaes detrahit pituitam,& liquores aquatos; datur eius drachma cum aqua

mulsa;eiusdem quoque lachryma uictoriati ponderis data ex aqua mulsa,bilem purgat. nam radix tãtum aquam deducit. Centaurei tenuis succus quantum nux auellana recipit,potus ex aqua mulsa,uentrẽ soluit. Item herbæ ipsius tritæ denarij III. ex sale,& exiguo aceto dati cum aquæ cyathis VI. biles deducunt.meconidos quoque herbæ succus.cyathis duobus datus,detrahit bilem. cucurbitæ domesticæ succus cyathorum tritum cum uini albi calefacti hemina datus, & òlei semuncia, detrahit pituitam,& bilem;sed oportet,quibus hoc purgatorium datur,ut postea quàm plurimum deambulent. Damasonij radix detrahit sursum deorsumque pituitã,atque bilem,& ex uino,& aqua mulsa data. sed si per sellas aliquis magis uoluerit purgari,succum sumat;si sursum uersus,radices eius accipiat. Veratri nigri radicis * semissis,& eius tertia portio pota ex uino passo, per sellas detrahit bilẽ.ueratri uerò succus albi ad mensuram denarij unius potus ex passo,detrahit pituitam,& per uomitũ,& per sellas. Chamelea, quæ dicitur resthis oliuæ,aquam detrahit.calfacit enim plurimum;eadem prodest hydropicis,& elephantiã habentibus,si quis eius seminis grana numero uiginti dederit ex àqua mulsa.eiusdem folia tenera trita,& in globulos redacta,aquã mouent,si quis ea per anum iniecerit;prosunt enim, & ad duritias uentris laxandas,& ad morbos interaneos depellendos. Purgatio uentris, quæ facit ad lumborum dolores,& ad omnium febrium molestias depellendas,accipit hæc.scammoniæ * VIII. ueratri nigri, anesi,aphronitri,nardi syriacæ,cassiæ,cinnami,singulorum denarios binos. dantur hæc trita, & mixta cum aquæ mulsæ hemina;datur interdum uel ex aceto,uel ex melle,uel ex aqua sola. abigit etiam conceptum fœminis prægnantibus datum. Purgatio uentris altera,sic.scammoniæ * XII. ueratri nigri * XVI. croci * V. myrræ * VII. cinnami * VII. panacis * VIII. piperis * V. aphronitri * VI. trita hæc,& in puluerẽ redacta,melle consparguntur;datur ex his * I.S. ex aquæ frigidæ,uel calidę cyathis tribus. Ad uentrem laxandum cucurbitæ siluaticæ interaneorum, scammoniæ, aphronitri,paria pondera in unum teri oportet, atque inde dari globulos tres fabæ magnitudine ex calda aqua. conuenit autem aqua colligi,uel conspergi hoc medicamentum. Aliud remedium ad uentris purgationem sic. uuæ passæ exemptis granis contusæ * IIII. anesi * VIII.elaterij,id est cucumeris in partes diuisi loti,& siccati * VII. ueratri nigri * XVI. cunilæ seminis purgati interiora * XII. hęc in puluerem redacta colliguntur,& ex aqua dantur quantum fabæ trita grana sunt,superque acetum cum melle mixtum bibitur. Item alia uentris purgatio eiusdem effectus,accipit hęc.scammoniæ * VIII. ueratri nigri * VIII. cucurbitę siluestris interiora * VIII. aphronitri * VIII.iridis * VIII. nardi syriacę * V.S.& uictoriati partem tertiam,myrræ idem põderis. puluis ex his factus,melle colligitur, dantur ex medicamento hoc globuli,quantum fabæ magnitudo est ad denarios quatuor,uel quinque,quibus deuoratis,acetum melle mixtum super dandum est. Ad omnem molestiam febrium,& ad lateris dolorem cum febri:item ad lumborum dolorem molestum,& aduersus liquores glutinosos, & spissos per uentrem digerendos,rectè dabitur hoc medicamentum,sic.cucurbitæ siluaticę interiores partes aridas,quę quasi pluma sunt * VI.croci,ac panacis denarios senos,marrubij succi * VIII. glycyrizæ * IIII. piperis albi VI. piperis longi * VI. stœchados * VI.schœni floris * IIII.malobathri * III. passo colliguntur trita hęc omnia,dantur ex his denarij singuli cum aquę calidę cyathis binis,uel ternis. Soluunt uentrẽ superposita hęc.cucumeres siluaticos maturos arefieri oportet:deinde contusos felle taurino conspergi,atque emplastri modo inlini alutę,aut linteolo spisso ad magnitudinem digitorũ quatuor ut umbilico tantùm superponas. quod statim tollendum erit,ubi uentrem mouerit. Et hoc medicamentum eiusdem rei gratia umbilico superponi oportet, aut lateri, quod recipit hęc. cucurbitæ siluaticæ interiora,quæ quasi flocci sunt,aluminis liquidi,characię tithymali,lathyridis herbę,laseris cyrenaici,paria pondera trita felle taurino collecta,lateri uel umbilico cum cucumeris siluatici maturi succo,eodem modo quo supra scriptum remedium,superponuntur. Hiera ad resolutum stomachum,& reijciẽtem quodcunque sumpserit,cõficitur sic.aloes nigrę * V. mastiches * IIII.cinnami,schœni floris,malobathri, nardi syriacę,croci,asari,xylobalsami,singulorum denarios senos.hęc trita,uel contusa,melle consparguntur,& ita reponuntur,& cùm opus est,ad modum fabę cũ oxymelle dantur. Purgatio,qua Cosmus medicus,frequenter usus est,quę hiera minor dicitur, facit ad omnia quæ suprà scripta sunt, conficitur sic. scãmonię denarij uictoriati ponderis partem unam,ueratri nigri * I. panacis * S. ex melle consparguntur hęc trita,datur ex his quantum nux auellana est ex aquæ mulsę cyathis quatuor. globuli quoque supradicta magnitudine sicci,de hoc medicamento duo tres'ue dantur ieiuno,uel post cœnam uorandi. Turundis ad soluendum uentrem uti oportet eiusmodi.fici aridę,pulegij,absinthij,aloes,nitri, fellis taurini arefacti ex interiore parte;horum paria pondera melle bene percocto colligi oportet,& fingi turundos, qui per anum immittantur. Item turundi ad uentrem laxandum sic.cucurbitę siluaticę floccorum interiorum * V. nitri nigri usti * V. fici pinguis pulpę * IIII. mulsę P.I. coquuntur hęc omnia ex mulso diligẽter,& postea fiunt turundi,quibus,& absinthij aliquid admiscetur,atque ita ut supra dictũ est,ano inijciuntur. Herbę peduncularię * IIII. farinę ex lolio * IIII. cum felle taurino liquido,& melle percocto miscentur paria pondera,& fiunt turundi qui similiter ad laxandum uentrẽ ano inijciuntur. Succus hastulę regię admixtus farinę ex tritico, deinde subactus in panis modum,& coctus in furno,atque esui datus,purgat bene uentrem. Epithymi * VII. salis * V. in aqua mulsa,si potu dederis,pituitam,& bilem omnem per uentrem detrahes. Agaricum detrahit per uentrem spissum,& corruptum humorem. cuius ut plurimũ dantur denarij duo,cum salis * II. potandi ex mulsæ cyathis V. minime hoc remedium stomachum lædit,omnemque purgat humorem, neque sangui

nem corrumpit;nec ſi quæ partes interius tument,exulcerat,uerumetiam adiuuat.prodeſt,& iocineris tumoribus,& quos græci περιπλευμονικοὺς appellant. Cucumeris,quo ueſcimur,ſeminis cyathus tritus,& nucum pinearum purgatarum cyathus contritus, & ſal cum melle tritus, in unum mixta hæc ſoluunt uentrem,febres quoque aduenientes imminuunt, morſus ſtomachi ſedant, acres liquores bileſque reprimunt. Aqua mulſa ex melle crudo,pota,uentrem mouet,extenuat glutinoſa, lieni prodeſt:eadem inteſtinis præſtat remedium,& uenis,quæ ſunt in proximo.circa inteſtina,medetur,liquores etiã qui pulmoni inſidunt,& difficile excreantur,depellit.ſed ſtomacho aptius eſt,mel aceto mixtum;minus enim inflat;efficacior eſt tamen humoribus aqua mulſa;magis enim extenuat liquores,& iucundius ſumitur.

Abſinthium potum mouet bilem maximè iocineri inſidentem,coctum quidem cum aqua ſumi debet.nã & per urinam,& per uentrem,cruditatem omnem deducit,& ſtomacho opitulatur,& ſanguinem ſpargit, cuius ſumma potio eſt ⚹ VI. cum ſalis ⚹ III. mellis cyatho uno, & aquæ ſextario. ſed ſi magis aliquis aluum citare uoluerit,ſalis ⚹ VII. admiſcere debet. Dantur bene ad ſoluendum uentrem potiones,uel polenta cum aqua,in qua ſatureia,aut pulegium,aut thymum, aut herba mercurialis incocta fuerit;ſed & hæc. ita in tribus ſextarijs aquæ decoquuntur, donec ad ſextarium perducatur.ad inflationẽ uerò ſtomachi,ſaliuncam in aqua decoqui oportet,& exiguum acetum adijci,atque ita potui dari.

Hyſopum uentri mouendo uehementius eſt,quàm abſinthium;datur autem ſimiliter decoctum, atque eadem menſura;prodeſt etiam his,quibus in pectore liquores glutinoſi ſubſiſtunt,qui & ſpirandi difficultatem,& ſtridorem ſtomachi faciunt.item his prodeſt,qui in toto corpore uidentur liquores concretos habere. Allium cum herbæ mercurialis folijs,aut ſemine coctum, uel cum ruta,& abſinthio coctum, magis mouet uentrem;liquores autem omnes,adiectis duabus radiculis ueratri nigri,etiam in febri datum,deducit per uentrem,uel ſurſum uerſus per uomitum purgat. Embamma,quo uenter ſoluitur,ſic.ſcamoniæ denarium unum,zingiberis denarium unum,piperis denarium unum, nitri denarium unum; hæc contuſa,& cribrata reponuntur:inde cùm opus eſt ſumitur cocleare plenum,& adijcitur embamma factũ ex garo,& aceto,menſura cyathi dimidij.ex hoc lactucam,aut uuluam comedere ieiunum oportet,ſed ſenſim non uniuerſim.cùm quis per uentrem purgatus fuerit,etiam uomat in balineo medicamentum. quo reiecto,domum reuerſus,cibum ſufficienter,& uinum ſumat.

Vinis uti oportet ad inteſtinorum dolores factis ex ruta, & pulegio,apio,origano,aneſo, dauco,thymo, hyſopo,panace,dictamno,anetho. Sambuci ſemen tritum cum uino datum,& uentrem mouet,& prodeſt inteſtinorum doloribus.chamædropis quoque ſemen ex uino datum, ſimiliter prodeſt. necnon, & chamæpitys trita ex uino pota,idem præſtat.etiam ſemen balſami potum ex uino iuuat uentrem;calefacit enim uiſcera,& extenuat,ac diſcutit inflationes.prodeſt,& ad hoc naſturcium potum ex uino. nam, & calefacit,& mollit uiſcera,& urinam mouet.prodeſt,& inteſtinorum doloribus, & inflationibus, & ſuſpirium reprimit,& rupta componit. Ad uentrem ſoluendum,herbam polypodium teres,& in ptiſana ieiuno ſorbendam dabis,ſtatim ſoluetur qui acceperit.

Ad ſuppreſſionem uentris,nitri, & cumini certum quid æquo pondere ex oleo concorporabis, atque inde ad magnitudinem fabæ grani maioris in anum inijcies. Ad uentrem eliciendum,alumen ad magnitudinem fabæ reſolues,& ano inijcies,ſtatim omnem duritiem laxabit. Ad uentris ſtricturas ſoluendas,betaceum concides minutatim cum terræ modico, quod ei dum auellitur,adhæſerit, & in ollam conijcies,& adijcies liquaminis optimi,& olei optimi,& uini quantum æſtimaueris neceſſarium, & coopertam ollam ſuper carbones pones. quod cùm lento igni fuerit percoctum, nitri unciam unam, uel duas minutatim ſuper ſparges,& tum ſuccum illum de olla,uel ius cum uino miſcebis,& bibes.

Vt uenter facilis ſit,nitri perlucidi,ſtaphiſagriæ,betæ,mellis cocti modicũm; hæc permiſcebis, atque in modum collyrij rotundi interiùs in anum inijcies. Confectio ſalis cathartici ſic.ſcamoniæ uncias tres, zingiberis uncias tres,petroſelini uncias tres,ſalis ammoniaci uncias quatuor,maſtiches uncias duas, piperis albi — I. ita ut ſcammoniam coquas,ut minùs lędat.coques enim ſic.mittes in paſtam, & deinde mittes in furnum,ut cum ea coquatur,& aliquantulum plus mittes,ut cùm cocta fuerit,ad pondus ſuprà ſcriptum ueniat;& cum refrixerit,tolles,& ſic omnia teres,& miſcebis,& ad quod uolueris,manducandum in conuiuio pro quibuſcunque ſalibus uteris.

Confectio catapotij;ſcamoniæ — I. aloes epaticæ — II. bdellæ ℈ VI. euphorbij ℈ III. hæc omnia in puluerem rediges,& poſtea de caulibus non plantatis ſuccum facies,& ſic commiſces, & facies paſtillos puſillos,& ſiccabis,deuorandoſque poſt cœnam,uel manè ieiuno dabis. Confectio ſalis cathartici,quã Marcellus oſtendit,ſic.ſalis duri,& aſſati P.I. — II. ſalis ammoniaci P.I. — IIII. piperis albi — III. zingiberis — IIII. inulæ ſeminis — II. ameos — III. hyſopi cretici — III. laſeris radicis — III. thymi — III. folij — III. apij ſeminis — III. aneſi — III. petroſelini macedonici — III. origani — quatuor,naſturcij ſeminis — tres. hæc omnia tunſa,cribrata, atque in puluerem tenuiſſimum redacta,& in unum commixta,repones in uaſe uitreo,& inde quotiens aliquid ſumes ſeu bibes,quaſi pro alijs ſalibus,uteris;emendantur his uitia hęc,indigeries, phlegma frigidum,quod de cerebro deſcendit in ſtomachum;ad omnes humores ſuper natantes ſtomacho,qui de felle ruſo concitantur:

Ad dolorem quoque faucium facit,& caliginem detergit,& omnes humores in uiſceribus contractos: ſanat,& iecur,& ſplenem,& tuſſim curat,& eos qui uix anhelant,reficit:curat,& colum, & morbum articularem compeſcit.digeſtorium mirificum eſt. febres quotidianas temperat, febres acutas compeſcit, id eſt hemitritaicas.quartanas comprimit.mira in omnibus eſt eius commoditas.

Liquamen catharticum quomodo confici debeat. zingiberis ℈ III. petroselini ℈ tres, piperis ℈ tres, laseris ℈ tres. scamoniæ ℈ unum, liquaminis ℥. I. hæc omnia permiscebis, & sic uteris. Ad uentris facilitatem, betas recentes de horto cum sale coque, & earum aquam cum uino calidam bibe, & ipsas ex oleo manduca. carnis etiam porcinæ recentis P. tria, cum aquæ ℥. V. & cum sale coque ad tertias, & bibe tepidum ius cum uino. Ad choleram proijciendam, herbæ, quæ grecè dicitur χαμαιπίτυς, syriacè uerò pitysorisis, folia nouem mitte in aquam calidam, & bibe, omnem choleram per os proijcies. radicem herbæ ipsius percuties ferro, & non amplius quàm duas guttas excipies in aqua calida, & bibes. omnem choleram per uentrem proijcies. sed caue, ne plus succi huius accipias, ne lædaris; nã & os, si nimius fit, malè accipit. Confectio absinthiati, ad choleram, & phlegmata proijcienda, & ad uentrem laxandum sic. nardostachios ℈ VI. schœnoanthus ℈ II. costi ℈ octo, masiches personatæ ℈ quatuor, absinthij herbæ ℈ unum, croci ℈ II. folij ℈ VI. uini ueteris Italicos ℥. quinque, mellis optimi ℥. unum, & semis.

Item alia confectio absinthiati cathartici; uini ueteris ℥. quatuor, rosæ siccæ ℈ II. casiæ ℈ IIII. schœnoanthus ℈ II. folij ℈ II. amomi ℈ II. costi ℈ II. masiches ℈ II. herbæ absinthij siliquam unam, croci siliquas quatuor, aloes epatitidos siliquas quatuor, mellis optimi ℥. I. hæc omnia separatim tunsa, & in puluerem delicatum redacta, simul miscebis, & sic excoques lento igne, ne ferueat, & uteris cùm uolueris. Ad bilem reprimendam raphanum ex pipere, & lini semine, si quis ieiunus manducauerit, fortissimè bilem expressam inhibebit. Fimum uituli recentem, si quis ex uino potui dederit his, quos græci χολερικοὺς uocant, manifesto periculo liberabit. Lenticulam lauato diligenter ex aqua munda, deinde cùm aqua nitida feruere sinito paulatim, & postea ipsam aquam colato, & dato cholerico bibendam, mirè proderit. Absinthij uiridis — IIII. salis marini — I. simul teres, & sextario feruentis aquę perfundes, & tenui linteo colabis, atque ipsam aquam laboranti da bibendam. Herba mercurialis pro certo bilem potentissimè protrahit, si ea cocta, uice holeris uescaris, eiusque aquam in qua cocta fuerit, adiecto melle potaueris. hoc etiam ægris sine difficultate succurrit. sanis eadem aqua cum condito, si ita malint, optimè datur. Ad choleram reprimendam, pulegium commanducatum super umbilicum impositum obligatumque, supprimere choleram, & intempestiuos, & continuos uomitus mirè constat. Si de cholera autẽ tanta concitatio uomitus est, ut contineri non possit, hedyosmi, aut erucæ ramulos tres, aut quatuor cum mali granati succo contritos absorbendos dato, continuò sedabitur. Vinum myrteum sorbendum dato, protinus uomitum comprimes. lauri baccas aliquot contritas ex uino potui datas succurrere cholera laborantibus constat. Mororum de rubis succus epotus efficaciter prodest choleris reprimendis. caules quantùm maiores discocti, & ex aceto sumpti, similiter medentur. Cydonea bene matura non cocta, in cibo accepta, similiter prosunt. baccæ itidem aquifolij tritæ, cum uino potui datæ, citò subueniunt. Ad aluum concitandum, Aizoon herba, quæ Latinè sedum appellatur, ex uino contrita potaque, plurimùm prodest. Herbæ uettonicæ in umbra arefactæ folia contusa, & in puluerem redacta, ad pondus denariorum trium ex hydromelitis cyathis nouem bibenda per triduum data, uentrem sine molestia continuò mouent. Brassicæ tenerrimæ contritæ succum expressum, si quis ad sex cotylarum mensuram adiectis uini cyathis tribus ieiunus biberit, ita ut pridie non cœnet, & bene digestus sit, mirificè, ac sine ullo tædio, aluo concitata purgabitur. Orbicularis herbæ quam grecè κυκλάμινον uocant, si quis expresso succo anum perunxerit, mira celeritate experietur alui solutionem.

Vt purgatione uentris releuato corpore, salubriter ætatem agas, aluum hoc genere concitabis. gladioli radicem longitudine, ac plenitudine digiti pollicis, si fœminæ remedium dandum erit; si uiro, ad crassitudinem duorum digitorum, & longitudinem unius, dabis derasam, & lotam contritamque ualentissimè, adiectis aquæ cyathis quatuor, aut quinque; quam potionem colatam, admixto paululo mellis, calefactam potui dabis. Herbæ britannicæ succus per se solus, pro uniuscuiusque uiribus, potui sumptus, sine periculo purgat. quò ualidius autem purgari uolueris, hoc amplius sumes, ita ut mensuram sextarij non excedas. Lauriculi teneri, id est cymæ lauri, cum nepeta, adiecto sale contriti, & cum aquæ tepidæ hemina in potione sumpti, concitant aluum, pituitamque, & lumbricos celeriter eijciunt. Sambuci coliculi teneri decocti cum oleo, & garo manducati, uentrem continuò soluunt. Aluminis liquidi paululum lana inuolutum, & podici subiectum, euocat stercus, & sine fatigatione deducit. Frequenter experti solutionem uentris adfirmant tali remedio se esse purgatos; mellis acetabulum, & salis triti tantundem, cũ aceti sextario uno ferueſaciunt, atque ita nocte sub diuo cœlo sereno uas leuiter opertum relinquunt, & mane, cum pridie cœna abstinuerint, cum aqua, quantum sufficiat, minutatim bibunt; quo facto, nõ solum uentris, sed etiam atræ bilis, ac rufæ tædio absoluuntur. Serum de lacte bubulo, adiecto melle, & sale quantum satis sit, potui sumptum, morantem aluum impellit. Serum de lacte equino potui datum, facilè, & sine periculo uentrem molliter purgat. Asininum lac cum melle potui datum, uentrem facilè, & sine periculo soluit. Salis marini triti, & mellis optimi despumati, & aceti scillitici, semuncias singulas in unum miscebis, & teres, & aquæ mundæ frigidę quartarium adijcies, & coagitabis, & ieiunus calefactum leniter bibes: tum deambulabis, atque inter deambulandum, calidam aquam paulatim quotiens usum fuerit, sumes; potenter hoc remedio uentrem morantem bilesque purgabis. Malagma purgatorium ad paruulos, si ob infirmitatem, potionem purgatoriam bibere, aut sustinere non possunt.

Lupinos crudos siccos in ollam nouam missos, in furno torrebis, siccatosque ac tunsos, uel molitos, cum felle taurino, uel uitulino miscebis, & subiges, & pro malagmate ad imum uentrem ab umbilico deorsum uersus impones. Nam si super umbilicũ imposueris, stercus omne sursum uocabit; impositum autem deorsum

deorsum uersus,& bilem detrahet,& pituitam deducet. Sales cathartici sine stomachi iniuria, ut nec intestina doleant,accipiuntur,seu in prandio cum esca,seu in cœna: Si autem ieiunus uolueris,cum mulso accipies cocleare plenum;componuntur sic. Salis ammoniaci unciam unam,zingiberis sicci unciam unam,laseris radicis unciam unam,scamoniæ unciam unam,piperis unciam unam, fœniculi seminis unciam unam,teres omnia,& cribrabis,sane cùm uolueris,ut uehementiùs moueat,coclearia duo accipiat,qui alui difficultate torquebitur.

Ad ani uitia, & fistulas podicis, & hæmorhoïdas, remedia physica rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXXI.

Lipara ad intertrigines,& exasperationem,& tumorem ani,mirifica sic. Spumæ argenteæ P. II. cerussæ P. II. turis pollinis P. II. aluminis fissi P. I. adipis suillæ eneruatæ curatæ P. II. uini austeri ueteris ȝ. I. S. rosæ ȝ. I. S. olei uiridis pondo semis.teritur spuma,& cerussa,alumen ex uino diluitur. deinde adijcitur tus in puluerem redactum.& cùm primùm hęc lęuia bene fuerint,oleum,& uinũ,& adipem liquefactam cum rosa supra scripta misceri oportet. Lipara rufa,facit ad fissuras ani,quas ῥαγάδας Græci dicunt,eadem ad omnes eiusdem partis exulcerationes,& uitia diutina bene facit, accipit hæc. Spumæ argenteæ denarios XVI. misyos usti denarios VI. resinæ terebinthinæ ⚹ XII. ceræ ⚹ VI. cerussæ denarios XVI. chalcitidis ustæ ⚹ VI. olei myrtei P. I. omnia diligenter teruntur cum olei pondere dimidio.tum reliquum oleum,& cera,& terebinthina liquefacta,mortario superfunduntur, & concorporantur,atque ita in doliolo uitreo reponuntur. Ad condylomata ani facit bene elateriũ sincerum,quod est succus cucumeris siluatici,compositus in rationem pastilli,aceto dilutus, & ita appositus;item propolis per se subacta,& more emplastri imposita,plurimùm prodest. Facit bene hoc medicamentum ani uitijs sic.resinæ terebinthinæ denarios VI. ceræ idem;in unum hæc coquuntur,quantũ oportet,& adijciuntur his gagatis lapidis triti denarij quatuor.multi, & iridis contusæ, ac uino mixtæ,& subactæ manibus,uelut farina,aliquid addiderunt.

Hoc quoque medicamentum mirificè prodest ani uitijs;constat ex his.aluminis melini denarios duos, chalcitidis denarium unum,fæculæ denarium unum;teruntur hæc omnia diligenter,permixtaque cũ opus est,uino,aut aceto diluta adponuntur. Hæmorhoidas sic curari oportet.primùm, ut prodeant totę; quod ut fiat,anus hoc medicamento perungetur.centaurei succi denarios duos;hæc herba latinæ fel terræ dicitur,& ubique in agris nascitur.est autem tenuis,multorum ramorum in rectum surgentium; habet florem exiguum purpureum;absinthij succi denarios duos,aluminis liquidi ⚹ duos, misyos denarium unũ, herbæ peduncularię ⚹ I. mellis quantum ad comprehendenda ea satis erit. his peruncto ano, aut lana tincta interius trusa,cum desederit quis ad sellam,& apparuerint totæ hæmorhoides, suprà scripto medicamento rursus bene tangendæ sunt undique,præcipuè radices earum,quas baseis dicunt, de spicilli latitudine inlinendæ sunt,subinde imponente medico cumulatè medicamentum,& adcrustatè imprimente, donec bene combibant. totum enim in eo est, ut ab omni parte saturentur. est autem hoc medicamentum sic.chalcitidis ustæ denarios quatuor,ęris floris usti denarios quatuor, misyos usti denarios tres, ęris squamę denarios duos,diphrygis denarios duos,soreos usti denarios duos, auri pigmenti ⚹ II. hęc teruntur diligenter,atque in tenuissimum puluerem rediguntur,& sicca,ut dixi,hęmorhoidibus imprimuntur undique.post hoc tenue simplex rasum linteolum imponi oportet, & super hoc,panem autopyrum ex aqua maceratum,& tritum,rosa illic pro oleo adiecta. hoc medicamento sine magno labore circa septimum diẽ cadere coguntur hęmorhoides.oportet autem bis die panem imponi,nonnunquam,& in noctem, si circa eas tensionem senseris;quarto die auriscalpio auerso , quam partem κυάθισκον Græci uocant , sensim tentare,ac mouere eas,quò celerius excidant.hoc medicamentum omnem carnem ex omni parte corporis exulceratam,& excrescentem,sine magno morsu tollit. Pulueris pancratiani confectio ad rhagadia, uel exochadia sic.aluminis rotundi ustulati, & siccati uncias tres, aluminis scissi uncias tres , nitri usti ℈ VI. æris floris ℈ VI. omnia hęc permixta , & trita seruabis ; cùm utendum fuerit,cum aceto acri inlines exochadia,uel rhagadia,sed adsiduè,ut intra quartum diem sanentur. Ad ani uitia,& tumores,& uulnera compositio sic.resinæ terebinthinę ℈ XXVII. uisci scripula XII. cadmiæ ℈ XII. spumę argenti ℈ IX.cerussę ℈ IX. misyos ℈ IX. herbę arnoglossę ℈ III.olei ueteris librã.hęc uniuersa cõteres,& miscebis,& per dies quantos oportuerit,ad locũ doloris adpones. Ani uitia omnia optimè,& citissimè curat oleũ bombycinũ uerũ, si adsiduè inde tangantur , ita ut intra triduum,uel quatriduum rhagadia,& exochadia stirpitùs tollat,si adsiduè ponatur. Nucleos de dactylo combures, & conteres quàm minutissimè,& de puluere eorum loco ani exulcerato,siue uulneribus eius, & fistulis frequenter impones. Herbam polypodium teres,& sic in ptisanam mittes,& sorbebis ieiunus;hoc & soluet uentrem, & anum mollit tumentem. Ad rhagadia in ano nascentia.spumę argenti — I. olei rosei — I. permisces, & adsidue adpones. Plantaginis folia,& radices,& herbam centenodiã,& rubi summitatem,& mespila, & cydonea,& nuces gallas, & de salice frondes quę tenerrimę fuerint , cum atramento sutorio , ex aqua coques simul uniuersa,adiecta quarta parte aceti, & colabis diligenter, atque inde fouebis eas partes,unde hęmorhoides fluunt. Rubi summitatem colliges,& mala siluestria,rubum autem in mortario teres, & siluestrium pomorum succum exprimes,& pariter miscebis,ac fomentum inde factum calidum hęmorhoidibus adpones. Chartam diligenter exures , & cinerem eius,siue fuliginem siccam ad fluentem

hæmorhoidis uenam, tam diu adpones, donec stringatur. Ad ficos qui in locis uerecundioribus nascuntur; de orbita rotæ collige calios lapides non prægrandes neque paruos, & pone in foco, ut bene candescant, & lotio infantis eos extingue, postea de ipso lotio locum adsidue laua, ita ut frequenter mutes & lapides, & lotium infantis, tantum proderit ut sectione, & ferro opus non sit. Extalem prominentē uino lauari prius, deinde cedro ungi, & pollice propelli introrsum oportet. Ani uitijs omnibus plantaginis radix decrescente luna die saturni, occidente sole collecta, uel sumpta, & pellicula, uel panno phœnicio obuoluta, ac licio ligata, & lumbis circundata, continuo sanitatem præstabit. Sertulam campanam ex uino, aut passo coctam terito, & adponito ad anum, eoque uino in quo sertulam coxeris, & prius, & postea anum foueto, celeriter sanabis. Caro ani superuacua, sine dolore consumetur, si araneorum fila adpones, quæ in uineis inueniuntur. Cedria qua librarij utuntur, si anum ficosum, & ad sectionē spectantem frequenter uino calido prius elutum, spicillo perunxeris, atque ita quieueris, mirabiliter carnē superuacuam consumes, sed ad sanitatem lenioribus medicamentis postea perduces. Extalem nimis prominentem reprimit gallinaceus uitellus, si coctus integer ab ipso ægro illic calidus adsidue contineatur. Ad fistulas uulnerum in ano, uel quæ nascuntur in locis uerecundioribus, terræ mali radix contusa, & fistulæ inserta, aut in puluerem redacta, & cum uino uetere inspersa, ita prodest, ut celeriter expurget, solidet, & ad omnem sanitatem perducat; sine qua, nec medici huiusmodi causas curare possunt. Tithymali contusi succum ex uino super fistulam uulneris exprimito; deinde fomentum huiusmodi alligato, id est marrubium in cinere calido subcoquito, & adiecta uetustissima axungia diu subigito, & linteo inlitum calidissimum fistulæ adponito, & ter, aut quater in die feruens medicamen renouato, mirifice proderit. Os humanum contusum, & in puluerem tenuissimum redactum, cum melle inlitum, etiam duratas ani, & antiquas fistulas sanat, si per triduum continuum adponatur. Ad nates, uel podicem fistulosum, olei optimi sextarium, lithargyrij selibram, æruginis libram, thuris masculi nigri selibram; resinæ libram, mellis sextarij unius quadrantem, aceti 8. I I. hæc omnia in olla rudi simul decoques, & more emplastri induces. Ad hæmorhoidas, eosque qui sanguinem deijciunt. porri succus expressus, ieiuno potui datus, hæmorhoidas continuo desinere facit. Adeps cygni hæmorhoidas comprimit, si aut potui detur, aut loca inde tangantur. Symphyti radix, quæ herba gallice halus dicitur, aut commanducatur, aut usta, & trita in potione datur, aduersum hæmorhoidas nimium profluentes. Spongiam marinam exures, & in cinerem rediges, & cribrabis, & inde cocleare plenum in quacunque potione dabis ei, qui hæmorhoidum nimietate uexatur. Ruborum caulicuii teneri tunduntur, expressusque ex his succus in calidissimo sole ponitur, ut usque ad crassitudinem mellis spissescat; hic haustus, efficacissime hæmorhoidum sanguinem sistit. Coagulum ceruinum deglutitum, sanguinem ex intimis profluentem facile stringit. idem facit, & coagulum leporis. Luna X I I I. hora nona antequam exeant, uel erumpant mori arboris folia, oculos tres tolles, digitis medicinali, & pollice manus sinistræ, & in oculis singulis dices. absi, apsa, phereos, mittesque in cocum galaticum, & in phœnicio lino conchyliatæ purpuræ colligabis, & dices. tollo te hinc tota hæmorhoida, absis paphar. & nudum eum cui remedio opus est, pręligamine illo cinges. Ani uitia, & condylomata felle caprino peruncta sanari certissime constat. Malicorium cum uino optimo, usque ad duos cyathos decoctum, pariterque contritum, & malagmatis modo impositum, potenter ani condylomata persanat. Butyrum, & adeps anserina, & oleum rosaceum permixta pulcherrime prosunt ani uitijs. Sanguis caprinus cum polenta impositus, ani uitium omne persanat. Rhagadas canini capitis usti cinis aspersus adiungit; & stercoris albi canini, betæque cinis insertus, similiter opitulatur. Iris illyricæ cinis cum melle subactus, utiliter imponitur ani uitijs, si ipsa iris in furno diligenter uratur. Adeps anserinus cum eiusdem cerebro, & œsypo, & alumine subigitur, & imponitur ani omnibus causis. Carnes ex capitibus mugilum, siue mullorum decoctæ, & cum melle subactæ, atque impositæ, uitijs ani plurimum prosunt. Oleum uetus, & picem, & pollinem triticeam decoque, & ano exulcerato calens medicamen impone. Radix rubi in uino, usque ad tertias coquitur, eoque uino ani uitia, & difficultates fouentur. Ad ulcera in ano facta, chartæ combustæ, sed enarum eius drach. I. auripigmenti drach. I. lepidos drach. I. simul cōteres, & melle comprehensis uteris emplastri modo. Ad eos quibus intestinum improbe prominet, remedium sic. ebuli succo turpitudinem circumline, cito remediabis. Porrigines ani extirpat tale medicamen. picis, resinæ, cerę, butyri, seui caprini, argenti spumæ, singulorum paria pondera remitte, & simul contempera, atque ita inline. Ad syringium, uel ani uitia, lauabis locum uino uetere, & teres testam ostrei, & sordes intra pullinum uentrem repertas contundes, & cochleam uacuam, & cucurbitam ustulatam teres diligenter, mixtaque omnia cum in puluerem tenuissimum redegeris, uulneri adpones, mox uitium omne sanabis.

Item ad ani uitia prominentia, quæ reuocari non possunt: Rubi ubi mora nascuntur, caules teneri, & buxi folia, & cortex mali granati, uel ipsa poma eius, & cortex roboris arboris, unde coria conficiuntur, in testa supra prunas ponuntur, & intra uas, ubi offertur, fumantia constituuntur, ut supra sedeat infirmus conclusus dilīgēter, ne fumus foras exeat. quo facto, cum conatu anum eidem fumo offerat. in recenti tędio hoc remedium ter factum subueniet; in uetere uero tędio, sępius fieri oportet. Ad idem, quod & libidines offerendi, & conatus reprimet. ceparum rotundarum, uel etiam aliarum folia, aut cortices siccas, & picem duram, simul carbonibus incendes, & uase, ut superius dictum est, concluso sedebis, & conatus dabis, ut fumus, & uapor ano suscipiatur, præsens experieris remedium. Compositio ceroti ad uitia ani sic. spumę argenti — I I. cretę cimolię ∋ I I. cerę punicę ∋ I I. cerussę — I I. quę omnia ad summam

leuitatem

leuitatem teruntur, tum in uase argenteo cera cum oleo roseo remittitur, sic reliqua confunduntur. Compositio ad ani uitia sic. cicidos, lepidos, chalcanthi, schistes, hęc trita mensuris paribus, melli despumato mixta ad usum huiusmodi seruabuntur. Ad syringium remedium efficax. oliuæ medullam cum semine auenæ æquis portionibus teres, & puluerem ipsum aqua cælesti consperges, faciesque ex eo collyria quæ fistulæ ani iniici possint; quæ per triduum iniecta fistulas in profundo positas foràs producent, ut postea possint medicamine leniore sanari. Intestinum extremum quibus prominet, & excedet, quotiens processerit, totiens uino calido, in quo herba uerbena cocta fuerit, admixto tenui lixiuo lauari oportebit. prodest, & illud pice liquida perunguere, & sic introrsum repelli; benefacit adhoc, & cinis ex sarmento factus, atque cribratus siccusque inspersus. alumen quoque fissum tritum, eidem loco impositum, plurimum prodest.

Paniculis, & inguinibus, & intertriginibus, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXXII.

Malagma quod discutit strumas, parotidas, paniculas, quas Græci phygethlon uocāt, omnes quoque futuras suppurationes dispergit, factas uerò aperit: facit, & ad dolorem articulamentorum omnium, & iuncturarum, præcipuè ad lumborum dolorem, atque inflationem stomachi, uel coli, conficitur sic. picis hispanæ, apronitri, resinæ pityinæ, ceræ, lauri baccarum, singulorū denarios XXXV. adipis taurini ⚹ XV. ammoniacæ guttæ ⚹ XV. iris ⚹ XV. galbani ⚹ XV. piperis albi ⚹ V. quæ debent liquefieri, dissoluuntur igne, & oleo exiguo diluuntur. cætera tunsa, & cribrata bene, asperguntur tepenti medicamento, quod diu agitando miscetur, deinde manibus subigitur, ut malagma exactissimum fiat.

Malagma ad omnem dolorem corporis, sed præcipuè panicularum, & omnium articulamentorum, facit & ad podagram, eadem discutit uomicas, aut aperit: pectoris quoque concoctioni, & causis interaneis prodest, & lumborum doloribus, accipit hęc. cerę ⚹ VIII. ammoniacæ guttæ ⚹ X. bdellæ ⚹ X. iris ⚹ VI. galbani ⚹ III. terebinthinæ ⚹ V. contunduntur pilo, ordine quo scripta sunt omnia. deinde cyprino oleo, quod in imo subsidere solet, colliguntur, uel permiscentur. cera in aquam feruentem in minimas partes concisa prius dimittitur, ut illic mollescat, deinde subacta manibus in pilum coniicitur cum cæteris speciebus, atque illic diu malaxatur. Paniculas aperit seuum pecudis cum sale tosto positum. item lacertæ cinis, uel ipsa diuisa adposita. item cocleę contusæ, uel cinis earum cera admixtus adpositus; & fimus columbinus cum farina inlitus prodest. Inguinum tumorem, cocleæ minutæ tritæ cū melle inlitæ sedant. Ad inguen, frustum ueteris spongiæ ad pedem alligabis, & radicem alterci sinistra manu digitis medicinalibus sumes, & alligabis in alio pede. & de cucurbita sicca longa circulum facies, & immisso licio circa pedem ligabis. Panicula ne ad sectionem ueniat, remedium sic. gypsum aqua calida bene consperge, donec in se coeat, & spissetur, & sic impone supra paniculam. deinde chartam super alliga. quæ res, & aperit eam, & sanat. postea utere malagmate molli, ut citò, & bene cicatricet.

Ad intertrigines excalfactas, & dolentes, remedium de experimēto sic. in mortario plumbeo de pistillo plumbeo, missum oleum rosaceum, & uitellum oui, tam diu teres, ut spissetur, ita ut de eodem plumbo, dū teritur, pars aliqua misceatur, & cùm fuerit spissum, ut emplastrum in linteolo tenero induces, & loco trito intertrigini adpones. hoc remedio per triduum donec locus exulceratus sanetur, uteris.

Aduersum inguinum paniculas, remedium sic. nasturcium cum pice impositum, paniculas discutit. maturis uerò, aut maturescentibus paniculis tale medicamen adhibebis, id est lenticulam, & lauri baccas ex tertio iuxta mensuram lenticulæ decoques in aqua, & diligentissimè manibus subiges, & cum lana calidum fomentum adpones, quod citò, ac uehementer, & dolorem discutiet, & humores noxios purgabit. Eruum uetus in farinam mollissimam redactum, & cum melle impositum, paniculis medetur. Mirabile hoc medicamentum paniculis sanandis sic. hyoscyami foliorum uiridium, P. II. resinæ pityinę. P. II. cerę P. II. adipis porcinæ sine sale P. II. galbani P. II. omnia hęc tunsa, uel remissa in unum corpus rediges, & emplastri modo adpones. Calcem uiuam, allij capita duo, uitellos coctos, uel incoctos ouorum trium, simul omnia permixta, & emplastri more adposita, omnem tumorem, & dolorem paniculārum dispergunt, & sedant. Galbanum solum inter principia doloris paniculæ adpositum, plurimùm prodest. Fœniculi farina ex mulsa aqua decocta, addita axungia adposita, dolorem inguinum sedat. fimus hircinus cum melle decoctus, adpositus, paniculis sanitatem congruam præstat. Creta cimolia trita, & cum aceto superinducta, cohibet paniculārum tumorem. Siue incipientem paniculam comprimi opus sit, siue concoctam dissolui, pręstabit utilissimum remedium cinis muricum, uel purpurarum exustarum cum oleo uetere impositus, uel superductus. Lupini ex aceto cocti, & subacti, & pro emplastro adpositi, causam paniculārum maturant, & minuunt dolorem. Ficus aphricana uetusta ex uino decocta, tunsa, uel trita, utiliter paniculis adponitur. Ne inguen ex ulcere aliquo, aut uulnere intumescat, surculum anethi in cingulo, aut in fascia habeto ligatum in sparto, uel quocunque uinculo, quo holus aut obsonium fuerit innexum; septem nodos facies, & per singulos nectens, nominabis singulas anus uiduas, & singulas feras, & in crure, uel brachio, cuius pars uulnerata fuerit, alligabis. quæ si prius facias, antequàm nascantur inguina, omnem inguinum, uel glandularum molestiā prohibebis, si postea, dolorem tumoremque sedabis. Surculum quoque ex myrto terra tactum, si quis gerat, ab inguinibus tutus erit. Inguinibus potenter medebere, si de licio septem nodos facias, & ad singulos, uiduas nomines, & supra ta-

lum eius pedis alliges, in cuius parte erunt inguina. Si ab equitando uexata fuerint inguina, aut intertrigines dolebunt, spuma equi fricentur, statim remediabuntur. Stercus suillum cum oleo perfricati, & in testa calefactum, & inguinibus impositum, plurimùm prodest. Pollex eius pedis, in quo inguina erunt, cum proximo digito ligatus, mirè medetur. Si quis ab equitando, aut ambulando, inguen habuerit, scribat in charta κυττος, & ad femur sibi alliget, citò sanabitur. Ad condylomata inguinum, uel quarumlibet partium, malicorium cum uini optimi sextario, ad cyathos duos decoctum, & cum eodé uino tritum, atque ut malagma impositum, condylomata facta persanat. Medullam canis ex uino uetere subige, & emplastri modo impone condylomatis, potenter ea sanabis. Argimonia trita, & adipi anserinæ admixta impositaque condylomatis medetur. Oleum uetus cum polenta decoques, & calidissimum condylomatis impones. Folia rubi contrita, & cum ceroto rosaceo imposita, sanant omnia condylomata. Adeps anseris cum cerussa, & oleo rosaceo, & cera pontica in unum ceroti modo composita, & imposita, utiliter condylomatis medetur. Mus araneus, qui cùm in orbitam inciderit, moritur, ustus in cinerem redactus, & cum adipe anserina permixtus, condylomatis infrictus, mirū remedium adfert. Ad intertrigines sanandas, libystici folijs commanducatis succum exceptum, si ei loco adposueris, cum morsu quidem, sed continuò sanabis. Gallæ contusæ in uino coctæ, atque impositæ, intertrigini plurimùm prosunt. Calciamento quo uti soles, locum inguinum laborantem si perfricueris, confestim intertrigines tolles. Axungiam perueterem liquefactam, & cerussam bene tritam permisce, donec acopi crassitudinem habeat, atque inde intertrigines perfrica, efficaciam remedij celeritatemque mirabere; nam hoc medicamen etiam rhagadas efficaciter sanat. Cretam argentariam, cum uino uetere tritam impones tritis intertriginibus, optimè accipieris. Oleo uetere, & aqua calida permixta adsiduè inguina foue, continuò subuenies intertriginibus attritis. Si exulceratio intertriginum erit, spumam argenti ex uino conteres; eique puluerem pinei corticis tunsi miscebis; & locum inlines. Ad inguina, & apostemata, remedium sic: equinus sanguis, maximè admissarij equi frequenter inlitus, huiusmodi molestias sanat. ungulæ quoque eius combustæ cinis cum oleo adpositus, idem præstat. Cocleæ uiuæ contritæ cum myrra, & impositæ inguinibus, efficaci auxilio subueniunt; sed relinquendæ sunt loco cui adpositæ fuerint, tam diu, donec sponte decidant; quod fiet cum persanauerint. Arietis quàm pinguissimi lana, plena suis sordibus combusta, & in puluerem redacta, prodest plurimùm, si eo cinere ex aqua locum inguinum perfricaueris. Bestiolæ multipedes, quæ in locis humidis, & sordidis nascuntur, quæque contactæ, pilulam de se faciunt, contritæ, adiecta tertia parte resinæ terebinthinæ emplastri modo adpositæ, collectiones incipientes, quas Greci apostemata uocant, adeo sanant, ut tenacissimè emplastrum hæreat, donec persanent. Lotio suillo locum inguinum dolentem adsiduè perungue, aut cum eo lanam succidam adpone, statim medebere. Muliebres capilli combusti, & contriti, atque inliti cum uino, aut cum aceto, inguinibus medentur. Menstruis muliebribus inguina dolentia, uel tumentia, si contingantur, statim sanari creduntur. Talus bubulus combustus tritusque, adiecto melle, inlitus inguinibus dolentibus, uel tumentibus prodest. Inguina tumida, & dolentia sanabis, si ipso ueretro denudato, id est reducta pellicula, adsiduè ea contigeris, uel perfricaueris. Apostemata, ut remolliantur, aut si mollia fuerint, ut dispárgatur, facies medicamentum tale, quo nihil potentius est. herbæ marrubij folia uiridia contundes, aut si uiridia non fuerint, inuoluta folijs maluę, uel personacę sub cinere calido coques: deinde panem candidum infusum uino ueteri addes, & axungiā miscebis, & tundes de ligno in lignea pila; sed obseruabis, ut panis infusi, & axungiæ partes singulæ sint, herbæ uero partes duæ, quod emplastri more, manè, & serò locis necessarijs impones. Inguinibus mirabile exhibet remedium, ex gallinacea ala ossiculum extremum, cocleario terebratum, nodisque septem licio ligatum, atque ita brachio, uel cruri eius partis, quæ inguina habet, suspensum. Lipara ad intertrigines sic. cerussæ, spumæ argenti, medullæ ceruinæ, seui ceruini, libras singulas, ouorū octo album, uini boni ℥ IIII. ţuris pollinis unc. quatuor, rosæ campanæ P. unum, aluminis semunciam. cerussam, & spumam tundes, cætera remittes, & in mortario terendo uniuersa miscebis. Porriginem intertriginum interficies hoc medicamine; picis, resinæ, ceræ, butyri, seui caprini, spumæ argenti, uncijs singulis in unum permixtis, si utaris adsiduè.

Ceparia, & ueretro, siue uerendis uirilibus, & testiculis dolentibus, uel pendentibus, & herniosis, siue uiris, siue infantibus, & rebus ueneris, & eunuchis sine ferro faciendis, remedia physica, & rationabilia diuersa de experimentis. Cap. XXXIII.

Ad testiculi tumores, cupressi baccæ ex uino coctę conueniunt; & faba quasi concicula, cum multo cumino cocta, & adposita more cataplasmatis. nec non, & uua passa cum cumino contusa, & tepens adposita plurimùm prodest. ad ueretri uerò tumorem, lentem ex aqua coctam, & tritam imponi utilissimū est. Si ulcus in pene sordidum fuerit, aut cancer illud tentauerit, uel iam occupauerit, andronei pastilli triti ex uino impositi beneficiunt. Omne ulcus in omni parte corporis sordidum (quod tū intelligi potest, cùm candicat, & quasi crustam perductam albam habet) purgat mel per se adpositum, uel iris arida contusa, & cum melle eadem ratione, & terrę mali, & panacis radix adposita, purgat sordida ulcera, uel in uerendis, uel quoquo loci fuerint. Mirifice hoc medicamentum purgat ulcera quælibet, etiam si cancer

tentauerit;est autem lene,conficitur sic.auri pigmenti denarios V I. æris squamæ ✳ I I I. elaterij ✳ I. chartæ combustæ cineris ✳ I I I. ex his tritis,cùm opus est,coclearia tria , rosæ cyatho permiscentur, & linteola carpta in eo tinguntur,atque ita ulceri superponuntur.hoc medicamentum citò,& sine ullo morsu expurgat sordidissima ulcera,ac sanat. Testibus qui descenderint spumam coclearum inlitam mederi certum est,si inde tangantur. Venerem conciliant passeres in cibo sumpti, uel oua eorum. item gallinaceus testis dexter in arietina pelle collo subligatus,mirè prodest.item stellionis cinis in linteo obuolutus,sinistra manu portatus,uenerem stimulat,translatus inhibet. Qui in uenerem infirmior erit,testiculos millonis ex aqua fontana,quæ perennis est, cum melle decoctos edat ieiunus per triduum , statim remediabitur. Vt in uenerem cùm uolueris,sis paratus, remedium tale facies.lacerti appellantur,siue stelliones,qui per parietem repunt,curti sunt,quique græcè ascalabotæ uocantur. hi quatuor infunduntur in acetum acre triduo,uel quatriduo,quousque putrescant;hoc teres in mortario,& adiunges galbani ∋ I X. abrotani ∋ X I I. castorei ∋ X I I. sulphuris uiui ∋ X I I. resinæ terebinthinæ ∋ X I I. croci ∋ X I I. euzomi,quæ appellatur herba mentiosa,succi ∋ V I. mentæ succi uiridis ∋ V I. staphisagriæ ∋ V I. iris illyricæ ∋ V I. aluminis scissi ∋ V I. myrræ ∋ I I I. seminis herbæ symphoniacæ siccæ ∋ I I I. hæc omnia separatim trita,simul miscebis,& iterum simul teres.inde emplastrum facies,uel pittaciũ, & pones in dextri pedis pollice,cùm uti uolueris uenere;& cùm cessare uolueris,ad sinistri pedis pollicem transferes. Ad cæpariam,satureiæ siccæ florem collige,& puluerem inde facito;& melilotum comburere,& puluerem inde facito.similiter de cydoneo sicco combusto, etiam de eo,qui in arbore solet siccus remanere,puluerem facito,& cribello medicinali omnem puluerem cerne, & permisce, & cum uino uetere calefacto locum inline,etiam linteo illic adposito tege;ita tamen,ut duæ partes sint de satureia, & singulæ de meliloto,& cydoneo.sed quotiens medicamen pones,uino uetere calido priùs locum elue.

Myrram in puluerem delicatissimum redige,& ad locum cæpariæ adsiduè cum uino uetere pone,mirè remediabis. Ad infantum testiculos uitiosos,uel tumentes,remedium efficax sic: Araneam quæ per filum suum se summittit,quando sursum uersus currit,rape,& cum aqua calida tritam continuò da infanti bibendam. Ad abundantiam seminis præparandam, erucam decoctam bibat, quotiens quisque inopia seminis se laborare perspexerit,uel potiùs adsiduè incoctam manducet. Ad ueretri curam,auri pigmentum,& aloen æquis ponderibus,tritum, & in puluerem redactum miscebis , & uteris cum uino uetere,ita ut priùs ueretrum uino uetere eluas,& sic medicamine conspergas. Ad ueretri dolorem,caseum caprinum,& mel pari pondere in pultario fictili coque,& bis ad diem impone. sed antè uino uetere locum,qui curandus est,eluas. Folia myrti ieiunus commanduca,& in ulcera ueretri expue,statim proderit. Ad tumores,& dolores testiculorum,brassica incocta cum sale trita impositaque,prodesse adfirmatur.pastinacę siluaticæ radix similiter imposita,ęquè prodesse dicitur.portulaca quoque trita cum polenta adposita testiculis medetur. ex fimo bubulo panis factus, & exustus in furno , aut in foco, & postea in cinerem redactus,& cũ aceto scyllitico subactus, dumque feruet,testiculis adpositus sepiusque mutatus,admirabiliter,& statim prodest. Spongia ex posca acida,& tepida adposita, statim sedabit testiculorum dolores. Adeps uituli,& nitri modicum una permixta,& ceroti modo imposita testiculis, tumores omnes,& dolores persanare dicuntur. Bulbi ex mulso triti, atque inliti dolentibus testiculis medentur. Rutæ ramuli tenerrimi triti,& inliti,tumorem testiculorum quamuis maximũ sedant. Farina lini seminis cũ resina,& myrra pari pondere permixta,& imposita testiculis, dolori, ac tumori eorum subuenit. Testiculi tumentes aqua marina rationabiliter fouentur. Herniosis,ramicosis, hydrocelicisque asparagi duri radices siccatæ,& contusæ,& cribratæ cum aquę hemina potui sępius datę, celeriter subueniunt. Pilulas cupressi uirides ex uino uetere ad tertias decoque, & cyathos binos quotidie ieiuno hernioso potui dato;tum folia eiusdem trita testiculis imponito,mirè proderis.nam hoc remedium multis experimentis probatum est. Lapidem igniarium contusum resinæ mixtum pro emplastro impone ramicoso,statim proderit. Si puero tenero ramex descenderit, cerasum nouellam radicibus suis stantem,mediam findito, ita ut per plagam puer traijci possit ; ac rursus arbusculam coniunge, & fimo bubulo,alijsque fomentis obline,quò facilius in se,quæ scissa sunt,coeant . quantò autem celerius arbuscula coaluerit,& cicatricem duxerit,tantò citius ramex pueri sanabitur. Testibus nimiè crescentibus,cicutæ radix trita,& cum oui albo imposita medetur. Cerussæ P.I. turis masculi selibram;tunsa hæc,atque cribrata miscentur, & cum aquæ pluuialis 8. I I I I. ad medias decoquuntur ; ex eo quotidie testes tumentes inliti,citissimè reprimuntur. Contusis,& compressis testibus citò subuenies, si cicutæ folia trita cum pauculo aceti inducas,ita ut medicamen glutinosum facias,& per triduum ponas, & manè,ac uespera renoues. Baccæ cupressi contusæ cum axungia uetere subactæ, & tanquam malagma impositæ,herniosos etiam adultos,& antiquos potenter iuuant. Ad ueretri dolorem tumoremque, remedium sic.betam,de qua semen,decoque ex aqua,atque ea adsiduè ueretrum per triduum foue, & tumor sedabitur,& uitiũ omne reducta pellicula sanabitur. Succo herbę uettonicę tepido uino mixto, ueretrum adsiduè foue,uel ipsam tritam adpone. Portulacæ succus tubo laboranti per clysterium immissus,mirè prodest.ipsa etiam trita superimposita iuuabit;& quia citò arescit,plusculum succi eius expressum debet ad necessitudinem huiusmodi reseruari. Puluis tenuissimus de myrti folijs arefactis ulceri ueretri inspersus celerrimè prodest. Nucleos pineos minutos purgatos numero X X X. adiecto pauxillo croci simul tritos, si quis ex passi cyatho quotidie per dies I X. continuos bibat, mirè penis uitio celeriterque sanabitur. Eruum purgatum,molitum,& in farinam tenuissimam redactũ,adiecto

turis polline, cum uino uetere coctum, tepidum ueretro impositum, & adopertum, citissimè prodest. Verris cerebrum coctum, & cum melle adpositum, carbunculos in ueretro efficaciter sanat. Dens caballinus contusus, & in puluerem tenuissimum redactus, ueretro inspersus efficaciter prodest. Arietini pulmonis, dum in craticula assatur, succus exceptus, myrmecias quæ in ueretro nasci solent, unctione sua purgat, & discutit. Canini capitis recentis exusti cinis, ueretri, uel testiculorum tabidis, & humidis ulceribus inspersus, aut cum aceto adpositus, adeo prodest, ut spodium, & utilitates eius, in hisce curationibus uincat. Fel caprinum cum melle, ueretri doloribus ulceribusque inlitum prodest. Caro uaccina recens ueretro imposita ulcera eius, & epiphoras mirè persanat. Salsamenta exusta cotritaque, & cum melle ueretro imposita, aduersum omnes dolores, & fumigationes singularem efficaciam præstant. Anethum siccum uritur, cinisque eius tritus, aut cum uino uetere ueretro inspergitur, aut cum melle subactus adhibetur. Lac asininum cum lana succida, ad umbilicum habeat, quotiens quis in uenerem uoluerit incitari. Erucæ seminis ℈ I I I. bulbi rufi ℈ I I I. nuclei pinei purgati ℈ VI. spicæ nardi ℈ I I I. teres singula diligenter, & permiscebis, atque inde globulos facies ad formam nucis auellanę. & cum opus fuerit, singulos liquefactos in caprino lacte potabis, si in uenerem uolueris accendi. Satureiæ creticæ ℈ I. myrræ ℈ I. nuclei pinei purgati quartarium. erucæ seminis — I. scillæ purgatæ — I. omnia hæc contrita miscebis, & globulos, ad magnitudinem fabæ facies, & singulos ad diem ieiunus cum caprino lacte potabis, si uolueris esse salacior. Pyrethri triti pulueris coclearium plenum cum passo potum, excitat in uenerem inutiles mares. Qui potuit, & non potest, ut reparetur in uenerem, radices cucumeris agrestis concisas minutatim in oleo decoquat, & in uasculo uitreo reseruet. & cũ opus fuerit, unguat sibi in balineo interius, & exterius omne ueretrum, sed sapone nõ abluat, statim incitabitur. poterit autem sequentibus diebus, si necesse fuerit, etiam sine lauacro, ueretrum sibi similiter eodem medicamine perunguere. natura genitalis maior, & solidior uidebitur, si de lilij radicibus tunsis cataplasma ei imponas; quæ nihilominus, & ueneri incendendæ satis utilis est. Herbæ rebus uenerijs aptæ; raphanus, eruca, asparagus, porri sectiles, uel capitati, ocymum, fœniculum, satureia, pestinaca, cardui. hæ esui datæ etiam mares nasci faciunt. at uerò cõtrariæ sunt pulegium, apium, ruta, coriandrum, menta, lactuca, nasturcium, anethum. Ad ramicosos, & quibus uereтra, & testiculi dolebunt. medullam panis siccam in mortario cõnteres, deinde oleum in sartaginem mittes: & sic medullam panis tritam super oleum mittes, & paululum friges, calidumque super pectinem dolentis adpones, mirè subuenies. Fabam fresam in mulsam aquam infunde, & cum bene permaduerit cõtere, ac dum teres uino asperge, & tanquã malagma calidum uerendis adpones, statim dolentibus, ac tumentibus testiculis medebere. Verendi uirilis clauulis, & ulceribus aloë trita utiliter imponitur, cùm prius uino eluta fuerint uitia ueretri. Emplastrum uiride, quod medici chloran appellant, ex rosaceo remissum in linteolo tenui inlitum, ueretris exulceratis utiliter imponitur. Seuum pecudis à renibus uulsum admixto pumicis cinere, & sale, rectissimè dolentibus, & tumentibus ueretris imponitur. Arietinorum uellerum cinis cum aqua mixtus, & adpositus, incommodis ueretri repugnat. Vngulæ mulinæ exustæ cinis salubriter inspergitur uitijs ueretrorum. Carbunculos de ueretris exterminat muricum, uel purpurarum in carbonibus ustarum cinis cum melle permixtus. idem præstant singulari efficacia salsamenta discocta, & cum melle permixta tritaque adposita. Permixto alumine, & myrra, fel bubulum ad crassitudinem mellis subactum, & inlitum, ea quæ ueretris serpunt, mira celeritate persanat. supra etiam beta uino cocta rectè imponitur. Cocleis, quæ nudæ inueniuntur, adijcitur aliquid triti turis, & albi ouorum, atque inde ulcera testiculorũ tumentia, & hydrocelæ puerorum, siue ramices superliniuntur, ut modo glutinis adhærescat; pueri uero continentur in lectulo, donec omnis turpitudo reprimatur. Cyclaminis succum melle lycio æqualiter miscebis, & inde pendentes testiculos inlines, optimum fertur esse medicamen. Vt eunuchum, sine ferro facias, radices cicutæ ex aceto tęres, & inde testiculos spississimè inlines. tum linteolum supra ligabis, ne excidat medicamen. hoc quantùm tenerioribus infantibus feceris, euentu efficaciore proueniet. Herba est, quæ græcè nymphæa, latinè claua herculis, gallicè baditis appellatur; eius radix contunditur, & ex aceto edenda datur puero per continuos X. dies, mirandum in modum fiet eunuchus. Mulierem quam tu habueris, ut nunquam alius inire possit, facies hoc. lacertæ uiridis uiuæ sinistra manu caudam cutabis, eamque uiuam dimittes. caudam, donec immoriatur, eadem palma clausam tenebis, & mulierem uerendaque eius, dum cum ea cois, tange. Si quem ad usum uenerium infirmum uolueris esse, ubicũque minxerit, supra lotium eius obicem, id est axedonem ex usu figes. Vt rebus uenerijs aptus sis, piper tritum cum oleo, & melle misce, & cùm coire uoles, uerenda tibi inline. Nocere posse fœminis dicitur, si quis membranam oui balano suo ingerat, & cum fœmina coeat. Si quem coire noles fierique cupies in usu uenerio tardiorem, de lucerna, quæ sponte extinguetur, fungos adhuc uiuẽtes, in potione eius extingue, bibendamque inscio trade, confestim eneruabitur. Si quem uoles per noctem cum fœmina coire non posse, pistillum coronatum sub lecto illius pone. Semen lactucæ tritum ex aqua potũ, uigorem coitus eneruat. Naturæ, siue ueretro uirili remedium efficax sic. si in ueretro summo clauus natus fuerit, habens callum purulentum, hoc modo curabitur. butyrum, farinam fabæ, & modicum mellis miscebis, atque in modum cataplasmatis coques, & in linteolo inlines, & sic ad locum adplicabis; mirum remedium experieris. Veretra, ut auctiora uideantur, panacis radix in uino bono triduo maceratur: cumque coeundum est, fœmori inligatur; re peracta in uino reposita, ijsdem usibus reseruatur. Vt semper sis paratus in uenerem, porri semen tritum, & rutæ semen tritum æquis portionibus misce

cum

cum lacte caprino recenti, & ieiunus adsiduè bibe.

Genuum doloribus, & crurum, ac tibiarum ulceribus, & uaricibus, & callis pedum, atque clauis, & uerrucis, & plantis, & pollicibus, & talis, & articulis, & pernionibus, & ruptis pedibus, & condylomatis neruorum, atque articulorum, & ad extrahenda, quæ casu calcata fuerint, uel quæ corpori inhæserint, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXXIIII.

Genuum dolori muscus ex piscina, uel lacuna, uel stagno collectus, adiecto paululo salis subactus, & impositus prodest. Hederæ nigræ baccarum hemina, ficus aphricanæ P.I. axungiæ — X. contusa hæc, & cum uino uetere subacta, genibus inlita, potenter dolores eorũ abolent. Genua si tumebunt, uel instabilia erũt, aphronitra copiosa in passo cretico confringes, & madefacta comminues. hisque addes lanam succidam, & genibus impositam panno cõteges, & alligabis, & ne succus emanet, pelliculam lanatã superpones. Vlceribus crurum, & tibiarum medetur adeps ursi cum herba rubricata tunsa. cum hæc ergo in unum corpus subacta coierint, imposita uelut emplastrum, conligantur ut diu maneant. Vlcera tibiarum, quæ intrinsecus serpunt, felle aprugno, cum resina, & cerussa mixto, sine difficultate sanantur. Ossa ex maxillis apri, uel suis domestici uruntur, ulceraque perniciosa crurum illo cinere asperguntur. Fimus caprinus in aceto feruefactus, & subactus imponitur, quo omnia talium ulcera locorum purgantur, & persanantur, butyro bubulo cum oleo cyprino, aut laurino postmodum addito. Varices ne nascantur, lacertæ sanguine crura puero ieiunus inline, in totum carebit hac fœditate. Ad uarices siccandas, seui hircini P.I. saponis P.I. in unũ miscebis, & linteolo inlitum medicamen adpones. Tali aut plantæ, si tumebunt, ut sine ferro sanentur, frondem uineę uiridem, ac teneram aqua feruenti perfundito, maceratamque conterito, & super positam conligato. Muscus aquaticus uirens ex oleo tritus impositusque cum linteo, tumorem doloremque plantarum compescit. Limus aquaticus cũ oleo subactus, & adpositus, principaliter huiusmodi tumori, ac doloribus prodest. Fimus aprugnus in aceto decoctus, & cum melle subactus impositusque plantis, uel talis, mitigat eorum dolores. Pernionibus, & ruptis pedibus pulmo arietinus impositus, omni asperitate leuigata molestiam tollit. Cancri marini ex oleo impositi, pernionibus utiliter prosunt, ita ut foueantur aqua, in qua eruum discoctum est. Glirium, uel soricum, uel uermium terrenorum cinis ex oleo impositus, pernionibus medetur. Coclearum, quæ nudæ inueniuntur exustarum cinis, omnem exulcerationem pedum sanat. Agninus pulmo, uel arietinus uritur, & cinis eius cum oleo imponitur, uel ipse crudus admotus, pernionũ ulceribus utiliter alligatur. Fimi gallinarum, uel columbini cinis ex oleo impositus, ulcera pedum curat. Dentes caballini tunsi, ulcera pernionum, si sint tumidi, utiliter curant. Caprini corij cinis ex oleo inlitus, perniones primè abolet. testudinis tegumen concrematur, eiusque fauilla ex uino, & oleo temperata, ulceribus pedum utiliter inducitur. Scillæ bulbi quod interius est, cum oleo deferuet, eoque oleo dolores pernionum perun̄cti mitescunt. Mora agrestia, dum adhuc rubent, antequã ullius generis morum comederis, inter manus confrica, eorumque succo crura, quæ dolere consueuerunt, per triduum continge, non modò præsentem molestiam mitigabis, uerùm etiam in reliquum tempus eo uitio carebis. Alumine ex aceto perun̄cti perniones sanantur. brassica quoque trita adpositaque, pernionibus medetur. Folium, costum, alumen liquidum, alumen scissum, pari pondere in unum cõtere, & uino ueteri mixta, ulceribus, siue rupturis hiantibus interdigitijs adsiduè impone, potenter medebere. Interdigitia sanat cera in oleo cyprino remissa, & imposita. Pulmo ceruinus impositus, & sæpe renouatus, ex calciamento læsos pedes, sine dolore persanat. Leporinus quoque pulmo multò efficacius, ut suprà impositus, curat. Ad ea, quæ calcata erunt, & ea quæ corpori inhæserint, extrahenda, leporis coagulum cum malua tritum impositumque potenter opitulabitur. Spongia, uel lana lotio madefacta adpositaque, sine dolore, quæ corpori inhæserint, eximit. si stirpis aliqua inhæserit, lacertã per medium scissam, ei loco apponito, celerrimè educetur, uel capita lacertarum contusa impositaque similiter prosunt. Si echini aculei pedibus inhæserint, aut alicui corporis parti, in lotio humano calenti pedem diu tene, facilè excutientur. Obseruabis, ut quodcunque de corpore fuerit eiectum, licio alligatum candelabro suspendas; aut uncta oleo lanula inuolutum in uentrali gestes, dolorem non patieris eius loci, de quo fuerit aliquid eductum. Mus degluptus, & per medium exsectus appositusque, omnia quæ inhæserint corpori, facilè producit. Crustę, uel ossa sepiarum comburuntur, cinisque earum impositus, educit quæcunque corpori inhæserint. Allium elixum cum pice impositum, arundines extrahit corpori adfixas. Filicis radix trita, arundinem extrahit, rursum arundinis radix tunsa impositaque, filicem, quæ corpori inhæserit, celeriter extrudit. Aquifolij radix contrita impositaque, his quæ corpori adhæserint, potenter medetur. Blattæ, id est bestiolæ, adstrictis tumentibusque de iniuria pedibus, & talis, tritæ atque impositæ, omnia quæ inhæserint corpori, potenter expellunt. Radix siluestris cucumeris cum farina lini seminis imposita, ualde prodest eijciendis his, quæ corpori inhæserint. Vrticæ radix cum sale trita, atque adposita producit quæcunque hæserint, aut calcata fuerint. Cuiuscunque animalis coagulum, maximè leporis, cum pari pondere turis, uel uisci impositum, permanere in corpore, quæ calcata sunt, non sinit. Argimoniam herbam teres, & loco, cui aliquid hæserit, superpositam conligabis, confestim proderit. hoc expertum esse, legi. Terræ malum cum melle teres,

& impones ad omnia quæcunque calcata extrahi uolueris,hoc satis utile experieris. Nepeta contrita,uel rubi folia,nam idem præstant,imposita loco,cui aliquid inhæserit,potenter medentur,si desuper ex hordeacia farina massula nimis salsa,& calens adponatur. Lardum coctum cum pingui suo,adpositumque,potenter omnia expellit,quæ corpori inhæserint,si illic alligetur. Clauis pedum callisque,& uerrucis hæc remedia utilia sunt. Nam plerisque nomine clauellorum,pernicies articulis increscit,quæ obdurata,callo quodam rigescit,incredibilesque exhibet ambulandi difficultates. hæc molestia præcipue hac medela extirpatur.auro feruenti circuitus eorum urendo designatur. quod potius est,cùm dolore maximo,ad momentum ferre,quàm inueterato etiam carcinomatis morbo noxam perpetuæ debilitatis incurrere. Vrina muli,uel mulæ,uel asini cum suo luto inlita,& clauos abolet,& callis medetur. Fimus ouium impositus,uel lacertæ iecur, aut sanguis in lanula adplicitus, uel ipsa lacerta exsecta adposita,clauorum intra triduum perseuerantiam tollit. Fimum columbinum ex aceto coctum, & in modum malagmatis subactum,atque adpositum,ad omnia suprà scripta utilissimum esse constat. Fimus apri,uel suis domestici recens impositus,& post tertium diem solutus,efficaciter clauos,uerrucas, & callos aufert. Si supra callum alica ex posca cocta per triduum utaris,sine difficultate sanabere; etiam si urina canis uirginis cum suo luto imposita,callos uerrucasque consumit, tamdiu tamen inalligata, quamdiu eas excutiat. Tribus fabæ granis clauum tangito,eaque in sterculinio defodito,ne renasci possint. quanto maturius computruerint,tantò celerius clauos sponte decidere miraberis. Clauos qui in articulis superecrescentes,dolores exhibere consueuerunt,incidi, uel radi ad uiuum oportet , prout quis pati poterit.atque de lupinis crudis prius decoriatis farinam factam subigere cum melle,& emplastri more superponere. Subraso clauo calcem uiuam uisco subactam impone,& linteolum superalliga, cito medebere. Auri pigmentum tritum,& resinam terebinthinam liquefacta,ad similitudinem ceroti impone,clauellis prius derasis,mire proderit. Vrticæ radix,medulla caprifici,& flos chalcitidis, pari pondere conteruntur.hæc simul mixta,loco clauelli superpones,& alligabis, die tertia solues.statim decidet, uel si adhuc remanserit,iteratò impones,& triduo illic medicamentum esse patiéris. Cùm porcus iugulabitur,is qui uerrucas habebit,sanguinem eius,subiecta ea corporis parte suscipiat, dum adhuc calidus exilit,& mox ubi siccatus fuerit,statim abluat:citum remedium experietur. Mulier sane' remedium de scrofæ sanguine faciat. Stercus columbinum,uel solum,uel cum ouo tritum,dolentibus articulis inlitum prodest. Felle ursino perfricti articuli,dolore releuabuntur. Vt frigora,& pruinas facile sustineant,nec adurantur articuli,terræ malo contuso cum axungia uetere perungantur. Pampini uitium triti admixta hordeacia farina,articulorum morbis medentur. Aquifolium cum ture, & sale, & oleo subactum impositumque,medetur articulis. Incussos articulos aranearum telæ cum oleo impositæ,saluberrime sanant. Fracturis articulorum,cinis ex femoribus pecudum factus,& cum cera mixtus,mire medetur. Inuictam potionem ad ischiadicos,& arthriticos facientem, in titulo superiore de ischiadicis plenissime scripsimus;sed quoniam,tam diuinus eius effectus est,iterãdam putaui, ne quis arthriticis remedia requirens,huius ignoratione fallatur. Fimus ergo ibicis in silua,uel in monte colligitur.si fieri potest,luna X V I I.sin res urgebit,quocunque die colligitur.sane' septimadecima luna medicamentũ fieri oportet,quod sic facies. Fimum eius,quantũ pugno pleno tolli poterit,dummodo pilulæ impari numero sint,conteres ualidissimè ad summam leuitatem,tum piperis grana X X V. addes & mellis heminam,& diu teres. dehinc uini ueteris adijcies 8.I I I I. & conditi more miscebis potionem. sane' qui accepturus est,ex die iouis diebus septem continuis accipiat.etiam si omnibus ossium compagibus adfectus,& contractus iacebit,intra dies septem,ita sanabitur, ut nunquam paribus doloribus implicetur. Condylomatis articulorum,& neruorũ,sertula campana ex passo,& cretico decocta, cumque oui duro uitello,& cum uuæ passę nucleis tritis mixta,medetur,ita ut malagmatis modo imposita superligetur. Acopum ualde utile,& certum remedijs articulorum , atque neruorum,sic.medullæ ceruinæ, adipis ueteris,butyri,seui ceruini,resinæ frictæ,picis cedriæ,picis laguncularis,ceræ, singulorum — ternas in æreo uase remittes,lento igni,diuque agitabis,ut coquantur: Tum percolato medicamine, ut res poscit,uteris. Spumæ argenti uncias I I. tundes,& butyri, & adipis ueteris, & rosæ campanæ uncias ternas remittes,& permiscebis,& postea in mortario simul conteres,& sic uteris ad articulorum, & neruorum confirmationem. Argemoniam ex uino austero coques,& teres,ãdrorans interdum eodem uino herbam,tum fomenti modo calidam condylomatibus articulorum, uel quibuscunque alijs superpones,& ne decidat,alligabis. Serpyllum æque cum uino austero coctum,pari diligentia articulis impones, potentius remedium experiéris. Si condyloma intolerabilem dolorem faciet,medullam panis ex uino austero subigito,& imponito,cum summa efficacia proderit. Argemonia trita cum adipe permixta, summam medelã condylomatibus exhibet articulorum. Spumam argenti,& cerussam simul ex uino conteres æquis portionibus,& impones condylomatis;si uulnus fecerit, sulphuris uiui unciam adijcies. Si quando nõ exulceratas eminentias tollere sine ferro uoluerimus,ut uerrucas,neuos,clauos, alias'ue eius generis molestias, hoc medicamento utemur ; calcis uiuæ denarios V I. feculæ coctæ denarios I I I. nitri usti denarios I I I. hæc teri oportet, & lixiuo colligi de cinere caprifici facto, uel de sarmentis , donec leue sit,& passi fiat temperamentum . deinde adijci debet rubricæ aliquid , aut atramenti, quò possit colorari; quæ simul mixta,in patella fictili coqui oportet,ad mellis spissitudinem, atque ita pyxide cornea reponi. melius sane' est recens hoc medicamentum; cuius usus talis est.id ipsum, quod destinatum erit sine ferro tolli,id ipso specillo de hoc medicamine oblinetur;& cũ satis niger locus,cui imponitur, & quasi perustus

uisus

uisus fuerit, tum oportebit non poni medicamentum, immò etiam abstergeri; & panem ex aqua, & rosa confectum, & tritum imponi. hoc & strumas sanat antequàm suppurentur. oportet autem, cùm hoc medicamentum crustam fecerit in strumis, nullum aliud adhiberi. Cùm uerò aliqua pars talium locorũ suppurauerit, & timidus fuerit, qui id patitur, sectionis, tum uisco quàm plurimo medicamen colligi, & conglobari, atque ita adponi oportebit in aluta in tantum spatium circumsecta, quantum modus ulceris fuerit. ea sane parte ponetur qua aptum erit ulcus aperiri. hoc ego medicamento sæpe diutinos dolores etiam pectoris, & lateris, & lumborum sustuli, cum ad nullum aliud malagma dolor cederet. exulcerata enim parte cuiusque dolentis loci, cum humoribus postea uitium omne sublatum est. Varices curat adeps gallinaceus cum cæpa trita impositus, uel perductus adsidue. Articulis luxatis seuum pecudis cuiuscunque cum cinere de capillo muliebri facto medetur. Frumenti grana I X in tegula candenti combures, & in cinerem rediges, & cymini quod duobus digitis pollice, & medicinali tenere potueris, similiter urendũ in candenti tegula pones, & de terra quod tribus digitis tenere potueris, addes: nec non & laseris modicũ, quod inter duos digitos teneas, adijcies, idque pariter conteres, & uino conglutinabis, & ad clauum adpones. id etiam furunculis utile est. De fimo pulli gallinacei, quod rubrũ fuerit, colliges, & adpones clauellis, atque inde eos sæpius lines, uehementer medebitur. Ad uarices fugandas remediũ sic. hederę radicem tolles, cũ fuerit luna in aquario, & circunda eas, citò medebere. hederę baccas tres, quę per parietem repit, pedi in quo sunt uarices, alligato, uel radicem eius circundato. Rapa ex aqua salsa decoques, & superpones pernionibus iam erumpentibus, medellam utilem experieris. Spinam ex pede, uel quacunque corporis parte, si altiùs adacta fuerit, sine dolore extrahes, cùm arundinis radicẽ adposueris, in mortario lapideo cõtusam, & adiecto melle subactam, donec ad crassitudinem ceroti redigatur, & linteo spisso inlita adponatur; in quo frequenter spina ipsa eiecta inuenitur. Marrubium contritum admixto sale modico impositum, æque proficere constat ad extrahenda ea quæ corpori inhæserint. Herbam urticam, siue uiridem, siue siccam contritam, adiecto quolibet coagulo adpones, cuilibet inhæserit, confestim miraberis celeritatem medellæ. Stercus aprugnum ex uino subactum, & emplastri more impositum, quidquid inhæserit corpori, celeriter extrahit, & sanat. Butyro, & medulla ceruina, & felle taurino cũ oleo cyprino, aut laurino perfricta genua sanantur. Talorum tumoribus, & doloribus, musculus marinus tritus ex oleo uetere, impositus medetur. Malandriæ, & frigore adustis pedibus prodest cuiuslibet pecudis seuum cum alumine tritum, uel excoctum, & ceroti modo impositum. Attritu calciamentorum factos clauos, emendat ueteris soleæ exustæ cinis cum oleo impositus. Vlceribus omnibus pedum in qualibet parte, adeps ursina addito alumine medetur. Ei qui patitur uarices, seui hircini selibram, & adipis de capone libram, simul permisce, & in linteo die iouis, ceroti more adpone, potenter subuenies. Stercus aprinum tunsum cribratumque, & cum melle deteriore coctum, & subactum, articulis impositum medetur. Ranas contritas, aut uentres earum scissos pro malagmate articulis imponito, efficaciter quoscunque dolores eorum sedabis. Vitulinum fimum recentem articulis laborantibus inlines, statim subuenies. Ad uerrucas, & clauellos pedum, remedium efficax sic. raporum semen quantum tribus digitis adprehendi potest, adiecto lasere contritum, & impositum, atque inligatum, clauellum etiam morticinum excutit, & persanat. Sardas, uel salsamentum sine osse exustum, & confrictum adpone uaricibus, statim prodest. Verrucas minores congestas, quas græci myrmecidas uocant, ut abstergeas, hoc facito; nocte cùm uideris stellam quasi præcipitem, se ad aliam partem transferentem, eodem momento locum, in quo uerrucę erunt, quacunque re uolueris, deterge, protinus omnes excident. quòd si manu tua nuda id feceris, continuò ad eam transibunt. Ad uarices, qui suffunduntur, & claudi non possunt, lanuginem de papyro adpone, continuò claudentur; id est illam lanuginem, quę uiridi papyro in summitate est quasi paniculæ eminentis. Lapillum quemlibet inuolutum hederæ folio ad uerrucam admoueto, ita ut eam tangat lapillus, atque ita celebri loco abijcito, ut ab aliquo inuentus colligatur, miro modo ad illum qui collegerit, uerrucæ transferuntur; & ideo quot fuerint uerrucæ, tot lapillis tangi debent. Vrticam nouellam cum aceto acri tere, aut exustam lomenti more adpone uaricibus. Ad pollicem contusum nucem iuglandem cute interiore mundabis, & cribrabis, & cum modico mellis adpones, continuò sanabis. Clauellis, & callis qui in pedibus molesti sunt, sanguis lacertæ uiridis cum flocco impositus, mirè medetur. Lumbrici terreni triti cum oleo impositi, prosunt clauellis penitus eruendis. Faba in aceto, & laser missa, & tumefacta, si clauellis alligetur, mire proderit. Salicis ramorũ primorum, uel summorum cortices exuruntur, earum cinis cum aqua impositus clauellis, confestim medetur. Beta cum melle, & cum ficu arida contusa, atque imposita, medetur articulis. Ad spinã quę corpori etiam si in profundo hęserit, auellendam, remedium efficax sic. florem cineris, id est summitatem fauillæ colliges nitidissimè, & cum axungia contusa miscebis, atque ad locum, in quo spina hęserit, leuiter alligabis. statim aut spinam ipsam extrahit, aut ita ad summitatem cutis educet, ut facilè possit auelli.

Neruorum uitijs, ac doloribus omnibus, & arthritidi, ac paralysi, & doloribus medullarum, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXXV.

Neruis, & arthritidi adeps uulturina cũ felle eiusdẽ, & cũ axungia uetere, ac melle malagmatis more adposita medetur. Neruorũ nodis capitis uiperini exusti cinis cũ oleo cyprino adpositus, plurimũ ꝓdest.

Tremulis,& quibus nerui infirmi sunt, utile est holera cum aqua tantummodo decocta cum pane manducare,& oleo castorino in balneo adsiduè perungi. Ranam rubetam & adipis ursinæ — III. cum olei ueteris sextarijs tribus in olla rudi ad medias decoquito,deinde colato. hæc unctio frequenter adhibita,non solùm neruos confirmat,sed & paralysin repellit,& reprimit. Malagma etiã ad podagrã,& arthritim,& ad omnem dolorẽ,& tensionem neruorũ sic.ammoniacæ guttæ P.I.ceræ P.I. axungiæ ueteris P.S.olei ueteris P.II.olei cedrini P.I.rosacei,aut irini olei P.I.croci — I.assij lapidis — I.myrrę — I. aphronitri semunciam.in patella noua liquefiat axungia , & cera cum oleo uetere soluatur,postea oleũ myrtinum,& rosaceum,& cedrinum, & ammoniacum tritum admiscetur, & tunc subducitur flamma ne efferuescat medicamentum;secundum quæ adijcitur crocum tritum ex aceto, deinde myrra trita aspergitur;ultimum nitrum,& assius lapis additur,& sic compositum medicamentum reponitur in pyxide. Acopum ad perfrictionem,lassitudinem,& dolorem tensionemque neruorum,quod hyeme adhibitũ non patitur perfrigescere quamlibet partem membrorum ; hoc Augusta Liuia utebatur; accipit hæc.Samsũci floris 8.I.roris marini foliorum 8.I.fœnogræci P.I.uini falerni congium,olei uenafrani P. V.præter oleũ omnia triduo in uino macerari oportebit,quarto die oleum admisceri, & coqui in pruna non acri medicamentum,donec uinum consumatur:postea percolari per linteũ duplex,oleoque adhuc calenti,ceræ ponticæ P.S.adijci conuenit.reponitur medicamentum fictili, uel stagneo uase. usui est lenta manu perductũ omnibus membris. Acopum ad neruorum causas,quod per uindemiam componitur, antequã mustũ deferuescat sic.musti recentis congios V.& olei uenafrani P.I.in his macerantur species,quæ infrascriptę sunt,contusæ,& percribratæ grandioribus foraminibus cribri,id est iris illyricæ * XL.cyperi * XL. fœnigræci * XL.piperis nigri * XL.xylobalsami * XL. calami odorati,quo unguentarij utuntur * LXXX.schœni * LXXX.saliuncæ * LXXX.sertulæ campanæ * XIIII.cassię nigræ * XXIIII.cardamomi * XXI. styracis * XXVIII.costi * XXIIII.myrræ minnę * XXI. cassiæ daphnitidis XIIII.spicæ nardi * XL.hæc cum musto,& oleo macerantur in uase stagneo, aut fictili posita per dies XXX.oportet autem uas bene clausum,& alligatum bis in die solui, & permisceri omnia.deinde rursus operiri,& signari,ne uires euanescant. post XXX dies colantur macerata. de quibus quasi oleũ purum excipitur,quod reponitur fictili uase.facit ad omne uitiũ, & dolorem corporis, & neruorum uniuersas molestias. Acopum ad perfrictionem,& lassitudinem,& neruorum dolorem,quod odoris grauioris est.nã illud superius boni odoris est.accipit hæc.ammoniaci guttę * XV.galbani * IIII.resinæ terebinthinæ * VI.ceræ * XXV.mellis P.II.olei ueteris 8.I.œsypi — I.medullæ ceruinæ — I.opopanacis * VI.quidam hoc non adijciunt.cerã,oleum ,& terebinthinã liquefieri oportet:deinde cætera adijci;nouissimum ammoniacum addi tritum curiosè.hoc qui perunctus fuerit, etiam à serpente tutus erit. Acopũ quo fere semper Liuia Augusta,& Antonia usæ sunt.facit ad perfrictiones,& arthritim,& neruorum omnium dolores,cuius perunctio non patitur perfrigescere artus,& refrigeratos calefacit.componitur hyeme hoc modo.adipis de porca sterili P.III. uel etiam anserinæ adipis idẽ ponderis,quã aqua frigida benè lauari,atque in nouũ uasculũ conijci oportet;cui adijci debent,uini ueteris odorati 8.III.& species infra scriptæ non nimis contusæ ponderis huius:xylocinnami — I.cardamomi — I.cyperi — I.schœni — III.rosæ aridæ foliorũ — I.sertulę cãpanę corollas X.hęc omnia inferuefiunt super carbones,deinde refrigerata,eodem caccabo reponuntur: posteroque die iterũ inferuefiunt, reconduntúrque eodem modo.tertio die rursus calefiunt,& colantur per linteũ,uel ex iunco facto de industria colo.uinũ rursus,atque adipis,quod superest in aliud nouũ uas conijcitur.deinde ubi congelauerit se adeps,oportebit fundũ caccabi perforari,& uinũ omne emitti,atque in priorem caccabũ adipem eandẽ conijci,& uini eiusdẽ recentis eandẽ mensuram adijci, speciesque non nimis contusas neque percribratas has infundi,nardi syriaci — I.saliuncę — I.amomi — I.cassię — I.myrrę — II. cinnami — II.rosæ aridę foliorũ — II.deinde mane semel,& in nocte semel mixtum hoc inferuefieri debet, idem & postero die fieri oportebit.tertia die cùm feruefacta fuerint omnia,percolanda erunt,& transferenda in caccabum priorem pertusum.sed antè diligenter,& spisse foramen eius obturandum erit, atque ubi congelauerit se adeps, extrahendum obturaculum erit , & spissamentum remouendum , ut uinum omne effluere possit. quod cùm defluxerit,adeps, uel medicamentum quod resederit uase stagneo uno , uel pluribus diligenter opertis,& adplumbatis reponetur.harum compositionum, si qua fides est, & ipse ego utilia remedia semper expertus sum,& alios idem sensisse confirmo.nam & illud adijcio, nequaquam huic acopo comparari posse alia medicamina,quæ in similibus causis plerique amicorum meorum , quibus æque , ac mihi credo, egregia se expertos cum iureiurando adfirmauerunt.Illud autem meminisse oportet medicaminum peritos,uel studiosos, nonnunquam eadem medicamina in ijsdem uitijs corporis , uel similibus infirmitatibus interdum melius deteriusue respondere,propter corporum inæqualitatem, aut differentiam ætatum, aut opportunitatem temporum,uel locorum;sed adfirmo prosperos euentus,si quando opus fuerit adhiberi, has compositiones semper habituras.

Chalasticum olympianum cerotarium insigne,ad neruorum dolores,& tumores ; quod idem ad rhagadia,&ad pustulas utile est,cõficitur sic.turis — II.mastiches — II.spumę argenti — II.cerussæ — II. molybdenę — II.olei rosei P.I.cerę albę — IIII.adipis anserinę — II.medullę ceruinę — II.succũ lactucarũ quantũ sufficiat.ita ut ex suprà scriptis quę teri necesse est, cũ succo ipso bene terantur, & postea supermittantur unguenta,id est oleum cera,& adeps anseris,& medulla ceruina. & sic confectũ medicamẽ in pyxide stagnea, aut in uasculo plumbeo reponatur . similiter in contractione neruorum caro palumbina

limbina sumpta in cibo prodest. Ad morbum articularem sic. piperis grana IX. iuniperi grana IX. foeniculi semunciam, mellis cyathum I. ex uini potione hæc cum omnia bene triueris, & permiscueris, in solio balnei calido bibenda dabis. Confectio medicaminis, quod facit ad omnes dolores, & ad omnes tumores neruorum, & membrorum omnium, uel conlisiones, siue feruore, siue frigore fuerint excitatæ. præcipuè autem facit ad faucium tumorem, & dolorem qui græcè dicitur paristhmia, conficitur sic. seui taurini, sed ueri P. unum seui ueruecini recentis — I I I. seui hircini recentis — V I. porcinæ axungiæ recentis P. I. cerę nitidę P. I. resinę nitidę P. I. seuũ uel adipem uniuscuiusque generis purgatã, & tunsam ad suprà scriptũ pondus adpendes, & sic in caccabum mittes; tũ adijcies cerã, & resinã; quę cũ fuerint simul lento igne liquefacta, colabis ea, & in uas, quod uolueris, defundes, atque uteris cũ opus fuerit. Ad dolorem medullarum remedium sic. olei cyprini P. II. medullæ ceruinę — V I. butyri uaccini — III. seui taurini — III. adipis anserini — III. cerę ponticę — VI. bdellę — III. œsypi — III. de his omnibus speciebus tunsis excoctis purgatis unũ corpus facies, & pro ceroto uteris. Ad paralysin, & neruorum dolores, herbam urceolarem madidam in pultariũ nouũ mittes, & ad prunas, donec se remittat, excoques. tunc in mortarium conijcies, & adiecto lomento, & aceto quantum satis sit, diutissimè conteres, & pro malagmate locis dolentibus adpones. Herba britannicę uiridis cũ radicibus suis cõtusa, & expressa, atque ex uini cyathis duobus uel tribus potui sumpta, neruorũ quibuslibet doloribus potẽter medetur, quantũ experimenta docuerunt. Herba uettonica trita, & imposita, neruos etiã pręcisos cõiungit, & glutinat. Myrti folia uiridia admixto modico sale, & aceto contusa, neruorũ poplitumque doloribus prosunt, si his adsiduè perfricentur. De tribus cumulis terrę, quos talpę faciunt, ter sinistra manu, quod adprehenderis, tolles, hoc est nouẽ pugnos plenos, & aceto addito temperabis, & subiges, atque eo malagmate, cùm opus fuerit, efficaciter uteris. Medulla de spina hyenæ admixto felle eius, & oleo uetere ad temperiẽ, & lenitudinem acopi decocta, neruorũ uitia omnia doloresque, auctore Democrito, persanat. Stercus caprinum cũ aceto coctũ, & subactũ, atque ad crassitudinem mellis impositũ, articulorũ contractiones relaxat, & tremulis prodest. In locis humidis, & sordidis sub lapidibus inueniuntur bestiolę multipedes, quę contactæ contrahuntur, & rotundantur; ex his X X I. contritæ cũ optimo melle, & ex aqua potui per fistulam datę paralyticis medentur. ideo autem per fistulã potandæ sunt, ne dentibus noceant; quos si contigerint nigrificant. Vermes terrenos, aut exustos, aut siccatos, contere cum axungia uetere, & adijce herbã senecionẽ, & cacumina buxi tenera, & tus masculum, contritaque hæc simul permisce, & emplastri more adpone neruis pręcisis, uel uexatis, confestim eos reparabis; quod remediũ bubus etiam, & iumentis similiter prodest. Remedium ad arthritin, & omnium membrorum, & neruorum dolores sic. ibisci P. II. herbæ sabinæ P. I. S. notiæ P. III. hæc omnia mittes in uini styptici 8. I. S. postea adijcies cymini — VI. axungiæ ueteris P. III. olei mollis 8. III. tum simul omnia in olla rudi excoques, tãdiu ut herbæ illæ, ita molles fiant, ut digito solui possint. quas exprimes per linteũ diligenter, ut succus earũ cũ reliquis speciebus supra scriptis similiter expressis, omnis coletur, & emanet. postea adijcies ibi species infra scriptas tunsas, & diligenter cribratas, id est adarces — III. euforbij — III. castorei — III. piperis — III. mastiches — III. seui taurini P. I. seui caprini P. I. resinę frictę — VII. balsami — IIII. opobalsami — III. uini 8. VIII. œsypi ollaris — III. medullę ceruinæ — III. resinę terebinthinę P. I. permixta hęc omnia tãdiu decoques, donec ita omne uinum excoquatur, ut uix sextarius remaneat. postea adijcies ceræ rufæ — VI. & dum feruet, coagitabis, & sublatum de foco medicamẽ diutissimè dum refrigeretur, agitabis; & cùm unum corpus eius feceris, in doliolũ uitreũ, aut pyxidem stagneã recondes; & cũ opus fuerit, parum medicaminis loco, qui curandus erit, impones; sed diu perfricabis, ac postea linteo inuolues, ne indumenta inquinentur; quod remediũ post balneũ, neruis relaxatis conuenientius fiet. sed cui medendũ erit, liquamine, & porcina abstinere debebit. Decamyri calefactorij confectio, ad neruos confirmandos, & recreandos, post iniuriã frigoris, aut aliquã uexationẽ sic. euforbij — I. pyrethri — I. myrrę — I. amomi — I. folij — I. piperis — I. styrachis ʒ VIII. ceræ ʒ VIII. nardi scrupulos octo, opobalsami ʒ V I I I. de his omnibus tunsis cribratis remissisque facies unam confectionem, quam in pyxidem ligneam, aut corneam recondes: & cùm opus fuerit, uteris. Item ad eadem, acopum de speciebus nouem facies sic. mastiches ʒ VI. styracis ʒ VI. nardi & dictamni tantundem, olei uiridis ʒ X X. olei phyllini ʒ X X. olei myrtini ʒ X. ceræ — IX. opobalsami ʒ VI. hæc similiter ut suprà scripta conficies, & recondes, & similiter lenta, & calida manu perfricans, ad placandos, ac reparandos neruos, uteris. Stirpes brassicæ cum radicibus suis comburito, earumque cinerem aceto conspargito, & adiecta uetere axungia subigito; id malagma impositum, neruos ualentissimè solidat. Quercini ligni combusti cinerem qui uino, & oleo diluerit, doloresque neruorum ea unctione perfricuerit, summa celeritate sanabitur. Stercus caprinum melle mixtum impositumque, suppuratos neruos expurgabit, & ad sanitatem usque perducit.

Si in cubitis, aut articulis, aut quacumque corporis parte neruorum contractio dolores exhibebit, lumbricos tres terrenos cum melle tritos malagmatis modo impone, omnem dolorem mollito rigore sedabis. Pannum muliebrem id est, menstrualem oleo madefactum excoque: deinde exprime, & ceram illi oleo sufficientem addes, ut cerotum facias, quo arthriticum, uel paralyticum utiliter perunges.

Confectio acopi ad reficiendos confirmandosque neruos, sic. thapsiæ — I. adarces — I. S. canchryos unciam I. S. euforbij — I. S. uuæ syluaticæ succi — I I I I. pyrethri — quatuor, resinæ terebinthinæ — V I. ceræ rufæ — V I I I. olei cyprini — I I I I. piperis uncias quatuor, sinapis — I I. hæc omnia separatim tunsa, & cribrata, in unum miscebis, & lento igne diutissimè decoques, & semper agitabis.

deinde refrigerata in pyxidem ligneam, aut corneam recondes. Compositio emplastri, quod appellatur smilion, facit ad omnes neruorum contractiones relaxandas, & ad quaslibet contusiones placandas, doloresque sedandos; conficitur sic. resinæ frictæ — V I. butyri exsalati uncias V I. ceræ uncias sex, nitri in puluerem subtilissimum redacti uncias sex; quæ suprà notata sunt, lento igni in caccabo fictili soluũtur; quæ cùm fuerint soluta, superposito carbonibus caccabo, paulatim nitrum, quod in puluerem redactum fuerit, supermittitur, & agitabitur. obseruandum sane, ne feruorem grandem ducat, aut bulliat, ac totum superfundatur, & pereat. quòd si ualidius hoc medicamentum facere uolueris, supradictis speciebus admiscebis resinæ terebinthinæ uncias quatuor, galbani uncias I I I. soluendum galbanum manibus calidis, sicut solet cera molliri, & in supra dictis speciebus mittendum, cùm fuerint solutæ, atque permixtæ. tum demum omnia diu agitabis, ut medicamentum sicut cerotum subtilissimum fiat; quo postea uelut emplastro ad suprà dictas causas potenter uteris. Compositio dia pisselæu ad neruos rigentes, & offensos placandos, & ad uiscera mollienda, conficitur sic. picis liquidæ pondo I I. ceræ pondo I. pulueris fœnigręci uncias tres, pulueris cymini uncias tres, baccæ lauri pulueris uncias tres, salis sicci triti uncias tres. pix liquida remittetur, & colabitur, addita deinde cera lento igne soluetur. sic omnia, quæ pulueris sunt mixta mittentur, & coagitabuntur, & coquentur. quo medicamine refrigerato uti cõueniet pro malagmate, uel emplastro, ad ea quæ suprà scripta sunt.

Ad podagram calidam, & frigidam, & chiragram, remedia physica, & rationabilia diuersa, de experimentis. Cap. XXXVI.

Podagram lenit œsypum cum lacte mulieris, & cum cerussa adpositum. fimus quoque bubulus recens calidus; & pulmones pecudis calidi recentes; & fel arietis cum seuo suo; & fimus gallinarum recens adpositus plurimùm iuuat; necnon, & coclee aphricanæ cum sua carne combustæ, cinisque earum ex uino inlitus medetur. Cerotum aduersum pedum dolores hoc modo facies. olei pondo I I. medullæ ceruinæ uncias sex, resinæ frixæ uncias sex, butyri unciam unam; hæc pariter in caccabo soluuntur, & colantur: postea adijcies lini seminis heminam, fœnigręci heminam; quæ ita pariter concoques, ut spissum sit. deinde colabis, & de ipso colato, ita densum temperabis, donec emplastrum facias.

Remedium paregoricum, ad podagram sic. cupressi baccas uirides, quot uolueris, decoque ex aqua marina, donec molles fiant: deinde contunde in pila, & subinde aquam adsparge, & manibus subige, ut tãquam malagma sit; inde inter initia doloris impone, statim mitigabitur dolor.

Malagma efficacissimum ad podagram sic. carnis agninæ P. V I. caprinæ P. V I. bubulæ masculinæ pondo sex, picis liquidę P. V. uel etiam V I. nitri P. V I I I. baccarum iuniperi pondo sex, cerę P. decem; hæc omnia concerpe; contunde, coque, & cùm liquidum fuerit medicamen, adijce cæpam, & subinde permisce; & deinde galbanum mitte, quantum æstimaueris sufficere posse, & subinde agita. quæ cùm bene liquefacta, & commixta fuerint, adijcies sulphur, & nitrum, & baccas lauri contusas; deinde cùm bene permixtum, & concorporatum uideris medicamen, ab igne remouebis, & mittes in pilam ligneam, atque illic tamdiu battues, donec sit subactissimum; & cùm ex eo malagma facere uolueris, oleo manus perunges, & ita inductum linteo denso, uel phœnicio pedibus adpones.

Malagma siue acopum ad podagram efficacissimum, quod mense Augusto fieri debet; resinæ frictę pondo tria, ceræ P. V I. olei ueteris P. octo galbani uncias quatuor, opij uncias quatuor, opopanacis uncias quatuor, æruginis uncias sex, guttæ ammoniacæ uncias quatuor, adipis leoninæ uncias quatuor, adipis leopardinæ uncias quatuor, adipis taxoninę uncias I I I. adipis anserinæ uncias tres, seui taurini P. I. radicis maluę erraticę uncias I I I I. radicis cicutæ uncias quatuor, radicis ibisci uncias quatuor, radicis cucumeris agrestis, quem sicyon agrion dicunt, uncias quatuor, radicis cucurbitæ domesticæ uncias quatuor. infundes radices omnes supra scriptas in aquam luna duodecima, excoques luna quindecima, ita ut ad tertias excoquas, & de excoctis succi expressi pondo duo, uel duos sextarios facies. opopanacem, & opium infundes in uinum, guttam uerò ãmoniacam, & galbanum tundes, & deinde simul omnia permixta, lento igne decoques, ac facies quasi cerotum, & uteris hoc modo, ut inlinas linteum delicatissimum, quod sine ruga amplectatur pedem. deinde fasciola leuiter inuolues, ad hoc tantùm, ne cùm pedes in lecto moueris, linteolũ replicetur, & medicamen inlitum decidat. nam si arctius strinxeris nerui offendentur. hoc ergo medicamẽ, & in accentu placat dolores, & in declinatione confirmat sanitatem.

Herbæ uerbasci, quę minoribus folijs est summitates tenerę, ac folia trita imposita, intra paucas horas adeo sedabunt podagræ molestiam, ut qui usus fuerit, etiam ambulare possit. Incipientem podagram discutiet betarum exustarum cinis leuissimus admixto sanguine bubulo subactus, & impositus.

Vettonica cum aqua ad tertias decocta, ac potui data, ipsaque cùm decoxerit, trita, atque adposita podagræ plurimùm medetur. Herba senecio, quæ in tegulis nascitur, cum sale trita, uice malagmatis imposita, podagricis prodest. Malagma potentissimum ad podagram, ad fracturas, ad tumores, ad condilomata, etiam ad renium dolorem, si illic imponatur, quod fieri oportet speciebus infrà scriptis sic. asphalti pondo unum, ceræ pondo unum, resinæ colofoniæ pondo unum, picis brutiæ pondo unum, chalcitidis pondo unum, spumę argenti sescunciam, cerussę sescunciam, aluminis rotundi sescunciam, aluminis scissi sescunciam, misyos sescunciam, gallę sescunciam, opij seminis sescunciam, opopanacis sescunciam, aloes sescunciam, myrrę sescunciam, turis masculini sescunciam, herbę mandragoræ — I. S. aceti

quod

quod sufficiat. quæ tundenda fuerint, tundes, & cernes; quæ liquefacienda, ad ignem resolues, & colata in unum permiscebis, & leui uapore ignis tenuiter decoques, & aceto paulatim consperges. deinde facies trochiscos, qui habeant singuli — binas: quos cùm usus exegerit, leui igne resolues, & sic pedibus malagmatis more impones. Remedium præsentaneum ad podagram, & neruorum, & lateris, & renium, & lumborum dolores, & ad strumas, & ad parotidas, & paniculas sic. pumicem marinum, baccas lauri, ærugine, æquo pondere contundes, & teres cum pipere, & sale, quantum æstimâris posse sufficere, adijcies; & picis duræ, & olei, & mellis aliquantum, & simul omnia usque ad spissitudinem decoques, & colata, cũ oleo syriaco subiges, & pro malagmate, cùm opus fuerit, uteris. Compositio mithridatica ad podagram, & neruorum dolores, & contractiones sic. ceræ unciam unam, medullæ ceruinæ drachmam I. adipis ursinæ drachmam I. cinnami drachmam I. piperis nigri drachmam I. myrrę drachmam I. rosę aridę drachmam I. iris pistæ drachmam I. adipis anserinæ drachmam I. adipis gallinaceę drachmam I. ammoniaci drachmam I. cassiæ rufæ drachmam I. turis masculi drachmam I. guttæ ammoniaci drachmam I. herbæ monoeci drachmam I. rutæ siluaticæ drachmam I. peucedani drachmam I. aphronitri drach. I. croci drachmam I. turis pollinis drachmam I. staphis agriæ drach. I. castorei drach. I. nucis amaræ drach. I. cuateri drach. I. resinæ terebinthinæ drachmam I. œsypi drachmam unam. quæ tundenda erunt, tundes, & cribrabis: quę remittenda erunt, lento igne liquefacies, & colata miscebis, & emplastri more, cùm opus erit, uteris.

Fomentum ad podagram sic. fabę nigrę integrę sextarium moles, & in farinam rediges cum corticibus suis, de lapide sarcophago unciam. I. tundes, & cribrabis, & ex aqua tepida permiscebis, atque in pannum inductum impones pedibus, & alligabis.

Remediũ ad podagrã, quo pro acopo utendũ est sic. seui hircini selibrã, cerę selibrã, picis selibrã, turis masculi uncias III. adipis ursinę — III. olei ueteris uncias tres, olei irini unc. III. salis ammoniaci — III. axungię ueteris selibram, medullę ceruinę — III. medullę taurinę — III. adipis anserinę — III. lenticulę supra aquam natę — III. aceti ℈ II. hęc omnia diligenter lento igne liquefacta, & colata recondes, & cùm opus fuerit uteris. Ad podagram, & neruorum dolores, & parotidas, & mammarum duritiem, quam & mulieres, & uiri pati solent, remedium sic. picis hibericę P. I. salis heminam, fœnigręci farinę heminam, iris — III. cerę selibram. picem priùs coques, ut remittatur: deinde singulas res adijcies, & coques, ac postmodùm colabis, & tanquam malagmate, cùm opus fuerit, uteris. Potio ad podagram, & neruorum dolores, quam pridie non cœnanti per duos continuos menses ieiuno ad nucis auellanę magnitudinem ex duobus cyathis aquę calidę dabis, componitur sic. petroselini drach. II. centaurei drach. II. marrubij drach. I. scordij drach. I. tundes hęc, & cribrabis, & in puluerem tenuissimũ redacta, despumato melle colliges, ut spissum sit medicamentum, & recondes. Ad podagram subitum, & facile remedium sic. alumen, acetum, lotium humanum uetus, ęquis mensuris permisce, atque adde cerę P. I. opij — I. lactis canini unc. I. rosę siccę unciam I. opium, & lac, & rosam teres in mortario, ceram uero liquefacies, & simul omnia permiscebis, atque inde pedes inlines, & folia betę, aut lactucę desuper alligabis.

Ad podagrę subitum dolorem, remedium sic. calcem denuo coques, & teres, adijciesque œsypum, & rosam tritam, & de permixtis pedes perungues. Phlomi uncias tres, rumicis uncias tres, ibisci uncias tres, cyclaminis uncias tres, myrrę tunsę unc. I. phlomum moles, & dices quamdiu moles, summũ cœlum, ima terra, medium medicamentum. deinde simul omnia cocta colabis, & ex his pedes cùm opus fuerit, perfricabis. Ad podagram, remedium de experimento sic. spermaticę drachmas quatuor, lini seminis drach. quatuor, erucę seminis drach. quatuor, schœni drach. II. castorei drach. II. myrrę drach. II. nardi spicę drachmas II. gummis ęthiopici, drachmam. II. salis drachmam. II. piperis longi drachmam unam, nucleorum pineorum drach. VIII. satureię drach. nouem, hęc omnia tunsa, cribrata, & in puluerem tenuissimum redacta, tritaque, in unum permiscebis, & ex eo drachmam unam, ad diem ieiuno in potione ex uini cyatho temperata dabis. Sambuci folia cùm primum procedunt, ad libram colliges, & teres, plantaginis quoque radicem ad libram colliges, & contundes, & axungię ueteris libram purgabis, & contundes, & postea simul omnia subiges, atque inde pedes inlines, & caulis folium superpones, cõfestim pręsens remedium, ad sedandam podagram experiere. Fimum ciconiarum, sed de nido ipso dum ciconię pullos habent, sumes, & cum axungia uetustissima permiscebis, & conteres, atque emplastri modo pedibus adpones, efficaciter podagram sanabis.

Ad podagram, & ad omnes pedum, uel manuum, & aliorum membrorum dolores ex perfrictione releuandos, bene facit hoc remedium sic. fœnogræci ℈ I. lini seminis ℈ I. ibisci contusas radices quinque; hęc ante diem infundes in aquę ℈ IX. deinde post diem decoques, usque ad tertias, postea colabis, & succum omnem colliges, atque adijcies ei olei P. IX. & succi laurini, id est, de folijs, uel de baccis teneris lauri expressi ℈ I. deinde iteratò decoques pariter, quousque omnis succus supra scriptus consumatur, & olei tantummodò summa resideat; quod iteratò colatur, & adduntur in eo oleo quod superfuerit, laricis — IX. terebinthinę uncię IIII. balsami — II. ita ut priùs, hęc in uase duplici ad ignem lentissimum resoluantur, & sic permisceantur, & diutissimè coagitentur; atque in usus suprà scriptos necessarios ad perfricandũ reseruentur. Ad primos podagrę impetus molliendos. Atiariæ herbę partes duas contundes, & butyri unam partem permiscebis, & conteres, atque ita pro unguento, uel emplastro uteris. Vlmi cortex contusus diutissimè, & cum aqua marina usque adeo subactus, ut malagmati similis sit, pro emplastro adpositus, sedat podagrę dolores. Viuo lepori pes amputatus, & alligatus ad podagram, uel eius pedis partibus quę dolebunt, plurimùm prodest.

Vituli marini, aut quod melius est, hyænæ pelle facta calciamenta, si quis in quotidiano usu habuerit, efficaciter podagræ morbo carebit. Pueri impubis detonsi super pedes dolentis capilli, atque illic aliquandiu compositi, compescunt dolorem. probatum remedium est, felle caprino non manu, sed pinna pedes perunctos, confestim dolore releuari. Fœniculi farina ex hydromelite decocta, & imposita, chiragræ medetur. Podagram ut sanare difficile est, sic incipienti inter initia occurrere promptum est. nam inter initia eius cùm dolores asperrimi sunt, si quis uena aduersa in brachio pungatur, non modo præsenti dolore releuabitur, sed etiam in posterum perpetuo liberabitur.

Vtiliter in dolore perunguntur pedes oleo, in quo diu decocta sint intestina ranarum. ranæ quoque rubetæ exustæ cinis, cum sambuci coliculis teneris tritis, & seuo hircino uetere permixto, & decocto, pariterque imposito prodest. Folia cupressi contrita, cum panis mollis partibus duabus, & axungia uetere subacta, medentur doloribus podagræ. Semen genestæ tunsum, & cum axungia subactum, doloribus geniculorum potenter adhibetur. Mustelæ uiuæ combustæ cinis, cum oleo rosaceo, & aceto pinna inlitus, podagricis prodest. Hedera contrita, & cum oriza, ac melle decocta, atque in unum permixta, & denuo trita, podagræ, & chiragræ, & neruorum offensionibus medetur imposita.

Vrtica trita cum sanguine miluino, aut palumborum permixta, atque ex eo pedes inliti, efficaciter sanantur. Mirificum podagræ remedium, nec impendio sumptuosum, sic. cupressi pilulæ duodecim, pastinacæ, quam minimæ totidem decoquuntur cum turis tunsi uncijs tribus, cum olei sextario, & aquæ hemina, & axungiæ ueteris uncijs VI. & ceræ tantundem; quæ inspissata, & conglutinata panno, inlita pedibus adponuntur.

Ad podagram cum feruore, & tumore rubicundo, quam calidam uocant, hæc faciunt primis diebus adhibita. herba urceolaris per se, & caseus mollis recens per se impositus, postea herba, cui salis pusillum admiscere oportebit. Item bene facit apium uiride per se, uel cum polenta adpositum. Nec minus utilis est portulaca, atque plantago. spongia quoque rhodia, uel aphricana mollis ex aqua frigida adposita iuuat. lanam etiam succidam rosa, & uino infectam poni conuenit. subinde autem hæc omnia mutari oportet priusquàm calefiant. Prodest, & lomentum fabæ molitæ cum suis ualgulis factum, aceto ac melle dilutum, atque ita impositum; educit enim sanguinem, & dolorem leuat. Belle faciunt, & mala citrea quàm maxima quinque cocta ex aceti sextarijs tribus, donec madida fiant; quibus tritis adijcitur aluminis fissi uncia una, myrræ uncia una; atque ita malagmatis more, ferueнти podagræ imponuntur. Benefacit, & aloe aceto diluta, & per pinnulam pedibus inducta. opium quoque lacte muliebri dilutum, & similiter inlitum iuuat.

Mirificè hoc cataplasma podagræ cuilibet superpositum medetur; tollit enim triduo dolorem, lomenti more compositū sic. fœniculi seminis cyathi duo, musci de stagno cyathi duo, polentę tenuis cyathi duo; commiscentur hæc in unum, contusa, trita, atque mòlita. deinde consparguntur aqua pluuiali, & ita temperantur, ne durum sit medicamentum, ne'ue sit aquatum nimis. quod impositum, protinus leuat, id est intra triduum tollit dolorem. constat autem eum qui hoc medicamine ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum podagræ dolore. Ad frigidam podagram, quæ sine tumore est, conficitur cataplasma sic. ciceris nigri moliti sextarius coquitur ex aqua, & diligēter teritur; cui adijcitur axungiæ pauxillum, & dum calet medicamentum pedibus imponitur.

Fœnograeci seminis, & hordei farinæ binos sextarios cribratos in unum miscebis, & decoques ex aqua, atque addes olei, quod sufficiat, ac subinde calidum cataplasma pedibus adpones. bene facit, & ibisci radix ex aqua mulsa cocta, & imposita. sambucum quoque cum axungia, & brassicæ cinis cum axungia impositus plurimum iuuat. ubi autem impetus cessauerit, & in hoc, & in priore genere podagræ, calida aqua marina diu fouendi sunt pedes; uel si hęc non erit, aqua pura feruenti, sale adiecto foueantur. post hoc, malagmate uti oportet, quod ad parotidas scriptum est; tollit enim citò reliquias podagræ per sudores, & in futurum confirmat neruos, nec patitur facile uitiari.

Ad utramlibet podagram remedium sic. Torpedinem uiuam nigram cùm admonuerit dolor, subijci pedibus oportet in litore non sicco, sed quod adluit mare, & tamdiu premi, donec sentiatur torpor per totum pedem, & tibiam usque ad genua. hoc & in præsenti tollit dolorem, & in futurum remediat. hoc modo Anteros Cæsaris libertus supra fidem remediatus est. Malagma Narcissianum ad utramque podagram, egregium. ceræ pondo II. resinæ pondo V. olei ueteris pondo V.S. olei syriaci pondo I.S. aphronitri in pastillis pondo I. cardamomi puri pondo unum, iris illyricæ pondo unum, piculæ pondo unum, agarici pondo unum, fœnogręci pondo I. centaurei pondo I. apollinaris pondo I. alterci P.I. coques liquanda, quę sunt tundenda in puluerem redacta miscebis, atque ex his pastillos facies, & in capsa noua repones, quibus diebus uiginti iugiter uteris.

Malagma quod & ad podagram, & ad omnē collectionem bene facit, accipit hęc. ammoniaci uncias V. galbaui unc. II. picis duræ P.V. resinæ terebinthinę P.II. olei ueteris P.I.S. axungię uetustę P.III. ceræ P.V. sulphuris uiui pondo V. hęc omnia decoques in patella fictili, uel cacabo ampliore. sulphur tamen, & ammoniacum extra teres, & sic immiscebis cùm decoquere cœperis; sed agitabis instanter, ne subsidant in fundo, quę in puluerem redacta mittuntur. Confectio medicaminis, quod appellatur hygia. facit ad chiragricos, ad arthritim, ad ilij dolorem, ad uentris molestias, ad neruorum contractionem, & ad omnes dolores, qui sunt in corpore, conficitur XII. Kalend. Iul. non interest quo die, uel luna, uel malina, dummodo suprà scriptus dies obseruetur, quo medicamen fiat sic. olei P. XXV. sed optimi, ni optimi

ni optimi pondo X X V. quantum bonum fuerit uinum, tantũ melius erit medicamentum. serpylli campestris fasciculos X. tam grandes quàm manus uiri recipere potest; sed suprà scripta die colligi debet serpyllum, ut statim recens cum supradictis liquoribus coquatur; quod oportet tamdiu coqui, quò usque ad olei mensuram liquor omnis ueniat. cùm rafriguerit, colatur diligenter; & ubi nitidum fuerit, addes resinę pityinæ pondo tria, opopanacis libram semis, galbani libram semis, ceræ rufæ libram semis, styracis libram, opobalsami — V I. hæc omnia confundes in isto oleo: styracẽ sane pones in balneo, & ibi solues, atque in mortario teres, & remittes omnia in uas æreum, ibique pones ad focum species suprà scriptas; quę tam diu coquantur, quam diu soluantur bene. deinde de resina puluerem facias, & asperges medicamini, dum adhuc coquitur; quo, malagmatis loco, cùm opus fuerit, utêris. Cerotum ad chiragram, & parotidas, & tumores diuersos, & fistulas, & furunculos. accipit hæc; cerussæ P.I. ammoniaci P.I. olei pondo unum, cerussa terenda in mortario diligentissime: deinde oleum paulatim supermittendum; & cũ simul trita fuerint omnia, mittenda in caccabum, uel trullam, ut ferueant; & dum coquuntur, sine intermissione agitanda. sed cùm densum esse cœperit medicamen ad speciem ceroti, tum ammoniacum tritum diligenter supermittendum, coquendaque simul omnia horis sex, lento igne, ne adurantur, & sine cessatione dum coquuntur agitanda; cùm uideris omnia bene mixta, defunde in aquam frigidam, & manibus subige, uel perfrica, & sic repone; & cùm usus exegerit, alutæ inline, & sic adpone locis necessarijs. Remedium ad podagram, uel maximè ad arthritim sic. aceti optimi quantum uolueris; quod melius erit, si ex uino styptico fuerit; telas aranearum, quæ in cupresso inueniuntur, buxi summitates tenerrimas. hęc in olla noua coquenda sunt diutissimè; ex quo aceto posca temperanda paulò acrior quâm ad bibendum; ex qua posca, uel calefacta, uel frigida prout causa postulauerit, lauãda membra, hoc est arthra, uel iuncturæ, quæ dolent, & deorsum, id est cùm humeros, uel cubita laueris, ad manus summas, uel ad pedes summos destringendũ deducendumque medicamen. postea uerò quàm hac posca laueris membra, quæ lauari necesse est, adpones herbam, quæ in aquæ iugis decursu nascitur, quam Latinè berulam, Gręce cardaminen uocant. hæc diligenter purgatur, & teneritudo eius tunditur, & ita uel tepida, uel frigida, prout salubrius est, dolenti in modũ cataplasmatis adponitur; & die bis, aut ter, uel quotiens siccari cœperit, mutanda erit. quæ si ruborem fecerit, tunc magis profuisse intelligetur. adhibendum dehinc parygrum cerotum infrà scriptum sic. cerussæ, spumæ argenti, ceræ punicæ, olei rosei, olei mollis, lachrymas ouorum. horum omnium pondera, quæ placuerit, miscebis; modus enim non est definitus. cera primùm in oleo molli ferueat tam diu, donec stringatur, postea puluerem suprà scriptarum specierum supèr addes. deinde oleum roseum, uel lachrymas ouorum admiscebis, atque ita bene agitata, & mixta omnia subcoquantur igni. quod medicamen repositum, cum necesse erit in linteo inlitum, membris dolentibus adponetur.

Farinæ triticæ 8. unum, amyli uncias septem, ceræ uncias septem, olei rosacei æstate; hyeme autem olei communis 8.I. Italicum. sane ut passio ipsa, uel calidius, uel frigidius medicamentum poscit fieri, ita facias. farinam ante diem infusam in aquæ 8. Italicum concoques admodum glutis. postea amylum separatim tritum in mortario, & ceram remissam in oleo supermittes, & simul omnia diligenter teres; & cùm opus fuerit, adpones in linteo podagræ cuilibet. Galbani semunciam, opopanacis uncias duas, castorei uncias I I. ceræ P.I I. olei laurini uncias I I. olei communis P.I. olei ueteris rancidi P.I. aphronitri candidi pilulas duodecim, medullę ceruinæ pondo unum, butyri P.I. clauos caligares de sterculinio collectos de dextra caliga V I I I. de sinistra septem, in singulis linteolis alligato; sic in æneum mitte. deinde ita cum suprà scriptis decoque, ut emplastrum densum facias, pedibus cùm uolueris, adponendum. opopanacẽ sane cùm liquaueris, galbanum postea liquabis. dehinc omnia reliqua cùm coxeris, colabis, & sic de permixtis omnibus emplastrum facies, miraberis remedium podagræ, quia palmare est.

Ad impetum podagræ, remedium, quod Artemisius Dianio ostendit sic. croci denarios duos, pulueris asiani, id est, de lapide magnesio, qui in uenalibus difficile inuenitur, unciam unã; sed si hic non sit, pro puluere aphronitri — I. mittes, & ouorum quatuor lachrymam, non medullam. hæc trita, & mixta componuntur in modum ceroti, quo superlinuntur pedes de pinnola. Farinam de meliloto in lotio humano, & axungia uetere concoque, eamque panno inline, & mox ubi dolor auspicabitur, pedibus impone, pro certo statim eum mulcebit hoc remedium. Axungiæ P. tria resinæ terebinthinæ P.I. picis liquidæ P.I. ceræ communis P.I. sulphuris uiui. P. I. rutæ uiridis ℈ I I I. schœni — I I. bdellæ recentis — I I. cùm omnia remittenda remiseris, & cætera miscueris, nouissimè sulfur tunsum adijcies, & omnia iuxta ignẽ exagitata miscebis. hæc compositio præsidio seruata, quamuis acrem impetum podagræ orientis extinguit. Olei cyprini modium in æneum conijcies, cumque primum feruebit, mittes in illud uulpem masculum uiuum, & tamdiu coques, donec corpus eius surculo facillimè transforetur; tunc oleũ percolabis, & adijcies in id samsuci, saliuncæ, cyperi, cardamomi, singularũ rerũ selibras, euforbij — I I I I. adarces P.I. resinæ P.III. ceræ ponticæ P.II. hoc cerotũ mire podagrã lenit. Vermiculos terrestres in aceto per noctẽ manere curabis, ut se omni sorde purgent; manè eos siccabis, & ex his — IX. in libram axungiæ mittes, & diutissimè conteres, ut unũ corpus efficias, & pro ceroto utêris ad sedandos pedũ quálibet molestos dolores. Medius lapis lacte muliebri dilutus, & pellicula lupina cõligatus portatusque, & in pręsenti, & deinceps in futurũ tempus podagrã certissimè submouebit. Columbinæ pinnæ maximè primũ nascentes ustæ cũ urtica, atque impositæ podagræ dolores leuant. Terrestres lumbrici ad mensuram acetabuli in mellis cotyla contriti, & impositi pedibus qui prius oleo rosaceo uncti fuerint, ac tertio die soluti, & statim rursum impositi, & confestim dolorem leniunt, & in posterum tollunt.

careri. Experti.

Vulpem ex aqua coquito, donec mollescat, & ex aqua percolata pedes adsiduè foueto; quo facto doloribus facilè careri hoc remedio quidam frequenter experti sunt. Lenticula, quæ in aqua nascitur quàm tenerrima contusa, & antequàm cubitum eat, ei qui dolet pedes, imposita, deinde interposito tempore sublata; & herba cuculus trita in reliquam partem noctis imposita, mirè dolores podagræ sedat. Farina frumenti ex aceto cocta, dolorem podagræ statim sedat imposita; sed lenius medicamen erit adiecto melle non multo. Pampini uitium triti, & impositi tumorem pedum mirabiliter exsiccant. cinis quoque uitium cum axungia uetere subactus, & impositus, idem præstat. nec non, & ad hoc sal ammoniacus cum pari mensura picis, & ceræ coctus imponitur. Plantago cum axungia subacta, & imposita lenit pedum dolores. limus quoque aquaticus cum oleo subactus plurimum prodest. Adeps ursina cum seuo taurino, & cera pari pondere decoquuntur, eoque ceroto podagra contacta lenitur. nec non, & radix cucumeris erratici ex aceto cocta, & podagræ imposita succurrit. Potio, quæ si anno integro fuerit potata, podagra liberat laborantes, componitur sic. chamædryos P. I. centaurei uncias tres, aristolochiæ rotundæ uncias tres, stœchados uncias tres. agarici — I. cyperi seminis — III. S. aloes — III. S. hæc pondera singularum rerum tunsa, & cribrata adpendi oportet, & mellis attici libras VI. comprehendi. Sumitur autem hæc potio a' ieiuno, & maximè digesto; mensura eius, est argentei scripuli ponderis. bibitur ex tribus cyathis aquæ calidæ; & si non continuati dies fuerint in accipienda potione, anni tamen spatium in dierum numero suppleatur. Fel apri cum seuo quolibet positum, optimè placat podagram in præsens. Carmen idioticum, quod lenire podagram dicitur, sic. In manus tuas exspues antequàm a' lecto terram manè contingas, & a' summis talis, & plantis, usque ad summos digitos, manus duces, & dices. fuge fuge podagra, & omnis neruorũ dolor de pedibus meis, & omnibus membris meis. aut si alij præcantas, dices illius, quem peperit illa, uenenũ ueneno uincitur, saliua ieiuna uinci non potest. ter dices hęc, & ad singulas plantas tuas, uel illius cui medebere, spues. Remedium ad podagrã sic. lanæ succidę nõ lotę P. I. uini ueteris, uel amminei 8. II. olei omphacini 8. I. aphronitri cõmunis P. I. lanã infundes in uinũ per triduũ, dehinc exprimes lanã uehementer, & admiscebis uino, quod expresseris aphronitrũ tritum addes, & oleum, & sic miscebis omnia, & in uas uitreum mittes, & seruabis. Cùm autem opus fuerit medicamen, panem infundes in uinum uetus, uel ammineũ; qui cùm bene mollitus fuerit, exprimendus erit, & terendus in mortario, ac dum teritur, supermittendum medicamentũ, quod in ampulla est, ita ut ad densitatem cataplasmatis redigatur; addenda, & olei rosei coclearia duo. sic inducendum medicamentum in linteo, & ad ponendum locis dolentibus. superposito uero linteo, salubre esse auctor remedij huius adfirmat, si uel ipsa lana, quæ expressa est, uel alia succida supra cataplasma hoc ponatur, & leuiter obligetur.

Confectio emplastri, quod rex Ptolemeus inuenisse dicitur, accipit hæc; seui taurini remissi colatique, atque in pastillos coacti P. V. resinæ frixæ P. V. medullæ ceruinæ — VI. succi mentæ — II. succi mentastri — II. succi fœniculi — II. succi marrubij — II. succi hyoscyami — II. succi plantaginis maioris — II. succi lapathi — II. specularis cocti, & quàm minutissimè triti P. I. quibus in ordinẽ præparatis, seuum, & medulla lento igni in uasculo æneo remittentur: tum resina comminuta, atque trita sensim in seuum supermittetur, ut simul liquefacta permiscere se possint: deinde in mortarium marmoreum diligenter colata mutabuntur; quæ adhuc tepentia diligentissimè conterentur; quæ cùm densari cœperint, dum adhuc calida erunt, ita ut calor sustineri manibus possit, succos supra scriptarum herbarum superfundes, & iterum diligentissimè teres; & priusquã penitus desinat calor, præparatum de speculari puluerem mittes: Itaque omnia simul mixta, & diutissimè trita, atque ad summam leuitatem redacta, in uitreo uasculo reponentur. hoc emplastrum utile his rebus, ad podagram, & neruorũ dolores, contractionesque, ad luxa, uel fracta, ad pustulas omnes, ad duricies omnes, præcipuè ad mammarum uitia, ad carcinomata, ad glandulas, ad uulnera omnia quolibet modo impressa, uel uetusta, uel recentia, ad lumborum, & ilij dolorem, ad scapularum dolorem, ad phthisicos, ita ut emplastrum hoc inducant, & caldam aquam mulsam bibant. ad dentium dolorem, ad gingiuarum carcinomata, ad capitis, & oculorum dolores, ita ut emplastrum dolentibus oculis superponatur. ad membrorũ dolores contusionesque, ad omnia omnino, præcipuè ad podagram, & ad neruorũ offensiones placandas, res saluberrima est. Descriptio acopi, quod diacissu dicitur, accipit hæc. baccas lauri uirides C. cupressi C IX. herbæ sabinæ P. I. roris marini P. I. fœnigræci 8. I. hæc omnia diligentissime tunsa, atque trita, infundes in aquæ pluuialis 8. III. & olei P. IX. atque illic triduo commacerandа esse patieris. tum lento, ne adurantur, igni, tam diu coquentur, quousque mensura aquæ, quæ missa fuerit, excoquatur; tum omnia colabuntur, atque his adijcientur hederę communis siccæ — IIII. diligenter tunsæ cribratæque; nec non, & resinæ astlosæ P. IIII. ceræ pondo II. permixtis omnibus, atque igne liquefactis medicamẽtum paratum in uitreo doliolo reponetur; ex quo, si quę doluerint corporis partes, perunctę, & confricatę, sanitati citò restituentur; mulieribus etiam, cùm cessauerint tempora, si aut ad lumbos, aut ad imum uentrem ponatur, menstrua statim prouocabuntur; necnon, & calculos mouet, si ex eo ilium, aut uenter imus fricetur; podagrę quoque prodest, si uel mane, uel nocte pedes ex hoc medicamine perfricentur. Descriptio ceroti, siue emplastri podagrę, & articulis, & neruis, & multis rebus infrà scriptis satis utilis, sic. seui taurini P. III. resinæ frixæ P. II. specularis exusti P. II. ceræ ponticę P. II. olei mollis P. I. S. succi marrubij — II. succi plantaginis — II. succi uerbenæ — II. succi mentæ — II. succi symphoniacę uncias duas, succi phlomi — II. quę herba longa, & lata & mollia, & lanosa folia habet, & thyrsum longum lanosum facit; quę gręce dicitur hermu rabdos. seuum, uel cera, uel resina separatim lentissimo igne soluuntur colanturque, & in caccabo postea cum supra scriptis

ptis speciebus miscentur; deinde simul decoquuntur; postea additur oleum, & iterum modicum feruorem ducit. deinde remoto ab igni caccabo, mittitur puluis specularis exusti, & diutissime agitatur: Tum medicamen adhuc pseudo calidum diffunditur in mortarium, & illic diutissime manibus subigitur. atque inde in pyxide, aut in doliolo uitreo reponitur, quod medicamentum ad omnes collectiones, & glandulas & parotidas, & strumas, & ad omnes tumores, & ad omnes pustulas, & ad omnia uulnera sananda potentissimum est, nec non, & ad stomachi, & uiscerum uitia, & ad lateris, & renium, & lumborum, & coxarum dolores efficacissimum est: Neruis quoque placandis, & luxaturis, & fracturis solidandis utilissimum est.



Quod natum Phœbus docuit, quod Chiron Achillem,
Quod didicêre olim Podalirius, atque Machaon
A genitore suo, qui quondam uersus in anguem,
Templa Palatinæ subijt sublimia Romæ.
Quod Cous docuit senior, quodque Abdera suasit.
Quod logos, aut methodos simplexque empirica pangit,
Hoc liber iste tenet, diuerso è dogmate sumptum.
Namque salutiferas disponit pagina curas.
Isthic repperies per nomina, perque medelas,
Descriptas species, & pondera mensurarum
Congrua, quæ sapiens sumes moderamine certo.
Ne fallare, uide, neu quæ sunt parta saluti,
Vertat in exitium non solers cura medentis.
Sume igitur medicos, pro tempore, proque labore,
Aetatisque habitu, summa ratione paratos.
Gramine seu malis ægro præstare medelam;
Carmine seu potius, namque est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula uerbis.
Quæ curis hominum physicorum inuenta pararint,
Quæque suis natura bonis terraque marique
Edidit illa suis altrix simul atque creatrix
Fœtibus omnigenis, quos parturit; ergo salubres
Suggerit impensas ponto, & tellure creatas,
Angue, fera, pecude, & fruge, alite, murice, pisce,
Lacte, mero, pomis, lymphis, sale, melle, & oliuo,
Succis, unguinibus, tædis, pice, sulfure, cera,
Polline, farre, fabis, lino, scobe, uellere, cornu,
Baccis, & balanis, lignis, carbone, fauilla,
Floribus, & uarijs herbis, holere atque metallis,
Sandice, & creta, psimmytho, pumice, gypso,
Cadmia, chalciti, chalcantho, chalco, & adusto,
Cassitero molli, lepide cypria, atque atramento.
Prome etiam, seu tunde prius, seu contere gyro,
Quod uiride hortus habet, uel quod carnaria siccum,
Allia, serpyllumque herbas, thymbramque salubrem,
Brassicaque, & raphanos, ac longis intyba fibris,
Et mentam, & sinapi, coriandrum, prototomumque
Erucam, atque apium, maluam, betamque salubrem,
Rutamque, & nasturcum, & amara absinthia misce,
Pulegiumque potens, necnon, & lene cyminum.
Palmula nec desint Idumes, nec pruna Damasci:
Quæ cùm multiplici contriueris orbe terendo,
In patinis excocta dabis, aut grandibus ollis:
Verùm adoperta coques, ne fumida iura saporem
Corruptum reddant, quæ mox fastidiat æger.
Adde, & aromaticas species quas mittit Eous,
Vel quæ iudaicis fragrant bene condita capsis;
Tus, costum, folium, myrram, styracem, crocomagma,
Aspalathum, gallam, elleborum, nigrumque bitumen,
Et nardum, & casias, & amoma, & cinnama rara,
Balsama, peucedanum, spicam, crocum, atque bedellam,
Irim, castoreum, scillamque, opium, panaceam,
Resinam, lepidum, euforbium, git, atque pyretrum,
Zingiber, & calidum, mordax piper, & laser algens,

Agaricumque, asarumque potens, aloen, aconitum,
Galbana, sandaracam, samsucum, psoricum, alumen,
Acaciam, propolimque, & adarchen, cnicon, acanthum,
Andrachnen, acoronque, opopanaca, pompholygemque,
Cyperum, ladanum, sagapenonque, & tragacanthum,
Scammoniam, cypen, malabathron, ammoniacon.
Denique repperies istic, quod lucis in ortu,
Indus, Arabs, Seres, Persis, diuesque Sabæus,
Vicino sub sole legunt, quod præbet Orontes,
Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu,
Decerptum folijs, ramo, cute, cortice, uirga:
Quodque ab Idumæis uectum seplasia uendunt;
Et quidquid confert medicis lalagea cataplus.
Hęc quicunque leges, poteris discernere tecum,
Agnoscenda magis, siue exercenda rearis.
Quisque tamen nostrum hoc studium dignabere, quæso,
Prestes iudicium purum, mentemque benignam.
Sic tua perpetuo uegetentur membra uigore,
Et peragas placidam per multa decennia uitam.
Sic non incuses ualidam placitamque senectam:
Nec tibi sit medicis opus unquam, nec tibi casus,
Aut morbus pariant ullum quandoque dolorem:
Sed procul a curis, & sano corpore uiuas;
Quotque hic sunt uersus, tot agant tua tempora Ianos.

Marcelli de medicamentis libri finis.

Verg. Marcellus Burdigalensis, medicus, haud scio an idem (opinor) qui Dioscoridem Latinum fecit, doctis commentariis illustrauit, hoc syntagma, uelut farragine remediorum undique compilauit, maxime & plurima ab Empiricis mutuatus, ... superstitiosa, uana, ridicula, notulis & ... incognitis uocibus & uerbis sepe barbaris & ... risu uel cachinnis digna, omnia ... confuse, sine ordine, uelut in aceruum congessit. In quo euoluendo, plus uoluptatis, an laboris perceperim, uix satis scio: hoc tamen scio, plurima magno cum fructu legisse & didicisse. Et quidem, quod in ... multa uitiosa correxi, elimaui, obscura illustraui, distinxi, restitui, & uelut in suam classem reduxi: quo facilius ad manum omnia ueniant, si quando usus postulet; &, si ita uidebitur, typis nouis emendatiora prodeant. ... 1574.

V. ic. Vanecelius medicus perlegi.

SCRIBONII LARGI, MEDICI VETVSTISSIMI, DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM LIBER.

SCRIBONIVS LARGVS CAIO IVLIO CALISTO SVO S.

NTER maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta diuinum munus esse. Et id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio. Prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id prȩstant medicamenta, usu, experientiaque probata. Animaduertimus itaque sæpe inter deliberationes, contentionesque medicorum auctoritate præcellentium, dum quæreretur quidnam faciendũ, aut qua ratione succurrendum esset ęgro; quosdã humiles quidem, & alioquin ignotos, usu uerò peritiores, &(quod fateri pudet) longe summotos a disciplina medicinæ, ac ne ad fines quidem eius professionis, medicamento efficaci dato, protinus uelut præsenti numine, omni dolore, periculoque liberasse ægrum. Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia, effectuque medicamentorum ita adpellatam. Probandi autem, qui omni modo succurrere periclitantibus student. Ego certe aliquoties magnum scientiæ consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamentorum, multosque ex eadem causa non mediocrem gloriã tulisse memini. Est enim hæc pars medicinæ ut maximè necessaria, ita certe antiquissima, & ob hoc primũ celebrata, atque illustrata. Siquidem uerum est, antiquos herbis, ac radicibus earum, corporis uitia curasse: quia etiam tunc genus mortalium inter initia non facile se ferro committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes: & nisi magna compulsi necessitate, speque ipsius salutis, non patiuntur sibi fieri, quæ sane uix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludant medicinam, & usum medicamentorum, non inuenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. Siue enim nullum experimentum eius generis remediorũ habent, meritò accusandi sunt, quòd tam negligentes in tam necessaria parte fuerint: siue experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt. Qui crimine inuidentiæ flagrãt, quod malum cùm omnibus animantibus inuisum esse debet, tum præcipue medicis; in quibus nisi plenus misericordiæ, & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis uoluntatem, omnibus dijs, & hominibus inuisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinæ legitime est obligatus; sed persequetur eos, cùm res postulauerit, ut miles, & ciuis bonus omnimodo: Quia medicina non fortuna, neque personis homines æstimat, uerùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur, nullique unquam nocituram profitetur. Hippocrates conditor nostræ professionis, initia disciplinæ ab iureiurando tradidit: in quo sanctum est, ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonstretur a quoquam medico, longe præformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim nephas existimauerit, spem dubiam hominis lædere, quantò scelestius perfecte iam nato nocere iudicabit? Magni ergo æstimauit nomen decusque medicinæ conseruare, pio sanctoque animo quenque secundum ipsius propositum se gerentem. Scientia enim sanandi, non nocendi est medicina. Quæ nisi omni parte sua plene incumbat in auxilia laborantium, non præstat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo qui prodesse adflictis, aut nolunt, aut nõ possunt, aliosque deterrent, negando ægris auxilia, quæ per uim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primùm cibis, ratione, aptoque tempore datis, tentat prodesse languentibus. Deinde, si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit uim. Potentiora enim hęc & efficaciora, quàm cibi. Post ubi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduersæ ualetudinis, tunc coacta, ad sectionem, uel ultimò ad ustionem deuenit. At Asclepiades maximus auctor medicinæ, negauit ægris danda medicamenta: Quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamen (si uerum id esset) dicere: Viderit Asclepiades quid senserit; forsan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo fuit, parum feliciter se in hoc negotio gessit. Non deterreor persona, cùm rem tam manifeste prodesse uideam. Nunc uerò cùm tam impudenter comminiscantur de eo, quid possum ultrà dicere, nisi genere quodam, parricidium, ac sacrilegium eos cõmittere, qui hęc dicunt? Ille enim febricitantibus, uitijsque præcipitibus correptis, quæ ὀξυπαθῆ Græci dicunt, negauit medicamenta danda, quia cibo uinoque apte interdum dato, remediari tutius eos existimauit. Cæterùm in libro qui παρασκευαστικῶν, id est, præparationum inscribitur, contendit, ultimæ sortis esse medicum, qui nõ ad singula quæque uitia, binas ternas'ue compositiones, & expertas, protinus paratas habeat. Vides ergo quàm non placeat Asclepiadi usus medicamentorum? cui nisi plura quis ad quodque genus uitij medicamenta composita habeat, non uidetur dignus professione medicinæ. Sed ista licentia, nomine tantummodò medicorum, propter quorundã negligentiã, latiùs processit. Rarò enim aliquis priùs quàm se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat: cùm interim nemo ne imaginem quidem suam cõmittat pingen-

dam, nisi probato prius artifice per quædam experimenta, atque ita electo. Habent itaque omnes pondera atque mensuras exactas, ne quid erroris in rebus non necessarijs accidat: uidelicet, quia sunt quidam, qui pluris omnia, quàm seipsos æstimant. Itaque sublata est studendi cuique necessitas; & nõ solùm antiquos auctores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam cõminisci falsa de his audent. Vbi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur; quod sine labore potest contingere, idemque dignitatis utilitatisque præstare uidetur posse, unusquisque id magis sequitur. Sic, ut quisque uolet, faciet medicinam. Quosdã enim à peruerso proposito nemo potest mouere; & sane omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. Multos itaque animaduertimus, unius partis sanandi scientia, medici plenum nomen cõsecutos. Hos uerò ab initio rectam uiam secuti, nihil prius totius artis perceptione, quæ homini permittitur, iudicauimus: Quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus: non mediusfidius, tam ducti pecuniæ, aut gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis scientia. Magnum enim, & supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, & recuperare suã, & uniuscuiusque bonam ualetudinem. Itaque ut cæteris partibus disciplinæ, ita huic quoque, quæ per medicamenta uirtutem suam exhibet, curiosè institimus: eò magis, quòd percipiebamus indies ex usu, profectus eius: quos interdum supra fidem, atque opinionem plurimorũ exhibebamus. Sed quid ultrà opus est probare, necessarium usum esse medicamentorum? præcipuè tibi, qui, quia percepisti utilitatem eorum, idcirco à me compositiones quasdam petijsti. Ego autem memor humanitatis tuę candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plenè, mihi autem etiam peculiariter pręstas, non solùm quas desiderasti, uerumetiam si quas aliàs expertas in pręsenti habui, in hunc librum contuli. Cupio enim mediusfidius, qua possum, tuę in me tam perseueranti beneuolentię respondere, adiutus omni tempore à te, pręcipuè uerò his diebus. Vt primùm enim potuisti, non es pássus cessare tuę erga me pietatis officium, tradendo scripta mea latina medicinalia, Deo nostro Cęsari: quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres, simpliciterque indicares mihi, quid sentires: plurimũ enim iudicio tuo tribuo. Tu porrò candidissimo animo, & erga me beneuolentissimo, diligentiam meam sub tanti nominis editione, non uerbis, sed re probasti: periculumque non minùs tui iudicij, quàm ego styli, propter me adísti, quo tempore diuinis manibus, laudando consecrasti. Fateor itaque libenter, unicas me tibi gratias agere, quòd & prius quàm rogareris, cõsummasti amicissimo adfectu uota mea; quod contigit mihi fauore plenissimo tuo, maturiorem percipere studij huius mei fructum, ac uoluptatem. Ignosces autem, si paucæ uisæ tibi fuerint compositiones, & non ad omnia uitia scriptæ. Sumus enim (ut scis) peregrè, nec sequitur nos nisi necessarius admodùm numerus libellorum. Postea tamẽ, si & tibi uidebitur, ad singula quæque uitia plures compositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam habere: Quoniam reuera quædam quibusdam magis, & non omnes omnibus conueniunt, propter differẽtiam scilicet corporum. Quarũ initium à capite faciemus (summũ enim & primum locum hoc obtinet) dantes operam, ut simplicia primò ponamus. Interdum enim hæc efficaciora sunt, quàm ex pluribus composita medicamenta. Erit autem nota denarij unius pro gręca drachma; ęquè enim in libra ⁎ denarij octogintaquatuor apud nos, quot drachmę apud Gręcos incurrunt. Primũ ergo ad quæ uitia compositiones exquisitæ, & aptę sint, subiecimus, & numeris notauimus, quò facilius quod quæretur, inueniatur. Deinde medicamentorum, quibus compositiones constant, nomina, & pondera uitijs subiunximus.

SCRIBONII LARGI COMPOSITIONES MEDICAE.

AD CAPITIS DOLOREM. COMPOSITIO I.



AD capitis dolorem, etiam in febre, primis diebus benefacit serpylli pon. quadrans, rosæ aridæ pon. quadrans. Hæc incoquuntur duobus sextarijs aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. Inde sumitur cyathus, & in duobus rosæ commiscetur, frequenterque ex eo curatur caput; ubi enim concaluit, quod infusum est, nisi aliud recens adijciatur, nocet. II.

Item prodest eodem modo ruta per se, uel cum hederæ baccis decocta. Polygonium quoque, & menta multis profuit, ea ratione decocta, & infusa capiti dolenti. sphondylion, & agni semen, & platani pilulæ similiter aceto incoctæ, rosæque folia residuo aceto commixta. III.

Cùm autem pluribus diebus permanserit dolor, tum omnium supradictorum oportet uncias singulas sumere, ijsque admiscere lauri baccarum, castorei, nucum amararum, pulegij, sampsuci foliorum, singulorum uncias, & aceti sextarios tres decoquere ad dimidias. Eodē modo rosa admixta, non tamen frequenter, caput curare. IIII.

Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest, crocomagmatis pondo sextans, aluminis fissi, uel gallæ P. uncia. Hæc terere ex aceto, & rosa uicibus adiecta oportet, usquedum mellis habeat spissitudinem, inde frontem, & utraque tempora oblinere. V.

Ad capitis dolorem, cùm inueterauerit, benefacit hæc compositio: Myrrhæ ⚹ P. I. croci ⚹ P. II. amygdalorum amarorum ⚹ P. II. rutæ uiridis ⚹ P. III. sphondylij ⚹ P. I. panacis ⚹ P. I. laurus baccarum ⚹ P. III. serpylli ⚹ P. II. castorei ⚹ P. I. Teruntur hæc omnia aceto, & fiunt pastilli; cùm opus est, diluuntur aceto, & rosa, in mellis spissitudinem, atque ita frons, & tempora illinuntur. VI.

Oportet uero permanente capitis dolore, materiam quoque detrahere ex eo per nares, uel os. Quæ res etiā auriculæ, uel dentibus dolentibus prodest. Nec minus quibus subitæ uertigines obuersantur, quos σκοτωματικοὺς Græci dicunt. Item comitiali morbo correptos, & caligine impeditos ex magna parte leuat. Debent autem ij omnes pridie abstinere, & superioribus diebus aquam potare. VII.

Per nares ergo purgatur caput ijs rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes uocatur: Hederæ succo per se, uel betæ succo, cū exiguo flore æris, uel cyclamini succo mixto lacte, aut aqua pari mensura. VIII.

Bene detrahit è naribus liquorem, & hæc compositio. Salis, nitri, mellis, aceti, olei ueteris, singulorum ⚹ P. binum, cyclamini succi, σταφίδος ἀγρίας, quam herbam pedicularium, quòd pediculos necat, quidam appellant, singulorum ⚹ P. I. Hæc in unum mixta, naribus per cornu infunduntur, uel pinna longiore nares interius perfricantur. Cùm satis uisum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet, uel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit. IX.

Sed si per os magis detrahere materiam uisum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deducetur, suadebimus pyrethi radiculam commanducare, atque subinde hiantem pati fluere saliuam: uel uuam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam, & expuendam: æquè enim, & hęc deducunt pituitam. Benefacit & sinapi ex aceto tritum, & non excastratum, gargarizatum trium cyathorū mensura, admixto mellis P. quadrante: detrahit enim largiter pituitam. X.

Prodest cùm diu caput dolet, adtondere ad cutem, & radere, & diutius siccum ad relaxationem cutis fricare, & aqua calida fouere pura, uel laurum incoctam habente. Quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus componitur: Veratri albi, castorei, struthij, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum ⚹ P. I. hæc contusa tenuiter forato cribro transmittuntur: cùm opus fuerit, per pinnam, uel calamum scriptorium naribus sufflentur, uel specillo tincto in aquā, & excusso, tacta naribus inijciantur. Proritat sternutamentum etiam per se contusum, & eadem ratione iniectum ueratrum album. Nigrum, siccum, & aridum sternutationem statim inuitat. XI.

Capitis dolorem quemuis ueterem, & intolerabilem protinus tollit, & imperpetuum remediat torpedo uiua nigra, imposita eo loco qui in dolore est, donec desinat dolor, & obstupescat ea pars: quod cū primum senserit, remoueatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures autem parandæ sunt eius generis torpedines: quia nonnunquam uix ad duas, tres'ue respondet curatio, id est, torpor, quod signum est remediationis.

Ad comitialem morbum. XII.

AD comitialem morbum, quem Græci ἐπιληψίαν uocant, herbam quam ijdem πολύνευρον, nos nerualem appellamus, oportet ieiunum quamplurimum uiridem comesse, à prima luna ad tricesimam. Hæc eadem herba ebrio data copiosa, in crapula uinum discutit, mentemque restituit. XIII.

Item hinnulei cerui coagulum intra nouem dies exceptum, benefacit ad morbum comitialem. Intelligitur autem dierum numerus ex eo, quòd iacent aures simul eorum primis temporibus, à nono enim die subriguntur. Oportet ergo sumere tunc coagulum, & arefacere, quo neque Sol, neque Luna accedit, atque inde dare pueris uiciæ magnitudinis globulum, ex aquæ caldę cyathis duobus: maioribus uero natu fabæ solidæ magnitudine, ex aquæ caldæ cyathis tribus per dies triginta. Donentur autem aquæ puræ supra medicamentum cyathi duo, aut tres. Hoc remedium qui monstrauit, dixit ad rem pertinere, occidi

hinnulum cultro, quo gladiator iugulatus sit. XIIII.

Constat inter plures, & crocodili testiculum ✱ P. I. aut uictoriati, per dies triginta ex aquæ cyathis tribus sumptum, multos remediasse. XV.

Ad recentem comitialem morbum citò proficit, ad ueterem tardius, tymi albi ✱ P. III. ex aceti cyathis tribus, & mellis boni pondo uncia, ut dilutum ieiunus bibat per dies quadragintaquinque. Sed cum biberit, citatus ambulet milia passuum minime duum. XVI.

Scio Romæ quandam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: eboreæ scobis hemina, mellis Attici pondo libra; hæc in unum miscentur: Postea adijcitur, si puer fuerit, qui laborat, testudinis masculæ, palumbi masculi, utrorunque ferorum, id est, nuper captorum sanguis, quantum fluxerit, dum uiua utraque animalia dimittantur. Sin autem puella fuerit, fœminei generis animalia sint, & eodem modo capta, sanguine effuso emittantur. Oportet autem clauum Cyprij æris acutum demittere in iugulum testudinis, & palumbi uenas, quæ sub alis sunt, ære acuto incidere. Hoc medicamentum ligneo uase seruatum reponitur: Cùm opus fuerit, dátur ex eo, lūnā decrescente, per continuos dies triginta, primùm cochlearia tria, deinde quinque, deinde septem, deinde nouem, summùm undecim, & rursus nouem, deinde septem, deinde quinque, postea tria; & iterum augetur, minuiturque numerus cochleariorum, donec dies triginta antedicti consumantur. Postea oportebit scobis eboreæ heminam per duos menses consumere uitio correptum, accipientem ex ea terna cochlearia in die, ex aquæ cyathis tribus. Hoc medicamento qui utitur, neque uinum, neque suillam gustet. Præterea habeat in brachio uerua eborea. Nam sunt, & qui sanguinem ex uena sua missum bibant; aut de caluaria defuncti terna cochlearia sumant per dies triginta. XVII.

Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam nouies datam consumant. Quæque eiusdē generis sunt, extra medicinæ professionem cadunt, quamuis profuisse quibusdam uisa sunt. XVIII.

Illud tamen non oportet ignorare, sanari hoc uitium cùm cognitum est, aliquibus, uiros facilius mulieribus remediari; pueros, uel uirgines liberari post complexum, & deuirginationem.

Collyria composita leuia. XIX.

AD conturbationes, & epiphorás oculorum, scio multa collyria, tametsi tardè, magnos tamen effectus habere. Sed nulli collyriorum tantum tribuo, quantū lycio Indico uero per se. Hoc enim inter initia, si quis hoc collyrio inungatur, protinus, id est, eodem die, & dolore præsenti, & futuro tumore liberabitur. Superuacuum est autem nunc laudes eius referre; in alijs enim expertus, intelliges simplicis rei uix credendos effectus. XX.

Oportet uerò minime quater, quinquies ue ex interuallo inungere, deinde cùm combiberint oculi ad singulas inunctiones, eaque quā poterint sustinere calidissima, spongijs expressis uaporare eos diutius, eodemque die in balnea ducere; ita ut cum cætero corpore, caput quoque, & facies calida immergatur, & foueatur; uinoque uti ut quisque assuetus est. Postero die, si qua uestigia epiphoræ remanserint, inungere collyrio aliquo acriore aquato sub uespere, & rursus in balneum deducere, & uinum dare eodem modo. Ferè enim uno die tollit epiphoram, & pręcipuè incipientem, neque adhuc alio medicamento tactam. Sed si ea uis fuerit epiphoræ, ut non cedat uno die, spectare oportebit, donec impetus sedetur, & ita in balneum deducere, cæteraque facere quæ præcepimus. Idem hoc medicamentum etiam supra perunctum, tardius quidem, sed eosdem effectus præstat, maximè in teneris corporibus, ut mulierum, & puerorum, quorum oculi, nullius medicamenti uim sustinent; triduo enim, aut plerunque quatriduo tollit dolorem, adiutum oui infusione, & aquę calidæ uapore. XXI.

Item compositorum collyriorum hoc maximè probo ad recentes epiphoras, & conturbationes oculorū, tumoresque, & dolores: Aloes Indicæ ✱ P. IIII. croci ✱ P. II. opij ✱ P. I. gummis ✱ P. IIII. plantaginis succi cyathos tres. Terere oportet per se crocū diligenter, deinde cætera admiscere, pridie macerata succi plantaginis cyatho, atque ita reliquis duobus cyathis admixtis, cùm spissata fuerint, fingere collyria. Vtrunque autem genus medicamenti eximiè prodesse iudico, proprietate quidem quadam, sed pręcipuè, quòd nullam in se asperitudinem habet, ut pleraque quibus ferè inunguntur homines. Nam quæ ex cadmia, aut ære usto, eiusdemque generis pigmentis componuntur, quamuis curiosè terantur, naturam suam tamen amittere non possunt. Nunquam enim, ut succus diluuntur; sed cùm in summam subtilitatē deduci non possint, perseuerantia tamen terentiū, corpora quasi puluerulenta necesse est maneant. Quorum uerò partes uelut configunt, certè exterius pungunt foramina prima, & tuniculam oculi, atque initijs interdum non tam molestam futuram concitant epiphoram. XXII.

Quod nomine etiam quidem Diaglaucium dicitur, probo in initijs. Nam & hoc, genere quodam ex eadem materia constat, nec ullam asperitudinem habet, quando sic componitur: croci ✱ P. V. sarcocollę ✱ P. X. glaucei succi ✱ P. XX. tragacanthi ✱ P. V. opij ✱ P. V. Et hoc enim ego adijcio, & ita melius respondet, scilicet opium, & in hoc, & in omni collyrio, medicamentoque. Verum adijcere oportet, quod ex lacte ipso syluatici papaueris capitum fit, non ex succo foliorum eius, ut pigmentarij institores, eius rei compendij causa faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc sine molestia & abundanter teritur. Ante omnia, crocum aqua pluuiatili; deinde adijcitur sarcocolla, glaucium, opium, tragacanthum, prius omnia seorsum macerata non multa eius generis aqua, ut quā primum, id est (si potest

test fieri) eadem die fingantur collyria;solet enim diu neglectum mortario inarescere. His uti primis diebus collyrijs,non cęteris auxilijs prout res postulat,abstinendo dico sanguinis detractione,meliusque eam, cæteris proficere adfirmo.

XXIII.

Cum uerò pluribus quis diebus uexatus fuerit epiphora cum perseuerantia tumoris, & pituita ipso calore oculorum glutinosior uisa fuerit (quod ferè sexto septimoque die accidere solet) tum proderunt & ea,quorum genus superius improbauimus,composita ex rebus metallicis. Facilius enim iam patiuntur oculi (si modo exulcerati non fuerint) iniuriam . Quorum præcipuè hoc mihi placet , quod à colore κιῤῥὸν dicitur. Accipit autem hæc,æris usti ✱ P.XII.cadmiæ ustæ ✱ P.XII. stibij cocti ✱ P.XII. acaciæ chylismatis ✱ P.VI.aloes ✱ P.III.opij ✱ P.II. croci ✱ P.III. castorei uictoriati P.myrrhę,licij,idem scilicet ponderis,commis ✱ P.XVIII. aqua pluuiatili,quæ sunt durata,diu teruntur,donec leuissima fiant,postea cętera alio mortario singula trita admiscentur;dum tollendum est,commi adijcitur.Hoc quidem etiam in initijs utuntur,cum oui aquato liquore per se,uel cum collyrio,quod à cinereo colore σποδιακὸν appellatur.

XXIIII.

Collyrium spodiacum à quibusdam cinereum dicitur;componitur autem ex his, cadmiæ botryitidos ustæ super testam,donec incandescat,& uino falerno extinctæ ✱ P.XL. cretæ samiæ, quam uocant astera ✱ P.LXXX.stibij cocti ✱ P.XX. opij ✱ P.X.commis Alexandrini ✱ P.XX. Teruntur hæc omnia aqua pluuiatili,commi ultimum adijcitur;ante hoc, cùm cætera leuia sunt facta , opium miscetur maceratum pridie aqua. Facit hoc per se etiam initio,cùm tenuis abundansque fluit lachryma, & pustulæ molestæ sunt,aut cùm prima tunica oculi exesa est,aliáue exulcerata . Cùm purum ulcus est , diluitur ferè oui albore,quod est tenuissimum.

XXV.

Ad sordida hulcera oculorū,crustasque habentia,quas ἐσχάρας uocant,item carbunculos,quos ἄνθρακας dicunt,facit bene, & per se mel Atticum pyxide Cyprij æris conditum , & repositum mensibus duobus; nec minus;quanto enim diutius remanet,efficacius fit.

XXVI.

Sed præcipuè hoc collyrium,quod quidam Athenippum, quidam Diasmyrnes, quidam εὐώδες uocant,quia boni odoris est. Sed præcipuè hoc,quod etiam ad pustulas,papulasque, & suppurationes oculorum facit,& ad cicatrices non ueteres,& ad palpebrarum recentem, aut in corporibus tenuioribus asperitudinem.Oportet autem eo ad sordida hulcera diluto cum oui albo,id est,aquatissimo uti,deinde cùm lachrymæ fluere desierint,cinereo superinungere. Item ad pustulas ex ouo tritum facit. Ad papulas uerò, & ad dolores cum rubore,& distentione oculi sicca,cum lacte muliebri,& ex aqua. Aut ad cicatrices recentes extenuandas,& palpebrarum asperitudinem tollendam,subiecto scilicet specillo,aut inuersa palpebra, si quis eo utatur.Componitur autem ex his;Pompholygis lotæ ✱ P.VIII.æris usti ✱ P.VIII.croci ✱ P.IIII.myrrhę ✱ P.III.nardi ✱ P.sex semis,& uictoriati,lapidis hæmatitis ✱ P.II.& uictoriati, piperis albi grana decem,opij ✱ P.I.aut uictoriati,commis ✱ P.X.teritur uino Chio.

XXVII.

Collyrium Psittacinum à colore ita dictum,facit ad epiphoras,quæ cum tenui, & acri lachryma consistunt.Item ad ustiones,& solutas cicatrices,& uastum tumorem, quē quia à loco interdum uidetur propellere oculum, πρόπτωσιν uocant,cū oui albo quod est teuue. Sed præcipuè facit,cum quasi sanguine suffusi sunt oculi,& ob id nullum nisi leuissimum collyrium patiuntur;recipit autem hęc,Croci ✱ P.IIII. cadmiæ ✱ P.IIII.stibis ✱ P.IIII.opij ✱ P.II.commis ✱ P.II.amyli,& recentis, & dulcissimi ✱ P.IIII.Eodem modo,quæ scripta sunt,in mortario debent teri ex aqua pluuiali. Amylum autem cū iam fingendum erit collyrium,adijcietur. Interdum & hoc superinungātur,qui prius Athenippo curati sunt. His ferè collyrijs leuibus omnia quæ circa oculos cum tumore,& dolore fiunt,remediamus.

Collyria acria. XXVIII.

Acrioribus autem ijs ad cicatrices extenuandas,& palpebras asperas; quod quia ex quatuor rebus ut quadriga equis constat,& celeres effectus habet, ἅρμα dicitur. Recipit autem hæc,æris usti ✱ P.IIII.thuris arboris corticis ✱ P.IIII.ammoniaci guttæ ✱ P.IIII.commis ✱ Pond.IIII. Teruntur ex aqua pluuiali.

XXIX.

Hoc etiam superunctum,ad puerorum epiphoras,& qui non sufferunt inunctionē,facit,ut huiusmodi medicamenta,quæ τριχεισὰ uocant.Croci siculi pondo uncia,commis pondo uncia;hæc aqua teruntur, fiunt collyria.

XXX.

Est & hoc medicamentum satis efficax,quo ita oportet palpebras perungere, ne quid intra oculum fluat.Recipit autem hæc,Croci siculi ✱ P.III.crocomagmatis ✱ P.XII. thuris ✱ P.III.aluminis rotundi ✱ P.VI.opij ✱ P.I.myrrhæ ✱ P.II.commis ✱ P.III. Vino falerno teruntur; cùm leuia facta sunt,& crassitudinem habent mellis spissi,adijcitur passi cretici P.sextans,reponitur pyxide stagnea; si passum adiectum non erit,collyrium erit.

XXXI.

Benefacit & hoc medicamentum,quo Augustus usus est , & recipit hæc,Aluminis fissi ✱ P.XL. thuris candidi ✱ P.X.aloes ✱ P.XV.croci ✱ P.XV.opij ✱ P.II.gallæ ✱ P.X. rosæ foliorum aridorum ✱ P.X.plantaginis succi,uel seminis ✱ P.X. Vino falerno teruntur;cùm leuia facta sunt,& spissitudinem mellis habent. Adijcitur passi sextarius,aut hemina,aut rursus commiscetur. Reponitur uase stagneo,uel argenteo.

XXXII.

Collyrium psoricum ad caliginem,& ad asperitudinem oculorum , siccamque perturbationem sine

tumore, quam ξηροφθαλμίαν appellant. Facit hoc collyrium bene, quod psoricon dicitur. Habet autem hæc Croci ✱ pond. XII. psorici ✱ P. XXIIII. psimmithij ✱ P, IIII. opij idem, piperis albi idem, commis ✱ pond. VI, aqua pluuiali commiscentur, teruntur. XXXIII.

Stratioticum collyrium ad asperitudinem, & caliginem. Recipit autem hæc, psimmithij ✱ P. VI. piperis albi ✱ P. I. omphacij ✱ P. II. cadmiæ ✱ P. III. opobalsami ✱ P. II. opij ✱ P. I. commis ✱ P. II. teruntur aqua pluuiali. Collyrium hoc melius superiori ad caliginem facit. XXXIIII.

Stacton, quod uocant, ad eadem. Ferè autem mulieribus prodest. Habet hæc, cadmiæ ✱ P. XII. stibis ✱ P. VI. piperis albi P. II. mysis usti donec puniceum fiat ✱ P. II. æruginis rasæ ✱ P. I. & uictoriati, æris floris idem, commis ✱ P. V. aqua pluuiali teritur. XXXV.

Collyrium acre ad extenuandas cicatrices, & quamuis ueteres, caliginemque, & asperitudinem oculorum, quod semel inunctum, plurium dierum effectum præstat. Oportet autem eo aquato uti; diu enim tenet; ammoniaci guttæ P. libram, æruginis pon. libram, commis P. quadrantem, pluuiali aqua teritur ergo, postea cætera adiunguntur macerata aqua. XXXVI.

Collyrium quod propriè facit ad asperitudinem palpebrarum, & callositatem. Oportet subijcere specillum, aut inuertere palpebram; æris usti ✱ P. XXIIII. æruginis ✱ pond. VI. croci ✱ P. X. myrrhæ ✱ P. I. nardi spicæ ✱ pond. I. cassiæ rufæ fistularum uictoriati pond. piperis albi grana. XLV. commis ✱ pond. nouem, uino Chio teruntur. XXXVII.

Medicamentum liquidum ad palpebrarum ueterrimam asperitudinem, & excrescentem carnem, σύκωσιν quam uocant. Item callum durissimum; Hygram appellant, quia est liquidum medicamentum, carnem ex palpebris tollit sine magno dolore. Recipit hæc, Myrrhæ, thuris, croci, singulorum ✱ pond. III. mysios ✱ pond. III. chalcitis ✱ P. VI. Hæc teruntur diligenter aceto acri; ubi leuia facta sunt, & habent spissitudinem passi, miscetur eis mellis attici P. libra. Deinde in patella æris cyprij super carbones posita inferuescit, donec mellis habeat non nimium liquidam spissitudinem; atque ita reponitur pyxide æris Cyprij. Cùm opus fuerit, inuertitur palpebra, deinde hoc medicamento suffricatur curiose ad delachrymationem, id est ubi desierit mordere medicamē. Rursus inuertere oportet palpebram, atque ita pollice impresso mēbranas innatantes abducere, quæ facile subsecuntur. Post hæc, cinereo ex aqua inungendi erunt crassiore. Hoc inunctum, multorum annorum callos, & asperitudines palpebrarum desperatas à quibusdā oculariorum paucis diebus tollit. XXXVIII.

Hygra ad suffusiones oculorum, quas Græci ὑποχύματα dicunt, medicamentum liquidum. Fœniculi succi ✱ P. III. opobalsami ✱ pond. III. mellis attici ✱ pond. III. olei ueteris ✱ P. III. hyænæ fellis ✱ pond. I. euforbij ✱ P. I. Hoc, oleo diluitur, & ita cōmiscetur cæteris. Aquato uti oportebit hoc medicamento, est enim acerrimum, & undique humores trahit. Quamobrem non sunt inungendi qui capitis dolorem, aut grauitatem habent. Item ante biduum, aut triduum, ut aquam bibant, quos destinauerimus eo ungere. Quanquam melius facient etiam si perseueranter aquam potauerint; uitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt. Non præterit me, habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum in hoc libro scriptorum, contendant forsan se quoque habere eadem composita, sed si pondera, aut effectus comparare uoles, longè diuersos inuenies. Ego enim ipse eodem nomine multa composita, non ijsdem ponderibus, & rebus, interdum habeo, sed his maximè probatis utor. Nec utique adfirmo non posse, & alios eadem habere; nam & ipse ab alijs accepi, sed rarò. Scio quosdam ocularios simpliciter tradentes compositiones, meque multùm elaborasse, ut ueras, & incorruptas acciperem, cōscius sum mihi. Neque illud rursus dico, nouas & non aliquibus notas in hoc libro congesturum compositiones, uerumetiam quasdam diuulgatas, & (ut ita dicam) publicatas. Eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam ueniunt.

Ad aurium dolorem. XXXIX.

AD auriculæ, & tumorem, & dolorem sine ulcere prodest herbæ urceolaris, aut cucurbitę ramentorum succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus. Item bestiolę multorum pedum (quę tactæ conduplicant se in orbem pilulæ rotundissimæ similem, κατοικιδίους ὄνους aut πολύποδας Græci hoc genus animalium uocant) oleo domestico complures inferuefactæ uase ferreo, benefaciunt. Prodest & gliris pinguis, & gallinæ adeps, & medulla bubula, liquefacta, tepensque infusa. XL.

Sed præcipue picis flos, quod πισσέλαιον appellant, cum oleo communi mixtum, ita ut tertia pars sit olei. Nam & dolores sedat, & ferè non patitur suppurationem fieri: Et si facta fuerit, eadem res persanat. Ad summam, ego ipse diu uexatus ab aure, cùm multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus, & alios complures sanaui. Florem picis autem appello, quod excipitur dum ea coquitur, lana superposita eius uapori. Hoc etiam grauitatem odoris protinus tollit. XLI.

Item benefacit hoc medicamentum ad tumorem, & exulcerationem aurium; aceti acris sextarij duo, incoquuntur mala granata, quibus coriarij utuntur, quia semper ualida sunt, nec unquam maturescunt, ῥοὰς ὀξείας Græci dicunt, donec madida fiant. Tunc hæc adijciuntur, & admiscentur: Aluminis fissi uncia, acaciæ succi pond. quadrans. Reponitur medicamentum ampulla uitrea. Cùm opus est, ad tumorem quidem calidum per strigilem infunditur, deinde foramen summum lana succida tegitur. Ad ulcus autem frigidum, per eiusdem generis lanam, & auriscalpium inijcitur. XLII.

Si caro

SI caro excreuerit in foramine auris, compescitur sine dolore aut ferro hoc pastillo: Aluminis fissi pon. triens, æruginis pon. triens, misyos usti pon. triens, rubricæ sinopidis pon. triens, cõmis pon. sextãs. Teruntur priora ex aceto acri, donec quasi cùm collyrium componitur, lęuia fiant. Vltimum cõmi adijcitur: & fiunt pastilli, qui ad omnia hulcera faciunt, aqua diluti, cùm aut compescenda sint, aut cicatricem debeant ducere. Sed aquatioribus oportet uti, cùm cicatrix est cludenda. Benefaciunt & ad exhulceratas nares qualibet ex causa, & grauiter olentes.

Ad parotidas. XLIII.

AD parotidas conuenit noctuę cerebellum butyro mixtum: discutit enim ferè eas sine dolore & molestia. Oportet autem aqua marina feruenti, nouis spongijs demissis, & per linteum intortum utrisque expressis uaporare parotidem, atque ita oblinere hoc medicamento, superque tegere lana sulphurata totam maxillam. XLIIII.

ITEM bene discutit parotidas iris Illyrica contusa, cocta ex passo, more farinæ hordeaceæ, calda bis ter'ue imposita. XLV.

Discutit & hoc medicamentum parotidas, antequàm suppurauerunt: Spumæ argenteę pon. II. cerussæ P. libra, salis ammoniaci pon. libra, ęris floris pon. dodrans, aceti sextarius, olei ueteris sextarij duo & dimidium. Spumam & cerussam, salem per se & cum aceto terere oportet mortario, deinde oleo admixto traijcere in cacabum amplum, ne extrà fundatur, & efferuescat: efferuescit enim ualde. Cũ hęc super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit cacabum: cùm feruere desierit, paulatim aspergere ęris florem, & mouere spatha medicamentum, ne extra fundatur: & rursus coquere, donec habeat emplastri spissitudinem stricti.

Ad sanguinis eruptionem de naribus. XLVI.

Erumpit è naribus sanguis, qui cùm abundanter fluxit, nisi celerius supprimatur, periculũ adfert. Proderit ergo aqua frigida uel posca subinde aspergere totam faciem, uel spõgia refrigerare, acetum acre infundere in aurem, cuius è regione sanguis fluit: aut in utranque, si ex utraque sanguis emanauerit: gypso totam faciem cum fronte, & maximè nares crassè oblinire prodest: & caput frigida aqua copiosè, superposito aliquo tegumento, perfundere; uel cucurbitam occipitio adfigere. Inijcere autem intus narem aut nares oportebit cochleæ uiuæ carnem per se, aut cum thuris polline tritam: uel herbam quæ, quia multa est, & ubique nascitur, πολύγονον appellatur. Idem trita facit & κλυμένιον herba eodem genere. Proderit & spongię particulam præsectam, aptè forcipe ad amplitudinem & patorem narium figuratam inijcere paulò pressius ex aceto per se. Interdum aspergenda ei galla erit, uel chalcitis curiosè trita, uel utraque in unum æquis ponderibus mixta: melius enim facit. XLVII.

ITEM benè supprimit & hoc medicamentum: Mali corticis, quo coriarij utuntur, P. quadrans, aluminis ęgyptij P. sextans, chalcitis P. uncia. Hoc tritum per succidam lanam aspersum medicamẽtum inijcere oportebit. Facit autem etiam ad omnem ex qualibet corporis parte, seu uulneris sanguinisque eruptionem: quoniam interdum ita (ut diximus) minus curati, præfocati uidentur. Et maximè cum utraque obturata spissè necessariò sunt foramina narium, quà spirandi facultas eripitur, non alienum est scire qua ratione utrunque præstari possit, ut neque spiratio interpelletur, neque remedium efficacissimũ (quod per oppilationẽ narium efficitur) excludatur. Oportet ergo sumere pinnam anseris quammaximam, uel calami scriptorij fistulam modicè plenam: deinde aptare ad longitudinem nasi, atque ita præcidere utraque parte, ut perforata sit, inuoluereq́ue ex fasciola tenui lintea quasi insita explere circuitum eius, donec cum uideatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam, atque ita ut est circũuolutam mergere aceto acri & inijcere, interdum per se, uel asperso super acetum utro libuerit ante dictorum medicamentorum. Hoc autem remedio magis uti, cùm per utrasque nares sanguis abũdauit.

Ad hulcera in naribus. XLVIII.

AD hulcera in naribus, plumbi stercus, quod scoriam dicunt, ex uino & murteo oleo uicibus adiecto terere oportet, donec spissum fiat, & ita per pinnam nares obteguntur. XLIX.

FACIT & hoc medicamentum bene: Pompholygis ✱ P. IIII. cerussæ ✱ P. XII. hyssopi ✱ P. III. Vino falerno & rosa uicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam.

Ad polypos. L.

AD grauem odorem narium, ὄζαιναν Græci hoc uitium uocant: æruginis pond. quadrantem, aut squamæ æris P. quadrantem, aut utranque rerum ponderis sescunciæ in mellis despumati P. libra decoquere oportebit, & eo uti liquido per pinnam. LI.

AD polypos, misy ustum, chalcitis usta, æris flos, ustum sori, æris squama tusa, cribrata (si eo medicamento per pinnam sępius nares tactę, eiusmodi uitia attenuata, quotidie emendantur: cùm sint à cerebro) paribus ponderibus, sicca benefaciunt. LII.

SED quia plerunque uexantur nares grauedine, quæ tumore earum efficitur, non alienum este eius quoque remedia scire. Prodest igitur quies unius diei, & ab omni re abstinentia. Perungendæ nares erunt bitumine liquido, aut myrrha stacte, uel pice liquida. Postero die pastillus iste nocte super cibum dandus est: & si opus fuerit, per triduum continuum eodem tempore. recipit autem hæc: Apij seminis P. trientem, anesi P. quadrantem, alterci seminis, quod ὑοσκύαμον dicitur P. trientem, opij P unciã. Fiunt pastilli ponderis uictoriati: alijs parte tertia detracta dantur cum aquę cyathis tribus. Faciunt autem & ad oculorum epiphoras, & stomachi nauseam, & deiectiunculas, & ad omnem fluorem.

t

Ad dentium dolorem. LIII.

AD dentium dolorem quamuis plurimi dicant forcipes remedium esse, multa tamen citra hanc necessitatem scio profuisse. Itaque cum etiam exesus est aliqua ex parte, tum non suadeo protinus tollẽdum, sed excidendum scalpro medicinali qua cauatus est. quod sine ullo fit dolore: reliqua enim solida pars eius, & speciem, & usum dentis præstabit. Sed cùm dolor urgebit, uarie sedandus est, partim collutione quorundam, partim commanducatione, nonnunquam suffitione, aut impositione aliquorum. Prodest colluere os frequenter radice herbæ quinquefoliæ incoctæ in uino. Item herba urceolari, & cupressi baccis aqua incoctis. Alterci quoque radix, aut eiusdem semen linteolo spisso illigatum, & aqua sæpius inferuefactum, denti subinde adpositum. Item leuat æquè dolorem dentium, portulaca, commanducata ab ea parte qua non dolebunt: ut succus traiectus contineatur pusillo diutius, & solani succus tepens benefacit gargarizatus. LIIII.

SVFFIRE autem oportet ore aperto alterci semine carbonibus asperso, subinde os colluere aqua calida: interdum enim quasi uermiculi quidam eijciuntur. Leuat dolorẽ & bitumen suffitũ. LV.

ITEM commanducare proderit herbam rhododaphnen, & saliuam dolentibus traijcere, ac pusillo diutius continere, & ita hiantem pati saliuam decurrere. Item mentastrum, uel radicem κοτυληδόνος, quæ herba similia folia cymbalis habet, nasciturque ferè in parietibus humidis. Pyrethri quoque radix commanducata multorum leuauit dolorem. Nec minus alumen fissum linteolo spisso circundatum, & ita dolenti pressum diutius continere prodest. LVI.

Imponere ipsi uerò denti toti oportet hoc medicamentum quasi emplastrum: Peucedani succi ⚹ pon. III. opopanacis ⚹ pon. I. thuris ⚹ pon. duum, uuæ passæ sine granis ⚹ I. Hæc per se contundi iubebis, deinde cętera seorsum trita commisceri in unum. Vbi fuerit dolor, auriscalpium lana molli inuoluitur, deinde tingitur feruentissimo oleo, atque ita denti primùm, deinde proximis gingiuis superponitur bis ter'ue, donec hebetescat ex aliqua parte dolor: post hoc, medicamento dens cooperitur. Si repetierit, aut permanserit nihilominus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpium cum lana ex oleo candenti eodem modo imponere sæpius oportebit, id est, donec dolor tollatur. LVII.

SED si quando mouentur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt plurima gargarizatione lactis asinini, aut uini Marsici ad tertias decocti, in quo lapathi radices conijci debebunt, ut unà decoquantur. Stringit etiam dentes alumen, quo infectores utuntur, ex melle Attico, ita ut duæ partes sint mellis, tertia aluminis. Hęc misceri oportet mortario, deindę patella fictili feruefacere ut spissentur: atque ita recondere quolibet uase æreo, donec hoc medicamentum primo austere, & nimis perstringere dentes, postea remissius uidebitur. LVIII.

ITEM proderit motis dentibus hoc medicamentum. Aceti acerrimi sextarius unus semis, cedriæ ueræ, ne habeat picis aliquam mixturam hemina, aluminis fissi pond. triens. Teritur alumen cum aceto, miscetur deinde cedriæ, & unà omnia uase æreo coquuntur, teda pingui mota, donec in mellis spissitudinem temperati medicamentum redigatur. Hoc medicamento si quis ter in mense dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur.

Dentifricij compositiones. LIX.

Dentifriciũ, quod splendidos facit dentes, & confirmat: Farinæ hordeaceæ sextarium conspergere oportet aceto cum melle mixto, & subigere diutius: atque ita in globulos diuidere sex. Quibus dilatatis, admisceri salis fossitij semunciam, deinde furno coquere, donec in carbonem redigantur; tunc terere oportebit eos globulos, & admiscere spicæ nardi quod satis uidebitur. LX.

AD dolorem faciundum, hoc Octauia Augusti soror usa est: ad dentium dolorem, & confirmationem benefacit radicis edulis cortex sole arefacta, & contusa, cribrata. Item uitrum candidum, quod simile crystallo est, diligenter tritum, admixta spica. Vtuntur plerique etiam huiusmodi dentifricio: herbã urceolarem legunt, cùm iam in semine est, quamplurimam cum radice: deinde lotam uno die siccant: postridie recenti muria dura macerant: tertio die expressam, olla noua cõponunt, subinde salis fossitij quasi tabulata interponunt: atque ita percoquunt fornace balneariorum, donec in carbonem redigantur. Postea trita ad tertias, admiscent spicæ nardi quod satis est. Hoc cum eo quòd candidos facit dentes, tum etiam confirmat; Augustam constat usam. Nam Messalina dei nostri Cæsaris hoc utitur; cornorum ceruì ustorum in ollam nouam ad cinerem redactorum sextario uno, mastiches chiæ pondo uncia; salis ammoniaci pondo sescuncia.

Ad fluorem gingiuarum. LXI.

SOLENT gingiuæ quorundam, fluore infestari, quas pręgnantes uocant. Prosunt eis lentisci folia arida contusa, & cribrata perforato cribro: facit & cinis eiusdem lentisci foliorum ex aqua eiusdem decocti. Compositum autem hoc medicamentum prodest, quod & ad omnia hulcera, quæ in ore fiunt, utile est, ἀνθηρὰ à Græcis appellatur. recipit hęc: Aluminis fissi ⚹ P. IIII. myrrhæ ⚹ P. I. croci ⚹ P. II. cypiri, id est, iunci radicis ⚹ P. II. gallæ ⚹ P. I. rosæ lutei floris ⚹ P. I. sandaracæ ⚹ P. III. His omnibus rebus tunsis cretis, arido medicamento uti oportet per pinnam, etiam ad παρουλίδας & ἐπουλίδας, id est, ubi ex transuerso gingiua suppurauit: aut tonsillarum tumorem magnum, ut digito pressius fricentur; uel ubi super extremum molarem increuerit gingiua.

Ad cancrum in ore.

EST & molestum interdum cùm cancer os corripit; quod initijs neglectum, breui spatio tẽporis

mortis

mortis causa est. Oportet ergo, cùm primum uisum fuerit, antequam latius serpat, faucesque occupet, misy usto quamplurimo cum melle uti sępius: deinde colluere aqua oleastri decocti subinde, aut corticis mali granati.

LXIII.

Medicamentum Andronis prodest in omni parte corporis facto cancro. recipit autem hæc: Mali granati corticis ⚹ pon. X. terræ mali ⚹ pon. IX. aloes ⚹ pon. IIII. myrrhę ⚹ pon. II. gallę ⚹ P. VIII. aluminis fissi ⚹ pon. III. ęris floris ⚹ pon. duûm. Teruntur & cribrantur sicca curiosè: deinde admiscetur passum creticum, dum habeat spissitudinem mellis: cùm opus est, uino austero sumẽdum medicamentum est: uitro reponitur, diluitur. Facit hoc medicamẽtum ad carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad zonam, quam Gręci ἕρπητα dicunt.

Ad faucium uuæq; tumorem. LXIIII.

AD faucium uuęque tumorem, stomatice hac fere utuntur, quia nullam aspritudinem habet, & satis efficax est. Vuæ aminęę acerbę cùm primum granum incipiet perlucere, succi sextarios quatuor, mellis attici sextarium commisceto in unum, atque in ęreo uase coquito, subinde mouens, donec mellis spissitudinem habeat.

LXV.

ALTERA eiusdem utor stomatice, cùm diutius uexatæ partes antedictę sunt. Aluminis fissi ⚹ pon. duûm, gallæ contusæ ⚹ pond. duûm, omphacij aridi ⚹ pondo I. croci ⚹ pon. I. passi cretici sextarius unus. Hoc decoquitur uaso fictili ad dimidias, & ita cætera diligenter trita admiscentur. Vtrũque autem medicamentum stanneo reponendum est uase.

Ad suppurationem faucium. LXVI.

VBI uerò suppuratio faucium suspecta est, diutius permanente earum tumore, & interdum febriculis non sine horrore intercurrentibus, oportebit gargarizare quidem aqua mulsa crebrius, furfuribus siligineis decocta, uel passo ad dimidias decocto bene caldo uti, ore & faucibus diutius contineatur; uel ea aqua, in qua ficus arida pinguis erit decocta: perungere autem fauces hoc medicamento, quàm tactus sustinere poterit pusillo pressius: Mellis optimi heminam, resinæ terebinthinæ ⚹ pon. duûm, rosæ cyathos duos; resinam cum rosa in duplici uase, uti solent unguentarij, liquefacere oportet: deinde admiscere ei mel, & coquere, donec spissum fiat medicamentum. Hoc etiam, cùm eruperit suppuratio, uti oportet: expurgat enim & explet idem.

Ad anginam. LXVII.

AD anginam prodest & sanguinis detractio, cucurbitarum admissio, cæteraque auxilia quibus medici efficacius utuntur. Medicamenta autem simplicia quidem hæc faciunt: laser cyrenaicum, si poterit inueniri: sin minùs, syriacum aqua dilutum, crassius per pinnam faucibus adhibitum. Item euforbium aqua dilutum.

LXVIII.

Compositorum autem medicamẽtorum hæc sunt apta: Fellis taurini, salis, aceti, mellis, olei ueteris, æquas partes in unum miscere oportet: & cùm opus fuerit, pinna perfricare fauces diutius.

LXIX.

ITEM benefacit git frictum ⚹ pond. duûm, pyrethri ⚹ pond. I. sagapeni uictoriati pondus; melle miscentur hæc in unum trita.

LXX.

FACIT bene & hoc medicamentũ: Fellis taurini ⚹ P. II. elaterij, q est succus cucumeris syluatici ⚹ P. I. cachryos animati ⚹ P. I. tritum melle admixto reponitur. Cum opus est, dilutũ aqua tepida sumetur, & fauces perungentur; coguntur que inde q̃plurimum deuorare. Soluit enim uentrem, & ita uehementissimè prodest. Item hoc medicamentũ uehementissimè prodest; multos enim à summo discrimine mortis liberauit: Benefacit hirundinum pullorũ cineris põdo quadrãs, hyssopi P. VI. nitri P. uncia piperis P. semũcia; laseris P. semuncia: his tritis, cretis, mellis attici quod satis erit, admiscetur. Et hoc aũt cæteris medicamentis sæpius fauces, & pressius fricare oportet. Multis & hoc profuit medicamentum, quod est sine dubio, efficacius & uehementius: costi, apij, anesi, schœni, casiæ rufæ, singulorũ ⚹ P. binũ, git ⚹ P. I. amomi uictoriati P. unius, Zeę, quod est semen ⚹ P. II. aluminis fissi semuncia, gallæ mediæ magnitudinis, numero V. croci ⚹ P. II. crocomagmatis uictoriati pond. myrrhę uictoriati P. Aristolochiæ creticæ ⚹ P. IIII. cinnami ⚹ P. III. hirundinum syluestrium pullorum cineris P. uncia, nardi spicæ uictoriati pondo. Hæc omnia siue contusa, siue creta, diligenter melle attico despumato comprehendantur: Cùm autem opus fuerit, adijcietur quod satis erit eiusdem mellis. Hoc Augusta semper compositum habuit.

Ad uuæ tumorem & dolorem. LXXI.

VVAM supprimit diu iacentem sal ammoniacum, galla contusa, æquis ponderibus. Eadem ratione aluminis fissi ⚹ P. IIII. piperis albi ⚹ P. I. quibus in unum mixtis, cochleario ter tacta resilit. Itẽ herbæ cyclamini succo per cochlearium ter die tacta, ac per triduum, non solùm resilit ac fit minima, sed etiam rarò ualde molestat. Item ad uuæ tumorem & tonsillarum, siccum & efficax medicamentum: gallæ tusæ P. uncia, æris flos pond. semuncia, menarum sine ouis quæ sunt, salsarum capita decem. Hæc comburuntur, & ita cæteris admiscentur cineribus, & postea nihilominus in unum diutius teruntur. Oportet autem digito humido tangere medicamentum, & sic uuam ab imo rectam diutius supprimere sursum uersum. Item aliud efficacius ad uuam diu iacentem, cyperi siccatæ bene P. quadrans, myrrhę ∋ S. croci siccati ante ∋ I. sandaracæ ⚹ pond. I. aluminis fissi ∋ S. æris usti ∋ S. Hæc omnia intunduntur, cribrantur, ac digito melle mixto medicamentum sumitur, & ita uua leuatur, ac tonsillæ pressius fricantur per triduum: aut si uoles, digito mundo sine melle curabis.

Ad tumorem & raucitatem arteriæ, & uocis abscisionem. LXXII.

AD arteriam exasperatam simplicia quidem hęc faciunt: commis alexandrina, uel tragacanthum per se sub lingua retentum. compositio autem hæc est.

Deest compositio. LXXIII.

AD tumorem arteriæ; papaueris syluatici iam maturi, uiridis tamen adhuc, capita quamplurima uase fictili conijciuntur, aquaque superfunduntur, ut supernatet duobus tribus'ue digitis. Hæc ubi triduo macerata fuerint, eodem uase coquuntur, donec demadescant; postea exprimuntur capita, omnisque aquę percolatę prius diligenter mensura capitur; ad cuius modum, mellis attici quarta pars miscetur: deinde per duplex uas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Hoc medicamentum ad arterię tumorem, & ad tussim facit. LXXIIII.

ALTERA arteriace ad fluorem & raucitatem arteriæ: Item ex ea ad tussim, & abscissum sonum uocis. Tragacanthi ⚹ P. VI. commis alexādrinę ⚹ P. V. myrrhæ ⚹ P. I. thuris ⚹ P. II. croci ⚹ P. I. piperis albi grana XX. cariotarum recentium trium pulpas medias, detracta exteriore cute, interioribusque uenis; uel uuæ passæ nouæ & incorruptę, purgatis interioribus granis, P. VIII. commis & tragacanthum passo cretico uno die & una nocte macerari oportet, & postero die pila & pilo mundo contundere, & cętera trita mortario curiosè admiscere. Inde dare fabæ magnitudinem, globulum sub lingua tenere deuorantem quoad liquefactum fuerit. Hoc medicamentum, pipere detracto, & ad tumorem arterię facit. Seruandum autem puxide buxea. LXXV.

Arteriace, qua melior non est; refertur autem ab Asclepiade nostro; facit ad omnia superius dicta efficacius, & quidquid in arteria uitij est. constat ex his: myrrhæ optimę pinguis ⚹ P. XXIIII. tragacanthi cādidi ⚹ P. XXVIII. glycyrrhizæ radicis ⚹ P. XVIII. resinæ terebinthinæ ueræ ⚹ P. XVIII. tragacanthum sicut est, contundere, & per cribrū tenuibus foraminibus eijcere oportet. Deinde myrrham tritam seorsum admiscere, & rursus utraque in unum diu terere, atque ita in pilam conijcere; & ibi cum concaluerint ictu pili terebinthinam paulatim miscere, donec omnium unitas fiat. Postea glycyrrhizā contusam & cribratam, mortarioque nihilominus tritam, sensim aspergere oportet. Vbi hæc bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant, & pilulas faciant magnitudinis fabæ. Fit enim durissima hæc arteriace, & hoc ipso præcedit cæteras: quia linguæ subiecta, non facilè soluitur, & ita diutius exhibet suum effectum.

Ad suspirium. LXXVI.

AD suspirium faciunt bene inter simplicia quidem acetum scillites, quod uocant, cochleario ter quater'ue sumptum in die. Prodest & ipsa scilla argilla circundata, & furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, & quod tenerrimum est eius, mellis duabus partibus attici admixtum & tritū bene cochleario, semel in die bis'ue sumptum profuit multis. Pulmo uulpis in olla fictili ad cinerem redactus, & datus mensura cochleariorum trium, cum aquæ calidę cyathis tribus. Item pulmo cerui eodem modo factus & datus. LXXVII.

Prodest & hoc medicamentum euidenter: Aluminis fissi P. ⚹ VI. opij P. ⚹ I. aqua exigua opium diluitur: miscetur alumini antè trito: fiūt globuli ciceris amplitudinis: dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. Hoc medicamentum & ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit, & ad ueterem tussim, & ad phthisicos, uel alios qui purulenta excreant. LXXVIII.

HOC quoque medicamentum ad suspirium satis commodè proficit. Sulphuris uiui P. ⚹ I. nitri pon. ⚹ . selibra, abrotani quod tribus digitis comprehendi possit. Hæc cōtunduntur, & teruntur curiosè: Cùm opus est, dantur ex his cochlearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno. LXXIX.

ALIVD medicamentum ad suspirium, efficax ualde: Facit autem & ad lumborum diutinū dolorem, & ad paralysin, & hydropicos, lienosos. Bryonię, id est, albę uitis radicis pon. ⚹ XII. iris Illyricæ pon. ⚹ XII. ammoniaci guttæ pon. ⚹ XII. asparagi radicis P. ⚹ VI. scyllę bulbi crudi ex interiore parte, pon. ⚹ XII. tragacanthi pon. ⚹ VI. mel miscetur contusis & tritis, donec ceræ mollis habeat tēperaturam: Inde cùm opus est, datur pond. ⚹ I. cum aqua mulsa, cyathis tribus uel quatuor.

Ad strumas & omnem duritiem in corporis quolibet loco. LXXX.

AD strumas bene facit radix cucumeris syluatici cocta ex aqua mulsa & trita, atque ita imposita. Item ebiscum eodem modo factum. Sed melius marini lepores oleo uetere necati faciunt, in plumbea puxide clusi, quam diebus quadraginta diligenter alligatā oportet habere: Postea ex ea, pinna oblinendæ sunt strumæ, superque eas pellis lanata non nimiùm tonsa, tegendi gratiâ, imponenda est. Præcipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet: aut inquinatas, prius quàm lauerit, ad os referat. LXXXI.

AD strumas & ad duritias mammarum mirificè facit, antequam suppurent, & post suppurationem nihilominus hoc medicamentum. Olei ueteris pon. duo, spumæ argenteę pon. libra, gallæ syriacę pond. triens, mannę thuris pon. uncia, galbani pon. uncia. Cum oleo coquitur spuma, donec cerati spissi habeat temperamentum, deinde admiscetur ei galla, & secundùm hanc, manna: cùm emplastri habet spissitudinem, tollitur ab igne medicamentum: & cum desinet feruere, paulatim galbanum miscetur: per minutas parteis linitur aluta, cùm opus est. Hoc medicamentum soluitur tertio quarto'ue die, si non suppurauerint strumæ: sed si apertę fuerint, hyeme alternis, ęstate quotidie. LXXXII.

Malagma ad strumam & omnem duritiem mirificum: Idem ad mammarum muliebrium duritiā, & ad

& ad paniculas, & ad tubera, & cætera quę subitò adnascuntur. Recipit hęc: Resinæ terebinthinæ P. dua, cerę pond. semissem, propolis, quam quidam ceram sacram uocant, pond. sescunciam, galbani pond. sextantem, olei ueteris pond. selibram. Hæc omnia oleo ad ignem liquefacere oportet, & postea miscere uisci de quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttæ pond. quadrantem, ebisci radicis aridæ pond. quadrãtem, cypiri radicis, quem nos gladiolum appellamus, pond. sextantem, ferulæ pond. trientẽ, aphronitri pond. quadrantem, asij lapidis florum pond. quadrantem, opopanacis pond. sextãtem. Hæc omnia, ordine quo scripta sunt, cribrata, in cacabum conijciuntur: opopanax oleo diluitur. Vbi temperatum est medicamentum, manibus subigitur: linitur, cùm opus est, aluta.

Ad sanguinis eruptionem. LXXXIII.

AD sanguinis eruptionem, siue ex arterijs, siue à pulmone, uel pectore ea fuerit, benefacit symphyti radix, quam quidam Inulam rusticam uocant, quidam autem Alum gallicum dicunt, lota aqua frigida, & rasa cultello eburneo uel osseo, pond. sextantis, aut plus, id est, quantum poterit manducare & deuorare: neque enim amara est. Oportet autem eodem die acetum non gustare, quod interdum per se magnifice solet prodesse: sed huius radicis effectum resoluit. Item benefacit polygonij succus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus. Et plantaginis & solani eodem modo succus prodest: & cretæ samię P. ✱ I. sumptum ex aquę frigidę, rigore detracto, cyathis tribus. Prodest & herbę, quam πολιὸν uocãt, nos ut opinor, tiniariam, fasciculus, quãtum manu comprehendi potest, in tribus heminis aquæ decoctus, & ad tertias redactus, si quis inde cyathos tres dederit per triduum. LXXXIIII.

Oportet autem extra sentienti uulnus, eo loco spongiam ex aqua recenti imponere, uel ex aceto atri, ac frequenter mutare, ne concalefacta noceat. Et uetare artus constringere, quod plerique medicorum faciunt, ignorantes quod incitatur sanguinis eruptio musculorum compressione. Quandoquidem omnis constrictio in utranque partem exiget æque subiectam materiam: sicut utrem si quis medium laqueo constrinxerit, animaduertet in utranque partem excludere subiectum liquorem. Et si super foratus casu fuerit, incitatione eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione cùm sanguis eruptus est, qui constringunt ui magna artus exprimentes, sanguinem uenis subiectum cogunt magis erumpi per uulnus. Huius rei argumentum est, si quis super laqueum percusserit uenam in brachio, quæ est animalis, animaduertet æque incitari sanguinem ex ea parte, quàm ex inferiore loco, cum percussa est uena. Et hoc per se quidem si non uiderant medici, meritò essent culpandi, quod negligentes in ancipiti casu hominum essent: Cùm præsertim Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re: neque ei quisquam contradixit. quis enim aduersus ueritatem hiscere potest? Proinde magis sunt custodiendi qui pollicentur salutis custodiam uniuscuiusque se facturos. Tam inertes autem & negligentes necessaria quidem ad conseruandam uitam humanam, quæ per aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. Meritò itaque manifeste quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. Et, ò bone deus, hi sunt ipsi, qui imputant suam culpam medicamentis quasi nihil proficientibus. Sed ad propositum reuertemur. LXXXV.

Faciunt enim composita medicamenta ad sanguinis eruptionem, quorum & hoc est: Acaciæ succi P. unciæ: ὑποκυστίδος, qui est succus rosæ syluaticæ, quam caninam quidam uocant, pond. uncię: balaustiũ, quod est flos mali granati, quo coriarij utuntur, pond. unciæ: opij pond. semuncię. Balaustium contunditur, siccatur, sicco mortario teritur. Cætera pridie macerata in aqua commiscentur, & diligenter pastilli finguntur. Quidam P. ✱ I. quidam uictoriati denarij dantur ad ætatem cuiusque, ex aquæ frigidæ remissę cyathis trib. aut duob. Atque ille qdẽ pastillus bñfacit ad dysentericos, i. torminosos. LXXXVI.

ALTER pastillus ad sanguinis eruptionem mirificè faciens. Tragacanthi P. ✱ IX. samiæ cretæ P. ✱ VII. ceræ põticæ P. ✱ IX. glycyrrhizæ succi (est autem radix dulcis) P. ✱ V. Symphyti succi P. ✱ XII. Cõmis P. ✱ IIII. ὑποκυστίδος succi P. ✱ VII. thuris P. ✱ V. aluminis liqdi P. ✱ II. opij. P. ✱ V. amyli P. ✱ VI. myrrhę P. ✱ V. croci P. ✱ VII. plantaginis succi P. ✱ III. passi meconij qđ satis erit, miscebitur, fiũt pastilli. Alij P. ✱ I. alij uictoriati dabũtur ex aq̃ tepẽtis cyathis duob. & dimidio.

Ad tussim ueterem, & destillationes, & suspiria & inflationes, cùm dura habent præcordia, & lienosos, & phthisicos. LXXXVII.

Catapotiũ, id est, medicamentum quod nõ diluitur, sed ita ut est, deuoratur, ad tussim q̃ cum fluore est. Croci P. unciæ, myrrhę P. sextãtis, opij P. quadrantis. Contunditur crocum, percribratur, contusæ myrrhę opium admiscetur aqua exigua dilutum. Postea adijcitur crocum: & cùm in unum bene mixta sunt, finguntur pilulæ erui magnitudinis. Dantur in nocte ternæ uel quaternæ. LXXXVIII.

Catapotiũ alterum ad tussim aridã. Myrrhę, piperis, castorei, galbani, storacis, opij, singulorũ idem ponderis. Castoreum & piper contunduntur & cribrantur: Deinde myrrhæ antè tritę cęteris contusis æque admiscẽtur. Vbi oĩum unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum cõprehenditur: deinde formantur pilulæ uiciæ magnitudinis. Dantur ternæ uel quaternæ in noctem. LXXXIX.

Aliud catapotium ad tussim ueterẽ, suspirium, & phthisi tentatos, lienẽ, & iecur durũ habẽtes. Idem inflationẽ tollit, & purgat mulierẽ, si qua ex partu substiterunt. Styracis P. ✱ VI. myrrhę P. ✱ II. & uictoriati, opopanacis P. ✱ II. iris Illyricæ P. ✱ II. galbani P. ✱ II. resinæ terebinthinę P. ✱ V. alterci seminis P. ✱ I. nitri P. ✱ I. piperis albi P. ✱ I. opij P. ✱ I. Irim, altercum, piper cõtundere oportet & cribrare, nitrum mortario terere, & cætera pilo commiscere, & postea hæc eis adijcere, atque facere catapotia magnitudinis fabę: Inde terna uel quaterna in noctem dare ad inflationes in ipsa distentione

cum aquæ calidæ cyathis tribus. XC.

Pastillus ad tussim, destillationem pectoris, pulmones, ad epiphoras oculorum, uesicæ dolorem qui cum fluore consistit, ubi sepius & non sine cruciatu urinam faciunt. Item ad eos qui sanguinem reijciunt, aut per urinam reddunt. Ad deiectionem, tormina, grauedinem, choleram, stomachi crebram nauseam cum uomitu, sine febre: Et quidquid reprimere & siccare oportet, optimè compescit. Præterea facit ad omnis partis corporis dolorem, præterea capitis: Quinetiam si quando aliquis hoc fuerit inunctus. Alij uitio non erit dandum hoc medicamẽtum. Cùm autem ad omnia, quæ suprà dixi, manifestè prosit, tum præcipuè ad initia phthisim habentes benefacit: Multos enim eripuit ex magno periculo interdum bis ter'ue datus hic pastillus: recipit hæc: Myrrhę troglodytis P. * VI. croci, P. * V. opij, P. * IIII. thuris, P. * V. alterci albi seminis. P. * IIII. apollinaris herbæ radicis corticis, P. * IIII. Contunditur hic cortex per se, & cribratur tenui cribro: deinde crocum, postea altercum, myrrha, thus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratum: subinde aquæ exiguum adijcitur, donec fingi pastilli possint Pond. * uictoriati. Alij tertia huius ponderis detracta, dantur in noctem ex aquæ cyathis tribus. Somnum faciunt, dolorem sedant, ut superius dixi. Oportet autem ex eo etiam catapotia facere: quidam enim facilius ea, quàm potionem sumunt, uerum non multum interest. XCI.

AD eadem remissior quidem pastillus, sed non contemnendus; croci, myrrhę, alterci, opij, pondera paria contusa miscentur, despumato attico melle fiunt pastilli eiusdem ponderis. Dantur ad ætatem eius tres in noctẽ: licet & hinc catapotia facere, propter eandẽ causam, sed tũc aqua, nõ mel adijcitur. XCII.

Pastillus ad tussim & sanguinem reijcientes, & stomachum solutum habentes, facit, & ad deiectionem, & uesicæ dolorem. Apij semen P. * VI. alterci seminis P. * XII. anethi, P. * XII. opij P. * VI. croci P. * III. rosæ foliorum arefactorum in umbra P. * XII. myrrhę P. * XII. Semina, & crocum, & folia rosæ contunduntur, cribrantur, myrrha teritur: opium aqua maceratur: omnia in unũ miscentur aqua adiecta: fiunt pastilli uictoriati pon. alijs tertia parte detracta. Dantur ad stomachum imbecillem habentes, & sanguinem reijcientes, ex aqua frigida cyathis duobus, cęteris ex calida totidem cyathis. XCIII.

Pastillus ex odoribus benefacit ad omnem dolorem. Propriè autem ad tussim: Item pectoris destillationem, & oculorum epiphoras: Facit & ad suspirium, & ad lateris dolorem & ad phthisicos: & uesica, renibusque laborantes, uel sanguinem ad urinam reddentes cum dolore. Casiæ, cinnami, croci, singulorum P. * III. alterci seminis, apollinaris herbæ radicis, singulorum P. * IIII. piperis P. * II. opij P. * IIII. thuris pon. * III. nardi spicæ P. * II. Vino falerno contusa & trita utraque ut debent, consperguntur: fiunt pastilli uictoriati pond. Et alijs parte tertia detracta. Dantur in noctem, prout uires sunt, cum aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus. XCIIII.

Medicamentum, quod per cochlearium deuoratur, benefacit ad tussim aridam, & eos qui difficulter glutinosa excreant, & præfocari uidentur interdum. Sed pręcipuè ijs qui lateris dolorem cum febre sentiunt, quos Græci πλευριτικοὺς uocant: Liberat enim eos ab omni periculo. Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, præceptoris Valentis & nostri, & nunquam ulli se uiuo compositionem eius dedit, quòd magnam opinionem ex ea traxerat. Est autem hæc, quæ componitur tribus rebus his: Piperis nigri electi & ponderosi granis duobus, myrrhæ troglodytidos P. * II. mellis attici despumati libra. Piper contunditur diligenter & cribratur, myrrha teritur mortario curiosè: & postea utraque in unum miscentur: deinde mel adijcitur. Dantur cochlearia quina uel sena. Pleuriticis etiam plura sæpius, & cum interuallo dare oportet: & maximè cum tussiunt, aut præfocari uidentur, & difficulter spirant, siue noctu siue interdiu. Protinus enim excreant ea quæ obstant transitui spiritus, & tussire desinunt. XCV.

ALTERVM medicamentum ad tussim aridam. Nasturcij animati seminis pond. uncia, alterci seminis pond. uncia, opij pond. uncia, myrrhæ pond. uncia, croci pond. semuncia, sulphuris uiui P. semuncia, piperis albi pond. quadrans. Melle colligitur medicamentum. Datur fabæ ægyptiæ magnitudine ex cyathis aquæ tribus in noctem. Facit autem hoc medicamentum ad lateris dolorem, & ad stomachi inflationem, grauedinem, cœliacos, qui subitò uniuersa deijciunt. Prodest & dolentibus superpositum & circundatum denti: & si exesus est, in cauernam eius infertur. Tollit præterea horrores febrẽ præcedentes: tum, cùm hæc circuitum certum habet, datum ante horam, diutius corpore perfricato ex oleo calido. Prodest & illis, qui sine horrore circuitibus febrium uexantur. Quamobrem ἀνεξρίγετος hæc compositio dicitur. XCVI.

ALIVD ad tussim aridam, & glutinosa excreantes. Purgat etiam interaneas uomicas, suppurationes; lini seminis, urticæ seminis, nasturcij seminis, iris Illyricæ radicis, æqua pondera misceri oportet, & cum melle despumato, quantum satis sit: & frequenter oportet cochleario dare.

Antidotos hiera Pacchij Antiochi ad uniuersa corporis uitia, maximè lateris, & ad podagram. XCVII.

AD lateris dolorem, siue cum febre, siue sine febre fuerit, compositio mirifica, non ignorata quidem ab antiquioribus, propter effectus, sed præcipuè à Pacchio Antiocho auditore Philenidis Catinensis usu illustrata. Fecit enim magnos quęstus ex ea propter crebros successus in uitijs difficillimis. Sed ne hic quidem ulli, se uiuo, compositionem dedit. Post mortem autem eius, Tiberio Cæsari per libellum scriptum, ad eum, & bibliothecis publicis posita, uenit in manus nostras; quam antea nullo modo extrahere

trahere potuimus: Quamuis omnia fecerimus, ut sciremus quæ esset. Ipse enim clusus componebat, nec ulli suorum cōmittebat: plura enim quàm recipit, ipsemet contundi iubebat pigmenta, fallendi suos causa. Hanc postea nos sciuimus, quæ ut sane & libello ipse fatetur, non à se inuenta, sed usu exactiore comprobata, ad quæ uitia, & cum quibus, & quemadmodum data proficeret. Etenim non ignota, pōderibus tamen antiquis aut adiecit, aut detraxit. Et res quæ in hac compositione sunt, non utique conueniunt ad antiquas. Interdum enim earum quædam plures etiam numero accipiunt; atque ideo non idem præstant, cum interim hęc mirifica temperatura composita mirificos effectus habeat. XCVIII.

FACIT hoc uerò medicamentum non solùm ad lateris dolorem, sed etiam ad plura uitia efficaciter. Quamobrem semper habeo id compositum. Percurram autem quambreuissime, ad quę uitia, & qualiter datum prosit, ut etiā in libello eius scriptū est, & ego magna ex parte iā expertus sum. XCIX.

SANAT ergo morbo comitiali correptos, quos ἐπιληπτικοὺς Gręci uocant; furiosos, quos μαινομένους dicunt. Item sanat quibus subitis tenebris obscurantur oculi cum uertigine, σκοτωματικοὺς hos Gręci appellant: Nec minus diutino correptos capitis dolore, quem κεφαλαλγίαν appellant. Prodest data P. ⁜ I. ex aquæ mulsę cyathis quatuor, cùm remissi fuerint. Et si frequenter quidem corripiuntur, post binas ternas'ue accessiones danda erit antidotos Hyera: hoc nomen enim tribuit ei duas propter causas, ut existimo. Vnam, ne eius nomen uerum dicendo, ostenderet quę esset. Dicitur enim à quibusdam πικρὰ, quia amara est: à quibusdam διακολοκυνθίδος. Alteram, quò magis sub tanta specie nominis cōmendaret medicamentum. Sed si ex longo interuallo accessionibus uexabuntur, in remissione dolorum sæpius dandum erit medicamentum. Ita enim aut ex toto remedio est, aut certè minuitur quotidie impetus uitiorum & sedatur, interuallaque maiora accipit; & hoc ipso opportuniores fiunt ad ueratri potionem, qua maximè hęc uitia tolluntur. Dare autem his oportet secundum purgationem (bis enim aut ter spumosa & glutinosa deijciunt) ptisanę cremorem, olera lenia ex urtica & lapatho, malua facta, torpedine interdum admixta & cum exiguo pane, aquamque potui. C.

FACIT bene hæc compositio ad suspirium, & ad uocis abscissionem, & subitas præfocationes ex qualibet causa ortas, & ad eos qui sępius existimantur ab incubone deludi. Vsque eò tamen uexantur, ut interdum uitę periculum adeant (est enim uitium non contemnendum) utique in processa ætate. Quibus dandum erit medicamentum, proximo die eius noctis qua correpti sunt, cùm interuallum à somno fecerint, & quod satis est ambulauerint; ex aquæ hyssopum aut marrubium incoctum habentis cyathis quatuor uel quinque, ⁜ P. I. uel unius & uictoriati, prout res postulauerit. Deinde post horas treis quatuor'ue cremor ptisanæ detur. CI.

FACIT & hoc medicamētum ad eos, quorum musculi maxillares cū maximo dolore tensi sunt, adeo ut aperire os nullo modo possint, τέτανον hoc uitium Gręci dicunt. Item facit ad deprauatam faciem in utramlibet partem, κυνικὸν σπασμὸν hoc idem appellant genus morbi. Præcipuè uero ad pectoris, & lateris dolores prodest ex qualibet causa factos, siue latente & occulta, siue manifesta: ut ex ictu, casu, conatu aliquo supra uires, uel ponderis supra modum portatione, uel contusione, quæ frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus, & eorum maximè sauciatis. Nec minus arbore alta delapsis, uel scalis deuolutis, excussis à rheda uel curriculo, atque ita tractis. Sed his, id est manifesta causa uexatis, cum aceti cyathis tribus quatuor'ue danda erit antidotos. Illis uerò, qui ex occulta causa laborant, ex aqua mulsa proderit. Præterea neruorum tensionibus mirificè cōuenit. Quamobrem facit & ad tremulos, ex syderatione tentatos utralibet: una enim ex contractione, altera cum remissione neruorum conspicitur, παράλυσιν hoc utrunque uitium Græci appellant. Ad quod etiam, cùm correpti sunt, prodest ex aquæ mulsę cyathis tribus quatuor'ue datum medicamentum ⁜ P. I. uel unius & uictoriati, admixto pondere uictoriati castorei. Prodest & ad articularem morbum, quem ἄρθριτιν uocant, ad spinam, & totius lumborumque dolorem: ex aqua mulsa datur ad uires cuiusque. Item ad podagram benefacit: nā & in præsentia detractione ipsa leuat, & in futurum omni molestia liberat. Dimidio enim celerius sanātur, qui acceperunt medicamentum, quàm prius solebant. CII.

QVID dicam? duritias in mammis mulierum cum dolore consistenteis, quas nullum medicamētum leuat, quemadmodum ex toto in perpetuum interdum sanat, quas plerique medicorum insanabiles affirmāt, καρκινώματα, & κακοήθη appellantes. Poteram nominare honestas foeminas, quas aut ille, aut ego hoc medicamento sanauimus: nisi crederem fidem te habere nobis, alioquin ipse tibi iam dixissem. CIII.

ILLVD uerò supra omnium opinionem est, quod ad stomachicos euidenter conuenit, cùm sit uirosissimum medicamentum aduersus stomachum, ne ad lenia quidem, & simplicia medicamenta aptè dispositum. Sed uidelicet in eiusmodi rebus potentior usus ratione est: expertus enim unusquisque intelligit stomacho quoque hoc medicamentum eximiè prodesse. CIIII.

Remediat enim eos, quibus frequenter inacescit cibus, & eos qui assiduè inflationibus urgentur, uel dolore eius uexātur, aut assiduè nauseāt, aut saliua abundāt, uel inedia consumuntur, stomachumque ita solutum habent, ut ex eo uarios liquores subinde respuant, consentiente capite, ut nullum genus cibi continere possint. Item ad bilem atram generantes, quos μελαγχολικοὺς appellant, benefacit. Oportet autem non continentibus cibos, secundum uomitum, protinus oleo perunctis, & diutius pressè fricatis, dare medicamentum ⁜ pondo I. ex aquæ cyathis tribus: deinde artus constringere, & interdum olfactarijs reficere, & cōm inductione oliuarum contusarum, earumque rerum, quæ stomachum

constringere solent, interim subrectos recubantes, deinde cùm deiecerint, solutis uinculis rursus perungere, & fricare totum corpus. Atque ita uarietate apta ciborum stomachum proritare, ut halica ex mulso, malorum cydoniorum succo facto, uel ex granatorum per se malorum, uel si quos magis delectat ex frigida posca: secundum quæ, apala oua proderunt, & intubi cocti uel crudi ex aceto: Item lactucæ caules cum folijs ex posca decocti, conchula marina, purpuræ, murices, pelorides, uolua pomorum, sorba, mala orbiculata, scandina, pira crustumina, signina olla reposita, item uuæ ex olla. Hæc enim & huiusmodi quæ sunt, confirmant stomachum; quibus & in sequentibus diebus uti oportebit, paulatim ad consuetudinem progredientem, donec propè omni molestia ægri liberentur. CV.

EST stomachi uitium, quod cum siccitate & ardore eius, & irrequiebili (ut ita dicam) & inextinguibili siti consistit. ἄποτον Græci uocant, ab eo quòd exiccat omnem stomachi humorem. Scimus quosdam urnas aquæ bibisse, neque ideo sitim aliqua ex parte in præsentia compescuisse. Ad hoc ⚹ P. I. uel uictoriati datum ex aquæ cyathis duobus frigidæ, ita prodest, ut facile abstinere ab aqua proximis diebus possint. Lienosis uerò ex posca, & iocinerosis duritiam habentibus diutinam, ex aqua mulsa satis conuenit. Nec minus hydropicis, quibus datur eadem ratione. Sed his per complures dies oportebit ptisanæ cremorem sine ullo liquore dari. CVI.

Prodest compositio hæc & colo inflato, & cæteris intestinis. Futuras quoque uel iam factas uomicas iisdem partibus aut discutit, aut celerius aperit. Item menstrua mouet mulieribus, quę difficulter purgantur. Dandum autem erit his ex aqua medicamentum. In aqua decoquitur herba, quæ artemisia dicitur, aut quam δίκταμνον appellant. Etiam ad papulas & sacrum ignem, uel quam zonam uocant, benefacit ex aqua mulsa, detracto priùs sanguine, si res postulauerit: ut & in alijs omnibus superius dictis faciendum est. Omnia enim auxilia adhibenda sunt, quæ ex usu prodesse eis comperta habemus: quia facilius adiuta antidotos adiuuabit, & effectus exhibebit. Recipit autem hæc: Stœcados, marrubij, χαμαίδρυος, quæ herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulæ syluestris, quam κολοκυνθίδα appellant, singulorum ⚹ P. X. opopanacis, sagapeni, petroselini, terræ mali, piperis albi, singulorum ⚹. P. V. cinnami, nardi spicæ, myrrhæ, folij, croci, singulorum ⚹ P. IIII. in unum omnia ponderata contunduntur & cribrantur: Præterea opopanaces & sagapenum: hæc enim mortario teruntur, adiecto melle tenui, id est, quàm liquidissimo: deinde cæteris miscentur, quę & ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda, & continenda ea. Reponitur medicamentum uase uitreo. Datur ut suprà diximus, ad cuiusque uires; & est prorsus sacrum, ut auctor huius nominis appellat. CVII.

SI quando autem efficaciore eo uoluerimus uti, propter difficultatem naturale uitiorum, aut diuturnitatem, ut in furiosis aut comitiali morbo correptis, uel lumborum perpetuum dolorem habentibus, podragra correptis uastius, cucurbitæ syluestris adijcimus ad superiùs dicta pondera, ⚹ P. XX. opopanacis atque sagapeni, singulorum ⚹ P. trium. Quamobrem utraque parata debent esse medicamenta: ut cùm opus fuerit, usus alterutrius in promptu sit. Illud utique credas interim uelim mihi, dum in alijs expertus persuadeam, hoc medicamentum non solùm non nocere stomacho, uerumetiam reficere & cōfirmare eum supra omnem opinionem.

Ad stomachi dolorem & inflationem, & cætera uitia interius. CVIII.

Medicamentum quod propriè aduersus solutionem stomachi facit & fluorem eiusdem: maximè uero cùm nihil cibi retinere possunt, sed quidquid datum est, reijciunt. Mastiches chiæ candidæ pondo libra, tragacanthi albi pondo libra, apollinaris herbæ radicis uncia. Contunditur tragacanthum cum radice: postea mastiche adijcitur. Reponitur in uitreo uase. Dantur cùm opus est, cochlearia tria, secundùm uomitum per se factum ex aquę frigidę cyathis tribus.

Ad stomachi dolorem & inflationem. CIX.

Palmarum ⚹ P. XL. anethi ⚹ P. IIII. croci ⚹ P. duûm, git ⚹ P. duûm, & asari ⚹ P. duûm, murti nigrę baccarum ⚹ P. IIII. iuniperi grana numero uiginti. Contunduntur seorsum omnia; & in unum miscentur: deinde fiunt pastilli ⚹ P. I. alijs uictoriati: Dantur ieiuno ex aquæ cyathis quatuor, aut ex cretico musto, quod est passi genus. CX.

Medicamentum siccum ad stomachi inflationem, & dolorem, & inediam: Mouet urinā: ideoque facit & ad hydropicos, & iecur durum habenteis, æruginem, quam quidam regium, quidam arquatum morbum uocant. Refertur in Musam Antonium. Recipit autem hæc: Aloes P. assis trientem, croci, cinnami, nardi syriacæ spicæ, asari, xylobalsami, mastiches chiæ, singulorum. ⚹ P. VI. Tunditur, & uitro reponitur. Dantur cochlearia duo uel tria ex aquę cyathis tribus.

Compositio LXXII. quæ superius defuerat, hic ex Galeno VII. de compositione medicamentorum κατὰ τόπους, citante Scribonium Largum, sic restituta est à Io. Ruellio.

ALTERA Scribonij Largi, quæ quòd sub lingua teneatur, ὑπογλωσσίς appellata, facit ad abscissionem uocis: Radicis dulcis ⚹ P. VIII. myrrhę ⚹ P. XXIIII. terebinthinę ⚹ P. XXXII. tragacanthæ ⚹ P. XXXVIII. singula sicca seorsum tundito & cernito, resinaque in pilam coniecta excipito. Vbi in unitatem coierunt, in formulas digerito, quæ ægyptię fabę magnitudinem æquent, & in umbra siccato: cumque usus poscet, unam aut alteram sub linguam tenendam dato, ut illiquescens deuoretur. Medicamentum oportet, cùm res exiget, celeriter effingere; siquidem confestim exiccari solet: quapropter in promptu terere conuenit medicamenta, cùm in pastillos coges.

Hæc Galenus ex Scribonij Largi sententia.

Ad cœliacos

Ad cœliacos, & torminosos, & uentris diutinum dolorem. CXI.

AD cœliacos, id est, qui subitò & multa deijciunt: Item & ad aluum citatam, & interdum lenia tormina: Sorborum aridorum contusorum sextarius unus, rhus syriaci coquuntur sextarij duo, malagranata recentia decem, item mala cydonia decem. Hæc utraque conijciuntur in sapam factam ex musti adhuc in dolio feruentis sextarijs triginta sex, ad duodecim sextarios decoctam, donec malorum coria percoquantur, ut sint madida. Deinde teruntur hæc fictili mortario, ut grana comminuantur; quibus deinde cydonia admiscentur, & æquè teruntur; Postea rursus & sorba arida admiscentur cribrata curiosè sapæ quæ residua est; & omnibus in unum bene coactis. Reponitur medicamentum in uitreo uase. Dantur autem inde ieiunis in diem ligulæ binæ uel ternæ per se. Sin autem grauior morbus insedit, hic datur. CXII.

Pastillus ad cœliacos & torminosos optimè faciens: Balaustij, hypocystidos pridie aqua macerati P. sextans, alterci seminis, cretæ samiæ, singulorum P. uncia; uino myrtite adiecto, fiunt pastilli ⚹. P. unius, aut uictoriati. Dantur ieiuno sine febre ex uino myrtite, aut signo, cyatho uno cum duobus aquæ mixto: febricitantibus, ex aquæ cyathis tribus. Hoc etiam, incitata libidine ipsius morbi, pastillus, siue plures diluti aqua calida, uino, oleo, per clysterem immittitur; statim somnus consequitur, quoties desurrexerint torminosi, qui grauiter afflicti sunt, & utique prodest.

Alius pastillus ad torminosos efficacior. CXIII.

Agaciæ ⚹. P. quatuor, croci ⚹. P. duûm, gallæ, ⚹. P. VIII. hypocystidis ⚹. P. IIII. lycij ⚹. P. IIII. myrrhæ ⚹. P. IIII. rus, quo coqui utuntur, nardi spicæ syriacæ, aloes, singulorum ⚹. P. duûm, anesi, commis, singulorum ⚹. P. quatuor, piperis nigri ⚹. P. duûm. Tunduntur, teruntur, cribrantur ex succo cauliculorum rubi, uel ex uino signino collyrij tritura: Cùm fuerint hæc lenia, aut ungui nulla pateat aspritudo, finguntur pastilli ⚹. P. I. alijs P. uictoriati. Datur unus ieiuno ante meridiem, alter in noctem ex aqua, si febres erunt: ex uino signino, si sincere corpus erit. Hoc efficax est medicamentū; & si cætera quæ debent, sentiente eius ualetudine, rectè adhibita fuerint, utique sanant. CXIIII.

Pastillus item, qui clysterio immittitur torminosis per anum, cùm sordida, & sanguinolenta eijciūt, id est, cùm intestina eorum cancer occupauit, quo quasi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet. Ideoque à quibusdam ignorantibus, eius usus accusatur, quasi nocuus. Recipit autem hæc: Chartæ combustæ cineris ⚹. P. XXX calcis uiuæ ⚹. P. XXIIII. ἀρσενικοῦ, quod est auripigmentum, ⚹. P. XII. sandaracæ ⚹. P. sex. Hæc trita, uino consperguntur, in quo rosa & lentes prius incoquūtur, ut possint fieri pastilli ⚹. P. duûm aut unius. Cū opus est, teritur unus pastillus, & immittitur per aquam decoctam, rosam & lentem habentem, si febricitabunt: sin minus, ex uino eadem incocta habente. facit & murti fasciculus cum oleastri uel oliuæ ramulis, utrorunque modo, prout res exegerit, incoctus. CXV.

POTIO autem, id est pastillus, cùm immissus fuerit medicamentum, sic conuenit in noctem, Myrrhæ ⚹. P. duûm, lycij ⚹. P. III. thuris ⚹. P. I. opij ⚹. P. duûm, aloes ⚹. P. duûm, acaciæ ⚹. P. IIII. murti baccarum nigrarum ⚹. P. XVI. ouorum ex aceto coctorum uitelli duo. Hæc trita uino Surrentino consperguntur, & fiunt pastilli ⚹. P. I. Dantur febricitātibus ex aquæ cyathis quatuor, permixti Surrentini uini cyathis duobus. CXVI.

AD εἰλεὸν, quod uitium est inflatio tenuium intestinorum, facit bene galbani P. uictoriati, deuoratur in pilulas diuisum duas uel tres: Mouet & ructum, & interdum deijcit uentum deorsum, atque ita prodest. CXVII.

AD idem uitium mirificè prodest hoc medicamentum; Facit autem ad lateris dolorem, & ad omnem partem corporis; dauci seminis, panacis radicis, castorei, paria pondera, rutæ syluaticæ dimidium; tritis uel contusis mel decoctū adijcere oportet: Inde dare ⚹. P. I. aut uictoriati ex aquæ caldæ cyathis tribus. CXVIII

FACIT & ad huiusmodi per anum immissum fœnum græcum: id aqua bene coquere oportet, atque inde sumere heminam. Item in oleo domestico incoquere rutam quamplurimam, & hinc caldā heminam adijcere priori aquæ; quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescunciam, et ita per clysteria caldam immittere. Hoc ego iam stercus per os deijcientem (quod si non mortiferum est) sanaui unguentarij cuiusdam seruum. Est autem uitium εἰλεὸς periculosissimum, & ideo inter præcipua refertur. Quamobrem non utique cum magna fiducia ad hoc genus uitij aggredi debemus.

Ad coli dolorem etiam uetustum, compositionum genera experta, quæ in totum persanant. CXIX.

AD coli inflationem benefacit cumini syluatici semen per se, ut est, datum, quantum cochlearia tria in aquæ caldæ cyathis quatuor. CXX.

NAM Cassij medici colice bona, multis nota propter effectus, uera hæc est, ut ab eius seruo Atimeto accepi, legato Tiberij Cæsaris: quia is eam solitus erat ei componere. Apij seminis P. selibram, anesi P. quadrantem, castorei P. sextantem, myrrhæ P. quadrantem, spicæ nardi Indicæ P. sextantem, opij P. quadradantem, croci P. sescunciam, piperis longi P. sextantem, piperis nigri P. sextantem semunciam, petroselini P. sextantem, schœni P. sescunciam. Hæc omnia contusa, cribrata, melle Attico decocta miscentur: Datur ex hoc medicamento, quantum nux abellana media patet, ex aquæ cyathis tribus calidæ; In ipsis doloribus statim prodest. Item medicamentum cerati ex malabathro facit ex duabus partibus & ceræ unius mixtum, & extra impositum in uentrem totum. Præterea benefacit & ad stomachi inflatio-

nem, & ad suspirium, & ad iocineris dolorem, tussim, destillationem. CXXI.

Colice mirifica Iulij Bassi, citò leuat: deinde tollit inflationes coli & omnis partis corporis. Facit & ad stomachi imbecillitates, & ad intestinorum alioqui dolorem, quem Græci στρόφον appellant, ex aqua hyssopum, aut rutam decoctam habente. Item benefacit ad sanguinem, & ex interiore parte. Nō enim patitur latè fieri nec intus uulnus conuerti: sed citò supprimit sanguinem, & uulnus cogit coire. Dandum autem his medicamentum ex aqua, πόλιον coctum habente, aut rutam. Prodest & torminosis, & cœliacis, datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente, quam Græci γναφαλίδα dicunt, uel sorba, uel siliquam syriacam. Lienosis datur ex mulso uel passo aquæ mixtis. Eodem modo dandum est & eis, qui sanguinem per urinam uel aluum reddunt. Nec minus etiam mulieribus, quæ fluore sanguinolento infestantur, quod ῥοῦν ἐρυθρὸν Græci dicunt, uel ex partu abortu'ue, quæ residuos uuluæ dolores habent: & in totum, quibus supprimendus est fluor, aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. Recipit autem hæc: Spicæ nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, myrrhæ, opij, apollinaris radicis, & cinnami, asari, acori, thuris, brassicæ seminis, castorei, singulorum * P. XII. opopanacis * P. X. stœchadis, dauci, amij, singulorum * P. XVIII. seselis cretici * P. XXIIII. mel atticum miscetur. datur non plus quàm * P. aut uictoriati. Cæterùm prout cuiusque uires postulabunt, dummodo infra hoc pondus, ex aquæ caldæ cyathis tribus in noctem secundum cœnam. Hæc potio etiam febricitantibus tutò datur: sed cœliacis in ipso dolore prodest. Vitreo uase seruatur. CXXII.

AD coli dolorem faciunt quidē mirificè quę superius posita sunt: sed cętera medicamenta in alijs uitijs dolorem leuant in pręsentia, hoc uerò quod dicturus sum, supra hominis spem conditionemque est. Ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea à nullo satis dignè laudari potest. Nam & in pręsentia dolorem tollit, & in futurum remediat, ne eum unquam repetat. Raro enim quis iterum, uel ad summum tertiò, hoc accepto medicamento, uexatus est. Quamobrem, si quando repetierit iterum dolor, dandę erunt per triduum & tunc potiones, eodem modo quo primę datę fuerint. Interdum & tertiò in dolore, eodem genere potiones dabuntur: quod accidit post hanc, utique in futurum quoque remediatur, ita ut ne suspicio quidem ulla relinquatur uitijs; Si quando tamen frigus, aut multitudo cibi pręcesserint, grauitatem quandam, & priorem eius loci sine ullo dolore sentiunt, planè ut intelligant quasi quanto malo caruerint. Hoc medicamento muliercula quędam Romę ex Africa multos remediauit. Postea nos per magnam curam compositionem accepimus, id est, pretio dato quod desiderauerat, & aliquot non ignotos sanauimus, quorum nomina superuacuum est referre. Constat autem medicamentum ex his rebus: Cerui cornua sumuntur, dum tenera sunt, quasi in taleas breueis diuisa, olla fictili componuntur, operculoque superposito, ex argilla undique circundata, fornace uruntur, donec in cinerem candidissimam redigantur: atque ita in uase uitreo mundo reponuntur. Cùm dolorem habet aliquis, pridie quàm poturus est medicamentum, debet abstinere ab omni re: atque ita postero die sumuntur ex cornibus cochlearia tria cumulata, satis ampla: quibus miscentur piperis albi grana nouem trita, & myrrhę exiguum, quod odorem tantummodo pręstare possit. Hęc cùm in unum commixta sunt mortario diligenter, cochlea uerò africana, id est, inde adlata sumitur, quàm potest amplissima, & uiua mortario cum sua testa contunditur, atque ut est, teritur, donec nullum uestigium appareat testularū. Postea uini falerni non saccati cyathus adijcitur, & nihilominus rursus teritur. Magis enim tunc apparent residendo amplitudines, si quę reliquę sunt: quibus lęuatis, iterum adijciuntur cyathi duo eiusdem uini, atque ita prioribus bene admiscentur: transfunditurque cum his, quę sunt in mortario, calice nouo, & supra carbones imponitur, mouente aliquo cochleario liquorem, ne quid subsidat, & peruratur. At ubi bene incaluerit, inijciuntur in eundem calicem quę supra dixi cochlearia tria, & permouetur. Cùm autem calore temperata & potio datur abducenda, statim dolorem leuat. Hoc facere oportebit per insequens biduum, capientem cibi in prandio, aut alio tempore exiguum, quod facilè conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. Post ea in consuetudine uictus sui, qui colo infestabatur, dimittatur. Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum uiuere: tametsi enim à coli dolore tuti sint, metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis ęquè adficiantur ad intemperantiam colli, antequàm remediati erunt.

Ad tumorem, dolorem iocineris & duritiem. CXXIII.

AD tumorem & dolorem iocineris, item ad duritiem, facit bene lupi iecur primùm in aqua feruenti dimissum, atque ita arefactum. Quantum uictoriatorum P. trium, ex aquę caldę cyathis tribus per aliquot dies dabis. CXXIIII.

Item benefacit ad duritiam iocineris ueterem, cunilę aridę, quam satureiam quidam uocant, cōtusę, * P. unius, uel uictoriati, cum mulsi cyathis duobus & totidem aquę. CXXV.

Proficit mirificè hęc compositio ad tumorem, & ad dolorem cum duritia iocineris & lienis: Itē ad renium dolorē benefacit. Nam colorem corporis restituit, qui propter uitia dictarum partium corrumpitur, pallidusque conspicitur. Prodest hoc item medicamentum etiam ad aquæ mutationes: croci * P. X. nardi * P. duūm, casiæ * P. duūm, costi * P. I. schœni * P. I. cinnami * P. I. myrrhæ stactæ * P. I. mellis optimi * P. XXV. Datur quantum faba ægyptia, in musti mulsi cyathis quatuor. Vitreo uase seruatur. CXXVI.

AD iocinoris duritiam ueterem, hydropicos, lienosos, arquatos, & quibus opus est urina: Itē ex partu residua mulieri purgat, & uuluæ dolorem tollit sic; Anesi * P. VIII. dauci * P. III. petroselini, item

ni, item iuniperi, item filis, tragacanthi, pon. selibra, panacis ✱ P. VIII. iris, myrrhæ, costi, amomi, singulorum ✱ P. VI. cinnami ✱ P. III. casiæ ✱ P. III. smyrnij, quod est semen olusatri ✱ P. VIII. nardi syriaci ✱ P. IIII. acori ✱ P. X. balsami seminis ✱ P. VI. opij ✱ P. V. erui moliti sextarij bes, scyllæ coctæ pondo triens, uini chij aut lesbij quod satis erit. Pastilli fiunt ✱ P. duûm.

Ad auruginem. CXXVII.

AD auruginem, quod uitium arquatum quidam uocant, capreæ montanæ stercus arefactum & tritum, adiecta mica myrrhæ, ex uini meri cyathis tribus: si febricitabunt, ex aquæ totidem. Item rumicis radices tres aquæ tribus heminis incoctæ, donec sextarius relinquatur; inde cyathi quatuor per triduum dantur.

Ad lienosos ueteres & nouos impubium puerorum. CXXVIII.

Lienosis benefacit tamaricum longe à mari collectum, & arefactum, & contusum ✱ P. unius aut uictoriati, datum ex aqua, uel ex posca. Prodest & inula arida campana eodem modo contusa & cribrata, ex uini mixti cyathis quatuor ✱ P. I. data. Mirificè facit & ammoniacæ guttæ ✱ P. uictoriati, cũ cauliculis tribus rubi ex aceto datũ per dies quinque. Tollit enim ex toto duritiam. CXXIX.

POTIO ad lienosos; balani, qua unguentarij utuntur, ✱ P. duûm, costi ✱ P. I. capparis radicis ✱ P. I. hederæ nigræ baccarum ✱ P. duûm, περικλυμένου, quam syluæ matrem uocamus, ✱ P. uictoriati, galbani ✱ P. VIII. cardami nigri, id est, nasturcij seminis ✱ P. duûm, & uictoriati, piperis nigri ✱ P. I. scyllæ coctæ ✱ P. XII. Hæc omnia colliguntur scylla, fiunt globuli. Dantur ✱ P. duûm uel unius, ex melle & aceto mixtis cyathis quatuor aut tribus. Eadem facit ad hydropicos bene, ex aqua mulsa, urinã mouet. CXXX.

Lienosos sanat extra impositus sinapis sextarius unus detritus, adiecto sextario uno lentis aceto coctæ. Oportet autem impositum esse medicamentum, donec dolorem pati non possint: postea solio calido dimittantur, ut plures eos contineant, dum desinat dolor; alioquin exilient: maior enim fit dolor calda tactis; postea ceratum ex rosa imponere oportebit. CXXXI.

ALIVD eadem ratione impositum melius facit. Sinapis sextarius, git cyathi duo, nasturcij cyathi quatuor, myrobalani corticis cyathi quatuor, piperis cyathi duo; sinapi aceto acri pridie maceratum, deinde tritum, contusum, cæteris miscetur: in panno inlitum medicamentum imponitur, fascia quàm longissima alligatur, plurimùm in unum commissa, quò tardiùs soluatur. Hoc est efficacissimum, & multorum annorum tollit duritiam. Sed post hoc, si quæ reliquiæ remanserint, ammoniaco tollendæ erunt & rubo. CXXXII.

Inflatibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens ferrum demissum, uel lac caprinum, capta tantummodò hedera pasta. Proderit & his sinapis sicca, contusa, cerato mixta; extra impositum & gypsum aqua conspersum, & acetum, in quo tamaricum decoctum fuerit, uesica abditum, & ita extra impositum.

Ad hydropicos. CXXXIII.

AD hydropicos, cùm iam distenti sunt, propter aquæ multitudinem (initio enim alia uia prodest) benefaciunt chamæleæ, quę herba est simillima oliuæ, folia quinque uel sex, etiam si arida fuerint, data ex aquę mulsę cyathis tribus, salis coclearìo adiecto. largiter enim aquam ducit. Item squamę ęris, quã λεπίδα Greci uocant, pondo uictoriati, data cum apij seminis pari pondere ex aquę mulsę cyathis quatuor: plurimum autem aquę deijcit. Datur & radicis succus ex uini cyathis tribus mixtis. Oportet uerò secundùm purgationem, spongijs nouis totum uentrem ex aceto & sale eiusdem mensuræ diluto et infermefacto imponere: & constringere extrà instita longa; cibosque assę carnis dare, cum pane azymo, fricantem totum corpus sale, oleo paribus mensuris, uini meraci quod satis erit dantem. CXXXIIII.

Benefacit ad hydropicos hęc cõpositio, & maximè in initijs, quorũ sufflatũ corpus est, ὑποσάρκα qd' Gręci uocant; uitis albę radicis P. XX. cocci cnidij ✱ P. IIII. scyllę bulbi cocti detracta exteriore parte, ✱ P. X. myrrhæ ✱ P. VIII. cymini cyathis tribus, anesi cyathis tribus, uini falerni sextarijs duobus, passi sextario uno. Præter myrrham, omnia contusa, non cribrata, macerantur passo & uino, nocte & die: postridie colatur liquor, cui myrrha trita admiscetur; à quo cyathus datus à balneo alternis diebus, singulis adiectis cyathis, donec profectus intelligatur. Oportet autem his diebus dare eis cibos assæ carnis agrestis, aut uolucrum, aut uinum austerum meraculum.

Aluum mollientia. CXXXV.

Quoniam interdum res postulat & per aluum detrahi materiam, ut diutius lippientibus, secundũ sanguinis detractionem, scabiem, ignem sacrum, papulas habentibus, & alia eiusmodi circa cutem summã; non alienum iudicauimus, horum quoque genus exponere. Sed prius exponemus, quæ aluum mediocriter molliunt, simplicia quæ sunt. Mollit ergo aluum herba mercurialis lenibus oleribus quamplurima mixta: item nitri uictoriati pondus, cùm resinæ terebinthinæ auellanæ nucis magnitudine deuoratur; calices quoque eis incrustentur, additis quinque uel sex salis farrisque granis, apij seminis paribus mensuris: & is qui uinum non austerum præbiberit, quantum possit ante cibum, & inter prandium, uel cœnã, bellè aluum mollit. Item ouili lactis sextario siquis adijciat cnici purgati ✱ P. IIII. Mollit & uentrẽ quidem tribus heminis uini, ut aloes uictoriati pondo; uel idem pondus duobus tribus'ue sextarijs uini, & ita totum per partes aqua mixtum bibunt. Videtur autem uinum uetustius, uentremque cũ eo satis mollit. Facit autem aloe per se uictoriati uel ✱ P. ex aquæ cyathis tribus frigidæ uel calidæ per-

ductæ. CXXXVI.

PVRGAT ergo bellè chamælea, quæ herba oliuę folia similia habet: quorum quinque uel sex dare oportet, trita ex aquæ mulsę cyathis IIII. frigidę, si adsuetus erit: si minus, calidę, adiecto cochleario. Detrahit enim aquam largiter. Biles purgat. & filicis radix lota & rasa, atque in minimas particulas cōcisa, quantū placet, aceto aspersa, condito, ut solet, ita cū P. quadrāte consumpta. CXXXVII.

BENE purgat & hęc compositio: Aloes uictoriati pondus, colofōnię uictoriati pondus: unà teruntur, adijcitur mellis, quod satis est ad colligenda ea. Datur ex aquę calidę uel frigidę cyathis quatuor. Hoc medicamentum stomachum non corrumpit.

Globuli mirificè purgantes: qui ut sumuntur, ita integri deijciuntur, nec lædunt stomachum. CXXXVIII.

Colofonię * P. VIII. bdellij * P. duūm, commis * P. unius. Hęc trita, succo lactucę colliguntur, & finguntur pilulę, fabę magnitudinis. Dantur paribus pilulis usque ad septem, prout uniuscuiusque uires patiuntur.

Globuli qui etiam cœnatis dantur, & efficiunt manè deijci quod satis sit. CXXXIX.

Colofonię * P. III. aloes * P. IIII. tragacanthi * P. duūm. Hoc pridie aqua maceratur, postero die cęteris admiscetur: fiunt inde globuli fabę magnitudinis. Datur à tribus usque ad septē, prout cuiusque uires patiuntur. Stomachum nullo modo uexant.

Ad tineas & lumbricos necandos. CXL.

AD tineas necandas, eijciendas, per triduum allium plurimum edat, & ueteratum caseum molle; secundum hoc filicis Macedonicę contusę, aridę & cribratę * P. VIII. cum melle, quantum ipse uoluerit consumat. Post horas quatuor detur ei aloes & scāmonię, singulorū uictoriati P. ex aquę mulsę cyathis quatuor: cùm cœperit desurgere, aqua calda supponatur. Licet & sine oleo, pridie incœnato dare utraque medicamenta. CXLI.

AD lumbricos satis commodè facit & sandonica herba, quę nunc uiget, & cornum ceruinum limatum lima lignaria, quantum quatuor uel quinque cochlearia ex aquę mixtorum decoctorum cyathis tribus, pridie maceratum, deinde tritum, & datum, aqua exigua adiecta.

Ad prolapsionem & libidinem nimiam desurgendi extremi intestini. CXLII.

Tenesmos, est irritatio ultimę partis directi itestini, in quo ultimo sępius libet desurgere sine causa. Proderit ad hoc, quoties desurrexerit, uino austerissimo & aqua calida fouere, uel uerbenis & murti & oliuæ ramulis, factis ita, ut duæ partes murti sint. Quin etiam penicillum intinctum, & non nimis expressum, ex alterutro eorum ano expositum proderit habere; uel eodem modo glomus staminis albi: diutius enim uaporem continet. Perungendus erit anus specillo lycio, patarico, uel indico. Vel hoc collyrium inijciendum, quod ad omnem deiectionem, & tormina benefacit: Acaciæ, mali granati corticis usti, singulorum * P. IIII. hypocystidis, rhois, quo coriarij utuntur, opij, singulorum pondo sena, omphacij pondo quatuor & uictoriati, croci * P. IIII. uino austero colliguntur: fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

Ad renium tumorem & exhulcerationem, etiam si sanguilentam urinam faciant. CXLIII.

AD renium tumorem, & exhulcerationem, etiam si sanguilentam urinam faciant, rosæ aridæ foliorum, papaueris nigri seminis, nucleorum pineorum paria pondera, contundūtur seorsum, & in unum miscentur; inde datur, quantū nucis iuglandis, ex passi cyathis duobus, & aquæ cyathis tribus. CXLIIII.

ALIA ad renium dolorem potio, quæ etiam quasi arenam sabulosam detrahit. Apij seminis, petroselini, anesi, singulorum * P. XVI. dauci seminis * P. IIII. schœni * P. VI. croci * P. triginta duūm; mellis quod satis uidebitur. Dantur quantum lupinus, ex mellis ligula, & aquæ cyathis IIII. Ad renium tumorem & dolorem facit eadē, & ad iecinoris, & ad lienis tumorem, ad eos qui mali coloris propter hæc sunt uitia: item aquæ mutationes. Croci * P. X. nardi indici * P. duūm, casiæ * P. II. costi * P. I. cumami * P unius, myrrhæ stactes * P. unius, mellis optimi * P. uigintiquinque. Dantur quantū fabæ ægyptiæ, ex mulsi cyatho, mixto aquæ duobus, uel mulsæ aquæ cyathis tribus. CXLV.

SI cui autem lapis in renibus innatus fuerit, & urinam non faciet, medicamentum his rebus fieri debet: Petroselini P. — anesi P. — dauci seminis P. Z. git P. — cinnami P. Z. schœni P. Z. croci ∋ V. apij seminis P. ∋ VI. Hæc omnia tusa, creta, melle attico despumato P. II. Z. colliguntur, & medicamētum uitro condunt. CXLVI.

AD tumorem & dolorem uesicæ, & exhulcerationem benefacit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis caldis, quæ sunt in Tuscia ferratæ, & mirificè remediant uesicæ uitia. Appellantur itaque uesicariæ; quondam Milonis Gracchi prætorij hominis optimi ad quinquagesimum lapidem reddentis. CXLVII.

AD tumorem & dolorem uesicæ, & ad eos qui difficulter urinam reddunt: Alterci seminis, apij seminis, maluæ seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum * P. VI. amygdalorum dulciū purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorū * P. III. opij * P. I. croci * P. unius & uictoriati; passo contusa consperguntur. Datur hoc medicamentum * P. I. ex passi cyathis duobus, & aquæ totidem. CXLVIII.

AD uesicam exhulceratam, nucleorum amygdalorum uictoriati pondus, cucumeris edulis seminis purgati cyathus unus, anesi cyathus, papaueris nigri * P. IIII. croci * P. unius, palmas cariotas p. triginta. Has

ta. Has macerari oportet in passi sextarium unum, atque conterere: his adijcere cætera: ex eodem dare nucis iuglandis magnitudinem ex passi cyathis tribus. CXLIX.

AD sanguinem cum dolore per urinam reddentes: Aluminis fissi pondo uncia, tragacanthi pondo sextans. Tragacanthum ex alumine trito cogitur in pastillos uictoriati pondo: hinc uiciæ magnitudine detractum datur ex passi cyathis tribus.

Ad calculosos experta. CL.

AD initia uetusta ue comprimenda, & emendanda, benefacit ad calculosos herba σκολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus, bellefacit contusa ⋇ P.I. ex aquæ cyathis tribus per dies triginta; eodem modo ἱερὰ βοτάνη, quam nos uettonicam dicimus. Item eodem genere datur tantũ; licet autẽ aqua earum decocta uti quotidie ieiunum ⋇ P. unius, cum aquæ cyathis tribus. CLI.

MVLTOS cum admiratione effectus audiui narrantes, Cai Iuli: nasci in lapidicinis b... as adhærentes saxis quasi uerrucas: has quinque ex aquæ cyathis tribus suffundere, & per urinam ...trahere lapides, certum est. CLII.

Ad calculosos, cucumeris seminis, dauci, anesi, apij, petroselini, myrrhæ, singulorum ⋇ P. trium & uictoriati, casiæ, daphnidis, cinnami, nardi, singulorum ⋇ P. unius; aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. Ex aqua dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentum cùm componitur, pilum ligneum sit; qui contunditur, anulum ferreum non habeat. Hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius, medicus Puteolanus, qui adfirmauit multos se hoc medicamento sanasse. Detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quędam lapidum, quasi arenam. CLIII.

AD calculosos, lienosos, hydropicos, urinam detrahit, lapidem extenuat: Eryngij, pyrethri, saliũcę, calcifragę, singulorum ⋇ P. XXV. ebuli, aristolochię singulorum ⋇ P. oxymyrsinę, quę scopa regia uocatur, succo. hęc omnia contusa ligno, colliguntur, fiunt pastilli ⋇ P. I. Dantur autem ex aceti & mellis cyathis tribus. Calculosis illecebrę quantum manus capit, aut auriculę murinę idem, aut betonicę tãtundem: earum quęlibet herba ex aquę tribus heminis ad tertias decoquitur, inde sumũtur cyathi tres, & eodem adijciuntur uini cyathi duo, & nitri uictoriati pondo, atque his dilutum medicamẽtum datur P. I. per dies XLV. In arenam soluit lapidem, & hydropicis ex mulsi mixti cyathis tribus dandum est.

Ad lumborum dolorem diutinum, & paralysin. CLIIII.

AD lumborum dolorẽ, cucurbitæ syluestris flocculorum, aut seminis ⋇ P. duũm, brathys ⋇ P. I. salis ⋇ P. I. Fiunt catapotia melle decocto adiecto. Valentibus tota datur compositio, imbecillioribus autem dimidia. Sed mane per clysterem aluus ducenda, ouorum albis temperatum. CLV.

AD lumborum dolorem & paralyticos, cucurbitæ syluestris ⋇ P. IIII. pyrethri ⋇ P. IIII. myrrhæ ⋇ P. duũm uel unius. Dantur ex passi cyathis tribus: licet hinc catapotia fieri, dum idem ponderis deuoretur. Sed & his aluus acri clysmo manè trahenda est. CLVI.

AD lumborum dolorem & paralyticos, antidotos Hiera Pacchij Antiochi melius omni medicamẽto facit. Sed ad paralysin mirificè hoc acopum facit, quod oportet in sole diu fricare, aut loco flamma præcalfacto; olei sabini ⋇ P. XXV. cucumeris syluatici recentis radicis ⋇ P. XV. Hæc radix magnitudine nucis iuglandis concisa, uase fictili nouo ex oleo coquitur, donec succum omnem remittat, & quasi arida sit: post hoc adijcitur per linteum uel colum transmisso oleo; in quo adijcitur, dum calet, ceræ ponticæ in frusta redactæ pondo libra, olei laurini pondo libra, olei cyprini pondo libra, olei lilij P. libra, olei ueteris P. duo, piperis albi cõtusi, & per cribrum tenuissimum transmissi ⋇ P. as. pyrethri contusi, & per idẽ cribrum transmissi ⋇ P. unius. Hæc in unum miscentur, reponuntur uase fictili. Facit præterea ad lumborum, & ad omnem dolorem corporis, & præcipue neruorum. Muliebres locos durissimos mollit, cùm diu alijs medicamentis nihil profectum est. CLVII.

AD lumborum dolorem, malagma quod propriè facit: Picis liquidę sextarios duos, olei ueteris sextarium unum, resinæ terebinthinæ sextarium unum, ceræ P. librã & trientem, magmatis P. bessem, aphronitri P. trientem. Coquitur pix cum oleo, donec spissa fiat: & postea adijcitur ei resina, deinde cera, & secundùm hanc ex interuallo magma. Vbi habet emplastri figuram medicamentum, tollitur ab igne, cùm tepere cœperit, & aphronitrum aspergitur sensim, ne superfundatur quod in cacabo est.

Ad podagram. CLXIII.

AD podagram caldam cum feruore, & tumore rubicundo, quam caldam uocant, benefacit primis diebus herba urceolaris, item caseus mollis recens per se, postea herbæ salis pusillum admiscere oportet. Item facit apium uiride per se & cum polenta. Nec minùs solanum, portulaca, plantago, spongia uel rhodia, uel africana mollis ex aqua frigida, lana succida ex rosa & uino. Subinde autem hęc omnia mutare oportet prius, quâm excalefiant. Prodest & omentum caprinum. Item faba molita cum suis ualuulis ex aceto cum melle diluto conspersa & imposita; ducit enim sanguinem, & dolorem leuat. Benefaciunt & mala citria quàm maximè cocta, ex aceti sextarijs tribus, donec madida fiant: quibus tritis adijcitur aluminis fissi P. uncia, myrrhæ P. sextans. Benefacit & aloe aceto diluta, & per pinnam pedibus inducta. Item opium lacte muliebri dilutum. Mirificè uero hoc facit cataplasma, id est, superpositum medicamentum: CLIX.

TOLLIT enim triduo dolorem lomenti hemina, fœniculi seminis cyathi duo, polẽtæ tenuis cyathi duo. Commiscentur hæc in unum contusa, molita, trita, deinde consperguntur aqua pluuia: & ita temperantur, ne durum sit medicamentum, aut aquatum nimis: Impositum protinus leuat; triduo tol-

lit dolorem. Hoc constat, si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum. CLX.

AD frigidam podagram, quę sine tumore & rubore consistit, cataplasma: Piperis nigri móliti hemina, fœniculi seminis contusi hemina. Coquuntur ex aqua: utraque ubi temperata sunt, adijcitur axungia suilla: & dum calet, panno spisso inducto medicamentum imponitur. Benefacit ad idem genus & lini seminis, & fœni gręci seminis, farinę ordeaceę, singulorum bini sextarij, cribrati in unum commiscentur: inde coquere oportet quod satis erit ex aqua & oleo: subinde calidum cataplasma etiam imponere. Ad hos benefacit & hybisci radix ex aqua mulsa cocta & imposita. Item sabucum cum axungia uetere tritum & impositum. Adiectus & brassicę cinis cum axungia, uel semen caulium. Vbi autem impetus cessauerit, & in hoc, & in priore genere podagræ, calda aqua marina diu fouēdi sunt: uel, si hęc non erit, aquę purę feruenti salem adijcito. post epiphemate uti oportet, quod ad parotidas scriptum est: Tollit enim cito reliquias per sudores, & in futurum confirmat neruos, nec patitur facile uitiari. CLXI.

SCIO quendam hoc quasi acopo medicum usum in noctem, nec postea tentatum podagra, cũ ante diu esset uexatus. Lanam succidam pondo libra, uini ueteris sextario diu lauabat: deinde expressam reijciebat: uino autem residuo adijciebat aphronitri usti pondo sextantem; olei ueteris P. libram: reponebat in oleario fictili: utebatur, ut superius dixi, in nocte. Multis profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere. CLXII.

AD utramlibet podagram, torpedinem nigram uiuam cùm accesserit dolor, subijcere pedibus oportet, stantibus in littore non sicco, sed quod alluit mare, donec sentiat torpere pedem totum & tibiam usque ad genua. Hoc & in præsenti tollit dolorem, & in futurum remediat. Hoc Anthero Tiberij libertus supra hæreditates remediatus est.

Genera medicamentorum, & demonstrationes serpentum ictus, morsusq;. CLXIII.

VT sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum compositiones, id est ad serpentum morsus, atque ictus medicamenta. Sed prius quæ cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. Habere ergo incinctum oportet peucedanum, uel cerui cùm captus est, in oculi angulo, qui est ad nares uersus, quæ inueniuntur sordes uirosi odoris; has Siciliæ uenatores diligenter colligunt, & habẽt in cincto propter antedictam causam. Item præstat & hiera botane, & trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant: nascitur & hoc Sicilię plurimum. nam in Italiæ regionibus nusquam eam uidi herbã, nisi in Lunæ portu, cùm Britanniam peteremus cum deo nostro Cæsare, plurimum super circundatos montes. Est autem folijs, & specie, & numero similis communi trifolio: nisi quòd huius pleniora sunt, & quasi lanuginem quandam super se habent, & in extrema parte uelut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum, aut etiam amplior conspicitur, & odorem grauem emittit; quorum nihil circa patrense trifolium inuenitur. Sed utrasque superius dictas herbas, quas cùm inueneris, pridie notare oportet, & circunscribere sinistra aure fruges aliquas ponentem, atque postero die ante solis ortum, sinistra manu uellere, ita illigatas habere. CLXIIII.

IN Africa, aut sicubi scorpiones sunt noxij, stellionem aridũ incinctũ oportet habere.

Theriace prima. CLXV.

Theriace facit ad omnium serpentum morsus, & ictus, & adflatus: Mirifice eadem prodest & ad contusiones, & ad conuulsiones interiorum partium laterisque ex qualibet causa, & pectoris dolores. Vitis albæ radicis pondo octo, trifolij acuti seminis, quod & ipsum in extremo aculeum habet, uel eiusdem radicis trepõdo, panacis P. IIII. terræ mali ⚹ P. V. roris marini radicis ⚹ P. IIII. laseris ⚹ P. IIII. gingiberis ⚹ P. IIII. rutæ syluaticæ ⚹ P. sex, cumini thebaici ⚹ P. III. myrrhæ ⚹ P. III. cumini æthiopici ⚹ P. V. castorei ⚹ P. III. eryngij radicis ⚹ P. III. serpylli ⚹ P. III. erui albi seminis moliti ⚹ P. XII. Chio uino consperguntur contusa ac trita: fiunt pastilli ⚹ P. unius, aut uictoriati. Dátur ex uino mero uetere, uel ex mixto, uel aqua: quæ si non fuerint, per se commanducandus erit pastillus & deuorandus.

Theriace secunda. CLXVI.

ALTER pastillus, ad eadem facit: Cinnami ⚹ P. IIII. serpylli ⚹ P. IIII. staphisagrię, quã herbam pedicularium quidam uocant, quòd pediculos necat, à quibus hoc nomen trahit, seminis ⚹ P. III. & uictoriati, piperis albi ⚹ P. VI. peucedani lactis ⚹ P. VIII. & uictoriati, glycysidæ nigræ seminis, quam pæoniam Græcorum quidam appellant, ⚹ P. unius & uictoriati, terræ mali ⚹ P. trium, nasturtij seminis ⚹ P. IIII. cãchryos ⚹ P. duum & uictoriati, castorei ⚹ P. duũm, saliuncæ ⚹ P. quinque.

Hîc nonnulla desunt compositiones: Theriace tertia ad aspidem, Theriace ad uiperæ morsum propriè, Antidotos Zopyri, & media pars antidoti mithridatij; quorum aliquæ hîc ex Galeno secundo antidotorum restituuntur à Ioan. Ruellio.

Altera Theriace, etiam ad aspidem. CLXVII.

Antidotus altera ad aspidis morsum, siue præsumpta, siue pòst data: gentianæ ⚹ P. IIII. trifolij, ⚹ P. IIII. seminis eiusdem ⚹ P. duum, polij ⚹ P. IIII. mali terræ ⚹ P. duũm, peucedani radicis, galbani, singulorum ⚹ P. duũm, petroselini ⚹ P. IIII. rutæ syluaticæ ⚹ P. trium, pyrethri ⚹ P. unius, herbæ pedicularię, quam uocant σταφίδα ἀγρίαν, tantundem, maceris ⚹ P. III. uitis albæ radicis ⚹ P. duũ, piperis

piperis candidi tantundē, ammoniacæ guttæ ✱ P. unius & uictoriati, acori ✱ P. III. uarbasci, aiugæ idest chamæleæ, marrhubij tenuis, conyzę minoris, cumini ęthiopici, lacrymę papaueris, castorei, fęniculi seminis, agarici, casię rufę, schœni, id est iunci odorati floris, radicis ponticæ, singulorum ✱ P. II. dauci cretici ✱ P. I. & uictoriati, opopanacis tantundem, sagapeni ✱ P. II. et uictoriati, abrotoni ✱ pond. I. & uictoriati, styracis, dictamni, singulorum ✱ pond. unius & uictoriati, cinnamomi, nardi, singulorum ✱ pond. III. myrrhę ✱ pond. IIII. thuris ✱ pond. unius, croci ✱ pond. VIII. anesi ✱ pond. unius, cyrenaicæ lachrymę ✱ pond. I. hinnuli coaguli ✱ pond. III. mellis attici, quod ad ea excipienda satis sit: inde sumitur nucis abellanę tuberculo. Sic pręsumpta à morsu tuetur. Hęc compositio ad Antipatrum auctorem refertur. CLXVIII.

AD uiperę morsum proprie.

Non restituta. CLXIX.

Antidotos Zopyri, ad lethalia uenena & omnem serpentis ictum efficax; ratio componendi hęc est, Opobalsami ✱ pond. triū, nardi indicę, myrrhę troglodytidis, iunci rotundi floris, cinnamomi, characię, costi recentis, piperis longi, hypocystidis, piperis nigri, scordij, meu cretici, cardamomi, singulorum ✱ P. IIII. thuris masculi, opobalsami, dictamni, singulorum ✱ pond. VI. petroselini, casię rufæ, singulorum ✱ pond. VII. croci coricij ✱ pond. VIII. mellis attici quod ad ea colligenda satis sit. Datur abellanę nucis magnitudine, si febris absit, ex uino; febricitantibus ex aqua mulsa. Prodest etiam sanguinem excreantibus, cœliacis, iocinerosis, lienosis, & renum dolore uexatis; emortuos fœtus & secundas hęrentes trahit. CLXX.

Antidotos mithridatis recipit hęc: Meu ✱ pond. duūm, lacrymę papaueris pondo uictoriati, styracis ✱ pond. VIII. polij, casię nigrę, seselis, bdellij, piperis albi, singulorum ✱ pond. V. & uictoriati, hypocystidis succi, myrrhę, thuris masculi, castorei, piperis longi, cyphis, malobathri foliorum, singulorū ✱ pond. VI. scordij, costi, singulorum ✱ pond. VI. & uictoriati, nardi syriacę ✱ pond. VI. dauci cretici ✱ pond. VI. & uictoriati, croci, cinnami, gingiberis, singulorum ✱ pond. VI. succi radicis dulcis, agarici, singulorum ✱ pond. VII. & uictoriati.

Hæc defuerant in compositione: sequentia in ponderibus & mensuris, & effectus, mithridatij compositioni, quæ est apud Galenum citato loco, consentiunt.

ACORI ✱ pond. duū, phu ✱ pond. I. sagapeni ✱ pond. II. iris Illyricę ✱ pond. II. balsami seminis ✱ pond. duum, rutę syluaticæ ✱ pond. II. gentianę ✱ pond. II. anesi ✱ P. trium, thlaspis ✱ P. VI. & uictoriati, rosæ aridæ ✱ P. IIII. mysi ✱ P. IIII. acaciæ ✱ P. trium, commis ✱ P. duum, cardamomi ✱ P. II. schœni floris ✱ P. VI. & uictoriati, opopanacis ✱ P. sex, opobalsami ✱ P. sex & uictoriati, galbani ✱ P. sex, & uictoriati, resinæ terebinthinæ ✱ P. sex, & uictoriati, rubricæ lemniæ ✱ P. VII. melle attico & uino chio conspergito, donec habeat spissitudinem mellis. Reponitur uitreo uase. Dandum autem est his, qui malum medicamentum sumpserunt, fabæ ægyptiæ magnitudine, ex uini meri, si poterit, cyathis sex: sin minus, mixti meracius cyathis quatuor quotidie. Et à serpēte læsis dāda erit. Ex mulso autem, quorum iecur durum est, aut arquati sunt, & quibus alioquin urinam mouere studemus. Sed fabæ nostratis magnitudinis tussientibus, oculis laborantibus, latus dolentibus: cæterum magnitudine ciceris cœliacis. Prodest enim & his uiciæ magnitudo ante accessionem febrium, tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis. Addiuuat enim eos lupini magnitudine, sed cum aquæ cyathis tribus.

Antidotus Apuleij Celsi. CLXXI.

Antidotus Apuleij, Celsi præceptoris, quam quotannis componebat, & genere quodam publice mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes. Facit enim ad horū morsum protinus quidem data per dies triginta, ita ut aquæ, id est, liquoris timore nunquam tentetur: qui cum accidit, summo cruciatu ad mortem eos compellit; quos ob antè dictam causam ὑδροφόβους Græci appellant. In ipsa autem correptione uti oportet ea data cum rosæ cyathis tribus & exigua aqua ✱ P. I. Hoc proficit, ut aquam postea sine timore sumant; & minus quidem liberati hac difficultate cruciantur. Cæterum nemo adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. Quanquam peruenit ad me opinio, esse in insula Creta barbarum quendam naufragio appulsum, maiorem natu, publicè mercedem accipientem: Quin etiam cūm liquore timent, & latratus edunt, spasmoque uexantur, remediū, brachio sinistro alligato, efficere, ut & potionem accipiant, & liberentur uitio: quod adhuc ante antidotū Celsi inter omnes quasi insanabile constitit. CLXXII.

HOC ego cùm quærerem ab hospite meo legato inde misso, nomine Zopyro, Gordiense medico, quid esset, pro magno munere accepi. Dixit autem hyænæ corij particulam esse panno inligatam: quod ego adhuc non sum expertus; quamuis protinus magna cura hyænam inuenerim, & pellem paratam habeam: quia non incidit ex eo quisquam, & opto quidem ne incidat: sed quia id non est in nostra potestate, si casu inciderit, remedium habere oportet ad tantæ rei experimentum. Antidotus autē Celsi hæc recipit. CLXXIII.

NARDI syriacę, croci, myrrhæ, costi, casiæ, cinnami, schœni, piperis albi, piperis longi, castorei, galbani, resinæ terebinthinę, opij, singulorum ✱ P. III. alterci albi ✱ P. II. anesi ✱ P. I. apij seminis, tragacanthi, singulorum ✱ P. sex, mellis attici sextarium unum, uini falerni unciam. In hoc maceratur tra

gacanthum & opium pridie : postero die contusi cęteris, miscentur in melle galbanum & resina, fictili patella super carbones imposita, resoluuntur: deinde arida asperguntur: & si opus est, adijcitur mel : & ut cerati teneri spissitudinem habeant, & rursus patella super ignem imponitur : mouenturque quę sunt in ea, spatha fraxinea . Coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem : ultima quę sunt uino macerata adijciuntur : uase uitreo antidotus reponitur . Datur fabę ęgyptię magnitudine ex aqua. Facit autem etiam ad stomachi omne uitium, & pręcipuè quod cum fluore consistit: Facit & ad oculorū epiphoras, & ad tormina, & ad coli inflationem, iecinoris, pectoris dolorem, tussienteis, aduersus mala medicamenta omnia, serpentium morsus uel ictus . Oportet autem locum morsum à rabioso cane, uel à serpēte, diu tenere in exhulceratione: neque pati cicatricē ducere, ut uirtus illa pertahatur. CLXXIIII.

Extrà itaque ea sunt imponenda, quę etiam sana corpora exhulcerant, ut allium, lepidium, chelidonium, batracium, sinapis, scylla, cepa cum aceto . Optimè facit & per se caprifici liber per se contritus & impositus hulceri . Item laser per se .

Compositio emplastri . CLXXV.

Emplastrum antidotum, sed multò magis emplastri huius uis facit, quo Augusta propter huiusmodi casus, habuit compositum, & multis profuit . Accepimus à Triphone pręceptore nostro : Iris Illyricę ⚹ P. V. castorei Pontici ⚹ P. V. caprificus lactis aridi ⚹ P. V. canis nigri adipis ⚹ P. VIII. eiusdem sanguinis ⚹ P. X. resinę terebinthinę ⚹ P. VIII. leporis coaguli ⚹ P. IIII. salis ammoniaci ⚹ P. duum, laseris syrenaici ⚹ P. duūm, aut syriaci ⚹ P. IIII. cerę ponticę ⚹ P. XXXVI. olei ueteris cyathi duo, aceti scillitis cyathi tres . Arida ex aceto teruntur : quę liquefieri possunt, oleo ad ignem liquefacto miscentur, mortario tritis & temperatis, in mellis spissitudinem . Vitreo reponitur .

Antidotus Cassij . CLXXVI.

Antidotus Cassij medici, facit aduersus toxicum potum. Eadem si quis uenenato telo percussus est. Pręterea ad omnis serpētis morsus aut ictus. Pręcipuè ad canis rabiosi morsus, bis die sumpta ⚹ P. unius ex aqua mulsa . Facit ad pectoris & lateris dolorem, & tussim, & omnia interanea, inflatione, alioque dolore, aut quouis correpta . Nardi spicæ syriacæ ⚹ P. III. costi ⚹ P. III. cinnami, gentianæ, casiæ, myrrhæ, singulorum ⚹ P. trium, croci ⚹ P. trium, uuæ passæ purgatæ ⚹ P. duum, schœni ⚹ P. duūm, opobalsami ⚹ P. duūm, mysis, dauci, singulorum ⚹ P. duum, cumini æthiopici ⚹ P. duūm, acori ⚹ P. IIII. & uictoriati, asari ⚹ P. unius & uictoriati, petroselini ⚹ P. unius & uictoriati, piperis longi ⚹ P. I. & uictoriati, piperis albi ⚹ P. unius & uictoriati, phu pontici seminis ⚹ P. trium, rapæ seminis ⚹ P. IIII. nardi folia ⚹ P. III. scyllę uictoriati ⚹ P. pōdus, fœniculi seminis ⚹ P. IIII. mellis attici quod satis erit, ad uenenum & ad serpentes, ex uino : ad cæteros dolores interaneorum, ex aqua .

Antidotus Marciani medici . CLXXVII.

Antidotus Marciani medici ; cui quia nihil deest, τελεία dicitur græce, id est perfecta . Facit ad omnia hæc uitia, ad quæ superiores antidoti omnes . Hoc Augusto Cæsari componebatur . Cinnami ⚹ P. VIII. amomi ⚹ P. VI. casiæ nigræ ⚹ P. XXV. croci ⚹ P. XVI. schœni ⚹ P. V. thuris ⚹ P. V. piperis albi ⚹ P. duo, myrrhæ ⚹ P. X. piperis longi ⚹ P. X. nardi indicæ ⚹ P. X. S. nardi celticæ ⚹ P. XVI. rosæ aridæ ⚹ P. VI. costi albi ⚹ P. duum, opobalsami ⚹ P. IIII. laseris cirenaici uictoriati pondus, uel syriaci ⚹ P. I. stœcados ⚹ P. sex, gentianæ ⁎ P. V. trifolij acuti radicis ⁎ P. IIII. uel eiusdē seminis ⁎ P. trium, scordij ⁎ pond. X. polij ⁎ pond. V. asari ⁎ pond. duūm, acori ⁎ pond. III. phu ⁎ P. III. misy ⁎ pond. duūm, dictamni ⁎ P. XII. ammoniaci guttę ⁎ P. trium, agarici ⁎ pond. duūm semis ; balsami seminis grana p. XX. petroselini ⁎ P. VI. & uictoriati, rutæ syluaticę ⁎ P. trium semis, fœniculi seminis ⁎ pond. trium semis, dauci cretici ⁎ pond. IIII. anesi ⁎ pond. duūm, cumini ęthiopici ⁎ pond. duūm, rapę seminis ⁎ pond. V. & uictoriati, napi syluatici seminis ⁎ pond. trium, anatis fœminę recentis ⁎ pond. II. anatis masculi sanguinis aridi ⁎ pond. III. hœdi masculi sanguinis aridi ⁎ pond. III. testudinis marinę sanguinis aridi ⁎ pond. VI. S. anseris masculi sanguinis aridi ⁎ pond. III. mellis attici quod satis erit . Facit ad omnia . Hæc ego composita habeo . CLXXVIII.

Quoniam antidotos, quas optimas sciuimus, posui in facientibus ad omne malum uitium : aliud medicamentum etiam ex multis rebus, simplicia quoque medicamenta, & propria remedia monstraui : Interdum enim hęc melius aduersus quędam, quàm antidotos faciunt. Trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quò facilius intelligatur, quid quisque sumpserit, & qua ratione adiuuari debeat.

Ad cicutam. CLXXIX.

Cicutam ergo potam, caligo, mentisque alienatio, & artuum gelatio insequitur, ultimoque pręfocantur qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt . Adiuuari autem debent in initijs uino mero subinde quamplurimo caldo, & per se, & cum pipere, & cum styrace poto . Atqui maximè prodest lac asininum datum : si minus, uaccinum, aut quodlibet . Oportet autem & aluum acri clustere ducere, eorum ; & extrà super uentrem imponere farinam hordeaceam, uel triticeam coctam ex uino caldam .

Ad opium. CLXXX.

OPIVM potum, quod quidam meconium uocant, ab odoris grauitate intelligitur : papaueris enim uiridis, cuius succus est, qualitatem repręsentat. Facit autem capitis grauitatem, gelationem & liuorem artuum, sudoresque frigidos manare . Pręterea spirationem impedit, mentem soporat, sensusque abalienat . Adiuuari porrò debent, qui biberunt, aqua cum oleo in uinum admixtis, sępius datis, & frequenter

quenter reiectis per pinnam aut lorum uomitorium. Prodest & uini cyathus,& passi,& olei cyathus eadem ratione datus. Item uinum & acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eius mensuræ, ita ut ista subinde cogantur reijcere. Præterea caput rosa & aceto sine intermissione curetur,eorumque pedes adsidue fricentur manibus siccis,aut linteo aspro inuolutis. Prodest & sinapi ex aceto tritum, circundatum pedibus cruribusque,& à somni tempore prohibere ne obsopiantur.

Ad altercum. CLXXXI.

Altercum, quod Græci ὑοσκύαμον uocant,qui biberunt, caput graue uenisque distentum habent, mente abalienantur cum quadam uerborum altercatione, inde enim hoc nomen herba trahit altercum: postea sopiuntur, & omni sensu carent,liuescentibus membris eorum. Adiuuantur autem lacte poto asinino quamplurimo,uel quolibet alio recenti per se,uel decocto. Sed ij prius aqua mulsa sæpius pota cogantur per pinnam reijcere. Opio læsi similiter curentur.

Ad gypsum. CLXXXII.

GYPSO poto, stomachus,uenterque dolore uasto urgetur,frigidus sudor subsequitur,oculi sanguilenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte uentris,quod potum est, & tactu quasi saxum percipitur. Adiuuari autem debent,qui his malis uexantur,lixiuio è sarmentorum cinere facto quamplurimo poto. Item aqua thymum,aut origanum decoctum habente.

Ad spumam argenti. CLXXXIII.

SPVMA argentea pota,quam Græci λιθάργυρον dicunt,uentris infert grauitatem, inflāmationē, postea dolorem cum urinæ difficili exitu procedente tempore, coloris quidem quasi plumbei sunt: præcipue hæc deformitas circa faciem deprehenditur. Suppurant autem plurimæ partes eorum. Adiuuantur secundum reiectionē,aqua mulsa,acrique curatione,pipere,myrrha,apij semine, pondere pari in unū mixtis,ex eoque medicamēto, ⁎ P. unius dare cum uini cyathis tribus quatuorue quotidie potis.

Ad cerussam. CLXXXIIII.

CERVSSA, quam Græci ψιμμύθιον uocant,qui biberunt,facile deprehenduntur. linguam enim albam habent, commissurasque dentium albicantes. Præterea nauseant, reijciunt poto medicamento, caligant, magis magisque uertigine quadam urgentur. Postea spiritus uia intercluditur,& præfocantur. Adiuuātur autem post uomitum ab oleo,uel ab aqua mulsa,cremore ptisanæ caldo largiore accepto, sed bene uncto. Item lacte cum melle poto. Facit & malua discocta, concisa,sale & oleo pipereque condita, & pro sorbitione data per se, uel cum urtica, herbaque mercuriali. Prosunt & nucleorum persicorum interiora ex uino trita atque pota quāplurima. Item lixiuia calda ex cinere sarmentorum facta.

Ad coriandrum. CLXXXV.

Coriandrum datum apparet quidem ab odore spirationis totiusque corporis. Redolet enim & hoc herbam,ut infectum. Intelligitur autem ex gustu. Facit porrò raucitatem,& mentem mouet. Adiuuari autem debent,qui biberunt, ex uino mero atque plurimo,uel aqua marina,uel muria dura pota. Item ouis anserinis sorbilibus plurimum salis habentibus; uel iure gallinaceo, agnino ue quàmpinguissimo, & salsissimo per se poto.

Ad leporem marinum. CLXXXVI.

LEPORIS marini gustus non absimilis illotis piscibus,aut etiam putentibus: qui sumpserunt autem,stomacho uesicaque adficiuntur, ita ut urinam quidem difficulter,& cum dolore,purpureique coloris reddant. Stomacho item tento & dolenti sunt,auersoque ab omni esca,præcipue pisce. Nauseant præterea & subinde reijciunt spumosa, interdum biliosa aut sanguilenta, & maxime cum simulauit, aut nominauit aliquis piscem. In somnis, littoris pulsi fluctus uidentur subinde audire. Oculi eorum exhulcerantur,genæ inflantur. Coloris mali,& ueluti plumbei fiunt, minutatimque per tabem quasi phthisici consumuntur. Adiuuari autem debent hoc malo circumuenti,lacte muliebri,uel equino, uel uaccino, aut asinino quamplurimo quotidie per se,aut cum melle sumpto. Prodest & maluæ sorbitio bene uncta & salsa. Item prosunt malorum punicorum grana adsidue data. Benefacit & pix cedria, si quis inde bina,terna ue cochlearia eius sumpserit per se,uel ex passi cyathis duobus tribusue. Item benefaciunt iuniperi tritæ quamplurimo cum passo,aut per se datæ.

Ad salamandram. CLXXXVII.

Salamandra quibus data est,lingua exasperatur, corpus inualidum fit: præter hoc, torpet rigoribus quibusdam, & liuoribus quasi maculis uariatur. Adiuuari autem debent, quibus impacta est, melle quamplurimo per se,uel cum resina ex pinu, cuius etiam tenera folia cum herba, quam Græci χαμαιπίτυν appellant, decocta ex aqua mulsa prosunt. Item lini seminis farina ex aqua mulsa sumpta quamplurimum bene adiuuat.

Ad aconitum. CLXXXVIII.

ACONITI gustus est auster atque subamarus. Potum autem, protinus facit corpus graue & displicens. Mordet autem stomachum,& cor adficit: itaque sudor èuestigio insequitur multus & frigidus, maxime circa oculos & frontem apparet. Inflantur intestina, & uenti plurimum emittunt, qui biberunt,capitisque dolorem habent cum uertigine quadam adsidue quidem,sed præcipue cum se è lectulo leuare conantur. Proprium est autem huius mali medicamenti,protinus liuidos articulos & artus facere. Sed adiuuantur facile qui id sumpserunt, ruta quamplurima pota cum uino: item iure gallinæ

pinguis uel bubulę. Prodest & his uinum chamępythyn decoctam in se habens, item acetum melle mixtum, in quo ferri stercus, quod σκωρίαν Gręci uocant, ustum, prius inferuescat sæpius, & ita detur. Item proficit abrotani pondo sextans ex uino datum; & origani pondo sextans eodem modo datum. Precipuè autem adiuuabit, si quis coagulum leporis, hinuli, & porci in unum miscuerit, & dederit ex uini hemina aut cyathis tribus ⚹ P.I. uel uictoriati pondus.

Ad cantharidas. CLXXXIX.

Cantharides gustum & odorem similem pici e cedro factę habent. Potę stomachi dolorem, morsusque excitant, precipuè uesicę. Quamobrem qui biberunt eas, difficulter urinam & cum sanguine reddunt, exhulcerata scilicet uesica: preterea animo subinde linquuntur deficiuntque. Adiuuatur autem cùm sępius reiecerunt, passo cum oleo poto uel omni lacte: sed debent plurimum eius sumere. Item prosunt eis nuclei pini per se sumpti, uel ex aqua mulsa, aut ex passo triti & dati. Item cucumeris semē purgatum, & lini semen ex passo datum. Adiuuat bene & ius pingue agninum, uel ex bubula factum, & farina triticea pultis more cocta, plurimum anserini adipis habente. Prodest & samię cretę ⚹ P.IIII. cum passi cyathis quatuor mixtisque aqua datum. Item oleum irinum ex ruta tritum & potum.

Ad buprestim. CXC.

Buprestis gustus est nitri similis. Facit autem tumorem stomachique infinitum dolorem, & inflat totum corpus in speciem hydropici. Adiuuantur aqua ficus aridę decoctę, & ipsa ficu plurimum sumpta. Item passo plurimum & lacte muliebri, & iure suillo pingui accepto, & nitri ⚹ pon. IIII. cū aquę hemina dato, & cęteris quę suprà ad cantharidas scripta sunt.

Ad dorycnion. CXCI.

Dorycnion, gustum quidem habet lactis: potum uerò, singultus crebros facit, & uomitus frequenter concitat. Reijciunt autem ab stomacho ramenta, quę etiam simillima torminosis, subindeque animo deficiuntur. Adiuuari autem debet lęsi eo, lacte asinino, equino, bubulo, conchilijs omnibus crudis atque decoctis.

Ad Ixiam. CXCII.

IXIA, quam quidam chamæleonta uocant, odorem habet, cùm sumitur, ocymi: pota autem, linguę tumorem facit. Mentem abalienat, uentremque & omnes naturales exitus supprimit. Adiuuantur autem lęsi ab ea, absinthio poto cum uino. Item castorei ⚹ pon. II. dato ex uino cyathis quatuor, & rutæ fruticibus quinque uel sex. Facit bene & chamælea ⚹ pon. trium, ex uini cyathis tribus aqua mixtis; nec minus radix laseris ex uino data. Tragoriganum eodem modo datum.

Ad ephemeron. CXCIII.

Ephemeron potum, protinus quidem totum os prurire facit, uelut scylla tactum, postea etiam adurit, quasi pipere manducato; secundum hęc quoque stomachum mordendo exhulcerat: atque qui id biberint, primum ab ore sanguinem expuunt, deinde ex stomacho cruorem reijciunt, postea per sellas & iam abundantius eundem deijciunt. Adiuuabuntur autem læsi ab eo, polygonij succo quamplurimo per se poto, uel arido trito pondo librę, dato cum aqua. Præmacerantur autem mala cydonia, aut uitis capreoli, aut myrti baccę, aut eiusdem folia.

Ad toxicum. CXCIIII.

Toxicum, cuius sit gustus, haud facilè quiuis dixerit. Verùm cùm potum est, e uestigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum, & uelut telo traiectorum, concitatque mentis furorem, cogitque exululare, & palpitare lingua similiter decollatorum capitibus: nihil enim potest intelligi ex uoce eorum. Adiuuantur autem qui id biberunt, rosa pota, aut oleo irino, coactique frequentius reijcere. Item aluo acri clysmo sępius ducta, postea passo, lacte, & antidoto mithridatio.

Ad pharicum. CXCV.

Pharicum & ipsum dicitur ex cōpluribus componi, gustumque habere nardi. Potum autem, facit spasmon, citò exanimat. Adiuuantur uerò læsi ab eo, saliunca, id est, nardo syluestri quamplurima ex uino sępius data. Item olusatri radice aut semine ex uino dato. Benefacit & hoc medicamentum: galbani puri ⚹ pon. duūm, myrrhę ⚹ pon. unius cùm passi cyathis quatuor datum. ⚹ pon. I. & hoc etiam ad omne medicamentum facit.

Ad tauri sanguinem. CXCVI.

TAVRI sanguinis potum quamuis quis difficilè celauerit, hunc tamen uestigia cruoris relicta inter dentium commissuras produnt. Nauseant autem & præfocantur, qui biberunt, cùm gelatur. Sed adiuuantur aceto calido sępius poto & iniecto per se, uel cùm nitro laseris ue radice.

Ad lac potum. CXCVII.

LAC potum & gelatum, odore spirationis (si non confitebitur qui laborat) cognoscetur: præfocantur autem & hoc homines. Adiuuari autem debent, qui ab eâ laborant, menta quamplurima sępius sumpta. Item coagulo agnino, leporino, porcino, uictoriati pondere ex aqua bis ter'ue dato. Prodest & laseris radix cum posca, & aluus acri clysmo ducta.

Ad fungos. CXCVIII.

FVNGIS uenenatis cùm quis laborat, primum nauseat, nec quidquam magnopere reijcit: postea stomachum uentrisque & pręcordiorum infinitos habet dolores; manant sudores frigidi per artus, qui & ipsi gelātur celerrimè, nisi citò succurratur. Adiuuantur autem radice ea, quā nos edimus, acri quāplurima

plurima per se, uel cum sale manducata: eiusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex uino. Item ruta ex aceto trita & pota proficit. Nec minus lixiuia cineris ex sarmentis pota. Adiuuat & nitrum aceto dilutum & datum: eodemque modo æris flos datus, & mel cum aceto dilutum quamplurimum deuoratum. Oportet autem & oleo antè multo poto cogere eos reijcere, quantumcunque potuerint, & eodem caldo subinde artus perunctos expressius fricare.

Ad Irudinem. CXCIX.

Irudinem, quam quidam sanguisugam uocant, deuoratam, & adhærentē faucibus, eoque ipso molestiam, titillationemque quandam præstantem, excutere oportebit aceto quamplurimo epoto per se, uel cum sale, aut nitro, aut lasere. Idem faciunt & niuis glebulę quamplurimùm deuoratę.

Medicamentorum malorum non nocet nominum, aut figurarum notitia, sed ponderis scientia: hanc porrò medicus nec quęrere, nec nosse debet, nisi dijs, hominibusque inuisus meritò esse uult, & contra ius, fasque professionis egredi. Illas autem figuras, dico, & nomina necesse est ei scire, ut & ipse deuitet, ne per ignorantiam aliquam sumat, & alijs idem pręcipere possit: hoc enim proprium est Medicinæ, & illud execratissimi pharmacopolæ, contrariò oppositi uirtuti eius, ut & in cæteris artibus animaduertitur: nulla enim est, q̃ non habeat aduersantē sibi sua specie similitudinis malignā professionē.

Ad suspicionem mali medicamenti. CC.

Quoties autem suspicio mali medicamenti accepta fuerit, primum assumere oportet quæ nauseam faciunt, uel oleum per se, uel cum aqua, & reijcere: deinde ea quæ uentrem molliunt, tanquam lac, albū ius pingue & salsum, chamæleam non cessantem inijcere clystere. Postea remedia propria ad singula quoque & antidotos sumere.

Implicitas Medicinæ partes inter se & ita connexas esse constat, ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint. Ex eo intelligitur, quòd neque chirurgia sine diętetica, neque hæc, sine chirurgia, id est, sine ea parte, quæ medicamentorum utilium usum habet, perfici possunt: sed alię ab alijs adiuuantur, & quasi consummantur. Itaque quāuis ex magna parte ad dięteticos ptinentes cōpositiones iam exhibuerimus, tamen quasi claudicat & uacillat hic liber, nisi eas quoque compositiones, quę ad chirurgos pertinent, posuerimus. quarum initium ex emplastris faciemus.

Emplastrum Triphonis. CCI.

Emplastrum chirurgi Triphonis subuiride: quod facit, cùm uulnus ita actum est, ut os lędatur, uel frangatur, pręcipuè caluarię. κεφαλικὴ ideo à Gręcis dicitur. Idem si os scabrum, aut putre uetustate uitij factum est, expurgat & educit, quantum eius alienum est. Facit pręterea ad canis morsum, & ad hulcus recens molle. Squama ęris cyprij ⁂ pon. XII. thuris ⁂ pond. VI. ammoniacæ guttæ ⁂ P. VI. resinę pituinæ, id est, ex picea arbore ⁂ P. X. S. resinæ terebinthinæ ⁂ P. VI. adipis uituli pon. quadrans, ceræ pond. triens, olei pond. semuncia, aceti cyathus unus & dimidius: acetum intritum consumatur ad omnia, quæ teri debeant, dum lęuia habuerint mellis spissitudinem: cera, & utraque resina cum adipe purgato & oleo liquescant, & incoquantur, donec habeant spissi cerati temperaturam. feruentia superfundentur rebus, quæ sunt in mortario, minutatim, & pistillo subinde, dum calet, & permiscebuntur. Atque ita dum desinit feruere, emplastrum manibus subigetur: & redactum in rotundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur.

Emplastrum Megetis chirurgi. CCII.

Emplastrum Megetis chirurgi subuiride, ad eadem facit, componitur similiter. accipit hæc: Squamę æris cyprij ⁂ P. XXV. ammoniaci guttæ ⁂ P. XXV. terræ mali, quod ἀριστολοχίαν Græci dicunt ⁂ P. XX. iris ⁂ P. XX. aluminis fissi ⁂ P. XX. myrrhæ ⁂ P. XXII. resinę terebinthinę ⁂ P. IIII. pituinæ resinæ ⁂ P. IIII. adipis taurini ⁂ P. IIII. ceræ ⁂ P. IIII. olei ueteris sextarium unū, aceti acris sextarios IIII. Componitur hoc medicamentum cùm Caniculæ sydus oritur, teritur in sole, donec acetum omne cōsumatur. In quibusdam hoc emplastrum efficacius, in quibusdam superius positum inuenitur.

Emplastrum uiride Triphonis chirurgi. CCIII.

Emplastrum uiride Triphonis, facit ad uulnera recentia, quo utebatur etiam in gladiatoribus, coloris boni: εὔχροον ideo etiam appellabat. Recipit hæc: æris usti P. sextantem, aluminis rotundi P. sextantē, salis ammoniaci pon. sextantem, thuris pollinis P. sextantem, æruginis rasæ P. trientem. Hæc teruntur ex aceto aliquot diebus; postea ceræ P. duo, resinæ frictæ P. duo, cum olei ueteris P. dextante. liquefacta ab igne, mortario superfunduntur, & mixta, manibus subiguntur.

Emplastrum uiride Trasea chirurgi. CCIIII.

Emplastrum uiride Traseæ chirurgi ad recentia hulcera minus acre: æris usti ⁂ P. XII. salis ammoniaci ⁂ pon. IX. Hęc terere aceto per aliquot dies oportet, donec uiridis color appareat, postea adijcere aluminis fissi ⁂ pon. VII. Vbi iam omnia lęuia facta fuerint, & mellis liquidi temperaturā habuerint, ceræ pon. libra, resinæ frictæ pondo libra, cum olei cyathis quinque liquefacta super ea adijciuntur, & rursus mortario subiguntur. Refrigeratumque manibus subigitur ac reponitur.

Emplastrum Triphonis chirurgi uiride. CCV.

Emplastrum uiride Triphonis facit ad recentia uulnera, morsus hominum, sed præcipuè ad uetera hulcera, quæ nullo modo cicatricem ducunt, & callos eminentes circa se habent. Oportet autem tunc nō linteolo, ut cætera, illinere, sed dilatatū magis manibus in magnitudinē uulneris satis crassum īponere

superque, linteola carpta plurima, deinde spongiam nouam, ex uerbenis, murto, oleaque factis. Constat ex his: æruginis ✱ P.IIII. squamæ æris ✱ P. sex, thuris pollinis ✱ P. VI. galbani ✱ P.IIII. aluminis rotundi ✱ P.IIII. resinæ pituinæ ✱ P.XXV. ceræ ✱ P.XXV. olei P. sextante, terebinthinę P. selibra; aceti quod satis est. Componitur eodem modo, quo & superius scripta uiridia emplastra sunt.

Emplastrum uiride Gliconis chirurgi. CCVI.

Emplastrum uiride, quod sui generis, meo iudicio, superat omnia, uocatur Isis. Accipit hæc: æris usti, æris cyprij, æruginis rasæ, salis fossitij, guttæ ammoniaci, thuris masculi, mali terræ rotundi, quæ ἀριστολοχία στρογγύλη Græcè dicitur, mali terrę sarmentorum, quibus unguentarij utuntur (dicitur autem aristolochia clematitis) aluminis rotundi, singulorum pond. unciam, myrrhę, galbani, aloës, singulorum pond. sextantem, cerę pond. trientem, resinę colophonię P.IIII. uel duo & bessem, olei sextarium unum. Hęc enim galbano, resina, cera, & oleo super ignem liquefacta, miscentur mortario, pręterea cæteris ex aceti sextario uno. Facit hoc emplastrum ad detectam membranam tegentem cerebrum, de industria à medicis cùm terebratu exciditur, quod lædit eam os, uel alioquin detectam, rosa dilutum & impositum. Item facit ad capitis diutinum dolorem, quem κεφαλαλγίαν Græci appellant, dolenti loco raso superpositum, nec minùs dies uiginti. Item facit ad oculorum imminentes epiphoras, superpositum frontibus. Cęteras eodem modo sanguinis eruptiones e naribus adiuuat. Et hulceribus factis eiusdem partis rosa dilutum prodest. Nec minùs angina correptis faucibus, extrà superpositum, & toto collo. Parotidas initia habentes discutit, suppuratas iungit, si quis emissarium collectionis apto loco, id est, infra sinum, ubi collectio est, fecerit, quod ὑπόχυσιν Græci dicunt. Eadem ratione suppurationibus in mammis mulierum futuris, aut factis prodest; iungit omnem partem diuisam, & fibulis arctatam. Præcipuè cùm intestina prolapsa & reposita sunt, atque sartum uulnus, quod à Græcis dicitur γαστρορραφία. Lateris, stomachi, uentris, iecinoris, lienis dolorem sedat. Adiuuat cœliacos, torminosos, uentri totò circundatum. Item uesicæ tumenti prodest. Eodem modo lumborum dolorem leuat. Ad luxatum omne & eiectum, & repositum articulamentum benefacit. Et ad podagram, pręter quoduis aliud medicamentum, satis conuenit, & huic mirificè prodest. Fistulas rosa dilutum sanat. Ad carbunculos & cancer imponendum est: purgat enim, nec patitur latiùs serpere: uetera hulcera cicatricem ducere cogit. Punctus neruorum musculorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Gręci dicunt, sine incisione aut diuisione sanat, cyprio oleo dilutum. Ad neruorum uitia omnia acopo melius facit.

Eiusdem nigrum. CCVII.

Emplastrum nigrum eius, Barbara dicitur; facit ad omne recens uulnus & contusum. hoc plerique in gladiatoribus utuntur. Picis brutię ✱ P. centum, resinæ frictæ ✱ P. centum, bituminis iudaici ✱ pond. centum, cerę ✱ P. centum. Hæc concisa in minima frusta, coquuntur cum olei sextario uno, donec spissentur: quibus depositis ab igne, & desinentibus nimis feruere, adijcitur spumæ argenteæ ✱ pond. X. cerussæ ✱ pond. X. æruginis ✱ P. V. Et hæc autem cum aceti hemina terere oportet, & minutatim aspergere, ne efferuescat medicamentum. Vbi his adiectis & intermixtis intepuerit medicamentum, opopanax oleo dilutus exiguo ✱ P. duûm adijcietur: deinde refrigeratum manibus, & subactum medicamentum, & in partes diuisum, reponitur. Huic ergo emplastro, cùm ita compositū est, dum adhuc modicè calet, adijcito thuris pollinis pond. trientem: & mirum, quantò efficacius est, sine dolore atque tumore conseruat uulnera, & celerius sanat.

Emplastrum nigrum Traseæ chirurgi. CCVIII.

Emplastrum Traseæ chirurgi, facit ad omnia recentia uulnera: Propriè autem ad neruorum musculorum punctus, contusiones, luxa: & in totum, tumorem non patitur fieri, articulos incisos iungit. Idem & gladiatorum, & omnium hominum ad periculosa uulnera mirificè facit: sinus ueteres, & fistulas iungit: interius iniectum primùm, & postea extrà positum. Ceræ P.IIII. picis brutiæ pond.IIII. resinæ frictæ pond.IIII. bituminis saguntini, quod est natura liquidum, P.IIII. cerussæ, æruginis, chalcitidis, misyis, aluminis fissi, aluminis rotundi, melanterias, quæ creta sutoria dicitur, qua ligulæ calceolorum denigrantur, gallæ syriacæ, singulorum pondo libra. Hæc aceto teruntur, donec lęuia fiant: quibus mellis habentibus spissitudinem, cera, atque alia quæ igne liquefiunt, bitumenque super ignem solutum, superfunduntur his, quę sunt in mortario: postea medicamentum manibus subigitur, & reponitur uase fictili acetum habente.

Emplastrum nigrum Aristi. CCIX.

Emplastrum nigrum Aristi chirurgi facit ad omne recens uulnus mirificè, ad punctus neruorum & ad musculorum. Item ad contusum, luxum, præcipuè ad ossa fracta. Sine alligatura enim interdum dimidio celerius sanat ea, & sine dolore seruat: iungit sinum. Habet autem hæc: Spumæ argenteæ ✱ P. ducentorum, aluminis fissi ✱ pond. XXX. picis hispanæ ✱ P. centum, bituminis iudaici ✱ pond. centum, propolis ✱ pond. XXX. æruginis ✱ P. X. ceræ ✱ P. centum, ammoniaci guttę ✱ pon. XXV. terebinthinæ ✱ pon. L. olei ueteris sextarios quatuor. Olei inferuescit spuma argentea trita curiosè: deinde adijcitur bitumen, & ipsum cōtusum & tritum. Vbi hæc cerati mollis habent temperamentum, pix adijcienda est: deinde cera & propolis: postea ammoniacum, à quo, ærugo: ultimum alumen aspergitur. Oportet autem, ubi tumor suspectus est, lanam succidam ex uino siue oleo superponere.

Emplastrum Triphonis. CCX.

Emplastrum nigrum Triphonis, Basilicon appellatur; facit ad contusa, & canis morsum, & furunculos.

culos. Idem rosa dilutum explet concaua uulnera. Picis brutię ⚹ pon. XL. resinæ ⚹ P. XL. galbani ⚹ P. II. olei cyprei ⚹ P. sescuncia, cum oleo cōmuni ⚹ P. IX. liquefit, & coquitur, donec coeat: post hoc resina adijcitur: deinde emplastri habens temperamentum, deponitur cacabus, & tepente medicamento galbanum dilatatum, ne uno loco subsidat, adijcitur.

Emplastrum Aristi chirurgi. CCXI.

Emplastrum nigrum, quod τετραφάρμακον dicitur, facit ad eadem. Recipit hæc: Ceræ, picis, resinę frictæ paria pondera, adipis tauri dimidium: una omnia coquuntur, donec emplastrum fiat.

Emplastrum nigrum Dionysi chirurgi. CCXII.

EMplastrum Dionysi chirurgi, facit ad mediocria uulnera, & in teneris corporibus puerorū. Idem iungit bellè uulnera, & sine tumore seruat. Spumę argenteę ⚹ pon. CXX. olei sextarios duos. Hęc super ignem mouentur, donec cerati habeant temperaturam: post hoc, adijcitur aluminis ⚹ P. XLV. & decoquitur, usque dum rufum medicamentum fiat: post hæc, adijcitur resinæ colophoniæ ⚹ P. XLV. ceræ ⚹ P. XLV. ubi emplastri omnia habuerint spissitudinem, deponitur cacabus, & tepente medicamento, & cum desierit feruere, adijcitur galbanum minutatim dilatatū, quò facilius soluatur, ⚹ P. IIII.

Rursum eiusdem. CCXIII.

ALterum rubrum medicamentum, quo uenatores utuntur, facit ad canis morsum & omnium quadrupedum: Item & ad offensionem in stirpe, & cætera uulnera mediocria. Spumæ argenteæ pond. V. semis, olei ueteris pon. II. Hæc coquantur, donec coeat: deinde adijcitur ęris squamæ pond. uncia, & coquitur donec colorem rufum sumat: postea adijcitur ceræ pon. triens, resinæ frictę pon. II. ammoniaci guttæ, deposito paulisper cacabo, pon. quadrans, galbani item diuisi in minimas partes, & rursus reposito ad breue tempus, atque iterum reposito & non feruenti, galbani pondo sextans.

Coloris incerti. CCXIIII.

Emplastrū coloris incerti, facit ad oīa mediocria uulnera, quadrupedum morsus, contusa uel incisa articulamenta (ut fit) cùm ad dentem peruenit pugnus. Idem ad furunculos mirè facit, & strumas omnemque duritiem discutit, si id quis perseueranter imponat. Item cicatricem ducit diutini hulceris, & in totum ad omnia leuia in quotidianos usus mirificum est: tumorem non patitur fieri, neque pus. Hæret, ut fascia non sit opus. In balineo non excidet. Hoc ipsum est, quod tu desiderasti. Olei ueteris P. quinque, spumæ argenteæ pon. quinque. Hæc coquuntur, donec coeant: postea adijcitur his resinæ pituinæ pond. V. Vbi emplastri habet temperamentum, adijcitur propolis inalienatæ, syncerę & bonæ, qualis est attica, pond. selibra; deinde in cacabo deposito, uisci de quercu lecti pon. quadrans: hoc semper habeo compositum.

Emplastrum Euelpisti chirurgi. CCXV.

Emplastrum luteum Euelpisti chirurgi facit ad tenera corpora mediocriter lęsa & abrasa, quę ἀποσύρματα Græci dicunt. Spumæ argēteę pon. selibra, olei hemina, coquuntur dum coeant: deinde adijciuntur ceræ pon. duo, resinæ pituinę pond. duo.

Emplastrum Epispasticum. CCXVI.

Emplastrum quod aperit & educit pus, uel si quid aliud subest, ἐπισπαστικὸν dicitur; ceræ P. libra, resinę terebinthinę P. libra, nitri rubri pondo libra: hoc teritur ex cinere lixiua, donec lęue factum habeat mellis spissitudinem, postea supradicta cum olei cyathis sex liquefiunt ad ignem; quibus adijcitur thuris pollinis selibra, & ita quæ in cacabo sunt, mortario superfunduntur & cōmiscentur. CCXVII.

Emplastrum album ex sale, ἁλικὸν Gręci dicunt, facit ad omnem duritiem & diutinum dolorem, & ducit sudores; idem hulcera & callosa renouat, & facilius alijs medicamentis, quæ hoc pollicentur, cogit cicatricem ducere. Salis marini, cerussæ, olei ueteris paria pondera. Coquitur cum oleo cerussa, donec coeant, & postea sal admiscetur. CCXVIII.

Emplastrum aliud ex sale, nigrum efficacius, idem ad omnia facit, sed recipit singulorū pon. libram similiter, olei autem ueteris triplex adijcitur. CCXIX.

Emplastrum album ad combusta & perniones: cerussæ P. libram, olei myrtei P. libram, spumæ argenteæ ⚹ P. XXIIII. ceræ ponticę P. libram. Cerussa & spuma argentea coquuntur cum oleo, donec coeant: postea adijcitur cera.

Emplastrum album Pacchij Antiochi. CCXX.

Emplastrum album Pacchij Antiochi, quo uti oportet, cùm in mammis mulierum, alioue quouis loco duritia fuerit, quæ ad omne medicamentum exasperatur, quam Græci καρκίνωμα aut κακοήθες uocāt. Facit autem ad combusta & uetera omnia, quę non facilè cicatricem ducunt: Item ad hulcera ex frigore, uel per se facta: Pręcipuè uerò ad aniuitia difficilia & uetera, rosa dilutum. Cadmię botryitis ⚹ pond. VIII. pompholygos cyprię ⚹ pon. VII. molybdęnę lotę ⚹ pon. V. thuris masculi ⚹ pond. IIII. cerussę ⚹ pond. LXX. spumæ argenteæ. L. ceræ ponticæ ⚹ pond. VIII. resinæ terebinthinæ ⚹ pon. VII. olei murtei ⚹ pon. centum. Quæ sunt dura, teruntur ex uini ueteris sextario uno, in quo die & nocte macerentur. Alterci albi, iridis, ferulæ campanæ, terræ mali, papaueris syluatici capitū corticis, singulorum ⚹ P. VI. Cùm leuia facta fuerint, & mellis spissitudinem habuerint, tunc murteū oleū minutatim in mortario adijciatur: & cùm fuerint temperaturæ liparæ, medicamentum conijciatur in nouo fictili cacabo, & coquatur pruna non nimis acri, moueaturque sine requie, ne aduratur: cùm emplastri temperaturam habuerit, resinę cera adijciatur. CCXXI

Emplastrum ad combustum mirifice facit: cum multis usus sim, nullũ magis probo; protinus enim impositum mitigat: postea tollit dolorem, statimque infinita celeritate persanat. Spumæ argẽteæ pon. selibram, adipis suilli purgati pon. selibram, ceræ ponticæ pon. selibrã, ouorum assorum uitellos sex; quos terere oportet, & miscere spumæ argenteæ & tritæ: ceram cum adipe liquefacere, deinde pati coire, postea in unum miscere.

Lipara ad intertrigines & exasperationem. CCXXII.

LIPARA ad intertrigines & exasperationem, tumorem ani, mirifica. Spumę argenteæ pond. triens, cerussæ pon. triens, thuris pollinis pon. triens, aluminis fissi pon. quadrans, adipis suilli curati pon. quadrans, uini austeri ueteris heminæ tres, rosæ sesquilibra, olei acerbi selibra. Teruntur spuma, cerussa, alumen ex uino, deinde adijcitur thus minutum & cretum: & cum primum hæc lęuia paruerint, cum oleamentis ex uino adipem liquefactum, cum rosæ pon. quadrante miscere in unum oportet.

Lipara rufa. CCXIII.

LIPARA rufa facit ad fissuras ani diutinas, quas ῥαγάδας dicunt: eadem & eiusdẽ partis exulcerationes, & uitia diutina benefacit. Spumę argenteę ✱ P. XXXVI. cerussę ✱ pon. VI. chalcitidis ustæ ✱ pond. VI. mysios ✱ pond. VI. resinæ terebinthinæ ✱ pond. XII. ceræ ✱ pond. VI. olei murtei sextarios S. II. aquę pond. sextans. Cum aqua teruntur, quæ prima posita sunt, & olei pondo dimidio, cum reliquo oleo cera & terebinthina liquefacto mortario superfunduntur.

Ad condylomata. CCXXIIII.

AD condylomata facit bene elaterium siue cera: quod est succus cucumeris syluatici, compositus, rationeque in pastillos redactus, ex aceto dilutum & perunctum. Item propolis per se subacta & more emplastri imposita. CCXXV.

FACIT bene & resinæ terebinthinæ ✱ pond. VI. ceræ idem in unum cocta igni, quantum possunt gagatis lapidis triti recipere. Multis & iris contusa & ex uino mixta, cocta & posita uelut farina hordeacea, profuit. Facit & andronium medicamentum, quod initio posuimus, ad condylomata uino dilutum bene. CCXXVI.

HOC medicamentum mirifice prodest. Aluminis melini ✱ P. centum, chalcitidis ✱ pond. L. fęculę ✱ pond. L. Teritur aceto: cum opus est, uino aut aceto diluitur.

Ad hæmorrhoidas. CCXXVII.

Hęmorrhoidas sic curare oportet medicamento. Perungantur centaurij succo P. duum (Hæc herba latine fel terræ dicitur, & ubique in agris nascitur: Est autem tenuis, multorum ramorum in rectum surgentium, florem habet exiguum purpureum) Absinthij succi ✱ pond. duum, aluminis liquidi ✱ pondo II. herbæ pedicularis ✱ pondo duum, misyis ✱ pondo unius; mellis quantum ad comprehendenda ea satis erit. Hoc peruncto interius ano, aut lana tincta & interius trusa, cum desederint ad sellã, & apparuerint totæ, medicamento rursus bene tangendę sunt undique: & præcipue radices earum, cũ basis ducunt, specilli latitudine, subinde hauriente, medico cumulante medicamentum, & adstruente, imprimenteque donec combibant: totum enim in ea est, ut ab omni parte saturentur. Est autem hoc medicamentum: Chalcitidis ustæ ✱ pond. IIII. æris floris usti ✱ pond. IIII. misyis usti ✱ pond. trium, æris squamæ ✱ pond. duum, diphrygis ✱ pon. duum, soreos usti ✱ pon. duum, auripigmenti ✱ P. duum. Hæc omnia teruntur, & sicca (ut dixi) hęmorrhoidibus imprimuntur undique: post hoc, tenue, simplex, rarum linteolum imponere oportet, & super hoc, panem aut opyron ex aqua maceratum & tritum, rosaceo oleo adiecto. Hoc medicamentum sine magno labore, circa septimum diem cadere cogit hęmorrhoidas. Oportet autem bis die panem imponere, nonnunquam in nocte, si circum tensionem senserint, aquario, die, auriscalpio auerso, quam partem ἀποστρόφιον Græci uocant, sensim tentare, mouere abalienatam oportet, quò celerius excidant hæmorrhoides. Hoc medicamentum oẽm carnem, & omni parte corporis exhulceratam, & excrescentem, & eminentem, sine magno morsu tollit. CCXXVIII.

SI quando non exhulceratas eminentias tollere sine ferro uoluerimus, ut uerrucas, nęuos, aliaue eius generis, hoc medicamento utimur. Calcis uiuæ pon. sex, fæculæ ✱ P. III. uitri usti ✱ P. III. Hæc terere oportet ex cinere lixiua, ex caprifico uel sarmentis, donec lęuia, passi habeant temperamentum, deinde adijcere rubricæ aut atramenti quod possit colorare ea: deinde patella fictili coquere ad mellis spissitudinem, atque puxide nigri plumbi reponere. Melius autem recens facit. cuius usus est talis: quod destinatum erit tollere, id ipsum specillo oblinetur crassius, ex interuallo penicillo abstergetur: & cũ satis nigrum, quasi perunctum uisum fuerit, desinere oportebit imponere res, & abstergere, & panem ex aqua imponere & rosa. Hoc & strumas sanat anteq̃ suppurent. Oportet autem, cũ hoc medicamentum causam fecerit in strumis, nullum aliud medicamentum adhibere, sanæ enim ita fiunt. CCXXIX.

CVM uero aliqua pars suppurauerit, & timidus fuerit ad sectionem, cui id acciderit, uiscum quàplurimum colligere oportebit: eumque cum cinere lixiui diutius terere, & aluta inductum imponere, ita formata, & in tantum spatium circumsecta, quantum & quale uolumus hulcus, id est, emissarium uomicæ fieri, & ea parte scilicet imponemus, quantum necesse erit aperire. Hoc eodem medicamento sępe dolores diutinos pectoris, lateris, lumborum sustuli, cum ad nullum malagma aut auxilium cedebant: exhulcerata enim minima parte cuiusque dolentis loci, humoribus postea uitium ueluti eijciebatur.

Ad eadem uitia. CCXXX.

Melior triphera, hoc enim nomen superius positum, medicamẽtum appellatur: facit ad omnia quæ

ferro

ferro debent tolli sine magno dolore. Idem hæmorrhoïdas productas medicamento, quod supra positũ est, tollit. Vuam nimis iacentem sine periculo per auriscalpium lana inuolutum perunctam, ex parte qua tollenda est, amputat. Oportebit autem postea aqua mulsea gargarizare, & lentis atque rosæ aridæ aqua decoctæ. Eadem res & palpebram pilosam remediat, si quis radices aduersus naturam pilorum natas oblinierit, donec locus earum niger fiat. Recipit hęc: æris floris ✱ P. trium, calcis uiuæ ✱ P. VI. tapsiæ radicis ✱ P. VI. fęculæ ✱ P. III. nitri ✱ P. II. auripigmenti ✱ pon. duum, fellis taurini ✱ põ. sex. Teruntur ex cinere lixiua, qua culinarij utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum. Reponitur pixide nigri plumbi. Hæc puxis in ampliorem stagneam mittitur, habentem cinerem lixiuam usque ad operculum minoris. Oportet autem & hoc medicamentum colorare rubrica uel atramento. Huic medicamento si anatis sanguinis quasi duæ ligulæ adiunctæ fuerint, minus mordebit. CCXXXI.

Quatenus acrium & exhulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus quã stygmata tolluntur in dignis, & in multis. Hæc calamitas ex transuerso accidit, ut dispensatori Sabini Calui naufragio in ergastulo deprehenso, quem Triphon multis delusum, & ne casu quidem literas confusas ullo medicamento habentem, liberauit. Allij candidi spicę capitis tritæ, cum cantharidibus uiginti alexandrinis (sunt autem uariæ & oblongæ) sulphuris uiui ✱ P. I. & uictoriati, chalcitis ✱ pon. as semis, ceræ pondo triens, olei pondo triens; ceram cum tritis cæteris admiscuit & imposuit.

Intestini extremi prolapsio. CCXXXII.

Intestinum extremum quibus prolabitur & excidit, quoties prodierit, toties uino calido, uel uerbenis, uel cinere lixiua lauari oportet & reponere. Prodest & pice liquida perungere & cedria. Interdũ uel Andronio perungere, & sicca reponere. Facit & cinis ex sarmentis cribrata, aspersa, alumen fissum tritum bene, & eodem modo aspersum, atque intestino reposito. CCXXXIII.

AD testiculi tumorem, cupressus baccæ ex uino coctæ cõueniunt, ex faba quasi concha, multo cum cumino cocta. Item uua passa cum cumino contusa, in modum malagmatis, melle quantum satis est, admixto. Idem uua passa, nucleata, contusa ac mixta eiusdem mensuræ uel ponderis.

Ad ueretri tumorem & dolorem. CCXXXIIII.

AD ueretri tumorem, lens ex aqua cocta, & trita, rosaceo oleo mixta prodest. Si maior tumor erit, mali granati corium ex aqua coctum & tritum, lenticulæ pari pondere admiscere oportet. CCXXXV.

SI ulcus sordidum erit, aut cancer tentauit, aut iam occupauit, Andronios ex uino benefacit. CCXXXVI.

SI cicatrix ducenda.

Desideratur. CCXXXVII.

OMNE hulcus in omni parte corporis sordidum (id autem est, cum candicat, & quasi crustam perductam albam habet) purgat mel per se, iris arida contusa, uel cum melle. Eadem ratione & terræ mali, & panacis radix purgat sordida hulcera. Mirifice & hoc medicamentũ purgat, etiam si cancer tentat, est autem leue: auripigmenti, quod Græci ἀῤῥενικὸν dicunt ✱ pon. VI. æris squamæ ✱ pon. III. elaterij ✱ P. I. chartæ combustę cinis ✱ pond. III. cũm opus est, cochlearia tria rosæ cyatho permiscentur, indelinteola carpta continguntur, atque ita hulceri superponuntur. Hoc medicamentum cito, & sine ullo morsu expurgat sordidissima hulcera. CCXXXVIII.

OMNE purum hulcus & concauum replet Basilice, rosa diluta, ut superius dixi; prope autẽ hoc medicamentum: Medullæ uitulinæ ✱ P. IIII. adipis anserini ✱ P. duum, butyri ✱ P. duum, medullæ ceruinæ ✱ P. II. ceræ ✱ P. IIII. terebinthinæ ✱ P. II. mellis ✱ P. sescũcia, rosæ ✱ P. sescũcia; resina cum rosa liquescit, cui miscentur calenti mel & cera, cum cera pręcalfacta in feruenti aqua cõtunduntur, atque ita superioribus miscentur. CCXXXIX.

OMNE hulcus luxurians & crescens carne compescit chalcitis per se trita, uel æris flos ustus. Bene autem & proprie hoc medicamentum facit, quo Meges utebatur: Calcis uiuæ ✱ P. II. thuris ✱ P. unius, æris squamæ ✱ P. unius.

Triphonis medicamentum. CCXL.

Triphon chirurgus carnem eminentem hoc medicamento compescebat: æris floris usti ✱ pond. VI. chalcitis ustę ✱ P. IIII. mysis usti ✱ pon. IIII. æris usti ✱ pon. IIII. Hoc acre est, & quasi cauterium, crustam altam facit: quamobrem cancer non patitur impositum serpere; omnem eruptionem sanguinis ueluti cauterium sistit. Et hoc autem, & quæ diximus, imminuit. Cicatricem quoque ducit, si quis tincto, extractoque specillo, quod ei quasi puluis adhæserit, exiguo oras hulceris tetigerit. Sed proprie cicatricem medicamenta hæc ducunt.

Triphonis ad cicatricem. CCXLI.

Emplastrum efficax ad cicatricem ducendam: Spumæ argẽteæ ✱ P. quinquaginta, mysis usti; chalcitis ustę, aluminis fissi, cerussę, singulorum ✱ pon. IIII. resinæ terebinthinæ ✱ pon. XII. ceræ ✱ põ. V. Cera & resina liquefiunt: deinde cũ refrixerunt, raduntur: sicca & bñ trita adijciũtur & cõmiscentur.

Emplastrum diacadmias. CCXLII.

Emplastrum διὰ καδμίας Græci dicunt, quod cicatricem ducit; cadmię P. libra, chalcitidis ustæ pondo libra. Hæc teruntur ex uini falerni heminis tribus, donec liquefacta, mellis habeant spissitudinem: postea fit ceratum ex ceræ pon. IIII. resinæ frictæ pond. IIII. olei murtei pond. IIII. Cum refrigeratum est,

raditur, & miscetur his quæ in mortario sunt. Sunt qui liquefacta hæc ipsa, dum calent, mortario superfundunt, & ita subigunt.

Ad papulas & porriginem. CCXLIII.

AD papulas in capite efferuescentes, uel qualibet parte corporis totius porriginem, staphisagria trita, & nitrum decoctum tritum pari mensura, in mixto oleo & uino austero, ante desudationem corporis, ac postea. Item alumen liquidum ex aceto, staphide agria adiecta. Ad epiphoram uero toto corpore efferuescentem medicamentum prodest.

Ad ignem sacrum. CCXLIIII.

AD ignem sacrum benefacit medicamentum: rutæ uiridis P. triens, spumæ argenti P. bes, aceti sextarius unus, olei uiridis sextarius. Cum aceti parte in spuma & ruta teruntur, donec leuia fiant, postea quod superest aceti, uicibus cum oleo adijcitur. CCXLV.

AD ignem sacrum, coriandrum per se tritum benefacit; est enim res uirosa: uel cum pane eodem modo & menta prodest, & cinis de filice facta, aqua conspersa, oblinita. Item cimolia creta succo solani diluta. Et per se solanum, uel cum pane prodest. CCXLVI.

FACIT & ad hoc medicamentum bene: sulphuris uiui, opij, singulorum P. semuncia, spumæ argenteæ pond. uncia, passo miscentur. Item hoc satis prodest, cerussæ * P. VIII. aluminis fissi * pond. trium, thuris * P. trium, croci * pon. duûm, sulphuris uiui * P. II. Teruntur hæc solani succo: cum opus est, uino diluuntur.

Ad zonam. CCXLVII.

AD zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt, faciunt quidem ut supradicta omnia, præcipue cicuta uiridis bene trita & imposita. Item hoc medicamentum: cerussę * P. XXXVIII. aluminis fissi * pon. XII. croci * pon. I. thuris * pon. duûm, acaciæ * P. VIII. dyphrygis * P. II. opij * P. II. Ex aqua teritur, & cùm opus est, ex eadem dilutum perungetur. CCXLVIII.

AD idem melius facit, gallæ, aluminis rotundi, chalcitidis, cretæ sutoriæ, singulorum * P. II. mysus, corticis malorum, acaciæ, singulorum * P. IIII. calcis uiuæ * pon. XVI. Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur, donec madida fiat: deinde teritur acacia aceto eodem, macerata nocte & die, admiscetur, & unà teritur: Postea cætera adijciuntur, & fiunt pastilli: cùm opus est, diluuntur aqua.

AD utrunque autem genus uitij, mirifice medicamentum Andronicum facit.

Ad impetigines. CCXLIX.

AD impetigines, uua aminea, quæ sic dicitur, bene facit. Est autem ruberrima, & in uepribus nascitur. qua fricari oportet impetiginem, quoad curetur, & non appareat: hoc autem diebus fit paucis.

Ad suggillationes. CCL.

Benefacit huius radicis recentis succus, ad suggillationes & liuores perunctus. Scabiem tollit sulphur nigrum oleo mixtum communi, atque in cerati spissitudinem redactum. Hoc etiam lepram, & quam Elephantiam dicunt, sanat: & omnia quæ efferuescunt per se, cùm inueterauerint.

Ad scabiem. CCLI.

AD scabiem, halica ex aceto macerata, & trita benefacit, exiguo thure adiecto. Item picis liquidæ libra, ceræ * P. semis, sulphuris uiui P. sextans, aluminis fissi * P. unius. CCLII.

Benefacit oliuæ æthiopicæ commi, quod Græce ἐλαίας αἰθιοπικῆς δάκρυον uocant, aceto dilutum. Item salicis libri ex aceto cocti, atque ita triti, & impositi, tollunt scabiem. Facit & eiusdem cinis ex aceto ad scabiem. Prodest & farina hordeacea cocta ex posca, si tenerum corpus erit: uel ex aceto, si durum, per dies quatuor aut quinque: deinde ceratum ex rosa, adiecta cerussa, imponere oportet, donec cicatrix ducatur. CCLIII.

FACIT bene & hæc compositio: Thuris masculi pon. triens, sulphuris P. uncia, cæparum pon. sextans, rumicis erraticæ radices aceto quoque tritæ P. —. Omnia teruntur: miscetur aceto quod satis erit, id est, dum mellis crassi habeat spissitudinem: Cùm opus est, scabiei nitro ex aceto locus fricatur diutius & pressius, deinde hoc medicamentum superlinitur. CCLIIII.

ALIA compositio ad idem: Scammoniæ * P. trium, myrrhæ * P. unius, æris floris * P. unius, astulę regię, quam ἀσφόδελον Græci dicunt, radicis * P. duûm, glutinis taurini * P. II. nitri * P. I. & uictoriati. Teruntur omnia aceto, præter gluten; hoc enim pridie maceratum, cęteris iam tritis miscetur. Cum opus autem est, ante nitro & aceto locus exasperatur, deinde hoc oblinitur.

VT consummetur liber, malagmata, & acopa adijciemus.

Genera malagmatorum ad omnem corporis ualetudinem. CCLV.

MALAGMA ad ὀπισθότονον, id est cùm ceruix reflexa est in posteriorem partem, aut rigida cũ intensione oculorum & maxillarum. Facit & ad κυνικὸν σπασμὸν, cùm in utramlibet partem deprauata est facies. Idem ad omnem tensionem, & contractionem neruorum, & ligationem, ἀγκύλην quod Græci uocant. Item ad dolorem omnis partis, quamuis ueterem. Bdellij * P. XVI. opopanacis * P. VIII. galbani * P. VIII. adipis uitulini * P. XVI. piperis grana numero CLX. ammoniaci guttę * P. octo, cachryos * P. octo, iris * P. XVI. cerę * P. LV. terebinthinę * P. L. Arida q̃ sunt, cõtundũtur, cribrãtur: succũ habentia, cũ resina subinde admixta cõtundũtur, cera in frusta

concisa

concisa aqua feruenti demittitur, & subacta manibus miscetur ceteris in pilam. Oportet autem pilum ligneum frequenter cypreo oleo perungere. Hoc malagma cypreo oleo liquefactum acopi usum prestat. CCLVI.

Malagma alterum, stomachum, aluum, intestina soluta habentibus & cholericis prodest. Confirmat omnem partem & adstringit, que hæc desiderat. Aluminis fissi * pond. sex, rus syriaci * pond. sex, galle * pond. sex, acacie * pond. sex, cere * pond. XL. picis hispanæ * pond. XL. olei melini aut rose * pond. trientem. Acacia uino exiguo macerata teritur: cera & pix oleo alterutro mixta inferuescunt; quibus temperatis adijciũtur cribrata sicca: ijs acacia miscetur, atque in unũ omnia subigũtur. CCLVII.

Malagma, pectoris & lateris dolorem, & quidquid ex perfrictione est, bene calfacit. Idem ad omnem dolorem prodest. Sansuci contusi sextarius unus, iris contuse sextarij XV. cyperi contusi sextarius unus, resine terebinthine pondo bes, cere pondo quadrans, olei cyperi pondo selibra; uini aminiei sextarius unus. In uino arida contusa macerantur una nocte & die: oleo, cera, & resina liquefiunt: deinde superfunduntur uino, miscentur manibus. Hoc medicamentum efficacius est secundo; post dies triginta efficacius prodest: initio enim humidum ualde est, & uix inlitum remanet. CCLVIII.

Malagma ad omnem dolorem, precipue iecinoris. Spice nardi * pond. V. celtice, id est, saliunce * pond. X. iris * pond. VIII. melliloti, quod à nobis sertula campana dicitur * pond. XXV. cyperi * pond. VIII. ammoniaci thymiamatis * pond. VIII. cardamomi * pond. VII. croci * pond. duum, uini falerni sextarius unus. In hoc omnia supra scripta contusa, uno die & nocte macerantur, preter ammoniacum: hoc enim aceto diluere oportet, & quasi ceratum facere: postea ceræ pond. duas bes & resine fricte pond. IIII. rose P. libra, leuia sunt & refrigerata, que rose & ceteris miscentur. Hoc & ad precordiorum tensionem benefacit, & uesice dolorem. CCLIX.

Malagma ad lienosos & ad iocineris dolorem. Ammoniaci gutte P. I. cere pond. I. & sextans. Ammoniacum ex aceto teritur, admixto crocomagmate, quantum colorare possit, ammoniacum quod teritur, usque dum leuefactum, mellis crassi habeat spissitudinem: postea cera liquefacta, rosa adijcitur, mortario, & bene pastillo mixta, manibus utraque subiguntur. Facit hoc malagma ad luxum, & ad capitis dolorem fronti superpositum. CCLX.

Malagma ad præcordiorum tensionem, uentris, stomachi duritiem cum dolore. Item ad iecur & lienem prodest. Ceræ ⚹ P. quinquaginta, ammoniaci guttæ ⚹ P. L. iris ⚹ P. XXV. panacis ⚹ P. XX. anesi ⚹ P. XXV. nitri ⚹ P. XXV. adipis taurini ⚹ P. XXV. fœni græci seminis ⚹ P. XXV. resinæ terebinthinæ ⚹ P. L. aceti acris sextarius unus, mellis P. triens. Mel aceto diluendum est, atque arida omnia his maceranda die ac nocte; ceram, terebinthinam, adipem liquefactam, in unum cæteris misce re oportet, & manibus subigere.

Malagma ad lienosos. CCLXI.

Myrobalani ⚹ P. L. aphronitri ⚹ P. XXX. capparis radicis ⚹ P. XX. cardamomi ⚹ P. XXV. ammoniaci guttæ ⚹ P. XXX. ceræ P. selibra, irini olei P. selibra. Cera irino soluitur, quibus ammoniacũ aceto dilutum miscetur, & postea arida quæ sunt, commiscentur. CCLXII.

Malagma ad omnem dolorem ueterem, & qualibet causa factum, præcipue ad lumborum dolorẽ, qui ante leniter scarifiant. Recipit hæc: bdellij P. trientem, styracis P. trientem, hyssopi P. trientem, ammoniaci P. trientem, piperis albi P. trientem, thuris P. trientem, baccæ lauri aridæ P. duo, terebinthinæ P. trientem, opopanacis P. trientem, adipis taurini P. trientem, medullæ ceruinæ P. trientem, propolis P. selibram, olei ueteris P. libram, ceræ P. duo, thuris pollinis P. libram. Oleum, cera, resina, propolis liquefiunt: deinde thuris pollinis P. superius dictũ adijcitur, & cætera minutatim, uel in unũ contusa; opopanacem oleo diluere oportet. CCLXIII.

Malagma quod discutit strumas, parotidas, panum, quod Græci φυγέθλον uocant. Idem omnẽ futuram suppurationem dissipat, factam aperit. Facit & ad dolorem articulamentorum, uel cuiuslibet partis: præcipue ad lumborum dolorem, atque inflationem stomachi uel coli. Picis hispanæ, aphronitri, resinæ pituinæ, ceræ, laurus baccarum, singulorum ⚹ P. XXXV. adipis taurini ⚹ P. XV. ammoniaci guttæ ⚹ pond. iris Illyricæ ⚹ pond. XV. galbani ⚹ pond. XII. piperis albi ⚹ pond. XV. Quæ debent liquefieri, soluuntur igne & oleo, cætera contusa, temperatis asperguntur: ultimo loco tepente medicamento laurus baccæ miscentur. CCLXIIII.

Malagma ad omnem dolorem corporis articulorum. Facit & ad podagram. Idem discutit uomicas, aut aperit, præcipue in pectore & interaneis. Prodest & lumborum doloribus. Ceræ ⚹ P. VIII. ammoniaci ⚹ pond. X. bdellij ⚹ pond. X. iris ⚹ pond. VI. galbani ⚹ pond. III. terebinthine ⚹ pond. V. Contunduntur ordine, quo scripta sunt, pilo ligneo, cyprino oleo, quod in uino subsidit, perun cto: cera in aquam feruentem in minimas partes concisa dimittitur, & subacta manibus in pilam conijcitur. CCLXV.

Malagma item ad contusionem lateris. Idem facit ad suspectas uomicas aut iam factas. Preterea ad iecinoris, precordiorum duritiam uel dolorem benefacit. Proderit & in omni loco dolenti impositum. Cyperi, ammoniaci gutte, cardamomi, bdellij, thuris, resine terebinthine, singulorum pond. bes: thus & bdellium macerantur pridie uini hemina una: cætera contunduntur; ceræ pond. libra & triens, & olei cyprini sextarius unus cum terebinthina liquefiunt, ceterisque commiscentur. Quidam adijciunt myrrhe partem, croci partem sextantem, cinnamomi partem sextantem. CCLXVI.

Malagma ad luxum, contusum, canis morsum, parotidas, strumas, podagram. Ceræ pond. duo, resinę frictę pond. duo, picis hispanę pond. tria, ammoniaci pon. librã, thuris pollinis pond. semis, galbani pond. semis, aceti sextarios duos. Ammoniacum tritum cum aceto soluitur igne: deinde resina, cera, pond. IX. adijcitur, & coquitur usque dum spissetur: postea thus admiscetur. Vbi emplastri habuerit temperamentum, medicamentum tepenti galbano adijcitur. CCLXVII.

Malagma ad podagram, & omnem dolorem & tensionem neruorum, recipit hęc: ammoniaci guttę pond. I. ceræ pond. I. axungię ueteris selibram, olei ueteris pond. trientem, olei cedrini pond. unciam, rosę pond. sextantem, cyprini pond. sextantem, croci pond. sextantem, asij lapidis pondo unciam, myrrhæ pond. unciam, aphronitri pond. semunciam. Patella noua liquefit axungia, cera cum oleo uetere: quibus adijcitur ammoniacum tritum, & mouetur usque dum soluatur: postea oleum cyprinum, rosa, & cedria in unum miscentur: & tunc subducitur flamma, ne feruescat medicamentum: secundum quæ adijcitur crocum tritum ex aceto, deinde myrrha trita per se aspergitur; ultimum nitrum, & asius lapis fœnicio inducitur.

Acopi genera & compositiones. CCLXVIII.

Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem neruorum. Idem hyeme non patitur perfrigescere artus: hoc Augusta utebatur. Sansuci floris sextarium unum, fœnigræci sextarium unum, rosmarini foliorum sextarium unum, uini falerni congium, olei ueriafri sextarios quinque. Præter oleum omnia in unum triduo macerare oportebit, quarto die oleum adijcere, & coquere in pruna non acri medicamentum, donec uinum consumatur: postea recolare per linteum duplex oleum, cui adhuc calenti ceræ ponticæ bessem miscere. Reponitur medicamentum fictili uel stagneo uase. CCLXIX.

Acopum, quod per uindemiam componitur, antequam mustum deferuescit: musti recentis congij quinque, in hoc & olei ueriafri P. L. macerantur: res quæ infrà scriptæ sunt, contusæ, & percribratæ grandioribus foraminibus cribri. Iris illyricæ ⚹ P. XL. cyperi ⚹ P. XL. fœnigræci ⚹ P. XL. piperis nigri P. XL. xylobalsami ⚹ P. XL. calami odorati quo unguentarij utuntur ⚹ P. LXXX. spathæ qua unguentarij utuntur ⚹ P. LXXX. schœni ⚹ P. LXXX. saliuncæ ⚹ P. LXXX. casiæ nigræ ⚹ P. XXIIII. cardamomi ⚹ P. XXVIII. styracis ⚹ P. XXIII. costi ⚹ P. XXVIII. myrrhæ amineę ⚹ P. XXII. casiæ daphnidis ⚹ P. XXIIII. sertulæ campanæ ⚹ P. XIII. aspalathi ⚹ P. XL. Hæc cũ musto & oleo macerantur uase stagneo aut fictili per dies triginta. Oportet autem uas bene clausum & alligatum diebus his soluere, inuisere omnia: deinde rursus operire & signare, ne uires euanescant: post dies triginta, conijciuntur macerata: deinde oleum purum excipietur, quod reponitur fictili uase: cuius oleaminis uires ad omnem contractionem neruorum tantæ sunt, ut sit uix credibile. CCLXX.

Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, neruorum dolorem, grauioris odoris (superiores enim boni sunt odoris) Ammoniaci guttæ ⚹ P. XV. galbani ⚹ P. IIII. resinæ terebinthinæ ⚹ P. LVI. ceræ ⚹ P. XXVIII. mellis ⚹ P. triẽs, olei ueteris sextarius unus, hyssopi P. uncia, medullæ ceruinæ põd. uncia, opopanacis ⚹ pond. VI. Sunt qui hunc non adijciunt. Ceram, oleum, terebinthinam liquefacere oportet, deinde cætera adijcere, nouissimum ammoniacum tritum curiose. Hoc qui perunctus erit, etiã à serpente tutus erit. CCLXXI.

Acopum, quo fere Augusta & Antonia usæ sunt, facit ad perfrictiones & neruorum dolorẽ. Idem perunctum non patitur perfrigescere artus, & refrigeratos calfacit. Componitur hyeme hoc modo: Sumere oportet adipis porcinæ sterilis trepondo, uel anseris adipis idem pondus: deinde aqua frigida bene lauare, atque in nouo uase adijcere uini ueteris congium unum, aut sextarios tres non nimis contusa põderis huius. Xylocinnami pond. quadrantem, cardamomi pond. quadrantẽ, cyperi pond. quadrantẽ, schœni pon. quadrantem, rosæ aridæ foliorum pond. unciam, sertulæ campanæ coronas decem. Hæc omnia inferuescunt super carbones, deinde perfrigerata, eodem cacabo reponuntur: posteroque & tertio die cum inferuefiunt, reconduntur, quæ eodem modo die rursus recalfiunt, & colantur per linteum, uel ex iunco factum de industria colum: uinum atque adeps, quæ superest in nouo uase conijcitur: deinde cùm gelauerit se adeps, oportebit fundum cacabi perforare, & uinum omne emittere, atque in priorem cacabum adipem eandem conijcere, & uini eiusdem recentis eandem mensuram adijcere, resque non nimis contusas nec cribratas: Nardi syriacę spicæ pond. sextantem, saliuncæ pond. sextantem, amomi pond. quadrantem, casiæ pond. quadrantem, myrrhæ pond. trientem, cumami pond. trientem, rosæ aridæ foliorum pond. sextantem. Deinde semel manè, & in nocte semel inferuefacere oportet: idem in postero die cùm inferuefacta fuerint, percolanda erunt, in cacabum priorem pertusum: sed ante diligenter & spisse obturatum: atque ubi se congelauerit adeps, extrahendum erit spissamentum, quod cum uinũ omne fluxerit, quod superest adijce. Vase stagneo uno, uel pluribus, diligenter operto & adplumbato reponitur.

PERORATIO OPERIS.

HARVM compositionum (si qua fides est) ipse composui plurimas, & ad ea quę scripta sunt facienti scio paucas: sed ualde paucas ab amicis, quibus ęque ac mihi credo, acceptas adieci: quas cùm iureiurando adfirmauerunt sese ipsos expertos esse, ut benefacientes scire ad uitia quæ scripta sunt. Illud autem te meminisse oportet, mi Calliste, quod initio dixi, eadem medicamenta

medicamenta in ijsdem uitijs interim melius, deterius'ue respondere: propter corporum uarietatem, differentiamque ætatum, temporum, aut locorum. Eadem enim res non dissimiliter dispositis corporibus, non possunt eosdem effectus exhibere. Sed adfirmo ex magna parte prosperos euentus (si quando opus fuerit) has compositiones habituras.

Scribonij Largi de Compositione medicamentorum libri finis.

QVONIAM HOC IN SCRIBONII LIBRO FREQUENS EST PONDERUM MENTIO, NON AB RE FUERIT, PAUCA HÆC SUBIJCERE.

PONDERA.

Duodecima pars assis	Vncia.
Sextans	Vnciæ duæ.
Quadrans	Vnciæ tres.
Triens	Vnciæ quatuor.
Quincunx	Vnciæ quinque.
Semis, quæ & selibra dicitur,	Vnciæ sex.
Septunx	Vnciæ septem.
Bes	Vnciæ octo.
Dodrans	Vnciæ nouem.
Dextans	Vnciæ decem.
Deunx	Vnciæ undecim.
As	Libra, unciæ duodecim.
Pondo duo	Libræ duæ.
Trepondo	Libræ tres.
Sicilicum faciunt drachmæ duæ.	
Sextulas senas habet uncia.	
Duella, sextulæ duæ uocantur.	
Sescuncia	Vncia una & semis.
Semuncia	Vncia semis.

HORVM PONDERVM QVAEDAM APVD VETERES INVENIVNTVR NOTAE.

S	significatur	Semis uel selibra.
—		octaua pars semissis. *alij pro semuncia.*
Ʒ		sicilicus. *alijs pro scrupulo.*
Ƶ		pars unciæ octaua.
*		Denarius.

Victoriatus, argenteus erat nummus, uictoriæ nota signatus: pro quo in compositionibus à Scribonio relatis, Galenus duos obolos ponit, hoc est, scrupulum. Sestertius, & ipse argenteus nummus erat, duos asses & semissem ualens.

MENSVRAE.

Ligula, cochlearis est mensura. Cyathus, Plinio auctore, pendet per se drachmas decem. Sesquicyathus acetabulum implet. Acetabulum eidem Plinio, heminæ quarta pars est. Hemina sex impletur cyathis. Dimidium sextarij hemina est. Congios senos capit sextarios, ut Amphora octo Congius. Duplex Amphora, Modius est.

SORANI EPHESII VETVSTISSIMI ARCHIATRI ET PERIPATETICI,

IN ARTIS MEDENDI ISAGOGEN PRAEFATIO.

Qui primi medicinæ auctores.

MEDICINAM quidem inuenit Apollo, amplificauit Aesculapius, perfecit Hippocrates: quem mihi hominis ducem, & iudicem omnium causarum & quæstionum oportet accipere, tanquam parentem & inuentorem omnium bonorum operum, per quem Logica nobis, iuxta rationem, est facta traditio, & tanquam insibilis facta doctrina, ut per eam meliores fiant & acutiores, qui introducuntur ad Medicinam, quos Græci εἰσαγομένους appellant. Et propterea incipientibus discere medicam artem, exordiar dicere, qui sit optimus modus doctrinę, atque de apta ętate introducendi, deque studio, & eius moribus: deinde artem, postea speciatim de ipsa Medicina. Modos in aphorismis reperies quatuor, Intellectualem, complexiuum, diuisibilem, & definitiuum. Intellectualis dicitur, eo quod intellectu, id est contemplatione, tam uirorum quàm mulierum ægritudines exequitur & considerat. Complexiuus, quod omnia complectatur, id est comprehendat, nihilque intactum relinquat. Diuisibilis, eo quod corpus humanum per partes diuidat, earumque ęgritudines particulatim declarat. Diffinitiuus, quod cuncta definiat, recteque determinet. Nos uero in hoc opere, magis definitiuo utimur (licet ab alijs non simus extorres) quippe quia optimus is est modus introducendi: Cęteraque breuiter cuncta definit, recteque determinat, nihil relinquit, unde quasi renumerare possit. Ne tamē animus lectoris incaute ingrediatur, & sequentia operis iudicet, non te lateat quod modum tractatus quidam pręcedit procemialis, qui uere introductorius breuis habendus est. Est autem duplex: partim de eo qui finit artem, partim de arte. Nos Platonem imitantes, quæ sequuntur, iungamus. Ast enim Plato, de omnibus quę in tractatu innuuntur, eum posse discere, qui peritiam habet earum rerum de quibus quęritur.

SORANI EPHESII INSIGNIS PERIPATETICI, ET VETVSTISSIMI ARCHIATRI, IN ARTEM MEDENDI ISAGOGE SALVBERRIMA.

Tyro medicæ artis qualis esse oporteat. Caput I.

ASTVTIA ueterum in opusculis librorum diuersa posuit principia: Nos tamen principium sumimus ab eo, qui imbui arti medicinę inchoat. Sit autem ętate quidem illa, ex qua maxime e paruis homines transeunt ad magnitudinem, quod est in annos undecim. Hęc enim ętas est apta ad sumendam sanctam artem medicinę: corporis autem magnitudinem talem habeat, ut neque pinguis sit, neque breuis admodum: & ut iuuentutem liberaliter agat, & senectutem utilem atque facilem ducat: natura & animo sit studiosus, & ingeniosus quidem & acutus, ut citius intelligat, & docibilis sit: fortis autem, ut possit per diem labores sustinere: quoniam undique horrenda & tãquam insuauia, & alienos casus, suas facit esse tristitias. Disciplinarum autem, & uirtutum cęterarum, minimè sit expers: sed & circa mores habeat diligentiam: iuxta enim Erasistratum, felicissimum quidem est, ubi utręque res conueniunt, ubi & in arte sit perfectus, & moribus sit optimus. Si autem unum de duobus defuerit, melius etiam uidetur, esse bonum, quàm artificem perfectum, mores habentem malos, & improbum esse: modesti siquidem mores quod in arte deest, honestate repensare uidentur. Culpa autem morum, artem perfectam corrumpere atque improbare potest. Necnon & naturę rerum scientiam habeat, ut omnino huius rei non expers esse uideatur. His igitur omnibus ornatus esse debet, qui medicinę tam arduam artem auspicaturus est.

De iuramento medici. Cap. II.

CVRARE etiam debet, qui artem medicam, & naturę scientiam uult inchoare, ne ab errore quenquam alicuius lædat effectus. Ea itaque ratione per sacramentum iuramenti sumat doctrinam, Grãmaticam, Rhetoricam, Arithmeticam: Astrorum quoque ratio sumenda est, ut cognoscat eorum ortus, & occasus & motus, & tempora anni: quia cum ipsis & nostra corpora permutantur, & eorum mobilitate & perturbatione ægritudines in hominibus commouentur.

Qualis esse debeat medicus. Cap. III.

PERSPICIAMVS autem qualem oporteat esse medicum. Sit ergo moribus ornatus & modestus, cum decenti ac debita honestate, nec desit ei sanctitas, nec sit superbus, sed pauperes & diuites, seruos & liberos pariter curet. Vna enim apud omnes est medicina. Mercedes autem siquidem dẽtur, accipiantur & non recusentur: si autem non dentur, non exigantur. quia quantum quisque dederit, non potest ulla exæquare mercede beneficia medicinæ. Domos autem quas ingreditur, ita ingrediatur, ut ante oculos habeat curam tantummodò laborantis. Memor etiam sit iuramenti Hippocratis, ut ab omni culpa se abstineat, maximè à uenereo & corruptibili actu. Ea quæ in domibus aguntur & dicuntur, tanquam mysteria celanda existimet. Sic enim sibi & arti ampliorem laudem acquiret. Habeat etiam digitorum elegantiam & subtilitatem, ut suauis omnibus uideatur, & in tangendo subtilior appareat: hæc enim & ipse Hippocrates dixit. Nihilominus autem sit & in fabulis iucundus, & non sit expers philosophiæ. Sit etiam modestus moribus, ut utręque res conueniant simul sibi, cum artis perfectione, quantum possibile est, & bonitas morum.

Quod operatio, medici peritiam aut imperitiam prodit. Cap. IIII.

FACIAMVS autem initium à quodam exemplo. Communiter contendunt & luctantur homines, cùm aliqua necessitas impulerit, & qui didicerunt, & qui non studuerunt: sed statim ipsis motibus comprobantur hi, qui didicerunt, maximè si facere non recusant. Simili modo medicinam quamplurimi tractant. Denique aut succum ptisanę, aut melicraton, & qui non sunt medici, dare possunt (quoniam ipsa natura interdum indoctis etiam peritorum tribuit efficaciam) Sed ipsa operatio, & ipsius rei honesta tractatio longè in eo apparet, qui peritus est, & facilè improbat imperitum. Hippocrates quoque ait: Medici quidem famà multi, sed opere ualde pauci. Honestè autem opus ipsum tractabitur tribus modis, ut pręscientes scilicet eorum causas qui omnino à uitijs oppressi sunt, & nullo modo curari possunt, minimè suscipiamus. Aut eos suscipiamus, in quibus ualida natura non nimis est pręcipitata humoribus: aut ea quæ facimus, eo ordine faciamus, ut ad solam utilitatem, totam operis efficaciam diri-

gamus. Quapropter & libri eius tripartitam habent doctrinam, & in primis συνοπτικὴν positam. Aptissima quippe omnium synoptica est inspectio uel uitiorum probatio, qua dignoscitur, quid in arte existat bonum. Nam quod omnes sanos facere non possumus, minimè & hoc uitium arti ascribitur; omnibus quidem auxiliari non datur. Præscientia tamen prędicendi futura, puram fidem tribuit, ut meritò credantur nobis ægrotantium corpora. Vult enim Hippocrates, & præterita medicos cognoscere, & præsentia scire, & futura prædicere. Nec minus etiam cautissimè agendum est. Ne pręsumamus, eum qui deficit uiribus, quique ad desperationem uenit, secare: uel poteris eis dare potionem aut somnum, aut uentris purgationem: Nec aliqua res agenda est, quæ ad mortis causam ex potionis occasione transferri uideatur. Similiter nec ossa secemus, nec ἀπόσχασιν faciamus, nec aliud quidquam, quod non naturaliter permittitur, pro utilitate fieri posse. Multos enim initiantes, medicamini uidemus fidem credere, & in mala opinione apud omnium ora uersari, quod dederint quidem potionem somnij causa, uel alterius cuiusque rei: sed ob imperitiam inspectionis, maximum intulerunt periculum, & fidei suæ circa certas partes medicinæ plurimum derogatum est. quoniam mortis euentus non iuxta rationem potionis, sed propter uires defectas contingit. Rectissimum ergo est, huiusmodi homines, qui defecti sunt uiribus, non quidem deserendo, existimare, sed alijs medicinalibus rebus curare, quæ in culpam uenire non possunt, ut & artis humanitas, & perseuerans medici peritia possit stare. Qui autem uult nostram artem discere optimè, is debet uniuscuiusque rei doctrinam, & corporum naturam, & singularium partium operationem cognoscere. Qui autem non ita doctus est, sed experientiam tantum sine aliqua ratione exercuerit, & inhonestè artis professionem risui dederit, & sine doctrina rationabili egerit, alienum medicinæ opus adhibere uidetur, quantum ad ipsam artem spectat. Vbi enim ratione dijudicat, necesse est eum ad incommoda pergere, qui sola experientia sui aliqua ratione utitur. Ratio enim breuiter ad utilitatem perducit, & tanquam cæcam imperitiam, id est experientiam ducit. Quemadmodum etiam doctrinam percipimus, dicendum existimo.

De quatuor anni temporibus. Cap. V.

QVATVOR tempora hæc, sunt quatuor elementa. Sicut corpus hominis in quatuor partes diuidimus, ita & anni circuli erit nobis quadripartita diuisio. Phlegma in capite, sanguis in pectore, cholera rubea in uentre, cholera nigra in uesica: hæc omnia crescunt suis temporibus. Sanguis crescit uerno tempore, hoc est primo uere, cholera rubea in æstate, nigra autem & phlegma in hyeme. Si omnia infra dicta tempore suo adhibueris, incolumis perseuerabis, nec medicis indigebis.

De uictus ratione quolibet anni tempore utili, hyemisq; inceptione & fine.

Scimus autem & quando, & qui humores in hominibus crescunt. hyemis tempore ex die VIII. Idus Nouembris usque in VIII. Idus Februarij, phlegma crescit, ex qua nascitur catarrhus, destillatio uuæ, tussis plurima, punctio laterum. Oportet ergo uti calidis & plenioribus cibis, sinapi, apio, eruca, pipere, agrimonia plurima. Confert corporis exercitatio, meracum bibere, raroque lauare, caput sine intermissione purgare; ueneri denique non parcas.

Veris.

Ver incipit ab VIII. Idus Februarij usque in VIII. Idus Maij. hoc tempore crescit sanguis, & febres, & humores dulces. Oportet uti rebus frigidis, amaris, & siccis, & quæ uentrem soluant, minimùm ieiunare, assiduè laborare, tepidum bibere oportet.

Aestatis.

Aestas incipit ab VIII. Idus Maij usque in VIII. Augusti. hoc tempore nutriuntur cholera rubea, quæ facit febres acutas, causon, synochus tertiarius. Vtendum ergo rebus frigidis, nimis dulcibus & suauibus, & bene olentibus, quæ facilè digestionem admittant; frigidum bibere & aquosum oportet, cum uenere coitum non facere ex toto, quia & uirtus uiri minuitur, & stomachi dolor, ac debilitas & tremor totius accidit corporis; ieiunia minimè exequaris.

Autumni.

Autumnus incipit ab VIII. Idus Augusti usque in VIII. Idus Nouembris. hoc tempore nutritur cholera melina, ex qua nascitur pituita stomachi, typicas facit febres & acutas, nigrum fel augetur, uenis crassitudo consequitur. Oportet uentrem purgare, & detrahere humores, & uti rebus relaxatorijs, sæpe uomitum prouocare, minimè ieiunare, à uenere quoque & frigida abstinere. His omnibus suis temporibus utere, & per totum annum integram salutem transibis, sine auxilio medicorum.

De humoribus.

Nunc uideamus de unoquoque humore, ut in humano corpore fieri uel generari habeant, uel qui hominem reddant. Corpus enim rationabiliter ex quatuor constat humoribus, scilicet, sanguine, phlegmate, & utraque cholera, quæ dominantur in suis locis. Sanguinis uirtus est circa cor; cholera rubea dominatur in dextro latere, in epate, quod iecur uocamus. Cholera uerò nigra in finistro latere est, scilicet in liene, quod Grecè σπλὴν appellatur. Phlegmatis autem alia pars in capite, alia in stomacho est. Sanguis calidus & humidus est & dulcis. Cholera rubea amara, & uiridis & sicca est. Cholera nigra acida & sicca & frigida. Phlegma frigidum & humidum, colore millinum. Hæc omnia in suis temporibus, ut denotatur superius, crescunt, & dominantur, siue per diem uel noctem. Sanguis dominatur ab hora noctis nona usque

na usque in horam diei tertiam. Cholera rubea ab hora diei tertia usque in horam nonam diei. Cholera nigra ab hora die nona usque in horam tertiam noctis. Phlegma ab hora noctis tertia usque ad horam noctis nonam.

Emunctoria humorum & ætates.

Hi etiam hñt respirationes p singulas corporis partes. Sanguis p nares, Cholera rubea p aures, Cholera nigra p oculos, Phlegma p os & nares. Hi quatuor humores p quatuor dominantur ætates. Phlegma cũ parte sanguinis in pueris dominatur usque in annũ 14. Exinde cholera rubea dominatur cũ parte sanguinis usque in 35. uel 34. dein à quadragesimoquarto uel trigesimoquinto anno maxima pars sanguinis dominatur cum cholera nigra usque ad suam ætatem. Tabes etiam faciunt in unoquoque homine, & mores. Sanguis facit pueros moderatos, blandos & formosos. Cholera rubea facit iracundos, acutos, ingeniosos, & leues, macilentos, & multùm comedentes, citò digerentes & uentres solubiles. Phlegma facit corpora composita, uigilantes, & intra se cogitantes, canos citò producentes. Cholera nigra facit subdolos, auaros, & perfidos, tristes, somniculosos, inuidiosos, & timidos: qui habent uirtutem calidã, dominantur in superiori parte: qui uerò frigidam, in inferiori. Hi uerò quatuor humores pulsus habẽt suos. Sanguis facit pulsum plenum & æqualem, & humidum. Cholera rubea citatum & tenuem, tardum, & segniem. Cholera nigra tenuiorem, asperum, percutientem. Phlegma facit pulsum minus plenum, humidũ & æqualem. Isti humores sine se esse non possunt, sed in omnibus habentur ætatibus. Si unus ex his minuitur aut decrescit, longam facit ægritudinem. Simili modo si quis augmentare & excedere cœperit, ad longam ægritudinem perducit, si imperitum medicum habuerit, qui non intelligat ex quo humore fiat ægritudo. Scias autem Mecoenas, quòd si fuerit per culpam sanguinis ægritudo, succurrere debes frigidis cibis & acidis & siccis, quia sanguis calidus & humidus est & dulcis. Si ex cholera rubea est, da ei frigidum & humidum & dulce, quia cholera rubea, amara & ignea est. Si ex cholera nigra, da ei calidum & humidum & dulce, quia cholera nigra est acris & frigida. Si ex phlegmate nata est ægritudo, da ei assiduè dulce & siccum & calidum, quia phlegma frigidum & humidum & salsum est. Et cùm hoc factum fuerit, perduces ad propriam sanitatem ægrotum. Si uerò facilius commodis fruamur, & incommoda uitemus, percurrentia uitia in signis naturalibus cognoscamus, cogita quòd mortifera emendemus.

Quibus uitijs caput obnoxium & eorum remedia. Cap. VI.

NAM quasi uertigo & tenebræ caput adtentant. Solent etiam illud uarij dolores attingere. Supercilia prægrauantur, aut tempora pulsibus micant, aut oculi manè lachrymis fluunt, aut caligo impedit uisum, aut sonant aures. Quando ergo aliquid tale sentitur, caput purgare debet, sed leniter, aliquo grauiore medicamine, origano uidelicet Indico, id est de India, & hysopo coma in mulsa cum melle lentissimo debet infundi. Cumque illa fecerit succum, ex eo ad dimidium heminæ in uino oportet sereno & calido die ieiunium gargarizare & expuere. Qui hæc facere neglexerit, huiusmodi incommodis subiacebit. Grauatur auditus, & interiore aurium parte humor erumpit. Fit creber motus & sonitus, inde lippitudines, & diuersa oculorum uitia: inde ulcera & alopecia capitis, & fluenta capillorum. Inde scrophulæ, quas Græci χοιράδας uocant: Inde suffocationes, inde uua stillat, qui morbus plurimos excitat: inde dentium dolor & cruciatus.

De pectoris dolore & curatione. Cap. VII.

SI uerò à pectore incommodum surgit, solet his agnosci indicijs. Primùm capitis & pectoris sudor existit. Fit quasi crassior & plenior lingua: saliua amara & salsa sentitur. Scapulæ & latera grauantur, oscitatur assiduè, trement interdum brachia & manus. Interpellat etiam sicca tussis. Nocte sentitur, & experti à somno, mens tristis & nubila est post soporem. Algor pectus infestat. Contra hoc ergo tale remedium succurrit. Si quis post cœnam plenus, cibum & potum maximè dulcem uomat, ut materiam simul phlegmatis & fellis amittat: sed sic, ut antè raphani radices minutas edat. Idem nasturtium & sinapi folia terna, atque herbæ rutæ pariter trita sumenda accipiat. Deinde aquam tepidam superbibat, & sic prouocet uomitum. Tunc ille humor noxius, qui uel amarus uel salsus sentitur, reiectus plurimùm subleuat. Certè si non potest uomere, Ne stomachus lædatur, ieiunet die tota: & si necesse fuerit, & alia, usque dum humores malos conficiat: quia assiduè uomendo, solet stomachus corrumpi. Qui autem ista contempserit, his morbis obnoxius erit, aut melancholicus erit, aut lateris dextri doloribus uexabitur, aut grauedine somni opprimetur.

De uentre. Cap. VIII.

De uentris doloris signis, & remedijs.

HAEC signa præmittit. Venter ipsius torquetur & corruptione ciborum cum potu eijcit escam. Genua deficiunt. Corpus omnẽ adgrauatur & dolet. Crura torpescunt, & occulta febris grassatur. His ergo significationibus sic oportet occurri, ut uenter ipse molliatur. Salubre est autem, si lappatij foliorum, in aqua decoctorum succus bibatur, uel ipsa ut holus in cibo sæpe sumatur. Nam & mercurialis herba ad eum modum decocta si bibatur, plurimum iuuat. Similiter & cauliculas brassicæ in aqua coctas, ad

dito melle & sale : & decoctionem eius usque ad heminam unam, utilissimũ est bibere ieiuno, temperato cum uino. Qui hoc adhibere cessauerit, aut ciliacus fit, aut uentris resolutione lædetur. Inde dysenterici, inde sciatici, inde podagrici, inde coxæ dolor, inde morbus articulorum, inde hæmorrhoides circa anũ, quæ ex uentris uitio erumpunt.

De uitijs uesicæ. Cap. IX.

CVM uerò ex uesica imminet morbus, nec minus ipsa solet iisdem nunciari indicijs. nam multa sentitur inflammatio, & frequenter uentris uentus emittitur ructatu, color pallet atque grauatur, urina fit sordida & liuida, & uix exit. His cognitis, talis erit medela: Fœniculi & apij radices in uino albo atque odorato madefacies, & ex eodẽ uino cyathos duos, tantundem aquæ calidæ misces, & ieiuno potui dabis. Quod si hoc non fecerit, obnoxius erit hydropisi.

Notæ lapidis in uesica.

Signa eorum qui lapidem in uesica habent. Natura eorum subtumida est, pruriginem patiuntur in ano, & mingere non possunt: nascitur hæc causa infantibus magis, quàm iuuenibus, qui minores lapides mingunt.

Cura.

Sumito petroselini semen, apij semen, betonicæ radicem, saxifragiæ, zinziberis, elenij radicem, siselei, baccas lauri, urticę maioris semen, alani radicem, spicæ, roris marini, costi hortulani radicem, cardonis radicem, agarum, marrhubium album, singulorum drachmam unam: mellis modici. tere omnia, dabisque quando febricitat, manè & serò in uino.

Meientes furfures.

Sunt præterea qui furfures mingunt, qui per urinam in calice natant. signa hæc si uideris, scias lapides maiores esse in uesica. Natura eorũ si fuerit manibus fricata, intus redeunt lapilli, & confricatione in labijs uesicæ fit scabies, & emittunt illos per urinam, uel furfures.

Cura.

Dulcia comedant, & lac caprinum mox mulctũ bibant, si non febriunt; cancros fluuiatiles comedãt.

Antidotum ad hæc: semen apij, cuminum, melantij, siselij æquo pondere cum lacte, manè, & mellis cochlearia singula cõmisces omnia calida, dabis manè ieiuno cochlearium unum, olera mãducent, maluas, pastinacas, asparagos, & porros: cibi uerò loco, oua sorbilia, & succum hordei cum dulcore & pipere quotidie accipiant, balneisque utantur.

Antidotũ ad uesicæ preclusionẽ exploratissimũ. Sume saxifragiæ, spicæ, betonicæ, squinanti, cinnami, carpobalsami, costi, absynthij, ciceris, succi liquiritiæ, acori, hyperici, reupõtici, chamęleõtis, petroselini, dauci, ireos, opopanacis, ana unciam unam, confice & utere. Item petroselini, saxifragiæ, apij simul bulliat, & sanabitur. Item saxifragiæ, azari, gummi, betonicæ, piperis, ana unciam unam, mellis libram unã, uini quantum res postulat; quæ quidem in balneo bibant.

Curatio doloris uesicæ.

Ad uesicę dolorem cura talis est: inunge oleum rutaceum per clysteres frequenter ęgroto in mare. Fœminę uerò matrix infundenda erit, & extrinsecus pectinem & inguinem ex oleo cyprino calido, & cũ lana succida fasciabis. Aliquando admiscebis castoreum, si fortè plus calidum fieri oportet. Item clystere ex decoctione fœnugręci aut radicem maluę cum oleo mixto & calefacto: & si uesica stricta fuerit, subtili uomento relaxare & iterum adducere oportet.

Ad frangendum lapidem, succus radicis ualet.

Vesicę uero patienti calculũ, adrianum si dederis cum apozimate, radicem alexãdri & seminis ozimi, aut brucinę, aut plenipugilli cicerum rubeorum, curabitur. Similiter potio Iustini, cum uino calido si dederis, facit. Filoanthos potio calculos frangit. Mus quoque in uesica lapidem rumpit.

Ad petrã uesicę, saxifragia, grana solis, petroselini, quinquefolij, asparagi, brucinę, agrimonia, in uino coquantur, ad tertiam redeant, & postea cola, & adhibe paululum mellis, & gariofilorum unciã unam: da bibere manè tepidum, quasi phialã unam. Sumito item stafisagrię uel saxifragię tapsię radicem, sparaginis radicem, petroselini, apij, piperis, singulorum unciam unam, grana solis, solidum unum, Alexandri solidum unum, leuistici solidum, manè quantum sufficit, dato.

De his qui meiere nequeunt.

Iis qui mingere non possunt, oleastri radicem, ciminumque & cepulas terito, & in oleo coquito, ac super pectinem ponito.

Item paritariam tere, & calefacta super pectinem fascia applicata mirifice confert. Pasce item hircũ triennalem, uel uetustiorem etiã, per nouem dies, aut per mensem ad summum, de aniso, & leuistico & de folijs hederę ac lauri, uel apio & petroselino, & postea occide iñ die iouis, luna decurrente, & collige sanguinem eius, & sicca diligenter, ministraque drachmã unã in balneo per triduum, pulverizatum subtilissime, uel si potes, cum apozimate nardi & cinnamomi, & cicadarum siccarũ puluere dato, mirabiliter prodest, & cum omni celeritate lapides frãgit & expellit. Hircus uero de quo mihi iã dictum, pascatur circa cal. Augusti, uel post calendas, uel etiam ante. Item apprehende leporem in die iouis, similiter luna decurrente, & occide ipsum, & eius sanguinem collige, & inuolue pellem eius in ipso sanguine, & in furnũ mitte,

mitte, uel in alium quempiam locum, ut comburatur, & puluerem delicatissimum confice, & de eo commisce cum petroselini puluere, & anisi & leuistici, & utere in balneo cum uino per triduum. & fiat uaporarium siccum cum uino, & de molaribus lapidibus.

De abstinentia. Cap. X.

CVM senseris aliquod uitium corporis, statim abstineas à cibo & potu, quousque senseris febrē posse superari: & si necessitas fuerit, usque ad decimum diem semper exiguum & paruum cibum sume. & sumas ouum sorbile, & succum de simplicibus & digestibilibus, uinumque album ac lene parcè non dilutum: & postquàm senseris beneficium, postero die balneum ingredieris, & cibo firmo uel potu utaris, ut corrobores stomachum. quarum & obseruationum & refectionum rationem habendam præcipimus, ne quid omnino uitij corpori tuo accedat, sed perpetua sanitate stabilis sis totus.

De uomitu. Cap. XI.

QVI frequenter uomunt, semper sani esse solent. Non enim modicum adiutorium sibi natura inuenit. Scimus enim, uomentes non solùm choleram, sed & phlegma dolorificum mouendo euomere: unde capitis fit magna releuatio. deinde molem cibi & potus conuenit uomere, ut non plenitudo nascatur, uel corruptela. postea escas dulces sumendas & calidas, propter uenas & constrictionem uentris, censeo.

De ratione corporis uel uiscerum. Cap. XII.

NE ignorans quispiam medicus rationem organi uentris uel uiscerum, contraria adhibens homini, mortis terminum ponat, rationem ostendo. Neque enim facilè potest quibuslibet causis interaneorum occurrere, nisi loca & signa cognouerit. cuius organi ratio talis est. Pulmo utrasque partes pectoris superiores continet, cooperiens cortes capitibus fimbriarum suarum. Stomachus autem, qui os uentris appellatur, positus est inter utrasque partes hypochondriorum, id est in medio costarum mollium, utrarumque partium. Ventriculus est positus sub stomacho inter lienem & iecur. Epar uerò latus dextrum tenet, & ex obliquo extenditur ad partem uentris, & cooperit uentriculum: sub se quidem habet inhærentem uesicam fellis rufi, quod uentriculum cooperit, & cum hoc hepate calefacit. Splen uerò positus est sub costis, mollis in parte sinistra. Et ideo nunc dicendæ sunt quatuor elementorū rationes, quemadmodum ex supradictis gignantur, uel ubi sedes habeant, & quid cùm exuberauerint, faciant, & quemadmodum inter se mutentur: Non solùm in uirtute animantium, uerùm etiam & in homine; unde quadrifidè corporis elementa, hoc est fel, sanguis, humor & phlegma uires acquirant, ex quibus principia omnium causarum gignuntur, quibus etiam loci sedes habeant, uel quomodo immutantur. Cuius rei ratio talis est: Ventriculus, est escarum omnium receptor, & totius corporis prærogator, in cuius capacitate cibus & potus mixtus conuenit: & uentriculus escas, quibus pascitur ipse, intercurrentibus uenis, hepatique donat. Partem pinguiorem in phlegma & mysterio artis naturæ, cerebello largitur, ex quo, uentriculo pars quædam humoris suprà scriptis neruis ac nodis aspergitur, ut possint sua quæque membra implere officia. Partem tanquam hepati condonat, ut dixi, secundo calore cùm cocta in sanguinem uertitur. Necesse est quod hepar aliter, ac ualet ex quo cor & uenæ sanguine implentur, cum superna tamen quendam humorem, cuius humoris renibus paruus mācus conceditur, ne abundans supradictus humor constrictus, renum nodos dissoluat. Pars tamen quæ residua fuerit & superflua, hepatis uesicæ, adaucto colore, quod fel appellatur, transit ex parte uersus in choleram rufam; ex quibus coloribus, operāte calore, & nigra cholera nasci permittit, fecisque sorditia ex sanguine & hepate uenientis partem, melancholicum faciunt humorem, partem dimittit spleni. Sed quia sunt homines imperita mente & curiosi qui forsitan dicent: quamuis quotidianarius, seu tertianarius, siue quartanarius faciat liquores, faciat uim ipsam morborū, ut quotidianarius, quotidiano frigore arcetur, uel tertianarius cur itermisso die, siue quartanarius biduo interposito maximè frigore maceratur? Hæc itaque suprà dicta electionis adieci, stilo conscripsi, auctoritate cōstructus prudentiæ medicinæ doctorū. Nā non ambigo, quenquā posse scire ex exuberatione phlegmatis quotidianarium: siue melancholia, hoc est atra bile quartanarium confici. Cuius certa ratio est, & non pene flexæ uolubilitatis habens rationem, & non difficilem sapientiam. Tunc ei intellectus sic apparet, ut superior textus exprimit. quotidianus cibus concoctus, primò ex ipso phlegmate nascitur; & quia in decoquendo cibus non longi temporis spatium est. Ipsa quia causa quotidiani phlegmatis frigore quotidie uexantur. Ergo, ut dixi, ex cibis phlegma nascitur, & phlegmate operāte, secundo calore, sanguis creatur. Ex quo sanguine, tertio calore instante, cholera rufa gignitur: & inde tertianarij, die interposito, frigore macerentur. Simili ratione ex cibis plegma, & ex phlegmate sanguis, & ex sanguine fel rufum; ex quo quarto calore decoctum cholera melinā nascitur. unde fit, ut biduo interposito, quartanarij uexentur. sed simili ratione. Si curiosius quispiam requisierit, quā ratione omnis typicus prius frigus patitur, quàm febrem: quia febres calidæ sunt, & res calidæ frigora facere non debent. Cuius rei talis reddenda est ratio: quia omnia suprascripta elemēta nō ex suis locis per corpora effunduntur, nisi cuius exabūdauerit ultra naturā una quā res abundare, ut ipsa exuberationis cā acrior calor efficitur.

Cùm de loco suo per corpus fuerit effusus, & acrius corpus eius obripilans alget, & tam diu pau endo, timendo patitur, quandiu increuerit calor, ex commotione corporis; & omne quod fuerat effusu m in caloribus consumitur; quod frigus recidere possit, & sic fit, ut post frigus, calor dominetur, sicut su perius dixi de eo, cui quod perdit dies, per diem iterum acquiritur, ut sit aliud quod effundatur. Similiter diem intermissum, uel biduo interpositum tertianarius uel quartanarius, alimentum suum acquirit tarditate acquirendi, sicut superius demonstratum est: hæc ergo ratio diligenter est edicta, quantum arbitror, quæ res frigus facit ante calorem.

De quatuor elementis corporis, & eorundem uirtutibus. Cap. XII.

NUNC me conuenit dicere, quos morbos inferant superius memorata elem enta corporis, id est phlegma, sanguis, humor, & fel. quod non profusione sermonis, sed magistra comprehensione demonstro. Phlegma quod primò gignitur, frigidam & humidam habens uirtutem, cotidianarios, ut dixi, facit: & interrupto quodam humore, facit pedum tumorem: perpetuitatem corporis seruans, sine ulla collectione; non ut apostematibus euenire solet. huius uerò phlegmatis humor uicinumque sibi, epar & stomachum & pulmones facilius lædit, & lateris exiccat dolorem, rheumatismo nato, & capitis scotosin infert, & podagram, & schiam, & dolores capitis commouet, & parotidas nasci permittit. Sanguis uerò periculosior in finem, calidiorem & humidiorem habens uirtutem. Hic facit synochos phlegmati mixtos, solas uerò amicas ingerit mortes, & uitæ otiosæ opisthotonicos & tetanicos, & emprosthotonicos, & apoplexias: paralysim item & plethoricos facit. Cholera rufa calidam & siccam habet uirtutem, & tertianarios, ut dixi, facit, & causon, & synochos, & acriores dolores lateris commouet; uel cùm torquet acrius quàm quod phlegma facere nouit. Nam & acredine sua, exulcerando intestina, uel exurendo, dysentericos efficit, & erysipelas incendit, necnon & apostemata nasci permittit. Cholera nigra, quam μελαγχολίαν uocant, id est fęcem sanguinis excocti, frigidam & siccam habet uirtutem. hæc facit ictericos, & quartanarios, & uentris periculosam duritiem, & ulcera pascentia, & cancros, & ulcera iuncta cancris. Quæ quidem cholera nigra si per uomitum, aut per uentrem fuerit effusa, ex ipsa exulcerationis causa tota, cum facilitate infert mortem. Melancholia autem, id est sanguis excoctus, morbum conciliat regium, uentrisque periculosam duritiem. Phlegma uero choleribus rufis mixtum, hemitritanos facit, quos tacitò Galenus quotidianam & tertianam coniunctam dicit. Nam usque adeo manifestum est, ut tertiana ex choleribus rufis oriatur, & quotidiana ex phlegmate. Planetas autem appellant febres, quas non unus sed plurimi humores infestant, & ex ipsa ęgritudine simili uarietate uexantur: sed omneis, quas superius memorauerim febres, non nisi die crético medicis conuenit nosse, idque etiam clinicis, ne per ignorantiam non intelligendo, contraria adhibeant, & periculum faciant mortis, seu homini uicto μακρονόσημα, id est longam ægritudinem concilient.

De quatuor temporibus siue latitudinibus omnium causarum. Caput XIII.

SCIRE quoque debet medicus, quatuor esse tępora omnium causarum, maximè febrium: nempe initium, augmentum, status, & declinatio. Quę si non intellexerit medicus, grauiter homines lædit. Scire debet item medicus, quid in initio, quid in augmento, quid in statu, quid in declinatione debeat ægrotanti adhibere, id est, in quo tempore curet, in quo cibum uel potum ministret, & in quo ab hisdem abstineat, & quando dormire æger debeat, uel in quo tempore uigilare sciat, & in quali cubiculo iaceat.

De trino uirtutum numero. Cap. XIIII.

TRINA itaque ratione continetur homo, atque diuiditur. Virtus nanque animæ, quæ regit totum corpus, dicitur ζωτικοὶ, τρεπτικοὶ, & ψυχικοὶ. Zotice, est uirtus uitalis, quæ facit uitam membris uel corpori totō, in corde consistens. Treptice, est uirtus quæ pastum tribuit membris corporis. Psychice, sedem in capite, id est in cerebro habet, quæ sensum facit, motumque prębet, & intellectum nutrit.

De quinque sensuum claritate. Cap. XV.

NAM quatuor sensus in capite sunt, cùm tamen & ipse quintus inde sit, puta uisus, auditus, odoratus, & sapor & tactus. Qui sensus quinque hoc modo probantur: Visus, similitudinem, uel colorem omnium, uel cuiuslibet materiæ proprietatem demonstrat. Auditus sonos, uel uoces cuiuslibet rei intellectui tradit. Odore intelliguntur ea, quæ de odoratu sunt, puta bene olentia, graueolentia, stiptica, austera, pontica, putida. Sapore intelliguntur amara, dulcia, acria, salsa, ambusta, stiptica, lenia. Tactum intelligimus cuiusque rei mollitiem uel duritiem, uel ponderis uel leuitatis, uel aspritudinis æstimationem docet: quia nequidquam tangimus, nisi scire potuerimus. & quid scimus, nisi quod antè uideamus, uel audierimus, uel gustaremus? Sed nunc de ista tractasse satis est. Vnde magis ut cœpimus, breuiter percurramus, quia multi medicorum hęc ignorant, de symptomatibus: rursus redeamus per omnia, ut inueniamus uniuscuiusque causæ originem. Hæc enim sola ratio poterit tribuere tibi, ut scias congruam uniuscuiusque causę diligentiam uel curationem.

De

De conceptu, & seminis coagulatione. Cap. XVI.

NAM concipit mulier natura uolenter uiri semine, & mulieris sanguine, quamuis ipsum uirile semen sanguis sit, unde & maiores nostri hos uere cognatos consanguineos uocant. Vnde summus quoque auctor Homerus sic ait: Hic nanque tuo semine, id est sanguine, gloriosior esse. & scimus quosdam, qui dicunt quòd semen sanguineum sit, cùm sanguis rufus est, & semen candidum. Certam rationem ostendo; quemadmodum mare colore cyaneo sit, dum est in eo tranquillitas. Si quod illi natura tribuit tempestatis in saxis uel in scopulis collisum, spumam candidam facit, & quemadmodum uinum coloratum, si in calicem coagitatum fuerit, spumam efficit albam: Simili modo & sanguis ad hos suorum membrorum repercussus, spumam facit albam. Necesse est cùm uiri semen, & mulieris sanguen superuenient aut declinant, unaque confluant, formantur in utero, sed temporibus corroborentur. Nam si quoties cum mulieribus coitum facimus, mulieres ipsæ conciperent, greges nos infantum sequerentur, id quod Græci πολυπαιδίαν appellitant. Certo autem tempore mulier concipit, aut incipiente sanguine aut deficiente. Sed quidam ait: Ego cum muliere menstrua habente coitum feci, & non cōcepit in utero: quia maior pars fuit sanguinis, & minor seminis. Deleta est illa minor pars seminis à maiore parte sanguinis. Infantem temporibus componi atque collocari manifestum est, septimo numero, septem spatijs contineri, septimo mense nasci. Septimo anno infanti dentes cadere, & bis septimo pubescere, & nucleantibus mammis, semen generare, ter septimo barbam habere, septima die in ægritudine periclitari. Quid aliud, nisi septem stellas, sidera, astra omnia ministrare, sic & infantem in utero materno formari atque cōponi? Est autem numerus septies multiplicatus, in confirmatione partus.

Quô embryo singulis mensibus sese gerat & absoluat. Cap. XVII.

RATIONEM & perfectam hominis formam siue figuram hominis, infans in utero accipit, & quadragesimo die; hos ante numeros ut partus edatur, septies multiplicari oportet. Ita ergo quicunque in utero materno figuram hominis accipit in tricesimo die, septimo in se nascitur. ergo septies dupli-ces fiunt dies CCX. qui faciunt menses septem. Si quis autem die quadragesimo figuram hominis acceperit; nono mense intrante decimo nascitur. hoc est, septies quadrageni faciunt dies CCLXXXI. qui faciunt menses nouem, & dies decem. Ita ergo, ut diximus, septimo aut decimo mense qui nati fuerint, uitales erunt: qui autem non impleuerunt numerum, legitimus partus non est. Manifestum est infantem in utero temporibus formari. Intēdite prius iactus seminis nostri in utero materno, generat umbilicum, & facit risin, hoc est congregationem sanguinis. Secundus mensis expressionem corporis facit. Tertius mensis corpori tribuit animam. Quarto mense ungues accipit, & capillos inducit, & mutum facit infantem: ideoque fœminæ nauseant. Quinto mense induit fœtus similitudinem seu patris siue matris, aut adulterum demonstrat. Sextò mense adducit confirmationem neruorum. Septimo mense medullas consolidat. Octauo mense ossa & neruos confirmat. Nonus mensis maturum mouet infantem omnium rerum beneficijs factum ad unguem, deque tenebris ad lucem producit. Infans autem sic continetur in utero; summa pars capitis clunibus continuatur: genua autem oculis sunt apposita, unde & concaui exeunt, unde & genæ dicuntur. Denique aliqui aut dolore aut pro iniuria ad genua se prosternunt, & statim lacrymæ ex oculis mouentur. Quare infans dum tangit terram, uocem dat? eò quod insuetam tangit terram, & tenuis spiritus à luce concutitur. Ergo mulieres quæ in nauibus pariunt, mutum pariunt. Cur ergo infans non loquitur, sed uagit aut balbescit? Certa ratio est, quia dentes non habet. dentes enim nostri adiutores sunt linguæ: organi genus sunt, quorum modulatrix est lingua. Infans enim quandiu dentes non habet, uagit: aut ubi duos uel quatuor dentes habuerit, balbescit, uel mussitat: at ubi impleuerit os, loquitur. Dentes autem nostri dati sunt ad præcidendum uel frangendum omne quod edimus; quorum priorum sunt gemini. Sequentes dicuntur canini: tertio militares, quos nos molares dicimus. Dentes uerò nostros quid esse putamus? omnia ossa medullam habent, dentes autem medullam non habent. Omnia ossa confirmantur & curantur, & ad locum suum reuocantur: dentes autem sublati, ad locum suum reuocari non possunt. Sed dentes nostros qui uitiat humor, nequissimus est; quia capiti descendit uiscus. Humor ergo capitis cùm semel in cutem diffuderit, in ea facit phlegmones, & erysipelas, alopecias, parotidas, churadas, uulnera, dolores, ulcera, uertigines oculorum, & aurium feruorem & lippitudinem, naribus polypum, gingiuarum inflammationem, dolorem dentium & denudationem, ita ut aliquid calidum & frigidum in ore continere non possit: ita si quis aliquid gustauerit, statim morsus cum sanguine sequitur: quorum passionum curas & diligentiam singulorum in sequenti sigillatim exponam.

Quæ signa in laborantibus letalia. Cap. XVIII.

AD has ualetudines nullum adhibeant medici remedium, nullum quærant auctorem medicinæ, cùm hęc signa uiderint. Capitis dolor si fuerit, & tumor in facie subito nascitur sine ullo dolore, & si sinistra manu & in pectore suprascriptus fuerit tumor, & si nares sibi assiduè scalpet, uicesimotertio die morietur. Phrenetico si ambo genua rosea facta fuerint solida cum inflammatione, ipsa die morietur.

Oris uitia si fuerint nata, & buccæ in labore fuerint, & in collo uenæ sint extensæ, & papulæ fuerint super ipsas uenas perrubeas, uel albæ natæ fuerint, uel somnus tardus fuerit, & lauacrum desiderauerit, uel uaporem calidum, quinquagesimo secundo die moritur. Affectio hæc infestat illos qui satis calide amāt lauare. Vuæ cui uitia fuerint, si sub lingua papula apparuerit instar pediculi porcini, & lauacrum siue uaporem desiderauerit, in ipsa passione morietur. Febrietibus acute si inter duos digitos in manu tumor niger in modum horbiliæ uisus fuerit, & si dolor erit ab initio ægritudinis, & lauacrum affectauerit, tertio die discedet. Stomachus cui doluerit, & acute febrierit, si in dextero pede pustula ei nascatur acerrima, & nullum desiderium habuerit, uicesimosecundo die morietur. Peripneumoniaco si ungues de pollice manus nigrescunt, & in fronte papula sanguinea nata fuerit, & sternutatur frequenter, septimo die morietur. Epar cui doluerit, si in collo eius natæ papulæ fuerint quatuor iunctæ unius coloris, & pollice pedis pruritus fuerit, & urina ueluti sanguinea exierit, intra septem dies morietur. Cholericus quis laborans, si iuxta umbilicum ei natæ fuerint tres papulæ in modum ciceris, una alba, alia rubea, tertia subliuida, eadem die morietur. Ventris dolore si quis fuerit tortus, & in supercilium eius papula in modū auellanæ, colore atro infra cilio, intra quatuor dies morietur. Splenetico si furunculi multi in sinistra manu nati fuerint, & per nares sanguis quasi spumosus fluxerit, duodecimo die morietur. Schiæ coxendicis ue dolor si fuerit alicui, si in sinistra parte rubor spissus sit, & sine labore, & olera cocta desiderauerit, uicesimoquinto die morietur. Dysentericus, si post aurem sinistram papula in modum orobi nata fuerit, cum siti admodum frequente, uicesimo die morietur. Sauia ex quacunque causa excreantibus, si maculæ ei natæ fuerint, sicut solet per omne corpus instar Aegyptiæ fabæ, eadem die morietur. Interaneis causis qui laborant, si papula dura in aurem ei nata fuerit albo colore, & uenter abundans fuerit, uicesimo die morietur. Intestinum cadens si cui doluerit, quod medici radicem dicunt, & dexter cubitus ei liuidus fuerit, & uinum satis desiderauerit, quinto die morietur. Vesicæ dolor cui fuerit, si sub axilla sinistra papula seu pustula nascitur, & quasi uideatur grauiter dormire, decimoquinto die morietur. Dysuria, hoc est urinæ difficultas cum infestarit, si in sinistram aurem furunculi in modum lenticulæ quamplures nati fuerint, & in ipsa ægritudine oculos sibi fortiter fricauerit, undecimo die morietur. Sanguinem reijcientibus si in gutture eorum ordio laniati fuerint, uel de ore eius saliua per mentum descendit, uicesima die morietur. Hæmorrhoidas habentes, si in plantis eius pustulæ multæ nigro colore suffusæ suboriantur, uicesimo octauo die morientur. Pustulas habentes & uulnera, aut fistulas, aut antheromata, uel qualibet apostemata, si supra ceruicem, aut supra umbilicum, aut iuxta cor, uel iuxta mamillam papulæ in modum lenticulę multę eis natę fuerint, & dulcem cibum desiderauerint, quadragesimo die morientur.

Quam nam singuli menses diætam utiliter exigant. Cap. XIX.

Martius.

Mense Martio dulcibus utendum est. dulcia oportet tum bibere, acriores cibos comedere, assum, balneum uisitare, sanguinē non minuere, solutionem uentris nullā admittere: nam ipsa frigore attenuat.

Aprilis.

Mense Aprili sanguinem expedit minuere, potionem solutionis accipere, carnes recentes comedere, à radicibus abstinere, calidum usurpare, balnea calida uisitare, dolorem stomachi purgare, unguento catastico usitare.

Maius.

Mense Maio calido conuenit usitare, caput purgare, uenam hepaticam incidere, potionem solutionis accipere, balneis calidis usitare, cataplasma in capite ponere, turbulentos oculos sanare, holeribus frigidis non uti, acrumen comedere, & lactucas non tangere.

Iunius.

Mense Iunio singulis diebus manè aquam frigidam bibat, uinum quantum uoluerit, neque ceruisiam neque medum bibat, lactucis quis usitetur.

Iulius.

Mense Iulio, uenere abstinere oportet, neque sanguinem minuere, saluia & ruta usitare, potionem ad soluendum non accipere.

Augustus.

Mense Augusto, maluis & caulis abstine, acria comedito, ceruisiam & medum recens noli bibere.

September.

Mense Septembri omnia quæcunque accident, edito: quia tunc omnis esca cum tempore suo confecta est. buccellas item in lacte infusas ieiunus comedito.

October.

Mense Octobri racemis uti confert, mustum bibere: quia & corpori prodest, & solutionem efficit. porris item plurimis utendum est.

Nouember.

Mense Nouembri, cinamomum bibere est utile, & balneis nullis lauare, caputque nullum comedere: quia tunc sanguis coagulatus est, & de calore humorem mouens: uenam denique hepaticam incidere, & genibus uentosas imponere.

December.

December.

Mense Decembri bonum est studium impendere, uenam capitalem incidere, uentosas imponere, quia in eo tempore omnes humores præparantur: caules noli manducare.

Ianuarius.

Mense Ianuario tres gluppos de uino ieiunus quotidie bibe, alijs uerò potionibus quæ uentrem laxant, non utere.

Februarius.

Mense Februario de pollice manus sanguinem minue, purgatorijs utere; sic tamen ut antè accipias ad deponendum, diagridium confectum, & statim calidum intres balneum: & quando omnia membra desudata fuerint, cum aqua calida & uino bibito.

Quonam pacto in singulos menses potiones præparari conueniat. Cap. XX.

EXPONIMVS atque ordinamus, qualis per unũquenque mensem, & tempus, potio de herbis fit optima homini & salutifera ad bibendum, quęque totũ corpus saluum reddit: Caput denique & pectus, & omnia interiora illęsa custodit; per omne etiã tempus, superfluum opprimit & detergit humorem. Cuius compositio hoc modo conficitur. Mense Martio mittis saluię unciam unam, piperis drachmas treis, cinnami unciam unam, gariofilorum drachmas duas & semissem, pyrethri drachmas treis, zinziberis drachmas duas, spicæ unciam unam, mellis despumati phialas treis, uini fortissimi phialas triginta: confice ut mos est, ut præclara & suauis potio sit ad bibẽdum, & singulis diebus ieiunus bibe uel ante cibum, uel post cibum. & multa salus operatur in corpore huius, si in toto mense Martio hęc sedulò peragere non negligis. Cæterùm in mense Aprili in hanc potionem absinthium quoque, & omnia quæ suprà memorauimus, immisce. In mense Maio, leuisticum, & omnia ut supra. In mense Iunio, betonicam, & cætera ut suprà. In mense Iulio, gamandream cum omnibus, quæ mox memorata habentur. In mense Augusto, plantaginis radicem & cætera prædicta. In mense Septembri, agrimoniam misce, & reliqua quæ diximus cuncta. In mense Octobri, quinquefolium, &c. In mense Nouembri, millefolium, &c. In mense Decembri, poma de spino albo, &c. In mense Ianuario, saluiam & pulegium, & omnia præfata. In mense Februario, lauri baccas & costum, omniaque cætera ut suprà.

Qui, quæq; & quando uenæ incidendæ. Cap. XXI.

IN occipitio, propter querelas capitis, incidimus usque ad os, mensura quatuor digitorum ab aure. De analogia in ambobus temporibus, propter effusionem, nullam. De sublingua duas, propter rheuma gingiuarum, uel uitia oris, uel dentium. De media fronte, unam incidimus, propter capitis dolorẽ, & alienationem, phrenesimque. De naribus item, propter grauitatem capitis. De collo duas, propter abundantiam humorum in capite, uel in oculis, aut gingiuis. De manibus unam, secus digitum minimũ, propter inflãmationem splenis. Super pollicem uenam incidimus, propter inflammationem pulmonis & tussim rheumatizantẽs. De subtalo pedis duas, propter podagram, & propter affectionem nephreticam, uel propter sciaticam; uel mulieri cuius menstrua non ueniunt, aut non concipiunt. De subdigito pollicis pedum duas, propter indignationem testiculorum. De brachio tres, cephalicam nempe, meson & hepaticam.

De quatuor bilium generibus. Cap. XXII.

CHOLERAE sunt quatuor in homine: fulua, rubea, nigra, pleumatica. Fulua ascendit tempore ueris per stomachum. Rubea ascendit tempore æstatis, & iacet in sinistro latere. Nigra ascendit hyemis tempore per sinistrum latus. Pleumatica ascendit tempore autumni, & in plemonem in homine. Cholera fulua dulcis curatur apio & fœniculo. Cholera rubea, betonica, agrimonia, centaurea minore emendatur. Cholera nigra, costum, gingiber, & aliã cum melle & calido uino, cum herbis hortulanis, aromaticis, & cataplasma in latere sinistro ad stomachum efflagitat.

De alia mensium obseruatione, phlebotomiaq; utili & necessaria. Cap. XXIII.

OPTIMVM est per singulos menses studiosè obseruare, quę multi auctores scripserunt. Mẽse Aprili, uena quæ mediana dicitur, de brachio incidenda est, propter thoracem atque pulmonem. Mense Septembri, uena lateris ob pleuresim & hepatis infirmitatem. Mense Nouembri, bonũ est gersas & cucurbitulas, quas uulgò uentosas appellitãt, imponere: quoniã tum omnes humores parati sunt. Mense Decembri, uenam cephalicam incide, propter uitia capitis, & oculorum infusionem. Mense Februario, uenam de pollice: quia tum febricitat terra, & omnia quæ in ea sunt. Reliquis uero mensibus non est tempus & opportunitas phlebotomiæ; nisi fortè uehemens urgeat necessitas. Nã si necessitas fuerit, neque die, neque tempus, neque horã incisionis expedit expectare; nisi à X V. cal. Augusti usque in III. Nonas Septẽbris. Istis nanque diebus sanguinem diminuere officit. Oportet autẽ phlebotomorum

incisio semper cum cautela fieri, perinde atque Hippocrates quoque docuit. Ait enim: Si medicus esse uolueris, semper time, & non inculpabere. Porrò in phlebotomia considerare oportet, ut aliquibus in pondus I I. & semis, aut multum I I I. aliquibus secundum ætatem, secundum uires, secundum mutationem coloris sanguinis fiat. Quòd si à principio exierit niger, usque ad rufum sanguis effluat. Quod si spissum fuerit & crassum, usque ad tenuitatem aquosam, neque tamen usque ad λειποθυμίαν. Quod si in emissione sanguinis quis infrigidatur, uel choleram in cerebrum ascendere significat, uel phlegma nimiū conclusum esse in stomacho, non habens exitum. Quòd si sanguis proprius tollatur, nocet: si alienus tollatur, adiuuat: & si λειποθυμία contingat, talem diligentiam adhibe: Hyeme plantas ac facies in calida fouebis, æstate in frigida. Naribus etiam apponendi sunt odores, pulegium aut mentā, uel balsamita, persusoque latere aceto. Φλεβοτομία mentem sincerat, memoriam præbet, uesicam purgat, cerebrū exiccat, medullam calefacit, auditum aperit, lacrymas stringit, fastidium discutit, stomacho proficit, digestionem inuitat, leuiorem uocem producit, sensum coercet uenire, somnum fugat, anxietatem tollit, proprium sanguinem nutrit, & extraneum eijcit: longiorem quoque uitam ministrat: omnes mali succi collectiones, pestiferas ualetudines, & ἐξανθήματα profligat, deponit: dolores, febris sagittas, & uarios morbos prohibet: uenerem excitat, caligines tollit, &c. Φλεβοτομεῖν oportet his, qui in acutis morbis mamigandum laborant, propter capitis læsionem, & oculorum infusionem. Quia quemadmodum nec cœlū semper potest esse serenum, nec mare tranquillum: sic & corpora nostra integra semper prosperitate frui non possunt.

De ratione potionis. Cap. XXIII.

QVI uult potionem solutionis accipere, hoc modo id faciat: una die anteaquàm eam assumat hora tertia, cibos quàm solubiliores poterit, sumat, non ad saturitatem tamen, atque ea die amplius non comedat: bibere autem si uoluerit, amplius non prohibemus. Sequenti uerò die potionem in aurora accipiat cum aqua calida tritam, uel cum calido uino tritam, sicut piperatam spissam: aut da ei pilulas cum laganis: Ipsa uerò die nec manducet, nec bibat usque dum solutio terminetur. Postquàm uerò terminata fuerit, manducet, bibat, dormiat, & à frigore caueat. & tertia die post acceptam purgationem, accipiat reconcilationem eundo dormitum absque cœna, adriam maiore antheriace. Quarta autem die balneetur. Sexto uerò die sanguine minuatur, & usque ad decimum diem digestibilibus cibis utatur, & potionem custodiat, nec in equum ascendat: postea quocunque uoluerit, pergat.

De mensuris & ponderibus. Cap. XXIIII.

Μέτρον, id est mensura. Cadus, siue ut Romani uocant, urna, amphoram habet unam, semiamphoras duas. Amphora uerò quam metreten plerique dicunt, continet modios treis. Modius habet congios duos. Congius habet senos sextarios xestas'ue. Sextarius capit cotulas binas. Cotula heminam unam habet, & acetabula duo. Hemina habet tripoliō I I. Tripoliō, unam heminam mediam, hoc est tulcis I I. Tulcis capit libram unam. Libra habet uncias duodecim. Vncia drachmas octo. Drachma scrupulos tres. Scrupulus diuiditur in obolos duos. Obolus in siliquas tres. Siliqua habet grana hordei quatuor. Mistron hoc est cochleare. Cochlearium habet auellanam unam. Auellana drachmas duas. Drachma siliquas septem. Solidus habet scrupulos quatuor. Cyathus cuathus'ue, lystra habet quatuor. Nux maior habet drachmas quatuor. Faba Aegyptiaca cōtinet scrupulos duos. Faba Latina habet scrupulum dimidiatum. Faba Greca, scrupulus unus. Scrupulus medius, grana ciceris duo.

SORANI EPHESII ISAGOGES IN ARTEM MEDENDI FINIS.

C. PLINII SECVNDI IN LIBROS DE RE MEDICA,

PRAEFATIO.

FREQVENTER mihi in peregrinationibus accidit, ut aut propter meam, aut propter meorum infirmitatem, uarias fraudes medicorum experirer, quibusdam uilissima remedia ingentibus pretijs uendentibus, alijs curare nescientibus, cupiditatis causa suscipientibus. Quosdam uerò comperi hoc genere grassari languores, qui possent paucis diebus, uel etiam horis repelli, ut in longum tempus protraherent, & ægros suos diu in reditu haberent, sæuioresque ipsis morbis existerent. Quapropter necessarium mihi uisum est, undique ualetudinis auxilia construere, & uelut breuiarium colligere, uti quòcunque uenissem, possem huiusmodi insidias uitare, & hac fiducia ex hoc tempore iter ingredi, ut sciam si quis mihi languor inciderit, non facturos illos ad me aditum, nec capturos occasionem. Ante omnia autem puto in promptu habēda, quæ subitò desiderata difficillima uidentur, sicut oleum uetus: quod si ad manum non fuerit, celerrimè fieri potest. defert uel factum enim uel recentissimum, & odorem & uires uetustissimi præstat. Et si fortè curatio exegerit aquam marinam, quæ in mediterraneo solo aut loco non erit, sollicitudini causa tolletur. Sextario salis & semis in quatuor sextarios aquæ coniecto, temperatum mare repræsentat. Sextario uerò salis & semi si plus adijciatur, exuperat sal aquam, nec liquari potest. Oxymel faciemus, duobus cyathis mellis in aceti sextario resolutis. Thalassomel quemadmodum conficiatur, dicemus, cùm ad usum eius uenerimus. Polenta aliquando opus erit, quam sic parari oportet. Hordeum aqua perfusum una nocte siccatur, deinde in uiginti libras hordei adijciuntur tres libræ lini seminis, & coriandri seminis libra una, salis acetabulum unum, tunc manè torretur, & in mola frangitur. In omnibus deinde curationibus meminerimus utilissimum esse mel, in quo apes mortuæ sunt: quo uti si cōtingit, effectuosissimum erit ad lanam succidandam. Aequè meminerimus optimum esse uti collyrio, iubebimus quoque in quibusdam remedijs uti cinere uel auium uel animalium aliarumque rerum. Ergo omnia huiusmodi generis debebunt cremari in olla noua, addito operculo, circumlinitaque argilla. In omnibus gargarizationibus calidis utimur. Oportet & pondera medicinalia, atque mensuras nosci. Drachma tres scrupulos habet. In alio codice de arte medica legi ita: Drachma, est pondus denarij argentei; Obolus quoque, denarij pars est sexta; Cyathus drachmæ decem; Acetabulum drachmæ quindecim; Cochlear, dimidia drachma; Mina, drachmæ centum; Sextarius uerò medicinalis habet uncias decem; Hemina drachmas quinque. Hæc sunt fere, quæ in uniuersitate obseruanda sunt. Nunc singulis membris sua remedia applicabimus, procedente opusculo. Tertianis & quartanis, & huiusmodi malis quemadmodum occurratur, sicut in notitiam nostram uenit, tractabimus, orsi à capite eiusque malis.

C. PLINII SECVNDI DE RE MEDICA LIBER PRIMVS.

Capitis ægritudines & medela. *Caput I.*



CAPITIS dolor leuatur, si de porri sectiui succo cochlearia duo, & unum mellis permixtum infundatur, uel in nares uel in auriculas. Veteres dolores & uertigines, betæ nigræ succo, temporibus illinito, emendantur. In dolore utilissimum est, caput ungi succo intubi cum rosaceo, aut myrtino: aut acetum fronti imponitur; aut ruta ex uino bibitur, & tritæ succus instillatur capiti cum aceto: aut rosacea corona de pulegio, prodest imposita. Pollinem siliginis admixto oui albo, simul & quiddam salis albi conspargi oportet, frontique illini, & super fascia pedali alligetur. Anethũ uti de horto sublatum est, decoquitur ex oleo, & succo eius dolor ungitur. Serpillum quoque decoctum in aceto, illinitur frõti & temporibus: & si difficilis somnus sit, amygdalino oleo caput perungi oportet. Tempora in dolore allio elixo illiniuntur. Nucleorum Persici farina, cum melle & aceto capiti illinitur. Nuclei item amygdalini triti, fronti utiliter imponũtur, & etiã in febre. Baccę quoque lauri impari numero in oleo cõtritę, capiti instillã tur. Si à sole doleat, cupressi folia cõtrita, cum polenta imponuntur. Hederę folia mollissima queque, trita cũ aceto & rosaceo, aduersum omnem dolorem fronti illiniuntur. Herba quę in capite statuæ nascitur collecta, in alicuius uestis panno & lino rufo illigatõ, confestim dolorem sedat. Panacis radix in oleo cõteritur, & caput perungitur. Veretrum in rosaceo decoctum & contritum, capiti instillatur. Rucedano ex oleo & aceto trito, hemicraniæ inungantur. Ossa de capite uulturis sub collo alligare prodest. Gallinaceus pullus inclusus abstinet nocte & die; sed & is qui languet: Deinde eiusdem gallinacei uel plumæ uel cristæ alligãtur collo dolentis. Surculus etiã ex nido milui, puluino subditur, nescienti ægro. Murenarum pelliũ cinis ex aceto fronti illinitur. Cochleæ matutino se pascẽti caput, arundine præciditur, & in linteo licio alligatur, colloque suspenditur. Fracto capiti tela aranea imposita ex oleo & aceto, non recedit, nisi sanet dolorem. Aqua pota quæ superfuit de bouis aut asini potione, remedeatur si ter potetur. Ceruini cornu cinis, illinitus ex aceto & rosaceo, prodest. Ad capitis dolorem, Mentam uiridem & laudanũ cum aceto tritum frõti inducito, curat mirifice. Cui caput à dolore findi uidetur, facies succum ex folijs hederæ, & admisces oleũ & acetum, unge nares, & statim dolor sedabitur. Hederæ nigræ succũ cum oleo rosaceo & uino mixto tempera, & fronti illini, sanat cito. Aduersus omnes dolores capitis, uel ne à sole doleat. Hederæ folia mollissima terẽda ex aceto oleo rosaceo fronti illinitur. Hirundinis nidi aqua diluti lutum frõti & tempori illinitum, dolorem capitis sedat. Si ex frigore caput doluerit, herinum oleum aut laurinũ cum myrrha calidum capiti illitum, & lana intincta supposita, mire sanat. Mali terræ radicem cõteris, & cõmisces cum oleo rosaceo, & ex eo caput & tempora perunges, continuò dolor releuabitur. Mentastri folia in cibo sumpta, & in aqua decocta, & ea potui data, dolorem capitis sedare manifestum est. Os de capite uulturis erutum, & ex uino potui datum, statim dolorem sedat. Ad dolorem capitis & insaniam: Quãquam plurimæ causæ sunt, dolores capitis quæ faciunt: Nam si sol acerrimus caput percusserit, subitò mens aufertur, & uelut infans efficitur homo, aliena loquens, & nullum agnoscẽs: quod cùm uideris, statim eum in obscuro loco collocari & comprimi facies. Vinum is uel poscam, nec ipse odoretur, nec qui ei ministrat, bibat. Post hæc facies excoqui anethum in aqua, & ex ipsa calida caput ei fouebis septies in die, & ter in nocte: lumen uero, nec diẽ uideat, nec ignẽ. At ubi cœpit resipiscere, offeres ei lumen lucernæ. Postea oleum rosaceum calidum impones ei in cerebrum cũ lana, & ligãs ei die ac nocte, sæpiusque mutabis. Cùm iam cœperit conualescere, tunc eum produces ad lumen, & dilutũ uinum bibat; sed antè oxymel in aqua calida accipiat, postea rosatũ; & sic uiuum hoc modo quasi de morte suscitabis hominem. Res enim est saluberrima & experta. Confectio unguenti ad capitis dolorem, siue ad hemicraneam. Euforbij unciam unam teris in mortario, addis ceræ tres, olei optimi libram unam, facis cerotum lini igne sõlutum, & inde permisces euforbium.

Ad Catarrhum uel abundantiam humorum capitis remedia, & quid sit catarrhus. *Cap. II.*

OPORTET, diu permanẽte capitis dolore, præcipue sine febri, materiam detrahere per nares, uel per os; quæ res etiã auribus uel dentibus diutius dolentibus prodest. Brassicæ succus naribus infusus, caput purgat, doloremque mitigat. Betę nigrę radicis succum minus q̃ dimidiũ cochlear, & mellis cochlear mixtum in nares infundis, ita ut palatum transeat, & pituita omnis decurrit: & cum uis cessare, oleum in os accipiat. Trifolium in aqua decoctum, & ea aqua potui data, pituitas extrahet. Sinapis unciam unã, rapæ seminis unciam unam, piperis grana XX. nasturtij seminis, erucæ, origani, & apij seminis tãtundem ex aceto & melle colliges, & ex aqua calida per dies septem gargarizabis. Origani item uel hysopi, & herbam conilam in mellitissimo mulso triduo macerabis, deinde coqui facies, & sereno cœlo tepidum ieiunus per triduum gargarizabis. Sinapis cochlearia duo excoque, & mulsi cyathum unum admisce, & calefacies, & in ore diutius continebis; tunc aperto ore pituita defluit. Maluæ semen & uino nigro contritum, gargarizas tepidum, & pituitam capitis extrahet. Mellis heminam unam sæpe heminam

iiii x.

nam unam,aceti acerrimi ſextarium unum,ſinapis unciam unam , hyſopi tunſi & cribrati unciam unam , origani tũſi & cribrati unciam unam;ſimul omnia coques,ita ut pinguedinem aquatioris mellis accipiat , & colatum diligenter gargarizabis ad ſolem quandiu potes . Hyſopi unciam unam,origani unam, thymi unam,ſtafiſagriæ unam,pulcij unam,ſapæ optimæ ſextarium unũ,aceti heminam unam:omnia infuſa,tertia die coques carbonibus lentis,donec unam partem decoquas, & duæ remaneant . Hinc quartã partem contra ſolem hora tertia gargarizas;poſtea recentem teneas ; ſic humoris abundantia reſtringitur,& ieiunes uſque ad horam nonam . Cretici hyſopi faſciculum unum , & ſatureiæ ſiccæ faſciculum unum,mittes in ollam nouam;adde aquæ fontanę ſextarium unum,& paſſi cretici unum,decoquesque ad tertias,& calidum gargarizabis,ita ut purgato capite,os mellicrate tepido tertiò colluas;ac poſtea ita facies de aqua fontana . Hyſopi faſciculum & origani faſciculum in ſapa optima per triduum macerabis ; hoc colatum,ut potionem bonam calidam contra ſolem triduo gargarizabis. Hoc ſi per ſingulos menſes ſeruaueris,ſanus eris non ſolùm capite , ſed etiam pectore & ſtomacho . Si caput phlegmate uel frigoribus plenum fuerit,aut catarrhus obtinuerit,mittis in ollam rudem ſapæ ſextarios duos,aceti ſextarium unum,hyſopi, origani,pulcij , faſciculos ſingulos,& coques ad tertias,& exinde per triduum cœlo ſereno tepidum gargarizabis; ſed pridie radicem pyrethri contra ſolem maſtices ieiunus uſque ad horã diei ſextam . Item ſtafiſagrię grana trigintaquinque cum paucis granis maſticis cõmaſticabis;& aperto ore,omne phlegma capitis proijcies . Betę rubeę radix contunſa,linteolo tenere exprimitur,& ſuccus naribus trahitur: mirifice purgat . Hederę ſuccus ęris teritur flore ; hic naribus infuſus acerrime purgat . Sed quia uſtulat,oleo roſaceo infundis,& ſtatim lenit. Item ſtafiſagrię unciam unam,pyrethri unam,pulegij unam,origani duas,hyſopi duas,aceti acris ſextarios duos;ſapę ſextarium unúm ;hęc omnia pridie infuſa aceto & ſapa , die alia decoquuntur, donec uirtus herbarum excoquatur:poſtea colatur,& tantum mel adijcitur,ut acetum temperetur . Alia pinguior , origani unciam unam , hyſopi unam,ſtafiſagrię unam . Thymi ſemiunciam, iris ſemiunciam, pyrethri ſemiũciam,pulegij unciam unam,fœnigræci uncias duas , caricas numero quinque,ſapæ ſextarium unum,aceti ſextarios duos,ſinapis unciam unam . Cum pice uirginea pauca grana maſticis tota die maſtica,ut phlegma prouoces;altera die cœlo ſereno gargarizabis. Item gargariſmus,qui conficitur ſic . Grana ſinapis uncias duas maceras toto die in aceto dulcorato, ſtafiſagriæ acinos triginta , comarum hyſopi uncias duas tolles , & omnia ſimul teres ;addes mellis deſpumati uncias ſex,& conteres cum aceto dulcorato ſufficienter ;exinde per triduum cœlo ſereno gargarizabis ; uterisque uino modico aquato & dulcibus cibis . Res eſt ſaluberrima abſtinere & à uino,& à clamore , balneis & uento & frigidis , ita tamen ut poſt paucos dies uentriger . Purgatorium capitis ad omnes humores deponendos de toto corpore . Hyſopi unciam unam,origani unam,ſinapis uncias duas,ſtafiſagriæ unam,maſticæ unam,careni ſextarios tres , caricas pingues numero triginta . Aliud ad purgandum caput . Radices betæ rubeæ de granulis eius ſuccus cochlear unum , olei roſacei miſcebis cochlear dimidium ; & ſubſtinens implebit os ſuum oleo aut lacte,deinde reſupinabitur in ſcamno contra ſolem,ita ut caput ei dependeat, atque ad ſe ſpiritum retrahat , donec iniecta res in nares cerebrum contingat;qui poſt paululum releuatus,inclinato capite ſedeat , ut illi humor decurrere ualeat. Aliud purgatorium capitis : Manum plenam hyſopi in aquã ſextarijs tribus coques ad medietatem . Deinde mittes heminam mellis & aceti cyathum dimidium,hyſopumque auferes,& gargarizabis contra ſolem cœlo ſereno . Si plùs purgare uolueris , Sinapis puluerem cum oxymelle commiſcęs, & contra ſolem gargarizabis . Purgatorium capitis tempore æſtiuo . Defruti heminam ; aceti cyathum,hyſopi comam . Hæc omnia pridie infundes,alio die in cacabo rudi feruere facies, & tepidum gargarizabis:& poſtea dè uino ueteri auſtero tepidum ſemel gargarizes, & os laues. Hyeme, Sinapis puluerem cochlear unum, mellis cochlear dimidium mitte in calicem,& eundem miſce calidum ; poſt hæc cola & gargariza tepidum;poſtea aqua mulſa os laua , & gargariza ſemel , & ne rauceſcas,oleo frequenter, poſt cura & gargariza . Nitrum rubicundum cum aceto acerrimo teres diligenter;& imple totam cutem capitis pridie ſerò,& ieiunus laua : ſi autem ueſperè,manè inducito , deinde infuſas uel die tertia ptyſanas decoques,ut ſuccus ſpiſſus fiat: quibus additis,oua recentia numero ſex uel nouem,& commixta ſimul tepefacies in calore balnei , & exinde caput laua . Ferutij unciam tunſam & cribratam,& in linteo ſubtili ligatam,contra ſolem naribus admouebis . In ſole fricari cutem balſamo uel pice liquida ſtatim prodeſt . Itemque pyrethro & coſto . Item duabus æquis partibus piperis albi partem dimidiam,ſtafiſagriæ drachmam unam,origani drachmas duas,nitri drachmam unam,tundes & cribrabis,commiſcęs & dabis in nares ei,qui patitur,ut ad ſe ipſum ducat,& ſtatim liberabitur : ſed & in ore cõpreſſo mirabiliter humor detrahitur . Puluis ad rheuma capitis : Sãſuci uncias ſex, ſinonij ſeminis ſex,bauſtij duas,gallæ alexãdrinæ quatuor,ſpicæ celticæ unã,gallæ curiauiæ duas , aphronitri matronalis combuſti libram unam . Hæc omnia tunde & cribra,& ſic utere . Caput uerò de aquæ rore decocto laua . Alius puluis ad catarrhum:gallæ alexãdrinę unciam unã,ſini unam, roſę ſiccę unam:hęc omnia tundas & cribres,& ſic mittas in caput . Cytini uncias duas,ſycionę duas,gallę duas,croci unam,aloës unam, ſpagni duas,roſę ſiccę ſex, balauſtri duas : hęc tunſa & cribrata uteris . Sapa Conſtãtini,nitri rubei aſſi unciam unã,gallę duas,coſti tres,celticę,laudani,ſpicę ĩdicę,myrrhę,iris poliaris,myrti ſiccę folij,croci,acacię,aphronitri,unicinarum corticum,malogranati ſicci,uncias tres,caſſiæ unam,ſapę gallicę libras quinque & uncias duas . Omnium ſpecierum puluis ex aqua lupinorum coctorum colligitur, de quo facies pillulas: quas cũ uti uolueris, in uino reſolues . Balauſtię uncias duas,myrrhę duas,ſandaracę unã,aloes tres,cytini tres,laudani tres,folij tres,coſti tres,roſę ſiccę tres,ſpicę nardi duas,ſarcocollę duas,ſapę gallicę librã unam,in uino

ftiptico fapa folues: deinde collige quę funt ficca. facit ad catarrhum & humores exiccandos. Confectio trocifci ad humorem capitis exiccandum. Styratæ uncias tres, laudani tres, bdellij tres, myrti tres, folij tres, enulæ tres, acaciæ quatuor, cannæ aromaticæ duas, amomi duas, cofti duas, gallæ de cerro duas, ladanum uero & myrrham & ftyratæ infundes in uino ueteri, & teres & admifces alijs fpeciebus, & factos trocifcos ficcabis in umbra & uteris. Et ita ut trocifcum in puluerem redigas, & fic inter capillos fpargas. Sapa Cőftantini: Simonij uncias duas, rofæ unam, cypri unam & femis, baláufti unam, cofti unam, cafsiæ unam, libani duas, oppij unam, amomi unam, folij unam, fpicæ unam & femis, myrrhæ unam, aloes unam, fandarac æ femiunciam, agantę Aegyptiæ duas, fapæ galliæ libram unam, aqua de lupino. Ad catarrhum das beneficium; myrrhæ drachmam unam, ftiracis drachmas quatuor, teris cum fapa, & facis catapocias ad magnitudinem erui, & dabis in lecto, fecundo fiue tertio: & cùm acceperit, forbeat de ipfo careno temperato cochlearia quatuor. Eft quidem Catarrhus humor fluens ad nares, ad fauces, ad pulmones, unde catarrhus dictus eft à fluore: Græci enim hunc fluorem dicunt, à quibufdam alijs fpeciebus & nominibus catarrhus appellatur. Ad nares factus, Coriza, ad fauces, Branchus; ad pulmones, Phtifis. Ex quibus deprehedimus ad nares factum catarrhum, & grauedinem ad os. Conftrictione narium & frontis coniungi fluori humores tenues, aut craffos, aut uirides cum fternutationibus cőtinuis & odoratis difficili fenfu. Ad fauces, ex pruritu quodam faucíű cum titillatione, uoce obfcura, aut irata, cum fenfu præfocationis, & transuorandi difficultate, cum tufsicula. Ad pulmones, cum grauedine thoracis, cum tufsicula uehementi, cum fputis fpumofis aut pinguibus aut purulentis.

Cephalalgiæ remedia. Cap. III.

AD cephalargiam, cerebellum uulturis cochlear dimidium ex uino bibat: quòd fi bibere non patietur, ipfum tritum cum oleo uetuftifsimo & modico cedriæ commixtum: exinde frontem unges, & in nares mittes. Si quis autem cedriæ odorem non fuftinet, balfamum pro ea mittet. Eft enim res faluberrima & experimentata. Item ad dolorem mamillarum quæ de cancro dolent, cuius figna hæc funt: Si dolor de humero exit, facies linteolum latum digitis quatuor, ut ab humero ufque ad mamillam, ubi dolet, pertingat, & induces medicamentum quod conficitur fic: Ammoniaci uncias tres, adipis anferis unam, therebinthinę quatuor, butyri decem, libani duas, olei ueteris decem, fucci uelini feminis decem, addis & uitellos ouorum numero octo, ut cùm neceffe fuerit, utaris. Quòd fi neceffe fuerit, fecurè conficies medicamentum hoc, quod fecamentum non fentiatur, ftrigni unciam unam, fucci camiæ unam, fucci mandragoræ unam, croci unam, policis unam, torpedinis fanguinis unam, turturis marinæ fanguinis unam, figatum perdicis cum felle, aut certè de uulture totum infimul cum alijs fpeciebus facies inductoriű, & uteris quoufque uelis, ut non fentiat; & ita accedis ad curam.

De phthiriafi & porriginis curatione. Cap. IIII.

PHTHIRIASI & porrigini, quæ plerunque in perniciem folent conuertere, fic fuccurrendum eft. Perunguűtur bulbis tritis ex uino; item fulphure ex uino; item per fe ex cedro illiniuntur; allium cum aceto & nitro tritum infricatur; farina fœniculi cum uino & nitro porriginem purgant, & furfures. Ex aceto idem præftat radix ueratri in oleo decocta, trita, fuffufaque. Hyfopum ex oleo tritű, & inftillatum, capitis phthiriafi medetur & pruritibus. Oua ex uino & oleo cyprino & cedro elixa, pruritus, fcabiemque tollunt. Prurigines difcutiuntur felle ouillo illito cum creta cymolia, donec inarefcat. lendes & alia capitis tetra animalia quæ nocent, lotione aquæ marinæ necantur. Item fi illinatur famia terra cum nitro & oleo; nitrum alumini mixtum, capiti infrictum, porrigines tollit. Ad furfures capitis. Aqua ubi betæ fuerint decoctæ, cum aphronitro caput lauabis: Et ferò, cùm dormitum uadis, ex earű fucco, mixto rofaceo, caput perunges. Ad porrigines & furfures. Semen nafturtij cum adipe anferis tritum, & mixtum, abluit, & furfures capitis eijcit. Betæ uiridis fucco caput quod porriginofum lotum frequenter in balneo, celeriter emendatur. Maluæ agreftis, hoc eft euifci manipulum in aquæ marinæ fextarijs fex ad tertias decoques & uteris. Calchantum, fulphur uiuum, aphronitrum, æquis ponderibus, cum uino ueteri teris & uteris. Hellebori item albi uncias tres, fulphuris uiui duas, calchanti tres, compone, & uteris.

Ad ulcera in capite manantia. Cap. V.

VLCERA in capite manantia, tanquam proprius morbus, præcipuè infantibus nafcuntur; fed & uiros & mulieres fi cœperint, grauiter infeftant. quæ felle taurino efficacifsimè fanantur. Vitulino felle cum aceto tepefacto illiniuntur. Seuum uituli cum fale utilifsimum eft. Teftarum muricum ue purpurarum cinere ex melle illiniuntur. Alliű cum fua uefte comburitur, cinifque eius ex oleo imponitur. Menta contrita & appofita ficcat. Oleum amygdalinum cum uino mixtum, expurgat. Galbanum cum melle illinitur, & folia rubi in quo mora nafcuntur, contrita imponuntur. Myfum tritum cum uino in lana fuperponitur. Malua erratica in urina humana trita, ualde deficcat. Omnia capitis uulnera cùm purgata fint, iucundifsimè ad cicatrices perducuntur hoc ceroto. Spumę argenti tunfæ & cribratę libra una, ceruffę optimę libra una teruntur, & ceræ albę tantundem ex olei rofati libra una remittuntur, & refrigerantur.

frigerantur. Deinde raditur & miscetur cum spuma & cerussa; adijciuntur ouorum quatuor lutea & cruda: Resinæ pictuminæ libræ sex, ceræ albæ unciæ sex in oleo decoquuntur, ita ut pistillo misceantur & ocopi modo perungantur. Ad tineas. Stercus porcinum combures super testam mundissimam, cui trito admisces acerrimum acetum, & facto medicamento lauas prius caput sustinentis ex uino, post hæc superlinies. quo si usus fueris frequenter, capilli ei ut sano nascuntur. Ad tineas capitis uel uulnera: nuces rancidas ustulatas cũ corticibus distemperas cũ aceto, & imponis; similiterque stercus anseris. Ad eos qui caput humidũ habent, picis drach. XL. resinæ siccæ drach. XL. ceræ drach. XL. stripticæ humidæ drachmas XX. aceti cocile drach. unam. Item cõfectio catarchici piperis denarios decem & octo, scamoneæ optimæ cãdidæ coctæ unciam unam & semis, amei denarios decem & octo, fœniculi seminis denarios quindecim, apij seminis denarios octo, carei denarios nouem, epithymi denarios octo, agarici denarios nouem; dabis uerò in potione denarios sex; teris species singulas & cribras & colligis in hemina mellis despumatis. soluis autem potionem istam in calidæ aquæ cochlearibus duobus, & addis cochlear unum liquaminis, & aliud aceti, & ita dabis. Reficiat qui accipit, buccellam panis infusam in uino puro. Pessus Liuianus, qua utebatur Liuia regina, faciens ad secundas & tumores & duritias & inflationes, & quibus de loco mouetur matrix, & ad omnes passiones matricis. Adipis anserini uncias quatuor, anethi seminis uncias quatuor, hysopi & cerodiæ quatuor, gallaciæ quatuor, adipis leonini quatuor, ursini quatuor, struthionis quatuor, medullæ ceruinæ quatuor, butyri recentis quatuor, sagapeni quatuor, myrrhæ & stactis quatuor, folij quatuor, silini quatuor, coconidij quatuor, terebinthinæ quatuor, dymini quatuor, mastichæ quatuor, olei amaracini quatuor. Adipem autem soluens igni lento, ceram admisces & uteris.

De alopecia & eius curatione. Cap. VI.

ALOPECIAE magnam fœditatem afferunt, & propter hanc seruorum pretia diminuuntur: necessarium est eas quoque emendare. Itaque cinere pellium uiperarum sparso celerrimè emendantur: Nasturtio cum sinapi trito & imposito, emendat. Cydonia cocta ex uino, & cum cera trita & illita, capillos restituunt: roboris quoque pilulę cum adipe ursino tritę emendãt. Glandes item faginę cinis cum melle & oleo cedrino illinitur. Cinis ungularum mulę uel muli ex oleo myrtino. Cinis item muricum sparsus. Cinis hermatij recens cum pice liquida. Gallinacei fimus illitus replet. Sandaraca ex aceto fluentes capillos contegit. Leporinus cinis cum oleo myrtino. Fel taurinum cum alumine Aegyptio tepefactum illinitur. Adipem anserinum ex melle conteris, & ut supra monstraui, uteris. Epithyma diapsico: seminis fœniculi uncias quatuor, olei ueteris libras quatuor, cerussę duas, aquę sextarium unum. ea omnia cùm bene trita fuerint, pręcipuè litargirum, sic mittis in aquam: & omnia simul permisces, ut unum corpus perficiatur, & ita mittes in cacabum, ubi oleum miseris, & coques, admoto lento igni, & ita addes in cacabo cerę albę libras duas, colophonię libras duas, terebinthinę duas, coquasque modicè & bene permisces. Post hæc supermittis pinicellos debuccellatos, quos conficis ita: buccellati optimi bene cõditi tunsi & cribrati farinę libras quatuor, commisces cum succo, quem conficis sic: euisci uncias sex, camomillę siccę uncias tres, melliloti uncias duas, fœnogręci uncias sex, dactylorum purgatorum pond. II. hęc omnia infundis in uino Siculo siue Adriano siue Sabiniensi sextarios sex per dies tres, & ita coques, quousque remaneant sextarij duo. hoc ergo apozima cõspergi facies buccellari farina, & sic facies ut dixi, pinicellos latos & subtiles, ac si nouissimè cerodarium resoluis diligentissimè. cumque solutum fuerit, refundes in mortario, & diligentissimè teres, & sic facies mandalia, & repones. facit hoc epaticis, splenéticis, & ad duritiam stomachi, & ad febres, & ad pectus contritum, & ad podagram, quę non nimis calida fuerit.

De capillis denigrandis. Cap. VII.

POTEST uideri superuacuum, inter remedia corporis, ponere ea quę ad decorẽ pertinent: Sed quosdam pudet aut ipsos rubeos esse, aut in tantum luxurię indulgent, ut deliciæ eorum inter se dissentiant, uolentium in pueris rufos capillos, in uiris recusantium: quemadmodum ergo denigrentur, demonstrabimus: ouum coruinum in æneo uase oleo permiscetur, deinde raso capite in umbra illinitur. Habere autem debet in ore oleum is qui curabitur, donec siccescat ouum, ne ei dentes nigrescant, & quarto die abluatur. Sextarius sanguisugarum in duobus sextarijs aceti, diebus XL. maceratur ex oleo tritus, derasoque capiti in umbra illinitur, dum siccescat, & sicut superius prædiximus, in ore oleum tenendũ est. Siliquę erucæ cum suis folijs & caulibus conterentur, & capiti raso illinientur. Folia cypressi trita ex aceto, efficiunt ut capilli nigri renascantur, sed spodilio peruncti, crispi fiunt. Operæpretium est his qui erubescunt senes esse, succurrere. & si canos suos inficere uolunt, tanquam annos detracturi sint hoc nomine ætati, uermium terrenorum cinerem adijciunt.

Ad Hemicraneam, & temporum dolorem. Cap. VIII.

AD dolorem hemicranei siue temporum, Laser cum lacte mulieris resolutum, & in altera parte auris, qua dolet, infusum tepefactum, ut in ipsa parte incumbat, & in ea quæ dolet, agitet mandibulam, hemicranei dolore carebit. Minutæ cochleæ tritæ, & fronti illitæ emendant. Cornus quoque ceruini cinis

cum aceto rosaceo mixtus, ac frōti impositus, magnificè uitia corrigit. Viridis rutæ folia, scyphum plenum cū granis sinapis cochlear plenum teris, addis alborum ouorum tantundem, ut spissum sit non satis, & exinde linis penna, uel mellis, sed non ea parte quæ dolet. hoc cùm feceris, remediabitur. Sinapis semē cochlear plenum, baccas lauri unum, in puluerem redigis & teris cum lumbricis terrenis, adiecto acri, tantum spissitudinem habeat mellis, & inducis fronti in hemicraneo. Succum de radicibus betæ purpureæ admisces cum modico lasere, & in modum trium guttarum mittes in eam partem, quæ dolet, & statim sanabitur. Allium elixum tritum, temporibus in dolore impositum illinis: siue in oleo frixum, si ex eo oleo perungis, emendat. Opij denarium dimidium, croci denarium dimidium, colophoniæ denarium dimidium, iusquiami & hysopi seminis denarium unum, anethi seminis denarium dimidium; crocum uerò seorsum tundis, et in mortario simul cōteris diutissimè. ex aceto optimo conspergis, et formabis collyria. Cùm uerò opus fuerit, in cute, cum aceto conteris, & spissum fronti uel tempori inducis. Lauri quoque baccas tritas ex aceto, adiecto oleo, illinis fronti uel temporibus. Confectio anacollima. Adipis castorij unciam unam, myrrhæ unam, thuris masculi semiunciam, opij semiunciam, lauri baccas undecim, hederæ baccas quindecim: hæc omnia diligenter teres, & de aceto temperabis acerrimo. Ad hemicraneum. Vrticam unipetiam teres ex aceto acri, & ouum frangis, & permixta fronti illinies. Clinicam in mortario minutissimè conteres, & ouo crudō ouicabis, & frontem illinies. Item tria grana allij, & nouem grana piperis in frontem linis, uel in ea parte quæ dolet. Item balsamo infundes lanam, de qua in utranque aurem inculcas. Item triā grana allij tundes, & ipso succo infundes lanam, & in utraque aure claudes. Item ad dolorem hemicranei uel cerebri, mūda allium, & tere diligenter, & fac ex eo pastillos, & in cerebro seu hemicraneo super ligabis, donec ustulet in uesicam faciem: quam acu aperies, ut humor decurrat. Rutæ sumes denarios sex, facies exinde succum, & in parte naris mittis, quæ non dolet. Cæterū si nō posset sufferre, linteolum tingis in succo, & imponis sr per hemicraneum sæpius. Item puluerem baccæ lauri temperabis cum uino, & illinies. Itemque acaciæ puluerem, cum oui albo permisces & uteris. Castorium item & oleum rosaceum & acetum & nitrum teres & illinies. Laseris gemmam in aqua solues, & in aurem eius partis, quę dolet, tres guttas de digito exprimis; ipsa tamen hora grauabitur caput, sed in perpetuō sanus erit. Item ad faciem ulceribus purgandā. Nitrum cū bubulo lacte & aceto usque ad mellis crassitudinem coques & illinies. Item pera confracta & contusa, idem præstat. Itemque fel capræ, & nitrum siccum, sulphur uiuum, spongiæ combustæ cinis, æquis portionibus illiniuntur.

Ad dolorem auriculæ, uel aqua ingressum. Cap. IX.

PROXIMA mihi uidetur cura auriū, quæ acutissimum dolorem inferunt, simul ut passæ sunt uel minimam offensam. Scio certè medicos quosdam huius curationis sibi summam scientiam uendicasse, & magnas mercedes poposcisse, cùm aduersus morbos aurium, unum aut alterum nossent remedium. Nos uerò multa proferimus, ut cùm res exegerit, possimus uti, cùm ex his aliqua occurrerit. Gari excellentis cyathus I. aceti cyathus I. mellis cyathus & dimidius in calice nouo sensim decoquitur, spuma subinde penna tollitur, & cùm spuma recesserit, remouetur, & ex eo tepidum infunditur ad omnes infusiones auriculæ, sed mox conquiliata lana obturandæ sunt. Ranarum adeps remissus & instillatus, dolorem statim tollit. Si tument aures, succo coriandri mitigādæ sunt; sed prius succus hederæ tepidus cum uino instillatur. Mel cum rosaceo inditur, melque cum rosaceo & manna thuris ad instar cochlearij adijciuntur, hoc & uulnera sanat, & humores exiccat. Parum audientes utiliter acetum gargarizant. Auricularum fracturis medentur bulbi triti & appositi, & quinto die soluti; foliorumque rubi, in quo mora nascuntur, succus tepidus instillatur. Fel pecudis cum melle aures purgat. Canini quoque lactis instillatio sedat dolorem. Grauitatem aurium adeps remissus cum absinthio trito cum oleo, & infusus emendat. Murium uerò cinis cum melle instillatus, inhibet dolorem. Si aliquod animal intrauit, præcipuum est remediū murium fel aceto dilutum instillare. Si aqua intrauerit, anserinus adeps cum cepæ succo illinitur. Deplorata autem uitia aurium sic sanantur. Gliri detrahitur pellis, & intestina eiusdem decoquuntur in uase nouo cum mellis heminis tribus, usque ad tertias, atque ita seruatur. tum opus est, strigili medicamentum tepefactum infunditur. Valde laudantur & terreni uermes cum anseris adipe cocti & instillati. Verberatis auribus cochleæ quæ in usu sunt cibi, apponuntur tritæ cum myrrha & thure. Cochleæ item minutę & latę tritæ, fracturis aurium illiniuntur. Senectus serpentis serventi testa usta & contrita instillatur ex oleo rosaceo contra aurium uitia omnia, sed pręcipuè graueolentiam: & si purulentæ sint aures, melius ex aceto & felle caprino & bubulo. hæc senectus post annum uires non habet. Membranę ex uentre gallinaceo, quę proijciuntur, ex uino tritę, & adipe gallinarum tepefactę infunduntur. Blattę etiam sine capite & pedibus & alis tritę & illitę linteolo cōtusis auribus imponūtur. Nitrum ex uino liquatum, purulentis auribus medetur. Sonitus quoque & tinnitus discutit nitrum tritum & siccum sparsum ex rosaceo tepido, & auribus imissum purulentis auribus infunditur. Fel tauri cū porri sectiui succo, si grauitas sit auriū, eodem felle cum lacte muliebri perluendę sunt. Equini fimi cinis cum rosaceo instillatur. Seuum uitu si cum adipe anseris & ocimi succo, fel taurinum uel caprinum cum rosaceo tepido auribus inditur. Omnibusque quę immittuntur tepidis utendum est. Vrina etiam apri tepida infunditur, & ad hos usus seruatur in uitreo uase. Si aqua intrauerit in au... ulā dextram, sinistro pede desultare oportet, capite in dextrum humerum inclinato: si sinistram, ... erso. Si quod animal intrauerit, & inspuatur in aurem, exire creditur.

Ad

Ad dolorem aurium. Cap. X.

CORIANDRI succus cum lacte mulieris immixtus, & auriculę infusus, dolorem mirificè tollit: lazarisque granum modicum auri inijcies, & cessat. Cardamomi quoque succus auribus instillatus, dolorẽ aurium & molarium dentium sedat. Ad acutissimos dolores aurium. Spuma argenti & myrrha, pari pondere trita ex aqua, & bene leuigata, facies collyria: & cùm uti uolueris, remittes ea in rosa liquida, & tepefacta auribus infundes. Frigido quoque si quis utatur eodem medicamento, idem facit. Porcinum fel, porri succo commixtum, tepefactum auribus instillabis. Adeps quoque gallinaceus solutus ad horam, & pedis auri infusus, plurimum prodest. Rutæ etiam succum si immittis, curabitur. Ad dolorem aurium & punctiones, oleum rosaceum cum adipe anseris infunde, & transit. Aqua si in aurem intrauerit, & dolorem exhibet, solus succus coriandri in aurem expressus, sine dubitatione liberat & sanat. Rutæ teneræ succus auriculæ instillatus, sine dubitatione dolorem liberat: & si maligranati cortice fuerit coctus, melius facit. Foliorum quoque salicis succus cum rosa liquida in putamine mali punici calefactus, & inditus auriculæ, mirè succurrit. Ad aurium uitia & repentina, antiquos'ue dolores. Aqua si ingressa fuerit, & statim sublata, facit imposterum graues causas. Exinde enim uentositas, & abundantia rheumatis in capite, tinnitus quoque aurium: quæ dum non curantur, exinde fiunt surdi. Alijs uulnera in aure nascuntur, alijs fœtescunt. Quibus rebus ita succurrendum est. Gummi hederæ cum betæ nigro succo tritum & tepefactum, auribus infundis; ita tamen ut & rubi teneri succum misceas, simulque antiquam aquam exiccat, uentositatem & dolorem tollit. Trociscus maximè necessarius ad dolorem auriculæ. Calco uncias tres & semis, stafisagriæ unam, coconidij unam, sinapis unam, carei unam, fimi columbini unam, aristolochię lōgę unam, cymini duas, hyo unā, cyprij ozymi seminę unam, nitri duas, salis ammoniaci duas, baccæ lauri octo, mannæ thuris sex & semis, iris septem & semis, aceti sextarios sex. Hæc omnia tundis singillatim & cribras, & prius mittas in mortarium puluerem calchum et irim, & teris cum aceti calice pleno. quæ cùm trita fuerint, post dies tres mittis reliquas species cum aceti acerrimi sextarijs duobus, & teris: & cùm resiccauerint, addis paulatim sextarium, donec compleat sextarios sex, terendo per dies quadraginta in sole: at ubi bene tritum fuerit, facis trociscos:: facit autem & ad uulnera. Ita de ipso trocisco unciam unam teris in aceto diligentissimè, & facis seorsim cerotum sic: Olei rosati uncias sex, ceræ tātundem, resinæ frixæ uncias quatuor, factumque cerotum mittis in mortarium, ac permisces & uteris sic. Ad auris dolorem temperabis aquatius. Si uulnera alicubi fuerint, paulolum spissius, ut quasi pro emplastro utaris. Fellis caprini uncias tres, & mellis duas, conteris & in strigili calefacias & infundas & lana obcludas: prodest etiam si intrinsecus cancerauerit auris. Oleum laurinum in strigili ferrea missum & tepefactum, infusumque auribus, omnem dolorem tollit. Cānabi succus, & de folijs eius auribus instillatus, uermes natos necat: etiam si animali impresseris, uermes interficit. Liquaminis cochlearia quatuor, & mellis despumati duo, tolles, & mittes in calicem mundum, & cinerem cineri calido suppones, atque spumam tolles: & cùm tepidum fuerit, auriculæ ad omnes dolores infundes. Si putruerit, aut uermiculos fecerit, fel taurinum ex melle despumatum æquis mensuris mittes in testam rudem, quā suppones carbonibus, ut lento igne ferueat, donec in unum admisceatur. Hocque medicamen in uase uitreo colliges: & cùm necesse fuerit ad curam, tepefacies in calice, & mundata aure, ex lana medicamentū infundis. Mentæ quoque succum & mel æquis mensuris commisces, & tepefacies; ex quo biduo aut triduo infundis auriculæ, si senserit curam, bene & optimè: sin aliàs, addito acetum & modicum aphronitrū, & simili modo tepefactum infunde auriculæ. Item ad auris dolorem, siue quæ uermes habet, calamenti permisces cum cedria, & infundis.

Ad dolorem aurium antiquum, fœtorem & dolorem. Cap. XI.

PVRGANTVR ea omnia, natura nucleorum. De maioribus ergo nucibus nouellis tempore suo plurimas colliges, & in optimo oleo uase uitreo conditas, contra solem macerabis, & de ipso oleo mittes in testam maligranati siccam & excauatam, & deinde coques ad cinerem calidum, sed tepidum auribus infundis, omnia uulnera antiqua & fœtorem & dolorem tollit. In excauatum malum granatum mittes mel, & auri pigmentum tritum ex gutta aceti. Cepæ succum cum melle quod in carbonibus calefacies, & auriculæ infundis, mirè sanat. Foliorum porri uirginis succum in aurem mittes, & cùm crepuerit uulnus, ipsum cum adipe gallinaceo infundes & sanabitur. Cepæ aphræ succus cum melle bene subacto instillatus, auriculas grauiter audientes emendat, dolores sedat, purulentas expurgat, uermes necat, aquam euocat & eijcit. Item rorismarini succus cum oleo rosato & sapone gallico simul resolutus & coctus, tepidusque infusus, uetustissimum surdis & pus extrahit, & auditum facile restituit. Bubulum etiam lac cum felle caprino mixtum infunditur auribus fœtentibus atque dolentibus. Ad uulnera aurium quæ intrinsecus nascuntur: In calicem mali granati mittes mellis cochlearia duo, & super cinerē calentem ponis, ut leui calore subbulliat, donec sensim decoctum redigatur in unum: & cùm tepefactū fuerit, auriculæ infundis. Confectio thymiamatis. Styracæ isauricæ libram unam, styracæ calami libram unam, masticæ unam, ungellæ Indicæ maioris uncias tres, rosæ uiridis libram unam & semis, amomi unciam unam, squinanti unam, gariofili tres, carpobalsami semiunciam unam, cassiæ semiunciam, croci unciam unam, laudani tres, bdellij semiunciam, myrrhę unam, balsami quatuor, & de quatuor uncijs balsa

mi duas mittes cum puluere, & duas serues ad ungendum pastillos; mellis uncias sex, uini quantum sufficit; sextarium unum cum rosa & styrace tundis, xyromirę folia uncias sex, amomi sex, balsami duas, styracis isauricę sex, ada semiunciam, gariofili uncias duas, spicę nardi tres, rosæ uiridis sex libras: omnia facite in pastillos: dū facti fuerint, suffumigabis de styrace & mastice bis in die, uel quinquies, quādiu siccetur.

Ad aurium imbecillitatem, uel surdos, & eos qui minùs audiunt. Cap XII.

HEDERAE succus mundissimus cum uino instillatus, plurimùm facit. Ad surdos, allium & cepulas cum adipe anseris colas & infundis. Ad surdos, & qui grauiter audiunt, oua formicarum contrita, surditatem aurium quàm uetustissima sic sanabunt. Caprinum quoque fel instillatur grauiter audientibus, & prodest: ac bubulum lac cum felle caprino mixtum, & infusum auriculis grauiter audientibus, restituit auditum. Item parum audientibus utile est acetum gargarizare. Brassicę item puluis in passo maceratus, & linteolo infusus, auribus inijcitur, mireque reddit auditum. Rutę succus tepidus instillatus. Lactantis fel addito grano salis & mellis uno cochleari calefactum anethi surculo, īstillabis in aurem, ita ut mox apertus erit porcellus, antequam tangat ipsum fel, auferatur. Cardamomum idem, nasturtium cū ficu tritum, & auriculę inditum, eis qui grauiter audiunt, prodest. Bouis fel admixtum urinę caprę & tepefactum, auribus instillatum, auditum reddit. Surdis & qui grauiter audiunt, ueruecis fel cum butyro & urina ipsius ieiuni pari portione mixtum, in aurem infundis, & surdos non naturales, quamuis multos annos non audierint, curat, & alia eorum uulnera sanat. Ad surdos multi temporis expertum. Maioris cannæ uiridis folia contundes, & per linteum exprimis succum, tepidumque auribus infundis per septem uel nouem: est enim res saluberrima. Succum corticis ligni nucei tepidum per triduum infundes. Serpentis tunicam in uase nouo exoluis, & super cinerem calidum fricas, ex eo oleo tepidum in aurem mittis. Hoc enim ad grauitatem auriū & dolorem prodest. Brassicæ succus cum uino æquis partibus mixtus, & tepidus instillatus auribus, parum audientibus auditum præstat, & dolorem mitigat. Item succum raphani eis quibus subitò auditus aufertur, & nitri puluerem in aurem & acetum superinfundes. De uino etiam & de oleo rosato posterius à parte capitis ungis, quæ unctio etiā & ad dolorē capitis facit.

De parotidum curatione. Cap. XIII.

RARÒ medici parotidum curationem non deuocant à scalpello, cùm reprimi possint: & si res exigat, adaperiri collyrij ratione. Reprimit eas radicum brassicę cinis cum melle illitus. Lupini ex aceto decocti & triti, discutiunt uitium. Cinis cum creta cymolia & resina pari pondere exiccat. Apponitur muricum testarum cinis cum melle, uel conchyliorum ex mulsa. Sepiæ ossa cum axungia uetere contusa. Lini semen tusum cum melle mixtum mitigat. Ficus sicca & uino cocta & trita adiuuat. Comprimit eas fimus columbinus cum farina hordeacea ex melle. Noctuæ cerebrum uel iecur cum oleo tepidum infunditur auriculæ parotidæ. Multipeda item cum resinæ parte tertia illinitur. Creta quoque cymolia exiccat, & fimus capræ cum axungia illitus. Plantago cum uetere axungia persanat. Vrsinus adeps conteritur cum seui taurini pari pondere, & fimus capræ cum axungia illinitur. Caput uiperæ in linteolo inuolutum, & faucibus alligatum, sanat. Menta uiridis cum polenta trita & imposita, collectiones parotidum soluit, & mammarum usturas placat. Ad omne genus collectiones parotidum, lini seminis farina cum melle & oleo cocta, adijcies nitri puluerem, & ligni caprifici cinerem æqualibus portionibus: quod cùm agitatum est, in cataplasma imponis, & sanat. Item ceræ uncias sex, butyri quatuor, axūgiæ quatuor, cyprini quatuor, bulborum quatuor; axungiam uerò & bulbos simul tundes in pila, & cum cera simul liquefacies, & axungia permisces cepis. quod colatum seruabis in uase fictili, & uteris. Parotidibus & strumis, floris caltis den̄. tres, allij grana II. cum axungia uetere imponis. Itemque strumas, coriandrum, & faba cocta & imposita discutit. Radix gladiolæ cocta & trita cum sale, & imposita. Et item cucumeris syluatici radix decocta, & cum aqua mulsa trita & imposita, prodest. Mense autem Martio & Aprili colligenda est. Item ut strumam omnibus radicibus extractis ad sanitatem certissimam perduces, galbanum super impositum strumæ, humorem facilè discutit. Felle bubulo super strumas imposito, tāta potentia discutitur, ut nihil suprà sit. Caput uiperæ in linteolo inuolutum, & faucibus alligatū, sanat.

Ad oculorum dolorem, uel si qua capitis sit. Cap. XIIII.

ANTE omnia, si bene fuerit purgatum caput & uenter, oculi nullam possunt inualetudinem sustinere: tamen si indoluerint, uteris cataplasmate hoc, quod sine folio, passo cretico infundis. Meliloti semi unciam, dactylos pingues anapaticos numero quinque, & seorsim infundis in passo; opij drachmas duas, croci duas, simul teris & bene commisces, melilotum & dactylos cocta simul ad carbones & trita, mittis etiam olei rosati cochlearia duo, & uitellos ouorum duos. Postea uerò quàm in unum omnia commiscueris, impones ut suprà dixi. Sanè si, sic se cauerit, pro tempore soluis cum uitello oui & modico passo, & sic uteris. Facit autem non solùm ad dolorem, sed & ad tumorem, & hemicraneum. Ad dolorem & tumorem. Adipem oui assi cum apio & croco & melle tritum superimponitur. Laurus ex uino cocta, dolorem & tumorem releuat. Chelidonia in aqua decoquitur, & ex ea oculi dolentes fomentantur. Da-

ctylus

stilus tritus in modum cataplasmi oculis nocte imponitur. Hordeacea item farina cum galla contusa, abiecta aqua, oculis imponitur, tumores doloresque sedat. Coriandrum uiride tritum, & mixtum lacte mulieris, super tumorem oculorum inunges, & statim sanat. Item cucurbitæ uiridis ramenta trita, & super tumentem oculum imposita, tumorem & dolorem emendat. Caprinus fimus cum fimo sparsus, aut cum aqua tritus ad modum collyrij, oculis circunlinitur. Ad epiphoras oculorum & tumores: Pastinacis agrestis radices nō lotas ex aqua decoques, & ex ea aqua oculos fouebis. Cochleæ sine putamine tritæ, fronti illitæ cum thuris polline, ualidissimè prosunt. Tumores oculorum sedat mulsum tepidum penicello super oculos impositum. Corticis sepiæ farina in epiphoris ex lacte mulieris, oculis circunlinitur. Beta alba trita, fronti imponitur. & eundem effectum habent bulbi triti, & oculis impositi. Apio uiridi trito cum pane, oculi teguntur. Ocimum item ex uino optimo tritum, oculis circunlinitur. Ruta in polenta contrita, & imposita, lenit dolorem. Anethi radix ex uino trita illinitur. Papaueris item cauliculi sicci uel uiridis cum suo fructu triti imponuntur. Lini semen cum thure ex aqua tunsum circunlinitur. Siliginis item grana in ferro tosta, & ex uino trita, circunliniuntur. Lenticula cum cothonijs cocta, & unà trita, adiuuat. Lentisci tenera folia contrita, & fronti imposita, epiphoras suspendunt. Panem itē ex uino tumori oculorum imponito. Mandragoræ radices tunsæ cum rosaceo, & ex uino tritæ, epiphoras sanant, ac circunligatæ dolorem illico sedant. Folia cicutæ trita, & imposita fronti, epiphoras & dolorem & tumorem tollunt. Lana carminata cū albo oui & thuris polline fronti applicatur. Oui album infusum oculis, epiphoras curat, & uredines mitigat, & refrigerationes præstat. Vt autem cicatrices de oculis tollas, adipe anserino sæpius inunges, cicatrices tollit & fistulas. Lutea ouorum cum rosaceo & mulso in lana super oculos imponuntur. Caseo molli caprino, & feruenti aqua supposito, epiphoræ sedantur. Fimus caprinus cum melle oculis illinitur. Hæmatites lapis in lacte mulieris tritus, intrinsecus primū inūgitur, deinde super epiphoras, sedat quidem, sed cum maximo cruciatu. & si cui sanguis superfundit, singulariter purgat. Cataplasma ad oculos intumescentes optimum. Castorij drachmas duas, meconij sex, croci unam, iusquiami cyatici quatuor, ouorum assorum uitellos quinque, mellis quod sufficit: tundis omnia, & teris oua, & uteris, & in tempora imponis, si dolent. Ad recentes maculas oculorum, siue caligines. Mel Atticum, & album oui hirundinis, æqualia: quòd si uetus causa fuerit, uitellum oui supradictum cum melle Attico & succo fœniculi, omnia æqualia teris.

Ad oculos suffusos sanguine. Cap. XV.

SANGVIS columbæ instillatur. Perdicis uerò & turturis superimponi debet. Lana succida ex oleo & uino. Hirundinisque pulli sanguinis suffusioni oculorum exectum ungi prodest, & in perpetuo oculi non dolebunt. Rosa in uino macerata, & ex eo uino potui dato, suffusos ex aliqua causa oculos sanguine creditur emendare. Bitumen, sulphur, & thus in uino miscetur: & oculi si percussi sanguinē fuderint, ex eo fumigantur. Lacte caprino tepefacto, serò assiduè oculi fouentur. Verbenæ folia trita, adiecto salis pusillo imposita, ac postero die sublato, expressum sanguinem de oculo expurgant. Sagapenum item cum rutæ succo, & amygdala amara pari pondere trita, & admixto melle inunges: Hyppocicesque, id est suffusiones & caliginem tollit. Aquilæ quæ in syluis moratur, & est formæ amplissimæ, fel cum melle Attico mixtum, & inunctū, oculis suffusis & caligini utilissimum est. Ad suffusiones & albugines de oculis tollendas. Fœnugræci uiridis succi cochlearia duo, mellis candidi sine fumo tria, commisces & colas & decoques, diligenter suffundis, ita ut guttæ super albugines cadant.

Ad lacrymas oculorum stringendas. Cap. XVI.

LACRYMANTIBVS oculis sine fine rheuma suspendunt & exiccant cochleæ sine putamine rite diligentissimè cū farina thuris ac myrrhæ & albore oui mixtum fronti superlinies. Anacolima ad idem. Myrrhæ masticæ cyathum, album oui lumbrices terræ, cochleas, aloe cum aceto teres & illinies. Ricinos boui puto inter coxas tollas & fronti illinies, & sine mora lacrymæ stringuntur. Enulæ item radices tusæ in puluerem, & in aceto acri infusæ, coctæ & tritæ, capiti raso nocte imponuntur, & ubicunque dolor fuerit, & podagræ rheuma tollit: facit enim uesicas aqua plenas; sed is cui fit, dolorem substinet. Ad lacrymosos oculos. Ruta sicca, & melle Attico æquis ponderibus mixta, oculos inunges, certum est. Ad rheuma oculorum: Leuistici folia de ligno in ligno tundis, & eius succum cum uino ueteri & penna inunges.

Ad lippitudines oculorum, uel ad eos qui cantos ab humore contritos habent. Cap. XVII.

FOENICVLI radices ex aqua fontana & oleo coques pari pondere, donec aqua consumatur, & ex eo oleo inunges, certum est. Acaciæ deñ. VI. encausti sicci XV. succi porri uncias XXIX. hæc coques, donec fiat spissitudo mellis, & in pyxidem mittes & uteris.

Ad caligines oculorum. Cap. XVIII.

FVMVS cholerum ἀναθυμίασιν facit, cuius acritudo caliginem oculis præstat. Succi ergo cheli

doniæ,& fœniculi,& abrotani,cochlearia ſingula tolles,& cũ mellis ſine fumo ſtillatiui cochlearibus duobus commiſces,& exinde penna ſuffundes manè,& poſt meridiem,& ſerò: ſed poſt digeſtionem,lac mulieris,quæ puerum nutrit,ſuperinfundes,propter acerbitatem medicamenti ut refrigeret. Hoc etiam maculas tollet,& impetum rheumatis reſtringit,& omnia uitia abſtergit. Balſamum cum melle ſtillatiuo æquis ponderibus miſces,& exinde oculis infundis. Fel uulturis cum marrubij ſucco, aut puluere & melle Attico ſimul mixtum,cum penna oculis infundes; omnem caliginem oculorum aufert: ſed & incipientis ſuffuſionis non patietur. Fel perdicis cum melle Attico inunges;oculos item uulturis in linteo ſubtili ligabis,& tota die oculos abſterges, nunquam inualitudinem patientur,& ſi dolentes oculos ſæpe abſterſeris. Itemque myrrham cum fœnugræco,pari pondere in uino teres,ut leue ſit quaſi collyriũ,& inunges. Quidam enim filiam ſuam ſic curauit. Chelidoniæ ſuccum, quæ oculis plurimum ſuffragatur,cum collyrio ſiue aqua marina inungi oportet.in una unctione ſanat,& in aqua decocta dolentes oculi fouentur. Melius ſi ſuccus eius artemiſiæ & rutæ ſucco pari pondere & melle & balſamo; mira enim facit. Centauriæ minoris ſuccum,adiecto melle æquo pondere,permiſces & inunges; aciem extenuat,& ipſa herba in aqua cocta oculi fouentur. Vt caligantibus oculis claritas reſtituatur,& ne facilè hoc periculum incidat: Centauriæ herbæ manipulus in uini ſextarijs ſex coquitur,ac tritum maceratumque eximitur,inde quotidie hemina mixto melle,ieiuno propinat. Sal frixum tritum,admixto melle Attico inunges,& caliginem tollit. Roris marini cinis cũ eius ſucco expreſſo,& melle Attico pari pondere mixto inunges,caliginem tollit. Ros item caulium & rutę collectus & inunctus, caliginem tollit. Teſtudinis agreſtis ſanguine inuncto,caligo tollitur. Leporis fel cum mellis Attici parte una mixtum & ſæpius inunctum,caligines abſtergit. Mel & ſuccum fœniculi,partes ſingulas,fel perdicis ſemiunciam,balſamũ ad mẽſuram fellis,mellis & ſucci: Alij oleum uetuſtiſſimum ad menſuram mellis,alij euforbium modicum mittunt. Poſtquàm mixta fuerint omnia, mittes in mortarium, & teres diligenter,transpones in ampullam,& ſuſpendes ad ſolem quadraginta diebus,& tunc inunges frequenter. Ceparum Cypriarum acerrimarum ſuccum;uel ſi Cyprię non fuerint, Germanarum cum melle Attico ęquis ponderibus ſimul teres & mittes in ampullam; ſignabis & in fumo ſuſpendes,& utêris. Item fœnugræcum ut bibi ſolet,& aquã mulſam medietate paratam ſimul miſces,addis roſæ quantum ſufficit,& fœniculi radices mundas. coques omnia in olla rudi:& cùm fuerit ſpiſſum,colabis,& repones in uitreo uaſe,& utêris, ita ut nec fumum nec auram contingat. Herbam item uerbenam tuſam cum axungia,ſuper oculos noctu ligas,& poſtero die tollis,& oculus erit mundus. Item ad caligines & omnia oculorum uitia: Hirundinis pulli plena Luna in nido ſuo excæcantur de acu cyprina, notanturque,ut cognoſcantur,reſtituta acie: capita eorum uel ipſi integri in olla noua uini comburantur in cinerem, teruntúrque in puluerem ex ligno ficulneæ uel terebinthino,cinisque eorum cum felle canis latrantis diebus ſeptem, partibus duabus balſami & caſtorij, partibus ſingulis tritis,bene inunctus plurimum facit,miraberisque iam deſperatas ſanare. Hydra ad caliginem uel albuginem uel uulnera: Gallas Alexandrinas nouas non pertuſas octo tũdes,& cribrabis ſubtiliſſimè, & poſtea mittes in mortarium Thebäicum: Addes croci denarium cum dimidio, teres per triduum diligenter,& mittes Attici mellis mundi quantum ſufficiat, & repones in dolio,& utêris. Ad caligines oculorum & ad uitia uetuſtiſſima, & ad ſcabritudines & obſcuritatem,& ad eos qui iam propè nihil uident, & quibus medicamentorum præſidia nulla inueniri poſſunt. Hoc remedium expertum uſitabis,& efficies ut uideant clariſſimè,ſine omni uetuſto uitio. Piperis albi denarios duos,croci duos, balſami duos,fellis uituli ſeu uulturis ſiue pulli pugnacis duos,mellis Attici uncias duas, uini ueteris boni cyathos tres,ſucci fœniculi unum,& ita compones. Piper & crocũ teres diligentiſſimè, & bene lęue ſit,deinde uinum admiſces & ſuccum fœniculi per partes dimidias: & quidquid ſuperauerit,iterum fundes. cùm ita feceris, iterum teris bene.deinde ſi quid uini aut ſucci ſuperauerit,adijcies & teres diutiſſimè. cumque totum medicamentum tritum & lęuigatum fuerit,ut collyrium,oportet tranſponi illud in pyxide Cyprina, & repoſitum ſeruabis. Cumque uolueris uti,ex eo unges,& inuenies eſſe potentiſſimum remedium, quo multi luminibus de obſcuritate reſtituti ſunt. Hæc compoſitio ex commentarijs Cæſaris Auguſti deſcripta eſt,qua & libentiſſimè utebatur,& omnibus illam laudabat. Sicut autem acrior eſſe uideatur, collyrium lene admiſceat, & non nocebit. Ad caligines & ſuffuſiones ſtari piſtis,quod eſt ſilij à fronte & felle diligenter collecto,inunges. Aliud ad caligines: Succum fœniculi, fel perdicum,mel Atticum aut thyminum æquis ponderibus admiſces, & poſtea teris,& ponis in ſole diebus quadraginta, & inungis,ſi non ſenſerint curam. ut fortius facias,fel perdicis mittes ad duas partes,& balſami & olei uetuſtiſſimi parum mittes: quidam & euforbium mittunt,ut fortiſſimum ſit. Quæ omnia ſupradicta, diligenter teres & mittes in ampullam,& in ſolem ſuſpendis & utêris cùm uolueris, curat mirabiliter. Caulium rorem cum melle deſpumato mittes pari pondere & inunges,prodeſt. Aliud. Fœniculi radicem decoques, ex aqua eius,oculos eius fouebis,celeriter omnes caligines diſcutit. Coriandrum item uiride tritum cum lacte mulieris,& mixtum,& ſuper oculum impoſitum,prodeſt. Pro certo etiam,apium & ocimum cum uino tritum,auxilium præſtat. Item ad oculorum tumorem uel epiphoras concitatas: Roſa uiridi trita cum aceto in careno infuſa,dactilo & oleo roſato & lacryma de ouo,totũ ſimul teres,& in linteolo induces,& tepidum ſuper oculos impones. Salem candidum ieiunus ſi quotidie guſtauerit, omnes oculorum caligines citò tollit. Item qui ſanguinem habent, tuſam fabam & ciminum & uuam paſſam, ſimul trita impones ſuper oculum,& ligabis per triduum,ſanitatem adducent. Itemque cochleas de cãpo tritas in ſimul illinies fronti,ſtatim deſinit. Ad maculas uel cicatrices oculorum,baccas lauri cum lacte mulieris inũ

ges

ges septem diebus, & septem intermittis, & iterum inunges, & sanat. Ad leucomata. Fœniculi uiridis denarios quatuor, & betonicæ tantundem, teres & facies collyria, & ex his inunges. Ad percussos oculos si sanguinem fuderint, herbam nepetam commanducatam pones super oculos, & noli alligare, & supinus iaceat. Ad oculorum item dolorem. Laurus ex uino decocta, oculis humorem tollit & dolorem omnem emendat. Item ad caligines oculorum. Fœniculi & rosę & rutæ succum, & mel Atticum, & fel hircinum, mixta inunges. Ad albugines de oculis tollendas: Guttas ammoniaci cum lacte mulieris inunges. Ad lippitudines, betę succum cum alumine modico fronti illinies. Cataplasma ad hęc. Dactilos teres cum uino & pane molli, & calidum impones. Ad pilos eijciendos, qui in oculis nascuntur. Lotium uituli masculi sępe inducat. Ad hordiolum iuxta oculum natum: Tollas hordeaceam farinam ex mulsa conspersam, calidam ueluti cataplasma impones circa oculos. Vt liuores tollas: Ciminum in ore masticatum cum saliua impones. Item ad hæc, ostream cōbustam & tritam ex uino ueteri impones. Ad maculas oculorum tollendas. Sepiæ testam diligenter in mortario Thebaico teres, & puluerem ipsius sæpius in oculos mittes. Ad caliginem. Balsamum acre sępius inunges: hoc & maculas tollit. Ad caliginem iterum oculorum. Cochleæ uiuæ cremantur, & cinis earum melle mixtus inungitur oculis. Item ad claritatem oculorum. Leporino felle subinde inunges, & caliginem tollit.

Ad aciem oculorum. Cap. XIX.

AQVILAE fel cum myrrha & nitro uncia una, inunges, uisum clarum reddit, etiam ut acutissime uidere se intelligat. Item passerini oui alborē cum melle Attico mixtum inunges, clareque uidebis.

Ad leucomata, uel ad cicatricem, uel ad maculas. Cap. XX.

CARDVI agrestis radicem ante solis ortum palo ligneo effodies, tundes ex ligno in ligno roboreo: exceptumque succum & colatum, atque in uase uitreo conditum, inunges. Est enim succus gemini effectus. Primum pelliculas membranæ tollit de oculis: deinde curat, ut mireris effectum. Cedria & porri succus inunctus, leucomata & caligines tollit oculorum. Succum cyperi longioris, & oleastri foliorum, & uerbenæ ęquis partibus cum melle sine fumo, stillatico misces, & inde oculis infundes. Res est physica, quæ etiam cicatricem oculorum curat. quòd si hæc quæ dixi, non fuerint inuenta, requires betam purpuream, nigram uel rubeam: quas si tardius inueneris, plantaginis, betæue ex folijs cochlear unum, uerbenę, fœniculi & abrotani succi tantundem, & mel stillaticum similiter in unum commisces, & exinde cōfundis tepidum, maculas oculorum mirificè curat. Ideo autem parum scripsimus, ut quæ iuxta physici hominum comprobaueris, plus conficias & reponas. Ad cicatrices & leucomata. Adipem anserinum resolues, inunctam cicatricem, & leucomata extenuat, & sanat. Caprinum fel cum uino pari mensura mixtum, & in modum mellis peractum, cicatrices & albugines emendat. Item ad albugines oculorum tollendas. Sepiæ testa melle illita comburitur, & cinis eius, collyrij modo tritus pro stybio inungitur, celeriter albugines de oculis tollit. Bulbis Aphris tritis buccellaginem ex eis spissa, cum melle & nitro contritam, in modum collyrij inunges, in triduum albugines tollit. Mittes oleum & mel modicum super securim euersam, & teres de cote, aut aquaria, aut olearia diutissimè: cumque fuerint in modum collyrij spissa, inunges. Caue autem ne securis habeat eruginem. Ad maculas de oculis tollendas. Nūmos nouos nouem numero mittes in uas cyprinum cum uino albo & ueteri, & mundissimè cooperies per dies triginta, addes salis ammoniaci sicci albi puluerati denarios quatuor, ossa sepiæ rasa quatuor, æris floris quatuor, fumum pulli albi quatuor, succum rutæ colatę cochlear unum, mellis despumati uncias tres: omniaque in unum commisces, & in ampulla repones, & inde inunges per dies singulos usque ad sanitatem. Ad maculas eruendas facit betonica, & senecion, & chelidonia, quæ in mortario teris, & collyrij modo uteris. Sicui autem subitò leucomata se in oculis suffuderint, seminis ocymi duo aut tria grana mittes, & clausa palpebra tenes, donec coaguletur humor, & ī grana se colligat: & post hęc leuiter sordes, quę remāserint, frequenter in die colliges. quòd si senserint curam, iterabis, donec ad sanitatem perducas.

Ad pilos oculorum adulteros, ut sublati non renascantur. Cap. XXI.

MENSE Iunio sanguisugas numero quinquaginta mittes in ollam fictilem nouā, & cooperies, ex argilla circunlinies, & mittes in fornacem per spatium sex horarum. deinde cinerem sanguisugarum teres in mortario, & quātum exinde duobus digitis apprehendi potest, mittes in mortarium paruum cum duobus uel tribus guttis aceti acerrimi, & teres donec siccum collyrium fit, tollesque à borsella pilū cum radice, & in ipso tantum punctum cum melle impones de medicamine supradicto ter, aut quater in ipsa hora. Hirundinum pullorū cinis cum lacte tithymalli permixtus, & euulsis pilis impositus, renasci eos non finit. Caulium stirpium aridorum cinis cum aceto laserato mixtus, & euulsis pilis impositus, emēdat. Ex ligno caprifici, & cerri, & ilicis cinerem, & lixiuium factum attertiatum acerrimum, ut solent saponarij facere; coquatur sine axungia, & oleo cōfectum line loca quæ uoles, & defluunt capilli, ut amplius nō renascantur. Ad pilos oculorum, suffodiens gutta ammoniaci albore oui mixta, pilos illitos statuit. Ad pilos eradicandos, fellis uitulini deñ. unum, castorij unum, gummi unum, cum aqua teris, & colligis:

& reuersata prius palpebra in loco euulsorum radicitus pilorum, & in die inducis, & cõtinebis donec siccetur: & hoc tandiu facies donec loca curentur. Ad pilos oculorum ligandos. Resinæ frixæ unciam unam, aspalati unam, masticæ unam, ceræ unam, pumicis unam & semis: omnia igni resoluta, & cõmixta, uteris secundum consuetudinem. Ad pilos oculorum. Yo unciam unam, sarcocollæ unam, styptiriæ unam: teres cum aceto, & facies collyria: & euulsis pilis, Luna decrescente, cilio reuersato uteris.

Ad caligines, cæcitates, uel ut crassitudo abstergatur. Cap. XXII.

VERETRVM ceruinum decoques, & ex ea aqua oculos fouebis per dies quindecim, & sanabitur. Sero ac lacte caprino calido per dies quindecim fouebis, & statim sanabitur. Hederæ succum cum melle stillatiuo sine fumo, & uinum theriacum in modum collyrij temperabis, & inũges cætum, & in loco tenebroso recludes, & post dies septem paulatim aperies fenestras, & post alios dies septem produces in lucem, & per hos dies mollibus cibis & dulcibus utatur: in quibus etiam consumendis diebus non laboret. Item pro sexu duritia, Ammoniacum thymmatum in uino theriaco teres, & oculos inunges.

Ad maturandas ægilopas. Cap. XXIII.

AD maturandas ægilopas: Frumentum candidum masticatum imponitur. Ad aperiendas eas, & emendandas, stercus columbinum cum sapone gallico impones. Maluæ item bortunalę, siue agrestis folia purgata, admixta salis parte una, & trita, & imposita, curat. Nucis combustæ cinis iniectus sanat. Arnoglossa herba cum modico sale trita, & apposita, ægilopas destruit. Plantaginis item succus cum lana munda mollissima imponitur, & per dies nouem sanat. Vuæ passæ purgatæ sine grano accitos decem, piperis grana decem in linteolo illita impones usque dum sanet. Vrinæ item limus spissus de castris collectus & impositus, mirè purgat & claudit. Item uermiculus qui uocatur Aratra frangis, contusus, & cum sapone gallico permixtus apponitur, & super medullam cannæ appones. Nepetam cõtusam impones, mirifice sanat. facit & ad syringiam. Ad ægilopas, saponem gallicum & cymas oliuæ uirides, amygdalasque amaras æquali pondere teres, & uteris.

Ad ulcera narium, & omnia uulnera uetustissima. Cap. XXIIII.

ARISTOLOCHIAE pulueris drachmas triginta, galbani uigintiduo, ceræ uiginti, mannæ thuris decem, terebinthinę quinquaginta, yo septem, olei ueteris drachmas sexaginta: sicca humectes & misceas, utarisque in omnibus ulceribus.

Ad graueolentiam narium, polypumue. Cap. XXV.

GRAVEOLENTIBVS naribus sic subuenitur. Succus hederæ colatus, naribus infunditur. Aristolochiæ succus cum cypero uel draconteæ semine cum melle pari pondere naribus inditur. Hoc etiam si καρκινώματα sint, emendat. Dicitur etiam prodesse ei, qui hoc malo uexabitur, ut osculetur nares mularum. Costum in puluerem redactum mittes, & cum melle mixtum, pennaque induces. Caricæ contritæ, & in olla noua cum posca decoctæ, emendant fœtorem, si ipse succus cum melle immittatur. Ad polypum. Examinis rubei limaturæ unciam unam, ammoniaci duas, aluminis rotundi, aceti acris cotylas sex: siccabis teresque cum aceto diligenter, & mittes in pyxidem æream, & agitabis de uirga ęrea in sole, usque dum siccetur. Deinde teres diligenter in mortario: post hæc repones in uase fictili. Quando autem curabis, mittes de puluere in pennam uel in cannam subtilem, & inflabis in aures, ita tamen ut os eius prius aqua frigida impleatur. Mense uerò Decembri curare incipias ita. Per dies tres, & uino & carnibus & frigidis abstineat, & quarta die non cœnet. Quinta uerò accipiat geramantigonis. Post dies autem tres, purgabis caput eius sic: Ieiunus per triduum masticæ commasticet: & cùm iam expuere cœperit, addes ei stafisagriæ grañ. unum, & post modicum, alterum, deinde tertium, ad ultimum quartum. In die autem secunda, incipies ab uno per ordinem usque ad quintum: hoc quoque tertia die & quarta facies. istis quoque diebus à carnibus & uino abstineat. Quinta uerò die rades ei caput & unges à media fronte totum caput medicamento hoc: Acaciæ unc. I. aluminis scissi semiunciam, nitri Alexandrini semiunc. ceræ semiunciã, mãnę thuris deñ. IX. Hęc teres cum aceto usque ad spissitudinem mellis, & unges caput: & post dies uerò tres hoc ipsum facies, & sic curare nares incipies. Ad narium grauem olentiam. Draconteę succus cum melle infunditur: quę res etiam cęromata sanat. Betonica in olla noua cocta, naribus instipatur, & ipsa herba trita, parum salis adijcitur: inde quantum duobus digitis tollitur, collyrium formatum naribus infunditur. Si quis agrimoniam manducauerit ut non oleat, aut aliqua alia olera, coriandri radices uirides siue siccas masticet, pulegij. Item & apij semen ęqualia commasticet.

Ad profluuium narium. Cap. XXVI.

PLERVNQVE euenit ut ex naribus is modus sanguinis pfluat, qui nisi reprimatur, adfert mortem.

mortẽ. Neque aliter exiliat q̃ solet e uena percussa erumpere. Occurrendũ est itaque uelocissimo periculo, & magno impetu, & subito sæuienti. in hoc itaque casu porro sectiuo trito nares obturantur. ruta trita æque reprimit, in manibus indita. Eodem modo & radice urticæ utendum est. Semen urticæ cum lana succida conijcitur in nares, cum oleo rosaceo, & auriculę lana succida spissę obturatur: & ita sanguis continetur. Coagulum agninum mirificè facit, ex aqua subactum, & infusum. Adeps anserinus cũ butyri pari pondere ingeritur pastellis. Prosunt cochleæ contritæ, & fronti illitę. Anguinæ pellis cinis intritus naribus, uel hæmorrhoidibus impositus sistit; uel idem cinis in aqua calida potatus. Prodestque sanguisugis tribus suffumigare. Testę ouorum, unde pulli exeunt, leuiter tostę, & in puluerem redactæ, per tridiuum naribus insufflantur, ac statim sanguinem sistunt. Si auris cera concluditur ea parte, qua sanguis fluit, restringitur. Spongię combustę cinerem in ipsam narem mittes, & stringit. Stercoris item asinini pulli cinis naribus insufflatus, & idem porri sectiui triti, naribus opponuntur. Ventosam in uertice uel in hepate apponi, utile est. Medulla nucis, quæ nucleũ diuidit, cõburitur, eiusque cinis naribus insufflatur. Fimum equinum dum recens est, cum fimo conteres, adiunges picem uirginem, & teres ut unum corpus fiat: postea fronti illinies, & in collum ac ceruicem pones, mox clauduntur uenæ fluentes. Fimi porcini unciam unam, thuris masculi semiunciam trita ex aceto, frontem illinies, & iam impetum oculorum prope sanat. Narium gallulam teres, & puluerem eius per fistulam in narem insufflat. Linteo item exusto narem claudis. Et item raphani radicis succum in aurem mittes ex ea parte, qua defluit, & lana claudis. De porro uirgine facies collyria, & in narem mittes. Itemque glutẽ taurinum liquabis cum aceto, & fronti illinies. Dicitur prodesse qui hoc malo uexabitur, ut osculetur nares mularum.

Ad sanguinem de naribus eijciendum. Cap. XXVII.

NEPETAE succus naribus supino infunditur.

Ad stillationem narium ex humore. Cap. XXVIII.

CINIS testarum ostrearum, in cibo pane colligitur in modum salis. Porri capitati folia cruda sine pane eduntur. Canina corrigi, nunquam uncta, cuilibet digito in manu circunligatur. Ostreæ cũ sua testa, ita ut electæ sunt, in carbonibus coquuntur, & in cibo dantur. Oleum calidum eunti dormitũ, in cerebrum infunditur, & in nares conijcitur. In manu dextra duo digiti medij, lino alligati, inter se destillationem cõpescunt. Ocimi semẽ tritum, naribus immissum, destillationẽ minuit, & sternutationẽ facit.

De oris, labiorum, gingiuarumq; uitijs. Cap. XXIX.

SEPIAE ossa in cinerem redacta, & ori inspersa, uitia emendat. Cochleæ uacuæ cineres cũ myrrha teres & sparges, uitia oris emendat. Sinapis item semen uel raphani ex uino decoctum, & oboli unius pondere datum, emendat. Herba cyclaminis trita, trociscos facies: & ex his cum opus est, ex aceto ad crassitudinem mellis illitum, reprimit & sanat. Seuum bouis uel uituli cum adipe anserino uel fissuras iũgit. Oris saporem emendari quidam affirmãt murino cinere cum melle, si fricentur dentes; alioqui uerò admiscent marathri radices. Nero quoque ante somnos colluere ora propter halitũ fœtidum, utile dicit. Folia fagina commãducantur aduersus gingiuarum & labiorum uitia. Aeque & folia rubi in quo mora nascuntur. Eiusdem generis rubi teneri & pampini decoquuntur ex uino ad tertias, idque uinum in ore continetur.

Ad uulnera oris. Cap. XXX.

CAPRINVS fimus cum melle tritus & illitus, certę sanat. Cucurbitæ exustæ puluerem, piper & sal candidum rude parum, satureiam, coriandrum, mentam exustam, similiter caput sardiæ combustum: hęc omnia in puluerem redacta commisces, deinde lauabis os cum uino ueteri, & sic impones. Vlcera oris, plantaginis succus emendat, & folia eius cocta, radicesque eius commasticatę. Hederę item baccę cum cassia & myrrha, pari pondere ex uino commanducatæ, ulcera oris emendant. Murenarum ex capite cinis cum melle illinitur. Membrana ex iusquiamo cocto, uel crudo detracta, labiorum fissuris medetur. Oris halitum emendat murinus cinis cum melle dentibus infricatus. Linguæ ulcera & labiorum, hirundines in mulso coctæ sanant. Adeps item anserinus & gallinus ulcera emendat. Si feruentia os intus exusserint, continuò sanantur gargarizatione lactis canini. Aduersus foetorem oris. Folia myrti & lentisci pari pondere, & gallæ Syriacæ dimidium pondus unà teri oportet, & aspersa uino uetusto, matutino mandere, uel hederæ baccę cum cassia & myrrha pari pondere uino aspersa. Eadem ratione ulcera oris emendatur: hoc & stomacho optimè facit: sed melius si cum mororum domesticorum uel certè eorum quæ in rubis nascuntur, sextarios tres, leni uapore decoquantur, ut ad spissitudinem mellis ueniat; tum additur de myrrha pondus denarij, & tantundem croci, & in unum totum teritur, & inde prout uisum fuerit, æger accipiat. Item succi mororum sextarij duo, cum uino Attici mellis decoquũtur, deinde stomachicus prout uisum fuerit, accipiet. Capitis leporini cinis addito nardo, mulcet graueolẽtiam, ulcera & rimas. Seuum quoque bouis uel uituli cum adipe anseris emendat. Item amurca ex oliua nigra, oris uitijs subuenit.

Ad uulnera oris, siue tumorem gingiuarum. Cap. XXXI.

ABROTANVM uiride teres, & cũ melle miscebis, tangesque loca de intus, quę dolent: & deforis, ubi tumor est, appones: mirabiliter curat. Ad oris uel gingiuarum uulnera. Mustum dulce recens, malum granatum siccum plenum mittes, & alterum uiride cum cortice coques in stagnato ad carbones, donec spissitudinem mellis accipiat: Deinde leuabis de foco, & addes myrrhæ & stypteriæ & scissos puluerem tenuissimum, & commisces, & ex eo uulnera illinies. Anthera ad os, balaustię drachmæ sex, scissi octodecim, croci tres, cicinoriæ decem, rosę floris decem, cyperi triginta duo, myrrhę octo. Ad eos quibus subiti tumores foetorem faciunt, siue putredinem gingiuarum, ita ut dentes cadant. Yo unciam unã cum mellis uncijs sex coques, & ita curabis.

Putredinis oris, siue palatus & gingiuarum curatio. Cap. XXXII.

ALVMINIS scissi unciam unam, gallæ asianæ semiunciam, myrrhæ uncias duas, piperis grana quindecim, in mellis despumati uncias nouem colliges, & uteris. Ad usturam oris. Ex humore crocus cum nucleo & aqua frigida tritus in ore teneatur: quòd si uulnera fecerit, parum mellis addes. Item cui os ex tumore exarserit, uel palatum, cantabrum coques, & ex eius aqua gargarizabis: quòd si ardor fuerit, cum ipsa aqua crocum tritum. Si aũt humor abundauerit, rosam siccam cum cantabro coques: & ita gargarizabis. Gera quæ facit ad os, cui rheuma molestum est, & ad gingiuas rheumatizantes, siue ad uuam, uel quibus exit de auribus, & ad tempora dolentia cum hydromelle & ad syringam cum uino ueteri & melle, & ad uulnera quæ intra nares generantur. Croci unc. I. myrrhæ I. aluminis scissi sex: hæc in puluerem redacta seruabis, & uteris cum uino & melle permixta. Ad ulcera linguæ, folia oleæ cum sulphure teruntur, & inde ulcera perfricantur. Ad usturam oris aut angiuarum, uel gingiuarum succum, cũ melle caulis gargarizabis, statim ulcera sanat; & cepæ manducantur quæ sanant. Item succi myrrhæ unc. unam, croci I. aluminis scissi unc. I. mellis sextarium unum. Hęc omnia permisces, donec crassitudinem mellis accipiant, & sic crocum & alumen mittes, & bene permixta repones; ac de hoc medicamento os & gingiuas tanges, si sanguinem fundunt: & hoc gingiuas sanat, & dentibus prodest & uuæ. Mense Augusti conficitur, propter succi morem. Ad putredinem oris: Aloes drachmas duas, myrrhæ sex, calchãti sex, croci quatuor, uini & mellis quantum sufficiat.

Ad foetorem oris. Cap. XXXIII.

PVLEGIVM, & serpillum siccum, uel origanum, cum melle manducatum, bene facit. Dormitum uadens, aceto bono lauet, masticeque & uino suaui os colluat. Arboris pruni folia cum uino coques, succum ex eo intra os tenebis. Si halitus foetet, cum dormitum uadit, cyathum aceti boni per partes sorbeat. hoc & in coctionem facit: & si mane inde sorbeat, prodest. Radicem quinquefolij ex aqua decoques, & subinde os collues: ita ut in ore aqua diu teneatur. Serpillum item herbam, quæ Gallice dicitur laurio, ieiunus diu commanduces.

Ad os saliuosum & perlippidum. Cap. XXXIIII.

LENTISCI fasciculum in umbra siccatum tundes & cribrabis, & de cortice pini tantundem tritum & cribratum miscebis, & dentes inde fricabis. Origanum teres & cribrabis, & exinde dentes ac gingiuas fricabis: hoc & tumorem gingiuarum tollit. Camomillæ herbę puluerem uino admixto coques, donec ad dimidium ueniat, ex eo os collue, statim medebitur.

Ad os & labia. Cap. XXXV.

OS album & tenerum ne rugosum fiat: Farinam cãdidam lacte & oleo aspergito, & inde cum dormitum ibis, labra subiungito. Labia si fuerint rupta, pulegium & acetum miscebis: & maximè cum dormitum uadis, exinde tanges.

Ad dentium dolorem. Cap. XXXVI.

ASPARAGI syluatici radicem in uino decoques, ex hoc in ore contineat, dolorem sedat, succusque eius similiter facit. Brassica item cruda commanducata, dolorem facilè discutit. Radicem hederæ coques ex uino, quam in ore teneat, & transit dolor. Succum hederæ cum aceto & paruo sale in diuersa in nares mittes. Thymum & pyrethrum pari pondere tusum dentibus adijcies. Pyrethri item radix ex posca & melle gargarizatur, & teneat in ea parte quæ dolet. Trociscus ad dolorem dentium, & ad laxationem eorum. Aluminis scissi unciam unam, aluminis rotundi duas, castorij, croci, myrrhæ, gallæ, aloes, yo, ana unc. duas, synopidis libram unam, uini styptici quantum sufficit ad colligendũ; hinc facis trociscos: postea cum opus fuerit, resolues in uino styptico, & in ore tenebis: facit & ad dysentericos iniectus. Ad priorem dẽtium dolorẽ cypressi pillulas in uino decoques, & idẽ uinum tepidũ in ore tenebis, bene

benefacit. Cucurbitę satiuę decoctę succus dolorem minuit,& mobiles stabiliet in ore compressus. Item trociscus ad dolorem dentium. Cadmiæ unc. duas, calcetis coctæ in carbonibus semiunciam utrunque separatim cum uino acri in modum collyrij teres,& commisces,& facies trociscum,& in aceto solues, & tepefactum in ore teneatur. Iusquiami radix cum aceto commasticetur. Cyperi puluere dentes & gingiuas reple. Pentaphili item radix cum aceto aut uino decocta, in ore contineatur. Quinquefolium cum sua radice in aceto decoctum, aut in uino, dentibus contineatur: qui enim continue ieiunus in ore continuerit, donec liquescat, non dolet unquam. Adijcies item ad ollam, acetum, satureiam & salem, ut in unum ferueat,& in maxilla contineatur. Fœniculum uiride masticet,& succum contineat in ore: ipsumque fœniculum in ore contineat. Ad dentes qui rheuma patiuntur. Lucernam aritinam nouam imple bis sale,& claudes eius foramina,& tandiu in carbonibus uiuis obruta sit, quandiu ipsa lucerna similis sit carboni uiuo. Ac post modum cum refrigerit, mittes in mortario folij drachmas duas, & cum ipso sale teres,& fricabis dentes, qua hora faciem laueris,& facit dentes candidos,& dolorem tollit. Thus & baccę lauri in uino deferueant,& in ore sustineat, quandiu potuerit. Stypteriæ drachmę duę, strutij una, teres & uteris. Oleum cum aceto tepidum in ore contineatur. Vrticę item minoris radix commasticetur. Et item ad hæc maluæ radix decocta in ore contineatur. Betonicæ succum cum uino ueteri, & aceto ad tertias decoques,& postea in ore contineat. Ad dentem cauum, lumbricos exustos ipsumque cinerem impone. Et ad hęc item gummi hederę denti impones. Ad hęc, plantaginis radix commasticetur. Et item ad hæc malue radix decocta in ore contineatur. Ad hæc item betonica herba commasticetur. Corticem roboris coques cum aqua,& super quatriduum gargarizet: mire facit. Dentifragium puluerem de lana succida in linteo ligabis,& pones in testam,& in carbonibus ustulabis, & duas de ipso puluere partes,& salis communis tertiam partem teres,& de ipso puluere fricabis,& dentes,& gingiuas donec sanus fit,& non doleat dens. Enula ab ieiunis commaducata, dentes confirmat. Allium cauis dentibus imponitur, & aqua in qua coctum est gargarizatur. Acetum item si in ore contineatur, gingiuas stringit,& dentes continet. Et item caprifici radicem ex uino decoques,& ipsum uinum in ore continebis, ipsamque tritam maxillę impones aduersus dolorem: ipsa autem radix per messes inciditur, & hæc mittit succum aptissimum dolori. Item nucleus gallæ commanducatus, dolori medetur. Tedas pingues in astulas concides,& in aceto decoques, idque acetum in ore continebis. Aqua in qua lentiscus decoctus est, mobiles dentes confirmat. Ruborum in quibus mora nascuntur, pampini decoquuntur in austero uino, & commanducantur aduersus mobilitatem. Idemque uinum in ore tenebis. Hysopo item utiliter collues. Item cauis dentibus cinis murini fimi inditur. Vermes terreni decocti in oleo,& triti, infunduntur auriculæ, ab ea parte qua dentes doleat: Eorumque uermium cinis, exesis dentibus iniectis, & ceteris cera obturatis, perfacile eos cadere cogit: idemque cinis inditus dolentibus, iuuat. Item comburi debent harenulæ, quæ in cornibus cochlearum inueniuntur, in testa,& cauis dentibus inditæ, continuo finiunt dolorem. Idemque præstat fimus corui in lana alligatus. Inuiolati autem præstantur dentes, si quotidie mane ieiunus sub lingua habebis granum salis, donec liquescat. Item in dolore, ceruini cornu farina colluuntur, uel fricantur. Itemque albi bulbi cinis dentibus fricium est: ossaque ex ungulis suis combusta, eundem usum præstant. Caprino item lacte utiliter colluuntur. Item ebuli radicem ex aceto decoque,& diu in ore tene. Itemque folia de buxo & anethi ramusculos teres, in ollam mitte cum aceto, ad tertias decoque, & tepefactum in ore tene.

Ad dentes laxatos. Cap. XXXVII.

SI ex humore capitis se laxauerint dentes, si dolor fuerit infectus, pyrethri radicem commasticet,& in ore teneat: omne decurrit rheuma. Est quidem radix uehemens, sed postea dolorem sedat & refrigerat. Puluis ad rheuma dentium. Salis uncias duas, teres cum melle optimo diutius, & colliges in ollam rudem, quam gypsatam mittes in ignem: ubi uero in modum ignis canduerit, tolles eam:& cum refrigerauerit, iterum teres,& facies puluerem,& uteris. Ad confirmandos dentes. Marrhubij fasciculos tres cum aquę sextarijs tribus decoques in olla noua ad tertias, deinde gargarizabis tepidum mane & meridie per dies septem: Post hæc, semen herbæ galliculans, quam alij dentalem, alij symphoniacam dicunt, mittes super carbones,& per traiectorium, totum fumum ore trahes: omnes gingiuas exiccat,& humores malos producit, & dentes firmat. Myrti fasciculum unum, cunorum rubi fasciculum unum, & corticis maligranati in aceto decoques,& inde os sæpius collues. Aristolochiam tusam in puluerem dentibus laxatis inijcies: confirmat. Gallę syriacæ unciam unam, corticis maligranati croci denarios tres, in puluerem subtilem rediges,& gingiuis impones. Pulegij sine fumo libram unam, iris uncias sex, salis ammoniaci tres: omnia tusa & cribrata pro dentifricio habebis. Dentifricium ad hæc, folij unc. unam, yo unam, masticis aphræ unam, ostreæ testas numero quatuor, pumicis unciam unam, panis combusti unam, cyperi unam. Omnia in puluerem redacta cõmisces,& ex aceto dentes fricabis. Puluis ad humorem dentium. Farina de sigala duas manus plenas tolles, ac salis tantundẽ: facies pastam,& coques ita, ut in puluerem possis redigere. Costi semiunc. folij semiunciam, capitis sardenæ maioris combusti semiunciam, auripigmenti semiunciam. Hæc omnia in puluerem redacta,& cõmixta, uteris: sic tamen, ut prius de uino ueteri os laues. Dentifricium ad os, quo omni tempore uteris. Lucernas Sabinenses tres implebis sale, quarum foramina claudes de cõpasso hordeaceo,& mittes sub carbones in arula: ita ut triduo iugiter carbonibus sint optæ:

quas deinde tollens, in puluerem mollissimum rediges, addes folij semiunciam, costi unã, masticis unam: omnia trita & cribrata in uino miscebis, & quotidie uteris. Ad dentium dolorem. Violam siccam in uino coques, idque calidum in ore continebis. Vinum & piper miscebis, & tepidum in ore tenebis. In dentium autem dolore, qui ipse quoque in maximis tormentis dinumerari potest, Vinũ ex toto arcendum, aceto quoque abstinendum, deinde in modico melle utendum; ac nemo dentes irritet.

Ad dentium molarium dolorem. Cap. XXXVIII.

PROSERPINAE, herbæ, quam alij camomillam dicunt, succus in aurem instillatus, sedat dolorem. Item agrestis lapatij, quod alij rumicem dicunt, radix commanducatur: & succus in ore continetur, statimque dolor tollitur: ac cum aceti cyathis quinque cocta in ore aceto tento idem facit. Item acopiũ calefactorium, & ualde summum. facit enim ad eas ualetudines, quæ diuturnæ sint, ad paralyticos, sciaticos & opisthotonicos, sed & neruorum cõtractiones & artericos & ad omnem dolorem totius corporis, & turpitudinem ualde prodest. Recipit herbæ brateæ drachmas quadragintaocto, samsuci drachmas CCLXXXVIII. rutæ seminis uigintiquatuor. Cardamomi drachmas uigintitres. Squinantij drachmas duodecim, cacrij uigintiquatuor, baccarũ lauri uigintiquatuor, pyrethri uigintiquatuor, cyperi uigintiquatuor, meliloti unc. tres. Hæc omnia tundes, & cribrabis grosso cribrello, & ĩfundes in uino summo per dies tres, quarta die uerò mittes oleum sauinum uel spanum: & omnia suprascripta coques cum oleo diligenter, molli igne. Postea exprimes omnia: & in oleum mittes ceram, & omnia reliqua in oleũ mitti debent. Postea tolles myrrhę & stactis drachmas sedecim, ceræ rubeæ libras tres, terebinthinæ unc. sex, calami aromatici tres, costi tres, styracis tres, yo tres, piperis albi tres, piperis cõmunis tres, sinapis drachmas quadragintaocto, spicę nardi unc. tres, folij unam, aphronitri tres, opobalsami sex, adipis uituli marini sex, medullæ ceruinæ sex, guttę ammoniacæ tres, olei nardini libram unam, olei sauini ueteris duas, olei cyprini pondo tres, olei herini tres, olei laurini quatuor, olei styracini libram unã. Ista sequentia aromatica tundes, & cribrabis, & commiscebis cum omnibus suprascriptis: & cùm opus fuerit, uteris. & super maxillam imposita sanãt dentes molares. Acopum ad sciaticos & dentes molares impositum. Galbani unciam unam, opopanacis duas, euforbij duas, smyrnæ duas, adarcis duas, sagapeni duas, castorij duas, ceræ quatuor, axungiæ ueteris duas, piperis unã: omnia contundes & cribrabis: Postea uerò miscebis cum galbano, & opopanace, & axungia: & uteris omnia suprascripta. sed & dentes molares sanãt.

Ad dentes uitiosos aut cauos. Cap. XXXIX.

GALLAS Alexandrinas uiginti, folij quantum sufficit, aduersus gallas masticis grana quinquaginta, croci parum, piperis grana sexaginta, balaustij cauliculos quinque, floris rosæ quantum sufficit. Hæc omnia in puluerem redacta habebis, & uteris. Item ad dentes cauos. Titimalli & caprifici lac cum galbano resolutum, & cauis dentibus inditum, tollit dolorẽ: ita, ut ceram superponas, ne lingua aduratur.

Dentifricium ad dentes candidos faciendos. Cap. XL.

PVMICE combusto & trito, ad dentifricium uteris. Itemque conchylij marini testam sale plenam combures & uteris, dentesque inde fricabis. Sepiæ item testam tusam cribrabis, & candidi erunt, & cum uino candido piperato dentes lauabis.

Ad dentes molares, uel omnes, ut sint incorrupti. Cap. XLI.

VITIS albæ, buttionis, succi cotylas duas, & mori radicum radices coques ad tertias, & in ore tenebis, & dilues per dies septem, & nunquam dolebunt dentes: incorrupti præstantur.

Ad dentionem, quando infantes dentiunt. Cap. XLII.

LACTE caprino & leporis cerebro gingiuæ perfricantur. Delphini dentium cinis, cum melle gingiuis illinitur, & eius dente gingiuæ tanguntur. Cerebrum pecudis in cibo datur. Folijs hederæ prunæ ad suffiendum supponuntur. Et item butyrum cum melle temperabis, & gingiuas inunges. Dentes equi qui primò cadunt, alligati, facilem dentionẽ præstant, ac melius, si terrã non attingant. Eundemque effectum habent dentes caniculæ.

Ad uuam distillantem & ad fauces tumentes. Cap. XLIII.

CORIVM de nuce uiridi tundes, & exprimes succi uncias sex, mellis unã, & coques donec spissetur, & ex eo cochlear unum, patiens ieiunus gargarizet. Cumularum oliuæ fasciculum unum coque in aqua fontana ad medietatem, & gargariza. Item ad reprimendam uuam & gingiuas tumentes: Betonicã in aceto decoques, & in ore diu continebis, calidumque gargarizabis. uuã iacentem uel destillantem succo herbę absinthij subleuabis. Testarũ ostreæ cinere addito melle illinies. Et item garũ optimũ cochleari subijcito.

subijcito. Radicis item brassicæ cinere, tecta reprimitur. Itemque sinapi gargarizato cum aceto & melle. Item rubi in quibus mora nascuntur cauliculi decoquantur ex uino, & ex ipso uino gargarizentur. Succus urticę gargarizetur. Heronis item cinis cum melle illinitur. Puluere gallæ, & aluminis scissi, et iris flore æqualiter mixtis, ieiuno uuam subleuabis. Confectio anthera, quæ ad uuam subleuandam & ad omne rheuma facit. Recipit cyperi uncias quatuor, croci den. tres: omnia teres & cribrabis, & in puluerē rediges. Item aliter anthera. Recipit den. unum, ireos unc. unam, florum rosæ quatuor, costi den. unum, Gallæ tantundem. Item aliter. Florum rosæ unc. duas, croci magnati duas, aluminis scissi den. unum, gallas numero quinque, balaustij unc. unam, iris unam, sandaracę den. unum, & semis. Item iricon antheron, Recipit cyperi drachmas octo, myrrhę duas, croci unam, balaustij unam, scissi duas, florum rosæ unam, sandaracæ quinque, iris quatuor. Item aliter. Cyperi unc. duas, florum rosæ den. unum, croci unum, gallæ unum, myrrhę duos, sandaracę duos, aluminis scissi duos, iris duos. Confectio antheræ ad uuam leuandā. Recipit iris semiunciam, sandaracæ semiunciam, iunci radicis semiunciam, myrrhę den. quatuor, florū rosę sex, gallę sex, stypticæ sex, croci magnati sex: omnia teres & cribrabis. Aliud, uua ne molesta sit. Brassicę folium crudum leuissimè tritum exprime: ex eo succo uuam tangito: continuò subsidet. Item ad uuā reprimendam: Pruni syluatici folia decoques ex uino austero, & subinde gargarizabis.

Ad sanguinem ex præcisa uua nimium defluentem. Cap. XLIIII.

SVCCVM e Cymulis Coriandri gargarizet.

De tonsillarum uitio. Cap. XLV.

VITIVM quod tonsillas appellant, ex utraque gutturis parte, & faucium fit. His lactis ouilli calidi gargarizatio prodest. Fimus columbinus tritus ex uino passo gargarizatur. Ficus arida & nitrum unà teruntur, deinde faucibus illiniūtur. Asperitatem fauciū emēdat & destillationē, allium tritum ex posca gargarizatum. Cochleę demptę, tantùm coqui debent illotę, deinde conteri, & in passo darę potui. Si quis fimum ouillum contriuerit manu sua, uel alienas tonsillas leuabit. Lac caprinum cum myrrha decoctum, & sale exiguo gargarizabitur. Tonsillis priuatim medentur renes uulpis aridi cum melle triti & illiti. Hirundininus cinis ex melle ab interiore parte tōsillis illinitur; lini semen & anethū in oleo & aqua decoctum imponitur, & acetum gargarizatur. Rubi in quo mora nascuntur, caules teneri tunduntur, exprimitur succus ex his, qui in sole ad crassitudines mellis coquitur: hic illinitus ab inferiore parte mirè prodest. Herba quæ nascitur super spineta rustica, efficacissimè bibitur in aqua, ubi mus decoxerit; & uerminacia imposita prodest. Caninum corium ter collo circundatur; fimus columbinus, uinum, oleum in unum trita, illinitur.

Ad faucium dolorem. Cap. XLVI.

AMOMVM teres subtilissimè, & cum melle attico uteris. Itemque folium, costum, alumen scissum, spicam nardi, crocum, florem rosæ, gallam: omnia æquis ponderibus in puluerem mollissimū rediges, & cum melle despumato uteris. Si autem uulnera intra os quasi alba nata fuerint: Primum de uino ueteri os collues, & sic puluerem impones. Lac ouillum gargarizatum prodest. Fimus columbinus tritus, ex passo gargarizatus prodest. Cortex maligranati trita, & cribrata ad uncias tres; similiter roris marini unam, similiter senoticæ granorum, quod de Africa uenit, unam, gallarum Asianarum cribratarum puluerem numero sex, piperis grana XXIIII. trita omnia simul miscebis cū melle despumato, & primò digito deduces, dehinc penna linies: sed & de ipso puluere inflabis per cannulam in fauces, et hoc facies uel ter uel quater in die, quia optimè curat. Emplastrum ad synanchen. Taurinum adipem & seuum ursinum pari pondere conficies, & uteris. Furfures item siliginaceas in aqua mulsa decoques, & gargarizabis; & si instans est sanguis, de ceruice extrahitur.

Ad fauces limpidandas. Cap. XLVII.

DRAGANTI unc. tres, uuæ passæ innucleatæ quatuor, nuclei duas, croci unam, mellis despumati quantum sufficit, accipies, & ex eo manè & serò cochlearia singula sumes. Lini seminis frixi, nuclei cardamomi, iris, glycyrrhizæ succum ana unciam unā, cū melle despumato miscebis, & accipies ut suprà. Glycyrrhizæ succum unciam unam, myrrhæ deñ. duos, draganti deñ. unum, croci tres, mellis thymini quantum sufficit. Dragantum autem in passo infundes, & sic teres, miscebisque omnia cum melle, & accipies ut suprà.

Ad usturam palati siue faucium. Cap. XLVIII.

TERES crocum & florem rosæ cum nucleolo & pineæ granis duodecim diligenter, & miscebis cum melle despumato, & uteris.

Ad uulnera faucium aperta. Cap. XLIX.

RESINA terebinthina inducta optimè facit.

Ad synanchen, & ad oris uulnera, & anginas. Cap. L.

APII semen, staphisagriæ grana duodecim, laserpitium, piperis uncias nouem, in cacabo rudi cōbures: omniaque trita miscebis melle, & penna uel digito induces. Aluminis spani tintorij optimi unciam unam, & mellis despumati duas, aut amplius, coques in cacabo nouo lentis carbonibus, agitās diutissimè: Cumque se unum corpus effecerit, colabis linteo, & penna uel digito illinies faucibus. Nuces maiores tandiu in patella assabis, donec in carbones uertantur. postea teres in mortario lasaris optimi partem bonam diutissimè, & supermittes nucleorum combustorum duas manus plenas: & tandiu simul teres, donec in modum croci mollissimi redigatur: & ex hoc, digito uel penna curas. Cui fauces ualdè tument: Gallæ libram unam contundes in mortario: mittes in uas lapideum uel murreum mundum cū aquæ fontanæ sextarijs duodecim; ubi per triduum infundatur; quarta die coques agitans cum ferula, duę partes donec decoquantur; postea colabis, & addes mellis despumati partem mediam, & rursum coques ad carbones agitandū donec spissetur in modum mellis, deide leuabis & agitabis quousque refrigescat, & repones in doliolo, & utēris ut suprà. Puluis ad hæc. Gallas, folium, costum, alumen scissum, aloes, masticis, singulas semiuncias conteres & tanges. Cinis pullorum hirundinum tritus in olla noua, combustæ spicarum nardi denarios quatuor, costi duos, croci quinque, cassiæ fistulæ quinque, cucurbitæ siccæ quinque, mentæ siccæ pulueris sex, maluæ rusticæ pulueris sex; omnia trita simul miscebis, & utēris. Lupini crudam farinam, similiter & costi, admixto succo herbæ nasturtij, teres in modum mellis, & dum opus fuerit, utēris. Item ad synanchen, uel ad fauces cancro occupatas, puluis. Recipe thuris masculi unciam, myrrhę troglodíticæ unciam, floris rosæ unciam, folij aromatici unciam, costi unciam, gallæ aphræ unciam, mastícæ unciam, gallæ alexādrinæ decorticatæ unciam, iris unciam. Hæc omnia tundes, & cribrabis, & in doliolo uitreo repones, & utēris: aut puluerem, aut si placuerit, cum melle. Aliud ad uulnera quæ in faucibus nascuntur. Gallæ unciam unam, hysopi unam, floris rosę unam, costi unam, myrrhę unam, folij semiunciam; costum uerò in cacabo fictili, igni subiectum, in carbonem uertes: & dum adhuc ardet, in mortario marmoreo tundes & teres. Similiter & de folio & de hysopo, puluerem facies; myrrham uerò & gallas & florem rosæ teres & cribrabis, & sic miscebis & utēris puro puluere; uel si habes, cum terebinthina. Cataplasma ad synanchen. Vnges bene sartaginem de axungia porcina, & mittes fimum anserinum tepefactum ac resolutum linteo impones aliquoties in die. quantò enim sæpius immutaueris, tantò magis prodest. Emplastrum ad synāchen. Tetauius uiuus cum axungia mixtus, & appositus, utiliter medetur. Pulli hirundinis uiui combusti cinis cum myrrha pari pondere, & melle permixtus, mirabiliter curat. Cera item cum oleo rosato resoluta, & emplastri modo apposita, prodest. Itemque pullorum hirūdinis cinerem & cassiæ puluerem cum terebinthina & melle commiscebis, & cum penna illinies fauces. Emplastrum ad synanchen. Recipit pullorum hirundinis cineris & cassiæ semiunc. myrrhæ troglodítæ semiunc. aluminis scissi semiunc. nitri Alexandrini semiunc. olei uerò rosati & ceræ quantum sufficit, mittes, ut tenerius imponatur. Si uerò lactens est, qui patitur, abstineat nutrix eius ab omni carne, & uino, acrioribusque cibis. mulsam sanè bibat. Accipiat etiam ipsa nutrix potionem manè, & serò, myrrhę troglodítę scrupulos duos cum aquę mulsę uncijs tribus. Omnis quoque qui patitur, dū adhuc in tumore sint fauces, uinum non bibat: & à carnibus abstineat. Ad synanchen. Sulphur uiuum cum menta uiridi & melle teres, & fricabis tumores faucium. quòd si aggesseris alumen humidum, constringes dentes. Sal frixum cum aceto & oleo & melle utēris. Quòd si ceruix dolet, de diachrismate calido oportet ungere. Fel quoque taurinum & elaterium resolutū cum aqua gargarizet, & diameron cum elaterio. Item mori syluatici cymas, myrti dactilos, cidonia folia cum sapa decocta, & dragantum gargarizet. Quando aūt curatur, appones spongias in aqua salsa calida calefactas, manducādo buccellas mundas latas, cum melle, sorbilia oua. Ad hunc morbum sub lingua sanguinem detrahi, uel de brachio, ita ut alio die apopherisim faciat; his abstinendo, uino, carnibus: ac liquamen gargarizari pręcipio. permitto uinum cum melle cūm uulnerauerit, ante uulnera, sapa pura frigida. Furfures, rosa, dactilos in aqua decocta; simul autem & uentrem subducūt clystere acto. loca salmatica eligi diffiniunt, propter aerem. Item phlebotomum uel apopherisin secundum uires. Gargarismata acra assiduè ex thymo, hysopo, origano, caricis cum mellicrate decocta. Itemque abrotano & absinthio cum mellicrate uti. Oleo calido cum lanis cataplasmari frequenter; non satis calidis uentosas poni in ceruicem, abstinendum balneo, & ab escis frigidis oportet. Absinthium cum nitro & melle inunges. Ammoniacum item resolutum cum melle.

Confectio diameron, quæ facit ad tumorem faucium, & oris uulnera, & anginas. Cap. LI.

MORORVM succi sextarium unum & semis, succi uuæ acræ denarios sex, croci sex, aluminis scissi duodecim, myrrhæ duodecim, mellis cotylam unam, gliceos cotylam unā; coques succum, donec ferueat: & addes mel, ac simul coques ad carbones lentos leuabis & agitabis, usque dum frigidum fiat, & sic miscebis species tritas. Confectio diameron. Recipe succi mororum sextarios quatuor, mellis pondo quatuor, myrrhę uncias tres, aluminis scissi denarios duos, croci tres, myrrhæ duos; coques primò succum sine fumo in uase stagnato, uel fictili mundo diutissimè; postea addes mel, ut simul ferueat leniter, donec ad mellis spissitudinem redigatur. postquàm de foco tuleris, trita pigmenta adijcies, & diutius ferula agitabis,

bis, donec se uniuersa commisceant. Aliud diameron. Recipit mororum succi sextarios quatuor, mellis pondo quatuor, myrrhæ uncias tres, aluminis scissi tres, gallæ asianæ tres, croci tres. coques succum usque ad medietatem, & mittes in refrigerata tusa pigmenta. Diameron ad os. Recipit mororum satiuorum succi, sed melius eorum qui in rubo nascuntur, sextarios tres: leui uapore ad mellis crassitudinem rediges; tunc addes myrrhæ denarios tres, & tantundem croci: & in unum totum teritur. Item ad hæc, succi mororum sextarium unum, cum aceto & melle heminis singulis decoquunt. Confectio diameron. Recipit myrrhæ denarios sex, aluminis scissi sex, croci tres, mororum succi sextarios tres, mellis unum, sepæ heminam unam, omphacij quantum sufficit.

Anginæ medendo. Cap. LII.

MÆNARUM salsarum de capite cinis, id est, salsorum piscium ex melle illinitur. Lini semē & anethum in oleo aqua decoctum, ad tertias imponitur. Acetum item & sal gargarizetur. Pix quoque brittia cum melle illinitur. Rubi in quibus mora nascuntur caules teneros tundes, & ex eo succum exprimes, & in sole ad crassitudinē mellis coques: dehinc illinies ab inferiori parte: mirè prodest. Felle caprino & anserino cum elaterio, & melle addito, anginæ celerrimè succurritur. Hyssopum quoque cum uino decoctum gargarizatur. Succum item herbæ quinquefolij cyathos tres gargarizes. Allium tritum ex posca gargarizatur. Puluis hirundinis si fieri potest, riparæ: si minus, syluestris: si neutrum, eius quæ in domibus nidificat, deuoratus, totum annum securum ab angina facit. Eosdemque pullos quidam strāgulant & comburunt, cineremque eorum in cibo dant aut potione. Item millepedæ numero uiginti in unum tritæ, in aquæ mulsæ hemina aut aceti, melle addito, decoquuntur, donec lentescat totum quod coquitur, & sic imponitur. Peucedanum cum coagulo uituli marini æquis ponderibus illinitur. Fel quoque caprinum aut ursinum cū melle utiliter illinitur. Ipsius etiam hominis quacunque ex parte sanguis emissus fuerit, illinitus, efficacissimè prodest.

Confectio arteriaces ad raucedinem uocis. Cap. LIII.

DRAGANTI denarios nouem infundes in passo cretico seorsum, & teres. Similiter & croci tres seorsum, & dactilos pingues purgatos separatim, dragantumque & dactilos minutatim infundes, & sic teres. Item cymini denarios octodecim teres & cribrabis, & quod asperū fuerit, seorsum infundes, myrrhæ troglodite denarios quatuor & semis, piperis albi grana uigiti, succi glycerizę uel glycyrrhizę nouæ denarios sex. Hæc singillatim tundes, & cribrabis cum melle: quæ trita sunt, miscebis, addito passo quātum ad formandum sufficiat, & sic facies collyria arteriaca in modum lupini minoris: quæ cùm in umbra siccaueris, tenebis cum lingua, & resoluta cum saliua paulatim gluties. Item aliter: Aluili denarios tres, glycyrrhizę succi sex, croci tres, dragāti unciam unā, in careno cretico infundes; seorsum uerò singulas species teres diligenter. Postea dragantum infusum & tritum commiscebis cum omnibus his suprascriptis, & facies arteriacam in modum lupini, & uteris. Arteriaca ad raucedinem uocis. Recipe croci unciam unam, iris quatuor, draganti sex, glycyrrhizæ succi semiunciam, uel surculos glycyrrhizæ ad unc. tres. Omnia tundes & cribrabis molliter. Dragantum autem infusum in aqua, diligenter teres, & reliqua simul rursum teres bene, & facies quasi lupinos, & in umbra siccabis, & de aqua draganti eosdem temperabis. Ad raucedinem subitaneam uocis. Apij semen, cyminum Syriacum, fœniculum, anethum, pulegium: cochlearia singula plena simul terendo, in puluerem rediges, ex eo unum cochlear mittes in calicem plenum de succo fœnigræci cocto, siue in calice commiscebis, & ter in die gargarizabis; hoc quoque per triduum facies: res enim est saluberrima & experta. Ad raucedinem uocis subitaneam, olei florem tepidū gargarizet. Alia arteriaca. Recipe croci drachmas quatuor, myrrhæ quatuor, libani duas, spicænardi duas, cassiæ quatuor, terebinthinæ duas, mellis uerò quantū sufficit. Alia. Recipe draganti & myrrhæ drachmas quatuor, thuris masculi duas, croci cilicij quatuor, spicænardi duas, cinamomi unam, cassiæ duas, resinæ terebinthinæ duas, mellis cotylas quatuor; coques ea in uase argenteo in uapore. Alia arteriaca. Recipe mellis optimi cotylam unam, terebinthinæ drachmam unam, croci unam, myrrhæ troglodyticæ drachmas quinque, piperis grana decē & septem. Item alia, quæ facit ad peripleumonicos & ad phthisicos. Recipe gummi drachmas octo, quas ita infundes, ut aqua supernatet, & addis mellis cotylam unā, sapæ creticæ cotylam, myrrhæ drachmam unam: quæ omnia coques ad spissitudinem, & accipies manè & post prandium.

Ad gulæ & ceruicis dolorem. Cap. LIIII.

ADIPIS anserini perunctio remollit; eodem modo adeps gruis, farinæ lini seminis, nitro adhibito, ex uino calido in modum malagmatis temperatur. Farina hordeacea cum fico tuso; lenticula in aceto discocta, fici folia, & ipsa poma immatura, contrita; ammoniacum cum melle impositum, iuniperi semen ex oleo illinitur, folia alni uel allei ex aqua feruenti remedio sunt. Tumor ouorū lutea cum adipe anserino & rosaceo, fel taurinum uel caprinum illinitur; butyro aut adipe ursino perfricantur, opisthotonia leuatur, lacte capre auribus infuso, fimus caprinus cum bulbis illinitur; opisthotonicis ex miliuio cinere arido, tres oboli in tribus cratis aquę mulsę bibendi dantur. Ad hęc lupinus utiliter illinitur, in ceruicum dolore, poplites utiliter fricantur: & è diuerso, in poplitum dolore, ceruicem fricari, remedium

est. De calastico ueneditiam gulā confricabis, hoc & ceruicis dolorem & neruorum contractiones curat.

Ad humeros, cubitos, brachia & manus. Cap. LV.

DOLORIBVS humerorum, mustelę cinis cum ouo illinitur. Sal in sacco ex aqua feruenti calefactus adijcitur. Hęc pręscripta, eodem modo & ad dolorem laterum faciūt perutiliter. Cochleę in testa si coctę fuerint, cum resina terebinthina in cibo proficiunt. Prosunt & cochleę lateri impositę. Vpupę caro in cibo laudatur. Lanę succidę ex oleo calido, melius axungia uetere, uel uellera sulphure uiuo suffusa, efficaciter excalefaciunt. Pugionis mucro quo homo percussus est, leuiter pungi prodest. Neruus uulturis de alis apponitur, & statim dolor sedatur. Hos autem neruos uulturis, sed & de pedibus eius diligenter seruare debes: quia omnem hominem curant: non inquinantur usu, nec pereunt, semper sanari possunt: & cum necesse fuerit, semper apponi. Item ad eadem membra, si nimia perfricatione indoluerint, De calastico ueneditiam in balneo, siue cum dormitū uadis, loca dolentia fortiter cōfricabis, & statim sentiēs curam. Item ad humeros: Lana succida ex oleo calido imponitur; melius uero ex axungia ueteri. Itemque uellere suffumigato uiuo sulphure, efficaciter calefaciunt. Atque item mustelæ cinis cum ouo, linteo grosso illitus, & ex aqua feruente calefactus, imponitur. Item cymini Aethiopici deñ. quatuor, anethi IIII. rutę turgiones ad deñ. duos, myrrhę unū, piperis unum. hęc omnia trita ex aqua, & collecta ad denarios duos, & potui data, dolorem statim tollunt. Itemque sal in sacco ex aqua feruenti calefactus & adhibitus.

Ad neruos, & scapulas, & omnia. Cap. LVI.

AD scapulas & ad omnia: Hysopi ceroti uncias duas, terebinthinę unam, resinę frixę sex, galbani semiunciam, adipis anserini siue fasiani duas, nardi libram unam, butyri uncias duas, cerę libram unam: hæc omnia simul mittes, & solues: & dum fuerit necesse, linteo uel alude mollissime super induces & impones. Item si ex humore uel frigore, aut sanguine scapulę à dolore graui fuerint oppressę, uitrū teres, & in puluerem rediges. Pulegij, masticis, & thuris masculi pulerem ęquis ponderibus simul miscebis, deinde oleo scapulas confricabis, & de prædicto puluere asperges, & chartam puram desuper pones, & stricte fasciabis, donec omnem humorem uel sanguinem siccent, per dies tres aut quinque. in balneo chartam tollat & ungat oleo, & sic lauet: atque ita potes curari, ut nec sanguisugas ponas, nec carnificem medicum patiaris. Leues enim curæ si fideliter fiant, possunt dare perpetuam sanitatem. Item ad dolorem scapulæ, uel cuiuscunque membrorū: Locū melle perūges, & farinā fabæ supersparges, & folia hederæ superimpones.

Pectori medendo. Cap. LVII.

PLVRIMIS morbis obnoxium est pectus, & impatientissimum frigoris: quod cum uexatum est, non uno genere sæuit, sed infert tussim, & purulentas excreationes sanguinis, uomitus, phthisim, synanchen; quibus singulis quemadmodum placeat succurri, explicare conabimur. Nasturtium itaque ex lacte caprino decoctum, & in sorbitione datum, patenter pectoris dolorem emendat. Idem quoque præstat, si in aqua coquatur, & ipsa aqua bibatur. Ruta ex uino coquitur, & si ipsum bibitur uinum, tollit dolorem. Canapi item semen commanducatum similiter facit. Si quis circa cor uel pectus dolet, pulegium ieiunus manducet. Ad pectoris siue thoracis dolorem, si plenum fuerit phlegmate, uel perstiguerit, aut tussis fuerit cum crasso phlegmate: Coques in olla noua fœnugræci heminam in aquæ sextarijs tribus, hysopi fasciculum unum, pulegij, fœniculi, origani & rorismarini tantundem, donec succus ad unum sextarium redigatur: exinde potionem ieiunus & serò alteram bibes, hocque per triduum facies: sed & in balneo dum sudas, accipies potionem. pectus quoque tunde, ueneditiam calastico confricabis. Res enim est optima, & stomachum curat.

Tussi medendo. Cap. LVIII.

SEDATVR tussis faba fricta desecta, eaque faba in cibo uel ex melle sumpta, & tussi & purulentis excreationibus medetur. Aduersus diuturnam tussim, uinum phalernum utiliter sorbetur. Itemque ficus aridæ coquuntur cum hysopo & aqua, & ex ea aqua tussientibus propinatur. Sunt item membranæ in uentribus gallinaceorum quæ proijciuntur, quarum cinis potioni inspersus, destillationes & pectoris humidas tusses siccat. Testæ cochleæ crudæ tritæ cum aquæ tepidæ cyathis tribus sorbentur. Seuum ouinum decoctum cum uino austero, tussi medetur. Oua cocta & in melle trita in cibo dantur. Oua item cruda permixta cum pari modo passi bibuntur. Sandaraca nihilominus cum resina terebinthina ouo sorbili indita editur. Pulmo item ceruinus cum gula sua arefactus in fumo, dein tusus ex melle quotidie sumendus. Testæ cochleæ crudæ tritæ, cum aquæ cyathis tribus tepidæ sorbentur. Cochleæ cum testis suis tritæ, adiecto croco, eduntur. Vrsinum quoque fel permixtum cum melle. Salinæ item equi triduo potatæ ternis potionibus ex aqua calida sanant: equum morti tradunt, hominem sanant. Sorbitiunculam ex alica, seuo caprino peruncta dabis. Pix liquida in ouo, iecurque lupi coctum esui datur. Lactucæ seminis denarios uiginti, panacis radicum XXXVI. castorij sedecim, myrrhæ duodecim,

decim, croci octo, opij duos; cum melle cocta colliges, dabisque in modum nucis auellanæ. Panacis den. trigintasex, lactucæ seminis XXX. rutæ XIIII. myrrhæ XIIII. lini seminis XVI. opij X. croci sex, castorij sex. Hæc omnia cum melle cocta colliges, & dabis in modum nucis auellanæ, & sanus erit. Item fœnugræci farinam cum aqua decocta, donec amaritudinem amittat, adiecto melle iterum coques: & deuorata tantum, tussim sedat, & pectoris ulcera expurgat. Sepæ Aphræ cum sinapi per triduum datæ, tussim sedant. Sauina herba tusa in puluerem, & cribrata cum uiola rustica, & baccæ lauri siccę pari portione tritę, admixto pipere ęquali parte, addito melle siue mulsa, & sic potui data, mox sanat. Vitellum oui durum ex passo tritum, adiectis calidę aquę cyathis duobus, antequam dormitum uadis, bibas non solùm eadem, qua nocte tussim sentiebas, sed & persanatus uitio molestissimo carebis. Enulę puluere lingula plena melle mixto & cocto unam manè, & alteram serò accipies. hoc tussim bulsis medetur, & arterias lenit. Fœnugręcum infundes in aqua fontana, & alia die cum ipsa aqua coques in uase nouo: & quantum succi cocti exierit, tantum mellis adiungis Siculi non despumati, ac rursum leniter coques ad carbones agitando semper, fasciculo pulegij annotini sine fumo in uirga ligato. & ut scias quando fit coctum, guttam in marmore pones: quę si cito se strinxerit, leuabis exinde, & mittes aliquantum piperis triti, uel pro uoluntate accipientium, uel temporis qualitate. Cùm uerò accipere uolueris, calefacies leniter ad cineres, & accipias manè cochlear unum: & cùm dormitum uadas, alterum. & noli cum impetu uorare, ut paulatim descendat, & inferiora leniat. Item fœnugręci frixi in patella noua leniter, lentis Alexandrinę similiter frixę equas portiones, fabę quoque solidę similiter frixæ grana decem teres diligenter. Pulegium etiam sine fumo, mastici grana & costum, piperis albi grana XXII. in melle miscebis, & dabis serò & manè cochlearia singula. Ad tussim, & si sanguinem emittit. Enulę pulueris unc. duas, fœniculi seminis duas, pulegij sine fumo duas, piperis unam. Hęc omnia tundes & cribrabis, mittesque in mel despumatū, & accipies manè cochlear unum, & serò unum. Item ad tussim. Thuris masculi unc. unam, masticæ unā, resinæ frixæ meliorisque cyathum. Hæc omnia in puluerē redacta miscebis melle despumato, ponesque in focum & agitabis: & hinc dabis tussienti manè cochlearia tria, & serò tria, & nō cœnet. Elecmadium ad tussim expertum. Lini seminis purgati ac frixi unc. tres, cymini purgati & frixi duas, nuclei frixi quatuor, uuæ passæ innucleatæ IIII. piperis semiunc. mellis optimi quantum sufficiat, dabisque manè & serò cochlearia singula. Elegmadium. Recipe lini seminis purgati & frixi unc. X. fu un. unam, iris deñ. sex. nucleos numero XX. mellis optimi despumati quantum sufficiat, dabisque in modum auellanæ sub lingua tenendum, & paulatim cùm resolutum fuerit, glutiat. Item elegmadium ad tussim, ad hepar, ad splen, & ad tensuram uenarum. Recipe cardamomi fricti heminam unam, piperis albi unc. sex, liselij Gallici sex, mellis Attici lib. I. rutæ uiridis fasciculū, coquesque mel agitandum quādiu ferueat bis aut ter, & cōmiscebis sicca, interpositoque die postea accipias manè unc. unam, & serò unā. Aliud. Recipe hyssopi un. unam, pulegij unam, terebinthinæ duas, iris unam, piperis tres, lini seminis frixi quatuor, baccas lauri numero quinque, amaras amygdalas uiginti, mel quod sufficiat. Elecmadium ad tussim. Recipe petroselini, hysopi, ireos, peganij, piperis, nuclei leniter frixi, erui rubei, pulegij, mastici ana unc. unam, mellis despumati quod sufficit. Catapotia ad tussim sedandam. Recipe galbani deñ. tres, styracis tres, opij unū; tundes omnia simul, & cribrabis diligenter, & facies catapotia, & in nocte accipiat unum siccum, sed nō cœnet, & postea non bibet. Catapotia ad tussim. Recipe opij unc. unam, myrrhæ trogloditæ unam, styracis calamitæ unam, galbani unam. Omnia hæc in pila tundes, donec fiant ut cera, & facies pillulas in modum pisi: ex quibus ternas cum aqua calida dormitum eunti dabis. Catapotia ad tussim. Recipe styracis & galbani & opij ana deñ. tres, miscebisque eas, & facies catapotia. Item grana piperis maioris dabis ad noctem tria uoranda. Catapotia quę prosunt ad tussim humidam. Galbani, styracis, iris, pini & ilicis un. unam: omniaque ea trita in puluerem, melle bene cocto colliges, & facies pillulas ad dimidias, dabisque ad noctem ternas uel quaternas. Catapotia ad tussim. Recipe piperis albi grana centum, papaueris agrestis succi semiūciam, croci denarios duos, styracis duos, castorij tres, iusquiami seminis tres: quæ omnia teres & cribrabis, miscebisque, & addito melle iterum teres, & facies pillulas in magnitudinem ciceris maioris, dabisque ieiuno tres, & serò similiter. hoc experimentatum est. Catapotia item ad tussim siccam. Myrrhæ unciam unam, piper, castorium, galbanum, opium æquali pondere; castorium & piper tūdes & cribrabis, myrrham leniter tundes, & cedris tusis admiscebis: ubi omnium unitas fuerit, formabis pillulas scrupuli magnitudine, dabisque ternas uel quaternas ad noctem aqua calida glutiendas. Catapotia ad tussim, & antidotum faucium summum. Apij seminis drach. octo, anethi seminis octo, iusquiami deñ. V. opij, spani drach. IIII. omnia colliges cum melle. Ad tussim ei qui iam desperatus est: Lomentū fabæ, pulegium sine fumo, hyssopum & petroselinum æqualiter un. unam tundes, spicæ Indicę tantundē, miscebis melle despumato cum piperis triti granis XXV. ex hoc dabis cochlearia tria. Hederę gummi resolutum uino, & in sorbitione sumptum, uetustissimę tussi medetur. Sapę sex cum adipe porcino pari pondere, & modico salis cocta, & potui data, ueteres tusses sanat, & ceruicis dolori prodest. Enulę item puluis in uino potatus, bulsis & inflationibus & arterijs medetur. Piperis nihilominus deñ. sex, nuclei frixi unc. I. dactuli tres, hysopi cretici sex, mellis despumati heminam unam, marrhubij I. gingiberis deñ. XII. mellis quod sufficit. Antidotum ad tussim, quod magnam habet uirtutem. Recipe croci deñ. XV. spicę nardi unc. I. euforbij I. pyrethri deñ. II. piperis albi un. II. opij Thebaici unū, iusquiami albi tres, mellis Attici despumati quantum sufficit. Opium autem cum melle teres, cętera quoque teres, & tundes, & cribrabis, & cum melle miscebis: indeque in modum auellanę in aqua resolutū dabis, ita, ut qui

accipit, non tenet. Ad tussim, & ad eos de quibus desperatur. Recipe erui sextar. I. iris unc. I. mellis dis coctι pond. I. hisque omnibus in se permixtis, dabis ieiuno pillulas tres ex melle inuolutas, & uespere similiter. Myrrham sub lingua teneat, & in ipso momento desinit tussis. Ad tussim, herbam marrubiū, & piperis grana uigintiquinque, fabam frixam tusam, in uino teres, & cribrabis, adiecto melle commiscebis & uteris. Medicamentum ad tussim, quod recipit sandaracam, lybanum, medullā ceruinam. tundes autem sandaracam & lybanum, & temperabis cum medulla ceruina, & facies trociscos in modum oliuę, & mittes in testam cum carbonibus, & pones traiectorium super testam, & cooperies de mappa, & os tenebis in traiectorium, & sic fumum trahes. Baccarum lauri cum sinapi drach. unam, piperis unam nuclei unam, amygdalę amarę unam, mellis libram unam cum dimidia, dabis cum succo fœnugręci. Catapotia ad tussim ueterem, quę faciunt stomacho, cœliacis, dysentericis, phreneticis, hepaticis, spleneticis. Recipiunt myrrham, opium styracem, & hęc ęqualia. Catapotia ad tussim. Recipe diastyricis & opij drach. sex, iusquiami sex, myrrhæ quatuor, costi quatuor, croci tres, styracis item duas: & hęc de aqua fingis ad magnitudinem orobi maioris, dabisque septem aut nouem. Beticon, pulegij drach. quatuor, hysopi quatuor, piperis quatuor: colligis cum melle, & dabis cochlearia duo uel tria. facit & ad phthisicos. Beticos den. unū, amei unc. I. opij deñ. tres, nuclei tres, mellis cocti quod sufficit. Nuclei frixi unc. sex, cymini frixi unam; piperis unam & semis, uuæ passę frixę quinque: quę omnia colliges cum melle, & uteris.

Ad tussientium antiquas & diuturnas ualetudines. Cap. LIX.

TEREBINTHINAE unciam unam, butyri unam, mellis unam, olei unam: omnia simul commiscebis, & in unum corpus rediges: primoque accipies cochlearia duo, dehinc tria, donec saneris. Ad phthisicos. Amygdalas purgatas numero XXI. piperis grana XXXI. sinapis cochlearia duo; tundes & cribrabis, addesque portionem mellis Attici, & dabis manè & serò cochlearia singula. Ad tussim cum multo defectu. Pinjas resinatas confractas numero tres, lini seminis libram unam, graminis uiridis fasciculum unum, pulegij tantundem: coques in uini sextarijs tribus, & aquæ cœlestis sextario uno, ad dimidias colabis, & adijcies mellis libram, & dabis cochlearia terna.

Oxymel ad phlegmata incidenda. Cap. LX.

SQVILLAE in carduo unciam unam, pulegij unam, hysopi unam, origani unam, mittes in acetum, & decoques & colabis, addesque mellis duplum, & ad carbones lentos iterum coques agitando diligenter, donec spissitudinem aquatioris mellis sumat. Hincque dabis ieiuno cochlearia duo, uel quantum uolueris, & post cœnam similiter. Aliud ad phlegmata incidenda. Salis communis libram unā, salis ammoniaci duas, piperis communis unc. tres, piperis albi tres, gingiberis tres, folij duas, spicæ uerò nardi semiunciam, radicis lasaris semiunc. amei semiunciam, thymi semiunc. opij seminis semiunc. petroselini semiunc. anisi semiunc. hysopi semiunciam, origani semiunc. erucæ seminis semiunc. miconis seminis frixi semiunc. tundes & cribrabis, & uteris. Apozima ad incidenda phlegmata. Coques anethum siccum & radices apij in aqua; cui aquæ ad modum potionis calidę addes oxymellis simplicis cochlear I. bibesque ieiunus per triduum, & cùm uolueris. Codiorobum ad purganda phlegmata. Piperis unc. unam, petroselini unā; mastici denarium unum, erui rubei unc. tres, iris duas, hysopi duas, nuclei quatuor, foliorum rutæ uiridis duas, mellis pondera quatuor: dabisque ieiuno cochlearia singula uel bina, pro causa seu uiribus. Hysis semiunciam, hysopi denarios sex, mellis cytarchum dimidium: simul coques in aquæ sextario uno & semis, ita ut sextarius remaneat: postea colabis, & accipies manè & serò cochlearia singula. Eligma ad hæc, & ad phthisicos. Erui infusi & in umbra siccati tundes & cribrabis uncias duas, sesamæ unam, iris semiunciam, mellis despumati quod sufficit. Oxyporium ad hæc. Mellis heminam unam, aceti quartarium, rutæ uiridis fasciculum unum, cymini cochlear unum, piperis grana XX. nitri denarios sex. Epithema ad pectoris phlegmata resoluenda. Butyrum, laricem, irinum, medullam ceruinam, lini semen, foenugræcum, ceram, adipem anserinum: omnia æquis ponderibus mittes, adipem tantùm duplum mittes. Epithema ad hæc. Butyri uncias duas, adipis anserini duas, hysopi ceroti duas, olei anethini tres, medullæ ceruinæ duas, ceræ quatuor. Ad phlegmata. Pastinacæ seminis unciam unam, melonum seminis duas; teres & cribrabis, & cū melle despumato permiscebis, & dabis cochlear unum uel duo. Eligma ad hæc, & ad phthisicos. Sesamæ unc. duæ, erui duæ, iris duæ, mellis despumati quod sufficit. Ad eos qui purulenta expuunt, uel qui apostema habent. Laricem, butyrum, eruum, & mel ad carbones unū corpus efficies, & dabis cochlearia singula uel terna pro ætatibus. Quidam uerò succum marrubij addunt, qui phlegma & pus in pulmonibus habent, & tussiunt.

Phthisi medendo. Cap. LXI.

INVENI iam desperatum phthisicum sanatum hoc modo. Radicis decoctio in Punici mali cortice, mixtæque ex aquæ cyatho uno, & lactis pari mensura quotidie sumptui data profuit: utilius est phthisicis & longis languoribus, qui tenentur, in saltibus morari, ubi pix nascitur, quàm in mari nauigare, & marina loca uisitare. Cancri fluuiatiles ex iure in cibo sumpti ieiunis dantur. Lacerta uiridis decocta

in uini

in uini sextarijs tribus, ad cyathum unum redeat, singulis cochlearibus phthisicos datis diebus singulis, donec conualescat. Propinatur item cochlearium cinis ex uino austero. Suis fœminæ lardum manducatur. Herba pastæ in cibo datur. Carnes asini ex iure sumptæ, phthisicis prosunt. Suis fœminæ cinis ex passo propinatur. Adipis recentis pondo quadrans decoquitur in uini cyathis tribus, additur eo mel optimũ, & pillulis glutitur. Pulmo uulturis combustus super sarmenta, & in puluerem redactus, & cum floribus rosæ, & croco æquis partibus tritus commiscetur: & in modum dimidij cochlearis cum uini potione bibitur sero, & media nocte & ante lucem. Si autem febriunt, in aqua calida; hocque & ad sanguinis reiectionem facit. Thus masculum teres bene, & addes Sandaracę tantundem, & teres postea medullam ceruinã. Similiter ex his trocisos factos longos seruabis in charta: & cùm opus fuerit, facies carbones de uite ualida & extingues, & unum carbonem excauabis, quantum possit recipere medicamẽti: Pillulamque in modum ciceris maioris formabis, & hunc rursum accendes, & pillulam suppones, traiectoriumque operies circundato linteo, ut totus fumus introducatur. Cùm uerò respirare uoluerit, ac tussire cœperit, digito claudat, hocque ter faciat, singulas pilulas singulis imponendo carbonibus: hoc & ad tussim, & ad reiectionem sanguinis facit. Dragantum album tenerum eliges, & infundes in careno optimo biduo uel triduo: postea teres diligenter, & addes mellis Attici quantum sufficit post meridiem. Ad phthisicos uel ad eos qui purulenta expuunt, ad eruptionem sanguinis & tussim ueterem, hoc medicamentum bene facit. Opij denarius unus, aqua exigua diluitur, & cum aluminis scissi triti puluere sex miscetur, & fiunt globuli ciceris amplitudine, danturque ieiuno quaterni uel quini. Ad secandum rheuma phthisicorũ temporalium. Anisi unciam unam, apij seminis unam, petroselini unam, myrrhæ trogloditis denarios duodecim, piperis albi sex, spicænardi unum, mellis despumati quantum sufficit: dabisque in modum auellanæ cum aqua calida. Antidotum phthisicis incõparabile. Piperis denarij tres, myrrhæ unus, opopanacis unus, thuris masculi unus, opij unus, gingiberis unus, laseris dimidius, rutæ siccæ uncia una, abrotani una, nasisci una, pulegij semiuncia, mellis optimi despumati sextarius unus, uini aminei quartarius, papaueris quoque triti & excocti: hinc phthisicis propinare, prodesse memoratur. Aliud antidotum. Recipe piperis albi unciam unam, cardamomi unam, opij unam, iusquiami unciam unam, myrrhæ denarium unum, dauci cretici denarios sex, croci tres, sulphuris uiui semiunciam, gentianæ denarios sex: ex quibus quæ debent tundi, tundantur, & quæ teri, terantur: & cribrata uniuersa, cum melle Attico quantum sufficit, commiscebis, ita ut spissitudinem in modum emplastri efficias; hoc denuo in mortario teres, & in uitro repones. Dabis autem magnitudinem baccæ lauri non plures ex aqua calida, cùm dormitum uadit, ne aliquem supersumat humorem.

Synthesi curando. Cap. LXII.

SYNTHESIS quoque nec periculo, nec facie phthisi dissimilis morbus est, cui sic medetur. Alicæ cyathi tres, in passi sextario uno, & aquæ sextarijs sex conijciuntur, & sensim coquũtur, donec aqua cõsumatur; tunc suffundunt lactis ouilis ac caprini sextarium, quo subferuefacto, fit genus sorbitionis, qua per se primis diebus curationis loco utuntur, procedentibus diebus & mel adijciunt. Ad hæc utilissimum putant, eos in aqua marina lauari. Oxyporium ad synthesim uel ad tussim, quod conficitur sic. Pipere albo uncia, gingibere duabus, petroselini duabus, libistico drachmis sex, factũ puluerem cũ melle despumato per dies octo in sole teres, & hinc ieiunus cochlear unum accipies.

Ad sanguinem excreantes & phthisicos effectus. Cap. LXIII.

PORRI sectiui succum cum lacte mulieris, siparum cyathos duos ieiuno dabis tepefactum. Ad hæmoptoicos. Seminis caulium denarios tres, myrrhæ duos, picis optimæ duos, teres diligenter, & cribrabis, dabis febricitanti cum aqua, sanis uerò cum styptico uino cochlear plenum. Sed diebus ipsis cerebellum porcorum comedat & dactilos: panem autem modicum micatum cũ ipsis cerebellis accipiat. Quinque crudorum ouorum lutea in uini hemina propinantur. Prodest item aquam bibere, in qua cytonia decocta sunt. Spongiæ aphræ cinis cum porri sectiui succo sorbetur. Sanguinem nihilominus excreantibus, herbæ senecionis succus ad cyathum unum potui datus, sanguinem sistit. Sanguinem item excreantes, marrhubij contriti in uini cyathis quatuor, calicem unum ieiuni bibant. Sanguinem per os qui iactat, uel pus, Betonicæ deñ. nouem, & lactis caprini recentis cyathos tres bibat per triduum, & continuò sanus erit. Ad Hæmoptoicos. Porri sectiui succi cochlearia duo, plantaginis maioris succi duo, succi rumicæ duo, aceti acris cochlearia tria, omnia permixta per triduũ dabis. Ad eos qui pus expuunt. Lini seminis denarios duos, gummi ueteris cyathos sex, picis tritæ & cribratæ denarios quatuor, abrotani triti & cribrati duos, amygdalas amaras numero quindecim, thuris masculi deñ. decem, resinæ terebinthinæ unum, galbani duos, mellis Attici pro modo: omniaque simul commiscebis, donec ad crassitudinem ueniant, & dabis ad manducandum. Ad hæmoptoicos. Fœnugræcum purgabis diligenter, & in cacabo nouo feruere facies, & primo feruore effundes, sed non totum: postea addes aquam, & ferueat usque dum excoquatur, postea colabis & mittes marrubium album, nuces pineas, pulegium, eruum, & camephitim, ut totum in se ferueat, diebusque sex bibendum dabis. Trocisci ad hæmoptoicos. Recipe hypocisti balausti citini ana unciam unam, omphacij drachmas tres, gummi unam, aquę

cœlestis quod sufficit ad faciendum trociscos, habeatque trociscus denarios tres; febricitantibus cum aqua calida, sanis uerò cum uino. Trociscus diacantes, ad hæmoptoicos. Recipe acantis drachmas sex, hypocistis sex, lycij Indici quatuor, opij quatuor, balaustij quatuor, myrrhæ duas, reupontici quatuor: accipit hierosam, aut myrtum: coques cum sapa omnia, & facies trociscos habentes drachmam unam, & dabis cum sapa cyathos duos. Trociscus cum hæmoptoicis optimus. Recipe libani, roris Syriaci, hypocisti, corallij ana unciam unam, tundes, teres, & cribrabis, omniaque simul miscebis, & facies trociscos habentes drachmam unam: dabisque cum oxycrate.

Sanguinem reijcientium curatio. Cap. LXIIII.

SI ex alto præcipitati sunt, mille folium bibendum datur ex aceto, cruenta excreantibus. Quinque ouorum mediola cruda, in uini hemina propinantur, si & purulenta sint quæ expuuntur, eodem tempore ouum crudum cum pari mensura succi porri sectiui sorbetur. Itemque Græci mellis calefactum hauriatur. Ad excreationem cruentam. Cochleæ elixæ teruntur, & ex aqua bibuntur. prodest aqua pota, ubi cydonia decocta sunt. cochleæ illotæ ex aqua marina coquuntur; & ita deuorantur. Cochleæ rursus cum testis suis tritæ, addito croco, eduntur. Spongiæ Africæ cinis cũ porri sectiui succo sorbetur; porri capitati succus cum farina thuris sorbetur; farina quâ chartæ glutinantur, calida in modum sorbitionis sumitur. Aquæ in qua rosa & ruta & hysopum decocta sunt, uino miscetur; & ita potui propinatur. marrhubij quoque scopæ cum pane decoquuntur, æque ex aqua bibuntur. Vuæ in uinaceis seruatæ, aptæ sunt excreantibus sanguinem. Oleastri folia decoquuntur ex melle, & dantur cochlearia tria; palmæ quoque thebaicæ eduntur. Cytonia matura deuorantur cruda. Nuclei amygdalarum cum amilo & mentastro deuorantur. Semen urticæ aut myrti contritum, in uino bibitur. Gummi optimum cum uino resoluitur & datur: & si fieri potest, gummi ex amygdalis sit. Rubi in quibus mora nascuntur cauliculi teneri tunduntur: ex his succus exprimitur, qui in sole ad crassitudinem mellis siccatur. hic haustus, sanguinem efficacissimè sistit. Eorundem ruborum caules ex uino austero decocti eduntur, idque uinum bibitur in potione. Cornuceruini cinis in uino uetere potatur. Ebulinus sanguis cum aceto modicè sumptus iuuat. Hœdini sanguinis recentis tres cyathi cum pari mensura aceti feruentis potui dantur; coagulum ceruinum ex aceto datur. Item coagulum leporinum, eodem modo.

Ad sanguinem reijcientium curatio. Cap. LXV.

IVSQVIAMI seminis drachmas sex, lini seminis, anethi seminis, styracis, dauci cretici, croci ana drachmas quatuor, opij purgati & castorij ana tres, myrrhæ duas, mandragoræ quatuor, piperis octo: omnia teres diligenter, addisque mellis optimi quod sufficit, simul miscebis & dabis. Item symphyti radicis nocte sub cinere ustæ & tritæ uncias duas, masticis aphræ unam, nuclei pinei unam, piperis grana unũ & uiginti trita, melle despumato miscebis, & superadijcies betonicæ herbæ tusæ pulueris uncias duas, & ex eo manè & serò dabis cochlearia duo. Fimum caprinum tritum in puluerem, uel ipsum fimum recentem in lacte caprino dabis bibere. Herbæ serpilli montanæ siccæ & tusæ puluis denarios duodecim, & cum uino potui datus, sanguinem sistit. Item caprifici folia siue radices in cinerem redacta, & ad denarios duodecim in uini cyathis tribus, potui data, etiam & dysentericis faciunt. Sulphuris uiui denarios tres in ouo crudo sorbeat. Fœniculi folia trita, & cum aceto mixta, pectori apponas, ac potui des: mirifice iuuant. Pulmo item uulturis in sarmentis uitis combustus, & in puluerem redactus, & cum floribus rosæ & croco æquis ponderibus tritus, in modum dimidij cochlearis cum uini potione bibitur, serò & media nocte & ante lucem; febricitantibusque cum aqua calida accipiant: hoc etiam phthisicos mirè sanat. Sanguinem reijcientibus qui de alto ceciderunt. Verbasci radicis cortices in ligno tusos, admixto uino dabis bibere. facitque iumẽto rupto ea potio: per cornu datur. facitque ad eos qui aliquid interius ruperint.

Ad eos qui sanguinem de stomacho uel uena satis emittunt. Cap. LXVI.

GVMMI Alexandrinum teres diligenter, & facies puluerem mollissimum, & ex hoc cochlear plenum mittes in poscam megelitam, & bibes: sed de ipso puluere mittes in orizam, siue in similam ex lacte coctam, & sic manducabis. Gummi optimum in ore soluatur, sic paulatim glutiatur, multoque melius si in amygdalinum fuerit.

De cruciatus dention curatione. Cap. LXVII.

CVCVRBITAE satiuæ decoctæ succus inhibet dolorem, & mobilitatem stabiliet in ore cõpressus. Enula ab ieiunis commanducata dentes confirmat. Aqua in qua allium decoctum est gargarizatur, & idem allium canis dentibus inditur. Asparagi erratici succum in ore cõtineri oportet, aduersum dentis mobilitatem. Acetum si in ore contineatur, gingiuas stringit, & dentes continet. Oliuæ nigræ, amurcæ muria eodem modo stabilit. caprifici radix ex uino decoquitur; uinum in ore continetur, radix trita maxillæ imponitur aduersus dolorem: caprifici autem radix per messes inciditur, & hęc mittit succus,

tit succus, aptissimum dolori. Nucleus gallę commanducatus dolori medetur. Tedę pingues in astulas conciduntur, & in aceto coquuntur, idque acetum in ore continebis. Aqua in qua lentiscus decoctus est, mobiles dentes confirmat. Ruborum in quibus mora nascuntur, pampini decoquuntur in uino atteri, & commanducantur aduersum mobilitatem, idque uinum in ore continetur. Millefolium in dolore manditur, tritumque maxillę imponitur. Radix yoscyami ex aceto commanducatur. Plantaginis radix manditur, & eiusdem succo in aceto decocto, & tepefacto dẽtes colluuntur. Quinquefolium in quo fraga nascuntur, eluitur aqua marina, deinde coquitur ad tertias ex uino & aceto, idque in ore diu continetur: quidam uerò malunt cinere eius dentes fricare. Hysopo utiliter colluuntur. Cauis dentibus cinis murini fimi inditur. Vermes item terreni decocti in oleo, & triti, infunduntur auriculę, ab ea parte qua dentes dolent; eorundemque uermium cinis exesis dentibus coniectus, & cæteris cera obturatis, perfacilè eos cadere cogit. Idemque uermium cinis inditus dolentibus, iuuat. Comburi debent in testa arenulę quę in cornibus cochlearum inueniuntur; cauis dentibus inditę, continuò finiunt dolorem. Idem pręstat fimus corui in lana alligatus. Inuiolati uerò pręstantur dentes, si quis quotidie manè ieiunus sub lingua habeat granum salis, donec liquescat. Ceruini cornu farina in dolore uel colluuntur, uel fricantur. Albi bulbi cinis dentifricium est. Ossa ex ungulis suis combusta, eundem usum pręstant. Caprino lacte utiliter dentes colluuntur. Ebuli radicem ex aceto decoque, & diu in ore teneatur. Folia de buxo & ramusculos anethi teres, in olla mittes, & cum aceto ad tertias decoques, tepefactum in ore tenebis.

C. PLINII SECVNDI DE RE MEDICA LIBER SECVNDVS.

Priora quatuordecim huius libri capita in uetusto codice non erant; notha tamen inscriptione (ut alia non pauca) exhibere, quàm prætermittere maluimus: ad rem enim non nihil facere ducimus.

Pulmoni medendo. Caput I.



OENICVLI succi cyathus unus potui datus, mirifice pulmoni facit: nullumque inest periculum, etiam si febricitanti datur. Pentaphylli herbę succus ad cyathos tres potui datus, uitia pulmonis emendat. Aceris item arboris succus ad uncias tres sępius sumptus, pulmonum ulcera sanat. Cedrum integrã decoques, & ex ea aqua in potum cyathos duos assiduè dabis: ea enim pulmonibus uitiatis, teterrimum spiritum emendat. Lac cum herbę cẽtaurię tusę puluere quasi cataplasma factum, calidumque pectori sinistro superpositum per dies quatuor, uitia pulmonum sanat: lac uerò quotidie bibet cum herbę suprascriptę puluere ad denarios duos. Butyrum ex melli pari mensura decoques, donec rufum colorem trahat, reponesque in pyxide, & ieiuno ligulam plenam dabis ei qui pulmones ulceratos habet. Raphani succi cyathos duos, passi cretici tres bene permixtos tepidos dabis bibere, pulmones uitiatos sanat. Ad pulmonum dolorem. Anethum siccum uetus teres atque cribrabis, resinam quoque miscebis cum adipe ueteri. Butyrum etiam & mel, ęquali modo: coquesque usque dum rubeus color sit, repones in pyxide, & inde manè & serò ligulam edat, cui ulceratus pulmo fuerit, idque reddet eum sanum. Ad eos qui pulmonum causa tussiunt, uel phlegmata spissa cum sanguine mixta proijciunt, infundes pridie dragantum in aqua, & coques cum melle despumato, ac super mittes croci triti quantum necesse fuerit, & ex hoc dabis manè & serò cochlear unum. Ad eos qui pulmonis uitio tussiunt. Squillæ pond. quinque, aceti optimi sextarios decem, pineas tres, pulegij fasciculos tres, coques ad tertias & colabis, addesque mellis despumati sextarios nouem, & iterum coques, usquedum bene se commisceat, & accipies ad cochlear pro uiribus. Cerui masculi unciam unam, encinij spermatis unam, opopanacis unam, citaperi unam, hysopi unam, aristolochiæ rotundæ unam, mellis quod sufficit: commiscebis, dabisque in modum auellanæ maioris cum aquæ cyathis tribus. Ad uitia pulmonis. Corij cedri exterioris libram unam, mellis tres, uini Aminei unam, piperis unciam unam, zinziberis duas, petroselini unam: coques uerò cedriam in uino, usque dum uirtutẽ amittat, & uinum ad dimidias redigatur: & ita mittes mel ad spissitudinem mellis, ita ut agitando refrigescat, & superinfundes in siccum, & terendo, unum corpus efficies. hoc facit & stomaticis.

Ad suspirium. Cap. II.

HERBAE Sauinæ deñ. duos, butyri, mellis uncias duas; conficies electuarium, & ieiuno dabis. Itemque raphani semen & sulphur uiuum pari portione trita, & mellis admixta, ieiuno ad cochlear dabis; aut radicis succum cum aqua mulsa bibat. Marrubium cum suis radicibus tundes, & succum ex eo, melle admixto æqualiter coques, & ex eo singulis diebus cochlearia duo sumes, suspirium aufert, & concreta

phlegmata ex intimo pectore educit. Præstat eadem herba sicca in aqua decocta, & similiter data. Betonicæ herbæ pulueris denarij duo, in nitro mellis, uel oxymellis cyathis tribus, dati suspirationes auferũt, & omnia interiora phlegmata sursum euocant, & stomachum purgant, & dolorem eius auferunt, si quotidie bibuntur. Facit eadem herba in aqua decocta, & eadem aqua in nitro mellis data. Mel & butyrũ simul decoques, donec soluantur: deinde adijcies aphronitrum matronale ad dimidium, & utêris. Aristolochiæ rotundę radicis succum siue puluerẽ ad duos denarios in aquæ calidæ cyathis duobus potui dabis, suspiria, & singultus emendant. Super carbones fimum siccum carbonibus incensum pones, & per traiectorium fumus eius ore ductus, suspirium tollit. Roris item marini uiridis fasciculum bonum decoques in aqua, cum tribus carycis Germanicis, donec fiat quasi carenum, indeque dabis matutino calicem bonum: & si uolueris, similiter post cœnam. Betonicæ siccæ pulueris unciam unam, ex aquæ calidæ cyathis duobus bibat. Ad hoc, & anhelitum. Cotonorum succi cyathos tres, ex melle æquali siue uino decoques. Sumpti enim suspirio laborantes releuant, & hydropicos ac spleneticos factos. Cocta similiter cotonea, & tusa, & illita, uel in modum cataplasmi imposita, emendant. Sulphuris uiui denarios treis in nouo sorbili accipiat: ita ut frigidis abstineat. Aphronitri matronalis pastillum unum, aut duos, uel tres cum mulsa bibat: herba enim quæ in arborum lacunis, cauisque corticibus consistit, potata, citò liberat. Fel quoque ursinum in aqua calida dilutum, ieiunus bibat, donec sanetur; quod celerrime conquiescit. Item betonicæ denarios octo in cyathis tribus mulsæ, ieiuno dabis, cùm dormitum uadit. Trociscus ad σάνον, hoc est suspirium. Recipe ammoniaci triti drachmas octo, abrotani octo, castorij quatuor: omnibusque tritis, facies trociscos, & dabis cum oxymelle.

Ad mamillæ nucleos, & cancrum. Cap. III.

DACTILVM purgatum ablata interiori albugine, teres cum cibulla Germana, & coriandro uiridi, apponesque & sanabitur, si tamen initio est. Ad cancrum mamillæ. Herbæ quæ dicitur cucubus, folia, & de tyrso eius quidquid uiride fuerit, partem unam; & herbæ quæ dicitur pastellus, partes duas tundes diligenter, deinde infusas micas panis recenter expressas cum herbis teres, & facies quasi cerotum, & pones in mamillam manè & serò frigidum, & curabis cancrum qualiter uis. Herba autem pastillum ab una radice ascendit, & super XIIII. uel amplius dispergitur super terram. Ad dolorem mamillæ. Medullam quæ sub cortice pini uiridis est, siccabis & teres, & cribrabis, & ex eo puluere cochlear plenum dabis cum uino calido ieiuno: ita ut in ipsa parte iaceat. Ad dolorem mamillarum, qui fit ex plenitudine lactis post partum. Cerusa cum oleo roseo bene trita, & illita, statim dolorem sedat. Ad mamillarum dolorem, quem prægnantes, aut post partum patiuntur. Ouorum putamina bene trita, & ouorum coctorum uitellos tres, tritos admiscebis, crocum etiam aliquantulum, & rosacei, ceræ ponticæ quod sufficit: factoque ex his ceroto, linteo impones. hoc & infantibus bene facit ad punctionem. Ceræ libram unam, adipis leonini unciam unam, adipis caprini duas, medullæ ceruinæ duas: singulariter teres & simul miscebis, & exinde linteolo molli induces, & super mamillas pones; uel infantes & ex eo perunges, sicut suprà præcepimus. Ad mamillæ duritiam, uel dolorem, compositio. Recipe adipis leonini librã unam, adipis struthionis unam, adipis lupini unam, styracis uncias tres, olei sauiniesis pond. sex, fontanæ sextarios duos. herbæ autem in oleo coquuntur, donec aqua exiccetur: deinde colantur, cui oleo calẽti admiscentur adipes suprascipti, nouissimè cera punica una, aphra quantum sufficit ad cerotum. Oportet autem in uitreo uase reponi. Herbæ symphoniacæ foliorum libram unam, colophoniæ duas, axungiæ ueteris sine sale unam, fermenti uncias sex accipies. Fermentum uerò in muria solues & miscebis. Resinam item & oleum solues cera addita, & in doliolo uitreo repones. Ad mulierum mamillas marmoratas herba paretaria cum axungia sine sale tusa, & imposita, tertia die aperit: sicut à balneo utatur, tertia die claudit. Sic enim Aurelia Rustica curata est. Ad tumorem & dolorem mamillarum. Stypteria herba uiridis trita, admixto pane in aceto infuso, aut axungia, impositaque sanabit. Marrhubium bene cõteres, & cũ axungia ueteri contusum ac impositum, ad tumorẽ mamillarum, & si fuerit uulnus, purgat & curat. Ad tumorem mamillarum, & ad febres præsens remedium. Mellis uncias nouem, olei rosati sex, ceræ quatuor, resolues, colabis, & teres quousque album efficitur, & utêris. Ne uerò mammæ crescant, creta cymolia cum aceto cataplas.

Ad dolorem stomachi cum accidia & nausea, & ad inflationem, & defectionem. Cap. IIII.

MASTICAE Aphræ, absinthij pontici succum, pulegium siccum, pares portiones tritas in uase uitreo seruabis: & dum opus fuerit, stomachum nardo inũges, & sic puluerem sparges, & chartam pones, & super chartam, lanam, & fascias. In dolore & uitio stomachi, calastico uentidiani sæpius stomachũ confricabis. Herbæ betonicæ radicum fasciculum unum, uerbenæ unum, agrimoniæ unum, coques in olla noua cum aquæ sextarijs nouem ad tertias, & exinde ieiunus potionem manè unam, & serò alterã bibat per dies septem: uexatum stomachum releuat. Confectio. Rutæ seminis cochlear plenum, salis montani tantundem, sulphuris uiui similiter: hæc omnia teres diligenter, & cum uino miscebis, ut singulas potiones per triduum ieiunus bibas. Terræ malum coctum, & tritum, melle modico admixto cochlear plenum ieiunus manduces, accidiam tollit. Carnem item uaccinam cum aceto coctam, & conditam

tam oleo, sale, anetho, porro, māduces per dies septem, lassum stomachum subleuat. Ad dolorem & fastidium stomachi, qui nec cibo nec potu iuuatur, rursus quoque amaros patitur. Centauriæ unum, fellis terræ conteres libram unam ex aquæ calidę cyathis quatuor, dabisque ieiuno bibendum per triduum, discutitur infirmitas. Fomentum ad dolorem stomachi. Absinthij fasciculum unum, anethi unum, masticæ semiunciam, nardi celtici semiunc. styracis tantundem, olei pond. IIII. melum uel citonium uiride, uini ueteris hemina: omnia hęc infusa prius feruefacies, & postea fouebis. Ad dolorem stomachi, quo in modum epithymi uti debeas. Citonij purgati crudi triti unc. IIII. aloes triti duas, masticæ Aphræ pulueris unam, dactilos pingues purgatos & tritos numero quinque: his omnibus cōmixtis facies cerotum de olei camomillini unc. sex, & ceræ tres, & in hunc cerotum mittes suprascriptas species, & uteris. Ad inflationem stomachi, ex qua defectus & angustia nascitur. Bulbum crudum in pila tundes, hunc in mortario in modum ceroti teres, addesque pulueris aluminis scissi quātum ad substringendum sufficiat, deinde pannum ex eo illitum & tepefactum stomacho superpones. Ad inflationem stomachi, rutam manducabis. Potio ad uentositatem stomachi tollendam. Cecudam, allium, & lauri folia simul coques cum aqua, & bibes ieiunus & post cœnam. Enulæ pulueris cochlear unum ieiunus bibas in uino. Epithyma ad uentositatem stomachi, meliori unc. quatuor, fœnugræci quatuor, costi, cymini unam, apij seminis duas, ceræ tres, olei quatuor, nardi quatuor, dactylorum uino infusorum quantum sufficit. Item ad inflationem stomachi. Piperis den. XI. pulegij sex, liqua, & dabis cochlearia tria mane & sero.

Potio ad dolorem, stomachi, splenis, & hepatis. Cap. V.

PIPERIS uncias tres, pyrethri semiunc. cyperi den. XVIII. spicę celticæ unc. unam: omnia separatim macerantur, cribrantur, atque pensantur: & facti ex his pulueris datur in potione uini absinthiaci cochlear plenum post curationem corporis & unctionem, ita ut accipiat in primo triduo, & biduo intermisso, rursum accipiat biduo, iterum intermissa una die accipiat duas partes, cochlear unum post unū. Catapotia ad dolorem stomachi, quę uentrem leniter laxant. Recipe aloes drach. duas, gentianę unam, masticæ unam, facies ex his catapotia erui magnitudine, & dabis incipiens à tertia usque ad septimam. Ad stomachi dolorem. Vrticam summam semen habentem deme, & diligenter laua, & ex ea sorbitionem facito bene cōditam sine pipere: utilissimè enim sumitur ad omne genus ualetudinis quod in stomacho prouenit, ac sine dubio curabis. & ut breuiter explicemus (quantum enim constet de laude experimenti, omnem librum possemus replere) hoc facias quod infrascriptum est. Fœniculi radicis illa quę de foris est, tenera sublata pon. I. & semis, per triduum in aceto macerabis, tertia die decoques ipsas radices modicum, colabisque & adiunges in ipso aceto mellis sextarium unum, ita ut simul ferueat ipsum mel cum aceto, & adijcito aloes semiunc. amei unc. unam, masticæ semiunc. asari unam: omnia hęc mixta ieiuno dabis cochlearia tria: quòd si inflatio stomachi, uel intestinorum erit, pulegium bibito uel manducato. Ad inflationes. Rutæ hortensis modicum in potione sarcillum mittes. Ad stomachi dolorem. Folia rosæ quinque uel septem, aut certè nouem, cum piperis granis totidem, trita ex aqua calida bibas. Ex nuce pinea grana numero uiginti purgata, & cyminum quod tribus digitis capere potueris, conteres bene in mortario, additis aquæ frigidæ cyathis duobus, atque earum rerum uncia dimidia danda, uelociter sanat.

Ad calefaciendum stomachum & angustias eius. Cap. VI.

RVTAE, anethi, mentæ, apij, fasciculos singulos decoques in aquæ calicibus tribus, ita ut ad unum calicem redeat, & eam aquam bibes. Ad defectionem & calefactionem stomachi uel nauseam. Absinthium & anethum in aqua decoctum ad tertias, accipias: detergit, calefacit, & consolidat. Ad angustias stomachi, de melle, oleo, & uino, farina hordei, fœnugræci, meliloti, apij seminis, samsuci, camomillæ, absinthij ana unc. duas, accipies & facies cataplasma, & uteris diebus quinque, & habebis horis ternis impositum: bibas autem ipsis diebus ieiunus apozyma radicum apij cum oxymelle. Post cataplasma autē, uteris epithymo hoc. Recipe aloes unc. tres, ireos duas, apij seminis semiunc. nitri unam, baccarum lauri tres, fœnugræci tres, samsuci tres, ceræ semiunc. mellis pro oleo quantum sufficit. Post epithyma autē bibat hieram artegem, & post aliquot dies, bibat costi cochlearia singula, interiecto biduo.

Ad confortandum stomachum. Cap. VII.

MITTES in frixorium sapæ sextarium ex parte tertia, & olei rosacei guttas duas. ubi cœperit feruere, florem fœnugręci & lentis æquali mensura addes. quod cùm fuerit spissatum, pones super stomachum per triduum. Cataplasma ad stomachum confortandum, & stringendum uentrem post fluxum, siue post catarticum. Panem fermentatum mundum coques in uino ueteri siculo, si æstas est: Absinthij herbæ puluis simul coquitur, & inducto panno oleo rosaceo modico, & manu superlito impones: hyeme uero absinthium non mittes, & oleo communi uteris. Confectio epithymi, quod confirmat stomachum. Absinthij succi unciam unam, olei nardini sex, masticæ quatuor, ceræ sex. Item confectio rusticon ad confortandum stomachum, ad nauseam & ad uentrem stringendum, quæ in modum epithymi

conficitur. Recipe dactylos minores numero uiginti, infusos in uino ueteri & tritos, polentæ uncias tres, masticæ duas, absinthij unam, laudani duas, styracis tres: si autem cholicus est, addes meliloti uncias duas, rosæ siccæ unam, omphacij unam, olei lentiscini quod sufficit.

Ad digestionem stomachi. Cap. VIII.

ANETHI semen cum origano & pipere æquali portione in puluerem rediges, accipiesque inde denarios duos in uini cyathis tribus: est enim magnificum. Ad hoc, oxyporium diaciminos. Piper, cyminum, & rutam siccam in puluerem redacta cōmiscebis, & cum oxymelle despumato temperabis, & in dolio recondes, & ieiunus manè cochlearia singula accipies. Oxyporium, quod facit ad digestionem, malaxat uentrem, inflationem tollit, facit & ad colum. Recipe cymini Aethiopici unc. duas, rutæ uiridis semiunc. piperis albi deñ. I X. petroselini autonici sex, zinziberis non permisi semiunc. nitri rubicundi sex, mellis quantum sufficit. Hæc omnia uerò, excepta ruta, tunduntur in aceto tantum quantum possit à puluere bibi die una: alia uerò die teritur ruta uiridis diligenter, & in mortario cum melle miscetur, & sic species quæ infusæ sunt, cōmiscentur: accipiat autem cochlear plenum ante prandium & post prādium. Ad hæc, leuistici semiunc. zinziberis semiunc. piperis albi unc. unam, sylini deñ. tres, lasiris radicis tres. Digestorium membrorum optimum. Recipe leuistici deñ. I I I I. zinziberis unum, petroselini tres, piperis albi unum, cymini unum, careni sextarium unum: hæc omnia tusa & trita miscebis cum passo suprascripto. Catapotia ad digestionem. Absinthij & iris æqualia cum melle colliges, & dabis in lecto secundum uirtutem. Ad stomachum purgandum, & ad uentrem molliendum. Cymas de sambuco elixabis, & manducabis cum impensa secundum uires.

Ad fastidium stomachi, & ad carbunculum. Cap. I X.

CYMINVM Syriacum bonū in aceto infusum siccicabis, & teres in mortario, nucleos quoque infusos, tydartum, fœniculi semen & anethi cochlearia terna simul teres diligenter, addesque piperis cochlearia quinque, & rutæ foliorum septem, & mellis despumati optimi lib. I. omnia simul conteres, & superaddes acetum, æstimabisque ut sit in modum sinapis mediocriter temperati, & repones in doliolo uitreo, & exinde cum pane, uel quibus uolueris cibis utēris, etiam si cum cochleari sorbeas, multùm prodest. Si autem super ipsum in acetabulo liquaminis, cochlear unum melius sapit, & hoc non solùm in prandio utēris, sed & in cœna. Res enim est optima, quæ non solùm ad fastidium facit, uerumetiam corpori prodest. Ad hoc, oxyporium. Recipe piperis albi semiunc. phu semiunc. asari denarios tres, zinziberis unc. unam, mellis lib. duas & semis, uini phalerni sextarios duos, succi cedri acerbi deintus lib. I. mel uerò & succum & uinum coques simul, donec mellis spissitudinem sumat, & tunc species tusas & cribratas admiscebis, & utēris, cochlear plenum ieiunus. Itē ad fastidium intubum syluaticum crudum, siue ex aqua decoctum cum aceto edatur, fastidium tollit. Ad fastidium & marcorem stomachi, in musti ex uuis albis sextarijs sex mittuntur, cydonia quinque non purgata, & totidem mala punica, additurque succi sorborum, rorisque Syriaci sextarius unus, croci semiunc. fici sex, quę omnia ad crassitudinem mellis coquuntur, seruanturque in uase uitreo, atque de ligula sumitur. Porri capitati excocti, & in cibo sumpti cyathus, prodest stomacho laboranti. Antidotum ad fastidium stomachi, & marcorem & dolore coli. Recipe apij seminis drach. sex, petroselini deñ. III. spicæ nardi drach. IIII. myrrhę IIII. cumini IIII. piperis longi sex, piperis albi quinque: quæ omnia simul teruntur, deinde suffunditur mellis gręci despumati quod sufficit, in uase seruatur uitreo; datur à balneo in potione mulsi mixti ex aqua calida ad drach. duas. Ad eos qui ex ęgrimonijs fastidium patiuntur. Betonicę pulueris deñ. sex, ex aquæ mulsæ cyathis tribus bibant aut septem aut nouem diebus ieiuni, ut facilè coquantur. Betonicę pulueris unciam unam in melle ruso decoquito, donec obdurescat, facitoque exinde pastillos quatuor, & cum aquæ calidę cyathis duobus bibant post cœnam. Ad carbunculum stomachi, lenticulas centum crudas comedas. Aceti acri, cochlearia tria cùm dormitum uadis, accipias. Aquæ item calidæ salsę uel quinque haustus bibas. Oui rursum duri medium arsum cùm dormitum uadis, manducabis. Itemque betonicæ poli deñ. unum, cum aquæ cyathis duobus bibes.

Puluis ad tensuram stomachi, uel ad defectionem, siue uomitum. Cap. X.

BACCARVM lauri denarios quatuor, cymini tres, roris marini tres, pulegij tres, absinthij tres, masticæ duos, panis ustulati XVI. hęc omnia in puluerem rediges, & perunges stomachum melle calido. Ad eos qui cibum non continent. Semperuiuam herbam tritam in uini austeri cyatho uno, ieiuno, & post cœnam potui dabis. Ad stomachi solutionē, qui cibum non continet. Gluten taurinum ex aqua resolutum, & in ceroti modum, chartæ inductum, pręcordijs imponitur. Item ad stomachū, qui cibum non continet. Fœniculi succi partes duæ, & mellis partem unam, decoques, donec succus in mellis spissitudinem redeat, & inde dabis ieiuno cochlear unum; nauseam etiam stringit, & pulmonum ac iecoris uitia sanat. Absinthium modicum in aqua decoctum, & ad cyathos duos potui datum, nauseam restringit: si uerò tam concita sit, ut contineri non possit, erucæ ramusculos tres uel quatuor cum mali granati succo contritos, ad sorbendum dabis, statimque sedatur.

Ad

Ad singultum & uomitum. Cap. XI.

MENTAE cacumina cum succo mali granati trita & potui data, restringunt. Contra singultus, unges stomachum melle aut oleo nardino, & supersparges scopas cypressi in testa oui calefactas, deinde pones lanam super fumum tentã calidam, & fascias. Epithyma ad nauseam constringendam. Recipe masticæ unciam unam, nardi duas, adipis anserini uel pullini duas, ceræ punicæ liquatæ duas, croci I. hæc in stagnato uase coques, & in mortarium, ubi crocus tritus fuerit, mittes, & commixta in stomachum mittes. Ad stringendos uomitus, uel ad eos qui escas non digerunt, etiam febre digesta, cataplasma facies: Siliginem pridie in aqua recenti infundes, & alia die herbam absinthij in mortario teres, & super pulpam siligine expressa de aqua mittes, quam simul cum herba absinthij teres, adijciesque aquę cyathũ unum, & mittes in sartaginem, ita ut bene decoquatur, atque induces panno, & calentem stomacho impones, ita ut utatur horis tribus uel quatuor; postmodum tolles, & floccum lanæ tepidum siccum impones stomacho, & sic facies. Ad eos qui cibum continere non possunt, & eijciunt. Betonicæ den. duos, mellis decocti quod sufficiat, pastillos facito, & ex his pastillum unum glutiat ex aquæ calidæ cyathis duobus. Ad uomitum restringendum. Masticæ unc. unam, cymini denarium unum: hęc omnia separatim trita, postea uua passa innucleata permisces, & linteo inductum stomacho suppones. Camephitis herbam mense Iunio collectam & tritã siue cocta, si febricitet, ex aqua calida: si non febricitet, ex uino dabis.

Ad ardorem stomachi & sitim. Cap. XII.

AQVA tepida cum oleo optimo mixta, & data bibere, sitim compescit. Aqua ubi capitella papaueris fuerunt decocta potui datur. Corticem de tremulo, & absinthium uiride uel siccum coques in aqua usque ad medietatem, & dabis cata mane.

Ad cordis dolorem. Cap. XIII.

BETONICAE herbæ, & pulegij, & nepetę fasciculos singulos æquali pondere cum salis modico in uino ueteri decoques ad medias, & ex eo cyathos duos potui dabis. Suprascriptarũ herbarum pulueris denarium unũ in uini cyathis duobus similiter bibat. In lacte item caprino nasturtium coques, & ex eo dabis bibere. Rubi folia trita pectori imponuntur, & succus eorum bibitur. Itemque leporinus adeps cum uino resolutus bibitur, & cor eius siccum in puluerem tritum cum uino datur. Acuculas item pini uiridis diligenter tectas cum uino optimo bibas, & postea pinguibus abstineas, & liberaberis. Item ad cordis dolorem potio mirabilissima. Recipe piperis albi grana XXXVII. lauri baccas nouem, nucleos nouem, rutæ siccæ fasciculos nouem, testam cucurbitæ siccam tritam pensantem libr. II. hæc omnia simul tundes & cribrabis, & exinde dabis cochlear unum in aqua calida; statim enim liberat: calculumque hæc potio mirificè curat. Itemque ad cordis dolorem siue pulsum. Cyminum Aethiopicum commanducabis, & succum eius gluties.

Ad cordis pulsum. Cap. XIIII.

COSTVM, panacę, & fœnugręcũ ęquis ponderibus in puluerem rediges, & cum melle Attico repones cõmixtum, & cũm opus fuerit, cochlear plenum ieiunus cum aqua calida bibas per triduum. Aristolochiam item rotundam in puluerem rediges, & ex eo denarios treis ex uino per triduum bibes. Cataplasma ad cordis pulsum, ac stomachi dolorem, siue iecoris & splenis. Recipe masticæ tritũ, palmulas tritas, hordei & frumenti farinam, uinum uetus quod sufficit: quæ omnia miscebis, & tepefactis illinies pannum, & loco qui dolet, appones. Reupõticum item ex uino ueteri tritum ieiuno potui dabis.

Præcordiorum dolori curando. Cap. XV.

VNIVERSVM præcordia appellamus, quæ aliqui in plura diuidunt uocabula, uocãtes modo stomachum, ubi in causa sit, interdum iecur, interdum præcordia. Hæc cùm se grauauerunt, præter durissimum dolorem, uelocissimam mortem ingerunt. His itaque caninus catulus lactens subinde apponitur, in quem idem uitium transire constat; quo defuncto obrui moris est. Bulbi triti illiti uentri bene molliunt, & præcordiorum tumorem curant. Porri sectiui succum cum lacte mulieris pari portione ieiunus bibas. Ocimum item tritum & impositum præcordijs prodest. Lini seminis sextarius unus, & fœnugræci unus, in aquæ mulsę sextario decocta calida sæpius imponuntur: Sed aliqui malunt fœniculi farinam cum pari mensura mellis decoquere, ut ita imponatur. Cydonia cruda uel cocta ceroti modo, panno illiniuntur, & calefacta, præcordijs superimponuntur. Radix item aceris tusa cum uino efficacissime prodest. His quos linquit animus aut mens, & alienãtur, quibusque uertigines fiunt, Cochleę singulæ cum sua testa tritæ ex passi cyathis tribus calefacta potione per dies nouem dabis. Aliqui in eadẽ curatione dant per dies quinque in eadem passi mẽsura, prima die cochleã unam, sequẽti duas, tertio tres, quarto duas, quinto unam. Eademque curatione suspiria tolluntur. In his lãguoribus si febris non sit,

marina aqua lauari utile est. Iocinori prodest in cibo uiuaria porcelli modo assata, stomachoque medetur. Et item si fieri potest, cochleæ Aphricanæ in cibo sumptæ coquuntur intactæ ex aqua, deinde in prunis torrentur, tunc ex uino & garo eduntur impari numero, sicque etiam stomachi dolori medentur. Prosunt item uiuæ cochleæ ex aceto deuoratæ. In hoc languore, aqua marina lauari prodest. æstimo præcordiorum esse uitium, cum cibi non continentur: certè cùm hoc accidit stomacho, laborare ipsum oportet, horum potione infricatur uenter. Ossa fragi arefacta prosunt, etiam si teneantur in manu, dum cibus sumitur. Non est ab re, compositionem operi conuenientem ponere, quæ stomachi fastidium & marcorem detergit celerrime. in musta ex uuis albis congio coniiciuntur cydonia quinque non purgata, totidem mala piciereo, additur sorborũ sextarius, roris Syriaci sextarius, croci Siculi semiuncia, fici optimi semiuncia; sic coquatur usque ad crassitudinem mellis; inde in die lingula esui sumitur: seruatur in uase uitreo; fit efficacissima potio, compositione ita scripta. Apij seminis aridi uncias sex, petroselini Macedonici unc. IIII. spicæ nardi uncias quatuor, opij quatuor, myrrhæ quatuor, scyni uncias quatuor, piperis longi uncias quinque, piperis albi uncias quinque; hęc unà teruntur cum melle græco despumato quod satis est, seruatur in uase uitreo; à balneo datur ieiuno in potione mulsa mixta ex aqua calida unciæ duæ. Ad præcordiorum & iecoris dolorem. Leporis hepar tritum ex uino, siue sicci puluis in aqua datus, hepatis simul dolorem & fastidium aufert. Antidotum ad hoc. Recipe costum, zinziber, fœnugræcum, cyperum & piper pari portione, adiecto ępatorio cum melle despumato, quod in uitreo uase repones, & exinde denarios duos dabis bibere in passo Cretico cum careno. Lini item semen de ñ. pondere, fœniculi quoque tantundem ex aqua mulsa decoctum, in panno, dum adhuc calidum est, præcordijs impones. Ad concoctionem. Hysopum cum oxymelle ieiunus, uel post cœnam bibat. Lasaris uini modicum & aquæ frigidæ sextarios tres dilues, & dormitum eunti dabis bibere. Digestorium, quod recipit mellis Attici pon. unum, betonicę uncias quatuor; in uino hæc permiscebis & feruefacies, & cùm refrigerit, facies pastillos nucis auellanæ magnitudine, & in cœna manducabis. Si uerò uenter torquetur, betæ radices cũ oleo coques, & bibes.

Ad ligulam & uomitum. Cap. XVI.

THVRIS masculi & masticæ æqualia pondera trita cum oui albore miscebis, & impones, & triduo directum sic esse permittes. Hoc enim & uomitum sistit.

Hepati curando. Cap. XVII.

MYRRHAE unciam unam, aloës hepaticis unam, costi unam, fœnugræci unam: omnia in puluerem redacta, & in uino permixta seruabis, & dabis in careno cochlear plenum calefactum, ita ut in ipso latere diutissimè iaceat. Asphalti unciam unam, costi denarios tres, folij scrupuli tres, meliloti denarios tres, uini Aphri sextarius unus tollitur, primumque alias species teres diligẽter; postea adiecto asphalto simul teres, & bene commisceãtur; superaddes uinum, & simul miscebis, & in ampullam mittes, & ex eo tres potiones facies; & cùm uolueris accipere, ieiunus in solario calefactum accipies; & cùm exieris, in ipso latere iaceas, & hoc per triduum facias. Sal ammoniacum, aloës & piperis grana undecim, trita cum uino bibuntur. Piper tritum ad cochlear unum, & picem uirgineni ad cochlear unum, commiscebis, & in uino ueteri per triduum dabis. Sagacem item lapidem accẽdes, & in aqua calida extingues, & antè quã dormitum uadat, dabis ei bibere per triduum, & sanabitur. Trifolij itidem albi succum cum lacte uaccino, siue cũ uino per dies quatuor potui dabis, hocque à dolore liberat. Violę rusticæ succi cyathos duos cum melle modico, & uini hemina, calidos propinabis per triduum: si quod intus in hepate malum est, remediabitur; ac sanatur in quatriduo ubi miseris, qui etiam à medicis fuerit desperatus. Maluæ agrestis succi cyathos tres cum aquæ calidæ cyathis duobus potui dabis per dies quatuor, liberat & febrem auertit. Meliloti succus cum melle partis unius decoctus & sumptus, dolores inhibet. Cyminum, item mel & uinum crudum teres diligenter, dabisque bibere. Item lupinos, costum, zinziber, & herba, quæ dicitur laccar, unde uermiculatæ pelles tinguntur: horum omnium puluerem ad cochlearia singula miscebis, & exinde cochlear plenum hyeme incondita potione dabis; in æstate uerò manè & serò: febricitantes autem in aqua calida accipiant. Si uerò per tempus locus hepatis fuerit induratus, ante potionem, ita duritiam conuenit emolliri, ut prosit. Guttæ ammoniaci uncias duas uel tres teres, & cum aceto acerrimo miscebis, & mittes in ollam nouam, & superaddes parum aceti; & tandiu coques, donec ad spissitudinem mellis perueniat, & exinde perlinies loca dura, & si stomachus fuerit durus, plurimum ei quoque prodest, suppones etiam chartam puram, atque fascias, statimque tollet omnem duritiam; & uinum satis non bibat, nec carnem manducet, donec sanus fiat: quòd si habuerit pullum, uiscellatum edat: sin uerò buccellas anetatas cum sale & oleo, porro & apio coctas, oryzam atque bene conditam ac piperatam: Legumina uerò non manducet, nec holera, exceptis porris & apio coctis; unde & uinum bibat. Pentaphyli radix ex aqua decoquitur, & ea aqua cum uino mixta bibitur; si febricitat qui accipit, mulsa ex aqua facta propinabitur. Ad hepar, confectio. Recipe succi costi unciam unam, amomi unam, folij unam, stellas absinthij paucas, stercoris hœdi lactentis pillulas quadragintaduas; tundes omnia ueteri sabateno calefacto. Potio ad hepar mirabilis. Ammoniaci semiũc. in uini Spani hemina decoques in olla noua, donec soluatur pigmentũ, & remaneat potio in calice bono; deinde colabis, & in ampullam mittes,

mittes, quam suspendes ad noctem in aere, & prima luce accipiat: ita tamen ut nihil accipiat, sed purum bibat, & iaceat in dextro latere diutissime; atque ita facies uerni & autumni tempore. Item hederæ baccas collectas mense Ianuario, numero uigintiquinque, & piperis tantundem teres, & cum myrrha calida ieiuno dabis. Costi semunciam, aloes hepaticis unc. unam, masticæ duas, eupatorij unam, piperis duas, amomi semunciam, reupontici tantundem, aloes uerò & masticæ simul tundes, cętera teres & cribrabis omnia, & commiscebis, & dabis cochlearia singula cum succo fœnugræci decocta. Quartum uerò ante diem, succum fœnugręci infundes, & adiecta aqua coques, ita ut prima aqua & secunda absumatur: tertia uerò aqua cùm cœperit feruere, addes fasciculum pulegij, & coques, ipsumque succum seruabis: & accipias ieiunus cochlear unum pulueris suprascripti quotidie in succo tepefacto. & si amarizauerit, adijcies mellis cochlear unum. sed postquàm biberis, tenso brachio iaceas. Fœnugręcum purgatum uino ueteri infundes, donec intumescat, & iterum siccabis, hocque facies, quoties in die potueris, à mense Iunio usque ad mensem Augustum; postea in puluerem mollissimum rediges, & addes pulueris costi tantundem, dabisque, ac simul miscebis cochlear plenum in careno optimo, ieiuno, & sic iaceat. Myrrhę, aloës, costi, fœnugræci ana unciam unam tolles, omniumque puluerem in unum mittes, & dabis cochlear plenum in careni calice pleno & calefacto, ac superiaceat. Potio ad hæc. Recipe bacchani unciam unam, semunciam piperis, semunciam aloës; tundes hæc, & mollissimè cribrabis, accipiesque cochlear plenum in mellis cyathis tribus. Alia potio. Caules uirides in carbonibus combures, & in puluerem rediges in cuius unam unciam, piperis semunciam mittes, & dabis cochlear unum in mellis cyathis tribus. Caulium tyrsos siccos cinerem repones, & cùm opus fuerit, mittes cochlear plenum cum piperis triti granis undecim in uini ueteris calicem, ac calefactum dabis bibere: Secunda uerò die mittes piperis grana noue, tertia die octo. Acori unc. I. amei unam, in puluerem mollissimum rediges, dabisque cochlear unum, sanis in condito, febricitantibus cum mellicrate. Piperis albi, folij, costi, rutæ seminis, spicæ nardi, succinianæ denarios tres, commiscebis, & cochlear unum cum uini calice, potione calefacta dabis bibere. Fœnugręcum cum uino styptico infundes, postea ad solem siccabis: hoc facies uel septies, uel octies: & huius pulueris uncias quatuor, piperis unam, eupatorij, folij, costi, petroselini, gentianæ, anisi, amygdalæ amaræ, amei ana unciam unam: hæc omnia singillatim teres & cribrabis, miscebisque simul, & iterum teres, ac dabis cochlear unum ieiuno in condito: febricitanti uerò in calida aqua. Baccas lauri quinque, piperis grana uiginti uel triginta, teres mollissimè, & mittes in calicem, & postea uino ueteri perfundes ferrum candens super calicem, commiscebisque, ac sic bibes, & iacebis. Aliud ad hæc. Intyborum agrestium succi, quem Græci dicunt cytroxinum, potionem unam colatam, miscebis cum potione cõditi, & addes pulueris costi cochlear unum, & piperis grana decem, dabisque ieiuno bibere, & iaceat in latere horas tres uel quatuor. Laccar reuponticum ad denarios duos uel tres, & ex eo puluere cochlear plenum in uino Hadriano dabis, febricitantibus uerò in aqua calida, & superiaceant. Aloes hepaticis den. tres, folij duos, in puluerem rediges, & in aqua dabis ieiuno, modicè tepefactum, & deambulet quantum potuerit. Lauetur ieiunus, accipiat sanè mel, & intermisso triduo iterum accipiat: hoc enim plenè est utile. Syluestris rutæ fasciculos tres in ollam nouam conijcies, & cum tribus heminis aquæ feruefacies, & postea adijcies mellis uncias tres, & rursum subferuefacies, & per triduum potui dabis: hoc & iecoris dolorem sanat. Puluis ad hepatis dolorem. Recipe aloës unciam unam, piperis grana undecim, lupinos quindecim, corticibus suis expoliatos torrebis: & mittes per singulos cochlearia singula per triduum in potione conditi, & calefacies, & dabis potui. Pinus acritulæ uiridis in uino optimo tritę, ac potui datæ, citò prosunt. Saliuam item equi, quem tussis intolerabilis uexat, ex aqua calida per triduum bibat: hac enim potione quamuis æger sit, sanabitur. Folij unciam unam, costi semunciam, piperis grana quinquaginta, baccas lauri triginta, tundes, & cum succo intybi syluatici potionem maiorem per triduum bibat, & in ipso latere iaceat: Itemque per singulas potiones, pulueris tertiam partem accipiat. Aliud ad hepar, & ad splenem. Costum, gentianam, aristolochias ambas, baccas lauri, & piper pari pondere in puluerem redactas seruabis: & cùm opus fuerit, dabis in uini ueteris potione. Potio item ad hepar. Recipe eupatorij uncias duas, costi duas, piperis unam, mellis quod sufficit. Ad hepar & ad renum dolorem, & ad stomachi imbecillitatem. Cyperi unc. I. castorij I. acori I. hæc omnia tusa & cribrata, cum uino & melle dabis, febricitantibus uerò cum mulsa, cochlearia singula, uel secundum uires. Ad hepar item, palmæ & caricę in aceto coctę comeduntur, optimeque hepar curant. Brassicę folia trita & in modum ceroti imposita per triduum, inueteratum hepaticum sanant. Betonicę item herbæ siccæ puluis cum oleo sparsus, & in modum cataplasmi calidi in panno, pectori & dextro lateri impositus, quarto die sanat, & si per os sanguinem mittet. Item ceruinos pulmones cum suis gurgulionibus uirgulis extendes in fumo, donec arescant, deinde conteres, ac ex melle colliges, & dabis edendum hepaticis. Est enim res saluberrima, & præsentaneum remedium, quod desperatos sine dubio sanat. Ad hepar & splen. Centauriæ maioris drachmam unam in uino decoques, & potui dabis, optimè sanat. Confectio olei hepaticis. Recipe mirabolani unciam unam, stafisagriæ duas, pyrethri unciæ quartam partem, nardi sextarij sextam partem, poliaris maliginatæ uncias duas, cypharij unam, absinthij unam, masticæ unam, croci unam, styracis unam, laudani unam & semis, folij unam, nardi celticæ unam, squinanti semunciam, amomi unam, cassiæ fasciculæ unam, meliloti unam, ireos unciæ partem sextam, enantis unciam unam, anisi com as unam & sextam partem: omnia uerò hæc sicca infundes uino, & cum uino coques in olei sextarijs quinque, & post hæc

admiſcebis nardum, & ſic uteris. Vnges locum cum ipſo oleo, & cum perunxeris, impones deſuper flocci lanæ, & iterum frigis in oleo, & cera addita perunges. Emplaſtrum ad hepar. Recipe picis uncias duas, ſulphuris duas, nitri duas. & hęc omnia in puluerem redacta, commiſcebis, & in chartam uel in pannum pones, & triduo uteris, ita ut in balneo & ponas, & tollas. Epithyma ad hepar. Recipe ceræ libram unam, reſinę terebinthinæ unam, fœnugræci tuſi uncias octo, ſampſuci florum octo, baccarum lauri octo, nitri rubei duas, olei cyprini libram unam, & unc. tres, uini ueteris heminam: omnia ſicca tundes, & cribrabis, & cum uino ueteri teres horis tribus, deinde reliqua ſolues & colabis, & ſicca his quæ cóſperſa ſunt, miſcebis, & colliges in uaſe uitreo uel fictili, & uteris: ita ut foueas hepar cum oleo ſampſucino. Si autem uolueris medicamentum & unctionem facies, mittes nardi uncias tres, medicamenti quatuor. Epithyma ad dolorem hepatis & tenſuram ſtomachi. Recipe croci unc. unam & ſemis, aloes hepaticæ unam, maſtichæ unam, guttæ ammoniaci unam, bdellij unam, ſtyracis pinguis & ceræ lib. unam, adipis anſerini unc. duas, hyſopi ceroti tres, olei roſati ad æſtimationem, ut non ſit nimis durum uel molle, uini ueteris quantum ad ſpecies terendas ſufficit. Elecmadium ad hepaticos. Recipe coſti unc. unam, euforbij denarium unum, eupatorij nouem, croci tres, piperis ſex: omnia ſimul tundes & cribrabis, addes mellis deſpumati pond. duo, feruefacti tantum, & ex eo dabis cochlear unum & ſemis. Elecmadium ad hepar. Fœniculi radicis groſſioris corticem tundes de ligno in lignum minutiſſimè, & eius libram unam, & uncias quatuor, & infundes in ueteri aceto acerrimo in uaſe mūdo diebus ſeptem, deinde teres in mortario, & addes paulatim acetum, donec mollitiem ceroti ſuſcipiat, & in ipſo mortario aperto maneat; alio die colabis acetum, & exprimes radices per linteum mundum in uas ſtagnatum, & addes mellis optimi ſextarios quatuor, & coques ad carbones, ſemper agitando, & tandiu donec ad ſpiſſitudinem mellis redeat; & dum adhuc in foco eſt, addes infra ſcriptum puluerem pigmentorum; aloes uncias tres, folij duas, ſpicę nardi duas, gingiberis ij. ſane ſingula membratim mittes, & ſemper agitabis, & poſtquàm laueris ſimiliter donec refrigeſcant, repones in doliolo uitreo uel plumbeo, claudes & ſignabis. Electuarium hepaticis. Recipe piperis unciam unam, gingiberis tres, epithymi tres, rutæ uiridis foliorum ſemiunciā, aloes hepaticę ſemiunc. coſti unc. unam, fœnugręci ſemiunc. aceti albi unc. ſex, mellis optimi deſpumati pond. quatuor; dabis ieiuno cochlearia duo. Trociſcus ad hæc. Amomi deñ. ſex, ſpicęnardi tres, croci tres, coſti tres, eupatorij duodecim, lupini pollinis tres, myrrhę tres, glyciricæ duodecim: & omnia tundes & cribrabis diligenter: ex uino uerò phalerno colliges, & facies trociſcos in auellanæ modū, quorum ſingulos febricitantibus dabis cum aquā calida, ſanis uerò cum uino. Antidotum hepaticon. Recipe praſſium, gentianam, petroſelinum, acitonicum, ſinapis ſemen & cucumeris hortulanæ, radices enulæ, omnium ana unc. dauci cretici ſeminis unc. I. abrotani I. ſeminis caulium I. ariſtolochię I. piperis albi ſimiliter, erucæ ſeminis ſimiliter, eringij ſimiliter, caſtorij pontici ſimiliter, folij ſimiliter, opij radicum ſimiliter, eupatorij ſimiliter, iuniperi ſimiliter: omnia hæc tundes & cribrabis ſubtiliſſimè, & cum melle Attico deſpumato commiſcebis, & dabis in modum auellanæ maioris in oxymellis cyathis duobus; adduntque aliqui ficatum lupi ad denarium unum. Trociſcus hepaticus. Recipe piperis drac. ſex, gingiberis tres, dauci Cretici tres, petroſelini unā, aniſi duas, aſari pōtici II. petani II. uernigarij II. coſti octo, aceti & mellis quātum ſufficit. Antidotum Athanaſij hepaticis. Recipe ſtyracis drach. IIII. caſſiæ ſimiliter, glycyrrhizæ tres, croci ſimiliter, opij II. ſpicęnardi quatuor, mellis cotylam dimidiā. Antidotum hepaticis. Recipe fœnugræci unc. I. eupatorij ſimiliter, coſti ſimiliter, abſinthij pontici comarum ſimiliter, mellis optimi deſpumati pondera duo. dabis autem ſic. Pulegij ſine fumo & apij uiridis faſciculos ſingulos in aqua fontana ad tertias decoques, & in hāc aquā ex ſupraſcripto antidoto mittes in modum auellanæ, dabiſque ieiuno bibere, ita ut in ipſo latere iaceat ſemihora, hocque facies per triduum. Cófectio potionis ad hepar, de cotonijs. Intus & foris cotonia purgabis, & confringes in pila, ac pilo ligneo, poſt biduum tundes diligenter, & exprimes in preſſorio, & mittes in ſucci ſextarios duos, mellis duos, & aceti acerrimi dimidium ſextarium, & in olla noua ad carbones diutiſſimè decoques, donec in mellis aquatici modum redigatur, agitādo ſemper dum coquitur, & repones in uaſe uitreo: quòd & ſi thermāticum facere uolueris, mittes in hunc modum; Piperis triti unc. I. gingiberis ſimiliter, & diligēter permiſcebis. Si autem maius thermanticum facere uolueris, maximè ad hepar, Mittes in hunc modum, Gingiberis non pertuſi uncias tres, & piperis albi duas, tundeſque cotonia, & exprimes ſuccum, & adiecto melle & aceto, in uaſe duplici coques, donec ad mellis ſpiſſitudinem redigatur, dabiſque cochlear plenum manè: & ſi fuerit opus, etiam ſeró. Ad hepar, oxymel ſquilliticum ſic facies. Squillæ purgatæ in cārgo tenero unc. uiginti, petroſelini acetonici tres, origani, thymi, pulegij ſimiliter, hyſopi tres, polypodij, epithymi tantundem: omnia hæc infundes in acetum acerrimum duodecim ſextariorum mane, & aliá die coques ita, ut tertia pars decoquatur; deinde colabis acetum, & addes mellis thymini deſpumati ſextarios quatuor, & decoques lentos ad carbones in uaſe duplici; & poſtquā leniter coxeris, in uaſe ſpicato ſeruabis, accipieſque ex eo cochlearia duo uel tria: hoc autem & uentrem temperat. Epithyma ad hepar. Recipe ſpicęnardi unciam unam, coſti unam, aloes duas, guttę ammoniaci duas, bdellij duas & ſemis, nardi libram unam & ſemis, ſtyracis duas, ireos unam & ſemis, ceræ libram unam. Antidotum diagentianæ ad hepar. Recipe gentianæ unciam unam, helenij, abſinthij, herbæ ſpicæ, ana ſemiunc. dabiſque cum condito cochlear unum: ſi febricitat, cum aqua calida. Antidotum hepaticon ſiue ad ſcyroſin eius. Recipe croci uncias duas, ſpicę ſimiliter, caſſię quatuor, myrrhę unam, coſti ac ſquinantij ſimiliter, ſtactis ſimiliter, mellis unc. XXXV. dabis ſcrupulos quatuor cū oxymelle.

Diateſſaron

Diatessaron hepaticis. Recipe eupatorij drachmas quatuor, fœnugræci sicci & ireos similiter, dabisque cum oxymelle cochlearia duo. Ad hepar, de lactucis agrestibus. Squillæ unc. duas, & cochlear unum mellis miscebis, & addita aqua calida temperabis, & sic bibes. Pulueris costi unciam unam, piperis semiunciam, fœnugræci unciam unam. si non sit febris, dabis in uino: febricitanti uerò, in aqua calida. Item baccharis unc. unam, piperis semiunciam, costi denarios sex, fœnugræci uncias tres, cum oxymelle dabis cochlear unum. Item picis spanæ tritæ cochlear unum, piperis unum, & modicum rutæ dabis cũ uino Hadriano. Rubeæ item siccæ radicem collectam mense Augusto, in puluerem rediges & miscebis, & infundes cochlear unum ieiuno, & ita facies per triduum: abstinebit enim à pomis & omnibus frigidis. Ad hepatis dolorem, cataplasma. Recipe aphronitri cypharij unc. quindecim, lini seminis manum plenam, farinæ hordeaceę duas manus, ex quibus in oleo cataplasma facies & impones. Cetria locum unges, & sulphur tritum supermittes, ita ut totum locum teneat: Lanam succidam superpones & fascias, cui castoriũ in potione dabis, si sit febris, in aqua: si uerò nõ sit, in uino, & superiaceat. Epithyma tolcopini ad hepaticos, quia nõ est ei simile aliud. Recipe fœnugræci, sampsuci, baccarum lauri, ana drachmas quinque, enulæ, piperis, ana sex, nitri octo, ceræ septuagintaquinque, olei cyprini libram unam, uini optimi cotylam unam. Caules uirides teres diligenter, & cum melle calido miscebis, atque ad latus quod dolet, pones.

Potio ad hepaticos experta. Recipe costi semiunciam, fœnugræci unciam unam, comarum absinthij drachmas duas, baccarum lauri similiter, cymini frixi similiter, eupatorij unam; dabis cum uino aut aceto. Aliud ad hepar, expertum. Recipe fœnugræci uncias duas, costi, piperis, eupatorij, picis siccæ, ana unc. unam, dabisque ex eo secundum uirtutem accipientis cum mellicrate. Facies autem electuariũ cum melle despumato, & si uolueris, sic dabis. Ad hepar, expertum. Recipe sacchari unc. unam, asphalti Iudaici denarios quinque, piperis grana quinquaginta, cariophili uiginti, reupontici unc. unam, folij deñ. tres, aloes hepaticis sex. quæ in uino ueteri dabis ad denarios quatuor. Epithyma hepaticon. Recipe adipis anserini unc. sex, taurini ac porcini & medullæ ceruinæ similiter, hyssopi unc. tres, terebinthinæ duas, cerę sex. Epithyma hepaticon. Recipe medullæ ceruinæ unc. duas, adipis gallinacei, anserini ac porcini similiter, apozimati similiter, ceræ libram unam. Cataplasma hepaticis. Recipe masticæ unc. unam, cymini duas, apij seminis duas, meliloti unam, absinthij unam, fœnugræci sextarium unum, hordei unum, lini seminis unum, dactilos undecim, facies cum mulsa.

Spleni quomodo succurrendum. Cap. XVIII.

SPLENIS dolori solea piscis contrà ligatur. Torpedorum & buscum, si uiuidum superligatur, bona medicina est: sed prius quàm soluitur, in mare remittitur. Aqua bibitur in qua holera decocta sint, addito sale. eius qui quotidie ieiunus serum ederit, lyenem consumi certum est. Sarmentorum cinis aceto conspersus binis cyathis ex aqua ei dabitur: is qui curabitur, in lyenem iacere debet. Acetum bibitur, & in spongia apponitur. Gummi hederæ poti uel illiti prosunt. Hederaceis uasis in potione semper utendum est. Pecudis lyen recens super dolorem extenditur. Caninus lyen uiuenti eximitur, & laboranti in cibo datur, & liberatur de uitio lyenis. Catulus duũm dierum datus ignoranti ægro in cibo & aceto iuuat. Idem & lyen erinacei præstat. Cochlearum cinis cum lini semine & urticæ addito melle imponitur, donec sanetur. Lacerta uiridis uiua in olla ante cubiculum dormitorij suspenditur, & egrediens & regrediens manu tangat hoc, sedat lyenem. Fel apri uel suis potum, cerui cornu cinis potus ex aceto, equi lingua inueterata ex uino bibita ualet. Præsentaneo remedio lyeni bubulus assus recens uel elixus in cibo. Allij capita uiginti tusa cum aceti sextario imponantur. Hœdi lyen impositus idem pręstat. Radices uiolæ lotæ ex aceto illiniuntur. Agarici oboli duo in aceto mulso poti per dies uiginti, consumunt lyenem. Defunctos obrui oportet uespertiliones, quorum sanguine si uenter fuerit contactus, in totum annum cauentur uitia interaneorum. Cornu ceruini teneri cinis cum cochleis Africanis, cum testis suis tusis mixtus, datur in potione uini: facit optimè ad colum potio, cuius compositionem tradidimus in præcordiorum curatione, subiecta orificio. Hederæ & gladioli succus pari mensura cum passo calefactus, potui datur ad idem. Sulphuris uiui, cardamomi, ammoniaci, thymiamatis, bdellij, mirabolani, ceræ, nitri rubei mundi, ana uncias singulas simul miscebis, & facto emplastro uteris, solicitusque eris ex die qua cœperis sanguinem per urinam mittere, nec amplius quàm triduo habeas impositum. Ammoniaci chymiati libras tres, ceræ tres, resinæ terebinthinę uncias octo, bdellij octo, thuris quatuor, myrrhę quatuor, galbani octo, olei cyprini libram unam & semis; ammoniacum autem & thus cum aceto acerrimo teres: cum uino uerò optimo ueteri, bdellium & myrrham, terebinthinam & galbanũ cũ oleo solues: & omnia simul miscebis, & linteo inductum spleni superpones. Cataplasma ad splenem.

Recipe caricas Germanas pingues numero uigintiquinque; quas mittes in ollam nouam aceti ueteris acerrimi plenam: & tandiu feruere permittes, donec caricæ excoquantur, & acetum fiat, sicut mel aquaticum, & inde leuabis caricas & teres diligentissimè, & ex eo per triduum, splenem cataplasmabis. Aliud cataplasma. Recipe rutæ tritæ partem unam, herbæ uetraginis tritæ partes duas, bulborum ruborum in aqua coctorum & tritorum tantum, quantum ambę herbæ habuerunt: postea omnia simul terendo cum aceto & melle, unum corpus efficies, & inductum panno tepidum spleni superpones: cùm uerò sudare cœperit, tolles, & alia die nouum appones. Ammoniaci uncias tres, aceti tres, ceræ unam, olei unam, coques & cum aluta superpones. Ad splenem & ad hepar: Gypsi florem cum aceto acerrimo in uase fi-

ctili cõsperſum,& in modum cataplaſmatis ſubſolutum,tepidumq́ue panno illitum impones, ita ut etiã ſanas partes tegat.poſt triduum ſolues,& iterum ſecundo impones, & tertiò ſimiliter omnem duritiam ſplenis & hepatis extenuat.& nulla holera neque legumina edat,ſed carnes aſſas,& uinum ſtypticum bibat.miraberis huius rei effectum. Semen caulium cum aceto acri teres,& linteo illitum impones,quãtum ſplenem tenet,ſed ſubter ad carnem pones alia flagella ne comburat,ad horas quinque,aut ſeptem,prout ferre potuerit: lauet etiam ſanè poſt unam aut duas hebdomadas. Inijciatur de adipibus,& butyrum cũ oleo,teneat iniectione quandiu potuerit: quam cùm ingeſſerit,inuenies aliquando ſimul carere ſplenem. Radicis cicutæ libram unam in uino ueteri in modum malagmatis ſpleni ſuperligabis, & ante quatuor dies non ſoluas. Certiſſima enim eſt iſta medicina, & remedium laudabile. Cui ſuprà herbam uerbenã quam Græci probaticam uocant,contundes cum axungia ueteri,& inductam panno albo mundo, ſpleni ſuperpones,& dolorem ſedat,& uidebis locum ſanguineum qui doluerat. Cui ſuprà cardamomi drachmam unã, pyrethri octo,thuris denarios duos,ſinapis unum,fœnugræci quatuor: omnia tuſa in aceto colliges,& ex eo fricabis locum ipſum nitro. & ſic appones emplaſtrum ſuprà ſcriptum,& ligabis hora prima,& ſecunda,& amplius ſi ferre potuerit.poſt hęc,uadat ad balneum tepidum,& ſublato foris cataplaſmate,lauet; poſt balneum uerò utéris ceroto. Cui ſuprà probatiſſimum. Sinapis,cardamomi, fœnugręci,lini ſeminis,mirabolani ana drachmas octo colliges,cetria cocta admixto aceto ſcyllitico, & uteris ante balneum: & poſtquam uſus fueris,per urinã ſanguinem egerit. Item cornu cerui cinis potui ex aceto datur. Cataplaſma ad ſplenem,quod in modum malagmatis imponitur uel ſuperinducitur. Recipe aceti acris calicem unum,mellis tantundem,farinam hordei & fœnugræci æquali pondere, lini ſeminis mediam partem,ammoniaci unc.tres,bdellij tres,iris duas,abſinthij unam,ſquinantij unam;hocq́ue tribus uicibus utéris. Malagma ad ſplenem. Recipe pulegium, abrotanum,maſticam, nepetam pari portione trita in puluerem,ceræ & mellis libras ſingulas,nitri uerò uncias ſex,guttæ ammoniaci libram unã, adipis taurini unciam,iris ſex,reſinæ terebinthinę libram unam,aceti quod ſufficiat, confectumq́ue lateri impones. Ad idem. Reſinæ frixæ libram unam, terebinthinæ uncias ſex, pituinæ libram unam, aluminis ſciſſi unc.unam,auripigmenti unc.unam. Malagma ad ſplenem,optimum. Aliud. Recipe ſinapis ſemiunciam, mannę thuris denarios ſex,rutę ſemiunciam, aphronitri ſimiliter, radicis capparum denarios octodecim, guttæ ammoniaci ſemiunciam, mirabolani unciam unam & denarios tres, ac de minoribus mirabolanis denarios unum & uiginti, ſquinantij ſemiunciam, fœnugræci & cardamomi ſimiliter, cerę uncias nouem & denarios nouem, reſinæ frixæ libram unam, mellis quartarium, olei irini fæcis heminam, aceti acris ad terenda pigmenta ſextarium unum. Ad ſplenem ſiue ad duritiam eius. Ex lolij mundi farina cum ſapa facies cataplaſma,& impones; & dabis bibere herbam artemiſiã.

Item malagma ſpleneticon. Recipe calcis uiuæ unciam, ſtypteriæ unam, cerę libram unam,reſinæ frixæ unam,pituinę unam, olei unciam unam. Malagma ad ſpleneticos, hydropicos, & hepaticos. Recipe apij ſeminis, aniſi, ireos, cardamomi, cyperi, meliloti, panacis radicis, nitri, ſquinantij, uncias ſingulas & ſemis,ceræ uncias ſex & ſemis,ammoniaci ſex, terebinthinæ ſimiliter,ſeui taurini ſimiliter, aceti ſextarios duos, mellis uncias quatuor: omnia uerò ſicca in puluerem redacta,cum reliquis permiſcebis,& utêris. Potio ad ſplenem. Ilicis ramuſculus cum folijs,ſimiliter & ſalicis in uino decoquitur ad tertias, & idem uinum in potione datur; curat enim interiora omnia. Rutę item agreſtis manum plenam decoques ex uini conditi ſextario uno & ſemis, ut redeat hemina, dabisq́ue ante lucem bibere per triduum, & in eodem latere dormiat, & uſque ad horam ſeptimam deambulet. Corticis ex radice capparum cochlear plenum teres, & dabis bibere cum aqua calida, addens ſi uolueris,permodicum acetum, hocq́ue per triduum facies, & ſanus eris. Saccellum ad ſplenis dolorem. Hederę folia in aceto decoques, & ipſo aceto furfures & feruefacies, & ita ſaccellabis. Vlmi radices uirginis ſine ferro leuabis,& ita torrebis in furno,ut tundi poſſint & cribrari, & cum aceto acri commiſcebis Luna decimaſeptima, & per triduum potui dabis. Trociſcus ad ſplenem. Recipe croci uncias duas, origani florum duas, pyrethri duas, rutæ duas, tundes omnia & cribrabis, & colliges ex aceto,& facies trociſcos penſantes denarios tres, & dabis cum poſca: alij addunt & erucę ſemen. Ad duritiam uel dolorem ſplenis. Veſicam porcinam recentem aceti acerrimi plenam pones ſuper duritiam ſplenis, & ita faſciabis, & non lauetur per triduum, nec ſoluetur; poſtea ſolues & inuenies ueſicam uacuam,& duritiam emollitam, & dolores ſedatos: eſt enim res phyſica & probatiſſima: poſtea dabis potionem talem; herbam contrariam, qualem uolueris,in puluerem rediges, & eius pulueris cochlearia tria, herbæ ſauinę pulueris tria,picis uirginis pulueris tria: omnia cribrabis, & inde dabis ieiuno in uini potione cochlear plenum, febricitanti uerò,in aqua tepida, nec pix remaneat cũ reliquo puluere. Item ammoniaci uncias quinque,myricæ ſeminis unam,capparis foliorum unam,nitri Alexandrini unciam ſemis,teres ac permiſcebis,dabisq́ue in oxymelle. Lupini amari farinam, ſauinæ quoque farinam pari portione miſcebis,dabisq́ue cochlear unum in oxymellis cyathis tribus. Item ad ſplenem acetum ſquilliticum facies ſic. Squillæ corticis cõminutæ pond. tria mittes in dolium uitreũ cum aceti acerrimi ſextarijs quinque,ac pones in ſole calido diebus canicularibus, ut macerentur per dies quadraginta, & ex hoc aceto dabis ſplenetico cochlear plenum,& poſt horam celerius manducet, quia res eſt ualde uehemens,qui nunq̃ illo uſus fuit, addesq́ue illi modicum mellis: & hoc non ſolũ ſpleneticis ſaluberrimũ eſt,ſed & ſtomaticis & phthiſicis plurimũ prodeſt,necnõ & ſanguinem excreãtibus,ſed & cõtra oẽs morbos interaneos facies,& perunges. Fiet autem ſic. Mittes ex ipſo aceto in ollã nouã cochlearia quinque

cum

cum olei hemina, atque simul coques, & superaddes sulphuris uiui cochlearia quinque, & ceræ modicum, iterumque simul ferueat, dum excoquatur acetum, postea tolles & agitabis & ex eo infundes, scabiem & pruriginem perunges. Epithyma ad splenem. Recipe ceræ libr. unã & semis, guttæ ammoniaci similiter, seui taurini lib. unam, panacis radices uncias sex, cyperi sex, cassiæ tres, croci unam, cardamomi tres, dauci cretici similiter, olei cyprini lib. tres; ceram uerò & terebinthinam ac seuum taurinum solues in unũ, & admiscebis species tusas, & cribrabis: Crocum uerò, & succum absinthij infundes in uino ueteri, & teres in mortario, & admiscebis. Item ammoniaci uncias tres, & thuris masculi duas: teres cum aceto in modum ceroti, & cum aluta superpones. Folia caulium trita & calefacta, panno illinies ac superspargés thuris masculi puluerem, & impones. Florem item salicis tundes cum modico lacte caprino, & in dolore impones. Allium itidem expedit edere. Malagma ad splenem. Recipe propolei uncias tres, guttæ ammoniaci similiter, terebinthinæ similiter, roris marini similiter, uisci similiter: hęc omnia in pila tundes, & de aceto modicum admiscebis. Corticem alni coques in aqua, donec tertia pars aquæ remaneat, & ex ea bibes calicem plenum tribus uicibus, interpositis diebus singulis. Item expertum. Cetrium coques in aceto pro magnitudine apposito in modum cataplasmi inducatur, & apponatur loco. Farinã lupini cũ aceto consperges, & facies cataplasma, & uteris. Alia uerò die aphronitri albi in aceto infusi duas pillulas bibes. Epithyma ad splenem physicum. Recipe cerę lib. unam, fricti unam, sulphuris unam, nitri unc. tres, dassinadum drachmas tres, styptirizę unc. tres; nitrum uerò & styptiriam & sulphur cum aceto infundes, & postea super infundes. Epithyma spleneticis. Recipe aristolochię uncias sex, cerę libram unã, picis liquidę unam, uisci unam, intybi unc. tres, olei cyprini librã unam, opopanacis unc. tres, galbani duas, cypharij quantum sufficit, castorij unc. duas, uini optimi & aceti quantum sufficit. Cataplasma spleneticis. Recipe aceti sextarios quinque, quos coques ad sext. unum, & sic mittes picis siccę lib. unam, farinę hordei tetarton, & ita uteris. Epithyma spleneticon. Recipe caricarum pinguium uncias sex, ammoniaci unã & semis, uisci de quercu unam, propolei unam, foliorum capparis unam & semis, stercoris caprini unam. Coques autem caricas cum aceto acri, & ita tundes aut teres diligenter, & postea uiscum, & propoleum, & ammoniacum, & stercus caprinum: hęc omnia permiscẽs in unum, & uteris. sed quando uolueris superinducere, aceto malaxabis. Epithyma spleneticon. Recipe ammoniaci uncias quatuor, cerę duas, uisci de quercu duas, olei cyprini quod sufficit. Epithyma spleneticon mirabile. Recipe cardamomi, ireos, cyprini, miri, libani, ana singulas unc. bdellij unc. quatuor, ammoniaci, terebinthinę libras singulas, cerę, propolis, ana uncias quatuor, nardi myri sex, balsami duas. Epithyma spleneticon. Recipe styptirię, aluminis scissi uncias tres, tyu similiter, nitri similiter, cerę uncias sex, picis libram unam, resinę uncias sex, fricti similiter, aceti similiter.

Ad os uentris stringendum. Cap. XIX.

CORTICVM granatorum un. duas, gallę duas, myrti tres, mannę thuris quatuor, hordei farinę sextar. duos, absinthij pulueris un. duas, masticę duas, aloes quatuor, sex. unum, sapę, aceti similiter: omnia hæc coques, & appones stomacho uel uentri.

Ad uentris dolorem seu uitia. Cap. XX.

MALVM terræ siccum in puluerem rediges, & ex eo denarium unum ex uini cyathis quatuor potui dabis, dolorem efficacissimè releuat. Lini seminis cotylam unam in aceti acris cotylis duabus contusam & feruefactam ieiuno dabis, mirè iuuat. Panis item combusti cinis tritus cum uini cyathis tribus, & potui datus, dolorem tollit. Pulegium itidem commanducatum, & ad umbilicum appositum, cõtinuò dolorem sedat. Anethi semẽ paululum tritum ex aqua potui datur, & continuò dolorem uentris emendat. Talum leporis si quis potauerit, in totum hoc dolore carebit. Item ad uentris uitia, uel omnes dolores interaneorum: Siquidem de nimio frigore uenter difficilis fuerit, facies ut superius scripsimus. Si uerò torsiones fuerint, tres baccas lauri teres, & cymini ac petroselini cochlearia singula plena, & piperis grana uiginti simul conteres, & tres pelliculas de uetribus pullorum siccabis, & exinde aquam anethatã percalidam bibat per potiones, quandiu dolor sedatur.

Tineis ac lumbricis purgandis. Cap. XXI.

TINEAE, quoddam uitium uentris est, quæ pelluntur potu ceruini cornu, combusti cineris, staphani decoquuntur ex aqua ad tertias, & ea aqua uino miscetur, radix enulæ decoquitur, deinde succus eius exprimitur, & potui datur cum eruca & enula; terram non debent tãgere. Allium in oxymelle decoctum deuoratur. Betæ candidæ decoctæ deuorantur cum allio crudo. Aqua in qua lupini coxerint, addita ruta, & pipere, bibitur. Malum punicum tusum decoctum ex tribus heminis ad heminam, tineas eijcit potu. Acini hederæ albæ contriti tres ex oxymelle prosunt. In hac curatione conuenit & uentri, eos eadem ratione illiniri. Pennarum combustarum cineris denarios sex, hysopi albi octo, nitri similiter, salis duos, lupinorum de medio sex, cotylasque duas apij, dabis bibere ante diem, & reijciet. Ficum cũ lupino amaro tundes, & panno inductum uentri impones. Herba camomilla cum aceto comesta, lumbricos necat. Cornu ceruini combusti puluerem cum melle permiscebis, & anum umbilicumque illinies,

omnes descendunt. Centauriam item herbam siccam tritam in puluerem, & lupinorum farinam cum melle mixtam super umbilicum impones, tineas necat. Betonicæ itidem herbæ pulueris denarios tres in aquæ calidæ cyathis tribus dati potui emendant. Item costi tusi puluis ad denarios duos in aqua calida potui datus, lumbricos & tineas eijcit. Lupinorum itidem farina cum felle hircino mixta, & umbilico illita, idem præstat. Ad tineas & lumbricos. Lentis hemina in aceto madefacta, & in cibo uel potu data, extinctos lumbricos eximit. Lupini itidem crudi contusi, & umbilico impositi, lumbricos penitus extirpant. Itemque stercus caprinum siccum & ualde aridum tritum, adiecto melle, potui datur, omnesque tineas radicitus eximit. Raphanos ad tertias decoques, & eam aquã uino admixto, ad extirpandas tineas dabis bibere. Fel caprinum lanæ admixtum & umbilico appositum; & cornu ceruinum potui datum, aduersus lumbricos & tineas magnum auxilium præstant. Coriandri seminis uiridis unciam unam ex aquæ sextario uno, in qua lupini fuerint decocti, bibat. Itemque ad lumbricos: Ex mensa cum melle bene trita factas pillulas glutiat. Herbam itidem nepetam uiridem conteres, & succum eius in uini cyathis tribus ieiuno dabis bibere: si autem febricitat, ex aqua calida dabis. Ad lumbricos: Coriandrum & cardamomum æqualia teres cum melle, quantum sufficit, dabisque bibere cum oxymelle. Oleum item cibarium cum aceto permixtum æquali mensura, ac per triduum potui datum, contra lumbricos & tineas bene facit. Emplastrum ad lumbricos. Folia persici uiridis & absinthium uiride conteres diligenter: cumque trita fuerint, addes fellis taurini aliquantum, radesque puluerem cornu ceruini usti, necnõ & pollinis lupini atque aloes, & facto cerotario tenerrimo, supermittes quousque permisceatur, & uteris.

Torminibus medendis Cap. XXII.

LACTVCA discocta editur ex oleo, cymino, sale, sinapi, ouum crudum defunditur in uase, putamen eius impletur oleo, quod in uase defunditur: Eadem ratione uinum & mel: Vinũ autem sit austere; hæc permiscentur in unum; cochlearij unius ad quãtitatẽ bibitur. Holera discocta ex sale eduntur. Ruta cum hysopo discoquitur, eaque aqua ex uini potione miscetur. Panis cum lacte caprino decoctus bis in die sumitur more sorbitionis. In olei cyathis sex, ruta decoquitur, idque oleum bibitur. Malum punicum tusum ex tribus heminis uini coctum ad heminam, emendat. Malum punicum in olla addito operculo, exustum in furno & tritum, datumque in uini potione, tormina discutit. Ruborum qui ferunt mora cauliculi teneri tunduntur, & ex ijs exprimitur succus, qui in sole ad crassitudinẽ mellis coquitur. hic potus efficacissime prodest. Lyen pecudis totus tritus ex uino bibitur. Palumbus ferus in cibo datur decoctus in posca. Anas uiua apponitur uentri, in eandem morbus transit, itaque moritur. Aqua calida marina clysterio infunditur. Vinum tepidum addito coagulo leporis, si potui datur, creditur efficacissimum. Aristolochiæ radicis puluerẽ in aqua calida dabis bibere. Ad στρόφον, hoc est ad tortionem uẽtris: Folia lauri masticet, & succũ eius glutiat, ipsaque folia in umbilicũ ponat, & statim pausat.

Ventri molliendo Cap. XXIII.

MENAE salsæ, id est pisces salsi, uentri molliendo cum felle tauri umbilico illiniũtur. Lac caprinum potatum cum sale & melle ualet. Ventriculus suillus, in quo sarda decocta sit. Porri capitati discocti per se in cibo sumuntur. Vrticæ quoque semen tostum pane colligitur. Lens non percocta sorbetur. Mirabolanus, genus caryotę nascens in Aegypto, q̃ os non habet, uino austero trita & pota aluum citat. Fel lupi, cũ elaterio umbilico illinitur. Cydonia in melle seruata cruda mãducatur à ieiunis. Pruna itidẽ à ieiuno edũtur. Mororũ maturorũ succus potui datur. Ammoniacũ potioni additur. Vlmi cortex tusus, denarij põdus in hemina aquæ frigidæ etiã purgat. Aqua bibitur in qua gallinacei decoxerint. Hirũdinus fimus adiecto melle supponitur. Salicis succus ex uino mulso potatus ualet. Thalassomel iucundissime purgat, sine stomachi uexatione & odore grato & sapore: quod sic fieri debet. Aqua marina & aqua cœlestis eadem mensura, & mel eiusdem portionis, permiscentur & seruãtur in uase fictili picato, usui laxatiuo. Betam gramine cum radicibus suis terges, sicque non lauabis, & tandiu in cacabo bulliat, donec discoquatur, sicut cerotum; & addes ibidem modicum salis & mellis cochlearia quinque, olei unum, & ex eo dabis calicem bonum, etiam si febricitat. Ad laxandum uentrem, bulbos Aphros numero quadraginta, purgatos cum diligentia, teres in mortario, & cum mellis despumati pond. sex in ollam nouam mittes: & cùm cœperit feruere lento foco, tunc addes bulbos tritos: & postea cùm cœperit uelut pastilli fieri, tolles. & cùm cœperit esse tepidum, addes piperis unciam unam, pulegij unam, hysopi triti unam & semiunciam, diagridij aut polypodij denarios quatuor. Oxygaron quod uentrem malaxat. Recipe zinziberis succi unciam unam, piperis albi similiter, salis ammoniaci similiter, diagridij unam & semis, mellis optimi libram unam, opij Cyrenaici denarios tres, florum libras duas, aceti acris unam; zinziber autem & piper tundes & cribrabis molliter; salem teres: diagridion in fermento sub cinere calido coques, & sublatum cùm resiccatum fuerit, teres & cribrabis, opium Cyrenaicũ teres in mortario, & illinc omnia mittes, diligenterque ac diutissime teres, ut bene commisceantur; uteris autem sic, serò cum ungella aut cũ pede de ansere, ita ut sorbeas exinde congium plenum, uel si quid amplius delectauerit, quia nõ lædit: accipitur autem etiam cum nascentijs, ut de fœnugræco. aliud sane non tenet, præter id quod cum oxygaro acceperit. Item lapatij herbæ & polypodij radices cum aqua decoctas edat, simulque succum bibat; aut herbæ

herbæ succum, quæ in arbore nascitur, ipsumque holus inter cibos manduces; hæc enim uentrem sine ullo dolore purgat, & patremfamilias non corrumpit. Est præterea herba, quam Græci ἴξιον appellant, cuius decocti succi hauriuntur utiliter, ita tamen ut à catarticis recedas. Item diagridij seu scamoneæ semiũciam, pulegij sicci denarios tres, piperis semunciam, nuclei sicci denarios sex. Hæc omnia trita permixta cum mellis despumati pond. unum, dabis ieiuno ad cochlearia tria. Plantaginem in aqua decoques, & eam aquam cum melle mixtam dabis bibere. Herbam quoque Mercurialem dabis in potione.

Ad tenesmum. Cap. XXIIII.

TENESMO laborantes subinde concupiscunt egerere, & nihil eijciunt. Ad hoc uitium senectus anguium cum rosaceo in uase stagneo decoquitur, & uentri illinitur. Et si exulceratio sit, ostreæ ex mulsa decoctæ eduntur. Lac item bubulum potatum prodest. Ius itidem piscium maritimorũ in patina decoctorum cum lactucis sorbetur, aut pane colligitur. Holus discoctum cum sale editur. Aqua marina ex alto hauritur, seruaturque, ut uetustate uires accipiat: postea bibitur cum uino & aceto, uomitu præcedente. Aliqui uerò aquam marinam per se dant, sed raphanos supermãdi iubent ex mulsa & aceto, ut uomatur. Pulticulam siliginis cum sale tantùm sine oleo condies, & adijcies ceræ punicæ denarios sex, & agitabis bene, & sic dabis edendam.

Choleræ quomodo succurritur. Cap. XXV.

CHOLERA, uentris uitium est malum, & præceps mirificè; cuius curæ prodest compositio quę infrà est scripta. Oliuę quę ueterrimę sint, aqua calida lauantur, ita ut saporem salis amittant, & enucleatæ cum pipere teruntur; quibus admiscẽtur coria mali in aceto decocta, oleum & acetum acerrimum adijcitur: Oportebit autẽ qui curabitur, potione quàm diutissimè abstinere, utpote quod & uomitũ per sitim exhauriat dieta. In aqua lactucę caules quantò maiores & amariores in patina coquuntur, & sic eduntur. Cydonia si matura cruda in cibo sumitur. Optimè facit & potio, cuius compositionem cum de stomacho diceremus, exposuimus. Baccæ acrifolij tritæ, & uino datæ, prosunt. Mororum de rubo succus efficaciter bibitur. Aqua marina calida clystero infunditur. Petroselinum, piper, costum, & baccas lauri pariter trita cum uino dabis bibere. Ex uua itidem passa & contusa cymino malagma facies, & adijcies uinum, & sic impones super umbilicum, & dabis ei ut bibat ex aqua calida. Pulegium syluaticum cõteres cum oleo græco, & dabis ut sorbeat. Hoc enim & uentrem soluit. Semen item anethi tritum admixta aqua, potui datur. Polium herba cum aqua trita choleram sistit. Herbam centauriam in aqua decoques, & ex ea aqua per triduum cyathos tres dabis bibere. Itemque uitulinum fimum recentem ex uino potui dabis, etiam melancholicos liberat. Tamarisci siue fellis terræ radices cõtusæ, & ex aqua mulsa potui datæ, & deorsum & desursum purgabunt omnes biles, & postea toto anno bene ualebit. Pulegij pulueris cochlearia trita commanducata, & super umbilicum posita oblitaque, intempestiuos & continuos uomitus mirè continẽt. quòd si tanta concitatio stomachi in uomitu erit, ut contineri non possit, erucæ ramulos tres uel quatuor cum maligranati succo teres, atque ad sorbendũ dabis, continuò sedatur. Item mundatorium cholerũ & prouocatorium uentris: Epithymum decoques in aqua ad tertias, addesque mel, & facies simul feruere, & dabis bibere siue calidum siue frigidum. Itemque raphanum, lini semen ac piper si quis ieiunus manducet, fortissimè bilem inhibet. Pulegium item commanducatum & in umbilico positum, mirè choleram sistit. Semen itidem maluæ ex aqua calida ieiuno potui dabis, choleram nasci prohibet, & caput infundit. Ad restringendam choleram, cataplasma. Recipe apij seminis uncias duas, samsuci, myrrhæ, camomillæ, farinæ hordei, fœnugræci, lini seminis ana uncias duas; aqua in qua radices euisci decoctæ fuerint, mellis uncias sex, olei tres, sapæ tetartum: per singulas autem uices, addesque mel, aquam, oleum, & sapam resolues & recoques. Cataplasmati uerò sabanum calidũ impones, faciesque hoc triduo, & intermisso uno die, iterum triduo facies. Ad purgationem uentris & cholerũ deductiones: Masticæ teres unc. I. & puluerem mittes in aquam frigidam, & dabis serò eunti dormitum. Ad biles reprimendas. Herba mercurialis coquitur, & in cibo cum sale & oleo datur, & cum aqua mulsa bibitur; hoc & ægrotantem iuuat, si & aqua eius cum condito bibatur.

Cœliacis sanandis. Cap. XXVI.

EX quibus cœliacum deprehendas, breuiter sit dictum, scilicet ex officio uentris per omnia turbatum. Nam nunc aspera uel alba uel indigesta, nunc sanguinolenta aut purulenta, atque inæqualia egeruntur ægrotantis stercora, eodem die frequenter & parua, aut semel & coaceruata, attestante intestinorũ rugini, cum inflatione & sonitu descendentis cibi; quando ægrotantes pallore cutis, albida superficie, uiriũ debilitate, macie corporis totius cum fœtore, pulsu crebro, parum imbecilli; unde & cœliaci dicti sunt aperte passionis, qua tenentur: Venter enim patitur, quem Græci κοιλίαν appellant, quos ita curabis. Bulbos Aphricanos rubicundos contritos ex uino, candenti ferro calefacto potui dabis, & sanabuntur. Columbus ex passo decoctus donec madescat, & in cibo datus, utilissimè succurrit omnibus uitijs. Oua itẽ in aceto macerantur, & cœliacis in cibo dantur. Vngula itidem porcina combusta, & in cinerem re-

dacta, dehinc pridie in uino auſtero infuſa bibitur. Cinis calidus cribratus reſtringit. Leporis coagulum ex uino uetuſtiſſimo dilutum & tepefactum ieiuno dabis bibere; quod remedium ualde manifeſtum experimentum eſt. Iecur item caprinum peruſtum & leuiter tritum, uentri appoſitum. Sanguinis quoque fluxum torminoſis continebit. Itemque lutea ouorum trium, lardi ueteris quadrans, mellis pondo quadrans in uini ueteris cyathis tribus ſimul cōterentur, in nucis auellanæ magnitudinem ex aqua cœliacis dantur. Baccæ oliuarum in uino cœliacis propinantur. Item membranæ gallinarum toſtæ ſi cùm oleo & ſale ſubferuefiunt, ſic datæ in cibo, cœliacorum dolorem mulcent. Abſtinere autem à frugibus oportet & gallinam & hominem. Fimus autem columbinus toſtus & tritus, cœliacis & dyſentericis in cibo detur. Palumbi in aceto diſcocti, & dyſentericis & cœliacis in cibo medentur. Itemque oua in aceto macerabis & infricabis ex aqua, panes quidem cœliacis eadem hora reſoluunt & in pane cocta dantur in cibo. Seuum itidem ouilli in uino auſtero decoctum bibitur: hoc & dyſentericis medetur. Itē trociſcus ad cœliacos & dyſentericos. Recipe herbæ ſymphoniacæ albæ ſeminis unciam unam, aniſi unā, apij ſeminis unam, amei unam, balauſti unam, hypociſti doſcilo unam, opij ſemiunciam: omnia tuſa & cribrata colliges cum aqua pluuiali, & facies trociſcos habentes denarios tres, dabiſque in aquæ cyathis tribus pluuialis trociſcum unum. Item epithyma ad cœliacos. Recipe ceræ uncias quatuor, maſtichæ unam, myrrhæ & aloes unam, mannæ thuris unam & ſemis, amerinæ quatuor, cyados unam & ſemis, ſydon unam, olei lentiſcini tres, maginati Aegyptij quantum ſufficit: ut ſic ea ipſa commiſceantur in mortario cum maginate ad mellis ſpiſſitudinem, & ſic poſtea cerotarium permiſcebis, & uteris antè & retrò. Cataplaſma ad cœliacos. Recipe ſcilli uncias duas, mannæ thuris, acaciæ, maſtichæ, cyados ſimiliter, myrti cotylam unam, alteræ quod eſt polenta hordei, ſextarium unum & ſemis, ſapæ creticę & aceti quod ſufficit, ſpaltice hoc eſt conſtringere. Item ad cœliacos. Rorem ſyriacum cum oryza coques, & colatum ſuccum inijcies.

Ventri ſiſtendo. Cap. XXVII.

AD uentrem ſiſtendum, cancri fluuiatiles triti ex aqua bibuntur. Mori ſuccum in caprino lacte potatur. Ozymum idem tritum uentri illinitur. Panicium itidem in lacte caprino decoctum more ſorbitionis in die ſumitur. Vetus panis nauticus tuſus & iterum coctus in aqua bibitur. Cortices fabæ ad tertias decoctæ proſunt. Lens aqua cœleſti decocta ſorbetur. Acetum merum ſumitur. Mala etiam ſylueſtria eduntur. Aqua in qua pruna agreſtia cocta fuerint bibitur. Sylueſtrium prunorum baccæ, uel ex radice corticis in uino auſtero decoquuntur, ut tertia pars decidat, idque uinum bibitur merum, cyathus unus in die. Mororum ſatiuorum immaturorum ſuccus bibitur. Sorbetur ſuccus ſeminis myrti. Palumbus ferus ex poſca coctus in cibo datur. Fimus quoque columbinus cum melle uentri illinitur. Bibitur etiam anatum maſculorum ſanguis. Flores uel cincinnos de auellana colliges & mittes in furnum ut ſiccentur, & cum ſiccati fuerint terentur, & ex uino propinentur. Iuniperi baccæ tritæ ex uino nigro, id eſt ex uuis nigris expreſſo potantur. Flos item hederæ tribus digitis ſumptus in uino auſtero bibitur in die. Ruborum in quibus mora naſcuntur, cauliculi in uino auſtero decoquūtur & in cibo dantur. Cochlearum uerò, quæ uiuæ crematæ ſint, cinis, potioni ex uino auſtero inſpergitur. Plantago quoque editur ex aceto cocta. Samſuci etiam radix ex uino bibitur. Gallinacei iecur aſſum in cibo ſumitur. Panniculos nucis ſiccabis, & ex eis puluerem factum in uino dabis. Corium melonis in puluerem rediges, & ex poſca ieiuno dabis bibere, & ſanabitur. Gluten item taurinum mundum rubeum ſolues in aqua, & chartæ induces, & ſuper ligulam impones. Cataplaſma ad ſtringendum uentrem infantum. Recipe thuris unc. II. ſapæ & aceti quod ſufficit, ac farinæ hordei. Ouum in aceto acri coques, & cùm crepuerit, purgabis, & iterum coques, & quandiu colorem mutauerit, dabis ei qui patitur. Si uerò conationes cum raſura permanſerint, & uenter ſtrictus fuerit, ſuccum oryzæ cum anulo inijcies. Ad conationes. In uini Aphri ſext. II. mittes faſciculum cymarum rubi & foliorum lauri manum plenam, coqueſque tandiu, donec excoquatur. Deinde calicem mittes alium, & coques, & addes ut ſuprà, & exinde ſpongia fouebis: facit hoc lenem uentrem.

Dyſenteriæ compeſcendæ. Cap. XXVIII.

DYSENTERIAM deprehendes à ſtercorum qualitate, aut macilenta, uel pinguibus humoribus óblita, aut cum raſura inteſtinorum, nunc purulenta, nunc ſanguinolenta: ita uerò curatur. Holera cum ſale eduntur. Per ſe bulbi triti dantur, & in uino auſtero potio miſcetur. Cœleſti aqua coctum ozimum in cibo datur. Ruta cum caſeo teritur in uino in modum mereti, & ita editur. Cera remiſſa in potione datur. Puluis fit ex alica toſta prius quàm detur, in quem ſubigitur cera remiſſa. Infundūtur ſarmenta in quibus acini uuarum hærent: & acinorum lapilli comburuntur, eorumque cinere àſpergitur. Succus pampinorum & uitium clyſterio immittatur. Cydonia matura cruda eduntur. Myrti ſeminis pondus denꝫ in uino propina. Vinum in quo folia myrti diſcocta ſint, potui datur. Galla cum commagina comburitur, cinis eius extinguitur uino, illinitur uentri. hoc & ad cœliacos facit. Flos hederæ tritus, & tribus digitis ſumptus in uino auſtero, bis in die bibitur. Ruborum in quibus mora naſcuntur, cauliculi decoquuntur in uino auſtero, & per ſe eduntur. Lutea ouorum tria, lardi ueteris drachmas tres, mellis totidem, uini cyathi tres unà conteruntur, & in nucis auellanæ magnitudine ex aqua dantur.

dantur. Rubi radices bene lotas mittes in ollam nouam fictilem & aquę sext. unum, & decoques ad tertias, deinde supermittes aceti acri heminam unam, & iterum feruere facies ad tertias, ut nigrum fiat, & dabis ieiuno pusillum. Nã si plus dederis, uentri non facit. Muscum qui in tegulis nascitur, conteres in puluerem, & in uini picati, id est nigri, ieiuno dabis, eadem hora claudit uẽtrem. Nam si febricitat, ex aqua calida bibat. Pini arboris corticem in aqua decoques, & ex ea aqua dysentericis dabis; hoc & cœliacis prodest, qui similiter uexantur. Styracem, guttam ammoniacam, specularia combusta pari portione, ac piperis grana in uini potione dabis bibere. Si uerò uenter ei torquetur, betæ radices ex oleo coques, & dabis ei ipsum oleum bibere. Semperuiuę maioris succi cyathos quatuor in uini cyatho uno potui dabis: hoc enim dysentericos & cœliacos & lumbricos habentes curat. Corticem agrifolij interiorem & exteriorem rades & mittes in cacabum nouum, & pones super carbones, non ut comburatur, sed ut tostetur; dein teratur, & dabis cochlear plenum febricitanti cum aqua calida, sanis uero in uino styptico, & stringit mirificè. Cochleam maiorem quę comeditur, assabis, ita ut testam semiustam primùm mittas in mortarium, deinde carnem ustam simul in puluerem rediges, & ex eo dabis cochlear plenum in uino calido: uel si minus edax fuerit, dimidium dabis. Pruna agrestia, gallam, masticam, thus masculum, myrrham, piper & flores rosæ ex uino styptico propinabis. Costum, styracem, oryzam, panem Aphrum, masticam, maligranati folia, ficus, testam oui, omnia tundes & dabis puluerem in ouo sorbili, aut in uino manè & uespere. Corticem arboris mori interiorem teneram rades, & cum uino nigro coques in pultario nouo donec excoquatur, & ex eo dabis cochlearia trita manè & sero. Glandis item rubeę grana tredecim, piperis quinque, simul teres cum uino ueteri, & dabis tribus matutinis. Si quis in solio postquam sudauerit, olei spani si potest heminam, si non, uel potionem unam bibat, curatur: tantò autem melius sentiet, quantò plus biberit; lauet uerò secundum consuetudinem. Item balaustium, gallam, pumicem, geras, tyrias & locustæ asperas testas: omnia æquis ponderibus teres & cribrabis. Dabis uerò ex eo, manè & sero, cochlearia singula, si non febricitat, cum uino mixtum, febricitantibus uerò in aqua calida. Naxum fullonum teres diligenter, & dabis in uino uel ouo uel aqua calida manè & serò. Cauliculus maligranati, quos Græci sydia uocant, prima die teres numero quinque, & piperis grana undecim in mortario fictili, & mittes uini potionem in calicem minorem, ex quo perfundes ferrum candens, & sic miscebis puluerem, & dabis bibere. Secunda uerò die cauliculos sex, & piperis grana XV. Vuã quæ ex se in uite fuerit arefacta teres cũ diligentia, tritamque in uino ueteri dabis bibere, ita ut in uino panem intingat, & sic sumat, & pòst ipsam potionem bibat. Fabas solidas franges, & macerabis in aceto acri, & dabis manducare ieiuno quantum potest. Oua cruda frãges, & mittes in patellam rudem, & maligranati puluerem, gallarumque pari portione admiscebis & coques, & cum aceto acri dabis bibere. Iniectio ad dysentericos. Recipe pumicis combusti unc. unam, gallæ asianæ unam, balani barbarici, unde coria conficiuntur, unam, geræ, tyriæ unam. Hæc omnia tundes & cribrabis, & hinc plenũ cochlear mittes in mortario, atque addes maginati un. tres, hoc est uini austeri, in quo cocta sunt hæc, myrti & rubi fasciculi singuli, corium maligranati & lentis manus plena, sed & seorsum decoques succum oryzæ cũ seuo ursino & colabis; hinc mittes unc. unam & semis, & simul miscebis: prius autem reficiat, & sic inijciatur tepidum; & teneat uero quantum potest. Alia iniectio. Coques ex aqua lentem, myrtum, & corticem maligranati, cymas rubi, corticem roboris, & lentisci modicum, pro oleo uerò seuum caprinum in aqua coques, & sic inijcies: quod si in uase fuerit, ex uino mittes quo accipiat. Alia. Cymarum rubi fasciculum unum, lentis manum plenam, oryzæ tantundem, & corticis maligranati duos: coques in olla noua in aquæ sextarijs duobus, donec succus fiat, quẽ colabis per linteum diligenter, ut sit uel tertia pars sextarij; deinde teres mollissimè gallam Alexandrinã unam, mittesque ouum unum, & olei unciam unam, salisque cochlearia duo, miscebis succum & inijcies: prima uerò die tantum salem mittes. Collyrium ad dysentericos qui sanguinem faciunt. Recipe thuris masculi unciam unam, myrrhæ unam, opij unam, quæ teres in mortario diligẽter, addita paulatim aqua, donec se in modum collyrij colligat, & facies collyria diuersa pro ætatibus, quæ in necessitate, cum oleo rosato suppones. Collyrium dysentericum, quod recipit drachmas quatuor opij, quatuor myrrhæ, & libani quatuor, succum arnoglossæ ac uinum amineum. Collyrium hypoticon. Recipe opij unciam unam, acaciæ unam, myrrhæ unam, croci semiunc. colligas cum amphacij melle. Collyrium hypoticon laudatum, ad quod, crocum, libanum, opium ęquali pondere teres, & cum succo arnoglossę colliges. Hypoticum gorgon, hoc est agile, facit ad eos qui conationes patiuntur & antiquas passiones. Recipe cycidon drach. quatuor, libani quatuor, acacię quatuor, opij quatuor, cum succo lactucę colliges. Trociscus dysentericis. Recipe albesci drach. XXIIII. asphalti XVI. sandaracę XVI. arsenicę XII. gallę pulueris nouem, succi arnoglossę quantum sufficit. Picem liquidam & resinam, oleumque uetus & ceram: omnia mittes modicum in acetabulum, & resolues ad carbones, ut fiat quasi cerotum molle, & ex eo unges & renes, appositis hinc inde floccis lanę & fascijs; sed intinges modicũ lanę in ipso acetabulo, & inijcies in intestina, ita ut quoties uentrem fecerit, aliud mittes. Trocisci confectio probatissimi. Recipe leppidi Cypri denarios octodecim, hypocisci octodecim, stypterię unc. unam, sandaracę unam, croci magnati unã, opij unam, salis ammoniaci den. sex, epsemaci Cretici quantum sufficit ad coagulanda pigmenta. Quę omnia diligenter teres & cribrabis, ut puluerem facias; & postea tantum passum mittes, ut constringat, non ut liquefaciat, & facias trociscos habentes dẽ. tres, & singulos inijcies; & si rasuras aut saniem facit, primũ de aqua oliuarum inijcies, & postea de trocisco: coques quoque cymas de rubo cum cortice maligranati, & oryzę pugillo, & myrti: quę si non fuerit, buxum mittes: & coques omnia hęc in uino styptico, do-

nec de tribus partibus duę remaneant, & mittes in mortario quantum potio esse potest, & sic solues trociscum. Si autem puram aquam facit uenter, non inijcies de aqua oliuarum, sed tantùm de trocisco. Ad dolorem & conationem cum pondere, facies fomentum sic. Fœnugręcum bullies in aqua & inde fouebis. Inijcies butyrum, & mel, & oleum, & modicum salem, & exinde curabis. Item trociscus dysentericis, & ad eos quibus uenter sanguinem facit. Recipe iusquiami seminis unc. unam, apij seminis unã, balausti unam, acacię unam, amei unam, agantis Aegyptię unam, uulgacę seminis unam, roris Syriaci unã, opij Thebaici semiun. mandragoræ radicis drach. II. geræ Tyriæ semiunc. quæ omnia colliges cum aqua, & facies trociscos habentes drachmam dimidiam, & dabis bibere ei qui non febricitat cum uino: febricitantibus uerò in aqua calida mané. Trociscus ad eos qui sanguinem faciunt cum conatione uel rosura uel corruptela. Recipe sandarachæ ponticæ uncias octo, arsenici masculi quatuor, acaciæ rubeæ libram unam, calcis uiuæ unam; quæ omnia singillatim tundes & cribrabis, miscebisque in mortario cũ uino ueteri austero, in quo cocta sint hæc: Myrtus uiridis, rosa sicca, cortices maligranati, cymæ rubi & buxus, tantumque mittes uini, ut ad spissitudinem redigatur: & cùm cœperit siccari, facies trociscos pro ætatibus habentes denarios octo, uel senos seu quaternos, quos siccabis in umbra & repones, & uteris sic: Priusquàm inijcias, aqua de oliuis uel Aphra muria spissa in modum heminæ dimidiæ tepefacta, ablues intestinum manè & serò de trocisco, curabis. Sufficit autem semel abluere intestinum, trociscum uerò quotidie inijcies cum scimmate, id est in uino in quo herbæ suprascriptæ sunt coctæ. Potionem hanc dabis, quibus sanguis multùm fluit. quòd si dolor aut conatio multa fuerit, cum succo oryzæ uel lenticulæ inijciatur. Accipiat uerò potionem de trocisco, qui diaspermaton uocatur quotidie serò. Iniectio ad dysentericos. Recipe rubi cymulas, testas maligranati, uinũ stypticum, addes acaciã, & seuum hircinum colatum ad modum potionis, tenendum diutissimè. Trociscus ad dysentericos. Recipe lycij Indici unciam unam, quam solues in uino styptico, gallæ Alexandrinæ unam, & sulphur uiuum, sandarachæ unam & semis, quæ tundes & cribrabis, calcis uiuæ quatuor, & auripigmenti; quæ similiter tundes & cribrabis; opij Thebaici semiunciam infundes in uino Aphro styptico; & tunc in mortario omnia permiscebis, & facies trociscos quos sic inijcies: teres trociscum in mortario mundo, & mittes uini Aphri quasi calicem bonum, & sic curabis. Trociscus ad hæc. Balaustij semiunciam, gallæ similiter, croci similiter, styracis similiter, myrrhæ siliquas nouem, castorij tres, capsilaginis seminis, quod est iusquiami siliquas octodecim, apij seminis semiunciam, opij siliquas octo, anisi semiunciam, dauci similiter, aquæ quantum sufficit; facies trociscos habentes siliquas tres. Cataplasma ad dysentericos. Recipe corticem maligranati, rosam, myrtum, polentam, masticam, gallas, aloen; quæ omnia in sapa coques, & impones. Panem pulueris Aphri & fœnugręci in melle & aceto coques, & in uentrem ac renes pones. Ad idem, cataplasma & ad intestini dolorem. Dactylos in uino ueteri infusos cum pane Aphro & modico croco teres, & in capite intestini pones. Dactylos infundes in melle, & mittes uinum uetus uel acetum acerrimum cum passo in cacabum. quod cũ ferbuerit, mittes dactylos tritos, & puluerem panis Aphri, parum etiam farinæ hordei; sed & puluerem maligranati, gallæ Alexandrinæ, myrrhæ masculæ, mannæ quę uenditur à pigmentarijs; & cùm factum fuerit cataplasma, unges oleo lentiscino, & pones ex utraque parte. Sanè antequàm ad carnem ponas cataplasma, asperges super illam masticam tritã, ex oleo lentiscino unges. Balaustium, item rosam siccam, rorem Syriacum, maligranata sicca in uino austero, uase nouo feruefacies, & ibi solues trociscum uel puluerem ad inijciendum. Cataplasma ad idem, in modum epithymi. Gallas Alexandrinas, corticem maligranati, acacias, myrtum, myrrham & masticam teres & cribrabis. Cydonia cruda intrinsecus tantùm purgata, quàm mollissimè teres, & commiscens puluerem ustum rursum teres, addens paulatim acetum, donec simile sit epithymo; mittes etiam parum olei rosacei uel myrtini cum aceto modico, & quasi epithyma sit, & pones ad umbilicum, & ita deorsum ad renes. Cataplasma ad eadem. Malorum granatorum coria & gallę decoquuntur ex uino; deinde si mollia fuerint, simul teruntur; quibus adijciuntur omphacium, hypocistis, & acacia rufa; sed ex aqua infunditur pridie; eis ros coriarius & alumen scissum, utraque tusa & cribrata; miscenturque ceroto ex myrtino oleo facto. Epithyma stochlydion, quod facit ad dysentericos & cœliacos. Recipe acacię unciam unam, cyados unam, omphacij unam, sybani unam, balaustij unam, scysti unam, aloes unam, roris syriaci unam, myrrhę unam, cenante unam, rosę siccę unam, cerę uncias nouem, picis duas, olei myrtini unam. Fomentatio ad dysentericos. Oleastrum, sybisci, myrrham, laurum, rosmarinum, cypressum ęquali pondere decoques. Epithyma ad dysentericos. Recipe cenantis unciam unam, sidios similiter, aloes quatuor, omphacij unam, omphaticon unam, rosę unã, acacię lib. unam, olei myrtini unam, picis unciam unam. Epithyma ad dysentericos bonum. Recipe myrrhę unc. unam, seminis myrti & thuris unam, gallę unam, roris syriaci unã, acacię unã, balaustij unã, sydię semiunciam, aloes unam, bdellij unam, œnantis unam, croci semiunciam, cymarum rubi duas, mastichę aphrę semiunc. cymini similiter, apij seminis similiter, olei lentisci lib. unam & semis, cerę octo, dactylos undecim, uini quantum sufficiat. Si uerò lentiscinum oleum non habuerit, myrtinum mittes aut melinum. Epithyma item ad dysentericos. Recipe thuris unciam unam, myrrhę unam & semis, mastichę unam, absynthij unam, balaustię unam, gallę quatuor, cymini unam, apij seminis unam, rubi unam, croci duas, spicęnardi duas, olei lentisci lib. unam, cerę unam, terebinthinę unam. Fomentum. Gallas alexandrinas, sydias, myrtum, buxum, rosam siccam, & lentem alexandrinam simul in aqua coques, & super ipsam aquam sedebis. Vinum itidem Cilicense coques cum absinthij herba, & fouebis spongia. Caulium radices ustulatas dabis cum ouo, & gallas syriacas teres. Catapotia ad dysentericos explorata. Re-

cipe

cipe gallę unciam unam, opij drachmas quatuor; tundes gallas ac teres, & permiscebis cum lachryma oui, & ex eo facies catapotia in modum faseoli, & dabis secundum uires accipientis. Item ad dysentericos, & ad omnes dolores & rosuras uentris. Anisi drachmas duas, iusquiami quatuor, apij seminis quatuor, florum rosæ quatuor, hypocisti doscilo duas, croci unam, opij similiter, myrrhæ similiter; opium uerò & hypocistium infundes in aqua, & omnia sicca tusa & cribrata permiscebis sufficienti melle, & colliges ad spissitudinem epithymi. Epithyma ad dysentericos & ad cœliacos. Recipe acaciæ unciam unam, cicido & omphacidis unam, balausti unam, cidon iocis similiter, ceræ drachmas sex, rodion libram unam, dactilorum pinguium lib. unam; dactilos uerò uino infundes, & simul teres. Epithyma caldion ad dysenteria. Recipe ciadon unc. quatuor. styptiriæ similiter, sydion rosas quatuor, roris syriaci quatuor, hypocisti doscilo unam, ammoniaci unam, picis lib. unam & semis, olei myrtini un. quatuor, uini parum. Epithyma ad dysentericos, quod dicitur didion. Recipe acaciæ unc. IIII. cicidon rosas quatuor, roris syriaci IIII. hypocisti doscilo unam, ammoniaci unam, picis lib. unam & drach. IIII. ceræ quatuor, olei myrtini unc. IIII. uini stimmatici duas; induces autem linteo, & impones uentri usque ad umbilicum & retrò. Epithyma ad dysentericos. Recipe myrrhæ drac. IIII. cochlearum uiginti carnes, oleum cyprinum purum, album ouorum septem, aceti acris quantum sufficiat. Herbam portaglam ex aqua feruefacies, & iterum adiecta aqua condies, & aspersam polenta offas complures dabis edere, quia mirè curat. Picem item uirginem tusam in cacabo impones renibus.

Dysenteriæ & lienteriæ subueniendæ. Cap. XXIX.

VTREM uetustissimum siccum non putrem combures, & in puluerem rediges, & seruabis diligenter, & ex ipso pleno cochlearia sex, radicis ebuli pul. cochlear. V. specularis cocti & triti cochlearia tria, folia quinque, piperis albi tria. Hæc omnia trita & cribrata in unum miscebis, & exinde cochlear plenum in uino styptico dabis: si non inhæres uino styptico, cortices de piro tolles pondo decem, & mittes in stagneum uas grande, & cum ipsis uini sextarios uiginti, & coques ad dimidias. Cùm uerò refrigerit, mittes in uas mundum ex ipso uino & uteris, & cum potionibus accipies. quòd si antiquus est languor, & sanguinem abundantem egerat infirmus, duo cochlearia mittes in potionem uini calidi, sæpiusque utatur, & in solio ipsam potionē bibat, & unctione prædicti calastici utatur. Manducet autem oryzam cum manu plena plātaginis benæ coctæ, & cum seuo caprino ibidem misso, & exiguo salis, anethum & porrū. Oleum ante omnia nō manducet; assaturas caprinas perassas manducet, & ficatum ipsius assum, pedes discoctos cum paruo sale comedat, non cum aceto: & omnia interanea caprina calida cum prædicto uino mixta bibat. Curat enim, & si escam quam manducauerit, emittat, quod ipsum dicitur lienteria.

Coli dolor quibus remedijs iuuetur. Cap. XXX.

FIMVM leonis diligenter colliges, & siccabis ad solem & seruabis, quia difficile inuenitur, mittesque ex ipsius fimi puluere cochlearia quinque, petroselini puluere cochlearia quinque, zinziberis, costi, & piperis albi cochlearia tria, & oīa cribrata cōmiscebis, & exinde cochlear plenum ieiuno in potione conditi tepidi dabis in hyeme, in æstate uerò in ueteri uino. Si autem antiqua passio est, duo cochlearia in solio dabis. & hoc per triduum facies; unges uerò uentrem & sub umbilico de suprascripto calastico, & si grauis dolor imminet amplius, pone ungenti & super lanam & fascias. obseruet quoque ne algeat, & recentia non bibat, nec carnes uel holera seu legumina manducet, quia passio pessima est. Si autem repētinus dolor aduenerit, & prædicta potio parata non fuerit, purgabis allij accerrimi capita quinque, & concides minutatim, & mittes in ampullam cum olei gremialis hemina, & macerabis die ac nocte, & ex ipso bibat oleo cochlearia tria, in cibo etiam pro oleo utatur. Si uerò in solio balnei prædictum oleum biberit, plurimùm prodest. Potio ad coli dolorem, seu ad calculum, quæ in una potione, coli dolorem in perpetuo liberet. Recipe folij, spicænardi, piperis albi, apij seminis, opij Cretici, seseleos, zinziberis, pulegij, thymi, cassiæ fistulæ, satureiæ, reupontici ana uncias singulas, piperis lōgi quatuor, pyrethri duas, ireos semunciam, petroselini unciam unam, & denarium, leuistici denarios octo, croci quatuor, erucæ semunciā, costi denarios sex, fœnugræci semunciam. Hæc omnia tundes & subtiliter cribrabis, & in uase uitreo recondes, & ex ipso puluere cochlearia tria in condito siue careno, in solio mox ut descenderit, dabis, & diu in solio foueatur, & in perpetuum liberabitur. Potio ad colum. Recipe rutæ agrestis seminis semunciam, gentianæ uncias nouem, cametriæ lib. unam & semis, aristolochiæ rotundæ uncias nouem; quibus alij medici addebant squinatij tres, petroselini tres, camepetij tres. Hæc omnia tusa in mollissimum puluerem repones, ut dum opus fuerit, dabis cochlear plenum in aqua calida. Piperis uncias tres, salis mōtani unam, petroselini acitonici duas: omnia in puluerem rediges, & in uino cochlear plenum. Hysopi Cretici semunciam, seminis fœniculi similiter, piperis albi similiter, petroselini similiter, cymini similiter, salis montani similiter, anisi similiter, apij seminis similiter: omnia teres, dabis in dolore cochlear plenū sanis in uino uel condito, febricitantibus uerò in aqua calida. Pridie Idus Martias uiolæ purpureæ folia undecim, piperis grana decem, uini ueteris calicem plenum teres in mortario marmoreo, & mittes in calicem ipso die, & pones sub diuo coopertum testa diligenter, ut ibi maneat, & alia die manè ibi agitabis & mittes in calicem herinum, stans contra orientem, & uno haustu bibat. Item expertum. Cochleas

tres,quas Græci uocant corcotellas,in olla noua clauſas & circundatas,in furno combures,quarum puluerem in uino,aut ubi uolueris dabis. Tria grana allij infundes aliquantiſper in aqua, deinde ex condito glutienda dabis. Enema ad colum,quod appellatur diacaſtoreum. Recipe reupontici ſicci unciam unam,croci aphri unam,nitri albi ſemiunciam,rutæ uiridis folia trita, ſimiliter mellis quantum ſufficit. Conficitur autem ſic. Myrrha & caſtoreum ſeorſum teruntur,ſeorſum & nitrum, ſimiliter & ruta. Crocū uerò infundes in uino ueteri tanto ut infundatur,non ut ſupernatet,tereſque in mortario. Opiū uerò cū melle teres,donec ſoluatur,& ſic commiſcebis ſingula,quouſque omnia adimentur,& ſuperaddes mel,ita ut ad ſpiſſitudinem redigatur,reponeſque in uaſe uitreo,utêris autem ſic.. Primùm cū dolor cœpit,porrigitur inteſtino ſecundo de medicamento calaſtici ad uncias ſex: quod cùm iectum eſt, ſi ceſſauerit dolor,intermittendum eſt. Si uerò manſerit contra noctem, inijcitur ſic. Olei rutacei ſex in acetabulo tepefacies,medicamēti uerò in modū fabæ Cappadociæ, uel paulò amplius ſeorſum in calice ſolues cum uini ueteris cochleari,& oleum tepefactum ſecundum modum æſtimationis miſcebis,& inijcies: hoc autem & dolores tollit,& ſomnum facit. Obſeruare uerò debes, ne modum quantitatis excedas. Solet autem plus iniectū,grauedinem nimiam capiti afferre,quā quidem celeriter ceſſat. Enema ad idem,quod appellatur dyargo piſſum. Recipe aloes hepatici uncias duas,opij ſpani unam; butyri recentis unam, peculæ uiuæ ſyncetæ ſex. Conficies autem ſic: Aloen in puluerem rediges,opiū cum pecula teres,donec ſoluatur,addes aloen;& cum illa terēdo miſcueris,mittes butyrum,& rurſus illud ſimul teres,& hęc omnia permixta colliges in uaſe æreo, & utêris ſic. Si refrigerari paſſionem contigerit, primùm clyſtere inteſtinum purgabis,quod accipit oleum rutaceum & mel & butyrum, & hæc calida;dehinc de medicamento ſupraſcripto ita curabis,ut priùs cyminum & rutam uiridem in oleo & aloe ſine ſale tandiu coquas, donec ruta ſe frigere incipiat;quod colatum ac tepefactum,mittes in acetabulum in modum potionis bonæ; uel certè uncias ſex,& medicamenti quantum pars tertia cochlearis eſt, in ipſo à digito ſolues,& ſuper calida pones,ut tepefiat, & ſic utêris. Facit præterea ad eos,qui propter colum,confluxum uentrem patiūtur: tollit & libidinem inteſtini. Si autem & choleribus color fuerit,medicamentum oleo roſeo locum inijcito. Enema ad colum,probatiſſimum,ſed in nimio non inijcies dolore. Recipe cymini heminā unam,cētauriæ faſciculos tres,amei ſemiunciam,folia lauri numero quindecim,colocinthidos unam. Hęc in aquæ ſextarijs tribus decoques ad tertias, colabiſque,& cum oleo ac modico melle inijcies. Nam herbas ſupraſcriptas pridie infundes. Enema ad dolorē coli. Recipe opij denarios octodecim,caſtorei quindecim,myrrhæ duodecim,croci tredecim,nitri ſex,rutæ agreſtis ſeminis ſimiliter,euforbij ſimiliter:omnia tundes & cribrabis, & colliges cum melle:& cùm opus fuerit,in modum auellanæ ſolues cum aqua frigida,adiungēs anethini olei uncias ſex,& butyri cochlear unum,admiſcebis & curabis. Enema ad hæc. Recipe baccarum lauri pulueris uncias duodecim,ceræ punicæ ſex,butyri ſex,medullæ ceruinę ſex,adipis anſerini ſex,terebinthinę ſex,hyſopi,ceroti ſex:hæc omnia commiſcebis, & factas pillulas ſiccabis in umbra, & cùm neceſſe fuerit,teres in oleo ſauinenſi ſufficiente una pillula,& curabis. Ad coli dolorem,& qualiter ad inteſtini dolorem eiuſque uitium,medicamentum conficere debeas. Recipe adipis anſerini, adipis phaſianorum,hyſopi,ceroti,butyri,terebinthinę ac cerę ana uncias ſex,reſolues,& ex eo mittes uncias ſex;addes galbani quatuor,cymini bene tuſi & cribrati ſex,baccę lauri tuſę ac cribratę duodecim,foliorum rutę bene tritorum decem. Hęc omnia cum ſupraſcriptis ſex uncijs bene commiſcebis & facies mādalia,hoc eſt collyria bona:& cùm opus fuerit,in oleo rutato,& oleo ſauinenſi ſine ſale,addito parum maſticę,de collyrio in modum nucis auellanę ſolues,& heminam facies, curabiſque. Confectio medicaminis ad dolorem coli. Recipe adipis anſerini unciam unam,baſilicon ſemiunciam, butyri unam,olei ſauinenſis quatuor. Conficies autem ſic. Infundes cymini cochlear unum in uino ueteri, dehinc mittes oleum cum rutæ uiridis ſemiuncia, & uini ueteris cotyla, & feruefacies, donec ruta exfrigi incipiat, colabiſque,& repones in uaſe uitreo:& cùm neceſſe fuerit, penſabis ex ipſo oleo uncias quatuor,& miſcebis cum medicamentis ſupraſcriptis,& curabis. Enema ad dolorē coli. Recipe myrrhæ drachmas quatuor, croci duas, opij ſex,caſtorij ſex,commiſcebis melle in doliolo,& curabis. Enema ad dolorem coli. Recipe myrrhę drachmas quatuor,croci duas,opij ſex,caſtorij ſex,nitri duas,rutę uiridis foliorum duas, commiſcebis melle in doliolo,& curabis cum oleo rutaceo. Olei confectio ad dolorem coli. Recipe olei ſauinenſis libras decem, butyri recentis uncias quatuor, medullæ ceruinę duas, cerę punicę optimę duas, fœnugręci noui ſextarium unum, cymini unum, baccas lauri purgatas numero quinquaginta, aquę fontanę ſextarios duos,rutę uiridis faſciculos tres,adipis phaſiani recentis uncias duas; fœnugręci uerò infundes in aqua,tātum ut intumeſcat,quod legatum legabis in linteolis tribus,& cyminum ſimiliter. Poſtea oīa mittes in cacabū nouum,uel in ſtagnatū optimū,& tandiu ferueat in uaſe duplici,donec decoquatur aqua;dein colabis oleum,& ceram rades cultello minutiſſimè,ſimiliter & medullam, mittes & butyrum cum ſupraſcriptis in cacabum, & ſupermittes oleum calidum quod colaſti, & agitabis diligenter, donec omnia miſceantur,& dum refriguerit,repones in uaſe uitreo,& in neceſſitate,duas uel tres uncias calefactas inijcies. Enema probatiſſimum ad colum. Recipe opopanacis radicis unc. duas,ariſtolochię rotūdę unam & ſemis,ſeminis ſymphoniacę duas,caſtorij unam,& ſemis,opij unam,folij duas,piperis albi unā & ſemis, croci duas:quę omnia in puluerem rediges molliſſimum,& ſic inijcies in olei ſauinenſis hemina, cymini manum plenam & rutę faſciculum coques in uaſe duplici,& ex hoc oleo mittes cygnos tres, & de puluere unum,& diligenter temperabis,& inijcies. Iniectio probatiſſima. Recipe opij drachmas ſex, caſtorij quatuor,myrrhę quatuor, croci unam,nitri duas,ſeminis rutę agreſtis duas,euforbij duas,quę colliges

liges cum melle spisso,& diligenter in doliolo uitreo repones:& cùm opus fuerit,solues ex eo in modum auellanæ paruæ cum aquæ modico,& miscebis olei anethini uncias sex,& butyri cochlear plenum, ac cymini similiter,mixtisque omnibus diligenter inijcies. Iniectio dolorem tollat. Recipe castorij uncias quatuor,croci unam,nitri duas,seminis rutæ agrestis duas,euforbij duas,quibus cum mellectis,mittes olei anethini denarios sex. Ad colum & intestini dolorem. Recipe opij denarios quinque,croci duos,castorij duos,myrrhæ duos,rutæ duos,uitri tres , mellis despumati quod sufficit ; postea cochlear unum in potione olei cyprini uel rutacei solues,& inijcies . Si autem ustura fuerit,cum oleo rosato temperabis . Iniectio ad colum probatissima. Recipe allij capita tria , rutæ uiridis fasciculos plena manu duos , olei cõmunis unc.quatuor;confringes allium,& cum ruta uiridi confricabis,& colato oleo addes butyri mundi libram unam , picis liquidæ uncias quatuor & semis, & cetriæ mundæ tres : quæ omnia commiscebis, & uase uitreo repones, subducesque prius uentrem simplici iniectione,dehinc in oleum commune unc. nouem mittes medicaminis : & si dolor maior fuerit,commiscebis , & tepefactum inijcies . Sane nullus ieiunus iniectione utatur , quinetiam ad horam iniectionis calix plenus uino mixtus uel aqua calida hauriendus est . Iniectionem uerò quàm diutissimè teneat. Medetur autem renum dolori,calculo qui harenam proijcit,colicis,stomaticis,& perfricationibus,causis etiam matricis efficacissimè subuenit,in catarctico utenda. Qualiter ex medicamento hoc,quod colum curat, sit adhibenda , ut & uentrem temperet. Ex hoc medicamine facies pillulas in modum nucis auellanæ duas uel tres, & postquàm laueris ac deterseris,in capite intestini intromittes,& ibis dormitum,& continuò senties beneficium . Quemadmodum alio genere curandum sit colum,de hoc medicamine mittes in acetabulum uncias duas uel tres: Deinde commiscebis olei rutacei unciam unam & semis,& sic inijcies,si fieri potest,bis in die,diluculo,sero & nocte,continuis diebus quatuor uel quinque,& accipies perpetuam sanitatem . Confectio Diascordi ad colum probatissima. Recipe ueretra porcorum cum pinguedine sua in oleo soluta ad libram unam,folia rutæ septem deñ.purgati allij mundi spicas maiores quinque,olei cyprini libram unam, olei irini unam,nardi unam,adipis pastæ siue phasiani unam,ceræ punicæ unam. Cõficies uerò sic . Concides pinguedinem porcorum minutatim,& sic coques cum citius soluatur, & sic colabis,& mittes in patellam,supermittens rutam & allium,donec ruta exarescat;rursum colabis, & sic miscebis reliqua omnia : iterumque impones super carbones molles,& mittes ceram minutatam ut soluatur.quod cùm gelauerit, colliges in doliolo uel pyxide. Sic autem temperabis. Olei sauinensis pondo unum uel duo , mittes in capetam cum rutæ fasciculo bono,& cymini in linteo ligati deñ.tres,& simul ferueat,donec ruta siccetur;hinc mittes cignos quinque,nardi boni duos,adipis pastarum unum,plenum,medicaminis suprascripti,cignumque dimidium cõmiscebis,calefacies & curabis. Iniectio diascordi ad colum . Recipe adipis ceruini unc.septem,adipis taurini septem,picis liquidæ septem,olei irini septem,laurini olei quatuor, nardini libram unam,olei ueteris duas,ceræ nouem,rutæ uiridis fasciculum quantum manus capit,anethi similiter ; allij purgati sextarium unum,cymini unum . Cyminum uerò , rutam & anethum in oleo coques,usque dum uirtutem ibidem amittat,& postea colabis. Confectio iniectionis . Recipe rutæ uiridis uncias duas,baccarum lauri decem,cymini denarios uiginti,butyri insulsi unciam unam,medullę ceruinæ, basilicon unciam unam,dyacilon unam, olei cyparei libras duas , aquæ manum plenam . cyminum uerò,rutam & lauri baccas pridie in oleo infundes,alio die coques,colabis , & ita butyrum,medullam & medicamina mittes; resoluesque ita,ne comburas,& utêris. Emplastrum colicæ & nephreticæ: Recipe lybani uncias sex,tinaperi sex , masticæ tres,tyleos tres,picis liquidæ libram unam & semis , picis siccę unam,ceræ unam,nitri uncias sex. Iniectio ad inflationem coli,matricis & omnium interaneorũ.

Rutam ex oleo & butyro decoques,quod iniectum statim inungat . His aliqui addunt oleum anethinum & adipem phasianinum & anserinum, & si habuerint , struthioninum. Iniectio ad colum & renes. In oleo anethino adipem anserinum & medullam ceruinam simul solues a digito , & commiscebis castorij bene triti denarium unum,& sic inijcies . Confectio pulueris probatissimi ad coli dolorem . Recipe folij uncias duas,croci duas,dauci cretici duas,panacis radicis tres,aristolochiæ rotundæ duas , iusquiami duas,piperis albi unam,castorij duas, opij duas , myrrhę duas . Hæc omnia tundes & cribrabis subtilissimè : curabis uerò primo de cucurbitella agresti & centauria sic . Mittes unam cucurbitellam & parum centauriæ in cacabum æreum cum aquæ sextario uno , & decoques ad medias, & incolata calida cum oleo rutaceo & melle despumato , & modico nitro uel aphronitro commiscebis,& sic curabis, circa horam nonam ut uentrem faciat,uespere uerò mittes in mortarium cochlear unum de puluere cum oleo rutaceo quantum est,& commixtum inijcies,quod teneat usque ad lucem uel amplius. Confectio pulueris ad coli dolorem. Recipe folij uncias duas,panacis radicis tres , iusquiami duas,dauci cretici duas, castorij duas,croci duas,opij unam & semis,piperis albi similiter,aristolochiæ rotundę uncias duas ; coques uerò rutam in oleo,& colabis : mittesque unum cochlear cymini triti , & unum cochlear ipsius pulueris, & sic inijcies,ut habeat olei cignos tres aut quatuor,sed tunc curabis,quando in dolore est. Item expertum. Spicam allij mundatam unge ex omni parte,subscindes & balsamo intinctam inijcies. Epithyma calefactorium ad colum. Recipe axungiæ porcinę libram unam , baccarum lauri quartarum , seui ceruini unciam , medullæ ceruinę quatuor,resinæ terebinthinæ sex, nardi libram unam , solues & utêris.

Epithyma ad dolorem coli . Butyrum , resinam , ceram , resinam punicam , & nitrum alexandrinum : omnia æquali pondere coques , & in panno pones ad locum doloris . Antidotum ad colum . Recipe iusquiami drachmas uiginti , piperis albi uiginti , opij decem , balsami duas , cassiæ

quatuor,croci quinque,euforbij quatuor,ſpicęnardi quatuor,pyrethri quatuor,hireos quatuor,petroſelini decem,mellis Attici quantum ſufficit,cum aquæ fontanæ calidæ cyathis tribus, dabis ad magnitudinem fabæ Aegyptiæ. Antidotum ad colum. Recipe caſtorij unc.unã,aſari foliorum unã,iuſquiami albi denarios uigintiunum,croci unc.unam & ſemis,mellis deſpumati ſex:dabis ut fabam Aegyptiam in careno. Colicæ cui nihil deeſt. Recipe aniſi drach.duas,fœniculi ſeminis duas,ſtyracis duas,opij II. hæc omnia tuſa & cribrata colliges melle non cocto,dabis magnitudine nucis ponticæ. Emplaſtrum ad phlegmata coagulata de inteſtinis reſoluenda. Recipe ceræ lib.unam, ammoniaci unc.unam & ſemis,thuris ſimiliter,terebinthinæ ſimiliter,medullæ uitulinæ uncias tres,picis unam, adipis anſerini ſemiunciam,galbani denarios ſex,opopanacis ſex,olei ueteris lib.unam uel quantum ſufficit, factumque emplaſtrum linteo induces ſpiſſo,& impones circa umbilicum atque ſubter,ut non tangat ſtomachum. Antidotum ad coli dolorem,& ad calculum,& ad ſtoſimi. Lauri baccarum unciam unam, petroſelini unam,piperis unam,teres & cribrabis, & mellis deſpumati uncias ſex admiſcebis, & in dolio colliges, & facies apozima ſic. Apij & fœniculi radices,rutam,pulegium ſine fumo, briſci radices, æqualia omnia coques in aqua ad tertias,& mittes potionem de antidoto cochlear plenum, & dabis ieiuno. Antidotum colicæ. Recipe aniſi drachmas nouem,apij ſeminis ſedecim,ſpicænardi ſex,caſtorij quatuor, piperis albi ſex,longi ſex,myrrhæ octo,ſquinantij quatuor,petroſelini quinque,opij octo,croci quatuor,mellis quantum ſufficit,dabisque menſura auellanę maioris ueſpere,ut reijciat ſi potuerit. Antidotum colicæ expertum. Recipe myrrhæ drac.IIII.caſtorij quatuor,mormicariæ duas,rutæ foliorum unã, opij ſex,croci quatuor,mellis deſpumati quod ſufficit,& dabis ad magnitudinem auellanæ maioris. Catarticum colicis. Recipe euforbij unc.unam,iris duas,maſticæ tres,dabis cochlear cum aqua calida. Enema ad colum, expertum,quo deponis & phlegmata. Recipe olei dulcis ſextarios tres, quod mittes in ſtagnatum,rutæ uiridis faſciculos tres,fœniculi ſicci faſciculum unum,allij purgati & contuſi capita duo,fœnugręci manum plenam,ita ut pridie infundatur in aqua,& cùm intumuerit, effuſa aqua,granum cũ oleo coquatur quandiu exiccetur: poſt hæc,colabis linteo,& iterum impones in foco, addesque ibidem adipẽ pullinum,anſerinum,phaſianinũ,medullę ceruinæ,& ſeui hircini parum, & laricis unc.unã & ſemis.poſt hæc colabis,& in dolio repones:& cùm uti uolueris,mittes per ſingulas uices olei nardini cochlearia duo, & de enema ſextarij partem quintam; ſed prius ſanè uentrem curabis,cùm enema acceperit, accipiat & per os. Oxyporium amaurenticon & oleum rutaceum ſic facies. Rutæ uiridis libras duas, olei dulcis decem,coques in uaſe duplici tandiu,dum ruta palleſcat,& agitabis ſemper de ramo rutæ, poſtea colabis & repones in uaſe uitreo. Enema ſic facies. Tolles olei nardini pondo duo,medullæ ceruinæ uncias quatuor,hyſopi ceroti tres,adipis anſerini ſex,adipis uitulini ſex,butyri quatuor,caſtorij optimi duas,laricis duas: caſtorium uerò tundes in pila fortiter, & ſic permiſcebis omnia, coquesque donec caſtorium quod tardius coquitur,ſoluatur. coques autem in uaſe duplici, & repones in uaſe ſtagneo. Inijcies uerò de medicamento hoc cochlearia tria, & olei rutacei cochlearia ſex, permixtum & calefactum in ueſicam manè & ſerò.quod ſi adhuc dolor permaneat,inijcies meridie,manè & ſerò.

Inteſtini uulneribus,condylomatis,uſturis, & rhagadijs ſuccurrendis. Cap. XXXI.

OLEVM uetus,picem,pollinem decoquere oportet,ac quàm calidiſſimum imponere. Folia rubi in quo mora naſcuntur, cum cera & roſaceo ſanant. Radices eiuſdem rubi decoquuntur ex uino ad tertias,eoque uino fouentur condylomata, & omnia ſedis uitia. Araneas dempto capite pedibusque,& ita infricatas,optimè ſanat condylomata. Adeps quoque anſerinus cum ceroſa & roſaceo & cera pontica imponitur. Adeps cygni ad idem facit,& hæmorrhoidas ſanat. Folij unc.unam, butyri egydos unam,ſtypeos unam,ceroſæ unam,ſpumæ argẽti unam,thuris unam,ceræ punicæ ſex,adipis anſerini ſex. conficies ſic: omnia pigmenta ſimul teres cum uino ueteri auſtero, ſicut collyrium,poſtea ſolues cerã,adipem & oleum addes,miſcebisque & utêris. Item ad inteſtini dolorem uel tumorem. Butyri uncias quatuor,& ceræ unam ſolues ſimul in carbonibus,deinde teres aphronitri candidi unc.quinque,mittesque ſimul,& agitabis,donec miſceatur;& cùm gelauerit,facies quaſi collyrium,ut cùm opus fuerit,paratum ſit.

Item iniectio ad rigorem inteſtini. Aqua euiſci,fœnugræci, meliloti ſimul coctorum, bene ſpiſſa. Item in oleum dulce mittes cyminum,anethum,& rutam, coquesque,& mittes ibidem dyacilon & adipem anſeris,ſimiliterque phaſiani,butyri etiam quantum ęſtimas ſufficere, miſcebisque cum aqua ſupra ſcripta & utêris. Iniectio calidior.in olei dulcis ſextarios duos,mittes rutę faſces duos, cymini pugnos duos,meliloti faſcem unum,anethi tres,ſtyracis lib.unam, admiſcebis uini ueteris quantum poſſit decoquere,& ſimul decoques;deinde admiſcebis butyri quartarium,dyacilon quantum ſufficit,& adipem anſeris,recondesque diligenter,& utêris. Alia iniectio leuior. Oleum anethinum,adipem anſeris,adipem phaſiani,dyacilon,tetrapharmacon quantum exiſtimaueris; ſi tamen neceſſe fuerit,ſimul miſcebis,& uteris. Iniectio alia. In oleo dulci coques abrotanũ & abſinthium,& utêris. Ad inteſtini rigorem ac matricis,& ad omnia interiora corporis,tolles iunci radicis unc.tres,maluę radicis tres,fœnugręci quartarium unum, lini ſeminis unum, meliloti ſemiunciam, ſquinantij ſimiliter; & hæc infuſa habebis in aquæ cœleſtis ſextarijs tribus per triduum, die tertia eadem hora qua infudiſti,coques in zema ſimul.& hoc ſucco penſabis uncias quatuor, & mittes in ſtagnatum, & adijcies olei anniculi libram unam, rutæ uiridis ſex, ſamſuci ſemiunciam, & decoques in primis lento igne: cumque hoc coctum fuerit, in aliud

uas

uas mittes, hysopi, ceroti unciam unam, terebinthinæ semiunc. butyri caprini unciam unam, adipis anserini tres, adipis porcini similiter, adipis pullini unciam unam, ceræ rubeæ, diacilō emplastri libram unā cum suprascriptis miscebis, & resolues, & sic coques hæc omnia: mittesque in uas, in quod posteriora pigmenta misisti, & simul coques, donec unum corpus fiant, & in mortario teres, ut se commisceant; & in olla rudi seruabis: & cùm inijcere uolueris, pensabis olei anniculi lib. unam, & medicaminis unam, & sic curabis. Item ad anum. Lithargyrij unc. duas, cerusæ tres, olei myrtini libras duas, clinicæ creticæ uncias duas; teres sicca in mortario & immittes.

Ad intestina rupta. Cap. XXXII.

MENTASTRI purgati quantum tribus digitis comprehendere potueris, tolles, adijcies foeniculi seminis & apij seminis cochlearia II. & in unum quàm minutissimè trita, & in uini optimi cyathis quatuor calefacta quod digiti pati possent, ieiuno bibendum dabis per triduum, & quemuis sedabit dolorem. Depilis leporinis in mellis manu plena decoctis facies pillulas, & quàm frequentissime ieiuno in melle dabis glutiendas, & sic intestina quamuis periculosè rupta sint, celeriter & efficaciter mederis. Stercus leporinum cum melle coctum & ad magnitudinem fabæ factum, datumque frequenter, interrupta interiora intestina conglutinat; assidueque hac curatione utendum, donec omni periculo liberetur: facit & ad dolentia intestina. Sed ad lumbricos & tineas. Herbæ betonicæ siccæ puluis ad denarium unum, & uini cyathis duobus ex aqua mulsa datur, quod sanat illos, qui aliquo ictu omenta læsere, uel de uehiculo lapsi sunt. Ad intestinorum dolorem. Semen coriandri & parum salis bene contrita ex uino austero ac ferro candente calefactum bibat, continuò curat & defectionem tollit. Brassicam conteres & succum exprimes, atque aquę calidę cyathum unum admiscebis, & ieiuno dabis bibere per dies quinque. Ad torsionem uentris. Rutæ unc. tres ex aquæ calidæ cyathis quatuor & herbā brassicā dabis. Brassicæ radices contusas in pila cum axungia ueteri appones; alligatæ enim omnem humorem & dolorem tollunt.

Ad ileon. Cap. XXXIII.

EILEOS, est grauissimum uentris uitium, cui resistit discerpti uespertilionis sanguis illitus uentri, & facit dysentericis. Oua pridie in aceto macerantur, ex his & farina & aqua panis iliacis fit. Quidam uero eadem oua resoluunt, & in patinis tosta dant in cibo. Caseus uetus ouillus in cibo prodest. Seuum item ouillum decoctum in uino austero bibitur hoc, quod & ciliacis medetur. Cochleæ duæ teruntur cum suis testis, & oua cruda ex passi cyathis duobus, & aquæ cyathis tribus; atque totum in nouo uase decoctum ad temperamentum potionis bibitur. Cochlearum cum suo putamine combustarum cinis, addita pusilla resina, ex uino bibitur. Senectus serpentium decocta cum rosaceo in uase stagneo, uentri illinitur. Dysentericis potiones ferro candenti calefieri debent. Caseus uaccinus recens immittitur. Ad omnes uero epiphoras uētris, caseum mollem in cibo poni iubent. Veterem autem tritum in modum farinæ, mensura cyathi addi in cyathos tres uini cibarij, & ita deuorari. Lac caprinū ad dimidias partes decoctum infunditur. Gluten taurinum aqua calida resolutum additur. Imponitur item inflationi fimus uitulinus in uino decoctus. Frequenter autem euenit ex causa aliqua latente, ut uentri dolor subitus existat; quo nunquā tentatur qui habet secum talum leporis, ut aiunt mulierculæ. Antidotum pema, quod facit ad ileon, colum, & intestina omnia: ita ut ad unam potionem dolores cessent; facit & ad phthisicos, qui etiam sanguinem excreant, sex potionibus datis ad lateris dolorem, ad sciam, ad quartanas, acceptum ante passionem: suspiriosis etiā multùm prodest. Recipe autem hæc. Spicæ nardi drachmas quinque, amomi unam, croci duodecim, costi octo, euforbij sex, folij duodecim, styracis septem, zinziberis octo, iusquiami duas, opij duas, pyrethri sex, piperis quinque, piperis albi sex, piperis longi octo, reupontici duodecim: quæ omnia trita, melle quod sufficit, commiscebis, & dabis auellanæ magnitudine.

Ad lateris dolorem, id est pleuresim. Cap. XXXIIII.

RVTAE & iunci radicum fasciculi singuli, & piperis albi grana nouem trita in uini cyathis tribus, ieiuno dabuntur. Succum erucę uiridis ad modum potionis, uel sex grana piperis cum salis grano tepefacta bibes, & transibit dolor. Ad lateris & iecinoris dolorem: tolles costi denarios duodecim, eupatorij duodecim, aloes sex, petroselini decem, baccarum lauri decem, fœnugręci quatuor, piperis duodecim: & hæc omnia in puluerem rediges, & dabis ex eo cochlear plenū cum aqua calida ieiunō, & iaceat in ipso latere. Ad pleureticos, qui in periculo sunt, melius facit. Piperis unc. unam, myrrhæ trochlicis denarios tres, mellis Attici libram unam; mel uerò & piper coques super lentos carbones, donec paululum spissetur, postea uerò depones, & sic mittes tritam myrrham cum modico melle diligenter, & dabis ut glutiat cochlearia duo. Antidotum ad pleureticos, quod mox dolorem minuit; ad tortiones etiam quæ remanent ex dolore coli specialiter, & ad omnes dolores frequenter eo utimur. Recipe castorij sicci denarios octodecim, dauci cretici seminis octodecim, panacis radicis octodecim, iusquiami albi nouem, opij thebaici nouem. Hæc omnia tundes & cribrabis diligenter, ac miscebis melle optimo despumato: & repones in uase stagnato, & ex eo dabis quantum est faba Cappadocia cum aqua calida potiones tres. Epithema pleureticon diapecanum. Recipe ceræ uncias nouem, olei cyprini

libram unam, opopanacis uncias duas, rutæ uiridis sex, sulphuris uiui duas, guttæ ammoniaci quatuor. Panacem uerò & guttam cum uino ueteri teres, & ruta trita commiscebis, & addes sulphur tritum, deinde facto ceroto permiscebis. Confectio pleuretica. Recipe hysopi ceroti unc. sex, terebinthinæ sex, ceræ sex, solues autem ceram & terebinthinam, hysopum cerotum, & sic admiscebis hireos tusum. Epithema pleureticon diapecanum. Recipe ceræ lib. unam, terebinthinæ unam, olei cyprini unam, opopanacis uncias duas, rutæ uiridis unam, sulphuris uiui duas. Ad lateris dolorem. Stercus caprinum in sylua inuentum, resolutum in aqua & percolatum, ac potui datum, celeriter & efficaciter, quamuis uehementissimum dolorem mitigat. Tritum apri stercus & admotum lateris dolorem sanare certissimum est. Ad lateris dolorem, qui respirare non potest. Fœnugræci unc. unam, piperis denarios quatuor, croci duos in puluerem rediges & commiscebis, dabisque cochlear plenum in potione: si febricitat, dabis ex mulsa cyathum unum ex aqua calida. Coriandri semen teres & cribrabis & cum melle coques, donec spissum fiat, & exinde manè ac serò cochlearia tria dabis. Rapæ denarios quindecim, ex mulsæ cyathis quatuor dabis per diem. Ad eos qui lateris dolorem patiuntur & sanguinem expuunt. Rapas tritas ex aqua, & lac caprinum dabis in die ieiuno, & cùm dormitum uadit. Herbæ ebuli radicem, dummodo sine medulla sit, ex aqua calida bibat, & lumbricos eijcit. Emplastrum ad lateris dolorem. Marrhubium & ceram & oleum in unum conteres, & panno illinies atque impones.

Costarum fracturis sanandis. Cap. XXXV.

FIMVM caprinum ex uino ueteri tritum, costisque fractis impositum, aperit, extrahit & sanat mirificè.

Lumbis dolentibus curandis. Cap. XXXVI.

ACINORVM nigrorum succi cyathus unus cum mulsæ cyathis tribus potui datus, lumbos dolentes sanat. Enulæ foliorum siue radicis pulueris denarij duo ex uini cyatho uno bibiti emendant. Pastinacæ item radices siue semen den. quatuor in aqua mulsa decocta & potui data, lumborum & renum uitia emendant. Porri sectiui succus ad cyathos duos, in uini cyathis duobus bibitus, sine mora sanat. Asparagi semen & cymini pari pondere tritum, & ex uino uel aqua calida potui datum, emendat. Apij itidem radicis succus ad cyathos duos, & uini cyathis tribus potui datus prodest. Oleastri item radix in uino coquitur, & ad cyathos duos potui datur. Radix similiter asparagi trita & in uino potui data, lumborum dolori medetur. Cataplasma ad idem. Nasturtium cum polenta teritur, calidumque imponitur. Ferulæ uiridis folia trita & in uino mixta & imposita, mirificè sanant. Lana succida in oleo, pice liquida, sulphure uiuo, nitro Attico feruefactis, intincta quàm fieri potest calidissima bis in die ponitur. Pilorum cypressi uiridis sextarios tres in aquæ sextarijs tribus in olla noua decoques, ut sicut cera mollescat, & sublatis granis quæ intus sunt, atque proiectis, ipsos teres diligẽter, & ut cataplasma pannis induces, lumbisque impones, ac desuper fascias ligabis, & hoc per triduum facies, ita ut quotidie mutetur, & de prædicto calastico sæpius lumbos confricabis, & in balneo cum ipso sudet: sed & cùm se collocat fortius, de ipso calastico loca perungat quæcunque doluerint. Sulphur uiuum imponitur cum adipe. Conditum nephreticum hoc recipit. Petroselini unciam unam, cassiæ unam, asari unam, spicænardi unam, zinziberis unam ac semis, leuistici similiter, betonicæ unã, costi uerò semiunciam, pyrethri unã, marathri unam, coconidij unam, saxifragiæ unam, olemi unam, artioticis semiunciam, piperis quatuor, apij seminis unam, baccarum lauri semiunciam, rutæ seminis unam, prassij unam, cymini unam, seminis asparagi semiunciam; de puluere autem mittes semiunciam, piperis unam, mellis optimi quod sufficit, uini Ascalonij sextarios sex, & uteris.

Renibus sanandis. Cap. XXXVII.

RADIX fœniculi cum tysana decocta & in cibo data, renum densitates relaxat; & eiusdem radicis succus ad cyathos duos in uino potui datus, mirabiliter uitia sanat. Vrticæ semen tritum ex uini cyathis tribus bibitur. Betonicæ pulueris denarij duo, ex mulsæ cyathis tribus febricitantibus cũ aqua calida propinantur. Asparagi item radix teritur, & ex ea denarij tres ex uini cyathis tribus potui dantur proficuè. Ozymi itidem succus sæpius bibitus, renum uitia emendat. Ius ciceris cum condito bibitur. Lauri baccæ uirides quamplurimæ tritæ super renes imponuntur, & ex uini cyathis tribus pulvis earum bibitur. Ad renum dolorem, uel ad lapides eijciendos, & ad urinam prouocandam. Recipe petroselini unc. unam, piperis duas, fœniculi seminis tres, helenij quatuor; dabis uerò denarios tres cum aqua calida. Antidotum ad renum dolorem, qui lapillos colligunt, & uix cum dolore proijciunt, & interdum proijcere non possunt. Recipe men semiunciam, petroselini similiter, spicænardi similiter, iris similiter, baccarum lauri purgatarum semiunc. piperis denarios sex, testarum oui ex quibus pulli nascuntur, uncias tres, seminis caulum semiunciã, mellis optimi quod sufficit ad totum puluerem colligendum; omnia enim tusa cribrabuntur diligenter, ut sint minutissima: dabis autem cum condito in modum auelanæ paruæ, febricitantibus uerò cum aqua calida. Ad renum dolorẽ, siue ex frigore fuerit, siue ex casu, siue de ictu: hoc physicum est & probatum. Pollices pedum perunges pice liquida spissa, & lana caprina

super

super obuolues,& ambulabis. Hocque medicamentum in die bis uel ter mutabis per dies nouem, renes autem nullo medicamento tanges. Emplastrum malaginaticum ad renum dolorem. Recipe styracis uncias quatuor, thuris quatuor, galbani quatuor, ammoniaci quatuor, picis uirginis libras duas, ceræ duas. Styracem uero & galbanum & ceræ partem mediam in pila tundes,& facies collyria, deinde picem & ceram simul solues, thus in puluerem rediges, ammoniaci puluerem cum aceto teres. In cacabo uero, ubi pix & cera soluuntur, malaxabis collyria suprascripta, ut se misceant; postea guttam tritam cum aceto & puluerem thuris supermittes,& agitabis bene, ut se commisceat; deinde leuatis partibus omnibus, in recentem ollam mittes & facies collyria: hoc idem etiam isciaticos sanat. Recipe terebinthinæ uncias tres, galbani duas, euforbij semiunciam, panacis similiter, olei cyprini libram unam, ceræ uncias sex. Cataplasma ad idem. Euisci radix ex uino decocta & trita atque imposita, dolores renum sanat. Serpyllum & radices caulium contundes & teres admixta axungia,& renibus appones. Recipe styracis uncias duas, mannæ thuris duas, galbani duas, ammoniaci sex, terebinthinę sex, ceræ librā unam, picis unam. Conficitur autem sic. Ammoniacum & thus cum aceto uel biduo teruntur, deinde styrax & galbanum & ceræ pars in pila tunduntur, ut unum corpus fiant: pix, resina,& residuum cerę resoluuntur & colantur, ac sic commiscentur species suprascriptę: hinc fiunt madalia,& seruantur. hocque & isciaticos curat. Emplastrum ad idem. Recipe euforbij unciā unam, pyrethri duas, castorij unam, stafisagriæ unam, sansuci unam, ammoniaci quatuor, ceræ libram unam, nardi unam. Epithema ad renum dolorem, quod in modum collyrij colligitur. Recipe cerę libram unam, gypsi specularis cocti denarios sex, colophoniæ frixæ unc. decem, mellis boni uiginti, spumæ argenti aurosæ trigintaseptem & semis, aceti acris sextarios octo & semis,& denarios sex, olei Sauinensis unc. unam, iu, iscisti unam. Diatessaron nephreticon, fu, meu, asarum, nardum celticum æqualia teres,& dabis in mellicrate. Elegma nephreticon. Recipe piperis albi denarios tredecim & semis, petroselini similiter, cassiæ fistulæ tres & semis, betonicæ quatuor & semis, zinziberis nouem, nardi pōtici nouem & semis, saxifrici nouem, mellis despumati lib. unam & semis, dabis autem cū condito cochlear unum. Emplastrum nephreticon. Recipe nardi uncias nouem, ceræ sex, colophoniæ duas, myrrhæ unam. quod facit & ad eos qui pulmonum inflationem patiuntur, uel cui uiscera tument, quod est plancia. Emplastrum ad quod suprá. Recipe ammoniaci unc. duas, lybani duas, bdellij duas, myrrhæ duas, castorij unam, masticæ duas, nardi octo. Epithema pleureticon. Recipe ceræ drach. octo, iris quatuor, piperis albi duas, codion quatuor, cyprinum rutatum: quæ cum cyprino rutato coques,& ita cerotum facies, & omnia permiscebis. Antidotum ad renum dolorem, quod harenas detrahet. Recipe apij seminis uncias duas, petroselini duas, anisi tres, dauci denarios duodecim, scaonitis octodecim, croci unum, mellis quantum sufficit, daturque in modum lupini cum cochleari mellis & aquæ cyathis tribus. Antidotum ad renum dolorem & tumorem; & ad iecinoris ac lienis tumorem,& ad eos qui propter hæc uitia, mali coloris sint: facit & ad aquas matricis. Recipe croci deñ. sex, nardi rustici sex, costi sex, scenitis tres, cynamomi tres, myrrhę & stactis tres, mellis unc. tres & deñ. tres: datur uero in modū auellanæ ex mulsæ cyathis duobus, ita & febrietibus dabis. Antidotum ad renum dolorem,& ad uesicam,& calculum comminuendum & expellēdum, ad tumorem & exulcerationem renum & ad omnia uitia eorum, etiam si sanguinolentam urinam faciunt. Sicca rosa, papaueris semen,& nuclei pari pōdere coquuntur & trita miscentur,& hinc datur in modum auellanæ amplioris ex aquę cyathis duobus uel tribus. Ad renum & lumborum dolorem in picem liquidam lanulam intinges,& super umbilicum pones. Emplastrum ad dolorem renum, à quo multi curati sunt. Citonia optima intus & foris purgata numero decem coques in omphacio, melle siue uino Ascalonio aut Siculo, dactilos etiam optimos purgatos numero decem coques similiter; addes aloes hepaticis tritę unc. tres, croci triti cum uino semiunciam; postea facies cerotum de oleo melini libram unam, cerę unam: quod cūm refrigiuerit, omnia simul miscebis,& impones. Herba agrimonia trita & potui data, dolorem sedat. Si uero ex pondere sentiat, pollinis fabę sextarium,& betę uiridis succum simul coques & calidum impones per triduum. Betonicæ denarios duodecim ex aquæ calidæ cyathis tribus, si febricitet: si autem non febriet, in uini cyathis tribus. Ad renum dolorem. Castorij denarios tres, resinæ tres, seui taurini similiter, picis duræ similiter, styracis similiter, olei nardini quantum sufficit. Hęc omnia in unum coques & impones: examinatum est. Catapotia ad renum dolorem. Recipe apij seminis uncias duas, sisseleos duas, petroselini unam, tordeli quatuor, piperis albi unam, erucæ seminis duas, nuclei sextarios duos, partem dictami, farinę rubi heminas tres, mellis sextarium unum. Conditum nephreticum. Recipe eupatorij unam unciam, petroselini unam, squinantij unam, spicęnardi unam, asari drach. unam, marathri seminis sex, folij unam, cyperi unam, piperis decem, reupontici IIII. dauci Cretici sex, uini optimi quadraginta, mellis libras uigintiquatuor; teres autem diu sicca cum melle: Postea mittes uinum,& cūm digestum fuerit, dabis in balneo in solio,& post balneum agitabis,& uteris. Conditum nephreticon, hoc est ad renes. Recipe petroselini, spicænardi, saxifricæ, piperis, betonicæ ana unciam unam, asari, dauci, fu, ana semiunc. singulas, croci drach. duas, uini sextarios duodecim, mellis duos. Epithyma nephreticon expertum. Recipe euforbij unciam unam, nitri sex, adipis porcini unam, opopanacis unam, galbani duas, bituminis unam, cum aceto autem sicca teres, permixtisque uteris, pones super lūbos & umbilicum. Cōfectio ad renum dolorem, uel ad uesicę & stomachi. Recipe masticæ unc. tres, cassiæ denarios nouem & dimidium, folij similiter, costi similiter, ammoniaci octodecim, absinthij nouem, rosæ siccæ nouem, alicæ nouem.

Ad uesicæ dolorem. Cap. XXXVIII.

PETROSELINI semiunc. ficorum seminis similiter, apij similiter, tundes simul & cribrabis, adiecto paruo myrrhę optimæ cum piperis granis nouem. Hæc omnia cum uini optimi cyathis duobus miscebis, & dabis potui in solio post sudorem: & cùm redierit, in calido mēbra contineat. Hæc enim potio sexum & ætatem celerrimè sanat. Nasturtium tritum cū uino dulci cibario ac ualde spissum per triduum potui datum. Apij radices & fœniculi & asparagi bene lotas & exiccatas, æquis pōderibus subcondes, & hoc septem diebus in uino calidissimo macerabis, ita uti operiantur uino, & hinc merum, dum opus fuerit, accipiat ieiunus. Aluminis scissi unc. unam, & draganti duas conficies sic. Dragatum pridie in aqua maceratum, alumini trito miscetur, hinc facti pastilli in modum scrupuli dimidij cum passę cyathis duobus dantur. Brassicę seminis triti den. unum, piperis duos admiscebis, & ex eo cochlear plenum in careni potione dabis per triduum. Fœniculi, asparagi, petroselini & apij, & herbæ saxifricæ uel uerbenæ manipulos singulos cum aqua ad tertias decoques, & ex hac aqua in uino, ieiuno in uino optimo propinabis per dies nouem. Est enim res salubris. Ad uesicam uulneratam. Radices apij, fœniculi & asparagi infundes in uino ueteri albo, & ieiuno, quantum unus est calix, dabis. Ad uesicæ dolorem, uel urinę difficultatem. Pulegium, spicam nardi, & folium trita mittes in saccellum paruum & plenum appones ad uesicæ dolorem, uel qui sanguinem mingit. Marrubium conteres & addes passum, ac tantundem aquæ decoctæ, & bibes. Ad uesicæ dolorem, uel si guttatim aquam digerit. Cardi semen ex uini sextarijs duobus decoctum, ut ad heminam redeat, totum uitium tollere constat, si frequenter fiat. Fœniculum itidem decoctum & potui datum unc. decem, nimis proficit ad omnes difficultates. Itemque millefolium & acetum bibitur contra omnes uesicæ difficultates. Trifolium item minutissimum cum pipere & pulegio potui datur. Petroselini cyathos duos, olei rosati duos, apij seminis tres, simul tūdes & cribrabis tenuissimè, & ex eo cochlearia tria in mortario trita tenuissimè edes. Fomentum uesicæ, ut meatus anterior laxetur. Recipe meliloti unc. unam, fœnugræci heminam unam, euisci fascem unum, maluarum agrestium & satiuarum radices, camomillæ siccæ uel uiridis unciam unam, lauri quoque folia & herbam uesicalem simul decoques, & per triduum fouebis. Euiscus sanè & laurus fœminis molestior, ut si mulier fuerit, saluatur matrix: si uirgo, rheumatizet. Ad hoc, fomentum renum postea faciendum. Laurum, pulegium, myrtum, gramen, anethum & rutam decoques, & per triduum fouebis. Ad uesicæ dolorem, quæ iam grauiter afflicta est, sed & si puteat & ad stranguriam, ad calculum quoque, necnon ad loca mulierum, quæ res & homines à morte reuocat: Tolles asparagi radices, graminis radices, apij quoque cum suis folijs, maluas & ius maluarum quod exprimitur: Subinde adijcies rosmarinum, ramulum cypressi, ramulum herbæ sauinę, ramulum pulegij ueteris, fascem allij, cerros restis unius siccos, coronam roseam siccam, lauri ramulum, nepetæ montanæ fasciculum, fœnugręci semen contusum, hederę rutęque ramos, uerbenæ ramos cum suis radicibus, herbæ quę nascitur secus aquam, & habet folia similia fabæ, fasciculum, apium erraticum. & hæc omnia mittes in uas amplum, ut aquam plurimam capiat, & decoques usque ad tertias, ita ut ter uas impleas; & ex hac aqua decocta dabis ieiuno bibere, & in ipsa aqua calidissima, prout pati potuerit, sedeat in balneo, ita ut testiculos & uerenda in aqua habeat: sedeat uerò quādiu potuerit, & subinde ex eadem calida adijcies, donec sentiat se proficere, ac sabulum per urinam digerere; hocque facies per triduum; & licet uitium sit uetustissimum, sanabitur, in utroque sexu, quęlibet sit ætas. Mulier autem quæ his locis aut uesica laborauerit, ex ea intus utatur ut sedeat similiter, ut suprà de uiro diximus. explicabit enim & stranguriam, & tortiones omnes uesicæ statim soluet. Ad podismum uero potionem sic demonstrabis. Mittes in uesicam calculos, & cum ipso medicamēto suspendes in calore balnei, ut tota nocte pendeat, & inuenies manè calculos ui medicaminis resolutos. Rutę agrestis grana nouem trita ex aceti hemina subferuefacies, & dabis bibere continuis diebus nouem, sanusque fiet. Ouorum putamina, unde pulli nati fuerint, quod sufficiat, contundes, & myrrhæ tusæ & cribratæ semiunciam commiscebis, & in passo ieiuno dabis. Asparagi item montani siue syluatici fasciculum bonum, aut certè radices eius decoques ex aqua bene, & ex ea aqua bibat cum uino: mirificè sanat. Porri itidem sectiui uirginis succi cyathum unum ex passi cretici cyathis tribus bibat. Item amygdalas numero triginta diligentissimè teres. Draganti etiam semiunciam in sapa infusam & bene tritam simul miscebis ac colliges, hinc dabis in modum auellanæ, cùm dormitum uadat.

Vesicæ & calculo purgando. Cap. XXXIX.

AMILI semiuncia conteritur, & ouum eiusque putamen ter impletur passo, idque balneo subferuefactum datur aduersum calculi dolorem. Cicer arietum in aqua discoquitur cum sale, & ex ea aqua bibuntur bini cyathi per triduū in difficultate urinæ, sic & calculi pelluntur. Cafforæ tritæ dolori imponuntur aduersus urinæ difficultatem. Murino itidem fimo dolorem illinire prodest. Vermes item contriti bibuntur ex uino aut passo. Ad calculos comminuendos pellendosque. Cochleę inanes combustę conteruntur, & cinis earum in potione datus, calculos pellit. Lapilli autem qui in gallinaceorum, aut palumborum uesica inueniuntur, contriti potioni insperguntur. Fimus palumborum in sorbitione ex faba fracta bibitur. Turturum itidem fimus in mulsa decoctus imponitur. Cicadas coctas das in patella

patella in uesicæ dolore, utile enim est contra omnes uesicæ dolores seu difficultates. Cinis plumarum palumborum ferorum ex aceto mulso bibitur. De nido itidem hirundinis glebula uti diluta ex aqua calida bibitur. Turdorum fimus ex mulso decoctus imponitur. Conuenit quoque turdos esse cum baccis myrteis in aqua, in qua decocti sint pedes agnorum. Scorpio marinus in uino necatus, uesicæ uitia sanat, & calculos pellit: ipse autem sanè editur, & uinum bibitur. Lapillus qui inuenitur in scorpionis marini cauda, utiliter potatur. Inueniuntur in brancis capitis piscis quasi lapilli, qui poti ex aqua, calculosis præclarè medentur: Echini cum spinis suis tunduntur, & singuli ex hemina uini bibuntur. Difficultatibus urinæ succinum potatum alligatumque prodest. Plantaginis itidem uel folia, uel radices potare ex passo prodest. Vesica apri in cibo elixi sumitur. Leporis renes inueterati in uino poti, calculos pellunt. Vngulæ equi cinis ex uino uel aqua bibitur.

Incontinentiæ urinæ compescendæ. Cap. XL.

VERRINI genitalis cinerē potare ex uino dulci oportet. In canis ualet cubili urinam facere. Item remedium, ne ipse urinam faciat, ut canis in suo cubili. Vngulæ apri uel suis cinis potioni inspergitur. Leporis quoque cerebrum in uino bibitur, & eiusdem testiculi tosti eduntur. Anserum etiā trium linguæ assæ in cibo sumuntur. Cochleæ Africanæ cum carne sua comburuntur, cinisque earum ex uino bibitur.

Ad uerendorum uitia, si formicatio sit uel uerrucæ. Cap. XLI.

ARIETINI pulmonis sanies illinitur. Cæteris uerò uitijs, arietinorū uellerum cinis ex aqua, & seuum omento pecudis præcipuè ab renibus admixto, & pumicis cinere & sale imponitur. Lana item succida ex aqua frigida. Caro pecudis combusta trita ex aqua frigida. Mularum itidem ungulæ cinis. Dentium caballinorum tusorum farina inspergitur, ulceribusque imponitur cum melle, hysopum & plū bis foria. Muricum uel purpurarum cum suis testis & carne combustarum cinis cum melle, carbunculosque eorum salsamenta cum melle cocta confringunt. Singulariter uerò cerebrum apri cum suis, sanat eā quę serpunt. Fel item bubulum cum alumine Aegyptio ac myrrha ad crassitudinem mellis subactum illinitur. Insuper beta cocta ex uino & trita imponitur.

Testibus & ramicibus medendis. Cap. XLII.

HOLVS cum faba cocta æquis partibus dolori apponitur. Bulbi triti ex uino mulso & illiti medentur. Rutam item cum teneris lauri ramis contritam tumori imponunt. Cyminum quoque tostum, contritumque cum cera & melle ac rosaceo. Farina lini seminis cum resina & myrrha contra dolorem facit in uino cocta & cōtrita. Inflationi uerò beta ex aqua imponitur aut melle. Ad idem. Fex uini aut faba ex uino illinitur. Folia cypressi cum polenta trita ramini prosunt. Pillulæ item de cypresso teneræ tritæ cum axungia & lomento imponuntur. Succus de pillulis cypressi, si cum ficu arida, prius demptis granis imponitur, iuuat. Farina quoque fœniculi in hydromelle decocta, addita axungia, facit ad omnia. Si uerò decidit alter ex testibus, spuma cochlearum illinitur, tetrisque uulneribus ibi manantibus auxiliatur capitis canini recentis cinis. Senectus anguium trita ex aceto atque hydromelle. Stelliones quoque demptis pedibus, & interaneis, & capite, & assati in cibo dantur. Tumores testium marina aqua utiliter fouentur: quòd si & dolor & tumor sit, posca calida imponitur in spongia.

Inguinum uitijs iuuandis. Cap. XLIII.

NEGANTVR inguina ītumescere eius qui habeat secum surculum ex myrto, nec ferro, nec terra tactum. Cochleæ minutæ tritæ ex melle illiniuntur, inguina priusquam exulcerantur uel intumescant; in licio autem facere nouem nodos oportet, atque ad singulos nominare singulas mulieres uiduas, ac tum licium alligare ad talum, uel cruri, uel infra genu. Si autem ex equitatu fœmina uexata sunt, spuma equi ex ore fœminibus illinitur, & inguibus imponitur. Fimus suillus sub testa calefactus, & tritus cum oleo. Oleo item de lucerna intestini caput perfricabis ter, miraberisque effectum, sed posteaquam meatū unxeris, aliquantulum reijcias. Lini itidem semen ex aceto & oleo decoquitur, & tritum inguini imponitur. Myrtea uirga quæ ferro tacta non fuit, in dolore inguini circunligatur; absinthiumque habere in uentrali prodest. Lupini ex aceto cocti fomentum optimum est, & tollis & parothetis utile est.

Ad intertrigines. Cap. XLIIII.

PVTREDO ligni in puluerem redacta inspergitur. Lentisci foliorum puluis ad idem facit. Myrti item foliorum puluis mirabiliter facit. Corticis quoque granatorum puluis mirè facit.

Sciæ sanandæ. Cap. XLV.

VERMIS terrenus effoditur, & imponitur in catillum ligneū, fissum, ferro alligatū, aqua pfun-

ditur, rursusque in eo loco, in quo erutus est, uiuus suffoditur, & ea aqua in eodē catillo bibitur. Cochleę crudę ex uino mero cum pipere bibuntur. Lacerta uiridis dempto capite & pedibus cum interaneis condita, ut fastidium abigat, in cibo datur. Rubeam qua pelles conficiuntur, quotidie bibere utile est. Lauri & genescæ rami pluribus diebus in aceto macerantur, deinde tunduntur & coquuntur, & ex eo succo quotidie cyathus potui datur. Fimus quoque bubulus calefactus in cinere ferventi, locis dolentibus in foliis cuiuscunque holeris imponitur. Picis puræ pond. IIII. solues in cacabo, donec penitus liquescat, addesque sulphuris uiui triti unc. unam & semis, hordei pollinis heminam, & aceti acerrimi heminam; quodque tandiu misceri & confricari facies, donec unum corpus efficiatur, & sic induces in alutam. & postquàm balneum exieris, in locum qui dolet, impones, & uteris biduo; & post rursum lauaberis, ac post balneū renouata cataplasmata impones, hocque tertia uice facias, & recipies integram sanitatem. Capparis radices in aqua decoctas & bene tritas, pannoque inductas, ad noctem impones, & alio die sanus lauabis. Nepeta ante solis ortum sublata & imposita, remedium præstat: hac etiam trita seu uiridi in balneo fricetur. Frustum enulæ uiridis cum uino albo bene teres, & colabis per linteum, & dabis cui coxa uel sciā dolet. Sed prius aliud frustum teres, & illinies uertebro uel coxæ dolenti, & cùm fricauerit, bibet potionem suprascriptam, & in ipso latere iacebit. Silphij cochlear plenum cum aceto & aqua dabis bibere. Potio ad sciam. Herbam agrimoniam cum fuste roboreo euelles, teresque radices eius, terges diligenter, & teres in potione unà cum uino quantum sufficit, & sic dabis bibere per triduum. Bulbi albi succus potui datus medetur. Itemque senecionis succi drachma una cum oxymelle potui data, si mox deambulet, prodest. Porri item capitati succus potui datus, ad sanitatem efficaciter perducit. Salis item ammoniaci cochlear unum in uini cyathis duobus bibitur. Malagina galieni sciaticis. Recipe pyrethri unciam unam, castorij unam, helenij, adarcis unam, euforbij unam, zinziberis unam, ceræ unā, uini quātum sufficit. Alia potio ad sciam. Plantaginem, porrum uirginem, & heliotropij iuris folia, teres diligenter, & expressum succum dabis in uino ueteri tepefacto, luna decurrente per ter dabis bibere; & quando heliotropium folia non habet, radices eius tolles uel cętera. Potio ad sciam, ad coxam, ad arthritin, ad pedes. Hibicini fimi pugnum, piperis grana XXVI. teres diutissime, addesque mellis heminam unam, & uini sextarios duos, dabisque stanti per dies septem. Genescæ item frondes & caules cū aceto madefactas sumere triduo conuenit. Vnctio item leonis, & leopardi adipes, & pyrethrum pari pōdere admiscebis, aphronitro & euforbio tantundem admixto & balsamo, & quotidie coxam in sole perfricabis, & cùm melius senseris, adijcies passam & oleum rosatum quod sufficit. Curat etiam neruorum & articulorum ualetudines. Acopum ad coxæ uitia, calidissimum. Recipe olei terebinthini libram unam, axungię ueteris duas, cerę IIII. galbani unam & semis, euforbij duas & semis, panacis similiter, adarcis duas, sagapeni tres, castorij pontici sex. conficies uerò sic: Sagapenum & panacę infundes in modico aceto, & teres oleum terebinthinum, & axungiam ceramque simul solues, cętera tundes & cribrabis: & simul omnia miscebis, & colliges in uase uitreo, & uteris, confricando per unam horam cōtra solem, uel ad carbones. Confectio sylopomi ad sciam. Recipe pyrethri uncias duas, medullæ ceruinæ unam, galbani unam, hysopi unam, adarcis duas, terebinthinæ unam, piperis unam, balsami libram unam, olei cyprini uncias sex, olei hircini librā unam, olei styracini unam, olei amaracini uncias tres, olei laurini quatuor, cerę punicæ tres. Confectio malagini sciaticis experti. Recipe ceræ libram unam, picis duræ duas, terebinthinę de cauliculis unc. sex, ammoniaci sex, styracis optimi duas, mannæ thuris duas, galbani unam & semis, aceti acerrimi quod sufficit. conficies sic: Ceram, picem, & resinam igne lento solues, styracem & galbanum admixta modica cera tandiu tundes in pila, donec malaxari possint: ammoniacum uerò leni manu teres, ut puluis fiat, addesque acetum, ut pinguius fiat. Deposito uerò cacabo, galbanum cum styrace supermittes, & de spatula mouendo, commiscebis postea omnia: deinde in mortario super omnia condimenta fundes, uel manibus permiscebis acetum, hocque facies assiduè, spargendo super quantum species possint combibere, & uteris. Confectio medicamenti sciaticis. Recipe salis communis uncias tres, & deñ. tres, leppidii unc. unam & semis, ammoniaci sex, sinapis sex, pyrethri unam, strutij unam & semis, aristolochiæ longæ sex, camepitheos unam, colophoniæ tres & deñ. X. olei ueteris unc. nouem, propolis sex, resinæ pituinæ siccæ sex, stercoris columbini semiunc. melibdenæ tres, & deñ. tres. Cōfectio nitri sciaticis. Recipe adarcam, pyrethrum, sinapis semen, stafisagriam & nitrum rubeum æquis ponderibus: quæ omnia contundes & cribrabris diligenter, in balneo uteris sine unguento. Ad coxarum dolorem, & ad sciā. Brusci radicem contundes, & in uino ueteri decoques ad tertias, & tres cyathos exinde ieiuno dabis bibere. Herbæ camipides, quam piscariolam uocant, teres si uiridis est, deñ. III. & ex aqua mulsa potionē dabis per dies XX. Ipsam item herbam uiridem contundes, panem aūt nauticum pridie infundes in aceto acri; postea ipsam herbam contusam exprimes, & adijcies salis tenera pro modo, & saponis gallici pillulas, & in modum cataplasmatis sciatico iduces à uertebra coxę usque ad geniculum, ita ne subfragmen tāgas, & fascia cinges: & cùm sudare cœperit, in calida depones, & ibi diutius faciat: cùm uerò exierit & desudauerit, tolles, & locum ipsum oleo perfricabis, mirū effectu est. Cochleas crudas cum testis XIX. bulbos crudos XXI. piperis grana XXIII. in unum cōmiscebis, & teres, ut fiat in modū ceroti, & inductum panno, exeunti de balneo induces in coxam, & ligabis, & post triduum solues eunti ad balneum. Apij uiridis, siue apiastri radices, ipsosque uerticulos rotundos ad modum ceroti facies, & eunti de balneo impones in panno, & post triduum solues in balneo, post pangra perfricabis, quod conficies sic. Cerusæ unciam I. argenti spumæ unciam unam, cerę quantum sufficit, & post balneum impones. Hoc cerotū aliqui

totion

torion appellant. Malagma Isciaticon. Recipe peculæ unciam unam, euforbij tres, pyrethri duas, sulphuris uiui tres; calefacies uero peculam usque dum regelet: & tusa omnia & cribrata permiscebis, & in aluta inductũ impones, ligabisque, ac die tertia solues, & duces in balneum, & post balneum utetur ceroto cyprino & oleo cyprino. Acopum Isciaticis. Recipe nitri unciã unam, tinaperis duas, staffisagriæ unam, alcionij unam, ceræ sex, terebinthinæ sex, cyprini tres, tapliascylon duas: tapliascylon uero cum aqua marina, & sicalia soluta permiscebis. Herbæ camitriæ uiridis collectæ mense Maio, manum plenam teres diligenter cum pipere, ita ut acrum sit, admiscebisque uini acri sextarium unum, & alterum seorsum pones: & cùm distemperatũ fuerit, in potione dabis calicẽ dimidium, & refundes de uino puro tantundẽ: & ita facies per dies octo, sicque facies, ut ambos sextarios adijciendo consumas unum, singulis diebus dimidiam heminam bene calefactam, & iaceat in ipso latere obuolutus pãnis ut sudet, donec digerat potionẽ. abstineat uero à balneis & recentibus carnibus, & sanus erit: alij parum mellis adijciunt, propter asperitatem. Ad Isciam quæ quodãmodo semper ex phlegmate fit, dabis in primo geræ semiunciam, aut certe secundum uires, & mensuram tenebis, & post dies quatuor, iniectionibus curabis: sed prima iniectio recipit hæc. Centauriæ deñ. sex, colocynthidos unum contusum, radicis cucumæ syluaticæ sex, radicis betæ unciam unam, sulphuris unã, anethi deñ. sex, aquæ sextarium unum, coquesque ad tertias & colabis, & in ipsam aquam addes mellis potionem, & inijcies hora prima, expectabisque opus iniectionis usque ad horam quartã, ut bene purgetur. post hæc, facies iniectionem alterã, quæ habet olei & anethi potionem & adipis semiunciam, castorij triti deñ. tres: commiscebis autem hæc, ac tepida inijcies, & teneat quandiu potest: cùm uero hæc omnia feceris, exerceatur ambulatio per dies septem. Postea ut percuretur, utatur iniectione ista per dies plurimos, ut causa dissoluatur. Recipe euforbij uncias duas, tapsiæ unam, & semis, adarcę unam, pyrethri duas, sinapis unam & semis, erucę seminis duas, piperis albi duas, piperis nigri unam & semis, bulbi rustici albi duas, ceræ albæ duas, olei cyprini duas: hæc omnia commiscebis cum oleo suprascripto diligenter, & ungendo fricabis diu lenta; in alijs locis durioribus, unguento puro uteris in stomacho uel medijs contra frigus cum nardo unges & uteris.

Ad coxæ dolorem. Cap. XLVI.

STYRACIS optimæ unciam unam, castorij unam, euforbij unam, quod non sit pertusum, piperis duas, cymini barbari duas, uini ueteris ascolanij fortis sext. semis: hæc omnia mittes in ollam nouam capiẽtem sextarios duos, addes quoque stercus columbinum, coquesque in carbonibus modice, & inde unges coxam siue renes, ubi dolor fuerit. Vnctio ad dolorem coxæ siue uertebri probatissima. Recipe panacis semiunciam, lasaris optimi deñ. sex, seminis caulium tusi & cribrati semiunciam, cymini tusi & cribrati unciam unam, baccarum lauri tusarum & cribratarum unam: panacẽ uero & lasar infundes in uino ueteri, & post biduum, nouum cum uino ueteri calidissimo sufficienti, & modice calefacies ad prunas, & commiscebis simul panacẽ & lasar, & calefacies agitando; in calido sole uero contra pilum diutissime confricabis. Artemisia herba, admixto aceto imposita in triduo, tollit dolorem. Acopum Isciaticum. Recipe euforbij, myrrhæ, tinaperi, lybani, cyprini ana unciam unam, quæ commiscebis, & uteris.

Ad geniculorum dolorem. Cap. XLVII.

QVINQVEFOLIVM adiecto modico sale contritum, aspersumque aceto, & genibus circumligatum, efficaciter medetur. Baccarum hemina, ficus Aphricanæ libram unam, axungiæ uncias sex, cum uino ueteri simul contusa & illita, efficaciter persanant. Ad genua & ad pedes. Neruus de cruribus uulturis contundes, ac talis impones, & alligabis, statimque dolor decidet. Est enim res physica & comprobata. quòd si genicula fortè contracta fuerint, lomentum ex faba in passo maceratum impones, ac desuper caulium folia alligabis. Aphronitrum maceratum cum lana succida imponitur.

Tibiarum uitijs succurrendis. Cap. XLVIII.

CARDAMOMI herbæ folia cum aqua, tusa & imposita sanant. Ad tibiarum tumorem folia herbę anagallidis per triduum alligata, tumorem tollunt. Ad ulcera in tibijs & cruribus. Lomentum fabatium ex aceto acerrimo cõspersum teres diligenter, & panno inductum impones; & cùm cœperit exiccari, ex ipso aceto suffundes usque in diem tertium. Adeps ursinus admixta rubrica & imposita, magnificè sanat, solusque adeps facit idem. Caprinum item fel, uel aprinum, cum resina & ceroto resolutum, uulnera quæ serpunt, mirificè sanat. Sordes casei sicci, & fimus ouis mollis pari põdere trita, adiecto melle pusillo, intra dies uiginti curant. Caprinus fimus ex aceto subactus & subferuefactus imponitur. Lenticula item ex aqua decocta, addito exiguo mellis, trita & imposita sanat. Ad maculas autem tibiarum ex ictu recentes, coriandrum ex aceto tritum & impositum, eas inhęrere non patitur. Ad tibiarum ulcera, resina cum cerusa imponitur. Cinere autem maxillarum apri uel suis insperguntur: omniaque in his locis ulcera purgantur, complentur, persanantur, butyro ac medulla ceruina, felle item taurino cum cyprino oleo & hircino.

Talorum uitijs tollendis. Cap. XLIX.

MVSCVLVS ex oleo tritus sedat uitium, & tumorem tollit. Limus aquaticus cum oleo

subactus & impositus, prodest. Caprinus fimus siue bubulus ex aceto decoctus, & cum melle subactus utiliter medetur. Ad laxatos uero talos, fimum caprinum siccum siue bubulum in puluerem redactum, ac cum melle mixtum & impositum, laxatis tumorem & dolorem sedare certum est. Vitulinus item fimus recens laxui & tortis talis aliquo casu continuò impositus, non solùm dolorem, uerùm etiam collectiones ac tumores mirè arcet. Mulieris capillus quamplurimus in cinerem redactus, admixto ouium adipe, ueteris ceroti modo illinies: celeriter enim dolorem releuant, & pristinā restituunt sanitatem. Talis tumentibus fimus caprinus decoctus & subactus melle imponitur. Pulmo marinus imponitur. Cancri marini cinis ex oleo; utiliterque aqua fouentur, in aqua eorum decoctus est. Bubulas quoque impositas, ac de suballigatas, luxaturam experti sanare promisêre.

Ad tumorem pedum. Cap. L.

SQVILLAE purgatæ libras quatuor, pulegij uncias sex, aceti sextarios duos, mellis librā unā, conficies & impones, miraberisque eius rei effectum. Lana cum cinere calido, omnia ulcera pedū sanantur. Fimi gallinacei uel columbini cinis ex oleo ulcerationibus medetur. Tegmenti item testudinis cinis ex uino & oleo temperatus, ulceribus pedum medetur. Seuo pecudum cum alumine, si plura sint ulcera, sanantur. Articulis uerò fimus columbinus tritus imponitur.

Pernionibus & uitijs pedum. Cap. L I.

FICVS aridę discoctę, cum cera liquida subactę, ambustis & pernionibus imponuntur. Seuo pecudum cum alumine, si plura sint ulcera, sanantur. Terrenorum uermium cinis cum oleo imponitur. Similiterque cornu caprini combusti cinis cum oleo imponitur. Cochlearum quę nudę inueniuntur, uiuarum combustarum cinere, omnia pedum uulnera sanantur. Fimi murini cinis ex oleo ueteri imponitur. Agninus pulmo uel arietinus imponitur. Dentis caballini contusi farina subluuiem emendat. Lacertæ uiridis sanguis subtritus, pedes illinitus sanat. Adeps autem anserinus addito alumine, omnes rimas pedum sarcit. Testudinis cinis ex uino & oleo temperatus, huic malo medetur. Maluæ folia in cinerem redacta, uulnera pernionum sanant sparsa. Fomentum lanarū feruefactum in passo Cretico aut Aphro, calidum appones, hocque ter facies uel quater, & scias te curasse. Mustus cochlearum frequenter imponitur. Dragatum infundes in mellicrate pridie, glycyrrhizā quoque contundes & infundes in mellicrate & coques. Lauabis & teres dragantum æque tritum, diligenter admiscebis. quod cùm in modum ceroti mediè temperati feceris, linies in pedibus uel manibus: quod si spissum fuerit, addes de ipso mellicrate & uteris. Styptiriam coques in uino, & ex hoc fouebis manus & pedes, & sic de ceroto suprascripto illinies. Aqua in in qua eruum decoctum est, utiliter fouebis.

Clauis & callis curandis. Cap. L II.

PLERVNQVE pedibus innascuntur claui aut calli, præcipuè tamē in digitis, & in manibus, quibusdam uerò & in alijs corporis partibus; aduersus quos monstrantur remedia talia: Vrina muli, mulæ'ue cum suo luto illinita tollit. Fimus ouium imponitur. Iecur lacertæ uiridis uel sanguis impositus in sole comedetur. Vermes terreni ex oleo, fimus columbinus decoctus ex aceto in modum malagmatis subactus, imponitur. Fimus apri uel suis recens impositus, & post diem tertium solutus prodest. Faba in qua laser seruatur, in aceto missa & tumefacta, & ita alligata. Si in facie nascantur etiam, iuniperi assidua fricatione tolluntur. Pollinem ex oleo temperant & adijciunt, extrahit enim. Idē facit & Ammoniacum. Salicis ramorum prunorum cortices exuruntur, eorumque cinis ex aqua impositus tollit. Vtuntur & seuo bubulo cum thuris polline. Vrina canis cum solo luto imponitur. Ad interdigitia. Salem tritum cum oleo de lucerna ardenti bene mixtum inunges, & miraberis. Vermiū item terrenorum cinis in oleo ueteri impositus, optimè sanat.

Ad parocimi dolorem. Cap. L III.

FERMENTVM cum sapone & ficu pingui tusum & subactum imponitur. Si autem caro excreuerit, & ungues separauerit, flos lentis infulcitur, & cataplasma de chartæ cinere ex aceto mixto superponitur.

Ad ungularum dolorem. Cap. L IIII.

FOENVGRAECVM crudum tritum admixta aqua pro cataplasmate imponitur, & sanat. Ad unguem læsum eijciendum. Stafisagriam tundes primò, deinde teres, & admiscebis acetū, postea impones usque dum sanat. Cùm autem ceciderit, fabam impone, mirè facit. Ad ungues, si quid mali habuerint, alumen sciston in testulam mundam immittes, & in foco coques, deinde tolles & aceto superssparso extingues, iterumque repones in focum: & cùm opus fuerit, suprascriptum puluerem sparges, aut solutū cum uino puluerem illinies: & pòst linteū suppones, & linteolo uino infuso digitū obuolues ligabisque, & sanabitur.

& ſanabitur. Vt unges læſos emundes, uiſcum cum ſulphure uiuo tere, & infundes unges. Quinquefolium tritum cum adipe impones. Emplaſtrum proſcadramnata, hoc eſt, cùm de frigoribus in manibus uel in pedibus uulnus naſcitur, quæ ſunt comede. Recipe ceruſæ libram unam, ceræ albæ unam, folij communis ſiue amygdalini unam, ſpumæ argenti, ceruſam uerò & ſpumam argenti teres cum oleo diutius, donec colorem mutent.

Ad corporis ſalubritatem. Cap. L V.

BETA ſyluatica ſine ſemine cum aceto & uino cocta & ſupertenſa, mirè ſalubritatem corporis præſtat. Myrrha cum uino trita, ſanitatem corporis uiri mirè ſeruat. Vt totum corpus hilare ſit, uini ueteris feces cum oleo teres, & perunges totū corpus in ſole. Ne corpus male oleat uel puteat: Laterem antiquum, & roſam ſiccam tundes primùm, & uteris in balneo. Ad ſeruandam item corporis ſanitatem: Marrubij unciam unam ex lacte ouillo calefacto bibat ſemel in menſe.

Lichenis arcendis. Cap. L V I.

GRAECO nomine lichena appellatur, quod uulgò mentagrā appellant; & eſt uitium quod per totam faciem ſolet ſerpere, oculis tantum immunibus; deſcendit uerò in collum & pectus, ac manus, fœdat cutem; eoſque qui ſic uexantur, oſculari non conuenit, quoniam contactus eorum pernicioſus fore perhibetur. Manlius Cornutus Prætor, prouinciæ Aquitanæ legatus, C C. in hoc morbo locauit ſe curandum. Huic ergo uitio ſic conantur mederi. Cantharides illiniunt cum ſucco uuæ Amineæ, & ſeuo ouis uel capræ. Murium fimum illiniunt ex aceto. Cinerem item herinacij ex oleo imponunt. ſed in hac curatione priùs faciem ex nitro & aceto foueri præcipiunt, & tunc illiniunt adipem uituli marini. Itemque delphini iecinoris cinerem ex aqua. Ficulneæ caules in aceto cocti & triti illiniuntur. Euiſci radix cum glutino lupino in aceto decocta ad quartas, ſimiliter adhibetur. Flos uiſci cum calce ſubactus, laudatur. Thitymalli quoque flos cum reſina decoctus adhibetur. Lomentum cum thuris polline æquis ponderibus ex aqua adhibetur & illinitur. Tāpſiæ radix trita cum melle imponitur. Glutinum factum genitalibus uitulorum, liquatur ex aceto cum ſulphure uiuo, ramo ficulneæ permixto, ita ut recēs bis in die reponatur. Item trociſcus lichenicon. Recipe gummi ſciſti unciam unam, tinaperi unam, lybani unam, tytaneos librā unam, ammoniaci unc. unam, lithargyrij unam, gumeos duas, aceti quantū ſufficit. Lybani drachmas decem, tinaperi decem, bdellij decem teres cum aceto. Catapotia ad lichenas experta. Recipe lithargyrij unciam unam, alcionei unam, arſenici unam, aſphalti unā, lybani unam, tinaperi unam, ammoniaci unam: quæ omnia teres cum aceto, & facies trociſcos. Trociſcus quo utimur ad lichenas & ad exancaumata, hoc eſt ambuſta, & ad herpiſtigoden, hoc eſt, ſcabiem. Recipe plymitij drac. octo, lithargyrij VIII. calcis uiuæ duas, aceti & olei quod ſufficit. Trociſcus lichenicon. Recipe cameleontis nigræ drachmas IIII. pyrethri duas, tinaperi quatuor, chryſocollæ quatuor, aceti acris cotylas nouem. Trociſcus. Recipe alcionei uſtulati drachmas duas, cameleōtis nigræ quatuor, aſphodeli radicis quatuor, tinaperi, lybani, pyrethri, aphronitri ana duas, tauro collis quatuor, aceti ueteris quātum ſufficit. Trociſcus ad lichenas. Recipe Iu ſyderon unc. tres, ſcordion purgati unam & ſemis, tinaperi ſimiliter, gumeos quatuor; quæ in aceto acri teres in ſole, & facies trociſcos.

Elephantiaſi depellendæ. Cap. L V I I.

A' Facie hoc malum plerunque incipit, & nare primò ſurgit, uelut lenticula, quę celerrimè per totū corpus ſerpit maculis uarijs, colore, & inęquali cute, alibi craſſa, alibi tenui, alijs dura locis, quaſi ſcabie aſpera, & poſtremò nigreſcente, & ad oſſa carnes apprimente, tumeſcentibus digitis in manibus & pedibus. Hic morbus peculiaris eſt Aegyptiorum populis, totus exitioſus eſt, cùm in reges excedit. His qui hoc malo afficiuntur, cinis muſtelæ & eiuſdem ſanguis mixtus illinitur. Radix aſparagi in aceto cocta & trita imponitur. Mentaſtri folia cōmaſticata adhibentur, cedro illiniuntur. Bulbi quoque triti in aceto & ſulphure medentur. Nitrum etiam ex melle & lacte bubulo tritum faciem purgat & erugat. Smegma ad elephantiacos. Recipe pumicis drach. X. teſtarum ſepiæ decem, nitri decem, cimolię decem, gumes albi quinque, cycidon omphacion quinque; poſt hunc puluerem uteris & thure cum uino. Trociſcus herō optimus, tollens humores acerrimos, id eſt lichenas. Recipe lybani drach. octo, calchanti octo, tinaperi octo, calcideos ſimiliter, acacię quatuor, myſei cyrij octo, gumeos quatuor, quę cū aceto colliges, & uteris.

Ad morbum comitialem. Cap. L V I I I.

ALLIVM elixum ſubinde in cibum & in potione ſumatur. Fel agninum cum melle uel cochleari uel ligula ſumatur. Lini ſemen & urticę ex melle illitum ſanat. Coagulum quoque uituli marini bibitur cum lacte equino aut malo punico ſicco, aut mulſa aut aceto. His qui ſępius cadūt, clyſter infunditur ille. Caſtorij drachmas duas, mellis heminam unam, aloes unam, aquæ ſextarium, ſi ſuppuratio erit, unguentum facies. Recipe crocum & thus maſculum, & myrrham, gallas albas, acacia nigra, heliotropia quę appellantur, corium mali punici, centauriam, oloſatri ſemen, ęquis ponderibus teres omnia ex

uino, & uteris, dabisque potionem bibere ei qui patitur. & abstineat à balneo, & si usus exegerit, lauet. Testiculi ursini in cibo prosunt. Testes aprini crudi, triti, ex aqua bibuntur. cùm primùm quis cecidit, in eo loco quo caput eius fuit, clauus ferreus figatur, non repetit. Dantur item carnes edendę bestiæ occisæ eo ferramento, quo homo ante occisus est. Hirundinis sanguis cum thure, uel eiusdem cor recens deuoratur. Lapillus idem hirundinis è nido alligatur ad collum iacentem, recreat, & ab hoc periculo tutū præstat. Tenentes in manu anethum, comitiali morbo nō appetuntur. Testiculi itidem arietini inueterantur, & ex his dimidij denarij pondus datur in hemina aquæ tritum. Abstinentia uerò utendū est uini diebus quinque, & ante & totidem postea. Sanguis pecudis uel uituli ter bibitur, sed & humanus sanguis hoc uitio liberat. Catulus item lactens abscisso capite & pedibus, exectis interaneis, ex uino & aceto coctus editur. Vinaria quoque sumpta in cibo prodest. Cochlearum cinis, addito lini semine & urticæ, ex melle illinitur cum sale. Iecur itidem uulturis tritum cum suo sanguine propinatur ter septem diebus; meliusque prodest, si ea auis cū occiditur, satura sit humano cadauere. Fel testudinis naribus illitum, iacentem erigit. Castoriū item in aceti mulsi cyathis tribus ieiunis datur. Mustelæ quoque iecur marinæ in cibo bene sumitur. Carnes etiam caprinæ in rogo hominis tostæ, hunc depellunt morbum. Caprini similiter uel ceruini cornu usti nidor adhibetur.

Regio morbo pellendo. Cap. LIX.

SALSAMENTVM in cibo ex pipere sumitur, seruata carnis abstinentia. Allium tritum in potione uini sumitur. Cicer item arietinū discoquatur in aqua, duo cyathi potui dentur, uel ex melle in cibo. Nuces Græcę cum absinthij semine teruntur, deinde pilulæ ex aceto eduntur. Herba sauina, quæ habet folia quasi cypressū, trita ex uino potui datur. Folia quoque oleastri ex uino trita imponuntur, atque ipsum uinum bibitur. Sordes de auriculis aut mamma pecudis denarij pondere cū myrrhæ pusillo ex duobus cyathis uini hauriuntur. Vermes item terreni cùm myrrha in aceto mulso propinantur. Cerebrum perdicis in tribus cyathis uini bibitur. Cineres interaneorum palumborum cochlearia duo bibuntur ex mulso. Erucæ syluestris tria folia sinistra manu decerpta, ex aqua mulsa bibūtur. Rubea qua pelles efficiūtur, in aqua mulsa bibitur. Fimus pulli asini, quem primum edidit à partu, datur ex uino ad magnitudinem fabæ, triduo medetur. Canini capitis cinis in mulso propinatur. Gallina si sit luteis pedibus, aqua ei pedes purificātur, deinde uino colluuntur, idque uinum potui datur. Ad idem, equini pulli fimus ex uino propinatur. Eademque ratione cyminum ex uino albo in balneo datur. Optima & certa ratio est, qua ego iam desperatæ salutis plurimos curaui; Si raphani succum in balneo bibat, & in quocūque potu manè ieiunus parum urinæ suæ bibat. Lapatij radices cōterat ex uino austero, colabisque & potui dabis, mirè auruginē tollit. Radices porri cum aqua, quāta uolueris, ex uini hemina potui dabis. Radices betæ rudes & exprimes succi cyathos quatuor, teres & dabis cū uino bono bibere, sine mora sanabitur. Raphani item succū in solio usque ad collum uersus bibat. Chrysolaginis quoque seminis denarios undecim cū aqua satis calida bibat, & sanabitur. Item ad auruginem. Herbæ fellis terræ, quam centauriam uocāt, fasciculum unum, anethi unum, allij capita septem, atriplicis semiunciam. Hæc omnia in olla noua ex careno coques ad tertias, & dabis ieiuno in balneo, ita ut in calida non descendat, sed sudorem detergat: & post balneum, radiculas ex oleo & sale edat, & uinum accipiat modicum. Item in pila radicem tundes, ac succum exprimes, & in balneo ex eo succo fricato te, usquequo descendas in solio sine oleo lauare, & statim aurugo super aquam apparebit. Amygdalæ amaræ unciam unam, anisi semiunciam, absinthij florum denarios sex: insimul tere, & factro ciscos duos, & da cum uino & melle ad cochlear unum. Prassium succum tundes & cribrabis, & dabis similiter cum uino & melle. Raphanos item aut septem, aut nouem, contūdes, & ex eo succo per linteum colato dabis in solio statim cum uino bibere.

C. PLINII SECVNDI DE RE MEDICA LIBER TERTIVS.

Ad febres calidas intercidendas. Cap. I.



EDVLLA ceruina, adipe anseris, adipe porcino recenti, & exiguo ceræ perunges fero, ac statim de succo lini seminis. Idemque asinæ lac tepidum facit. Cotonia item matura, & rosam siccam, & papaueris capita sicca in olla rudi cum aqua decoques, & ex hoc dabis bibere. Item portiagla & apium tusum cum axungia colata, & oleo rosato, & lactucæ folijs, & rasura cucurbitarum, & ouis crudis permixtum, & in modum ceroti pectori impositum, ardores ac subitos dolores hemitritęi, & febres emendat. Ad ardorem stomachi febrientis. Rosaceum in aquam calidam mittes, & agitabis in carbonibus, quo platulam lineam infundes & stomacho superpones. Mellis libram unam, adipis porcini recentis colati unam, olei rosati unam, ceræ unam, argenti spumæ uncias duas; teres autem spumam, & simul decoques; deinde croci triti mittes uncias duas & teres in linteolo inductum, super stomachum impones. Ad hæc, ambrosia. Recipe olei rosati libram unam & semis, ceræ unam & semis, croci unc. duas, succi rasuræ cucurbitæ quantum sufficit, medullæ ceruinæ uncias quatuor. feruefacies autem ceram & medullam cũ oleo tepefacto cerotario, addes succum per partes, & teres diligenter; postea addes crocum, & diutissimè teres, permiscebis & facies pastillos, seruabisque, & cùm opus fuerit, teres cum ouorum uitello. Cumque unum corpus fuerit, linteum illitũ impones super stomachum. Ad ardorem stomachi in febribus, quæ non declinant, ex lini seminis farina cum albo oui facies cataplasma, & frigida super stomachum pones. Lactucas autem in calida coques, & teres cũ albo oui, & stomacho superpones. Itemque rasuræ cucurbitæ & uuæ acerbæ cum albo oui imponuntur. Rasura itidem cucurbitæ & crocum æquale cum albo oui imponitur. Confectio ambrosiæ. Ceræ lib. unam, olei rosati unc. sex, olei camomillæ sex, axungiæ recentis lib. uñam, croci unc. unam, lithargyrij unam, meliloti unam & semis. Iniectio ad febres calida. Succus lini seminis cũ oleo rosato seu camomillæ bene faciet. Si uerò nimium febris æstuauerit: Plantaginis folia uiridis & caules simul tundes, succoque eorum corpus perunges. Ad ardentissimam febrem, herbam quæ dicitur Iouis barba, cõteres, ac succum eius exprimes, & miscebis cũ cinere aquaticæ lanæ, & addito oleo rosato per unges, tunc ægrum cooperies; inde somnus irruet, & ardor compescetur. Item ad febres. Axungiam leoninam manu subiges, & totum corpus perunges. Ruta item cum oleo subacta totum corpus peruges. Lilij radices tres aut quinque, croci den. V. macerabis in aquæ quartario uno, & ouorum tribus uitellos teres bene, & adijcies olei rosati quantum sufficiat, & inde totũ corpus perunges, præter manus & pedes. Vt febrem tollas: Nucleos tritos ex aqua calida dabis bibere. Itemque ut febres foras eijcias. Siliginẽ in aqua recentem macerabis, & teres in mortario cum tribus ouis duris, & panno inducto ad stomachum ligabis. Si quis uerò febres patitur & fatigatur aut angustias patitur, dactilos quàm plurimos & adipem aut recentem aut uetustum in recenti aqua macerabis, donec exalsescat, deinde in mortario teres, ut unum corpus fiat, & pãno induces quasi cataplasma, & stomacho impones nocte; sed priùs dactilos tritos in careno aut sapa macerabis. Vt febrem tollas, & ut ex infirmitate pallidum ad bonum colorem perducas, cicerculam & lupinos dulces ieiuno in cibum dabis. Succum item calamenti & oleum rosatum æquis ponderibus cõmiscebis, & sic perunges. Itemque herbam, quæ uocatur canis lingua, mẽse Iunio tundes, & uuã exprimes, succoque eius ægrum perfundes.

Hemitritæo depellendo. Cap. II.

RANVLAS paruas uirides capies, & aperto uentre uiuarum harundine, intestina auferes ac proijcies, illas uero mittes in stagnatum nouum & frigis: quibus sublatis, mittes in oleũ, ceram & facies cerotum molle, & ab auribus usque ad pedis ungulas triduo perunges, & non lauet, sanus erit: quia uulnera exeunt per corpus, à quibus citò liberabitur. Potio ad hemitritæũ, siue ad leuiscos. Croci denarios duos, nardi duos, absinthij pontici duos, enulę tres: quę omnia cribrabis, & cũ opus fuerit, dabis cochlear dimidium in aqua calida. Potio. Recipe costi denarium dimidium, folij denarium unũ & semis, spicę nardi duos, croci tres, semperuiuę cauliculum unum, aut certè prout uideris, magnitudinem cauliculi dabis cum aqua calida. Herbam camomillam cum rosa sicca coques, & ipsam aquam cum colaueris, mittes camomillinum oleum, & farinam lini seminis coques & uteris tepido; sed alij tantũ de farina hordei & lini seminis & oleo camomillino faciũt; alij dactilo, camomillã & melilotũ aqua infundunt, & coquunt, in quã mittes farinã lini seminis & hordei, coquesque, & ita cataplasmabis, sed eum qui magnis laborat febribus. Trociscus ad hęc & ad febricitantes, ut non sentiant: ad ardorem stomachi, ad febres, & ad solis ardorem nimium. Recipe succi glycyrrhizę drach. sex, seminis cucumeris hortensis quatuor, draganti duas; quę teres singillatim, & permiscebis cum albo ouorum, & facies catapotia.

Febribus periodicis medendis. Cap. III.

IECVR delphini ante accessionem gustandum datur. In aselli piscis capite lapilli, qui plena lu

na inuenti sunt, alligantur in linteolo. Vtile est inungi oleo & sale. Cancris fluuiatilibus tritis in oleo & aqua, ante accessionem perungi oportet. Oculus item lupi dexter salsus alligatur; ante meridiē quoque dantur heminæ tres potui, in quibus additæ sunt guttæ tres sanguinis ex uena asini, quam in auricula habet. Recidiuas autem febres prohibet lacerta uiridis uiua alligata in uascello quod eam capiat. Lyxoperita ambrosia ualde optima. Recipe lithargyrij li. I. rodini I. mellis I. sed prius facies cerotum, postea mittes lithargyrium, & feruefacies ut supra fortius, leuabisque de foco, & cum spatha agitabis donec refrigescat.

Quotidiana curanda. Cap. IIII.

DABIS bibere mentam tritam ex aquæ cyathis duobus, statimque sanguis e naribus exit. Costum tritum & admixtum oleo ante accessionem perunctos à febribus liberat. Beta agrestis cum oleo rosato totum corpus perunges. Itemque rutæ succum cum uino bibat qui potest, quia uehementissimus est. Ad horrores. Betonicæ denarios sex, aquæ calidæ cyathos duos ex uino austero sub accessione dabis bibere, & sudabit.

Tertiana curanda. Cap. V.

SVB accessione, pauca grana apij seminis cum aqua calida bibat. Itemque succum trifolij hora prima dabis bibendum ei qui patitur. Folia item de persico & modicum lasari teres, & dabis potionem. Rursumque ante accessionem tria grana coriandri deuoret. Mellicratum item frigidum bibat. Ante solis ortum, spongiæ aphricanæ cinis ex oleo uel aceto frōti illinitur. Cancri fluuiatilis oculi eruti alligantur, & ipse cancer in aqua remittitur. Pulegij similiter ramus in lana inuolutus, ante accessionem olfaciendus datur, aut stratis subditur. Vrticæ autumnalis radix alligatur. Is uerò qui eam effodiet, debet nominare eū cui medetur, & quibus parentibus natus sit. Herba quæ in fluminibus aut riuis nascitur, alligata in læuo brachio, quid sit nesciēti, tertianas discutit. Legi autē debet ante solis ortū, sic ut eū qui colligit, nemo uideat. Aranei tres cuilibet emplastro infricantur, idemque emplastrum ut libet in aluta, tanquam anacolinā imponitur. Ante accessionem quoque aquæ frigidæ decem unc. bibuntur.

Quartanæ curandæ. Cap. VI.

VINI optimi Spateni uel pecinium, uel puto Hadriani Aphri'ue, seu burdi gallici pond. nouem pensabis, hinc quotidie in maiori calice potionem dabis uini calefacti ieiuno, donec totum bibat, & sanus erit. Parum croci quantum tribus digitis leuatur, teres, & ex aqua calida dabis sub hora accessionis iam suspecta. Communiter autem ad omnes typos facies pannum talem. Recipe axungiæ lib. unam, picis unam, absinthij tenelli unam; primumque teres absinthium & dehinc picem: postea simul omnia in pila tundes in modum ceroti, & panno illita, per totum pectus & stomachum ac uentrem pones, habendū iugiter quinque diebus ac noctibus. Cataplasma ad quartanas. Recipe farinæ baccarum lauri sextarium unum, fœnugræci unum, farinæ lupi unum, sapæ heminam unam, caryicas numero triginta; oleū laurinum ad unguēdum stomachum habebis, priùs uerò saccello de furfure per quatriduum fouebis, & sic cataplasmabis. Apocis thermanticus ad quartanas. Recipe terebinthinæ drach. sex, ceræ similiter, medullę ceruinę similiter, guttę ammoniaci similiter, galbani similiter, aphronitri similiter, hysopi unciā unā, piperis unam, myrrhę unam, uini cyathos duos, mellis Attici duos, olei ueteris drachm. septuaginta, irini sextarium unū; soluta uerò resolues in olla, & sic mittes sicca, trita & cribrata, & sic omnibus permixtis uteris. Ad quartanas expertum. Recipe castorij sex, panacis regij sex, opij sex, iusquiami duas, mellis quantum sufficit, dabis ante horam dimidiam accessionis ad magnitudinem fabę Aegyptiacę cum uino mixtū. Caput claui quo aliquis in crucem fixus est, alligatur panno. Fimi bubuli cinis spargitur. Vrina pueri illiniuntur primi digiti in manibus & pedibus. Leporis cor alligatur; coagulum quoque eius bibitur ante accessionem. Leonis quoque in cibo datur. Viperę etiam caput abscisum in linteolo alligatur. Muri uiuo rostellum primum & auriculę summę præciduntur, & in roseo panno alligantur, & ipse mus uiuus dimittitur. Ranę in triuio decoquuntur cum oleo, carnibusque earum proiectis & oleo utuntur ad unctionem. Allij elixi caput unum cum lasare tritum obulo in uino austero bibitur. Hirundinis itē fimi drachma una trita ex lactis caprini aut ouilli aut passi cyathis tribus ante accessionem propinatur. Rubetę ranę cor uel iecur alligatur in panno leucopēo. Semen anethi tribus digitis comprehēsum & fœniculi tantundem, & aceti mulsi cyathus unus potui datur. Panem & salem in linteo de lyco liget, & circa arborem licio alliget, & iuret per ter panem & salem: Crastino mihi hospites uenturi sunt, suscipite illos. hoc ter dicat.

Lethargicis. Cap. VII.

EX quibus lethargicum deprehendis? ex febre acuta cum sensus oppressione, aut ut difficulter, aut nihil sentiat, pulsu magno, raro & inani. Vnde lethargia dicta est, ab obliuione mentis atque corporis uagatione. Gręci enim λήθην obliuionem, ἀργίαν uagationem uocauerunt. Hos itaque tali ordine curabis: ferulam accensam naribus admoueto, fumigatione facta si repentè ęger hunc morbum incidérit, sicut alijs uisum est, celeriter emendabit. Nepetę succus ex aceti parte una mixtus & capiti frontique

illitus

illitus, lethargicos dormientes excitat. Euforbium cum castoreo suffumigatum excitat. Calchantum item cum aceto tritum, & naribus illitum, dormire non sinit. Euforbium quoque ex aceto tritum, & naribus confricatum, excitat. Capilli itidem mulieris incensi, suffumigatione sua liberant dormientes. Satureia & cum aceto capiti frequenter infusa excitat. Caprina similiter pellis, uel cornu eius combustũ, idem facit. Sanguis testudinis fronti illinitur. Peucedanum cum oleo rosato & aceto tritum & inco ctum naribus inditur, & iam uidebis dolores capitis emendare. Ruta item ex aceto odoratur. Vis im brium quoque capiti ex aceto infunditur. Vrtica etiam fronti & pedibus illinitur. Cimices septem triti in aquæ cyatho uno dantur, si uir sit: si puer, eodem modo aquę cimices quatuor. Spondilium capiti instillatur. Mustelæ quoque iecur exuritur ad olfaciendum. Pulmo pecudis calidus circa caput alligatur. Palumbi item tres putrefacti lethargum excitant odore. Tolles itidem uulturis neruos, & eos circa manus laborantis ligabis. Apostolicum rotundum cum adipe uulturino teres, & ex eo manus fricabis.

Somno ascissendo. Cap. VIII.

OPIVM in modum fabæ cum oleo rosato mixtum, naribus illinitur. Coriandri quoque semen tritum, colatumque, & ex aqua calida potui datum, prodest. Item ad eos qui non dormiunt: Styracis unc. tres, glycyrrhizæ tres, croci unam, opij tres, castorij unam, lycij Indici duas, spicænardi duas, mellis põdera duo. Hæc omnia trita cõmiscebis, & naribus frõtique illinies. Glycyrrhizæ unc. tres, styracis duas, croci unam, opij duas, castorij duas, lycij duas, zinziberis unam, piperis longi unam, spicęnardi unam, mellis pondera duo, conficies & utêris ut suprà. Confectio diacodion ad hæc, & ad febres. Codias unam, capita papaueris numero triginta infundes in aquę sextarijs tribus per triduum, postea ad tertias decoques, addesque in aquam ipsorum, mellis partem dimidiam, hoc est sextarium unum & semis: dehinc coques ad carbones uel ignem sine fumo, donec in mellis pinguitudinem redigatur: & hoc dabis ad noctem glutiendum singula uel bina cochlearia. Papauer ex aqua elixatum ad tertias bibas, statim somnum adducit. Ad somnum saluabis ægrum sic. Opij denarijs tribus, myrrhę, croci, thuris ana denario uno, cum cera mixtis pastillos scipulares facies, & pręcalefactos umbilico impones; quę res tã somnum quàm uentrem mollit. Antidotum anethinum ad somnum colicis expertũ. Recipe anisi uncias duas, apij seminis unã, iusquiami duas, opij semiunciam, mellis quantum sufficit, dabisque aduersus uirtutem patientis integram potionem ad magnitudinem fabæ Aegyptiacę cum aqua calida. Hypnoticum ad somnum. Recipe bdellij drac. quatuor, lybani quatuor, galbani quatuor, rosę siccę quatuor, myrrhę uerò duas, croci duas, castorij unam: quę cum oleo rosato teres ad spissitudinem mellis, & induces in nares, in frontem & in aures.

Phreneticis sanandis. Cap. IX.

EX quibus signis phreneticum deprehendis? ex febre acuta cum alienatione, & manuum uano errore, ut aliquid suis digitis apprehendat. quem ita curabis: Succus rutę ex aceto tritus, & temporibus instillatus, mirè prodest. Castorio & peucedano ex rosaceo peruncto capite somnus accedit. Allium elixum in cibo datur. Suffumigatio lanę succidę prodest. Hyeme etiam oleo anethino caput infunditur. Ad phreneticos, siue ad eos qui uertiginem patiuntur. Hederę ramum cum suis folijs teres, adijciens oleum, eumque cerebro superfundes, & temporaunges. Ad uertiginem capitis. Rosam in aceto fricabis, spissamque capiti impones. Ad insanos & mente motos, & si qua alia uitia in capite habuerint, herbã tythimallum capræ lactariæ solùm manducare dabis: postero die mulge, & lac eius ieiuno da bibere, qui uexatur. nam cordialum sine mora emendat. Grillis adipe frontem liui, & dormit. Pellem de lepore albo nescientis sub capite pones. Lauri folia trita nescientis capiti supponas, & dormit. Semen lactucæ ac papaueris cũ dactilis tribus in aqua coques ad tertias, dabisque bibere, & ante expectatum, dormit. Spondilium capiti infunditur. Pulmo pecudis calidus circa caput alligatur.

Ad epilepticos. Cap. X.

EX quibus epilepticum deprehendis? ex accessione quæ eum tenet, quemque ita curabis. Vulturis cerebellum teres cum oleo uetustissimo, & post illud cetriæ uel balsamo, ac repones, & ex hoc in modum grani fabæ cum potione uini ueteris potui dabis per dies septem aut nouem: balsamum autem tunc mutes pro cetria, si odorem non fert. Herbam sauinam dabis triduo in uncijs aquæ tribus. Mustelæ hepar sine felle assum dabis bibere cum aquæ uncijs quatuor. hocque cùm biberit, si intra septem dies non fuerit uexatus, scias illum sanum esse. Cerebellum quoque agni assum dabis ad manducandum. Medulla cameli cum oleo rosato teres, & frontem stomachumque perunges. Apophlegmatismus. Recipe stafisagriæ drach. quatuor, salis ammoniaci unam, pyrethri duas, sinapis quatuor, exinde factum puluerem diuides in partes tres, & cum mastica per triduum masticet unam partem in die.

Cardiacis sanandis. Cap. XI.

RVTA ex aceto & melle cum farina hordeacea mixta, & pectori imposita, emendat. Vinum

calefactum, spongiæ infusum, & mammæ sinistræ impositum, sudorem sistit. Cornu caprini & ceruini cinerem oleo myrtino permiscebis, & ex hoc aduersus sudorem nimium, corpus omne perungitur. Lactucæ albæ nomen est syris, quæ trita & imposita mammæ sinistræ magnifice sudorem minuit. Aqua potui datur in qua holera discocta sunt, sale addito. Rutæ fasciculus in rosaceo & aceto decoquitur, & adiecta aloes uncia una in olei perunctione sudorem sistit. Radix item ferulæ ex oleo & aceto perunctione sudorem minuit. Myrti semen cum polenta ex uino mammæ sinistræ imponitur. Folia rubi in quo mora nascuntur, trita per se imponuntur. Succus mororum rubi potui datur. Puluis autem ex myrti folijs tostis inspersus sudorem sistit. Lapillus qui in uentriculo hirundinis inuenitur. Ad eos qui in infirmitate non sudant. Cucumeres syluaticos incides in oleum, & in solem pones in uase uitreo forti, ne crepet, & exinde unges, ut sudet.

Hydropisis species, eoq; morbo arcendo. Cap. XII.

QVID est hydrops? Extensio uentris ultra modum naturalem, aquoso atque corrupto humore effecta. Vnde hydrops nomen accepit? Ab accidenti, hoc est humoris infusi materia. Quot uel quæ sunt species hydropidis? Duæ: totius corporis, & uentris. Prima leucophlegmatia uel hyposarca appellatur. Secunda rursus in duas diuiditur species: est autem humoris uel speciei commixta materies, sed humore superante, Ascites: spiritu, Tympanites uocatur. Ex quibus deprehendis leucophlegmatiam? Ex totius corporis molli inflatione cum colore subalbido & grauedine, atque impressis tumore digitis cedente, carnium resistente duritia, cum mali odoris inspiratione. Hos ita curabis. Lapidem Gagathem hydropicus si secum portauerit, liberabitur. Vomitus canini, uentri illinuntur. In sabulo calido marino obruuntur. Spongiæ Aphræ siccæ opponuntur. Adeps delphini liquatus ex uino bibitur, propter graueolentiam naribus obturatis, aut unguento optimo tactis. Cancri marini uel fluuiatilis in cibo ex iure, allium uiride cum fico duplici, malum euocat. Scylla subiecta linguæ, sitim compescit. Scyllæ bulbus torretur, deinde purgatur, & medium eius in aqua coquitur; cum madidum est, ex eo tres oboli dantur potui ex melle & aceto, euacuatur per urinam. Synape & ficus & cyminum æquis partibus tusa, uentri imponuntur. Ficus siccæ coquuntur, & ex uino & absinthio subfunduntur. Farina hordeacea, addito nitro, omnia in unum conteruntur, & ita imponuntur. Folia myrti in uino decocta conteruntur, & ex eo uino duo cyathi potui dantur. Radices sambuci in uino decoquuntur, & ex eodē uino duo cyathi poti exinaniunt. Est hedera, quæ Chrysocarpos appellatur, propterea quòd fert grana aurei coloris, cuius grana uiginti in uini sextario conteruntur, & ex eo uino terni cyathi bibuntur, qui per urinam exinaniunt. Testudo decisis pedibus & capite & cauda, intestinis abiectis, in cibo datur, ita condita, ut citra fastidium sumi possit. Fimus uituli masculi uentri illinitur. Bibere debent, antequàm epithema accipiant, fœniculi seminis uncias duas, apij seminis duas, asari duas, petroselini Macedonici unā, anisi unam. Hęc omnia in olla noua aut stagnato aquę fontanę pleno decoques ad tertias, quod refrigeratum repones in ampulla, & inde potionem calefacies, & cum uino hadriano uel piceno percalidam bibat. Puluis ante epithema corpori spargendus. Recipe apij seminis un. unam, pulegij unam, anisi unā, cymini duas, samsuci unā, baccas lauri numero quinquaginta: hæc omnia tundes & cribrabis, & prius oleo cyprino malaxabis leniter stomachum, uentrem & renes, & iterum unges, puluerem que superspergeſ, ita ut uentrem & stomachum impleas, sed & renes; & linteis superpositis duplicabis fascias, hocque facies per dies quindecim, & intermittes triduo, & iterum repetes, usque dum cures. Si uerò pedes tumuerint, facies puluerem de cymini uncijs duabus, nitri duabus, & unctos pedes oleo cyprino, & inde fricabis. Epithema ad initium hydropidis. Recipe apij seminis uncias duas, amei unam & semis, anisi similiter, hireos similiter, cardamomi similiter, cyperi similiter, meliloti, panacis radicis similiter, nitri alexandrini similiter, squinātij similiter, croci similiter, ceræ uncias sex, ammoniaci sex, resinæ terebinthinæ sex, seui taurini sex, olei irini sex, mellis VI. Pigmenta uerò tundes & cribrabis, & postea in mortario bene teres, addito uino ueteri styptico quod sufficiat, ut sit uelut cerotum. In cacabum uerò mittes oleum, mel, ceram minutatam, seuum ac resinam solues, & colata diligenter mittes in mortarium, superspargendo pigmēta, & diu omnia terēdo permiscebis, & inde facta collyria repones. & cùm opus fuerit, induces panno, & uentri uel stomacho superpones. Malua rustica tusa diligenter cū fermento & æquali ex axungia facies cataplasma, & tepefacta uteris, à pullorum cantu usque in horam tertiam per triduum, intermisso triduo rursum impones. Hoc facies uicibus tribus. Quòd si & renes tumuerint, ex utraque parte uteris. In balneo item salicibus operiuntur in alueo, ita ut etiam substratos folijs habeant. Herbæ betonicæ denarij duo, sano ex mulsa, febrienti ex aqua calida potui dati succurrunt. Potio ad hydropica experta. Cornu bubuli ea parte, quæ ad cardines est, cōbures in patella ad carbones, & teres in puluerem mollissimum; ex hoc cochlear unum cum aceti acri cyathis duobus, & floris liquaminis cyatho uno, & aquæ calidæ cyatho uno, ieiuno dabis diebus nouem. Allium item uiride cum uino duplici aluum euacuat. Cataplasma. Recipe farinam hordei, farinam fœnugræci, farinam fabæ, nitrum, fimum bubulī siccum duplum, sulphur, acetum, mel & oleum. Item epithema. Recipe ceræ libras duas, fimi caprini uncias tres, seminis apij tres, samsuci quatuor, nitri Alexandrini duas, guttæ ammoniaci duas, fœnugræci frixi tres, baccarum lauri tres, piperis duas, laricis siue terebinthinæ quatuor, olei cyprini siue sicyonum quod sufficiat. Apozima ad hydropida. Recipe radices apij, asparagi, asari & pulegij, quas coques simul in aqua & bibes, uel uinum

uinum exinde temperabis. Cataplasma ad idem. Recipe fimi bubuli sicci pulueris partem maiorem, & farinę hordei minorem; quę miscebis & coques ex mulsa, & induces panno, qui cingat totum uentrem, & superasperges sulphuris triti minutissimè cochlearia tria. Cumque inuerso panno uenter caluerit, de subtus manu confricabis: & cùm uideris sustinere posse, repones fascias, & usque in diem alterum non tolles. Cumque manè tuleris, sic alterum impones, usque dum tumor cesset. Sanè bibat ieiunus apozyma de spica nardi, & radicibus apij in aqua decoctis: recentia penitus non bibat, sed de pullo modicè, & uinum mixtum cum apozymate. Ad hydropidis duritiam. Salis & milij æquas partes feruefacies, & in saccello impones; cùm iam humor eruperit. Lana cum sale & oleo tepido uulneribus imponitur. Item ad nimiam sitim, quæ ex hydropisi nascitur. Corticem ulmi interiorem in aqua decoques ad tertias, & ipsam calidam uel puram, uel cum uino, quoties sitierit, bibat. Stercus bubuli recens cum aceto cataplasmabis. Ad hydropicos. Anisi unc. septem, amei sex, cymini sex, diffinado sex, absinthij sex, sandonicę sex, cardamomi sex, brathei sex, lybani sex, resinę frixæ libras sex, ceræ tres, olei glaucini quantum sufficit. Epithema hydropicis. Recipe carycarum pinguium pōdo quinque, nitri lib. unam, hysopi, gummi unā & semis, agarici unc. sex, camileę V. absinthij sex, celuci sex, coconidij purgati tres. Carycas autem tundes, donec cerotum efficiatur: postea coconidium purgatum teres, & miscebis cum carycis diligenter: post hæc, sicca trita omnia mollissimè permiscebis, & addes oxymel terendo quandiu ad modum malagini efficiatur, & uteris. Vrinam item in potione sæpius dabis, mirum præstat auxilium. Hebuli radicem sine medulla ex mulsæ sextario dabis bibere, & in sole deambulet. Itemque uomitus canini uentri illiniuntur.

Paralyticis curandis. Cap. XIII.

NVLLVS tam idoneus est paralyticis cibus, quàm bosea rubea. Salubriter ex his bibitur, sed ut usus sequatur balnei. Aliqui solent folia temperare addito euforbio, pingue glyrium, & soricum decoctorum ex aqua dant edendum. Calasticum ad paralysim. Recipe euisci unc. quatuor, ptisanæ quatuor, lini seminis quatuor, fœnugræci quatuor, meliloti quatuor, quæ coques in aqua fontana donec fiant spissa, exprimes, & mittes succi lib. unam, olei communis unam, ceræ unam, seui taurini unc. sex, resinę frixæ septem, resinæ terebinthinæ quinque, hysopi medicaminis duas, galbani unam & semis; coques primū oleum cum succo, lento igni, donec excoquatur pars dimidia succi, & colabis, dehinc mittes reliqua infrascripta, atque simul miscebis, ut soluatur. Vnctio ad paralyticos. Recipe baccarum lauri tritarum & cribratarum unc. unam, cymini tusi & cribrati unam, satureiæ non tusæ sex cum surculis rutæ siccæ tribus, quę infundes uini ueteris sext. quinque per triduum, postea miscebis olei anethini nō flores sextarios octo & semis, coques lento igne, agitans indesinenter. Cùm autem uinum consumptum fuerit, colabis illud, & expressis herbis, ex eo oleo unges manè & sero eum qui patitur. Lino autem non utatur nec in lecto. hoc etiam oleo in balneo uti debet, quando sine febre est. Abstinere uero oportet à bubula & porcina carne, pisce, & caulibus, & maluis, & utatur pipione molli ac reliquis holeribus: si aquam calidam bibere non possit, uinum accipiat aquaticū: quòd si hyems fuerit, aut infirmitas grauior uel senectus, addes hinc oleo balsami primi unc. tres, piperis unam. Acopum ad paralysim & neruorum tensionem & dolorem, & ad omnem perfractionem. Recipe nardi lib. unam, olei hirini unam, laurini unam, cyprini unam, styracini sex, panacis unam, castorij unam, euforbij semiunc. adarcis similiter, piperis similiter, ammoniaci similiter, medullæ ceruinæ uncias quatuor, galbani duas, propolei unam, butyri tres, hysopi cero ti duas, ceræ lib. unam, olei sansucini unc. sex, cucumeratij sex, resinæ terebinthinæ nouem. Conficies uero sic. Euforbium, adarcam, ammoniacum, piper, castorium, insimul tundes, & cribrabis galbanum & propoleium, malaxabis contra focum, ceram, & medullam cum omni oleo resolues, & admiscebis pulueres, dehinc panacę tritum cum modico aceto, postea galbanum & propoleium. Ad paralyticos & ad omnem neruorum causam seu contractionem siue stuporem. Recipe farinæ fabæ lib. quatuor, picis frixę quatuor, pulueris uitri duas, piperis duas, aceti quod sufficit. Hæc pariter coques, & in modum cataplasmi linteo grosso induces, & locis dolentibus seu contractis impones, & calabricis ligabis bis in die per triduum: & intermisso uno die, iterum repetes per triduum. post hæc uteris unguento infrascripto. Vnguentum ad paralysim & ad omnes neruorum causas. Recipe ceræ unc. sex, terebinthinæ IIII. hysopi ceroti unam, ammoniaci IIII. piperis unā & semis, nitri septem, pyrethri semis, galbani unā & semis, mellis similiter, olei ueteris lib. unam, euforbij unc. tres, cyperi quatuor, olei irini unam & deň. XVIII. uini ueteris cyathos duos; ammoniacum autem in uino teres: & cùm tritum fuerit, addes piper & nitrum in puluerē redacta. pyrethrum, euforbium & cyperum similiter in puluerem redacta permiscebis, & resolutis cæteris speciebus, superfundes in mortario, & pariter teres; & cùm opus fuerit, uteris, fricabisque uehementer bis in die, & lanis inuolues & calabricabis.

Podagræ depellendæ. Cap. XIIII.

MVSCVS qui in aqua nascitur tritus & impositus prodest. Farina frumenti cocta ex aceto imponitur. utiliter dolor perungetur, in quo decocta sunt ranarum intestina. Ranæ rubetæ cinis cum adipe ueteri. In palustribus lens nascitur in aqua non profluente refrigeratoria sine comparatione; hæc imponitur uel per se contrita, uel cū polenta. Adipe piperino, sanguine quoque milui pedes perungūtur. Euisci radices coctas cum axungia miscebis, & cataplasma pedibus impones. Maluæ erraticæ coctæ,

piſas cum ſale, pedibus impones. Vrtica trita cum columbarum ſanguine apponitur. Lenticulam coquis, teris, adiectis mellis cochlearibus tribus, & pedibus impones. Adipe uitulini marini pedes perunguntur: cuius & pellibus calciari conuenit. Ranæ aquaticæ diſcerptæ ſubinde recentes imponuntur. Lenit & plantago cum axungia. Limus aquaticus cum oleo ſubactus mirè prodeſt. Vrſino adipe, ſeuo taurino cum ceræ pari pondere decoctis utuntur. Bubulum fimũ cum aceti fęce magnificant. fimi ſimiliter caprini cinis cum axungia ueteri prodeſt. Cùm uerò pluribus malagmatis utantur hi, qui hoc malo laborant, prout illa apud unumquenque commendat monſtrantis auctoritas, ponam compoſitionem, de qua nemo qui uſus eſt, queſtus eſt. Picis brutię uncias ſex, & ſcrupulos ſeptem, ceræ ponticæ tantundem, reſinæ frictæ tantundem, galbani ſcrupulos undecim, ammoniaci ſemiunciam: omnia hæc in cacabo nouo componuntur, & coquuntur ad unum feruorem bonum: in mortario autem teruntur hæc. Euforbij unciam unam, ſtypteriæ ſcyſtos tãtundem, thuris pollinis ſcrupulos nouem, opopanacis nouem, fellis taurini octo, ſalis ammoniaci ſex. his ſuffunduntur aceti acerrimi cyathi tres: tum quod in cacabo coctum eſt, mortario imponitur, & piſtillo permiſcetur. Cùm eo utendum eſt, alutæ illinitur. quòd ſi induruit, modicè ad ignem calefactum manibus perfricabis, & ſic molleſcet. Hoc medicamentum non inquinat, uires in uſu non perdit, appoſitum reſeruari poteſt. Sunt & qui potione, podagra ſint liberati. Cujus compoſitionem ſubijciam, & quemadmodum ea ſit utendum, pandam. Cametriæ lib. unam, centauriæ unc. tres, ariſtolochiæ rotundæ tres, ſtichades tres, agarici quatuor, cyperi ſeminis quadrantem, aloes unc. quatuor, & hæc pondera ſingularum ſpecierum expendi oportet, & trita cribrataque permiſceri ex mellis Attici lib. ſex, & in uitreo uaſe recondi. Vſus autem huius potionis talis eſſe debet, ut ſumatur à ieiunis, qui bene concoxerint, & per numerum dierum anni, adiecto uno die, ſi dies continuari non potuerint, propter cruditatem, aut languorem, aliquamque cauſam, quotquot intermiſſi fuerint, totidem reſtituantur. Potionis uerò menſura erit, ut denarij argentei bibatur pondus ex tribus cyathis aquæ, ſemel in die. Radix cucumeris erratici ex aceto coquitur, & imponitur: mitigatur, ſi ſecum habeat is qui uexabitur, pedem leporis uiuo abſciſſum. Peractis ſingulorum membrorum malis & eorum remedijs, quæ improuiſo ſolent accedere, percurrimus eo ordine, quo una quæque res ſuccurreret: Incipiemus itaque à re podagræ proximè. Vrtica trita cum columbarum ſanguine apponitur. Porcellum dierum undecim, nec minus nec amplius, occides, & coques diligenter, ita ut ſi fieri poteſt, oſſa decoquantur: quibus ſublatis, teres carnes in mortario in modum cataplaſmi, & impones. Expertum. Stercus duorum uel trium porcellorum, quod inuenitur in uentre occiſorum, feruеat in ſartagine cũ aceti ſextario uno, & in ipſo dolore pedibus imponatur. Incipientem podagram mirificè diſcutit. Betæ combuſtæ cinis, ſi leuiſſimè admixto ſanguine bubulo imponatur. Ad impetum doloris. Salis ſextarium unum ſolues cum aqua tepida, ita ut totum liquefiat: deinde mittes aceti ſextarium unum, & agitabis diligẽter: poſtea mittes aquam fontanam frigidam & temperabis prout delectat, & ſpongia fouebis diutiſſimè loca dolentia, & terges acliniès medicamento ſubſcripto: defruti partes quatuor quaſi teſſellas, & aphronitri ciuarij paſtillos numero quinque teres diligenter, & addes ouum unum. & rurſum tandiu teres, donec in modum ceroti mollis fiat, & linies penna: quod cùm ſiccauerit linteum ſuperpoſitum, caleretur. Ad podagræ dolorem & tumorem. Fimum columbinum, ammoniacum, carycas ægre natas, & nitrum pari portione tundes & cribrabis, admixtis olei cyprini & melini ſingulis ſemiunc. & omnibus in unum mixtis, in modum malagmatis impones, dolorem & tumorem tollet, & podagram annorum decem ſanabit. Fœnugræci cochlearia duo cum aceti cochlearibus duobus teres diligenter, & inductum linteo impones. Folia item lactucarum purgabis, ita ut medium thyrſum & uenas tollas ac proijcias: folia uerò elixabis in aqua, infundes panem, tereſque ſemotè. Poſtea ſimul folia cocta molliſſimè teres, & tepefactum cataplaſma cum linteo pones. Ceratorium podagricum expertum, quod facit ad arthriticos. Recipe ſeui hircini lib. unam, butyri unc. quinque, lini ſeminis, fœnugræci, althęæ, anethi, roſæ, mellíloti ana libram unam; ſoluenda ſolues, & permiſcebis omnia, malaxabis & utêris. Emplaſtrum faciẽs ad podagricos, quod exiccat optimè.

Recipe molybdenæ libras quatuor, ſalis ammoniaci duas, lyppidos ſideron: quod & facit ad ſciaticos.

Defrictum & oua cruda & aphronitrum teres diligenter, & tepefactum illum linteo illitum impones. Herba item euiſci tuſa cum axungia ueteri, & impoſita, tertia die ſanabit. Huius herbæ experimentatam uim plures auctores annũciant. Cucumeris ſyluatici radices in aceto coctas teres, & impones podagrę atque articulorum morbo. Præſens enim remedium eſt, & melius ſi oleum ſimul pari portione miſcueris. Torpedo nigra marina uiua in oleo putrefiat, ſiue in eo uiua coquatur, ex qua cerotum facies, de quo manus & pedes confricabis, dolorem ſine mora tollit, & neruos liberat: quòd ſi fel eius infricatur pedibus, dolore ſimiliter carebunt, ita ut corium eius ſuperponas: quod qui ei detrahet, ozimo uiridi manus confricet. Item pullos ciconiarum teres in olei dulcis ſextarijs ſeptem, decoques ad tertias, colabiſque, & in ipſum oleum adijcies adipis urſini libras tres, ſeui taurini uncias ſex, medullæ ceruinæ ſeptem, olei laurini ſextarium unum, myrtini unum, ſtercoris ciconię unciam unam & ſemis, conficieſque, repones & utêris. Ad aliud melius, quod in annos ſeptuaginta curat. Fimum ciconię & axungiæ ueteris partem unam commiſcebis, & utêris, & miraberis. Podagræ pituita ſiue ſanguis ubicunque ſe fixerit, & dolorem nimium fecerit: Fœnugræcum in olla noua ex aceto acri ſiue urina humana diſcoques, & teres in modum ceroti, quod linteo inductum quotidie impones, ſæpius renouatum, quia citò ſiccatur; & dum recens eſt, uim habet, & ſanum ocyus facit. Alij uinum & oleum adijci debere tradunt, & ſic decoqui. Recipe ceræ libram unam, olei ueteris ciuarij unam, reſinæ frixæ, ſiue terebinthinæ

rebinthinæ, siue pituinæ, qualem inueneris, libram unam, nitri Alexandrini unam & unc. tres, aphronitri albi uncias sex, lexiuæ qua utuntur saponarij, libram unam, uncias quatuor. Nitrum uerò & aphronitrũ teres diligenter in mortario, addes lexiuam: sed paulatim augendo atque terendo, donec totum expẽdas, & fiat tanquam cerotum. postea oleum, resinam simul solues in trulla, ac mittes super species prius tritas; & rursum simul omnia teres, donec diligenter misceantur. ex eo induces panno & suppones pedi dolenti, donec aperiatur ex semetipso, & humor digeratur, ita ut aliud nihil ponas, nisi manè uel sero foueas, prius emplastro mutato. & cùm humor cessauerit, tantùm siccum superponas linteum, usque dum sanetur. Cerotum ad hæc. Recipe fœnugræci bene purgati sextarios quatuor, quos infundes aqua, lini seminis duos, infundesque seorsum, euisci pond. quinque seorsum, maluæ radicem plurimam: quæ omnia in aqua pariter coques, ita ut ad maximam molliciem perducas. postea colabis, & mensurabis ex eo sextarios octo, admiscebis olei quatuor, baccarum lauri tusarum unum: in uase duplici diutissimè coques, donec ad mensuram olei reuertatur, colabisque, & mittes resinæ frixę unc. quatuor; laricis quatuor, hysopi ollaris quatuor: diu agitabis, donec frigidum fiat; de quo, dolenti bis uel ter in die pedes confricabis, hocque facies etiam cùm dolet bis in die. Cerotum ad hęc. Recipe herbæ personatæ succi & uini ueteris sextarios duos, medullæ ceruinæ uncias quatuor, seui ceruini quatuor, olei rosati quinque, cerę duas; succum autem ac uinum & oleum simul miscebis in cacabo nouo fictili, & ad carbones ad tertias decoques, agitans cum canna: Seuum uerò & ceram rades de canna minutatim & supermittes: Cumque liquefactum fuerit, leuabis, & in aquam frigidam pones: & dum sese colauerit, quod supernatat, manu colliges; uinum colabis & proijcies: quod uerò in fundo de succo inueneris, exprimes, & cum eo quod summo tuleris, simul in mortario conteres, & inductum linteo appones dolenti loco. Emplastrum expertum. Recipe cerusæ uncias tres, spumæ argenti tres, ceræ punicæ sex, axungiæ porcinæ ueteris colatæ lib. unam: cerusam uerò & spumam in Thebaico mortario tandiu teras, donec in puluerem redigas: ceram autem & axungiã solues, & puluerem totum paulatim admiscebis, & leuato cacabo mittes manum, & agitabis tepidum, donec omnia soluantur; & sic in patellam fundes ut regelet, seruetur que mundè: & cùm opus fuerit, malaxatum oleo rosato imponatur. Confectio medicamenti ad dolorem pedum. Nitrum Alexandrinum sine lapidibus teres fortiter, & admiscebis oleo Sauinensi, & coques leniter, donec se colligat & denset, inducesque linteo & superpones. Hoc enim medicamẽtum dolores qui sunt intrinsecus, citius foras producat. Si autem felicitus est qui patitur, pro oleo sauinensi rosaceum mittes. Ad hęc compositio. Recipe anethi uiridis uncias septemdecim, scyllæ uiridis septemdecim, olei gremialis sextarios septem & semis, aquæ septem. In oleo uerò & aqua macerabis acetum & scyllam per dies tres, postea simul coques, donec aqua deficiet, & colabis oleũ, & mittes cerę nouellæ libras duas & semis, seui porcini recentis duas, medullæ ceruinæ unam, seu seui ceruini duas, liquefacies & superpones pedibus. Aliud ad hæc. Recipe croci uncias duas, ceræ septem, spumæ argenti tres, olei rosati libram unam, seui porcini recentis unam, mellis uncias quatuor, lini seminis integri pisati & infusi succi treis: spumam autẽ teres, & succum mittes lini seminis, in quo crocum simul trіueris; dehinc omnes species reliquas in cacabo resolues & agitabis: quæ cùm se miscuerint & refrigerauerint, supermittes hæc in mortario, quæ trita sunt & commiscebis, factumque medicamentum panno impones. Aliter ad dolorem pedum seu manuum. Recipe ceræ punicæ sex uncias, aphronitri candidi duas, stactis & olei rosati libram unam & semis, gummi sauinensis uncias sex, styptiriæ tres. Styptiriam uerò cum aphronitro teres mollissimè, ceram solues cum oleo, & puluerem admiscebis, addito succo lini seminis, & agitabis donec se misceat uel refrigeret; hinc malaxatum ad uaporem, dolenti loco corporis impones, & linteum superpositum fascia ligabis. Ad podagrã medicamentum. Recipe seui taurini libras duas & semis, resinæ marmoreę similiter, medullæ ceruinæ uncias nouem, lapatij duas, mentæ duas, marrhubij unam, gypsi tres; herbarum uerò puluerẽ & gypsum in unum rediges & commiscebis: medulla uerò, seuum, & resina miscentur: & omnia mixta faciunt medicamentum. Confectio medicaminis ad pedum dolorem. Recipe succi symphoniacæ herbæ sextarios sex, & cetriæ tres; quos miscebis, & decoques ad tertias; post hæc mittes oleum Sauinense uel Aphrũ ad sextarios tres, adijcies & resinæ frixæ libras duas, resinæ marmoreæ duas, axungię porcinæ sine sale duas: Cùm omnia hæc soluta fuerint, colabis ea, & postea addes ceræ libras duas, & soluta iterum simul bulliant, reponesque in cacabo fictili. & cùm non dolet, quotidie inde leniter unges: quando dolor paulò amplior fuerit, amplius confricabis. Emplastrum armozos, bene faciens ad tumorem. Recipe lithargyrij drachmas septuaginta, porcini adipis septuagintanouem, coques lento igni. Emplastrum diastotion ad podagram. Recipe lexiuæ uncias quatuor, nitri Alexandrini libram unam & uncias quatuor, ceræ libram unam, terebinthinæ unam, olei ueteris unam. Emplastrum podagricum. Recipe lithargyrij libram unam, ceræ unam, cianij uncias duas, chalcanthi cyprij duas, nitri tres, salis fusci tres, olei ueteris libras tres, yu uncias tres, aceti quod sufficiat ad sicca terenda coques amolentum. Item ad hæc. Recipe herbæ personatę tusę, & manibus expressi succi sextarios duos, medullæ ceruinę uncias quatuor & semis, cerę rubeę, spanę duas, olei rosati quinque, uini ueteris sauinensis sextarios duos: omnia autem in oleo separatim calefacta in stagnato coques, ita ut omnia soluantur. post hæc depones stagnatum super aquam fontanam: & cùm regelauerit, species tolles crustocalatas, & in mortario marmoreo diligenter teres, & rosaceo perunctis manibus miscebis. Medicamentum ad hæc, quod appellatur dramas. Recipe olei ueteris libras duas & semis, spumæ argenti duas, cerusæ unc. sex, ceræ sex, guttę ammoniaci tres, galbani quatuor & semis, resinę laricis libram unam, meconij uncias

duas. Eſt autem quàm optimum & probatiſſimum. Ad podagricos. Micas infundes in aqua & teres, addesque coriandrum, aphronitrum, & lacrymam oui, & modicum olei, & tepidum impones ſuper pedem: Iterum lenies, & ſuperpones maluarum folia, & ſic ligabis. Si autem linteum poſueris, areſcit. Emplaſtrum ad dolorem pedum. Micas panis in aqua infuſas teres, & adiecto oleo coques, & ſic pones in linteo tenui. Item aliter. Fœnugręci farinam in aqua coques, & pòſt infuſum panem teres, & miſcebis; quo illitum linteum impones, adiecto modico ſeuo porcino. Itemque aliter, ut lomentum fabę ſubtile coquas, & adiecto ſeuo porcino, linteo illitum imponas. Radices maluarum coctæ, contuſæ, & ſuperpoſitæ, idem pręſtant. Herba quidem quę poly carus dicitur, in aqua cocta & ſuperpoſita, bene medetur, humorem uaporare facit. Ad nodos ſoluendos. Recipe lib. unam, terebinthinę lib. unam, aphronitri unā, galbani unc. quatuor, propolei quatuor, guttę ammoniaci octo, lexiuæ quantum ſufficit. Vnctio Fauij Clementis ad homines reſolutos, & ad omnem membrorum reſolutionem ſiue podagram. Recipe olei ſauinenſis lib. duodecim, terebinthinę unam, radicis cucumeris agreſtis duodecim, cerę unam, medullæ ceruinę unā, galbani I. ranas maiores de flumine ſex; in oleo uerò radices cucumeris fricabis, poſtea colabis, & ſic mittes ranas in ſportellam palmiceam, & coques in oleo, donec diſcoquantur, oſſaque pura remaneant. Iſtud medicamentum Valerius Paulinus ſic conficiebat. Recipe ſamſuci libram unam & ſemis, mirocrocini unam, folij unam, balſami unc. tres, ſanguinem decem teſtudinum. Si uerò crocinum non eſt, ſyriacum mittes, ſanguitudinum in ſamſucum colligens. Vnguentum diacedrium ad dolorem pedum uel manuum. Recipe cetria duo, peucedanum, ariſtolochiam rotundam & roſmarinum, ita ut hæ tres ſpecies contra cetriam penſent, olei Sauinenſis libras octo; quod coques uaſe duplici, donec oleum ad tertias decoquatur, colabisque oleum diligenter, & cera addita facies cerotum. ex quo ſi laueris per diem, ſecundò unges: ſi minus, ſemel. Trociſcus phyſicus ad dolorem ſuſpendendum podagræ uel chiragræ. Recipe terræ Alexandrinę lentæ unc. duas, thuris maſculi unam & ſemis, herbæ lentiglę quę in aqua naſcitur, ſucci cochlear unum, aceti acri duo. Hęc omnia ſimul teres & penna illinies, dolorem uehementer leuat. Malagma. Recipe coſti unciam unam, folij unam, zinziberis unam, piperis albi unam, iuſquiami ſemis unam, ſulphuris uiui unam, picis quinque, peculę portionem unam, nitri aſſi unc. unam, ammoniaci unam, alcyonei unam. Ex his quæ ſicca ſunt, tundes & cribrabis, & cùm primum pix & pecula reſoluta fuerint, mittes ammoniacum, ut ſimul ſoluatur; agitabis diligenter & commiſcebis. deinde cùm tepeſieri cœperint, mittes quæ tuſa ſunt paulatim, & agitabis diligenter, & ſupra marmorem aqua lotum fundes medicamen; quod tepefactum colliges: uteris autem ſic. Primum cataplaſma facies de nitro albo, & bulbis tritis diligenter mixtum, temperatum cum uino leni, ita ut ſpiſſum ſit; quod tepefactum ad carbones, & panno illitum ſuperpones, & poſt triduum ſolues, poſt quod ſtanti malagmata ſupraſcripta, alutæ inducta impones, medicamentumque methe quod facit poſt impetum podagræ. Ad confirmandos pedes. Recipe picis ſpanæ pond. unum & ſemis, ſpumæ argenti unciam unam & ſemis, terebinthinæ octo, ſeui taurini octo, thuris octo, ceræ quatuor, galbani unam & ſemis & denarios ſex, yū unciam unam & denarios ſex, opopanacis unciam unam & denarios ſex, olei roſati uncias quatuor, olei ueteris decem, uini ueteris quantum ſufficit. factum autem medicamentum triduo in uino ſit, & poſtea malaxabis cum oleo roſato, & inductum linteo pedibus appones, donec tumor qui ex dolore reſtitit, auferatur. Antidotum podagricum. Recipe gentianæ creticæ unc. duas, ariſtolochiæ longæ duas, & rotundæ tres, myrrhę trochlitis quatuor, baccarum lauri purgatarum octo, ſeu pōtici primi unam, ſpicænardi denarios ſex: quæ omnia ſimul tundes & cribrabis. Accipiūtur autem menſibus continuis denarij duo, in aqua calida: Alijs uerò menſibus die intermiſſo, denarij ſinguli & ſemis; alijs autem duobus biduo intermiſſo, ſicque facies donec compleantur petitiones CCCCLXV. cætero tempore per ſingulos menſes ſemel accipiatur, æſtimabisque aquam calidam, quantum eſt uini in calice minore. His autem abſtinendum eſt rebus, propter antidoti huius uirtutem: à porcina, bubula, ueruecina, caprina, pedibus omnium animalium, pipere, liquamine ſalſo, oleo, mentâ, faſciolis Alexandrinis, cicere Alexandrino, cedro, raphano, faba, rapis, porro, caulibus, cepis, condito, præter pullino ſine pipere & liquamine, ſine adipe porcino: uinum modicum bibat, nigrum uerò acinaticum carenum ne bibat: mulierem ante omnia ne contingat: ſed & ſi ſomniauerit tale aliquid, lauetur, & accipiat potionem: habeatur autem cum omni munditia, uel ab eunucho in ueſtibulo horti, uel à puella ſeruatum. Sane ſi fortis fuerit accipiens, ut citius curetur, debet unius anni laborem. Hæc autem maximè in cibo accipiēda ſunt, pultes, fungi, arbutus, ſeu eporeos, liquamine quoque fungorum utatur. Condîtum podagricum. Recipe coſti uncias tres, folij unam & denarios ſex, ſpicęnardi uncias tres, zinziberis unam & ſemis, gentianæ duas & denarios ſex, ariſtolochię longę denarios ſex, & rotundæ tres, ſeminis aſparagi unc. duas & denarios ſex, pione unc. tres, baccarum lauri unc. ſex & denarios ſex, mellis Attici lib. quinque & ſemis, uini ueteris ſext. octo. Emplaſtrum podagricon, quod dicitur angelus. Recipe galbani unciam unam, ceræ tres, picis tres, butyri pondera duo, colophoniæ duo, ſaponis duo. Ad podagram. Recipe tapſiæ Siculæ lib. unam, guttæ ammoniaci unc. octo, reſinæ pituinæ libram unam, ceræ unam, olei ueteris unam, euforbij ſcrupulum. Tapſiam uerò & guttam ante trita, in uino ueteri infundes, tertia die teres diutiſſimè: reſinam autem & ceram & oleum in ollam nouam mittes, uti ſoluantur: & cùm ſoluta fuerint, mittes in mortarium, ubi tapſia & gutta: & ſic omnia commiſcebis, & quoniam papula facit, hoc ceroto uteris. Teſtudinis decollatæ ſanguine pedes fricantur. Ranas ad tertias in oleo in olla rudi quandiu in modum ceroti fiant, & exinde pedes unges. Aſinum autem duabus hebdomadis furfure cibabis

abundanter,

abundanter, & occides, & mox uentrem eius aperies, & pedes qui dolent, in uentrem eius mittes: quod si in principio doloris hoc feceris, sani erunt. Hunc autem uentrem sago molli inuolutum, in sportam pones, ne refrigescat. Ad podagram frigidam, quæ fuerit ac uetustissima. Recipe costi unc. unam, folij unam, zinziberis unam, sulphuris unam piperis albi unam, iusquiami denarios quatuor, picis duræ semiunc. picis liquidæ portionem: quæ uerò sicca sunt, tundes, & cribrabis: Cumque pix utraque bullierit, addes quæ tusa sunt, & miscebis diligenter: Postquam uerò coxeris, super marmor asperges aquam, & sic effundes medicamentum. quod cùm se refrigerauerit, repones in alio uase: & cùm opus fuerit, induces alutæ, & sic impones. Antidotum podagricum. Recipe cametriæ unc. nouem, centauriæ & epicarpi octo, aristolochiæ longæ septem, gentianæ ponticæ sex, hyperici quinque, petroselini quatuor, fu pontici tres, albi asari duas, meu adamantici unam, mellis Attici sext. unum. Vnctio podagricis. Recipe anserini adipis unc. IIII. ceræ sex, terebinthinæ IIII. succi lini seminis decem, colophoniæ quatuor, lactis bubuli sex, ammoniaci duas, lybani duas, butyri sex, uitellos ouorũ octo: factaque unctione, leniter unges. Emplastrum podagricum. Recipe pulueris rosæ unc. VI. corticis granati VI. misei III. calchãti V. lithargyrij duas, cyperi IIII. piperis IIII. ceræ tres, cochlearum ustarum tres, gallæ quatuor, porri lib. I. & unc. tres, panis autopyri lib. I. diacilõ tres, succi lapatij sext. unum, olei ueteris unum & semis, uini ueteris similiter, aceti heminam unam. Conficiatur autem sic: Prius mittes succum lapatij, oleum, porrum, lithargyrium, cortices granati, & mouebis in foco, quandiu bene discoquantur: & postea mittes diacilon cum cera, & miscebis quandiu unum corpus efficiatur, & sic mittes per partes, dum coquitur, & leuabis de foco. Emplastrum podagricum. Recipe peculę lib. I. ceræ I. olosanti unc. tres, galbani II. olei ueteris quatuor, colophoniæ quatuor. Epixis manethonos. Recipe ceræ unc. sex, colophoniæ IIII. & semis, adipis anserini IIII. butyri X. olei ueteris XIIII. succi lini seminis tres, lactis bubuli XII. & semis, thuris duas, ammoniaci IIII. ouorũ uitellos octo. Item pyxis. Recipe ammoniaci unc. II. lybani duas, terij duas, succi lini seminis quinque, colophoniæ duas, lactis bubuli V. adipis anserini tres, olei ueteris quinque, butyri quinque, ceræ tres, galbani duas, oua quinque. Antidotum podagricum. Recipe reupontici unc. duas & deñ. quatuordecim, aristolochiæ longæ unc. unam & deñ. uiginti, spicænardi deñ. duodecim, gentianæ uncias duas & denarios quatuordecim, myrrhę trochlitis uncias duas & denarios XVIII. betonicæ unc. duas & denarios XVIII. camitriæ unc. duas, costi denarios decem, baccarum lauri siccarum unc. duas, folij denarios decem: quæ omnia tundes & cribrabis, & in uase uitreo recondes, & accipiat qui patitur, per totum annum, diebus exceptis, quando sunt cynocaumata. Potiones uerò quas non accepit primo anno, sequenti anno accipiat. Mensura potionis est deñ. tres. Oportet uerò accipientem abstinere à Venere. Lauacro uerò utatur in V. dies, sumat uinum nigrum stypticum & dulce, & holera. A' cepis uerò, cucurbitis, apioque abstineat, & piscibus de stagno, ac fluuialibus. Abstineat quoque ab anseribus & anate, & ab omnibus carnibus pinguibus, à carnibus etiam bubulis & uerucinis, & ab omni genere leguminis. Antidotum podagricum expertum. Recipe reupontici unc. duas & deñ. XX. aristolochiæ longæ unam & deñ. XX. gentianę duas & dena. XIIII. myrrhę trochlitis II. & denarios XVIII. betonicæ Creticæ unc. unam & deñ. octo, cametriæ unc. duas & denarios XVIII. folij semiunc. baccarum lauri siccarum & purgatarum un. duas, pulegij Cretici unam, peucedani montani semunciam: quæ omnia simul teres & cribrabis, & dabis per singulos dies denarios duos cum aqua calida à Caleñ. Septembris usque ad Caleñ. Maias.

Ad neruos, articulos, & arthriticos Caput. XVI.

ARTICVLI & frigora & pruinas sustineant, ne adurantur, malo terræ contuso, adiecta axungia ueteri perunguntur. Fimus caprinus in puluerem redactus, & ex melle, acetoque coctus, & pro malagmate impositus, articulorum dolores sanat. Vrsinum fel articulis infricatum, dolorem sedat. Vitulinus quoque siue bubuli fimus recens cum creta argentaria ex aceto coctus, & articulis dolentibus illitus, dolorem sedat. Adeps itẽ uulturis cum felle eius inungitur. Iecur et eiusdem calefactum & tritum, cum axungia imponitur. Beta & ficus pari mensura trita, & imposita, morbis articulorum medentur. Agrifolium tusum addito sale & oleo prodest. Idem seuum pecudis cum cinere capillorum muliebris facit. Neruorum uerò nodis, capitis uiperini cinis cum oleo cyprino imponitur. Terreni uermes triti cum melle imponuntur. Styrax quoque illinitur. Fimus quoque caprinus decoctus in aceto, tritus cum melle apponitur. Tremulis inutile est manducare holera, & panem ex aqua: ad balneum quoque ungi oportet oleo quod in castoreo additum est. Articulorum fracturis cinis ex femoribus pecudis cum cera medetur. Articulorũ dolori fimus caprinus ex melle seu passo potui datus prodest, & suppuratis neruis medetur, expurgatque, & ad sanitatẽ perducit. Potio ad morbum articulorum. Recipe lugibonis radices numero quindecim, plãtaginem rotundã cum radicibus ac folijs parte dimidia, rodonabis radicis quantum plantaginis est, herbæ balsamarię folia propensius, ardissæ minoris quàm plantaginis, uerbenæ similiter: quas omnes herbas simul teres, addens mellis pondera tria, piperis semunciam, & temperabis in uini sextarijs sex, prius tamen quàm piper minas, linteo colabis, & addes piper, singulasque potiones in balneo dabis. Potio ad arthriticos. Recipe thymi denarios sex, quos in aquæ uncijs tribus teres, & grana piperis octo, & dabis hoc prima die bibere: secunda, thymi denarios quatuor, piperis grana quinque in aqua suprascripta, liquamine uerò abstineat, & porcina, quando bibit. Ad arthritin &

ad sciam. Herbam agrimoniam teres & cribrabis, accipiesque cochlear plenum, & mittes in uinum uetus, potionem, & tepefactum in solio bibes, ita ut ibi moram facias. Vnctio ad arthriticos. Recipe euisci pond. II. castorij unc. tres, panacis pondera duo, herbæ dontezæ duo; quæ infundes in uini ueteris sextarios duodecim, & coques, donec herbæ bene coctæ intumescant, & teres, quousque uinum misceatur. postea iterum sicca adijcies herbæ sauinæ pondera tria, rosæ siccæ lib. unam, adarcæ uncias duas, euforbij duas, cymini sex, piperis duas, trita prius & cribrata. Item alia. Recipe hysopi ollaris uncias sex, terij sex, seui taurini sex, medullæ ceruinæ sex, olei rutacei pondera tria: quæ sic conficies. Mittes rutam, adipem & pulueres suprascriptos, & omnia diligenter admiscebis. qui uerò ungendus est, post balneum calente corpore utatur, & cum diligentia sibi attendat per triduum, & sic habeat illam unctionem: post hæc lauetur, & eadem faciat similiter. Ad articulorum uel nodorum dolorem. Marrubium uiride cum sale teres, succoque ex eo facto loca dolentia fricabis. Ad hæc, & ad eos quibus nerui expauescũt. Euforbij uncias tres & semis, galbani similiter, castorij similiter, panacis similiter, medullæ ceruinę quinque, terebinthinæ sex, resinæ frixæ unam & semis, resinæ pituinæ similiter, sulphuris uiui sex, betonicæ quatuor, cetriæ quatuor, ceræ libram unã & semis, nardi I I. olei cypharij libras quinque. Amphisbena mortua neruorum doloribus alligatur. Senectus quoque serpentium in corio taurino appenditur. Folia item uitium trita, & admixta hordeaceæ farinæ, articularibus morbis imponuntur. Incisos uerò articulos aranei tela commodissimè curat.

Ad sideratos. Cap. XVI.

ASININI pulli urinam & asinæ matricis, ungulasque posteriores in cinerem redactas, & axungiam eius, admixto nardo coques, ut sit quasi cerotum; ex quo, corpore peruncto liberabitur, ut mireris. quod & ad podagram facit. Sideratis uerò remedium, quibus manus, pedes, & faciem euertit, facies continuò. Recipe herbę artemisiæ folia, mentã, bdellium, opopanacẽ, oleum Cyprinum: quæ omnia miscebis, & coques, & unges per dies quatuor: qui ad se nõ fuerit reuersus, dimittas, sciens eũ ita ira Dei esse percussum. Ad sideratos, fel taurinum & sulphur uiuum coques, & ex eo perunges, mirificum remedium est.

Ad uulnera. Cap. XVII.

SI QVIS ceciderit, aut undecunque uulnus habuerit, siue ulcus cyromũ, tolles agrimoniæ partem unam, millefolij duas, axungiæ unam, cymarum rubi qui mora fert, unam: tundesque omnia quasi cerotum; quo illito linteo, positoque ad uulnus, sanat. Vt autem uulnus purges, modicum mellis biduo pones, sicque curabis uulnus undecunque fuerit. Ad uulnera siue ulcus cyromum. Porcini fimi sicci & usti cinerem rediges intus in ulcus cyromum, & superimpones medicamentum suprascriptum. Si uerò quis aliunde cadens, caput uel aliquod membrorum ruperit, aut ferro præciderit, folia cardi nõ de pomis mundabis à spinis, & omnem duritiem auferes. ipsam uerò pinguedinem cum axungia teres diligenter, & ut cerotum impones: sed antea uel biduo aut triduo mel pones, & de medicamento suprascripto.

Si quis ictu pugnum uel manum læserit. Cap. XVIII.

QVICVNQVE ita ictu pugni manum lęserit, uel humano dente aut de digito, ut aut sanguis fluat, uel per tunsuram fecerit aut tumorem, lumbricos terrenos teres, addito modico aceto acro, donec fit in modum ceroti; ex quo linteum illitum pones ad locum. quod si minor dolor fuerit, alutæ impones, & ligabis manum.

Ad fracturam seu rupturam pellis. Cap. XIX.

SAPONEM impones, & fascia stringes, tertiaque die solues, & sanus erit.

Vulneribus recentibus & neruis concisis conglutinandis. Cap. XX.

VVLNERA recentia conglutinant uermes terreni triti, adeo ut etiam neruos incisos solidet in die septimo. Idem arefacti in sole, & ex aceto triti, uulneribus imponuntur, & interposito biduo soluuntur. Cochleæ exemptæ de suis testis crudæ tritæ, mirificè solidant. Cochleæ item cum suis testis ustæ, cum myrrhæ & thuris pari pondere ex aqua pręcisos neruos sanant. Efficaces sunt & bulbi triti per se ad uulnera glutinanda. Adijciebat tamen illis Damon medicus muscum, qui aqua gignitur, & die quinto soluebat. Myrobalanum, ut iam diximus, genus est caryotæ, quod os non habet; hæc ex uino tritã austero, uulnera curat & solidat. Cupressi folia trita ad eundem effectum prosunt. Bulbi item siue platani uel flos uel mora, sine collectionis periculo sanant. Millefolium quoque tritum uulneribus imponitur. Centauriæ radix tam efficax est ad plagas conglutinãdas, ut etiam carnes cohæresçant, quę cum ea coquuntur. Lana etiam succida infunditur melle & aceto frigido, & oleo, deinde expressa imponitur. Spongia ex aqua cœlesti imposita, recentia septa non patitur intumescere. Caro uituli recentibus uulneribus arcet tumorem. Idem fimus bubulus cum melle præstat. Recentes plagas à ferro factas gluten

gluten taurinum liquefactum, calidumque impositum, nec ante diẽ tertium solutum, efficacissime iuuat. Marrhubium cum sale exiguo tritum, purgat omnem saniem. Ad uulnus, siue etiam cancer sit. Vrticæ tritæ pond. unum, ac salis unc. duas impones, & frequenter mundabis: sanatur & uulnus recens, ne tumorem habeat, neque cicatricem faciat. Trifolium ieiunus commanducet, & uulneri supernectat. Folia rubi trita cum melle permixta. Artemisia quoque imposita, uulnera eadem die claudit. Bulbus recens tenuiter incisus, & ad uulnus appositus, concite claudit, & uestigia cicatricis extirpat. Misiã item contusam impones, quæ non soluta triduo solidat cicatricem: & cum solueris, sanum uulnus inuenies. Xeron polyticon ad complenda uulnera, aut si est ustum. Recipe psimithij drach. octo, lyppidi octo, mãnæ quatuor. Psaron ad complenda uulnera. Recipe cycidon drac. X. calchanti X. lyppidos octo, scystos sex. Radices caulium combustę, & in puluerem redactæ & inspersæ, omni uulneri prosunt, etiã ferro facto. Ad omnia uulnera facta uel nata. Cinerem cribrabis, subradis subtiliter, & cõsperges oleo, atque impones: sed si fistula fuerit facta, collyria intramittes, mundat & sanat. Ad uulnera, confectio medicamenti, & cicatrices non pereat. Recipe olei unc. I. elcismados unam, aquę marinæ sex, colophonię unam, picis unam, ceræ quatuor: quæ omnia coques, & sic uteris. Si paruum uulnus est, linteum illitum impones & colligit: quòd si scissura est, prius consue, & sic impones. Si autem adhuc suppuratum est, prius fomento calefacto locum uulneris, & ita emplastrum impones: facit hoc ad syringium, purgat enim & colligit. Si autem euenerit, ut non colligat, tunc modicum uiridis medicamenti solues cum oleo rosato, ut facias aquatum, & carpta lintea ibi infundes, & secundum mensuram uulneris impones, & intrinsecus emplastrum molle. quòd si difficile potest colligi emplastrũ, collige de medicamento uiridi spissius, ac superpone, quod medicamentum uiride sic conficitur. Recipe ceræ unc. sex, colophoniæ noue, yu unam & semis, olei semiunc. mannæ thuris unc. tres, aceti quantum sufficit: quæ omnia commiscebis & uteris.

Sanguini ex uulneribus sistendo. Cap. XXI.

HYSSOPVM cum hordei farina siue cinere eius sparsum, prodest. Fimus caballinus cum ouorum putaminibus crematur, isque cinis admixto melle spatonulæ plagæ impositus, mirè sistit. Cortex uitis & folia eius arida, tusa in farinam, sanguinem sistunt, & uulnus glutinant. Bubulus quoque fimus in cinerem redactus, ac sparsus, sanguinem profluentem sistit. De fundo cacabi fuligo trita imponitur. Leporis pili desubtus mento mollissimi imponuntur. Polypus tusus in pila, instar emplastri adhibetur. Pillulę platani tusæ ex aceto impositæ sanguinem sistunt. Calcitis in puluerem redactus, sanguinem sistit. Persici folia trita & imposita, hæmorrhoidã sistunt. Vtris etiam uinarij cinis cum pari pondere resinæ ex aceto impositus, sanguinem sistit, & uulnera conglutinat. Ad eum, cui sanguis ex præciso non potest retinere. Spongiã albã nouã de mari mittes in cacabum, supra picis spanę optimæ resolutæ & colatæ pond. II. ita ut operatur pice. Cumque simul bene coxeris, leuabis spongiam & suspendes. quę cùm siccata fuerit, redigis eã in puluerem, de quo tãges locum, ex quo sanguis fluit, qui facit & ad profluuiũ. Ad uenas uel neruos præcisos. Lumbricos de terra contundes & pones, statim sanant. Ad omnia loca dolentia, herbam cyclamnion contusam pones, & statim sanat. Ad sanguinem sistendum, resinam frixam tritam locis supersparges. Faciunt & lintea usta, & in posca extincta.

Vlceribus, cancris, & nomis uermibusq; arcendis. Cap. XXII.

SCIO, gratius futurum fuisse, si singulis generibus ulcerum nominatim dedissem titulos & remedia: sed cùm aliquoties pluribus uitijs prosint, breuitatem secutus, genus scripturæ elegi, quod subiectum est. Vermes qui in ligno nascuntur, uocantur tosses; hi triti in panno illiniuntur, & ulceri apponuntur. Iidem combusti, cum anethi pari pondere impositi, nomas, quos uocant cancros, sistunt. Fimo ouium sub testa calefacto & subacto tumores sedantur, fistulæ sanantur. Nomas sistunt cochleæ crudæ de sua testa eiectæ & in linteolo illitę, & appositæ æquè emendant. Viola discocta in oleo & contrita, cui misceatur butyrum ouillum & mel. Eadem ratione curantur & cibio uetere, quod ut emplastrum panno illini debet. Vermes ulceribus innati ranarum felle tolluntur. Quæ serpunt, salsamento ueteri tuso in modum emplastri curantur. Radix peponis contrita, ulcera sanat, in modum fui concreta, que θύμια uocant. Semen raphani ex aqua tritum & impositum, sistit ulcera, quæ firedines appellant. Porrus capitatus contritus ex melle ulcera purgat. Allium cum sulphure & resina fistularum uitia extrahit. Vetera ulcera etiam carcinomata foueri debent aqua calida, in qua cocta sint holera, deinde ipsa holera trita imponuntur bis in die: sic curãtur fistulæ & tumores, quos euocari quosue tolli opus est. Cruda holera trita ueteribus ulceribus imponuntur. Lini seminis farina in uino decocta prohibet serpere. Eadem farina cum melle, eruptiones & pituitas emendat. Fistulas ulcerum lenticula cocta rumpit: eadem collectiones sedat; eadem intra suppurantia cum polẽta decocta imponitur. lenticulæ succus ulceribus & erosis & genitalibus adhibetur, sed cum rosaceo trito & cydoneo. Farina erui serpere uulnera non patitur spato melle imposita. Lini farina eodem modo imposita siccat. Cinis uitium cum axungia uetere fistulas curat & sanat. Folia oliuæ commanducata, & imposita, ulceribus manantibus medentur. Cauliculi oleastri decocti cũ melle, & impositi, carnes quæ ab ossibus recedũt, cõprimũt. Cõtra collectiones. Folia oleastri ex uino trita imponuntur. His quæ purgãda sunt, oleastri folia ex melle adhibẽtur. Vlcera manãtia, oleum

amygdalinum cum uino expurgat. Fici ramorum teneri cauliculi tusi imponuntur cum melle ulceribus quæ κήρια uocant. Carcinoma si sine uulnere fit, quàm pinguissimam ficum impone, singulare remedium est. Nuces iuglandes perueteres commanducatæ, uulneribus medentur impositæ. Glans roborea trita cum àxungia, duritias quas κακοήθεις uocant, & euocat & emendat. Vlceribus quæ serpunt, & quę in his excrescunt, spondelium cum ruta illinitur. Pix brittia cum melle ulcera purgat, explet, sanat: eadem pix cum uua passa & axungia, ulceribus putrescentibus medetur. Aqua in qua lentiscus decoctus est, ulcera quæ serpunt, utiliter fouentur. Pilulæ de platanis tusæ emendant. Vermes tollunt mala tusa ex melle. Hedera ex uino decocta imponitur. Idem præstat & lana succida ex melle. Cinis fimi pecudum, addito cinere ex ossibus firmorum agnorum, & nitrum tusum adhibetur ulceribus, quæ cicatricem non trahunt. Pulmo arietinus carnes excrescentes in ulceribus exęquat. Vlcera quæ serpunt, & quæ in his excrescunt, cinis capitum menarum coercet. Fistulæ aperientur siccanturque salsamento cum linteolo immisso, intraque alterum diem, omnem callum aufert. Serpentium ulcerum coercet impetus galla non lota, temperata ex rosaceo & aceto atque indita, mox cera & rosaceo permixta perducit ad cicatricem. Symphytum omnia ulcera celerrimè perducit ad cicatricem, & sanat. Plantaginis succus infunditur fistulis, & eisdem medetur. Fel taurinum cum porri succo pari mensura, carcinomata curat. Lentis farina eodem modo carcinomata cum axungia ueteri imposita, curat. Coagulum léporis cum capparis pari pondere, quod utrunque adspersum uino teritur unà, cangraginis penna illinitur. Fel ursinum in his quę serpunt, medetur. Caseus caprinus siccus ex aceto & melle purgat ulcera quæ serpunt, cohibet seuum caprinum cum cera. id etiam, additis sulphure & pice, purgat. Allece linteolis conceptis imposito purgantur ulcera. Ad ulcera autem sordida qualibet in parte corporis fuerint: Cognoscuntur autem cùm candicant, aut cùm crustam albam superduxerint, purgatque ea mel infusum, aut puluis iris, uel mali terræ, aut panacis radix. Mirificeque purgat hoc medicamen, etiam si cancer tentauerit: est autem lene, & recipit auripigmenti drac. sex, iris tres, elaterij unam, cineris chartę combustę IIII. & cũ opus est, cochlearia IIII. rosæ cyatho permiscetur, atque uulneri superponitur. Hoc medicamentum citò & sine ullo morsu expurgat ulcera sordida. Cortex item cauliculorum papaueris contusus in puluerem, ac melle permixtus, sordidis ulceribus imponitur. Ad excrescentem uerò carnem, iris floris usti drac. sex, calcideos usti quatuor. sed acre hoc est, & quasi cauterium crustam ducit. Crescentem enim cancrum prohibet. Vlcera item sordida optimè mundat lenticula cocta, & addito melle imposita sanat. Xeron diatessaron, quod facit ad nomas. Recipe calcideos cocti drach. calchati quinquaginta, myseos ustulati XXV. calcoci cauminos XII. & semis in aceto: quæ omnia teres, donec sicca efficiantur, & in puluerem perueniant. Xeron caroteten, quod facit ad nomas. Recipe calcoci cauminos unc. unam, calcideos unam, calchanti unam, myseos unam. Xeron catapastaton diacorcon, facit ad nomas, & ad paturam sparges & ligabis. Recipe lyppidi unc. unam, myseos unam, calchanti unam, schistos unam, cicidos IIII. Lypara ad nomas & ad ustulationes. Recipe albesci drachmas IIII. psymithij IIII. ceræ XVI. cerusam uerò & albescum teres cum lacte mulieris, donec habeat spissitudinem ceroti, & sic permiscebis in mortario, & teres diligenter. Xeron ad nomas melanthium, hoc est propter arsenicum sandaracã calcoce cauminum æqualia teres & uteris. Item xeron ad quod suprá. Recipe calcideos assi drach. XL. calchanti XXX. myseos assi XX. ustulati decem. Xeron Theodori, ut suprá. Recipe calcideos drach. IIII. sandarace IIII. arsenici IIII. albesci octo, quæ teres & sic uteris. Ad ulcera, ad uulnera, ad cancromata, ad uermes necandos. Herba nepeta uiridis trita, adiecto modico salis, & apposita uulneri, quod ex negligentia uermiculos habere cœperit, omnes eijcit & persanat. Folia cannabis & millefolij, & lactucæ in uino teres, & succum earum ulceribus immittes, uermes necat & ad sanitatem perducit. Betonicæ item pollinem bibat ex aqua calida, statim sponte exeunt.

Ad apostemata interiora. Cap. XXIIII.

APOSTEMATA interiora uomicas uocamus. Erumpunt enim plerunque è lateribus membranæ superuacuæ ex languoribus natæ humore concreto, intusque conuerso: qui adeo fœcundè innascitur, ut non tam excreetur, quàm euomatur. Eos qui in hanc passionem inciderint, oportet ambulare, uectari, ungi lectos & requies. & ob hunc morbum malum, sustentandi erunt cibis firmis, glutinosis, auibus pinguibus, operibus pistorijs plus ęquo mellitis, prout patiuntur facultates. Vomica sunt priuati melle in quo sint apes demortuę: facit autem & industriæ potio hæc. Ouum crudum euacuabis, & putamen eius implebis ex succo marrubij, & in eodem uase colabis: repleatur item melle, quod eodẽ abijcitur, & ita permixta calefiãt usque ad teporẽ. Hæc enim uomicas rũpunt, purgãt, & ad sanitatẽ perducunt; ideo etiã curatio eius expetita est, ut etiã hyeme asperrima explicari potest, & intra uerni & æstatis tempus.

Aliqui tamen curati sunt intra finitum tempus, compositione ea quæ infrà scripta est. Recipe mandragoræ denarios tres, iusquiami tres, thuris decem: singillatim tusa teruntur ex uino ad spissitudinem plus crassiorem quàm mellis; ex quo medicamento, initio pondere uictoriati in tribus cyathis aquæ euntibus dormitum datur: mox deinde ex eodem modo aquæ pondus denarius, à prima uerò potione sentitur profectus, deinde incredibilis in altera explicatur curatio. Ad apostemata interius. Brassicę succi cyathi duo, passi unum, tepefactus & potui datus, mirificè prodest. Marrubij succi cum butyri tantundem in potione conditi tepidum bibat, sanus erit: & si uetus est passio, succi minus mittas

& plus

& plus butyri, ne subita eruptione præfocetur. Marrubium item cum mellis æquali mensura coques, agitando donec unum corpus efficiatur, & cum cochleari pro uiribus dabis. Butyrum quoque cũ melle optimo permixtum, ieiuno sæpius ad comedendum dabis. hoc si frequenter feceris, miraberis effectum. Hortulanæ rutæ semen ex aqua tritum per dies septem calida mixtum cochlearis mensura ieiunus accipiat. Itemque alia septimana lapatij radicem colliges, & diligenter in pila tundes, & iacebit infusa in uino ueteri diebus septem, deinde per triduum singulas potiones bibat, mixta calida temperata. ipsam uerò radicem linteo impositã & tepefactam stomacho superpones. qua enim hora imposueris, accessio fiet.

Ad omnia apostemata exteriora, uel tumores. Cap. XXIIII.

CERUSAM, nitrum, ceram, oleum, pari pondere, sed plus nitri adijcies. Cerusam uerò & nitrum teres, ceram & oleum, cerotum facies, miscebisque omnia & teres diligenter, quod alutæ impositum, mirabile est effectu. Agrimoniam, uerbenacam, & quinquefolium, coques æquis partibus ex aceto, & adiecto semper uino, dehinc trita & imposita sanant. Ad uomicas exteriores. Charidas uiuas in oleo necabis, & ex hoc unges, liberant. Hebuli radices ac cortices cum aceto teres, & in modum cataplasmi impones, sanant. Ad omnia apostemata, maximè ad parothecas. Herbas uirides, paredariam, symphoniacã, lapatium & marrubium singillatim in creta inuolutas, lęto uapore coques, & carnem quæ inter medullam & corticem est, separatam diligenter teres ad crassitudinem mellis; quod cum herba supra scripta admiscebis, deinde manna, thuris, & stercus columbinum siccum cum nitro Alexandrino teres. Præterea facies cerotum de oleo simplici, & cera quantum satis est: terebinthinam quoque adijcies ceroto, cui & cętera omnia ad unitatem corporis misceantur: omnibus autem pigmentis & herbis, exceptis cera & oleo, æqualiter uteris.

Ad collectiones uel tumores. Cap. XXV.

VISCUM decoctum cum fœnugræco impones. Adipem item cum allio mixtum impones, omnes tumores suspectos soluit. Cerifolium tritum bene facit. Oleastri quoque folia ex uino contrita, & collectionibus imposita, prosunt. Carnis etiam caprinæ combustæ cinis ex aqua illitus, omnes tumores soluit. Sysimbrium item tritum & impositum, tumorem sedat. Ebuli folia tusa cum pane molli, uino infuso, permixta & imposita, omnes tumores discutiunt. Lenticula itidem cum lomento fabæ, pulegio & sale, pari portione aqua conspersa & imposita, collectiones quaslibet facillimè soluit. Mali terræ nihilominus radix contusa, & in aceto deferuefacta, discutit & sanat. Pix liquida adiecto cinere cribrata, & apposita, omne genus collectionis discutit. Iuniperi quoque semen tusum, & in aqua decoctum, & in panno impositum, tumorem sistit. Ad tumorem & duritiem. Faba frixa cocta sine sale, & mixta cum melle uel uua passa innucleata & imposita, duritiã mollit, & tumorem spargit. Farina quoque hordeacea in aceto discocta, & cum fimo columbino, ac ficu sicca simul trita, coctaque & imposita, discutit. Itemque lens cocta & cum melle trita & imposita, maximè ulcera tollit ac sanat. Ficus etiã quæ adhuc non maturauit, admixto adipe anserino imposita, mirè sanat. Herbam itidem symphoniacam cum axungia commiscebis.

Scyrosi uentris uel stomachi curandæ. Cap. XXVI.

ABSINTHII pontici fasciculum, cassiæ manum plenam, infundes in uini Hadriani sextarium unum, & gremialis sextarios quatuor, coquesque in uase duplici, & fouebis: altera die, rutæ fasciculum breuissimum, iris uncias quatuor, squinantij duas, infundes in uini Hadriani sext. unum, & olei gremialis sext. III. coquesque in uase duplici, & suprascripto oleo permiscebis, & fouebis diebus duodecim. Cataplasma ad eandem scyrosin. Recipe fœnugræci sextarium unum, lini seminis unum, meliloti unum, hysopi ceroti libram unam, iris unam, seselij sext. unum: quæ omnia tusa cribrabis mollissimè, postea caricas pingues optimas numero centum infundes in aqua, & discoques, ita ut aqua spissa fiat, sicut passum, & adijcies mellis optimi heminam unam, & facies cataplasma diebus octo uel decẽ: aut quotquot necesse fuerit, ex eadem aqua cataplasmata coques, addes etiam resinæ terebinthinæ optimæ unciam unam; sequenti die unam & semis; tertia die duas, uel accedentibus diebus duas, rutæ siccæ libram unam: & si uiridis fuerit, siccetur in patella argentea super carbones, butyri optimi unc. I. accedẽtibus diebus duobus, euisci cocti sub cinere libras duas, commiscebis cum axungia non satis, ita ut prius euiscum tundas, & postea simul utrũque ceroti modo spissum fiat. Hinc facies sphæram grandem ex aqua, & cataplasma semper adijcies: quòd si hyems fuerit, duodecim diebus fouebis, & totidẽ cataplasmabis: si uerò æstas fuerit, uel senex, diebus septem, uel pro uiribus ægrotantis. Epithema ad eandem scyrosin post cataplasma. Recipe iris uncias septem, quas tundes & cribrabis mollissimè, & in mortario duo uiri à mane usque ad uesperam terant, dehinc ceræ minutissimè pingui melle uncias sex, & solues cinere calidissimo: quæ cùm soluta fuerit, addes terebinthinæ optimæ uncias sex, & diligentissimè agitabis, ut nullam asperitatem habeat: cùm soluta fuerit, leuabis de foco, & mittes puluerem suprascriptum, & teres diligentissimè; hinc facies collyria maiora, & pones in capsella mũde, & cùm opus fuerit, linies linteum spissum, & pones in stomachum quotidie ita, ut totum uentrem & sub umbilico teneat. Item epithema ad scyrosin, ad hepar, ad splen, ad stomachum. Recipe ceræ uncias quatuor, terebinthinæ quatuor, ammoniaci quatuor, bdellij quatuor, myr-

rhę quatuor, propolei quatuor, iris quatuor, styracis quatuor, irini fęcis parum. Ammoniacum uerò, bdellium, & irim tundes & cribrabis: styracem, propoleium, & ceram in pila tundes, & simul commiscebis, & postea terebinthinam atque fęces irini simul commiscebis, & colliges. Epithema ad renes, & ad scyrosim eorum. Recipe thuris masculi unciam unam, adianti tres, galbani duas, styracis tres, butyri duas, bdellij duas, iris sex, medullę ceruinę unam, olei cyprini octo, floris lapidis ammoniaci quatuor, cerę pinguis mellitinę libram unam.

Panis depellendis. Cap. XXVII.

NASTVRTIVM cum pice panas discutit. Maturis aut maturescentibus lens imponitur ex aceto decocta, ipsaque cocta, & cum melle trita, & imposita, suppurare prohibet. Lupini ex aceto cocti, aut minuunt aut maturant. Fimus columbinus cum hordeacea farina imponitur. Euiscus, resina, & cera æquis ponderibus imponuntur. Galbanum per se impositum prodest: aperit uerò paniculas, cum sale costo discutit. Murinus fimus admixtus thuris pollini & sandarace & cochleæ contusæ. Cinis muricum uel purpurarum ex oleo ueteri imponitur. Quidam autem utuntur ad paniculas hac cōpositione. Recipe ceræ atque thuris drachmas uiginti, spumæ argenti XL. cineris muricum decem; quę omnia permiscebis ex olei ueteris hemina una. Ad paniculas alia compositio. Recipe herbæ symphoniacæ foliorum libram unam, colophoniæ duas, axungiæ ueteris sine sale unam, fermenti uncias sex: fermentum uerò in mortario solues, & suprascriptas species miscebis, resinamque & oleum solues & uteris. De polline erui ex melle cataplasmabis; sæpius enim impositum spargit, si tamen nondum pus fecerit. Caricæ ex uino coctę & impositæ curant. Fœniculi farina ex hydromelle cocta addita axungia, dolorē mitigat, & panas aperit. Item expertum. Gutta ammoniaci tusa cum cera & apposita, ligataque, & quarto die soluta paniculas discutit. Euisci radix ea aqua coquitur, & quæ exterior pars est, ac per hoc tenerior trita, & admixto pane molli infusa cum axungia sine sale, linteoque inducta & imposita sparget: aut si ruperit, ex hoc ipso impositum claudit & sanat, ut expertum est. Lapatium, fimusque gallinaceus commixta dirumpunt. Eruum cum melle tritum & impositum, suppurare prohibet. Myrrham etiā ex aceto temperabis, & linies locum, miraberis effectum. Lacerta uiridis diuisa, & imposita, discutit. Cinis quoque inanium cochlearum ceræ admixtus. Echinorum item testæ ex aqua illitæ. Cancri etiam fluuiales triti medentur. Salsamenta item cocta & imposita. Creta cymolia trita ex aceto, cohibet. Sanguis ursinus discutit, nec minus taurinus aridus tritus, ungulæque equinæ cum oleo. Bubulus sanguis illinitur, sed & fimus hircinus cum melle decoctus. Ad paniculas sanandas. Saponem cum adipe porcino recenti, aceto accerrimo resoluta cū lana imponuntur. Cochleæ item minutæ mirabiliter faciūt.

Ad cyradas, quæ sunt glandulæ, & ad tumorem antequàm apostema fiat. Cap. XXVIII.

TEREBINTHINAE uncias tres, galbani tres, ceræ tres, cineris de sarmentis uitis mundissime facti candidi unam, cineris caprifici unā, simul mittes in cacabum cum cera minuta & olei hircini uncijs duabus, & solues, postea colabis ac teres, panemque facies. & cùm opus fuerit, linteo spisso illitum impones. Ad cyradas & strumas. Lolij siue auenę farinam cum lini seminis farinę pari portione, & columbinum fimum recens tantundem ex uino decoques, & impones, utrunque sanat. Strumis item & cyradis echinorum testę contusę, & ex aceto acri tritę, illiniuntur. Ranę quoque rubetę cinis admixto butyro inductus cyradas exiccat. Viscus, calx, & cera imposita maxime prosunt. Conchylij etiam marini testa tusa in puluerem, admixta ueteri axungia imponitur. Mustelę uiuę combustę cinis cū rosaceo & cera imponitur. Columbinus fimus recens collectus, & in folijs betę uel brassicę coctus, deinde tritus, & admixto aceto calido impositus, sanat. quod & carbunculos curat. Emplastrum cyradicon. Recipe perysterios drach. IIII. pyrethri IIII. propolis XIII. ammoniaci XVI. caccij grana octo, uisci de quercu drach. octo, nitri IIII. terebinthinę octo, galbani octo. Ad cyradas & paniculas. Ostreę ustę uncias duas, calcis unam cum aceto diu teres, & calefacies bene locum, & sic impones medicamentum.

Strumis profligandis. Cap. XXIX.

CAPRIFICI corticem intumescentem puer impubis si detracto ramo tollat dentibus, & medulla ipsa alligetur ante solis ortum, prohibere strumas constat. Echinorum testę contusę cum alumine ex oleo, folia hederę, marrhubium cum adipe, lēs in aceto discocta, lupini ex aceto cocti tritique, folia fici, & ficus immatura unà tusa imponuntur. Succus pillulę cupressi ex fermento, galbanum per se exulceratis strumis imponitur. Mustelę sanguis illinitur. Mustela ex uino discocta imponitur. Cochleę cum suis testis tusę ad hoc faciunt optime, quę salicibus adhęrent. Cinis aspidis cum seuo taurino imponitur. Adeps anguis mixtus oleo. Anguium cinis ex oleo; esse eos quoque pręcipitur, abscissis à capite & cauda digitis quaternis, aut cinerem crematorum bibere. Aliqui fimum columbinum imponūt, alij mixta hordeacea farina ex aceto acri. Talpę cinis ex melle imponitur. Iecur talpę quidam inter manus tritum circunliniunt, & triduo non abluunt. Talpę capita pręciduntur, & cum terra egesta à talpis conteruntur, & in pastillos rediguntur, sicque seruantur in stagnea pyxide, utiles ad omnia apostemata. Vermes terreni totidem, quot sunt strumę alligati cum his pariter arescunt; circunligantur lino quo uipera suspendio

ra suspendio occisa est; millepedę imponuntur, addita resinę quarta parte. & non solum strumas sic curari pręcipiunt, sed & omnia apostemata. Calx uiua cum resina liquida, uel adipe suillo, addito melle, strumis utiliter auxiliatur. Cinis ungulę asini uel equi ex aqua & oleo illinitur. Bubulum seuum ex oleo imponitur. Ebuli folia conteruntur, & mixta cum fęce ceruisię, superadditis folijs eiusdem ebuli, illud alligatur. Fel aprinum uel bubulum tepidum illinitum discutit. Vrticę radices in aceto coctę & tritę, & in modum ceroti impositę, discutiunt, maturas aperiunt, & omnes radices extrahunt. Viride nasturtium cum lomento fabacio cōtritum adhibetur, & desuper folia hederę uel brassicę apponuntur, strumas tollit. bulbi quoque ex melle triti tepidi imponuntur, & alia die cauliculi ruborum teneri cum folijs suis ex uino decocti tritique. hęc alternis diebus & uicibus imposita, ad sanitatē perducunt. Sinapis semen cum fabę pari portione in aqua coctum & tritum, atque impositum, strumas sanat. Cancri quoque fluuiatilis cinis tritus cum melle, & impositus, discutit. Taurinum siue bubulum seuum cum cera & resina impositum discutit. Fimus item eius cum aceto coctus idem facit. Medicamentum ad strumas. Recipe aphronitri libram unam, resinę frixę unam, terebinthinę uncias sex, cerę sex, ammoniaci quatuor, calcis uiuę duas, olei rosati quatuor. Ad strumam uerò claudendam: Axungia cum urtica trita, & imposita, optimè facit, & claudit uulnus. Item radicis cortices coctę cum aceto, & contusę, imponuntur strumis incipientibus: discutiunt, maturant, aperiunt, & ita educunt: & omnibus radicibus extractis, ad certissimā sanitatem perducunt. Porrò ad suggillationes, urticę folia teres & impones. Emplastrum ad strumas. Recipe olei ueteris uncias sex, cerę sex, herbę cyclaminis sex, floris aphronitri sex; oleum uerò, resinam & ceram in cacabo resolues, postea mittes puluerem cyclaminis, & agitabis donec unitas fiat: deinde adijcies florē aphronitri, & continuò depones. ubi refrigerauerit, finito nonō inductū pones, quandiu pus reddat. Cùm autem uideris exinanitum esse, facto ceroto curabis.

Carbunculo medendo. Cap. XXX.

CVCVMERIS syluatici succus superinfusus & alligatus emendat. Item expertum. Mel cum lomento fabæ mixtum imponitur, & folia lactucæ desuper, hoc ad sanitatem perducit. Nasturtium fermento mixtum utiliter medetur. Suppurationes dirumpit plantago sine lanugine cū sale cōtusa. Cùm autem purgauerit, sine sale apposita procurat. Cepæ acerrimæ sub cinere bene coctæ, melli miscentur, & loco emplastri admouentur. Tithymallus quoque trita admixto sale, cymino & melle æquis portionibus, & in modum medicaminis imposita, sanat. Nitrum cum oleo tritum & impositum, carbunculos ardentes sanat. Porri succus cum cinere mixtus & impositus. Calx uiua ex aceto soluta imponitur. Gutta item ammoniaci ex aceto teritur, & uulneri superponitur, frequenter rumpit, & foras protrahit. Caseus caprinus uiridis, siue siccus cum porri sectiui succo tritus imponitur. Pix brittia cum uua passa, exemptis nucleis, addita axungia purgat. Nuces siue glandes perueteres teres & impones. Erui farina ex uino imposita, carbunculos rumpit. Fimus columbinus cum lini semine ex aceto mulso, carbunculis imponitur. Mullorum salsorū cinis prodest: rutaque ex aceto trita. Fimus pecudis incipientibus carbunculis imponitur. Ficus siccæ in uino decoctæ aut tritæ & confricatæ extrahunt. Herba sauina quæ habet folia simillima cupresso, cū melle illinitur. Cerebrum suis coctum, & tostum, imponitur. Expertum ad anthracas, quod alij dicunt oculum pullinaticum, alij carbunculum. Folia rutæ uiridis, uuam passam pinguem purgatā, aphronitrum album: omnia æqualia cum mel le uteris. Emplastrum ad anthracas. Recipe galbani unciam unam, asphalti unam, nitri semiunciam, arsenici similiter, seui ueruecini de renibus unciam unam, coques ámulentum: facit & ad uulnera recentia seu pustulas malas.

Ad papulam noxiam. Cap. XXXI.

AD papulam noxiam, quæ tertia die occidit. Bullos crudos teres mollissime, addes coriandrum uiride, mel & acetum; teresque simul & impones. Porcinum fel siccabis in fumo, & exinde tantam partem præcides, quantum spatij ipsa pustilla tenet in capite: quam calefactam foco, in modum ceroti induces, & sic impones. cùm hæserit, non dimittit, nisi secum papulam extraxerit. Signum uerò morituri est, si medicamentum non hæreat. Ante omnia, de caryicis Germanis in uino Aphro discoctis, leuatis, ac tritis, adiecto paruo melle, cataplasma facies, & super omnem curam impones. Poma caprifici sicca cōbures, & cum sapone miscebis, & impones. Ex uirga item ipsius interiorem albuginem rades & teres diligenter, & sapone mixtam impones: ipsa enim uim eius mox necat, ne amplius serpat. Galbanum item per se imponitur, aperit & extrahit. Postea uulnus factum curatur alio medicamento.

Furunculis medicandis. Cap. XXXII.

FICVS siccæ decoctæ ex uino, & tritæ, imponuntur. Fimus gallinaceus rufus uel albus recens ex aceto tritus, & impositus, efficaciter sanat. Nasturtium fermento coquitur, & imponitur. Papauer quoque syluaticum cum axungia suilla tusum imponitur. Bulbi triti & impositi exiccant. Dactilus etiam tritus, & cum molli pane infusus, imponitur. Fermentum cum sale mixtum imponitur. Pellis similiter muris detracta. Seuum arietis cum farina punicis æquis ponderibus prodest. Nitrum

cum resina mixtum detrahit. Seuum bubulum cum sale imponitur: aut si dolor est, sine sale liquatur cum oleo. simili modo facit seuum caprinum. Galbanum per se prodest. Ventriculus ciconiæ ex uino decoctus illinitur. Muscæ impari numero infricantur, digito minimo sordes ex auriculis pecudū illiniuntur. Limacis cinis aspersus purgat. Nouem granis hordei si quis furunculum circundat, singula manu sinistra, & in ignem conijciat, confestim sanat. Ad furunculos, & ad omnes tumores. Adipem caprinum recentem cum pice dura pari pondere tundes, subactumque more malagmatis induces donec sanentur. Nitrum quoque cum resina superpositum, furunculos extrahit. Ad idem, compositio bona. Recipe guttæ ammoniaci, aluminis schisti, propolis, stercoris palumbini ana unc. unam, seui taurini mundi tres, resinæ sex, ceræ sex; ex his sicca tundi & cribrari oportet, ac cætera in nouo cacabo lento uapore solui, & siccis misceri. Item omnes seuum si ponatur, utile est.

Ad circinum, quem alij zonam uocant Cap. XXXIII.

CIRCINVS, quem alij zonam uocant, talis est. Vesicæ tanquam combustæ exeunt & crepant, primium paucæ, deinde citò multiplicantur: quæ si hominem cinxerint, occidunt. Curetur uero sic. Succum cicutę, coriandri, colophonis, ebuli & sambuci radices cum uitello oui & oleo rosaceo miscebis, & penna linies, ac supersperges puluerem milij combusti: & hoc si frequenter feceris, sanantur. Succi coriandri calicem dimidium, & croci aqua infusi ac triti tantundem permiscebis, & uteris à pēna, & sic supersperges puluere de carycis in area candenti combustis.

Igni sacro medendo Cap. XXXIIII.

VERMES terreni ex aceto illiniuntur. Lens quoque in aqua marina decocta imponitur. Herba sauina, quę habet folia quasi cypressus, ex melle illinitur. Oua cocta trita cum oleo imponuntur, & folijs betę operiuntur. Ouorum trium candidum cum amuli pari mensura imponitur. Hysopū contritum cum panis polline & rosaceo illinitur. Ac fimus uitulinus seu bubulus. Ramenta itē caprinę pellis eiecta punice, & ex aceto trita, illiniuntur. Serpentium senectus cum bitumine & felle siue fimo agnino ex aqua illinitur: à balneo, allij cinis ex oleo & garo illinitur. Ruta ex aceto & oleo illinitur. Amurca oliuę nigrę infunditur. Gryllus contritus ab eo qui non sit uitio illo apprehensus, eum qui hoc fecerit, in totum annum ab hoc malo liberat: oportet autem eum erui ferro cum cauernę suę terra. Anseris adipe perungitur utiliter hoc uitium. Viperæ caput aridum adustū ex aceto superlinitur. Spongia ex aceto imponitur tam grandis, ut sanas quoque partes obtegat: ursinus adeps adijcitur. Est genus sacri ignis, quod Zoster uocatur, quod occidit eum quem appetit, si pręcingit. Huic occurrit plantago imposita cum creta cymolia, aqua cysternina, aut certe dulcis soluitur ex oleo, deinde penna perungitur, eadem die liberat. Oui medium quod est rufum, teritur sublato albo, in uase cupreo, deinde pistillo de cupro, & sic dolor penna illinitur. Herba heliotropium sicca comburitur, cuius cinis oui uitello permiscetur, & penna illinitur. Plantaginis succum, cerussam, & cretam cymoliam miscebis & induces, curat. Album cicer aut nigrum infundes in aqua fontana, post triduum teres diligenter ut cerotum, dehinc in ipsam aquam infundes medullam panis, & seorsum diligenter teres, deinde in uinum miscebis. & si durū fuerit, adijcies duo uel tria cochlearia ipsius aquę, ita ut post illitum panno uel linteo imponas. Teres cretam diligenter, & seorsum bene teres coriandrum & commiscebis, simulque teres, addito uino ueteri modico: lauabis etiam uino ueteri locum, atque à penna induces medicamentum.

Ad rubeam Cap. XXXV.

LAVABIS primum uino ueteri, & puluerem uermium terrenorum supersperges, qui ad solē sint arefacti, & alligabis: quòd si locus talis est, ut alligari non possit, ipsos lubricos recentes teres & linies.

Ambustis sanandis Cap. XXXVI.

FIMVS ouium cum cera ambustis imponitur. Ambustum polenta cum aqua subacta & imposita sanat. Maluæ folia ex aqua decoquuntur, & ex ea aqua fouentur combusta. Folia quoque cruda trita, admixta axungia caprina imponuntur. Myrti uiridis folia contusa & imposita sanant. Puluis foliorum eius si cum rosa perfundatur, exiccat & cutem nutrit. Terra quam talpæ eiecerint, cum aceto mixta & trita imponitur. Ouum crudum cum sua testa tritum & illinitum sanat. Fimi columbini cinis ex oleo illinitur. Cucurbitæ aridæ farina utiliter aspergitur. Lens ex aqua semicocta imponitur. Procedente uerò curatione, lens cruda conteritur, eiectoque furfure eius decoquitur, & sic imponitur, posteaque mel adijcitur. Vitis cortex comburitur, & cinis eius ex oleo illinitur, & pilos reddit. Hordeū tostum tritum ex albo ouorum illinitur. Oua in aqua decoquantur, deinde in pruna torreatur donec putamina eorum comburantur, tunc lintea eorum ex rosaceo illiniantur. Oleum addito sale, pustillas reprimit. Eis uerò quæ feruenti aqua combusta sunt, tanarum cinis inspersus adeo prodest, ut etiam pilos reddat. Efficax est fibrinarū pellium cinis. Fimus leporis & capræ illinitur æquis portionibus.

Gluten

Gluten taurinum remissum, sicut solet à fabris remitti, sine cicatrice sanat. Hederæ nigræ folia ex uino uetustissimo cocta, & contrita impones. Illinitur item canini capitis cinis, cochlearumque cinis ex oleo, atque adeps uerrinus, garum infunditur, nec nominatur. Cancrorum marinorum uel fluuialium cinis ex oleo prodest ambustis: illita item fæx uini, siue sapæ. Oliuarum carnes teruntur, & imponuntur. Nigra oliua cōtinuò si imponatur cōmanducata, pustulas gigni prohibet. Flos hederæ cū cera utiliter īponitur. Magnes lapis crematus, tritusque inspergitur. Optimum est, si ex auribus taurorum & genitalibus sordes applicantur. Emplastrum ad combustum. Recipe spumæ argenti uncias duas, ceræ tres, adipis porcini mundati lib. duas & semis. Emplastrum quod ad combustum mirificè facit, & cùm multa sint, nullum magis probatum: protinus enim impositum, tollit dolorem, & infinita celeritate persanat. Recipe spumæ argenti uncias duas, adipis porcini purgati sex, ceræ libras duas & semis, oui anseri ni uitello teres, & miscebis, spumæ argenti tritam ceram cum adipe resolues: Ceram item in oleo rosato resolues, & facto tenui ceroto, admiscebis bulbum lilij diligenter tritum. Alij tamen addunt cerusæ puluerem mollissimum, & panis micam infusam in aqua & tritam, & spumæ argenti bene tritę puluerem: hoc facit ad faciem frigore uel calore exustam. Cerotum de rosaceo, adiecto adipe porcino recenti quod satis est. Radices lilij conteres, & cùm opus fuerit, uteris. Herbam cuculum inuolutam, coctam in cinere contundes, & oleo atque aceto permixtam induces, combustum intra triduum sanat.

Ad frigore exusta. Cap. XXXVII.

LEPORVM pili cinis, pulmoque eiusdem adalligati, frigore exustis medentur. Ad combusta à frigore, mori quoque arboris succus cum oleo æquali mixtus facit: mitigat enim perunctus usturam. Ad ignis & frigoris adustionem. Rutæ folia in oleo cocta & trita colabis: peruncta deinde & imposita calefaciunt. Puluere aristolochiæ ex oleo trito, contrà frigora & algores perungi utile est. Vrticam item teres & superpones, & alligabis. hoc facito bis in die, & intra dies quinque sanus erit. Ituri uerò per niuem, farinam opopanacis bibere debent, eaque perungi. Vim enim habet mirificè calefactoriā. Si autem facta sint uulnera, frumentum tostum in ferro, ac tritum è uino, præsentaneo remedio est.

Scabiei arcendę. Cap. XXXVIII.

MEDVLLAE asininæ illitæ plurimum prosunt. Vrina asini cum suo luto imposita sedat. Gluten taurinum cum aceto tepefactum, addita calce, imponitur. Fimus bubuli, alumen liquidum admixto nitro ex melle imponitur. Nitrum cādens ex uino extinguitur, quod tritum ex oleo spargitur in balneo: hoc enim & pruritum sedat. Folia fraxini coques ex aqua, & inde sæpius lauabis. Sanguis quoque bubulus recens impositus: qui cùm aruit, alter superillinitur. postero die abluitur cinere lexiuio. Sanguis caninus illinitur. Trium locustarum pratensium pedes cum seuo hircino triti medentur. Ad scabiem & pruritum. Radicibus rumicis, hoc est lapatij, medullatis, non coctis, sed cum sale tusis, aceto acri admixto uteris in balneo. Ad scabiem purgandam, folia herbæ parietariæ conteres diligentèr, & exprimes, colabisque, & mittes in trullionem aut acetabulum succum ut bulliat diligenter, & postea lauabis ac refrigerabis: cumque gelatum fuerit, si quis humor remansit ex illo succo, fundatur de reliquo, perunges locū scabiosum. Persici folia mittes in oleum Sabinense, cùm iam feruere cœperit: ubi se constauerint, illis leuatis alia mittes. hoc facies & tertiò. dehinc colabis oleum, & cera addita, factum cerotum repones, & in necessitate uteris: facit enim ad lateris ac splenis, & neruorum dolorem. Resinæ, ceræ, sulphuris uiui, & picis den. sex, conteres singillatim & sic miscebis, iterumque teres, ut lene sit, & inde in sole calido corpus illinies, & paulisper morabitur, donec bene sudet. Emplastrum aliud, siue medicamentum ad scabiem. Recipe spumę argenti unciam unam, cerusæ duas, ceræ punicę sex, olei rosati quatuor, axungię porcinę recentis sex. Ad scabiem uel combusta. Recipe cerusę unciam unam, spumę argenti semiunciam, olei rosati sex, cerę sex, facto ceroto tritum puluerem miscebis, & album duorum ouorum addes. Item physicum eis quibus manus replentur. Micas panis in recenti infusas cum lactuca tere, & impones. Cocyton ad scabiem. Recipe ceræ libram unam, rosati unam, lithargyrij quatuor, cerusæ quatuor, medullæ ceruinæ quatuor, ouorum trium uitellos, succum ptisanæ: quæ omnia scabiem curant. Itemque annum cum melle mirabiliter curat.

Ad papulas, & prurigines. Cap. XXXIX.

LVPINORVM farina ex aceto subacta in balneo papulis illinitur. Pruritus sedant, cochleæ minutæ impositæ. Nitrum candens uino austero extinguitur, deinde conteritur, & sine oleo in balneo aspergitur, pruritum & scabiem sedat. Oleum in quo pastinacæ marinæ decoctæ sint, aluminis liquidi pars tertia, duæ partes mellis in balneo papulis illiniuntur. Aeque papulis creta cimolia in balneo illinitur. suilli fimi cinis, uel cornu ceruini cinis ex aqua illinitur. Sulphur tritum mixtum liquamine, in balneo utiliter illinitur.

Ad pustellas quæ uocantur uolaticæ. Cap. XL.

TROCISCVS ad pustellas uolaticas. Recipe yu sideron uncias III. allij purgati unam &

semis, sulphuris uiui unam & semis, cymi deñ. duodecim, aceti acri quantum sufficit: teres simul omnia ad solem, & permiscebis.

Varis tollendis. Cap. XLI.

FOLIA porri sectiui trita & imposita, tollunt uaros. Itemque farina erui ex aqua imposita sanantur, & toto corpore maculæ emendantur. Oleum amygdalinum ex melle illinitur. Adeps gallinaceus cum creta contritus cum cepa imponitur. Varos tollit farina auenæ ex aceto cocta & imposita. Lacertæ quoque sanguine ieiunus illiniatur.

Ad uerrucas, clauos, & callos. Cap. XLII.

VERRVCAE abolentur urina recenti canis, cum suo luto illita. Fimi canini cinere cum cera & cepa imposita. Agrimonia cum aceto imposita, uerrucas tollit. Fimus auium cum sanguine murino recenti illinitur. Herinacij felle & sanguine lacertæ, fimo gallinaceo cum olei & nitro efficaciter tolluntur. Ocimo cum atramento sutorio. Immaturorum etiam ficorum lacte cum axungia mixto. Capitum menarum cinere cum oleo trito. Itemque fimi uituli cinere triti ex aceto. Asininæ urinę luto tolluntur. Item sanguine lacertarum, quæ tyzelicolæ dicuntur, si perunguntur ipso. Ad uerrucas & clauos. Nitrum tritum cum exiguo mellis illinitur, donec cadant. Clauum autem qui primùm surgit, de sapone circunlinies, & in circuitu, & in medio.

Ad pruritum corporis. Cap. XLIII.

LAVRI uiridis folia cum sale ex uino ueteri conteres, & in corpus perfricabis, & non terges. Lauri tymolas cum oleo conteres, & ex eo corpus perunges. Apium conteres cum oleo rosato, & inde corpus illinies. Vrinam calidam, & nitrum coctum ac tritum commiscebis, & exinde corpus lauabis. Nuces rancidas & sulphur æqualia teres, & de liquamine optimo temperabis, ac fricabis; dehinc perfundes ex aqua temperata corpus, & postea de uino ueteri & pane fricabis; sulphur uiuum cum liquaminis flore teres, & ex hoc in balneo perunges, ita ut non scalpas. Cumque diu moratus fueris in calore, de mica panis in uino infusa corpus perfricabis, & sic descendes in solium. Herba cuculi contrita, locum qui prurit, sanabis. Foeniculi uiride concides minutatim, & nitrũ uiride conteres, & sulphur ex áqua coques, & inde corpus fricabis. Item ad pruriginem. Recipe nitri libram unam, sulphuris uiui uncias tres, axungiæ sine sale tres, nuces rancidas numero triginta, liquaminis optimi quod sufficiat.

Ad impetiginem. Cap. XLIIII.

NVCLEVM pineæ uiridis teres diligenter & mundissime, & mittes uinum uetus, & terendo quasi cerotum mollissimum facies, & locum illinies. Silicem quoque tritam cum aceto impones. Fauillam item de foco cum saliua induces. Saliua ieiuni perfricantur. Similiterque uua canina, dragantum in aceto infusum & illitum mire curat. Gummi in aceto infusum ad utrunque facit. Myrrha trita imponitur. Herba cuculus inter manus confricatur & illinitur. Succus chelidoniæ illinitur ruptis folijs expressus, expertum est. Thuris masculi, nitri, ac spumæ argenti, paria pondera cum aceto conteruntur ad spissitudinem mellis, & illiniuntur.

Ad maculas de corpore eximendas. Cap. XLV.

MENTAE siccę unciam unam, & sulphuris uiui semiunciam, in puluerem mollissimum rediges, & in balneo cùm sudare cœperis, super cutem asperges, & ex eo puluere perfricabis. Ad eos uerò qui durioris sunt cutis. Radicis chamęleontis uncias tres, nitri floris duas, sulphuris uiui unam, ex aceto bene contere, & illini in sole, sed non diu pmaneat, & ne exulcereris, inde laua. Ad uarietates colli uel thoracis, quæ ex cholera uel phlegmate ueniunt. Helleborum album, sulphur, nitrum rubeum & alcyonem, æqualia in puluerẽ redacta colliges, & in balneo cùm sudare cœperis, loca maculosa asperges. Ad maculas uerò albas uel nigras, quæ exeunt in pectore, uel in collo, siue in brachijs, aut ubicunque de phlegmate aut de felle, aut undecunque de phlegmate. Tinaperi drachmas quatuor, foliorum fici II. aphronitri quatuor, alcyonei quatuor, cymolæ XII. tere, & in balneo utere. Ad maculas albas uel nigras. Alcyonei unciam unam, strutij unam, hellebori nigri duas, tinaperi tres, nitri tres, pumicis tres, fęclæ tres, sinapis sex, centron sex, cerusæ tres; teres, & uteris in balneo. Ad lepram. Gallæ omphacitæ uncias IIII. chalcanthi, acaciæ, misei, rubi, aut marrhubij succo æquali põdere uteris. Capparis item cortices cum aceto coques & uteris. quandiu autem tuleris medicamentum, uteris diarodino. Lapatij radicem decoctam cum sapa & tritam illinies. Helleborum item album tundes, cribrabis, & teres cum aceto acri, & uteris: quando autem desudaueris, de spongia terges. Similiterque sandaraca, alumine rotundo cum aceto uteris. Ad lepram antiquam. Recipe pulueris hireos congium unum, cardamomi dimidiũ, nitri drachmas IIII. chalcanthi octo, asphodeli radices numero quatuor: ista omnia trita & permixta repones. Quando autẽ necessarium

cessarium est ad usum, coques cum aceto acri ad spissitudinem, & uteris, ita ut prius corpus nitro diluas. Lapatij item agrestis radicis drachmas XII. gummi sex, coques ex aceti cotyla una ad quartas, postea admiscebis sulphuris uiui drach. tres, myrrhę duas, gallę duas, agitabisque & leuabis de foco citius: &, loto prius corpore de nitro, fic uteris. Item nitrum, Chameleontis nigræ radices, cardamomum, chalcanthum, alumen schistum, hireum: omnia æquo pondere teres cum aceto, & uteris ut supra. Ad lepram. Recipe opij uncias duas, cametriæ duas, sinaperi duas: quæ teres cum aceto, & sic de penna locum peringes. Emplastrum ad lepram siue scabiem. Recipe ituiæ folia ustulata ad unciam unam, yu schiston unam, ceræ & olei rosati quod sufficit: quod inductum linteo impones, & solues post triduum. postquam tuleris emplastrum, impones salem cum aceto coctum & tritum: bibe & uteris; biduo hoc curat, & splenem sustetat. Ad lepram ualde bonum; facit autem & ad antiqua uulnera. Recipe yu unciam unam, chalcanthi unam, ceræ unam, adipis porcini duas, sicca teres & commiscebis. Emplastrum Claudiani. Recipe lauinę unc. tres, sandaracę duas, aluminis schisti duas, ammoniaci duas, sulphuris uiui duas, uisci unciam unam & semis, terebinthinę quantum sufficit ad colligendum. Conficies autem studiose, & facies ut malagma, & impones, & locum inductum in alutam, & solues post dies septem uel octo impositum, & hoc uulnus non facit. Item aliud. Recipe pond. sulphuris, hellebori albi unc. duas, adarcę unam, nitri IIII. alcyonei unam, tinaperi unam, foliorum fici siccorum unam, fecię unam, rosę siccę duas, cessarei quatuor.

Ad colorem cicatricibus reddendum. Cap. XLVI.

ARIETINUS item pulmo recens quàm frequentissime imponitur. Adeps leoninus cum rosaceo imponitur. Seuum eiusdem ex nitro efficax est. Vtendum quoque est anguium senectute ex uino decocta. Itidemque felle scorpionis marini. Fimo etiam columbino ex melle, eruceque semine cum melle bubulo. Lupini ex aceto cocti imponuntur. Rursusque seuum asini uel uituli, adiecta myrrha, oleo & croco extenuat, & in hos usus seruatur in pyxide ęrea, & calefactum imponitur.

Ad liuores recentes, & tumores. Cap. XLVII.

RECENTI liuori cortex raphani ex melle tritus imponitur. Holus tritũ crudũ per se. Alliũ tritum cum melle ęquali. Apium uiride tritum cum albo oui imponitur. Sinapę item tritum cum melle & adipe anserino. Acrifolij radix decoquitur, & trita imponitur. Aqua marina utiliter tumor fouetur. Tumorem uerò recentem aqua salsa calida sępius cum spongia posita tollit. Fimus quoque suillus sub testa calefactus, & tritus cum oleo, mire aduersus tumores facit. Percussa in facie aut desquamata, pane ex melle sanantur. Si sit ex percusso, fimus aprinus decoctus ex aceto imponitur. Fel quoque ouium cum lacte mulieris. Cancri item fluuiales triti cum lacte asinino. Sinapis Alexandrini triti heminam, adipis anserini uncias quatuor, melissæ libram, in mortario commiscebis, & panno induces, & parti quæ ex contusione in dolore est, impones, mirifice sanat. Pulmones pecudum in tenuissima frusta conciduntur, deinde coniecta in feruentẽ aquam, calida subinde tumoribus imponuntur. Plantagine cruda & contrita, si tumor siue duritia cataplasmetur, efficaciter sedatur. quod remedium & alia huiuscemodi curat, & cautromata. Sal in saccum lineum conijcitur, deinde intinctũ in aquam feruentem, & ita calefactum crebrò imponitur. Fimi aprini farina inspersa potioni, euersis utilissima est. Sed aliqui putãt melius esse eiusdem fimi fracti à quadrigis & rotis pressi. proximam huic putant fimo suillo uim inesse. Luxatis uerò recens fimus uel aprinus, uel suillus, uel uitulinus imponitur. Verris spuma recens cum aceto illinitur. Fimusque caprinus cum melle. Caro bubula ruptis conuulsisque illinitur. Hoc loco compositionem emplastri ponimus, quo Sagares uti solebat, Pancratiastes de nobilissimis, aduersus omnia quæ in huiusmodi certamine solent inferri: quod præterea furiculis, strumis, uulneribus, collectionibusque, podagris quoque medetur. In cacabum nouum fictile conijcitur spumæ argenti tusæ & cribratæ libra una, olei ueteris sesquilibra: hæc coquuntur, & subinde tudicula permiscentur. Modus enim est, ut fiat crassitudo glutinis fabrilis; tunc adijcitur picis siccę pondo quadrans, seui taurini diligenter triti pondo uncia; interposita horę dimidia parte, cùm desierit, tudicula in aquam frigidam missa, & admota digitis, inquinata tollit: & cùm opus fuerit, linteo spisso imponitur, ita ut oleo non tangatur. Si sanguis suffuderit, farina frumenti ex aqua temperata imponitur, quę tantam habet potentiã, ut sanguinem producat usque ad fascias. Nero initio sui imperij, quoties nocturnis grassaturis in faciem uerberatus erat, thapsiam cum thure & cerusa illiniebat, & postero die sine ullis argumẽtis rixę, populo Romano uultum suum spectandum pręebat.

Ossium fracturis sanandis. Cap. XLVIII.

CANINUM cerebrum linteolo illitum imponitur, superpositis lanis, quę subinde oleo suffunduntur, quartodecimo die solidat. Cinis syluestrium murium imponitur cum melle. Cinis uerò terrenorum uermium cum melle etiam minuta ossa extrahit. Lardum elixum circumligatum mira celeritate solidat. Sed articulorum fractorum cinis de femoribus pecudum cum cera coctus imponitur. Caprinus fimus ex ueteri uino aperit, extrahit, sanat.

Ad extrahenda ea quæ corpori infixa sunt. Cap. X L I X.

MVS uiuus discerptus imponitur. Lacertę quoque caput concisum,& cum sale tusum. Lacerta etiam uiua discerpta. Cochleę item exemptę de testis suis,& contritę cum leporis coagulo. Testarumque sepię cinis. Allium elixum cum pice, harundines extrahit. Nasturtium cum pice impositum. Farina lini seminis cum radice syluestris cucumeris unà trita. Vrticę radix trita & imposita, filicem extrahit. Filicis item radix eodem modo harundinem extrahit. Radix etiam acrifolij coquitur,& teritur, & sic imponitur. Blattę sine pedibus,& sine capite & pennis tritę illiniuntur. Cancri fluuiatiles triti. Testarum purpurarum cinis ex aceto. Fimus caprę ex uino. Coagulum quodcunque est, sed maxime leporis, cum pari pondere thuris aut uisci.

Aduersus morsum canis rabiosi. Caput L.

SALSAMENTVM imponitur. Succi rutę pondus den. quindecim ex uino bibitur. Plagę imponuntur rutę folia trita cum sale,& melle uel cum pice & aceto. Folia nigrę ficus trita ex aceto medentur. Rosę syluestris radix pota, efficacissimè abijcit aquę pauorem. Plantago pota,& imposita, facit & aduersus canis rabiosi morsum,& aduersus omnium bestiarum. Lana succida indita, morsum sanat post diem septimum soluta. Cinis capitis canini illitus abigit aquę pauorem, aut caput canis deuoratum. Vermis quoque de cadauere canis alligatus, pauorem tollit. Est limus sub lingua canis rabiosi, qui datus in potionem, hydrophobiam prohibet. Omnia autem pręcedit, ut iecur eiusdem canis qui momorderit, deuoretur, si fieri potest, crudum: si minus, quoquo modo coctum. Crista gallinacei contrita imponitur plagę. Anserinus quoque adeps cum melle. Saliuntur à quibusdam canes, qui rabiosi fuerunt, ut in remedium carnes eorum edantur. Lactens catulus eiusdem sexus qui momorderit, in aqua necatur, eiusdemque iecur crudum deuoratur. Fimus gallinacei rursus ex aceto morsui imponitur. Glebulę ex hirundinis nido solutę ex aceto illiniuntur. Catulus lactens priusquam uideat, aperitur, eiusque coagulum bibitur, ita ut is qui bibit, in defluenti aqua stet usque ad umbilicum. Pauescentibus uerò aquam, totam faciem perungunt adipe uituli marini. Aquam expauescentibus usta plaga ferro continuò sanatur.

Aduersus morsum canis non rabiosi. Cap. L I.

NITRVM & axungia & resina ęquis ponderibus ex aceto imponuntur. Alex cruda in linteolis conceptis. Allium cum melle tritum. Menta etiam cum melle cõtrita. Marrubium tusum cum axungia ueteri. Vrtica trita addito sale. Cinis uitium cum oleo; acetum calidum cum spongia. Ramorum fici cauliculi teneri bene triti. Nuclei amygdalini cum melle triti. Nucum iuglandium carnes cum cepa & sale ac melle contritę; easdem carnes nucum ab ieiuno homine commanducatas imponi iubent. Spongię minutę conciduntur,& imponuntur infusę uel ex aceto aut ex aqua seu ex melle. Fex aceti cum melanthio, plagę imponitur.

Psilothrum. Cap. L I I.

SVNT qui uel suis pilis uel seruorum suorum in balneo offendantur, sine ulla quidem ratione: sed illorum quoque persuasioni succurrendum est,& monstrandum, quemadmodum effici possit, ut euulsi pili non renascantur. Non omni autem psilothro sic utendum est, ut priùs quàm adijciatur, resina pili auferantur. Sanguisugæ uiuæ tusæ in fictili uase, ex aceto illiniuntur per horas tres, deinde in balneo abluuntur. Lac canis primi partus illinitur. Amerinæ nigræ semen cum spumæ argenti pari pondere illinitur in balneo. Sanguis quoque uespertilionis. Vipera exeptis ossibus in tribus heminis olei discoquitur & teritur: hoc peruncti psilothrantur. Fel herinacij illinitur. Cùm aduersus omnes morborũ incursus fuerimus diligentissimi, non ideo tamen habebimus spem salutis, cùm ex improuiso serpentes sęuiant, mures aranei,& phalangij,& his omnibus nocentiores sunt uenefici hominis morsus. Aduersus hæc itaque conuertendus est animus instruẽdis remedijs, ut appareat, benignitatem naturæ etiam ea mortifera esse noluisse. Igitur tithymali succus oleo illinitur in sole frequenter & hyęnæ sanguis illinitur.

Venenis prohibendis, datisq; expellendis. Cap. L I I I.

ANTIDOTVM Mithridaticum laudant medici, eiusque diuersas afferunt compositiones, & ad commendanda pigmenta pretiosa, propter raritatem, ingentes pecunias proscunt. Appendunt nãque singulas libras uicenis HS. & infelicium credulitatẽ hoc quoque ingenio circunueniunt, ut illis persuadeant emere, quæ noceant. Alia nanque stomachum lædunt, alia caput aggrauant, alia pallorem afferunt, aggrauant & corporis maciem: & ita frequenter accidit, ut hi qui illorum antidotis usi sunt, miserius morerentur, quasi bibissent uenenum. Pompeius autem Magnus, Mithridate deuicto, in scrinio eius inuenit ipsius manu scriptam compositionem, qua ipse præsumpta aduersus omnia ueneficia in totũ diem

tutum

tutum se incolumemque præstabat, in qua nuces iuglādes duæ, ficus siccæ duæ, rutæ folia uiginti, salis granum unum, in unum contunduntur, & deuorantur à ieiuno. Electrum, est aurum, in quo quinta pars argenti inuenitur; ex quo si quis uase potatorio utatur, insidias ueneni uitabit: discurrunt enim in eo arcus cœlestibus similes cum stridore igneo, eoque modo duplici ratione deprehenditur scelus. Est electrum fictum in auro, addita argenti quinta parte: sed hoc tantum præstat, quantum illud naturale. ergo monstrauimus quo antidoto uenenum non admittatur, & quo uasculo arguatur: nunc & remedia suggeremus. Centaurion potum, omnia mala medicata exigit per aluum. Aristolochiæ radix pondere denarij ex hemina uini bibitur. Sanguis caninus hauritur aduersus toxica. Coagulum anguium in potione. Ventriculus ciconiæ cum lacte ouium in cibo datur. Mustela uulgaris inueterata, drachmis binis potatur. Sanguis anetharum ponticarum seruatur spissus, & diluitur ex uino. Asini sanguis potus, uenena restringit. Hœdi sanguis utiliter bibitur. Mirum.

Contra leporem marinum & pastinacam. Cap. LIIII.

ASTRVITVR quidem & de lepore marino, qui cùm sit genus piscis, mortem inferat in cibo impactam non subitam, sed quæ trahatur, quantum plerique existimant, totidem diebus, quot is uixit. atque qui has insidias inciderit, ipse suo corpore ostendit ueneficium. Habet nanque odorem piscis: hoc periculo liberabitur, cācris marinis coctis, & in cibo sumptis. Ostrea fricta, & in cibo sumpta. Malua cum sua radice coquitur, & succus eius potui datur. Sanguis anserinus æquè cum olei potione ad omnium marinorum ictus bibitur; coagulum leporis & hœdi uel agni bibitur ex uini cyathis tribus.

Muris aranei morsibus curandis. Cap. LV.

MVS araneus exiguus est ultra modum, longo rostello, oculorum acie obtusa: & ideo, quantum existimo, iners & huius natura, ut non possit transire orbitam. morsum uerò uenenatum habet; cui si occurritur, coagulum anguium bibitur. Vngulæ arietinæ cinis cum melle imponitur. Ipse mus araneus diuulsus imponitur. Terra quam in orbita rota depressit, plagæ imponitur. Talpa discerpta imponitur.

Contra phalangium remedia. Cap. LVI.

PHALANGIVS præcipuè in leguminibus & in hortis obseruatur. Sed & araneus & alia genera bestiolarum mortifera, quorum morsus non sentiuntur, sed pruritu intelliguntur: aduersus hæc omnia, uinum merum bibitur, acetum calidum in spōgia quàm amplissima imponitur, ita ut tres sextarios habeat aceti, sextantem sulphuris. Radicis hederæ succus bibitur. Bibitur succus etiam mororum de rubo. Gallinacei cerebrum cum piperis exiguo imponitur. Adduntur in poscæ potione fimi pecudum cineres ex aceto.

Serpentium morsibus & hominis medicandis. Cap. LVII.

SERPENTES præcipitem morsum inferunt, quos sanare in promptu est, cùm etiam ipsos fugare sit facillimum. Vulturinarum scilicet penna, suffitu, ebuli fumo, nidore usti cornu ceruini. Viperæ uerò qui iecur coctum hauserit, negatur unquam à serpentibus feriri. Erucis ex aceto tritis peruncti non mordent. Habentem secum cor uulturis, nec serpentes, nec feræ appetunt. Nunc remedia morsibus subijciemus. Satiuus raphanus ex aqua coquitur, & tritus plagæ imponitur. Allium tostum cum testis suis, & tritum ex oleo adijcitur. Radix ferulæ ex uino medetur imposita. Farina milij cum pice liquida optimè facit. Eruum tritum ex aceto, & ad serpentium morsus, & omnium ferarum, & hominis mirificè facit. Vinum merum in spongia imponitur. Mori folia trita recentia, si arida sint, decocta, & æquè trita imponuntur. Hysopi semen bibitur: eius qui percussus est, uertex inciditur, eoque additur euphorbiū, & medetur quacunque corporis parte periculum est. Centauriæ radix pondere denarij in tribus cyathis uini bibitur. Betonica herba trita morsui imponitur. Agarici oboli quatuor in duobus cyathis aceti mulsi propinantur. Aristolochiæ radix pondere deñ. in uini hemina sæpius bibitur: & ipsa ex aceto contrita, imponitur plagæ. Fimus pecudis recens uino decoctus imponitur. Mus discerptus adijcitur. Viperæ uero morsui, uiperæ cuiuslibet tritum & appositum caput, efficacissimè prodest. Carnibus gallinaceorum discerptorum ita ut tepeant, extrahitur uenenum. Columbarum cerebrum & gallinacei, plagæ imponitur. Sal cum origano & hysopo ex melle. Fraxini tenerorum foliorum succus bibitur, & ipsa super plagam adijcitur. Non omittenda est & theriaca, qua Antiochus rex aduersus omnes serpentes utebatur, præter aspidem, quę adeo probata est experimentis, ut apud insulam Coum in templo Aesculapij incisa sit in lapide; quam sic componi oportet. Opopanacis, serpilli, mellis, singulorum drachmæ, trifolij seminis pōdus denarij unius, anethi & fœniculi seminis & apuli atque apij singulorum pond. deñ. semis, erui farinæ pondus deñ. duodecim: hæc singula trita & cribrata, dein mixta ex uino teruntur & diguruntur in pastillos ponderis uictoriati, deinde in uase uitreo ponuntur: deinde cùm utendi necessitas uenerit, singuli pastilli dantur ex uini mixti cyathis tribus. Hominis autem morsui carnes bubulæ, sed efficacius uituli imponuntur, neque ante diem quintū soluuntur. sordes ex humanis auribus illiniūtur plagæ.

Aspidis morsibus excludendis. Cap. LIII.

AD morsum aspidis, morsum unum refugium habebant priores, ut percussus urinam suam biberet: inter paucos annos interuentum est casu & alterum remedium. Nam is qui utrem plenum aceti ferebat, percussus ab aspide, dolorem non sensit, donec fatigatus requiescedi gratia, utrem deposuit, de quo facto perniciem sentire cœpit, rursusque imposito sibi utre desijt. Intellectumque est, quòd si acetum bibisset, posset sanari: & ex eo experimento palàm factum est, hanc potionem esse efficacissimam. Si uerò morsum aspidis sequutus sit sanguis, nulla de eo qui percussus fuerit, spes salutis est.

C. PLINII SECVNDI DE RE MEDICA LIBER QVARTVS.

De Raphani uirtutibus. Caput I.



APHANO calidam esse uirtutem, omnium medicorum opinione compertum est: sed & nobis intelligere de usu licet ipsius. Cur enim mixtus cum cibis cæteris, solus de stomacho ructus eijciat, nisi prius concoquitur? Capillos, alopeciæ iniuria, raptos, cum melle tritus restituit. Eiusdem succus etiam grauitatem aurium instillatus emendat. Contra uenena unicum remedium est, si à ieiuno sumatur. Contra phthiriasim succus eius adhibetur; qui solus potest tenuitate subtili, adimi corporis liniamenta, cor penetrare. Aegyptij enim reges, quibus erat studium scrutari corpora mortuorum, & causas ualetudinum, occulta fide recognoscere, in corde ipso nasci eiusmodi uitium, prodiderunt. Semine raphani cum melle trito, & sumpto, suspirium mitigatur, & tussis arcetur. Solus cum sale sumptus, uentris animalia extinguit, Venerem stimulat & urinam, puerperis copiam lactis acquirit.

De facultate Apij. Cap. II.

APII quoque calida uis tradita est, quam de iudicio licet colligas. Nulla enim alia res fortius uel urinæ difficultates resoluit, uel fœminarum menstruis imperat. Vnde mirari necesse est, quòd à quibusdam imperitis, adiuncta aquæ calidæ febricitantibus detur, cùm res calida calorato malo addita, magis accedat ardorem: nisi uel strictura stomachi, uel præclusa præcordia relaxanda sunt, ut priore in loco causa ponatur: unde etiam ipsa febris exoritur; absque his similibus causis dari non contrarium cedunt. Aqua pota, in qua uel ipsi uel eorum radices incoctæ sunt, efficaciter pugnat contra insidias uenenorum: theriacis & antidotis, post amoma, post cynnama iam non ut uile miscetur. Est anodynos ex apij semine, quæ stomachum mundatione capitis laborantem mirè tuetur, ut Hierax Cappadoro intimo suo retulit. Ea recipit apij seminis uncias sex, anisi sex, hyoscyami sex, comarij apij septem; quæ omnia trita & cribrata, & cum aqua subacta, in breues pilulas deformantur. ex quibus una uel duæ, si febris non fuerit, dulci uino resoluta potantur: si febris fuerit, aqua resoluta dormitum euntibus propinantur. quantum hæc potio ualeat, utinam nulla calamitas coëgisset experimento meo nouisse.

De uiribus Rutæ. Cap. III.

Rutam ualde hominibus salutarem testantur tot antidota medicorum quæ de eius nomine gloriantur; e' quibus unum non inutile ponam, repertum in Aegyptia Iouis ciuitate Diospoli, atque adhuc dia peganon dictum, quod stomachum excitat, digestionem accommodat, aluum mollit, biles extenuat, uitia pectoris, lateris, iecoris, ac renum mitigat. Conficitur autem sic. Rutæ uiridis unc. sex, cymini sex, piperis sex, nitri tres: cyminū uerò prius in aqua maceratur, deinde torretur: & uniuersa tusa & cribrata, melli optimo mixta subiguntur. Rutam uenenis resistere, mustelæ docent: quæ cum serpentibus dimicaturæ, cibo eius armantur. Docuit & rex Ponticus Mithridates, qui cùm fratris sui timeret insidias, rutæ folia uiginti cum duabus nucibus iuglandibus, & totidem caricis, admixto salis grano, quotidie ieiunus accepit. Nec minorem nobis opem & contra uitia corporis præstat. Aceto enim & oleo rosaceo mixto, mirificè dolorem capitis auertit, & inflationem coli. Item matricis, omniumque interaneorum statim mitigat cum butyro & oleo decocta, & iniecta. Ad lumbricos necandos, utile est oleum bibisse, cui ruta incocta est. Ignes sacros, cum aceto & oleo rosaceo, & cerusa temperata, illico extinguit. datur & succus eius ante accessionem bibendus contra febres cum frigore uenientes. Item instillatus auriculis, efficit ut contingat audire. Stultissimè quidam rutæ uitia dixere, quòd uentrem inhibeat, genitale semē extinguat, infantes in utero necet. Facit enim hæc non ipsa, sed qui uirtutis eius obliti, nec modum, nec tempus aspiciunt: & ideo temperare prudentis est, ut de auxilio non fiat uenenum.

De Coriandri potentia. Cap. IIII.

NON dubitanter coriandro refrigeratrix potestas datur: non tamen simplex, ut prudentissime Galeno uidetur, sed cui quædam portio austeritatis immixta sit, inde quòd quædam ex eo uitia curãtur, quæ nunquam omnino curaret, si sola uirtute frigida uteretur. Cum melle & uua passa tritum, & impositum, omnes tumores collectionesque compescit: præcipuè tamen isto genere medicaminis doloribus testium subuenitur. succo maligranati & oleo in potione permixtum, animalia interaneis innata persequitur. Semen ex aqua potum, solutionem uentris stringit. Scriptumque à multis legitur, tria coriãdri grana tertianas excludere ante accessionẽ, si fuerint deuorata. Hisdem quoque repellendis efficax est ipsum coriãdrum ante solis ortũ ignorãti, ceruicali uiride subiectũ. Mirum est quod Xenocrates tradit, si unum seminis granum fœmina biberit uno die menstrua contineri, duo, si duo, & totidem iam diebus quot grana sumpserit.

De malua. Cap. V.

OLYMPIAS Thebana abortiuas putat esse maluas cum adipe anseris genitali parti subiectas. Sextius Niger & Dioscorides stomacho inutiles arbitrantur. Maluam molliendi dissoluendique naturam esse sortitam, Græco uocabulo licet credas, nam ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν nomen accepit. Interaneis itemque brassicæ prosunt in cibo sumptæ. Asseuerant item, uulnera recentia, folijs maluarum ac salicis simul tritis, ad sanitatem usque perduci. Melius enim emplastrum ijdem eam addidẽre. Malua cum axũgia ueteri pulcherrimè quassaturas fouere. Radix etiam unius caulis admota denti, pellit dolorẽ. Eadem femori alligata, stimulat Venerem. Eadem nigra lana obuoluta, & alligata, mammarum uitia compescit. Dioscorides & Galenus criminantur in maluis, quòd corpus minimè alant, sed citato lapsu per meatum uentris erumpant. Est & agrestis malua fortioris effectus, quam Galenus altheam esse contendit, emplastris mollibus accommodata; quæ tamen & plagis recentibus possit subuenire, & ulcerum tabes admotã siccare. Hæc cũm in præsentia non erit, in eius usum satiua succedit.

De Cucurbita. Cap. VI.

VETERES medici de cucurbita ita sensẽre, ut eam, aquam dicerent coagulatam. Dioscorides humidæ putat uirtutis & frigidæ: idque ex eo probat, quòd ipsa in cibo sumpta, stomachum relaxat, bibendi desideria non excitat. cætera etiam in cucurbita talia, ut apertè frigidæ potestatis exempla demõstrẽt; crudæ & tritæ leniunt omnem tumorem, in cibo sumptæ molliunt uentrem. Succus earum, ut Galenus ait, ad compescendum uelociter auriculæ dolorem, tepefactus infunditur. Idem succus & dolorem dentium mitigat, si diutius in ore teneatur: sed & rosaceo mixtus, & unctioni corporis admotus, febrium restringit ardores. Eius aridæ cortices efficaciter possunt combusta sanare: eundem cinerem didicimus ab expertis uulnera in ueretro iam in putredinem uersa purgare, & ad cicatricem usque perducere. Dioscorides ramenta corticis uiridis in cucurbita laudat, earumque effectus sic tradit. Phthiriasim infantium, cuti imposita, depellunt: cum polenta podagræ æstuanti, & ignibus sacris cum pane subueniunt. Semini sicco illa uis traditur, ut in puluerem tusum & inspersum, impleat uulnera quæ cauata sunt. Quidã illud in uino bibendum dedẽre, ut solutiones alui fluentis inhiberet. Viticulæ cucurbitę iam senescentes cum passo & aceto dysentericis datæ, miro modo saucia intestina componunt.

De Atriplice. Cap. VII.

ATRIPLEX, humidæ atque frigidæ substantiæ olus est, amplius tamen ex humido possidet, & est illi sicut maluę, facilis succus ad lapsum: inde in cibo sumptus, indubitatè uentrem resoluit. Crudus siue coctus impositus, duritias omnes ac furunculos sanat. Pernionibus qui adhuc æstuant, antequàm in uulnus erumpãt, utiliter imponitur. Scabros ungues sine iniuria detrahit, ignes sacros sedat: podagræ feruorem, cum nitro & aceto cum melle, restringit. Galenus ad aurugines expellendas uino tritum, & in potione datum, efficacius putat semen eius.

De Lapatio. Cap. VIII.

CALIDAE austeræque uirtutis est lapatium: & ideo in cibo sumptum, Venerem reprimit, stomachum confirmat, ructus excitat, confundit urinam: cum fimo gallinaceo, paniculas rumpit. Semen ex aqua uel uino potum, dysentericis subuenit, scorpionum uenenis uehementer resistit. nec feriri creditur posse, qui antè præsumpserit eiusmodi potionem. Radices ex aceto coctæ, & positæ, duritiam lienis confringunt. Scabros ungues leuigãt, uulnera in mento nascentia extinguũt: in uino coctæ, & impositæ, strumas & parotidas sanant. Gargarizatæ, dolorem dentium & uuæ tumorem mitigant: potæ, auruginem expugnant. Quidam etiam putant ipsam radicem, si collo suspendatur, scrophas fugare.

De Blito. Cap. IX.

QVIBVSDAM bliti natura iners & sine acrimonia uisa est, uentrem usque ad choleram plerunque conturbat: Hippocrate præcipiente ad sistenda omnia menstrua fœminarum in cibo dandum. Claui quoque pedum, imposito eo, elimari & comprimi creduntur. Succus ex uino datur utiliter aduersus scorpionum uenena. Quidam uerò putant, ipsum tritum, & impositum, plagis mederi.

De Beta. Cap. X.

IECORE laborantibus & spleneticis beta cũ sinapi utilissime esui datur. Ignes sacros, & quæ adusta sunt, cum alumine illita, restringit. Vlceribus in capite manantibus. Item alopecijs cruda trita optime illinitur. Aqua in qua decocta est, furfures capitis eliminat. Pernionibus in fomento adhibita prodest. Iniecta cum melle, onera uentris exponit. Est autem illis natura frigida, non tamen noxij frigoris: cęterum nec usui esse potuissent; uerùm medium temperamentum sortitæ, rigorem præstant, æstatis ardores releuant, fastidio languidos ad cibum prouocant, sanguinem acquirunt, lacte plurimo nutrientes fœminas implent, aluum restringunt, copiosius ingestæ resoluunt. Optime illas stomaticis dari non lotas affirmant: tritæ cum sale, cõbusta sanant. Si ante pustellas illinientur, ignem quoque eadem ratione compescunt: coctæ in patina, aliorumque holerum more condita, cholera laborantibus utilissime offeruntur. Quidam eas ad eandem causam cum lacte coxerunt.

De Intubo. Cap. XI.

SATIVVS intubus stypticæ, ut medici aiunt, & austeræ naturæ est: ideo & stomacho accommodatus est, & uentrem restringit coctus, & maxime cum aceto datus: & thoracis ardores, & oculorũ epiphoras, & podagras, cum polenta optime lenit. Cardiacis supra sinistram papillam ex aceto impositus prodesse certissimum est. Radix trita scorpionum plagis medetur. Ignes sacros, adhibita cum polenta, fugat. Succus, cum aceto & rosaceo mixtus, capitis dolores releuat. Iecoris & uesicæ uitia, cũ uino haustus, emendat. Sanguinem reijcientibus, itemque genituræ abundantia laborantibus, alterno die offertur potandus. omnibus partibus quæ refrigeratione sanãdæ sunt, cum aceto & cerusa efficaciter succus illinitur.

De Nasturtio. Cap. XII.

NATVRA nasturtio caustica est, & tamen usum uenereum uidetur inhibere, eadem fortasse ratione qua ruta, nimia ui caloris semen genitale consumit. Fermentum mixtum & appositum, furunculos, itemque carbunculos, prouocata suppuratione dirumpit. Succus illitus capillis fluentibus prodest. Idem infusus auribus, dolores dentium mitigat. Seminis autem maior effectus, adeo ut etiam partus necet: cum uino haustum, animalia uentris extinguit; uenenis serpentum occurrit, & fugare eos creditur. Carbonibus suffumigatum. lienem reprimit in potione cum aceto datum, uel cum ficu deuoratum. Sciaticis utilissimum est, cum aceto & polenta impositum. Lichenas, cum melle illitum, purgat: ulcera capitis, itemque porriginem, cum adipe anserino tergit: aluum purgat, ex aquæ cyathis quatuor unius deñ. pon. propinatum: sorbitionibus mixtum, pituitam pectoris soluit: cum lacte caprino coctum, dolores pectoris mitigat: à ieiunis ex melle sumptum, tussientibus salutare est.

De Eruca. Cap. XIII.

CALIDAE quidem, non tamen nimium austeræ ignitæque uirtutis est eruca; inde Venerem maxime stimulat in cibo sumpta, & digestiones adiuuat, & urinam mouet. Lactucæ quoque optime in cibo iungitur, ut rigori par feruor admixtus, temperamentum salubre componat. Ex uino pota, duritiam sensus contra uerbera creditur pręstare. Infantibus tussientibus in cibo utilis est, maculas cuti tollit: ex facie, cum melle illita, lentigines extrahit. Radix in aqua decocta, extrahit ossa quæ fracta sunt. Semen ex uino potum, scorpionum uenena, itemque aranei muris excludit: nigras cicatrices, cum felle bubulo, ad cãdorem reducit. Condituras coquorum tam ipsa, quàm semen adeo suauissimas reddit, ut inde à Græcis εὔζωμον nominata sit.

De Pepone. Cap. XIIII.

MELONIS usus est quidem gratior, uerùm difficile cõcoquitur, propter naturalem rigorem: & ideo nonnulli cum aceto sumunt, pulegium ei & cepas admiscent, quò nocitura uis frigoris temperetur. Pepo in cibo leuior: nam detracta cute, ac semine abiecto, esui datus, stomachi compescit ardores, aluum leniter mollit: coctus ex aqua cum oleo, aceto, melle, iucundissime sumitur. Caro eius imposita frõnti, glarantes oculorum epiphoras miro modo mitigat. Vlcera in modum faui concreta, quæ κηρία Græci uocant, trita radice pelluntur: assignanturque cortici eius, quòd maculas à facie sine signi uestigio detrahat. Semen in puluerem uersum, lomentoque permixtum, nitidiorem fœminis cutem præstat.

De Cucumere.

De Cucumere. Cap. XV.

CVCVMIS & ipse naturæ frigidæ reperitur, uentrem soluit, stomacho accõmodatus est: quibus liquitur, odore succurrit. Folia eius ex uino trita, uulneribus medentur, quæ caninus morsus impresserit. Semen ex uino dulci datum, uesicæ laboranti facilem præstat urinam. Dysentericis ex lacte muliebri, acetabuli mensura datum, prodest: purulenta autem expuentibus, cum cumino pari pondere, & iocinoris uitijs auxiliatur.

De Carduo. Cap. XVI.

CARDVO natura mordax & subaustera est, ideo succus eius alopecias ex capite depellit: stomachum iacentem, si non auidius sumatur, erigit & componit. Radix ex aqua cocta, cupiditatem bibendi potatoribus subministrat; matrici utilissimus cibus est. Nec mirare, quod sic à fœminis carduus ambitur. Est & alia causa, qua patrocinari eis possit: nam Glaucias scribit, cardui cibum adiuuare, ut masculos procreent. Mastica carduorum odorem oris commendabilem reddit: Non prætęribo, quod de seruãdis legisse me memini, aceto scilicet melle diluto cõdiuntur, addita radice lasaris & cymino; eiusmodi arte prouisum est, ne quis omnino sine carduis dies esset.

De Allio. Cap. XVII.

MAGNA uis allio, & ideo in eo maxima est utilitas: omnibus quippe perniciosis hominum malis uehementer resistit. Serpentes & scorpiones, itemque alias latentes bestias odore solo fugat, ictibus eorum æquè medetur, siue uulneri illitum, siue in potione uel in cibo sumptum: morsui canino, cum melle, succurrit. Tineas & alia uentris animalia in mulso aceto coctum, perimit & expellit. Siccum cum restibus suis oleo permixtum, omnes ictus uenenatos efficaciter sanat. Eodemque modo & attritas corporis partes & ulcera in capite manantia, quæque in uesica tumescunt, lenit impositum. Peregrinantibus esui datum minimè patitur eos aquarum ac locorum mutatione perturbari. Suffito eo, fœminarum secundas euocari, Hippocrates auctor est. Suspiriosis quidam per se crudum, aliqui & cum lacte tritum dedere. Diodes hydropicis cum centaurea miscuit, idemque phreneticis elixum dedit. Praxagoras allio usus est contra morbum regium in potione uini. Viride cum coriandro & ficu datum, aluum mollire perhibetur. Tussim & suspirationem pectoris mitigat in faba coctum. Elixum illitumque temporibus, dolori capitis opitulatur. Aurium doloribus, succus cum adipe anserino tepefactus, infunditur. Raucedinem uocis emendat in pisa aut faba sumptum: & quod ad uocem attinet, coctum crudo, elixum sicco utilius existimatur. Tenesmo, ex pulte coctum, medetur. Tumores suspectos, ex adipe, dissoluit.

De Papauere. Cap. XVIII.

CAPITA papaueris & folia eius decocta, meconicon faciunt medicamentum, contra ea corporis uitia, quæ medio rigore sanantur. Succus cum rosaceo mixtus, dolorem aurium mitigat. Folia decocta, & cum rosaceo trita, tumoribus auricularibus optimè illiniuntur. Aqua foueri in qua papauerum capita decocta sunt, uigiliarum morbo laborantibus, Itemque ex epiphora oculis lippientibus prodest. Semen tritum cum aceto & melle, non modicam tumentibus opem præstat. Cortex cauliculorum contusus, & redactus in puluerem, mellique permixtus, sordidis uulneribus imponitur. Est & syluestre modici capitis, & non ita fruticis elati, quod miro est in usu faucibus in tumore positis, & asperatas arterias sanat: fitque ex eo medicamentum, quod medici, Chrysippo auctore, diocydon uocant.

De Satureia. Cap. XIX.

SATVREIAE calida uis & propè ignita est. Vnde & illi nomen inditum credũt, quod pronos faciat in Venerem, ideoque grauidæ prohibentur eo in cibo sumere. Nam trita, & uentri supposita, partus etiam mortuos expellit, urinam mouet: & ex uino pota, lethargicos letaliter dormientes excitat: & capiti eorum cum aceto frequenter infusa, stomachum nauseantem, uel in ouo sumpta uel pota confirmat. Contra animalia quæ aculeatis ictibus sæuiunt, non inutiliter adhibetur.

De Porro. Cap. XX.

PORRO capitato ad multa corporis uitia Hippocrates usus est. Succum enim eius sanguinem reijcientibus etiam solum bibendum dedit; quamuis cæteri cum galla uel thuris farina dandum censuissent. Vuluas contractas eodem succo resoluit. Ipsum etiam in cibo sumptum, fœcunditatis plurimum acquirere existimauit. Purgat ulcera, ex melle contritus, & in sorbitione prisanæ datus. Distillationes itemque tussim, thoracis, arteriæ, pulmonisque uitia compescit, uocẽ purgat; Venerem stimulat, somnos adducit: capita bis aqua mutata cocta, molliunt aluum. Eadem aqua cum aqua pota restringit. Succus eius cissis profluuium sanguinis sistit, & maximè in naribus, si cum manna thuris aut galla contritus, atque illitus inhærescat. Ex abortu plus iusto sanguine profluente, septem & semis scrupulos cũ myrti baccis pari pondere in potione dãdos putãt. Contra ictus uenenatos, uel cũ mero, uel cum aqua mulsa succus datus, prodest. Sed & folia cõtrita cum melle, ac mulieribus apposita, nõ minus profuerũt. Eodẽ succo plerique

cū lacte muliebri uel ere tussim atque pulmonis uitia sanarunt. Aurium quoque dolores cū felle caprino uel pari mēsura usi compescuerunt. Profuit multis in dolore capitis cū dormitum irent idē succus, siue auribus, siue naribus cū parte tertia mellis infusus. Ita idem lumborū dolores ex uino mitiores facit. Sanguinem excreantibus, phthisicis etiam, distillationibus uetustissimis, uel ex ipso cibus utilis sumatur, uel succus eius in potione misceatur. Idem succus in cibo sumptus, plurimùm prodest contra uenena fungorum; fracturas alligat, duritias relaxat, uulnera recentia cum sale appositus statim claudit, ebrietates discutit, uenerem stimulat, sitim sedat, uentrem mollit, uocem adiuuat, astipulante Nerone, quæ porro debuit, quoties bene cantauit.

De Ocimo. Cap. XXI.

DE uirtute ocimi penes medicos incerta est opinio. Nam auctore Chrysippo criminantur, hæc eius uitia percensent, quòd obsit stomacho, quòd oculos hebetet, & quòd insaniam faciat: Iecori obsistit; & ideo capram genus hoc herbæ nunquam omnino cōtingere. Addunt præterea, si tritum lapide contegatur, scorpiones gigni: commanducatum, & in sale positum, uermes creare, pediculos etiam nutrire. Aphris quoque hoc putant esse persuasum, si quis eo die, quo ocimum sumpserit, à scorpione feriatur, nō posse saluari. Sed qui in diuersa opinione sint, hæc falsò tradita asseuerant: quinimo inflationes stomachi ructu dissoluit, coctum cum aceto & sumptum, reprimit aluum fluentem. Semen tritum, haustumque naribus, sternutamenta compescit, uerrucas tollit atramento sutorio temperatum.

De Nepeta. Cap. XXII.

NEPETAM Græci καλαμίνθην uocauerunt, nostri uulgo nepetam dicunt, quæ magnæ uirtutis, & uehemens in calore est. Vnde etiam nobilissimis antidotis meruit ascribi; e quibus unum quod hodieque diacalaminthes à medicis prædicatur, publicandum putaui. Accipe nepetæ unc. sex, petroselini sex, sileleos sex, pulegij sex, thymi scrupulos XII. apij seminis scrup. XII. lybistici unc. unā, piperis unā; hęc omnia tusa, cribrata, mellique optimo mixta, diutissimè subigātur: digestionem facit, stomacho & præcordijs utile est, & pituitas thoracis capitisque soluit ac purgat, iecori medetur, duritiam lienis infringit, calculos pellit, urinam ciet, admonet menstrua fœminarum. Hoc autem antidotum Galenus Polotensis scribit, quòd putat tam salubre, ut plurimis annis uitam hominum possit extendere.

De Menta. Cap. XXIII.

DE menta quæ potuimus annotare, subiecimus. Labentem animum odoris efficacia recreat. Stomacho nihil concupiscenti fastidium detrahit. Sanguinem excreantibus in sorbitione ptisanæ optimè propinatur. In dolore capitis cōtusa temporibus illinitur. Instillari auribus succum cum aqua mulsa utile est in dolore. Aridæ puluis digitis tribus apprehensus, & cum aqua calida in potione datus, omnem stomachi detergit iniuriam. Eadem etiam res uentris animalia interficit.

De Fœniculo. Cap. XXIIII.

CALIDAM uim fœniculo insitam, non tamen simplicem, sed cui austeritas etiam admixta sit, gustus ostendit, & multa præterea, per quæ uel soluendi, uel extenuandi, uel etiam siccandi exprimit potestatem: traditumque in libris, & serpentes annuam senectutem fœniculi gustatione deponere, & oculorum caliginem succo eius excludere. Vnde intelligi datum est, easdem uirtutes & corporibus utiles esse, sicuti postea experimenta docuère. Succus ergo eius cum melle Attico mixtus, uetustissimam licet caliginem discutit. Auribus purulentis idem succus infunditur. Vermiculos etiam qui in hisdem nascuntur, interficit. Radix in ptisana data, laxat renum densitatem. Hydropicis ex uino pota succurrit. Veterno laborantibus, ex uino cocta, fomentum perquàm utile subministrat. Ipsa cum oleo trita, eidem causæ medetur. Tumores & quæ ictu uel repentina indignatione commota sunt, folia ex aceto trita dissoluunt. Aduersum ictus scorpionum, itemque serpentum optimè semen ex mero sumitur. Simili modo temperatum, Venerem stimulat, urinam ciet, sistit aluum, pulmonis & iecinoris iniurias abigit, abundantiam lactis puerperis præstat: ex aqua tritum, nauseam sedat, stomachum dissolutum astringit. Nec est illud periculum, etiam si in febre sumatur. uulnera dentis canini, cum melle illitum, purgat, atque sanat.

De Holosatro. Cap. XXV.

SCORPIONVM ictibus & morsui canis semen holosatri ex uino datum occurrit. In mulso decoctum, atque potum, difficultatibus urinæ medetur, tormenta uentris, & cæteras intestinorum querelas eodem modo sanat. Radix in uino decocta, calculos pellit. Lateris & lumborum doloribus eadem potione succurritur. Succus algentibus propinatus, exoptatum calorem per membra diffundit.

De Cepis. Cap. XXVI.

DE uirtute ceparum inter medicos nulla diuersitas est. Dioscorides putat ex cibo earum sitim accendi, inflationes fieri, caput prægrauari. Galenus existimat, illis demum qui felliti uideantur, esse contrarias: cęterum phlegmate laborantibus etiã utiles asseuerat. Asclepiadi uidetur ceparum usus perquàm necessarius, & firmitatem ualetudinis obtinere, qui eas ieiuni quotidie sumpserint. credit & stomacho cibum salutarem, uidelicet ea ratione, quòd spiritus agitet. Præter hæc, peculiare cepis attributum putat, ut quotiescunque uidentur, gratiam nobis boni coloris acquirant. Somnum uerò cepas adiuuare, aluum mollire, consensu omnium creditum. medentur oris ulceribus, si cum pane manducantur. Morsus caninos uirides ex aceto illitæ sanant. Siccæ quoque cum melle contusæ, contra morsus eosdem pari uirtute subueniunt. eandem ob causam ex uino & melle decoctas iubet uulneribus imponi, nec nisi post tertium diem solui. Dioscorides & cum cepa salem & rutam caninis morsibus suadet imponi. Instillatus auribus succus cum lacte mulieris, prohibet dolorem. Quidam illum repentè obmutescentibus ex aqua bibendũ dederunt. colluendis dentibus frequenter assumitur: ægros eos seruare præsumitur. tardãtibus menstruis fœminarum, non inutile est, uel ipsas in cibo offerre, uel succum ex uini potione miscere. idem succus et caput optimè purgat, si modò patienter naribus fuerit attractus: & cum adipe gallinæ, trituras pedum mitigat, quas calciamenta fecêre. Fluxu uentris laborantibus prosunt, coctas eas in cibo sumere, oleo prius tinctas scilicet, & mitigandos morsus, quos in huiusmodi causis necesse erit experiri. Alopecias etiam tusis cepis infricare, inter efficacia remedia compertum est. Galenus affirmat, citius ex ijs nasci capillos, quàm si alcyonio quis utatur.

De Anetho. Cap. XXVII.

ANETHO & si calida uis traditur, nõ est tamen plurimum feruens, nec austera: uerùm in se habet aliquam molliendi potestatem: si Græcis auctoribus credimus, etiam nutriendi. nullum denique athletarum cibum sine anetho esse patiuntur. Aegrotantibus prodest cum oleo tepefactũ, ac crebrò infusum: creditur enim illis dare aliquas ex febre inducias. mitigat capitis dolores, neruorum tensuras relaxat, non dormientes ad spem quietis inuitat: stomachi querelas, coctum in aquæ cyathis tribus ac potũ, miro modo releuat. indicio est ructus, per quẽ intelligere datur, aperta omnia quæ clausa torquebant. digestiones adiuuat, ideo uentrem uidetur inhibere. Intestinis laborantibus, & uentri, uel ex aqua datum in potione, succurrit. Tritæ radices, & impositæ, feruoribus medentur oculorum. Cinis eius suspendit uuam faucibus ingrauescentem. Radicum uerò acrior cinis est; adeo ut curentur ex eo, & caro crescens & sordidum uulnus, & quæ serpere incipiunt. Semen eius feruefactum, admotumque naribus, singultire non patitur.

De Sinapi. Cap. XXVIII.

PYTHAGORAS inter ea, quę propter uirtutem et efficaciam laudat, primum sinapi locum assignat, cuius naturam uult esse thermaticam, hoc est coloratam: lepticam, quæ quod inueniat, extenuet: epispasticam, quæ quod comprehendat, adducat. Meritò ergo uirtus eius omnis, est tantis insinuata indicijs, tanquam numerosis corporis uitijs præstet auxilium: sensus acuit, aluum mollit, urinã ciet, menstruis imperat, calculos frangit, caput purgat: nũc gargarizatum, ut pituita crassior profluat: nunc admotum naribus, ut sternutamento strictura soluatur. stomacho contra omnia querelarum genera succurrit; suspiriosis phlegmate dissoluto, hauriendi aëris præstat meatum. Serpentum ictibus & scorpionum cum aceto tritum illinitur. nec inutilis cibus est contra uenena fungorum. Positum extrinsecus cutem ui caustica exulcerat, rarò medicis ad huiusmodi remedia uenĩetibus, quomodò pene intolerabilem suscitat ustionem: necnon nisi in magnis & uetustissimis causis tã sæua tormenta subeunda sunt: sed hoc genere tormenti humor capitis auertitur, qui cæcitatem oculis cõminatur, quique stomacho atque pulmoni acer instillatus, letaliter ad phthisin præstruit; & coxæ dolorem per uesicas & pustulas digeruntur, & splenis tumor soluitur, ac iecinorum indignatio relaxatur, & hydropicis minitans humor tam non reuersurus hauritur. Aiunt & lethargos excitari, si pedes eorum simul tritis sinapi & ficu ariola perfricentur. Nunc interim de succo locuti sumus, qui semine exprimitur, admixtis scilicet nunc aqua, nũc melle, si usus exigit. Est & alius, qui caule colligitur: hic cum expressus fuerit, lacteam facit guttam utilem dentibus, si in dolore illiniatur. Fitque elegans ex eo antidotum sicut docuimus: semen sinapis, eiusdemque radices, in mulso datur uitijs faucium, stomachi, capitis, oculorum, potioni modo statuto, quantum manus plena concludit. Fitque ex sinapi oleum semine infuso, lumborum doloribus, & neruis torpentibus necessarium.

De Cauliculo. Cap. XXIX.

CATO tradit Po. Ro. sexcentis fere annis medicina brassicæ usum. nondum enim in urbem cõmeauerant medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno sanitas constet, & peregrina secum pigmenta attulerunt, ut illis imponerent precia quæ uellent: cæterùm militares uiri gloriosas cicatrices gratuito holere curabant, eodem horto cura usi ad salutem, dum illos pascit & sanat. Ponam primo

in loco medicamentum re uera ita appellandum, Catonis Antidotum, quod ille ex brassica componendum putauit, capitis dolori, oculorum caligini, stomacho & præcordijs profuturum. Crudam cum coriandro & ruta & mentâ & radiculis lasaris ex aceto & melle conteri iubet, ac manè ieiunis duorum acetabulorum mensura propinari. Cæterùm brassica hoc modo curans, uulneribus nō solùm recentibus, uerùm etiam ueteribus canceratisque, si prius aqua calida fota sint, crudam contritam bis in die imponi, & ad impetigines iubet; creditque hoc modo tritam, sine exulceratione sanare. podagræ atque articularibus morbis cum ruta & coriandro & hordei farina, & salis quoque mica utiliter admoueri putat: fistulas atque luxata discutere, humores aut euocare aut spargere impositã, insomnia ac uigilias compescere, decoctę aquã in fomento neruis articulisque prodesse. Eius quoque qui brassicam ederit, urinam seruari iubet, quam calefactam neruis asseuerat utilem. Pueros etiam nunquam debiles fieri, si ex ea urina frequẽter lauentur. Hactenus de Catone: nunc ad medicos transeamus, ex quibus Chrysippus peculiarem brassicæ librum dicauit, omnium morborum ex ea remedia continentem: Eiusque & cęterorum de brassica hæc opinio est, quòd cibus eius assiduus caliginem discutit, cōcoctioni prodest, fœminis expurgationẽ excitat, copiã lactis infundit, semicruda aluum resoluit, discocta constringit. cruda ex aceto sumpta splenicos curat, partus etiam mortuos pellit: cocta contritaque, stomacho cum axungia ueteri & rosaceo superposita, ardores febrium mitigat. lepras & psoras, cum alumine rotundo ex aceto illita, emendat. eadem uirtute medicaminis etiam fluentes capillos retinet. testium & genitalium uitijs utiliter imponitur: efficacius profutura, si fabæ tritæ misceatur. Dioscorides uerò succum eius uiridem cum iri & nitro ad molliendum aluum dari censet, podagricis & arthriticis cum aceto & fœnugræci farina utiliter imponitur. Catapotia Corneliana allectoria fiunt ex brassica satis innoxia, quòd post balneum sumpta, circa cantum gallorum, aluum incipiunt cōmouere. Eorum compositio talis est. Cucurbitæ agrestis interioris medullæ scrupulos sex, piperis sex, dyagridij XII. quæ trita & cribrata, succo brassicæ temperantur, & in pilulas ad modum heruiliæ deformantur; ex his quinque uel septem, interdum etiam nouem post balneas propinãtur: nec erit necesse, ut is qui accipit, aliquid de quotidianę uitæ consuetudine immutet. stirpes quoque eius aridi combusti, & in cineres redacti, uim causticam præstant. qua ratione ad uentris, lateris, coxæque dolores cum axungia ueteri efficaciter admouentur: eundemque cinerem, si quis psilothris cum aceto & lasare coniunxerit, detracti pili non renascentur. Apud Galenum autem inuenio, semen brassicæ potum, maximeque Aegyptię, quæ uehementior illi uidetur, lumbricos & omnia intus animalia extingui. Puluis uerò e cinere radicum, iacentem uuam subiectus attollit. Melius quoque affirmat uuæ esse remedia, radicem plantæ auulsam, colloque suspensam, ita ne terram post euulsionem contingat.

De Asparago. Cap. XXX.

ASPARAGO inest & caloris aliquantum, sed illi etiam styptici rigoris temperatura miscetur: inde stomacho laborantibus cibus utilior transit in antidoti uicem, si cum cymino, oleo, sale ieiunis offeratur. & coli dolores sic acceptus emendat, caligines discutit, uentrem leniter mollit. Radix ex uino albo trita, & in potione data, calculos frangit. eadem lumborum dolorẽ & renum sedat. Medetur etiam uuluæ querelis, aceto discocta & imposita. Contra elephantiasim efficax creditur. Eadem sicca tusa, & in lana denti dolenti admota, sine dolore eum detrahit. Semen obolorum trium cum cymini pari pondere potui datum, Venerem stimulat, urinam sollicitat.

De Armoratia. Cap. XXXI.

CALIDA est armoratię uirtus, & ideo in cibo sumpta, copiosam effundit urinam, incitat etiam menstrua fœminarum, stomacho utilis ex aceto data, pituitas glutinosas cum melle sumpta dissoluit. Radix adusta, & in puluerem uersa, siccandis ac purgãdis uulneribus imponitur. Quidam uerò succum eius ex uino datum contra uenena utilem credidere. Eadem & triti seminis uis est, si cum melle sumatur. Nobis quoque expertum est, armoratiam in ptisanæ sorbitione discoctam, thoracis uitia sanare.

De Pastinaca. Cap. XXXII.

PASTINACAE uis omnis in radice & semine est constituta. Aqua uerò mulsa, in qua radix est discocta, potui data, iecinoris & lienis querelas, lumborum & renum uitia compescit. Dysentericis etiam uetustis utilis radix in lacte decocta, aut trita ex aqua, aut in succum redacta, ac potui mensura quatuor unc. data, opisthotonicis & pleureticis præstat medelã. Radix quoque collo alligata, tumores testiũ sedat. Negant feriri à serpentibus, qui pastinacam secum ferant, uel antè gustauerint. Venerem stimulat copiosior in cibo sumpta. Dentes uerò radice pastinacæ circunscalptos credunt dolore releuari. Semen uerò ex uino uel ex posca datum, scorpionum uenenis resistit. æquè semen ex uino datum, tumentem aluum fœminarum, & suffocationes ex matrice præclusas, efficaciter soluit. Cum melle tritũ, canceratis uulneribus imponitur.

De Napo. Cap. XXXIII.

NON unam eandemque uirtutem in omnibus napis experta est medicina. Id enim quod angulosis

gulosis foliorum caulibus ad anethi floret similitudinem, uesicæ laboranti, itemque cessantibus menstruis fœminarũ, decoctum ex aqua mulsa, utile existimant: perque non dubiè ostenditur, calidã possidere uirtutem. Semen quoque eius tostum, atque tritum, bibendum ex aquę calidæ cyathis quatuor dysentericis obtulerunt: sed urinam uidetur inhibere, nisi illi æquali modo lini semen addatur. Alterum genus est quod simile raphano ac rapo uidetur, lautissimi seminis, & cõtra uenena fortissimi. Ob quam causam optima quæque theriaca sine illo non conficitur.

De Rapa. Cap. XXXIIII.

RAPAM Democritus tanquam contrariam corpori damnat. Putat enim ex ea inflationes stomachi excitari. Contrà Diocles, itemque Dionysius, etiam necessariam existimant, propter eas uirtutes, quæ subiectæ sunt. antidotum nanque representat. ex oleo & uino trita sumitur, uenerem stimulat, eò ualidius, si cum eruca condiatur, tosta, & cum adipe contusa. Articulorum dolori medetur. Feruens imposita perniones mitigat, frigus ex pedibus expellit. Aqua in qua discocta sunt, frigidis podagris salubre fomentum est. Cuicunque uerò uitio pedum, maximeque trituris, cruda tusa succurrunt. Contra serpentes & toxica datur semen ex uino bibendum. Itemque semen uulneribus uenenatis ex uino illitum prodest. Secundum hæc, semen in rapis potest calidum & feruens uideri. ipsa paulò solutiora creduntur. sed quòd minus possident caloris, molliendi potestatem plenè compescant.

De Thymo. Cap. XXXV.

THYMVS rectè inter hæc ponitur, quæ uirtutem calidam simul, austeramque sortita sunt. In cibo sumptus, caliginem discutit, lumbricos interimit, urinam impellit, menstrua fœminis prouocat, uteri reliquias uuluę inhęrentes, uel ipsos emortuos partus extrahit. tritus cum melle, & ad modum ligulę datus, phlegmata in cibo soluit. tritus ex aceto, & impositus, eodem modo papulas fugat, & eminentia excidit. mixtus polentæ, & in uino maceratus, coxæque feruens superpositus, Isciaticis salutaris est.

De Origano. Cap. XXXVI.

ORIGANO Græci tria nomina posuêre, è quibus unum Trigoricanum, aliud Eradium, tertiũ Onitem uocauêre. Sed illa maioris uirtutis atque efficaciæ sentiuntur. in ratione medicinæ satiuũ, cuius nos meminimus, aliquando infirmius, illis scilicet comparatum. Cæterùm nec ipsum sine acri uirtute sentitur: ex uino enim albo tritum, & in potione sumptum, scorpionum & aranearum uenenis resistit, cruditates discutit, morsus stomachi ex aqua calida datum lenit. Cum oleo & aceto tritum, collectumque succida lana, luxatis & contusis partibus prodest.

De Cerifolio. Cap. XXXVII.

CERIFOLIO igneauis est, & acerrima. Potest cum melle canceratis mederi, lateris dolores haustum ex uino mitigare. Quidam uerò illud oleo incoctum, acopis ad soluendam iniuriam frigoris miscuêre. Ex aqua autem mulsa pituitam resoluit, ex aceto lumbricos & tineas perimit, urinam ciet, menstrua pellit: tritum cum cera, & axungia ueteri, parotidas discutit, soluitque omnem tumorem.

De Serpillo. Cap. XXXVIII.

SERPILLVM calidum, simul nobis utile medicinæ usus ostendit. Capitis dolores coctũ ex aceto & rosaceo, tempori ac fronti illitum, mitigat. Serpentes & omnia animalia uenenata adustum nidore repellit, ideo & messoribus in cibo miscetur, ut si fatigatos fortè somnus oppresserit, tutè quiescãt contra animalia: hæc hoc tempore uenenatis haustibus sæuire consueuerunt. Contusi puluis ex scrupulis XII. in aqua datus, tormina emendat, urinę difficultates resoluit. lienis quoque iniuriæ idem puluis ex aceto, mixtus occurrit. Nec minus cruentis excreationibus subuenit ex duobus cyathis mellis & aceto tẽperatus. Atque ut serpilli potentiã intelligas, subdidi theriacam in templo Aesculapij ab Antiocho rege Syriæ uersibus dedicatam, in qua non leuem meruit portionem: quæ recipit trifolij scrupulos sex, serpilli sex, opopanacis sex, anisi XII. fœniculi XII. amyli XII. apij seminis duodecim, erui farinæ unciam unam; hæc simul trita uino optimo colliguntur, & in pastillos uictoriati ponderis scrupulorum duorum digerũtur, ex quibus singuli dantur ex uini mixti cyathis tribus. Hac theriaca magnus Antiochus semper est usus aduersum toxica, & potiones malas, & animalia uenenata: cui quantum debuerunt, ex eo licet colligere, quod testimonij sui participem medicinæ deum fecerit.

De Piris. Cap. XXXIX.

PIRORVM naturam Dioscorides stypticam credit, ac ideo contrita imposita, impetus omnes

incurrentis humoris auertere, eaque ratione cōpescere et quæ de tumore sublata sunt. recentibus certe admota uulneribus, sistere sanguinē fluentem, perducere uulnus ad cicatricē. Galenus non unā in pyris, sed ex pluribus mixtā putat esse uirtutem. Nam quędā ex his austera, quędā acida, quędā dulcia deprehendit: & austeris quidem concedit, ut styptica & constrictiua uideantur. acidis autem inesse aliquid & caloris, unde, & plerunque dissoluunt inhærentem stomacho phlegmatis densitatem. Dulcia cùm sint, aquatici & soluti saporis, nihil in se nec calidi, nec frigidi continere. Ex quibus singulis pro generum discrimine, & causarum necessitate ordinanda sunt etiam subsidia medelarum. Austera itaque atque acida in cibo sumpta, stomacho existimantur conuenire. In dulcibus uerò omnia contraria. Aqua in qua pira sicca discocta sunt, mirificè ualet fluxū uētris inhibere; nec minus ꝓderit, si uel folia sola discocta sint. Annotatumque in piris, quòd præter alia poma corpus nutrire creduntur. Affirmat etiam Galenus, pyra ieiunis oblata, uentrem constringere: eadem post cibum sumpta, dissoluere. Folia ignitis admota uulneribus, mitigare feruorem. Radix uerò piri alligata, tandiu creditur conceptum impedire, quousque portetur. Aiunt & ipsa poma remouenda, cùm fœminę partus incubuit. Si enim in eodem loco fuerit, difficulter uteri claustra reserari. Semen autem pirorum cum melle tritum, & sæpe ieiunis datum, traditum dolorem iecoris submouere.

De Malogranato. Cap. XL.

DE punici arbore, quòd uim stypticam obtinet, omnes ferè medici una opinione consentiunt. Verùm in ipso genere pomorum dissonans uirtus & quadrifariàm diuisa cernitur. Nam dulcia continere aliquid & caloris, & inde inflationes stomacho mouent, nec tutè febricitantibus dari possunt. Acida stomacho accommodata sunt, & urinam mouent, pulmonem refrigerant, iecori blandiuntur. Vinolenta de superioribus singulis æqua parte composita, mediam sibi uendicant potestatem. Illa uerò acerba sunt, quibus coria curantur, frigidæ, siccantis, constringentisque uirtutis: quod intelligere licet, cùm feruescentē tabem pellium, trita & conspersa, consumant. cibus ex punico nullus est. Nam & si dentibus mādatur, solus à stomacho succus hauritur. Igitur rectè tradidère, qui negant punico corpora nostra nutriri, ac sic opinantur utendum, ut mederi potum, non alere uideatur. Mala propterea punica diuisa in duas partes, per triduum in aqua cœlesti macerantur: quæ potui data, cœliacis, sanguinemque incitantibus salutaris est; & aluum fluentem miro modo sistit. Punicum in olla noua cooperculo illito in furno exustum, & in puluerem redactum, & in uini potionem perductum. Ex cytrinis fit remedium, quod creditur totum oculorum dolorem detergere. Dioscorides uerò simplicius in hunc modum tradit, ut cùm primùm cytrini erumpere incipiunt, tres numero additi, sine contactu dentium transuorentur. Cæteri ut diximus, efficacius putant, ut qui hoc remedium petiturus est, omni uinculo solutus, duobus sinistræ manus digitis, pollice & quarto cytrinum detraheret: & ut suprà positū est, trāsuoraret, ac leui attactu floris, oculos suos antè lustraret. Idem cytinus siccatus, & in puluerem redactus, exedit carnem quæcunque uulneribus excreuit. Estque in extremo flosculus quidam, antequàm ex eo mali figura formetur, quem Græci βαλαύστιον uocauère, maximę mirandæque uirtutis: ulceribus oris & item tonsillis medetur. Et una cum melle tritus sicci puluis, uulnera, in quacunque parte genitalium nata, compescit: & idem excreantibus sanguinē datus in poscæ sorbitione, succurrit: solutiones quoque uentris, sumptum ex mero, constringit. Fit ex acido punico medicamentum, στοματικὸν à Græcis nominatum, cuius compositio eiusmodi est. Detracto cortice, mala tunduntur; ex his succus exprimitur, is decoctus ad tertias cùm ad sextarium uenerit, croci scrupuli sex, myrrhę sex, aluminis sex, mellis optimi libra una, miscentur, & ex hoc medicamēto, præcipuè quidem & humoris uitia sanantur. Verùm & narium uitia mitigat, & aurium uulnera expurgat, & oculorum caliginem discutit: Vlcera etiā genitalibus innata persanat. Fit & hæc compositio de punicis, apud Græcos opone dicta, cōtra marcorē stomachi ac fastidium necessaria. In congiū musti conijciuntur quinque punica, totidem & cydonia; cum his sorborum sextarius, roris Syriaci sextarius, croci scrupuli sex: quę omnia simul tandiu coquuntur, donec in mellis corpus crassitudo pinguescat; ex quo cochlear grande plenum optimè ieiuno quotidie datur. Ipsum uerò medicamentum salubriter uitreo in uase seruatur.

De Malo. Cap. XLI.

DIOSCORIDES, quod ad æstiua mala pertinet, ita sensit, ut ea crederet phlegma nutrire, fellis ardores excitare, inflationes mouere, neruosis partibus minimè conuenire. Galenus non omnia reijcienda pronunciat, sed quæ aut aquatici saporis, aut asperi aut acidi, aut prope dulcis occurrunt. In his tantùm esse uitia, quæ frustra omnibus adiudicātur. ipse austeris & stypticis adest, fermeque his omnibus quę in sola hyeme seruātur, ea si matura lecta & salubriter custodita prouenerint, etiam prodesse lāguentibus asseuerat. Denique farina inuoluta, & in calido cinere discocta in querelis utiliter putat stomachū nauseantis offerri. Potest uerò malum maximè Matianum, sanguinem reijcientibus, pulmonis & iecoris iniurię obnoxios releuare: melius tamen, si nunquam ieiunis, sed post cibum detur. uis ergo malis & humida & frigida est: quod ex eo maximè comprehenditur, quòd succus qui fuerit expressus, facilè transit in acorem. Austeris tamen malis & acidis possunt recentia uulnera statim claudi, si contrita ponantur: tumores atque liuores ex aqua cocta, & cum axungia trita, compescunt. Fit ex malis nobile medicamentum, quod Græci Hedrice dicunt, perquā utile & efficax, si quando in uerendis partibus cōdylomata uel papulæ eminentes,

læ eminentes, quas exacodas medici uocant, uel calculosa pars carnis excreuit; cuius compositio talis est. Mala concisa, & interius lignosa parte purgata, libræ unius pondere, adiectis croci scrupulis sex, in passi sextario decoquuntur: & cùm omne concoxerit, tandiu cum pulpa, id est molli pane, & tinaperi conteruntur, donec in ceroti lentorem mollescat. hoc appositum, uitia supradicta sic curat, ne ad ferrum uenire patiatur. Fit ex hisdem malis edumna perquam elegans. Decoquitur enim ex uino phalerno succus expressus, & cum melle miscetur. Folia eorum uulneribus apposita, impetum feruoris excludunt: trita cum nitro & butyro, parotidas sanant: siccata & fumigata carbonibus, serpentes fugant. Corticis succus eiusdem pene uirtutis est, nisi quod adustus, & in puluere dissolutus, uulneribus cauatis, ut carnem reddat, imponitur. Vuam iacentem cum melle tritus leuat. Genitalium uitia cum uino aspersus emendat.

De Cydonio. Cap. XLII.

MEDICINAM ex cydonijs plurimi medici stomachantur. Eadem Dioscorides & adiureticam existimat, austeritatis fortasse beneficio: cęterùm styptica, comprimere urinam magis, quàm cierescõ fuerunt. cruda, matura, cœliacis, dysentericis, sanguinem reiectantibus prosunt. in cibo sumpta, coquũtur & cinere calidissimo, farina inuoluta, & ægris, quorum iam diuturna febris, sine periculo datur. Aqua etiam cœlesti madescunt, quæ potest ad multa prodesse. Nam & sedis uitia in fomentum assumpta delinit, & matricibus fœminarum in tumore succurrit, omnibusque uehementer feruoribus obsistit. infundi quoque in aceto siue in uino solent, quod stomaticis & intestinorum fluore uexatis opportunissimè offertur. Fit ex cydonijs uinum, quo, colore, languentium desideria fallantur. Nam specie, gustu, & odore cuiuslibet uini ueteris imaginem repræsentat, ideoque Græci ὑδρόμηλον appellant, & ex multis compositionibus eius melior hæc & utilior traditur. Post caniculares æstus, quæcunque se ex nouis imbribus aqua cœlestis infuderit, mundo uase suscipitur, & in umbra posita, sæpiusque transfusa colatur: tunc cydonia iustæ maturitatis ex ligno interiori purgata, & in frusta concisa, immerguntur aquæ: & tandiu cum ea relinquuntur, donec in succum trãsisse maiorum uini colore probatur. quam diligẽter colatam, & in uasa picata diffusam, eiusmodi in loco seruare solenne est, ad quem maximè fumo, & si fieri potest, soli negetur accessus: quo septimo mense pro uino uti licebit. Quidam ex his & oleum, quod appellatur melinum, faciunt, uehementer accommodatum ad ea corporis uitia, quæ styptica pellenda sunt: maximè tamen ex eo sudores molesti detineri solent, & stomachi operta componi, & uulnera in capite nata liniri. hæc sicco die ad meridiem lecta, & linteo purgata mundiore, in uitreum uas mittuntur, & recentissimo oleo uas usque ad fauces repletur, & pelle coopertum, umbroso in loco seruatur.

De Persico. Cap. XLIII.

PERSICORVM cibus est quidem stomacho inutilis, eò quod cito succus eius inacescat, & caro æquè in digestione uitietur: uerùm minimè grauis, dum non diutius in intestinis moratur, & ad ima semper exitu celeri festinat. Persicorum cibus negatur à medicis membra nutrire. Sed & Galenus suadet, nunquam omnino post cibum sumere, corrumpi affirmãs, si in cibis cæteris innatent. Persicorum folia trita, & imposita, uentris animalia perimunt & expellunt. Eadem sicca atque in puluerem tusa, recẽtes plagas cruentorum uulnerum claudunt. Nucleus persicorum, capitis dolori cum oleo tritus illinitur: quamuis cum solo rosaceo quidam terere maluerint. Gummi gutta, quam persici truncus illacrymat, fluẽti aluo medetur. eadem cum uino, etiam in uesica lapillos frangit: trita ex aceto, impetigines reprimit: decocta cum croco, tumorem faucium mitigat, arteriæ asperam canalem leniorem facit, excreantibus sanguinem miro modo subuenit, thoracis obstrictos sinus reserat, uitia pulmonis expurgat.

De Cytreo. Cap. XLIIII.

NON una eademque uirtus in omnibus cytrei partibus continetur. Nam semini acidam potestatem, ac per hoc, stypticam inesse, manifestum est: denique prægnantibus fastidio laborantibus esui datum, stomachum à nausea uendicat: tritum & in potione uini datum, lieni medetur, querelis iecoris occurrit. Aqua tritum & inspersum, humidis uulneribus adhibetur: inde pernionibus singulare præsidium est. Cortici austerior natura cõcessa est, quæ quantum ualeat, etiam ipso odore testatur: qui modicè sumptus, aut potioni calidæ diutius immersus, maturæ digestionis beneficia operatur. medicamentis, quæ purgãdo uentri præparantur, succus eius admixtus, turbationis periculum demit. Fit ex cytreo nobile antidotum tussientibus, quod eximiè pectus exonerat: labrasion, quod apud medicos hoc uocatur: sed maximè uirtus eius in cytreo constituta est. Id uariè quidem apud multos, uerùm explorata & recepta eiusmodi cõpositione conficitur. Recipe cytrei unciam unam, marrhubij unam, hysopi unam, enulæ unam, glycyrrhizæ unam, iunci radicis unam, pulegij scrupulos sex, roris marini sex, pineam integram unam, palmulas costas XXI. carycas XXI. quæ omnia in aqua fontana infundantur, & ibi die ac nocte mergantur. pòst aqua ipsa cum pigmentis, sicut infusa sunt, decoquitur, & inde colata, despumato melli miscetur, mollique igniculo, ne aduratur, hucusque incalescit, donec subacta in mellis crassitudinem transeat.

De Mespilo. Cap. XLV.

MESPILI arborē Dioſcorides contentus agreſtem nominaſſe, præterijt. Hoc tamen aſſeuerat, quòd poma eius & folia uirtute non diſcrepent. Sed & cæteri diligentius, qui & uocabulū eius aliud addidêre: apud quoſdam nanque tricocta nominatur, ex tribus granis, quę ad ſeminis ſobolē retinet intus incluſa. Auſterum ſemen eſt meſpili; fructum & ante uirtutem guſtus oſtendit, ſed & fluxus uentris immodicos fortiſſimè detinet, ſtomachum diſſolutum uehementer aſtringit. Sunt etiam qui putant dentibus non leuiter ſubuenire, ſi in dolore mandatur. Folia quoque eius & cortex, itemque radices eius tuſę & impoſitę, cuicunque feruori & tumori ſubueniunt. Sicca & trita cum melle, ad cicatricem uulnus adducunt: hauſta cum dūlci, ſolent ſanguinem reijcientibus opem ferre: & cum uino propinata, ueneficis potionibus repugnare.

De Zizipha. Cap. XLVI.

ZIZYPHA modicum cibum corpori pręſtant, licet illis ſaporis non nulla gratia lenocinetur. Habent tamen plurima incōmoda; ęgrè coquuntur, ſitim accendunt, pregrauāt ſtomachum, difficilimum reddunt officium uentris; ex quibus aſpera uis eorum & primum ligno ſortita deprehenditur. Folia tamen, ipſa poma contrita, & impoſita, ſpleneticos & hydropicos adiuuare, certiſſimum eſt. Radicis & corticis eadem uirtus habetur: quorum ſuccus ex melle coctus, tuſſim mitigat: cum mero mixtus, iecori medetur, ueſicam leuat urina largiori.

De Fico. Caput XLVII.

FICORVM natura calidiſſima eſt; ſed quod ad poma pertinet, nimium recētibus auſteritas ineſt; & ideo tales ſtomachum inflant, & inteſtina perturbant modicè quidem; nam ſtatim per aluū defluit omnis iniuria. Quę igitur maturiores ſumptę ſunt, propè innocuę creduntur, & corpus ſic ſicuti ſiccę ſaginant: denique athletę antea ficis alebantur, priuſquàm eos Pythagoras exercitatos ad carnis uſum, qui fortior cibus eſt, trāſtuliſſet. Siccę tritę & impoſitę, uehemētes tumores aut maturāt, aut diſcutiunt efficacius, ſi in eis nitrū uel iris acceſſerit. Coctæ ex aqua cum hyſopo, dant potionē, quæ pectus expurget. Item coctæ cū uino, ſedi tumenti præſtant ſalutare fomentū. Ipſæ pāno illitę, & impoſitæ, paniculas, parotidas, furunculoſque rumpunt. Itemque cum fœnugræco ex aqua decoctæ, fomētum faciunt, quod uitia matricum extinguit: cum ruta & melle ſuccum dant, qui à pleureticis & pulmonē uitijs ſalubriter hauriatur. Cum æris flore tritæ, moleſtiſſimis tibiarum uulneribus imponuntur. Tritæ cum ſale, ſcorpionum plagis medentur: canceratis quantò pinguiores fuerint, tritæ & impoſitæ, tantò efficacius ſubueniunt. Hydropicos extrinſecus ſiccant ex uino contuſæ, & cum abſinthio & hordeacea farina in modum cataplaſmatis adunatæ, combuſtæ & tritæ.

De Sorbo. Cap. XLVIII.

PLVRIMIS medicis placet, ſorba pro medicamentis magis, quàm pro cibo eſſe ſumenda. & quidem alba adhuc, & ſemicruda deiecta, uehementius ſolutioni uentris obſiſtunt, ſtomachum pregrauāt: ueruntamen matura, ſiccata ſubleuant, faſtidia pellunt, uulnera interaneis innata deliniunt. Quidam ſicca ſorba tuſa, urinam ſoluere, & pro polenta cum uino ſplenicis & iecore laborantibus, maximeque pulmonis moleſtiam ſentientibus obtulêre. Aqua uerò, in qua decocta ſunt, non minùs & ipſa cauſis ſuprà dictis potui oblata ſuccurrit. Dyſentericis quoque iniecta medicatur.

De Siliqua. Cap. XLIX.

SILIQVAE recentes, ſtomachum auertunt, aluum ſoluunt. Eædem ſiccatæ incōtrarium poſcunt. Cibus earum ad urinam proficit commouendam; traditurque, contra ſtomachi dolorem non leue præſidium, ſi ternæ in ſextario aquę ad dimidias decoquantur: Iſque ſuccus per dies quinque continuus hauriatur. Galenus tamen de ſiliquis peſſimè ſentit, quòd uix digerantur, & uentrem ſtringant, & humores noxios nutriant.

De Ceraſo. Cap. L.

CERASI uiridis pomum uentrē humectat & prouocat, aridū ſiccat & detinet; ſtomacho uiride contrarium, ſiccum perquàm utile accipitur; & hoc quidam exiſtimant urinam mouere. A' non paucis auctoribus traditur, ſi manè recentia cum ſuis nucleis deuorata ſint, aluum tam copioſè fluere, ut ex eadē cauſa etiam pedes morbo implicati liberentur. Fit ex his diaceraſon, quod omnibus notum eſt. Galeno placet non in omnibus ceraſi pomi unam eſſe uirtutem. Nam in quibuſdam auſterus ſapor, in quibuſdam acidus, in quibuſdam dulcis apparet. & uult auſtera ad hoc ualere, ut uētrem cōſtringant, ſtomachum confirment. Acida indicat phlegmate abundantibus ſtomacho opportuna: nam magis ſiccant, & craſſitudinem denſioris humoris incidunt. Dulcia ſtomacho aduerſa pronunciat; citius tamen per inteſtina defluere. Gummi quod truncus illacrymat, exaſperatas arterias optimè lenit, ſi in uino ueteri detur in ſorbitione

tione resolutum. Simili modo datum, fastidium stomachi nauseantis auertit: & è facie foeditatem palloris excludit, cum mero haustum. Calculos etiam, quibus uesicę cannalis obstruitur, in harenę puluerē soluit.

De Amygdalo. Cap. LI.

AMYGDALVM recens, ut multis uidetur, stomachum onerat. Dioscorides uero etiam stomacho prodesse arbitratur, si cum folliculo suo nucleus deuoretur. caput prægrauat, caliginem nutrit, cupiditatem Venereę uoluptatis etiam accendit. Sicca uerò contra ebrietatem ualent, si ante uinum quinque sumantur. Sitim ex his inflāmari illo argumēto docetur, quod uulpes cum amygdala deuorauerit, nec aquam in proximo habuerit, interire credatur. somnum faciunt, urinam mouent, foeminarum iusta precipitant. Amygdala quoque cum mentā trita, & in potionem perducta, sanguinem reijcientibus prosunt. Oleum in quo decocta sunt, infusum capiti, caducos & lethargicos excitat. ulceribus canceratis & caninis morsibus, trita cum melle subueniunt, dolores iecinoris ac renum, coctorum in aqua potus extinguit, admixto modico passo, quo solet potionis eiusmodi amaritudo leniri. cū resina terebinthina procemata data, calculos frangunt, obstrictum canalem uesicę laborantis peruium prestant: tussi & colo prosunt, cum helilisace ac melle contrita, & in auellanę nucis magnitudine sumpta. Fit medicamentum ex amaris amygdalis, quod Dioscorides diamygdalon appellat, spleni & iecinori, maximéque aurugini necessarium. quod conficitur sic. Accipe amygdalorum uncias duas, gentianę IIII. anisi duas, absinthij pō ticū unam: quę omnia simul tusa cribrantur, & ex eo puluere cochlear ex aqua datur. Mulsā miscent, qui nimiam amaritudinem uitāt: uehemens nanque hoc esse, etiam domesticis in uxore seruata experimentis probaui. Gummi quod amygdali arbor exudat, mixtum potioni, reijciētibus sanguinem saluberrimum creditur: tussim mitigat, cum mero potum. Eadē & cęteris arboris partibus uis inesse traditur, ut folia uel cortex ad tempus sumpta, aperiant, purgent, extenuent.

De Auellana. Cap. LII.

AVELLANAE in cibo sumptę, dolorem capitis incutiunt, inflatione stomachum distendunt. Corpori sanè pinguedinem conferunt: siccę in uase fictili si torreantur, distillationibus mitigandis utilissimè offeruntur: tritæ ex aqua mulsa, potęque, etiam uetustissimę tussis molestiam sedant. Alij uerò tritas & cum passo bibendas dedere, ad pulmonis & iecoris uitia sananda. Multi cum pipere miscuère, & cum uino propinatas, contra catarrhum, & tormenta uentris, & urinę distillantis angustias ualere senserunt: cum axungia uel adipe ursino contritę, & alopecijs illitę, capillorum damna restituunt. Aiuntque oculos infantium cęcorum ad colorem nigrum posse reuocari, si adustę cum oleo conterantur, & ex eo cerebrum quotidie perungatur.

De Psistatio. Cap. LIII.

PSISTATIORVM uirtus austera & styptica, & prope aromatis gratiæ iuncta colligitur, ideoque etiā stomacho accommodata creduntur. Maximè tamen constat, ea & thoracis, itemque pulmonis & iecoris uitia purgare. Trita uerò cum uino, contra morsum serpentum prosunt.

De Castanea. Cap. LIIII.

CASTANEAE ex omnibus fortissimum quidem cibum corpori prestant, sed qui difficile cō coquatur. Coctę autem in carbonibus, uel in fictili uase sicco assatę, & cum melle ieiunis datę, tussientibus prosunt. Aqua in qua cum succo cortices coquuntur, cœliacis, dysentericis, sanguinem reijcientibus, bibenda haud inutiliter propinatur. Interior membrana, quę corticem fructumque discernit, ad tertiā partem decocta in aqua, & potui oblata, mirè aluum fluentem refrenat, adeo ut Dioscorides putet etiam cathartico datā, per hanc potionem iri obuiam posse, si plusquàm necesse sit, purget.

De Nuce. Cap. LV.

NVX uiridis, utpote adhuc aquatioris humoris, styptica & frigida uirtute censetur. Potens denique & stomacho aliquid uigoris acquirere, & uentrem cum garo sumpta mollire. Nuces autem siccæ duæ cum caryicis duabus, & uiginti rutæ folijs, addito salis grano, simul conteruntur, nullisque uenenis opprimi poterit ea die, quisquis ieiunus acceperit. Inter Calendas & Idus Iulij centum numero nuces, ita tim ut arbori dēptæ sunt, cortice adhærente quassantur. His admiscentur aluminis schisti libræ tres, & in nouo fictili uase ponūtur. Super hæc infundūtur olei boni libræ tres, & diligenter in loco neque humido, neque nimiū sicco obruuntur: post nonaginta dies dabūt oleū, quod fluētium capillorum dāna restituit.

De Pinea. Cap. LVI.

FORTISSIMVS ex nucleis cibus est, & humores optimos gignit, & sitim sedat, ac stomachi

acrimoniam temperat, purgat urinam. præstat antidoti uicem cũ laseris uncia una, nitri una, cymini una, palmularum una: quæ omnia in oxymelle resoluta, iucundissimum præstant oxyporium, si unciam nuclei triti simul accipiat cum uuis passis. Nuclei frequẽtius sumpti, excitare creduntur tardiores ad usus Venereæ uoluptatis. Ipsæ uerò pineæ cum resina quã gerunt, tusæ, singulæ in singulis sextarijs ad dimidium decoquuntur. ex eo quotidie binos haurire cyathos excreantibus sanguinem, salutare est. Cortex autem arboris decoctus in uino, efficacissimam potionem contra uentris tormina subministrat.

De Myxis. Cap. LVII.

ID nanque genus manifestè stypticæ uirtutis esse apparet, & frigidæ, quamuis plurimum illi de rigore siccitas decoquat. Verùm & ardores febricitantium extinguit ore compressum, sitim mitigat: & in cibo sumptum, stomachum erigit, solutioni uentris obsistit: tritum, & cum polline impositum, collectiones suppurare non patitur. Ossa combusta, & in puluerem redacta, butyro & melle comitantibus, non abiecti uigoris xirocollyrium præstant.

De Spomelidibus. Cap. LVIII.

HOC pomum Dioscorides frigidissimum affirmat, atque idem ad laborem digestionis incitere: stypticum tamen & stomacho accõmodatum plerique dixère. Arboris eius natura cum malis congruit, aliquantò quidem infirmioris, & (ut diximus) propemodum potest in causis similibus assumpta medicari.

C. PLINII SECVNDI DE RE MEDICA LIBER QVINTVS.

Victus in fluoribus capillorum ratio. Cap. I.

CIBOS igitur accipiant acros, qui magis aperiant poros; qualia sunt, erucæ, cardamomum, porrum, cepa uel allia. Hæc enim omnia quæ condensantur, habent ue poros constrictos, inutilia sunt. Quibus autem ex raritate pororum profluũt capilli, contraria sint hæc, necesse est. Vtantur etiam intubis, lactucis, maluis, ouis mollibus, pane nauali, & siliginis in aqua calida aut frigida infuso. Melones quoque accipiant, cucumeres, pisces duras carnes habentes, ac porcinas carnes recentes: & nihil ex eis quod pingue est, sumant. Accipiant uerò steriles & pedes de bubus, ilices & pectines & conchylia: à uino abstineant, & maximè ueteri. In balneo uerò cum lauerint, aqua, antequàm intrent, infundant caput: & iterum in piscinam intrantes, caput sub fistula ponãt.

Si de hepate caput dolet. Cap. II.

CIBOS accipiant frigidam habentes uirtutem hora secunda aut tertia, panem accipiant in aqua calida infusum, aut cetrum, aut melum, aut aliquod quod infrigidare possit pomum, & cum cibo utantur; aquam frigidam si in usu habent, bibant adhuc amplius, ut certè toto prandio cum uino mixtã ipsam aquam bibant frigidam, & modicum uinum. Sed & omnibus diẹta talis sit sic patientibus: necnon & illis qui calidum habent uentrem, uel stomachum, aut splenem, talia sunt facienda.

Si de uino caput dolet. Cap. III.

CIBVM offeres, panem ex aqua cocta, oua à pala columbarum, & pullorum ascellas, & gallorum testiculos. sitque omnis cibus euchymus, & qui uapores prohibeat.

Si de percussione caput dolet. Cap. IIII.

VINVM ab initio prohibendum est, carnes, & omnis cibus fortior: quòd si febres sint, succum prisanæ dabis, & uitellos ouorum, ac maluas uiscellatas, lactucas, intubos & cucurbitas.

De ratione uictus phreneticorum. Cap. V.

A PRIMORDIO, prisanæ succum bene coctum: si autem non est eis suauis, cum granulis dabis sine aliquo condimento. Addes eis oleum aut rhodomellis aliquãtulum. quòd si adhuc suaues non sint prisanæ, his dari oportet auenæ succos aut cedos. Si uerò abhorrent sorbitiones, panem in aqua calida infusum dabis, & magis cum holeribus comedant, qualia sunt maluæ, intubi, elixæ interdum & non

coctæ

costæ satis: & sic caules thyrsosque coctos lactucæ dederis, & melones, & cucumeres, & interiora ipsorum. Pisces dabis echinos & pectines; poma accipiant persica, duracina, cerasia, mela, & malogranata: sed hæc omnia ana modicè. Potionem quoque eis dabis subinde, & paulatim calidam aquã omnino bibere oportet. Nam si sit phlegmon, intrinsecus non paruum periculum accedit; cautiusque est calida aqua uti, quàm frigida: & si febre & alienatione caruerint, tunc præsumendum est, uinum dare eis qui habuerint usum propter somnietatem.

Dieta in lethargo obseruanda. Cap. VI.

DANDA sunt, succus de amygdalis cum modico melle coctus, & ptisanæ succus habens comas porri aut apij radices, aut hyssopi, si febris non est: quòd si febris est, hyssopum non mittas: sufficiunt enim apij radices cum simplici oxymelle admixto. Post ptisanas uerò, dabis & micas panis cum apomelite ac hydromelite, ac post, digesta ægritudine, uinum dabis ana modicè.

Diæta epilepticorum. Cap. VII.

CIBOS accipiant, panem bene coctum, & optimè infermentatum, & maximè in clybano coctum. calidam aquam bibant. Coriandrum autem si comedant, prohibet humores ascendere in caput, quod maximum adiutorium est. De holeribus uerò manducent betam, caucaliam, rapam & porrum mixtũ. Condimenta autem ipsorum ex oleo & sale mediocriter superssparso. De uolatilibus, gallinas, phasianos, sed non saginatos: & de anseribus alas, collum, caput, & pedes: & græculas & aues omnes, præterquàm quę in paludibus & in aquis degunt. Ius etiam prohibendum est ad bibendum: admiscenda uerò sunt nouē aut undecim grana piperis, aut anisum modicè. De carnibus autem bonum est omnino non manducare, & maximè porcinam aut bubulam. sed & alias carnes modicè pro desiderio accipiant, & nõ pingues: ipsas uerò carnes in sinapi intingant, & apozima magis q̃ zima bibant. cepas & daucum non manducent, neque elmerion: apium uerò in omnibus prohibendum est. Pisces dandi sunt, merulæ, turdi, aut scorpio, aut scardus: pinguis autem & pelaicus prohibendus est. De fluuialibus edant eum, qui dicitur andromis, sed cum oxymelle manducẽt, aut modico pipere. cochleæ fugiendæ sunt. echinus manducandus ex interuallo: aptus est enim stomacho, & urinam mouet. accipiãt aliquid apozima calidum, quale est absentiatum conditum. Carnes autem prohibendæ sunt usque ad perfectam sanitatem. & à leguminibus abstinendum; maximè si lenticulam uoluerint mãducare, cedrum ibidem bulliat, seu pulegium aut piper. Poma autem bonum est eos fugere: quòd si utique accipere uoluerint, causa sanitatis, modicum assumendum est, & maximè post cibum. Tragemata etiam fugienda sunt, qualia sunt nuces, dactili. Pistatia autẽ & uuæ, nucleusque, uel quæ de amygdalis fiunt à pistoribus, non sunt fugienda. uinum, quãtum ad ipsam passionem pertinet, fugiendum est, maximè uetus. modicum uinum album lene sumendum est, propter usum. & omne quod ex lacte fit, ipsumque lac fugiendum, & omnia dulcia fugienda sunt.

De melancholicis. Cap. VIII.

CIBVS eorum sit ptisana, quam manè accipiant cum granulis suis hora secunda in prãdio, aut pisces aspratiles, & domesticos pullos uel gallinas, & aues alias, quæ non in paludibus degunt, & pectines & astaces & ychinos. De holeribus autem, lactucæ & intubi omnino comedenda sunt, & maluæ: omnia alia prohibenda sunt. De pomis, pepones, cucumeres, & uuæ dulces, duracinæ, & mela quę non sunt styptica. Ficus autem omnimodo prohibendę sunt: quòd si accipiant, duæ aut tres, & hę satis maturę sunt dandę. De placentis autem omnia prohibenda sunt, propter quod cum caseo factę sint: uinum autem bonum est dare chrysaticum, & hoc modicè. quòd si istud non inueniatur, dabis uinum quod nihil habeat repercussionis aut stypticum, aut aliquam austeritatem, ne cùm bibitur, caput petat. Carnes autem & fortiores cibos adsumere ęgrotantem ad melius accedentẽ ordinandum est, paulatim augmentando, & nõ statis de subito: quod enim paulatim fuerit oblatum, melius est, & cautius transire ad fortiora paulatim. Post balneum autem mox non bibant uinum, nisi calidam aquam: & sic cibum sumãt, sicut iam dictũ est. & prandere uolentibus offerenda est iterum calida aqua. Hoc enim modo dieta obseruanda est, & tunc conuenit fieri, quando iam uidetur uiolentior in cerebro effecta materia, constricta & pinguior effecta.

De oculorum passione. Cap. IX.

CIBOS mitiores & sine mordicatione accipiant, & qui pinguiores reddant humores, id est orphos & alios pisces, duriores carnes habentes, glaucum, cyridiam, ex ipsis ficciores. Holera autem, intubas & maluas. Ex pomis, mela, melones, uuas dulces. Ficus autem nullo modo sunt accipiendę in oculorũ dolore. De cetrio uerò cortex dandus est; & bibant calidam aquam. Vinum si uoluerint bibere, chrysaticum eis dabis, aut dulce, aut aliud, quo impinguari possint humores.

De aurium passione. Cap. X.

CIBVS eorum sit succus ptisanæ, & alicę, & cetrium, ac similia bene cocta; similiter & ouorum

uitelli utilissimi sunt, & maluarum caules, & pisces aspratiles, & pipiones, & de domesticis pullis extremas partes, sicque & ad omnium diuersitates parotidum uti oportet.

Diæta in faucium morbo, quem Græci συνάγχην, Latini anginam uocant. Cap. XI.

ANGINAE tres species sunt, scilicet synanche, cynanche, & parasynanche: In quibus primū omnium aquosa mulsa, quæ ualet extenuare & purgare per urinam & uentrem, exhibenda est. Quibus thorax & pulmo suspirat, ministranda est mulsa per dies tres; ac post diem tertium succum ptisanę & ouorum uitellos dare mollissimos & non multos oportet. Vtilissimum quoque, cibi abundantiam fugere, uelut magnum malum. Si enim in periculo sunt, modico cibo accepto: si plus accipiant, magis existimandū est. Hæc ergo sufficiat de synanche laborantibus dixisse.

Diæta Catarrho laborantium. Cap. XII.

CIBVS eorum, holera & amylum uel lapatium, ptisanæ succus uel alicæ, aut lens cum melle modico cocta, & omnes pultes cum pipere albo, & salsamenta quæ uolent: oua quoque à pala comedant. sitim uerò dissimulare, multum adiuuat. ebrietas aut potio multa fugienda est: &, sicut diximus, omnes cibos salsos comedant.

De pleureticis. Cap. XIII.

CIBVS dandus est pleureticis, succus ptisanæ quamoptimè coctus: si uerò non fuerit coctus, inflat hypochondria: amygdalas autem purgatas & tritas admiscebis ptisanis, ut simul coquantur, & succum acalilis seminis admiscebis in ptisanæ succum aut hyssopum simul coques; succum quoque ex amygdalis eis dabis, cui modicum admiscebis mel. Est autem melius, si manè succum ptisanæ accipiant, & ad uesperam, succum de amygdalis. Quòd si uirtus infirmantium imbecillis tibi esse uidetur, & de pane mundo micas dabis cum apomelle, aut dulci hydroto sato. Is uerò qui uocatur cyuariticon, fugiendus. Est enim qui & febres accedant, & caput petat, ita, ut alienationes faciat. Vnde & melius est, si uirtus imbecillis uidetur, dare modicum cinidij aut hydromelon. Si autem micas de mundo pane non habent, qui infirmantur, ad accipiendum in aquam dulcem potionem accipiant, & zemon sine oleo factum, ac solam gallinam dabis, sed modicè, quibus uirtus imbecillis est, & cibum fastidiunt. Sed & pisces, & maximè cyclas. Est enim piscis, molli carne, & natura humidus, & digestibilis, quem & ptisanas maritimas uocant. Pectines autem qui dicuntur, & omnia ostracoderma fugienda sunt. De holeribus uerò: Holera prohibenda sunt, si aspera lingua non sentiatur, & sitis nimia non sit, & non febriat satis: quòd si febriat, nō est malum, si dederis maluas coctas in miscello, aut intubos. Similiter & mella danda sunt. Calidā autem aqua est ministranda, & mulsam calidam quotidie bibant.

Quæ in pleuretide seruanda diæta. Cap. XIIII.

ESCA eorum utilissima, succus ptisanæ, oryzæ, palmulæ Thebaicę, succus arnoglossę. Posca uerò bibenda est. Facit & fœnugręcum, si fusum in aqua coques cum carycis, & ut electuarium dabis in cibo: & pulte, & oua à pala, cerebellum porcinum uel agninum aut hędinum cum paruo sale & oleo.

Diæta stomacho existente frigido. Cap. XV.

DANDVM est uinum rubeum & cibi pingues, ac magis oleum habentes, phasiani, pingues carnes habentes. Carnes quoque porcorum pinguium, & olea. De holeribus, brassica tertiò cocta, & commixta cum apozimo in uino condito, caules ipsi similiter, aut rapę, aut polenta, id est, alfera, pultes, alica cum uino Tyro. De auibus autem, perdices, merulas, turdos, anates. De carnibus, caprina & ceruina. Poma etiam quàm maximè sunt fugienda. De tragematibus, uuę tantùm, & sufficiat.

Si de calore nimio fiat fastidium. Cap. XVI.

CIBOS dabis, panem mundum, qui utilissimus est in aqua calida acceptus, & oua dura hora diei tertia; & holera, intubas, & lactucas, ac maluas. Et de auibus domesticis, gallinas non satis coctas, & de anseribus extremas partes, & pectus de phasiano. Syluestria uerò omnia sunt prohibenda. De piscibus autem, utantur duras habentibus carnes, qualis est acerma, orphon, caclon, cerida, cocida & astopodes ac sepias, & ostragoderinas, id est astaginas, & ciretias, & pectines, etiam cochleas comedant: legumina, faseolos, fabam, oryzam, poma, mala dulcia, uuam duracinam, cedria, melonis carnes, & cucumeris interiora, & persica duracina; & balneis de aquis dulcibus utantur.

Si de glutinosis & pinguibus fiat. Cap. XVII.

DARE oportet ea, quę extenuare possunt humores; dabis igitur eis capparim in oxymelle compositam,

positam,& oliuas omnes,quæ in sale aut oxymelle condiuntur. Sed & sinapi forte ad subtiliandum cum melle & aceto manducatur.

Si de calida distemperantia fiat fastidium. Cap. XVIII.

DARE oportet quæ infrigidando iuuari possunt, maximè quæ de aceto conficiuntur. Poscam potui dabis, & panes ibidem infusos in posca,& oxygala & mela. Lactucas quoque & intubos atque aquam frigidam mediocriter.

Diæta cardiacis obseruanda. Cap. XIX.

MALIGRANATI grana sumpta,siue succus eorum acceptus,prodest:sed & mela non satis dulcia & mediocriter styptica,piraque,& persica duracina,uuæ quoque quæ austerum aliquid & stypticum habent,& panis in aqua frigida uel calida,si is qui patitur,sit temperantiæ satis calidæ,& in ore stomachi contineantur humores. De piscibus uerò,polypus,bulbus,& pectines, astaces,hysices,& uentres anserini,pedes etiam porcini,& quæcunque non facilè corrumpuntur,aut cetria foris mundata.

Si melancholicus humor uomicam exegerit. Cap. XX.

IN primis dabis eis ptisanæ succum, ac deinde mulsam aquosam.

Si ex cholerum plenitudine effusio nimia uentris uel uomitus existat. Cap. XXI.

OPORTET in potionibus & cibis frigidam & humidam uirtutem habentia adhibere. Igitur ptisanæ succus potus utilissimus est,& lactucæ datæ cum modico aceto similiter,& intubus,troximaque,& panis in aqua frigida infusus. Pisces omnes, duras carnes habentes. De carnibus uerò uel gallinarum pullis,uentriculos dabis. De pomis,quæ matura sunt,mela,pira,malagranata, & uuas quæ pependerunt. De tragematibus castaneas:dabis etiam eis potionem aquæ frigidæ aut omphacomellis, aut hydromellis, aut certè uinum modicum.

Diæta Sorani de peripleumonicis. Cap. XXII.

DABIS oua sorbilia & succum ptisanæ aut amylum sine liquamine, ex pipere mulsam quotidie ieiunus sumat: & quoties bibere petierit,ipsam bibat. in qua mulsa elixanda est ruta aut amygdalæ amaræ,aut hysopum seu origanum,aut poligonum. Nam & succus polygoni bene facit.

Diæta tetanicis. Cap. XXIII.

CIBI eorum solubiles esse debent,id est pultes nitidæ,uel cerebellum. Remouendum uerò est quod rheumatismum facit. &c.

De hepaticis. Cap. XXIIII.

DANDVS est succus ptisanæ & auenæ,danda est quoque amygdala ad edendum. Oua uerò prohibenda sunt,micas panis aut abatas aut coctas accipiant,sed non multum: omnia alia defrumenta fugienda sunt,qualia sint simula,hydri,pultes & placentæ. Pisces dabis echinos,pectines,batos,& pipiones & pisces uiscellatos. Dulcia autem omnia fugienda sunt & styptica,neque malagranata dãda sunt,neque aliud aliquod pomum,neque uinum dare oportet,& maximè ignitum. Vinum quod non est stypticum, utile est:dabis & apozima, quod fit de apij radice.

Diæta hepaticis calidioris distemperantiæ obseruanda. Cap. XXV.

DANDA sunt succus ptisanæ,& panes qui cum decoctione apij radicis colliguntur,intuba, cicoria,& occus. Hæc enim holera ad calidam distemperantiam iuuant,& frigidam non lædunt;& coriandrum in ipsa coctione admiscebis,& apium. Oua aut fugere oportet,maximè si dura sint;calida non dare,neque cedrum aut hydri. Si uerò supradictæ herbæ non sunt,dare poteris lactucas in uiscello coctas cum apij radice;sed & betas ministra his coctas,uel solas uel cum malnis,ubi & acetum modicum mittatur. De uolatilibus gallinas domesticas cum uiscello,supradicta holera in condimento habente; cyminum uerò aut origanum non est bonum. Perdices utiles sunt & phasiani. De anseribus uentres, cantulas, merulas, turdos,turtures,& minutas ministrabis aues. Anates autem & omnia quæ in paludibus degunt,aut rarò aut nullo modo dãda sunt. De piscibus uerò maximè marinos dari oportet;sed aspratiles,quales sunt,merulę scauri. His autem qui habent acredinem uel calorem,fortes sunt,nihil habentes mellis aut liquaminis,aut salem satis. De quadrupedibus aut offerendi sunt pulmones & intestina, aut ex eis scordola facta aut

mazachara. Poma autem dura & dulcia; mela uerò oportet assa & elixa cum gallina dare. Cùm autem assantur mela, non urantur, sed multo tempore assentur. De malis granatis etiam granula dentur ante cibum cum modico pane, & post cibum, uua duracina: & de utroque, quæ sunt mollia, & cerasia, pyra, & mespilas semel aut bis: tragemata quoque offerenda sunt, uuæ quæ dicuntur lapsanæ. Nuces autem & pistacia & nuclei pinei fugiendi sunt. castaneas uerò dabis. Diximus succum prisanæ utilem esse in hac causa. & ipsa grana lota danda sunt. Sed & holera, maximè intuba & trozima; propter quod & sola ipsa data, aut cum gallina, aut perdice, aut uentre anserino, aut cum carne aliqua cocta, bene facit. Holera etiam hæc aut cocta, aut cruda, utiliter dantur in hac passione.

Dieta frigidæ distemperantiæ hepatis, siue uentris. Cap. XXVI.

DANDVS est panis calidus ad edendum, aut per se, aut cum uino infusus styptico: de holeribus, brassica tertiò cocta in aqua mutata, & sic infusa in uino, est danda: sed quando condita est, aut edatur per se, aut cum intubo, aut ocymo, aut cum gallina, aut cum perdice, seu cum turdo, uel merula. Mãducare etiam oportet uentres anserinos & hysices, & carnes assas: sed rarius. Secunda diæta ordinanda est hoc modo. Punicum dandum est bene coctum, & pultes de milio. De piscibus dandi sunt merula, cossifus, cereda; castaneæ etiam assæ mediocriter, & non frequenter, & uuæ: confortãt enim. Pistacia & nucleos pineos & amygdalas fugere oportet. lac dandum est caprinum, aut uaccinum, cum petra fluuiali coctum. Aliqui etiam mel addunt cum lacte: oportetque spumam lactis, cùm feruet, tolli, & postea puluerem myrti aut sorbi sicci superaspergi. & de tragematibus, uuæ quæ reponuntur, utiles sunt.

Dieta dysentericis obseruanda. Cap. XXVII.

DE frumẽto pultes dandę sunt, sed alica plus digestibilis est. oryza minus nutrit, sed plus stringit. Pultes de farre & milio & de panico & Alexandrino pane & hydri dandæ; & pro condimento anethum mittas; pro oleo, adipem anserinum aut pullinum: sed antè coquantur ipsæ pultes in aqua, & sic mittas lac antè coctum & despumatum, ibidemque admiscẽs ros marinum & grana maligranati trita. Mela quoque & cydonia purgata & uuas tritas in aqua unde pultes fiant, antè coques sorbos aut pura cruda, aut matura, aut mala cydonia, aut mespilas, aut siliquas, aut dactylos: similiter & caseum recentem colabis per cribrum, & condes inde pultes, dabisque ad edendum: quòd si pultem recusant, alicam dabis eis, uel oryzam cum aqua in qua coxeris dactylos, aut damascenos, seu sorbos, siue reliqua suprascripta. De leguminibus uerò lenticula danda, cũ tollis corticem: & cùm purgata fuerit, rore marino & de adipe suprascripto cum modico aceto condies, & sale modico: & cùm fuerit cõdita, in modum sorbitionis cum ipsa pulte lenticulam ad edendum dabis. Ptisanæ per se non sunt stypticæ, sed laxant. At uerò de holeribus dabis plantaginem, intubas, maluas, coctam betam & bene expressam, & cum aceto tritam atque cõditam. Ea uerò quæ cruda manducari possunt, cum pane edantur. Brassica quoque uel caules montanæ bis coctæ impinguãt quidem, sed conspissant stercora: assumantur autem cum aceto, sale, & oleo condita. De maritimis uerò piscibus non multi sunt qui expediri possint, sed scorpænam accipiat cõditam aceto & cymino: sic etiam astago datur, ostreęque assata testa iuuat. Carnes uerò omnes sunt inutiles de agrestibus auibus, quod genus sunt turdus, perdices, turtures, merulæ, strumi; & columbi, & maximè pipiones omnes non saginati coquendi sunt in posca, & deinde assandi: melius si intrinsecus mittatur myrtus, aut sorbus tritus, succus aut incisus minutatim, aut mespila, aut pyra uirida, aut cydonia mala intrinsecus cocta, & deinde assata. De quadrupedibus omnes carnes prohibendę sunt, præter lumbos solùm porcinos, aut hœdinos, quos comedant. Oua quoque gallinatica elixata in posca donec indurescant; sublatos uitellos solos assabis super carbones, & cum aceto ac rore marino trito dabuntur ad edendum. In pultes etiam ros marinum mittes, aut desidia modicũ, aut gallæ, aut omphacij. In ptisana etiã coques ungues uitulinas, & comedat ptisanã conditam cum aceto. De pomis uerò, dulcia poma quæ uentositatem generant, prohibenda sunt. danda sunt pira, sorbi, mespilæ, ac mala cydonia, ac uuæ in olla aut fumo suspensæ, quas cum semine suo comedat, donec ipsum semen in ære minuetur. Ipsa uerò poma cum pane sunt manducanda; malagranata constringunt, sed corrumpunt. Dactili cum pane manducandi sunt.

Dieta splenericis frigidæ distemperantiæ. Cap. XXVIII.

PISCES aspratiles accipiat, & gallinas domesticas, phasianosque & perdices, & omnes aues, quæ in montibus degunt, & columbos à matre subductos. Carnem porcorum mediam ætatem habentium, & hœdos anniculos seu bimatos; & ptisanæ succum cum optimo melle ac pipere, sed & modico; quia omnia dulcia naturaliter contraria sunt: sicut est uinum dulce, quod & ipsum prohibendum est.

Dieta calidæ distemperantiæ splenis. Cap. XXIX.

CERVINAM carnem edant, à lenticula prohibendi sunt. Oryza & auellana sumendæ sunt. Panis de symula utilis est. Casei recentes & lactantes dandi sunt. Carnes autem recentes hœdinas, herinaceorum, spondiles, asparagos, brioniam, omnia in salsamento. uti autem uinum sit stypticum cum

cum calida temperatum. cōmodant etiam lactucas, blitos, atriplices, cucurbitas, ptisanæ succum. ac balneo de aqua dulci utantur. Dandi sunt autem eis & pisces aspratiles: & de auibus omnes, præter quàm quæ in aquis ac paludibus degunt.

Dieta hydropicis, siue hepate laborantibus. Cap. XXX.

PANIS clibanitis dandus est, habens in se seminum genera conspersa, anisi, cymini, fœniculi, & fenonij. De holeribus, apium, petroselinum, & daucum, erucam, pulegium, rapam & caules, atque alia quæ sunt his similia, accipiant, quæ extenuant uel euacuant & calefaciunt. De uolatilibus pullos, & aues agrestes magis, quàm domesticas, qualia sunt merulæ, turdi, turtures, uel minutæ aues, præter illas quæ saginatæ sunt. De piscibus aspratilibus uiscellatum cum aniso conditum aut pipere modico. De carnibus uerò, carnes agrestes, quales sunt ceruina, caprina, aprina, caprulina: lepores prohibēdi sunt. Fiat autem coctio eorum cum liquaminibus quæ extenuant cibos, & assatos magis iuuant. Legumina omnia sunt prohibenda. castaneæ & nuces accipiendæ sunt. amandulæ, pistaciæ, uuæ, dactilique rarò sunt accipiendi. Vinum Tyrium & Aloriconum maximè uetus plus omnibus propinandum.

Dieta hemoptoicorum. Cap. XXXI.

SIT omnis cibus eorum substypticus mediocriter. succus alicæ aut ptisanæ. melior est autem, si de amylo triticino fit ex modico melo coctus; cum ipse autem succo ptisanæ de amylo facto utaris & succo farris aut de simila bene facto, & micas panis accipias in aqua calida, & ouorū uitellos qui utiliores sunt, quàm ullam sorbitionem, aut quemcunque cibum calidum dare: sed omnia sint temperata, & magis ad frigorem inclinata, salis & olei non multum habentia. De holeribus uerò maluas & lappatas bene sine sale, & lactucas in posca coctas, & cum aquosa posca datas: sic & intubam & proporcaglam. Pullos & gallinas non saginatas, perdicesque & testiculos gallorum & uentres assata sine sale. De anseribus uerò dandæ sunt extremæ partes uentris, & de ipsorum ouis uitelli: & pedes porcini dādi sunt: & aspratiles pisces admixto aceto, ibi coquuntur. De leguminibus dabis alicam & citron & orizam multùm coctam: quando autem sine febre sunt, cum lacte coquantur. De pomis uerò mala cydonia elixa, pyra, sorba, mespila: & si sitiant, melones & cucumeris interiora, uuas quę suspensæ fuerint, uel quæ exiccatæ sunt. Ficus prohibendæ sunt, tragemata fugienda sunt: de quibus tamen dandæ sunt pistaciæ, amygdalæ, & malagranata & uuæ. & postquam sanguis quieuerit, calida aqua danda est in tota ægritudine.

Dieta nephriticis præscribenda. Cap. XXXII.

ASSIDVE calidam aquam accipiant in medio prandio: aut aquam frigidam, seu uinum frigidum, aut rosatum, aut uiolatum conditum prohibendum est, & hydrogarum, & omnia quæ cum pipere fiunt. Offerendæ autem sunt anserum extremæ partes, & aues quæ non sunt saginatæ. De pomis accipiant cucumeres, & quæ intrinsecus sunt melonis, ficus uirides, & siccas uuas. mela & pyra nec multū nec frequenter accipiantur.

Dieta ad renum inflammationem. Cap. XXXIII.

CVI uenter multùm currit, cibus dandus est is, qui tardius digeratur, qualis est alica cum rosato, aut chrysaticum, aut hydromel, seu modicum ferapreum. Holera uerò troxima, aut lactucæ & carnes steriles, aut pedes porcini, sed maximè bouini & gruini & hysicini. Pisces autem, qui duriores carnes habent, & melones præter semina, ac mela dulcia: fugienda sunt salsamenta, omnia quæ urinam mouent, echinos, amygdalas, pistacias, ficus, dactylos, castaneasque accipiant.

Dieta in coli passione quæ ex frigore fit. Cap. XXXIIII.

PANIS siliginis bene coctus dandus est, & apozima, ubi coctæ fuerint apij radices, aut anethum, aut cyminum, seu anisum. exinde spargenda est farina, & cum uino modico accipiant. quod si cum pipere conditam accipiant iuuat. Holera uero danda sunt, apium, porrum coctum, capita ipsorum cauliculique, asparagus, allia quoque accipiant. De auibus autem pipiones, columbos, & perdices, gallinasque domesticas: & condiantur cum aniso aut cymino, aut porro, aut apio seu pipere. De piscibus uerò aspratiles, & condiantur ex seminibus, quæ inflationem tollunt, aut cum allio. Carnes, si fieri potest, prohibendæ sunt donec sanentur. Legumina quoque, præter ptisanas, & hæ dum coquuntur, apij radices, aut comæ porri, aut pulegium, aut origanum, siue anisum, aut piper, seu amygdalæ simul coquantur. De tragematibus uerò expedit ut amygdalas edant, & maximè succum earum, admixto melle & modico pipere: de uino si purum detur, melius iuuat: de propoma, apiatum & anisatum, & leuistatum. Omnia enim hæc, eos qui de frigido humore dolores patiuntur, sanare possunt.

Si de cholerico humore coli patiuntur, quomodo dieta est ordinanda. Cap. XXXV.

DANDVS est ptisanæ succus, nullam habēs alicuius generis admixtionem, nisi modicum salis.

dabis & ouorum uitellos, frigida holeraque cocta, cruda, lactucas maiores & dulces, maxime his qui insomnietatem patiuntur, & omnia poma quæ infrigidare possunt: cucurbita prohibenda est. Carnes dabis, pedes bouinos & uentres, ac scrophinas steriles, & ungulas bene coctas, frigida poma, pepones, mela cum aceto: omnia poma quæ infrigidant, sumenda sunt.

Dieta podagricis ex cholerico humore. Cap. XXXVI.

OMNIS cibus, qui infrigidat & humectat, dandus est: qualia sunt, intuba, lactuca, malua, blita, brassica, chrysolaca, cardamum, eruca, porrum, allium, & cæpe fugienda sunt. Volatilia dabis, phasianos ac domesticos pullos, perdices, turdos, merulas, cantulas, ficedulas: pisces aspratiles, & maxime qui duras carnes habent. Veruecinas uero carnes manducent uiscellatas, & maxime ex his uentres, ac bouinas similiter: quando autem grauis est dolor, hæc non sunt danda, sed tenues cibi. Legumina dabis, fabas uirides & siccas, sed in aqua ante infusas, & faseolos similiter infusos. Alia legumina prohibenda sunt.

Dieta Galeni in febribus, & ephemera. Cap. XXXVII.

REFICE eos cibo, & uino subtili, quod sufficiat.

Dieta in quotidianis febribus. Cap. XXXVIII.

CIBOS eis dabis, ut est piper, ruta, cyminum, & alia similia, poto ante accessionem uino subtili albi coloris, & ipso modice calido temperato. Generaliter autem in accessione nihil eis dari potest. Post accessionem dabis eis pullos conditos cum pipere cyminoque, porrum coctum, de lactante pedes bene coctos, conditos de aceto & melle, ac pulegio, buccellas de siligine habētes modicum oleū: & si ætas fuerit, facies eis apozima de apio, foeniculo, petroselino, anetho, & aniso, & dabis eis bibere: & infra paucos dies hæc faciendo, liberabis ægrotum.

Dieta in tertianis febribus. Cap. XXXIX.

VSQVE in octauum diem nihil ei facias; post octauum uero die, dabis ei apozima, absinthium, & anethum per dies plures: & si sitis nimia fuerit, dabis ei apozima, ubi coquitur apium, bibere. De holeribus autem dabis eis, maluas, atriplices, lactucas, cucurbitas: de uolatilibus, alas pullinas, & gallorum testiculos, & oua sorbilia: de quadrupedibus, de lactante pedes, cerebella, armos: at uero poma, mela, persica: nullam autem acrimoniam, nec uinum, usque dum absoluatur febris. dabis & ptisanas.

Dieta quartanæ febris. Cap. XL.

IN primis dabis apozima, ubi coquitur epithymus, pulegium, satureia, & anethum. Cibabis eos napo & rapis coctis cum pullo, & uino subtili albo & pipere: & omnia quæ possunt esse calida, secure dabis eis.

Dieta senacum febris. Cap. XLI.

CIBABIS eos cibo subtili, ut est siligine & ptisana cum aqua bene cocta & modico sale. Lactucas elixas cum posca, atriplices, betas, cucurbitas, dabis eis & aquam frigidā bibere. Post septem uero dies, dabis eis bibere, dabisque eis in escam intubas, lactucas, maluas, betas, & atriplices. De uolatilibus, phasianos, pullos iuuenes, perdices, merulas, turdos, turtures, & pipiones. De piscibus generaliter, quantos inuenis albas carnes habentes: quod genus sunt aspratiles, & molles, nullam duritiam habentes: secus dabis eis & fluuiales pisces, hoc est saxatiles, sumena, acerma, sepia, pectines quoque & ostreę. Securus etiam dabis ueruecinam carnem bene coctam, pantices de uacca, & de porco pedes & cerebella, musculumque de porcello & pedes. De leguminibus, fabam bene coctam, faseolum, & foenugræcum, alicam bene coctam cum rosato habente modicum mellis, & ptisanas. De pomis uero, persica, & dura cedria mundata, ablatis corticibus, uuas etiam maturas. Dabis quoque malagranata comedere, & alia poma cum reuerentia, modumque dabis ad manducandum: melius tamen est, si omnia non manducant. De opere autem pistoritio noli dare: castaneas bene coctas, nuces ponticas, nucleum pini, aut amygdalas remoue. Cydonia uero bene cocta dabis ad manducandum. noli excitare eos nimis post prandium, sed si uoluerint ante prandium, & ipsum modice. & si uis in hebdomada balneare debes, non est contrarium; tamen post pausationem prandij balneas offerre, aut nocte eunti dormitum. Ipsum uero balneum ex dulci aqua fiat, non ex salmacida. & antequam ægrotus ingrediatur in calorem, aqua frigida perfundas eum. & cum ingressus fuerit in calorem, modicum sudet, & postea unges eum tepara de oleo & aqua calida facta. & post unam horam, stet, sed non sudet, & descendet in solium optimum. & cum egressus fuerit, de oleo & aqua frigida eum perfundas, totumque corpus & pedes iterum lauabis. & post balneum, ad præsens non des ei bibere, sed in medio prandio unum calicem aquæ frigidæ bibat. quod si hyems fuerit, calicem aquæ calidæ accipiat, ac uinum conditum nullatenus accipiat.

Quę nam

Quae nam diaeta in paralysi seruanda. Cap. XLII.

QVI paralysi obnoxius tenetur, omnem piscem, qui squamam non habet, omnem etiam auem, quae in palude moratur, non comedat, sicut anseres, anates, & stagnariles pisces qui limū habent. Pulpum uerò saepiam & omnem ostream, omneque legumen, quod restrictionem facit, azimum, hordeaceum, miliū, panicum, caules, uel betas, rapas, melones, cucumeres, cucutias, sorbas, mela, mogarum, ochynum, mannam, carnem porcinam, caprinam, caseum & lac uaccinum atque caprinum, frisionem, columbam, porrum crudum, cepulam, coriandrum, allium, citrium, malum granatum, cerasia, pruna, cydonium crudum, panem infusum in uino, lactucas, intubam, daucum, maluas, pineas, fungos, uuasque nigras edant; uinum praeter album non bibant, neque dulce, neque conditum: mustum usque in Nouembrem mensem non bibant. Idque etiam obseruandum est, ne folia sinapis comedant, nec cocta nec cruda.

Vniuersalis ratio uictus. Cap. XLIII.

OMNEM aspratilem piscem, uidelicet ut sunt lupi, corui, pisces de flumine, qui petram habent, ut tructi, squalij, comede: sed non multùm carnem porcinam, gallinas syluaticas, pullos, perdices, phasianum, gruem, merulas, turdos, oua sorbilia, uel modicum caseum pecorinum, modicum cappari: similam, alicam, porrum coctum ex aqua, stafisagriam, asparagos, pastinacas, foenugraecum, semen satureiae crudum & coctum, mentham, rutamque pro desiderio comede: erucas in uiscello interuallo, & ipsas apium & petroselinum cocta: interuallo apij & petroselini uirides radices. modicè pro desiderio apij semen, amandulas, ficus siccas & uirides, modicè, & ipsum cum pipere, uuas passas & uirides albas modicè & interuallo costum, spineam, sinapis semen interuallo, foeniculi semen, modicè, cydonia assa & cocta modicè. Vinum uerò album & leue, Graecumque bibe. Super omnia, cautè homini agendum est, & de pluuia cauendum primo uere & autumno, semperque ad uentrem accipiendum est, qui ipsos humores deponat.

Si quis syringiones in carne habuerit. Cap. XLIIII.

ABSTINENDI sunt à carne bubula, porcina, anserina, ungula, & ab omni legumine.

De obseruatione totius anni, ut sanus custodiatur. Cap. XLV.

AB octauo Calendarum Ianuarij, usque in diem octauum Calendarum Aprilis, utendum est calidis & optimis cibis, nec uino abstinendum. Ex die sexto Calēdarum Aprilis in quartum idus Maij, utendum beneolentibus, sed acrioribus cibis, labore corpus exercendum. Ex die quarto Calendarum Maij usque in diem octauum Calendarum Iulij, usque in diem septimum Calendarum Octobris, utendum est frigidis ac dulcibus & beneolentibus, parcius laborandum, & duodecim diebus proximis Venereo usu obseruantissimè abstinendum. Ex die sexto Calendarum Octobris, usque in diem septimum Idus Nouembris, utendum est acidis acribusque quibuscunque escis, minimè laborandum. Ex die sexto Idus Nouembris, usque in diem octauum Calendarum Ianuarij, utendum leuibus cibis, uino indulgendum, parum bibendum, nec Venere abstinendum.

Haec (ut dixi) obseruans, incolumi sospitate uitae spatia transcurres, & nulla indigebis expectatione medicorum.

FINIS.

Marcellus Lectori S.

Perlegi, ociis datis, non sine ingenti labore, & animi contentione incredibili, vel etiam cum stomacho, hunc commentarium, falso sub nomine Plinii secundi editum; cum ex historia temporis, & rerum tractatarum varietate, ac stili dissonantia, certo deprehenderim, hunc autorem Plinio illo aliquot seculis inferiorem; quippe qui & Galenum saepe meminerit longe posteriorem. Et tamen non diffiteor, multa hic ex Plinio assumpta, & suis apposita locis, ut saepe verbis nihilum immutatis. Quae omnia tot mendis respersa erant, ut omnem leporis gratiam (quae saepe verbis inest, sub stilo tamen saepius dissimili) talis foeda spurcitia verborum, & sensus corruptissimi deturparent. Quae si non omnia sanus, multa coniectura artificiali fisus emendare potui: tamen cum haec addidi, ut deinceps legi & intelligi a bonis & cordatis viris queant, cum aliquam nostri gratiam; quae una tot difficultatum exantlatarum merces proposita expectatur. Vale.

Turonibus Idib. Octob. 1575.

L. APVLEII MADAVRENSIS,

PHILOSOPHI PLATONICI, DE HERBARVM VIRTVTIBVS HISTORIA, QVAM CHIRONI CENTAVRO, ET AESCVLAPIO ACCEPTAM RETVLIT.

De Arnoglossi nominibus uirtutibusq́; . Cap. I.



GRAECORVM alij arnoglosson, aliqui arnion, alij probation, alij cynoglosson, alij heptapleuron, alij hepataneuron, alij polyneurō, alij chirsion; Prophetæ Vranichneumanos, Aegyptij Asuth. Galli Tardos, Lotios: Hispani Thasaricam: Daci Simpeax: Punici Artiercon uocant: Romani plantaginem latam, alij plantaginem maiorem, alij Septenerуiam. nascitur paludibus plurimum, & pratis.

Græci ἀρνὸν agnum uocant, γλῶσσαν uerò linguam. Rursum quòd sæpe adnata habeat germina in longitudine, septem lateribus similia, Græci ἑπτάπλευρον uocauerunt. Cæterùm sunt eius species duæ: nam quæ heptapleuros appellatur, est maior forma, & folijs ornatioribus & latioribus & neruosis. nascitur in uallibus atque hortis, necnon & paludibus plurimùm & in pratis. estque magis constrictiua. Alia uerò minor atque nigrior, lenior & tenuior. Nascitur in chartarijs locis, sed in usum uariè adhibetur.

*Dolori capitis medendo prodest.

Herbæ plantaginis radix in collo suspensa, capitis dolorem mirificè tollet. *Ventris dolori curando. Herbæ plantaginis succus tepefactus, fomentando, uentris dolorem tollit: & si tumores fuerint, tusa & imposita, tollit tumorem. *Interioribus malis succurrendis.

Herbæ plantaginis succus potui datus, & interiora sanat, & thoracem purgat mirificè.

*Dysenteriæ compescendæ. Plantago cum lente cocta, & manducata, stringit uentrem.

His qui purulentum cum sanguine excreant. Herbæ plantaginis succum dato bibere, sanabuntur. *Vulneribus sanandis. Herbæ plantaginis semen tusum, in uulnus sparsum, uulnera citò sanabit: & ipsa tusa, & imposita, refrigerat ea loca quæ nimio calore urgentur, & persanat.

*Ventri sistendo. Ad uentrem stringendum, plantago ex aceto cocta, in mero bibatur mensura unius cyathi. Serpentium morsibus excludendis.

Herba plantago trita ex uino sumpta, commodo erit. Scorpionum morsibus.

Plantaginis radix alligata, mirè prodesse creditur. Lumbricis purgandis.

Herbam plantaginis contundes, & succū eius de cochleario, uel de ligula dabis bibere; ipsam quoque herbam tusam umbilico imponito. Si qua durities fuerit in corpore.

Herba plantago pisata cum axungia sine sale, instar malagmatis facta & imposita, durities discutit.

In febre quartana, Herbæ plantaginis succus in aqua mulsa ante duas horas accessionis potui dato, & miraberis effectum. Podagræ & omnium neruorum dolori & tumori.

Herbæ plantaginis folia contusa, uel pisata cum salis modico, & imposita, optimè facere certum est.

Tertianæ curādæ, Herbæ plātaginis radices treis cōterito, & sub accessione cū uino aut ex aqua ieiunus bibat. Secundæ doloribus. Plantaginis semen contritum, & potui datum, prodesse creditur. Vulneribus recentibus. Herba plantago contusa, cum axungia uetere sine sale imponitur, & laborans sanus efficietur. Si cui pedes tumuerint ex itinere.

Herba plantago contusa cum aceto imposita, tumorem tollit.

Si cui ulcus secus oculum siue nares natum fuerit:

Herbæ plātaginis expressæ & contusæ succo, lana molli madefacta, & imposita, per dies nouem curat.

Ad dysentericos & torminosos.

Herbæ plantaginis semen tritum pro polenta in uino calido bibat, & sanus efficietur.

*Ad parotidas. Herba plantago cum axungia ueteri pisata & imposita, parotidas sanat.

*Ad ulcera oris. Herbæ plantaginis succus, & folia eius cocta in ore teneantur, & radix eius in ore commanducatur. *Ad fistulas sanandas. Herbæ plantaginis succus fistulis infunditur, & facillimè medetur eisdem. *Ad morsum canis rabiosi. Herba plantago tusa & imposita, morsibus caninis auxilium præstat. Contra omnes uesicæ difficultates.

Herbę plantaginis folia uel radices ex passo fortiter medentur.

Nomina & uirtutes Pentaphylli. Cap. II.

GRAECI Pentaphyllon, alij pentapeges, alij pentamonon, alij pentapontes, alij pentadactylon,

lon,alij pseudoselinon,alij callipetalon,alij xylolothon,alij aspalton,alij pentacoenon,alij thymiatitin: Aegyptij orphite biocen,alij themonestron,alij æthotro; Prophetæ Ibeos onyx, (hoc est unguem ibis)alij pteron ibios, (id est pennam ibis) alij hermodactylon,alij hermubotanem; Galli pompedulon, Daci propedula,alij drocila; Itali quinquefolium,alij manum Martis. Nascitur locis pratensibus,cultis ac mundis, gustatu aspero,lacte molli: folia mentham referunt, singulis sæpius quina,flore pallido,radice longa atque subrubra.

Ad uitia artuum,etiamsi percussi sint.

Herba quinquefolium cum axungia uetere sine sale imposita sanabit. Ad uentris dolorem.

Quinquefolij succi dabis bibere cochlearia duo,sine mora dolorem tollet. Ad uitia oris,linguæ, & gulæ. Quinquefolij radices ex aqua coctas dabis ut gargarizentur. Ad capitis dolorem.

Herba quinquefolium circumscripta ter digito medio, & pollice sublata,contrita,& capiti illita, efficaciter sanat. peracto remedio,loco puro reponi conuenit. Ad sanguinem naribus profluentem.

Herba quinquefolium pota,uel illita,restringit mire. Ad morsum serpentis.

Herba quinquefolium contrita, si potui datur cum uino,mire succurrit. Ad ambusta.

Herbam quinquefolium potatam prodesse,plures auctores affirmant. Ad cãcrum exiccãdum.

Herbam quinquefolium cum uino & cum adipe ouillo ueteri sine sale pisatam de ligno in lignum,uino sane ueteri aspergis,& sic imponis,remque unicam experieris. Leges eam mense Augusto.

De Hierabotanes herbæ nominibus facultatibusq;. Cap. III.

GRAECI hierabotanen,alij peristereon,alij hierebotanon,alij orthon,alij diosatin, alij pecorobon,alij panchromon,alij colletis; Demetrius & Aesculapius Cyparisson; Pythagoras erisceptron,alij aristeron; Aegyptij pempsempte; Prophetæ Herasdacryon; Itali uerbenacam,alij liciniam, alij lustraginem, alij columbinam,alij militariam,alij uertipedium,alij cristam gallinaceam; Græci rursum trigonon,cameliton, sideretin, curitin, persephonion. Nascitur ubique in planis & aquosis locis,folijs subalbis & uelut incisis, radice simplici atque tyrso, uirtute redarguenti, quam stypticen uocant. Est quæ uulnera conglutinat, atque putredines abstergit. est autem columbis esca iucunda.

Ad ulcera & parotidas.

Herbæ uerbenacæ radix in collo ligata,summe proficit. Ad strumas & parotidas.

Herba uerbenaca tusa & imposita,mirifice sanat. Ad eos qui induratas uenas habent,& cibos nõ recipiunt. Herbæ uerbenacæ succus datur bibere; sed cocta postea miscetur cum uino, & melle, & aqua: & statim sanat. Ad hepatis dolorem. Herba uerbenaca solstitio lecta, in puluerem redacta,robusto dabis cochlearia quinque,ex uino quàm optimo,cyathis tribus potui sumpta,mire proficere creditur: cæteris pro cuiusque uiribus sic dabis. Ad calculosos. Verbenacæ radix contusa ex mulso optimo tepido data,incredibiliter calculosis succurrit: nec solum ipsis calculosis, sed & quidquid esset,quod urinam impediret,celeriter reducet. Ad capitis dolorem. Herbæ uerbenacæ corona facta,& capiti imposita,dolorem capitis tollet. Ad serpentium morsus. Herbam uerbenacã cum suis folijs & radicibus,quisquis offultam cinctamque secum portauerit,ab omnibus serpentibus tutus erit. Ad morsum araneorum,quos Græci phalangios uocant. Herbæ uerbenacæ ramulos ex uino decoctos & contritos,deinde quod acetauerit, plagæ impones,& adaperiet: postea crudam cum melle contritam in ulcus audacter insertam,mature ad sanitatem perducere,certus auctor affirmat.

Ad morsum rabidi canis & hydri. Herbam uerbenacam in uulnus adponito, tritici quoque grana integra indita uulneri,donec humore remollita expleant: iam tumida proijcito illa gallinæ. si non appetit,simili modo alia grana conijcito: si sic esse cœperint,periculi sublati signum erit.

Ad uulnera recentia. Herba uerbenaca contrita cum butyro, uulneri imponitur.

Ad morsum serpentis. Herbæ uerbenacæ ramuli ex uino decocti & contriti, si cæca erit plaga,cũ tumore impositi,adaperiunt primum,exulcerãt deinde: postea crudi cum melle contriti,& ulceri inserti, donec ad sanitatem (quod celeriter fit) perducunt, imponuntur.

Morbo regio laborantibus, auruginosis'ue.

Herbæ uerbenacæ drachma una,& nardi oboli tres,baccæ crudæ foliorum expressus succus,& paulułum myrrhæ contritæ,ex aqua cyathis tribus potui data,expellere morbum creditur.

Symphoniacæ Hyoscyami'ue nomenclaturæ atque uirtutes. Cap. IIII.

A GRAECIS Hyoscyamos dicitur,& Dioscyamos; alij adamantem,alij Pythonion,alij adamnon,alij hypnoticon,alij Emmanes,alij auginon,Pythagoras Propheten,Ostanes Xelechion,Zoroastres Typhonton,Latini insanam uocant,aliqui Apollinarem,alij Laterculum,alij Symphoniacam, alij calicularem appellant: alij Dentariam; Punici Gingan,Aegyptij saphtho,Phryges Remenia,Tusci Fabam lupinam,Galli bellinuntiam,Daci dieliam, Prophetæ Aegyptij Ligeam. Thyrso fruticoso: multis ramis, nigris,scissis,hirtis: balanos generans, ut sunt Atali punici, ampulantium appellatum, obstruosos quidem & semine plenis,paulò longiore papauere. Sed sunt differentiæ eius tres. Nam altera flore purpureo, & semine nigro: altera flore nigro, ac semine fuluo. sed utraque sumentibus insaniam parit. Appellata denique est,insaniã faciens,Mania poetis. Tertia semine atque flore albo,nascitur locis cultis,

& sabulosis,& hortis, & littoribus rudentibusque. eius succus similis est μήκων (id est papaueri) herbæ. Medetur hyoscyamos ille ergo candidior,& has uires habet. Ad aurium dolorem.

Herbæ symphoniacæ succus tepefactus in aurem instillatus,aurium dolorem mirè tollit : etiam si uermes fuerint,necat. Ad dentium cruciatus. Herbæ symphoniacæ radicem coctam cum uino austero sorbeat,& teneat eam in dente qui laborat,mox sanat dolorem. Ad tumores cuiuscunque partis corporis. Herba symphoniaca tusa,& imposita,tumorem tollet. Ad inguinum dolorem. Symphoniacæ radix alligata femori,& tumorem & dolorem inguinum tollet. Ad pedum dolorem. Herba symphoniaca alligata,pedum dolorem & tumorem tollet. & tusa eadem cum sua radice,& super pedes posita,mirè dolorem & tumorem pedum tollet. Ad iocinoris & pulmonis uexationem. Herbæ symphoniacæ succum potui dato,& cum summa admiratione sanabit.

Ad pectinem, mulierum dolorem.

Herbæ symphoniacæ succum mixtum cum croco in potione propina,& miraberis effectum.

De uiperinæ appellationibus & potentia. Cap. V.

GRAECI eam Phlemon,Echidnon,Herpyzon;Latini hinnulam,uiperinam, serpentariam, & radicem Macedonicam nominant. Nascitur secus flumina uel segetes, folijs mollibus, gustu aspero.

Ad uiperarum morsus.

Herba uiperina trita cum uino,potui data,mirificè morsus sanat, & uenenum discutit.

Nomina & uirtutes Acori. Cap. VI.

A GRAECIS dicitur Acoros, Choros, Aphrodisias,Gallis piperapium, Italis ueneria,Radix nautica & Singentiana & Vnguentiana. Nascitur locis cultis & hortis ac pratis. Leges eam mense Augusto. Ne apes examinent,& diffugiant.

Herbam Veneriam in uase apum suspensam habeto, & nunquam seducentur : hæc sane herba rarò inuenitur,nec eam scire quis poterit,nisi cùm flosculum emiserit. Ad dysuriam & stranguriam.

Herbæ ueneriæ radicem ex aqua decoctam ad tertias,dabis bibere per triduum, mirificè urinam deducet, & stranguriam sanat.

Nomina & uirtutes Leontopodij. Cap. VII.

GRAECI Leotopodion dicunt, ijdem leontopetalon, ijdem Prapapilon, ijdem thorybetron, ijdem Lacethon, Aphæresin, Lacithron, Leuceoron, Orobethron, prapedion, Leonchosremon, topon platyphyllon;Dardanus cacalia, Punici guddubal: Latini flammulam uocant Veneris, ijdem Brumatiam, pauerculum,& pedem leoninum. Nascitur sæpe cum tritico, thyrsis bipalmis, furcosis, in quibus ueluti lanæ binæ uel ternæ semen continentes,folijs cauliculi agrestis similibus, radice nigra,rapæ simili. Nascitur etiam circa campos,& circa fossas & harundineta.

Si quis deuotus defixusque fuerit, sic eum resolues.

Herbæ leontopodij frutices sine radicibus coquito ex aqua, Luna decrescente, lauato eum,& te qui facis,ante limen extra domum prima nocte,& herbam incende aristolochiam,& eum suffumigato,& redite ad domum,& ne post uos respiciatis,resoluisti eum.

Botrocij seu sceleratæ Synonyma atque uirtutes. Cap. VIII.

GRAECI Botrotion dicunt, aliqui Choran,alij glorophin,alij Nileon,alij staltice,alij causticen, nechon,ijdē,alij clorozphin,alij rhosolino,alij catacausticen,alij pheotion,alij licopnun, alij seleno agrion, Aegyptij sycarcadana,ijdē nemecō. Latini apium rusticū,ijdē apium risus,ijdem herbam sceleratā. Nascitur locis humidis & aquosis : si quis hominum eam gustauerit,ridendo exanimat : habet enim uirtutem causticam. Sunt eius species quatuor, quarum altera cum folijs pinguibus & crassis & latis, colore albo, alia subalbo,alia uelut nigro, alia cum flore simili uel purpureo. Thyrso cubitali,minimè robusto,radice alba cum adnatis germinibus,uel erumpentibus,tanquam in helleboro. Nascitur autem in stagnosis, uel umbrosis locis. Secunda est longioris thyrsi, ac folijs hirtis & incisis,gustu acerrimis. Nascitur sæpe in Sardinia. Tertia est breuissima,tetri odoris, atque incendiosa,cum floribus aureis. Quarta est cum floribus lacteis. Ad ulcera Chironia.

Scelerata herba tusa cum axungia,sine sale imposita, uulneri excomedet: & si qua fuerit sordes,expurgat. sed non diutius patiaris,quàm necesse est, ne & corpus sanum exedat. Si argumentum rei experiri uolueris,tunde eam,& super manum sanam impone & alligato,& continuò corpus arrodit.

Ad strumas & furunculos.

Herba scelerata tusa,& subacta cum fimo porcino,imposita strumis uel furunculis, intra paucas horas discutit, & pus eijciet.

De batrachio. Cap. IX.

NASCITVR locis sabulosis & campestribus,aquosisque. radix eius uerticillo similis est. radiculas

culas paucas & tenuissimas habet. uirtutes porrò has possidet. Lunaticis præsidio est. Batrachion si lunatico in ceruice ligetur lino rubro, Luna decrescente, cum erit signum Tauri & Scorpionis parte prima, repentè sanabitur. Ad nigras cicatrices. Herba Batrachion tusa cum sua radice mixto aceto, imposita his qui habent cicatrices nigras, exedit eas, & similem corpori reliquo reddit colorem.

De artemisiæ nominibus & uirtutibus. Cap. X.

ARTEMISIAM Græci Toxatin appellant, alij Toxitesian, alij Ephesian, alij Caristelotiar, alij Parthenicon, alij Hypolysson, alij Lian, alij Anactorion, alij Sozusam, alij Leucophyca. Prophetæ Hemathropu, (id est sanguinem hominis) alij Onicantem, alij Chrysanthemon, alij Theonisin, alij Busbasteoscardian, alij Osta anthropu, alij Hæmacronu, alij Gonosephelu, alij Philaterion, alij Lachanon Basilicon, Aegyptij Anesen, alij Neiasar; Pythagoras Pexasiri, & Toxobolon; Galli Ponem, alij Titumen; Daci Zyred, alij Zonusten; Itali Serpillū maius, alij Sirium, alij Valentiam, aliqui Artemisiā, nō pauci Persepollentem. Nascitur locis lapidosis & sabulosis. his uirtutibus prædita est. Faciendo itineri prodest. Herbam Artemisiam monocaulon, si quis iter faciens, eam secum in manu portauerit, non sentiet laborem itineris, fugat & dæmonia: & domi posita, prohibet mala medicamenta; auertit oculos malorum hominum. Ad pedum dolorem. Artemisia tusa cum axungia & imposita, pedum dolorem tollet. Ad intestinorum dolorem. Herba Artemisia pisata, & in puluerem redacta, cum aqua mulsa potui data, intestinorū dolorem sedat.

De artemisia tagete. Cap. XI.

Ad uesicæ dolorem & stranguriam.

ARTEMISIAE herbę succus ex uino duabus uncijs exhibitus, uesicę dolori ac strāgurię præsidium est. Ad febrem conducit. Herbę artemisiæ succo ex aqua calida febricitanti cyathis duobus potui dabis. Item artemisiæ succus cum rosaceo febrientem perunges, & curabitur. Ad coxarum dolorem. Herbam artemisiam, quæ tagetes uocatur, tundes cum axungia, & aceto bene subiges, & impones, & alligabis, tertia die sanabit. Ad neruorum dolorem & tumores. Herbam artemisiam tusam, cum oleo bene subactam impone, mirificè sanabit. Ad uehementem pedum dolorem. Artemisiæ radicem ex melle dabis manducare, & ita purgabitur, ut uix credi posset tantam uirtutem eam habere. Hanc herbam si confricaueris, lasaris optimi odorem habet.

De artemisia, quam leptophyllon cognominant. Cap. XII.

NASCITVR circa fossas & aggeres, in agris itē frumētarijs. flosculū eius si contriueris, sampsuci odorē habet. Ad stomachi dolorem. Herba artemisia tusa, & cū oleo amygdalino bene subacta, more malagmatos induces panno mundo & impones, quinto die uexationem stomachi sanabit. Et si fuerit eius artemisiæ radix super limen ædificij suspensa, domui ei nemo nocebit. Ad neruorum dolorem atque tremorem. Herbæ artemisiæ succo cum oleo rosaceo mixto perunges eos, & desinent esse tremuli, & omne uitium tolletur. Has artemisiæ treis species Diana dicitur inuenisse, & uirtutes earum & medicinam Chironi Centauro tradidisse, qui primus de his herbis medicamenta instituit. Has autem herbas ex nomine Dianæ, quæ ἄρτεμις græcè dicitur, artemisias nuncupauit.

De lapatho. Cap. XIII.

LAPATHVM alij Rumicem ferè dicunt. Nascitur locis sabulosis & aggeribus.

Ad paniculam, quæ in inguine nascitur.

Lapathum herbam contundes cum axungia uetere sine sale, sic ut axungia duplo plus sit, quam herbę, & his bene commixtis facies turundulam, & uolues in folio cauliculi, & immittes eam subicitus calidam: & cum calcauerit, tunc impone paniculæ, & panno ligabis. hoc quidem eximium est, & omnium optimum.

Draconteæ nomina & uires. Cap. XIIII.

A GRAECIS dicitur Dracontea, alijs Asclepias, alijs Phytonion, alijs Anchomanes, alijs Sancromaton, quibusdam Aphryssan, aliquibus Thereon, nonnullis Sceon, item Dorcadion; Prophetæ Thyphonon uocant, alij Corcodrillion, alij Ostanes, Zoroastes Theriophonon; Aegyptij Eminion; Itali herbam Draconteam & Columbrium. Daraconis sanguine nata fertur esse Dracontea. Nascitur montibus summis, ubi sunt laci, maximè locis sanctis, terra Apulia, super saxis; tactu molli, gustu dulci, tanquam castanea uiridis. saporem radix ima caput draconis habet. Ad omnium serpētium morsus & aspidis. Herbæ draconteę radix ex uino trita, tepefacta, potui data, uenena discutit. Ad ossa in corpore fracta. Herbæ draconteę radix cum axungia, facta quasi malagma, ossa fracta de corpore educit, & lapides extrahit. Leges eam mense Iulio.

Nomina & uirtutes satyrionis. Cap. XV.

GRAECIS dicitur Satyrion, alijs Cynosorchis, alijs Entaticon, Eriton, Panion, Serapiõ, alijs Orchis. Aegyptij Menem, Galli Vram, Itali Priapiscon, alij Torminalem, alij testiculum leporinum nominant. Nascitur in montibus, locis solidis & cultis, in pratis item & locis maritimis.

Ad ulcera difficilia & cicatrices, uires habet.

Herbæ Priapisci radices tusas ulceribus impones, & repurgat, & cicatrices claudet. Ad lippitudines oculorum. Herbæ Priapisci succo oculos inunges, & lippitudines & dolores tollet sine mora. Si quis mulierem subagitare non poterit: Herbæ Priapisci radicem, id est testiculum dextrum, quia maior est, & piperis albi grana quadraginta septem, mellis uncias treis, in uino optimo medicamẽ soluis, & pondo scrupulorum nouem per triduum sumes. Leges uero eam mense Iulio.

Nomina & uires gentianæ. Cap. XVI.

GRAECIS Gentianam, Aloen Gallicam dicunt, alij Narcen, aut Chironiõ, Dardanus aloetis, Itali Gentianam, alij Comitialem aut Ciminalẽ. Nascitur gemellis mõtibus & locis umbrosis hęc herba. Facit autem ad omnia antidota, tactu molli, gustatu amaro, scapo solido, uirtutes habet. Contra serpentiũ morsus. Herbæ gentianæ radicem siccam & in puluerem redactam pondo drachmæ unius dabis in uino cyathis tribus, sumptumque ualidissime proderit.

De cyclamini synonymis & uiribus. Cap. XVII.

GRAECIS quibusdam dicitur Cyclaminos, alijs Cyssanthemon, alijs Cyssophyllon, alijs Chelonion. Zoroastres Cylinen Chillena'ue, Trimphalites Osthanes, Prophetæ Asphet, (aut Aspho) alij Measpho, Aegyptij Palalia, Itali Titothos, alij Orbicularem, alij rapum terræ, alij rapum porcinum; Syri Elardia. Nascitur locis cultis aut montuosis. Ad caput.

Herba Orbicularis naribus immittitur. Ad aluum concitandum. Herba Orbicularis in collyrium facta, & eo iniecto catarticum est. Ad splenis dolorem. Herbæ orbicularis succum cyathum unum, & aceti optimi cochlearia quinque, diebus continuis octo potui dabis, miraberis effectum. Item radix eius in collo suspensa, ut contra splenem pendeat, efficaciter medetur. Nam & cyclaminis succo quisquis anum tetigerit, mira celeritate alui solutionem experiatur.

Polygoni nomina atque uirtutes. Cap. XVIII.

POLYGONON, alij Cynochalen, alij Polygonaton, aliqui Asphalton, alij Chiliophyllon, alij Polycarpon, alij Carcinethron, alij Cnopodion seu Crinopodionton, alij Myrtopetalon, alij Zaclian, aliqui Pedalinon Petalon'ue uocant: Aegyptij Thephin, alij Stemphin, Prophetæ Gonos Herois, siue Gonoreronos, aliqui Onyx Myos; Itali Sanguinariam, alij Proserpinacam, alij Sorpinacam alij Statunariam, & quidam Miserdiuinum. Nascitur ubique locis cultis & aggeribus. Legito eam æstiuo tempore.

Ad eos qui sanguinem reijciunt.

Proserpinacæ herbæ succos cum uino optimo & austero sine fumo tepefacto sanguinem excreans ieiunus bibat per dies nouem, miram certe rem experieris. Ad lateris dolorem. Herbæ proserpinacæ succo cum oleo rosaceo, si eos sæpius perunxeris, dolorem tollet. Ad mamillarum dolorem mulieris, quæ lactem habet & tumorem. Herba Proserpinaca tusa, & cum butyro subacta imposita, discutit mire tumorem & dolorem. Ad oculorum uitia. Herbam Proserpinacam accede ante solis ortum uel occasum, & circũscribes eam anulo aureo, & dices, tollere te remedium oculis; deinde post triduum ante solis ortum sublatam circundabis diligenter, proficiet. Ad dolorem aurium.

Herbæ Proserpinacæ succus tepefactus, & auri instillatus, dolorem mirifice discutit. id quod etiam ipsi experti sumus. tam potenter, inquam, proficit, ut & ulcera quoque aurium sanet. Ad dysentericos.

Herbæ Proserpinacæ foliorum succus cum aqua calida potui datur, quãtum tibi uidebitur; & sanus dubio procul efficietur.

Nomina & uirtutes aristolochiæ. Cap. XIX.

ARISTOLOCHIAM Græci Ararezan uocant, alij Ephestion seu Hephesian, alij Helestitin, alij Pyxionicem, alij Melecapron, alij Melocarpon, alij Teuxinon, teuxitemon'ue, alij Dardanon, alij Iontitin; Aegyptij Sophospli, alij Chamæmilon, alij Opetin; Itali malum terræ, Daci Absinthium rusticũ, Scardian. Nascitur locis montuosis, solidis, calidis, & cultis. Contra uim ueneni.

Herba Aristolochia trita uel pisata cum mero potui data, uim ueneni uincit. Contra febres acerrimas. Herba Aristolochia sicca suffumigabis febricitantem, & hilariorem eum facies. fugat etiam & dæmonia. Ad fistulas. Aristolochiæ radix fistulis inserta, celeriter expurgat, & ad sanitatem perducet. Medici quoque sine ea nihil feliciter percurare possunt. Frigore exustis.

Herba

Herba aristolochia ex oleo usque ad calefactoriam uim habet cum axungia porcina. Contra serpentium & hominum morsus. Radices aristolochiæ pōdere denarij unius in uini hemina sępius potæ, discutiunt uenena serpentis. Si infans contristatus fuerit. Herba aristolochia suffumigabis eum, & hilariorem eum facies. Ad carcinomata quæ naribus nascuntur. Herba aristolochia cum cypero, & dracontei semen cum melle impositum emendat.

Nomina & uirtutes nasturtij. Cap. X X.

GRAECORVM alij Cardamon, alij Cynocardamon, alij Hiberis, alij Cardaminaeam, Aegyptij Semeth, Itali nasturtium. Ad caput deplendum. Herbæ nasturtij succum si naribus induxeris, caput deplet. Hoc nasturtium non seritur, sed per se nascitur circa ima parietum. Ad capitis uitia, porrigines & surfures. Herbæ nasturtij semen mixtum cum adipe anserino, & tritum ablutione surfures è capite eijciet. Ad cruditatem. Herbam nasturtium & pulegium ex aqua decoctū bibere dato, emendabis & discuties cruditatem. Ad strumas. Herba nasturtium cum lomento tritum super strumas imponis, superposito etiam folio holeris. Ad furunculos sanandos. Herba nasturtium cum fermento imponitur, concoquet & sanat.

De hieribulbo. Cap. X X I.

NASCITVR Hieribulbum ubique circa sepes, & locis quibuslibet sordidis, & has habet uirtutes. Ad articulorum dolorem. Herbæ hieribulbi accipito uncias sex, seui caprini tantundem, olei cyprini libram & uncias duas in se pinsati & commixti, utēris, dolorem articulorum tollit. Si mulier habuerit lentigines in facie. Herbæ hieribulbi radice cum lomento lupinacio commixta, mulier si faciem lauerit lentiginosam, statim purgat.

Nomina & uirtutes apollinaris. Cap. X X I I.

GRAECI Dicea, alij Stricionon manicon, alij Dorigenion, alij Cecabon, Itali Apollinarim, alij Bacinam, Daci Colida. Apollo hanc herbam fertur inuenisse, & Asclepio dedisse, & Apollinaris nomen imposuisse. Ad uulnera Chironia & ranarum morsum. Apollinarem herbam cum axungiæ ueteris libra, fine sale teris, & uini ueteris cyathum sine fumo simul pisabis, & facies tanquam malagma, atque Chironio uulneri impones, medebitur.

Nomina & uirtutes chamæmili. Cap. X X I I I.

GRAECI quidem Chamæmilon, alij Parthenion, alij Drycolaphon, alij Chrysocalin, Trouiscoselian, alij Aperitō, alij Nymphęon, alij Hieranthemin uocant; Itali bene olentem, alij Superbam, alij Auliticam; Aegyptij Thaborin, Galli Oualidiā, Campani Amalocian, Tusci Apianam, Daci Amalustam: has uero habet uirtutes. Ad oculorum uitia atque dolores. Herbam Chamæmilō si quis ante solis ortum carpserit, dicat albuginem uel oculorum dolorem se carpere, eamque alligatam secum gestet, & curabitur.

Nomina & uirtutes chamædryos. Cap. X X I I I I.

A' GRAECIS Chamædrys dicitur, alijs Drys, alijs Drysites, alijs Teucrion, alijs Chamærops. Itali Trissaginem, alij Trixaginem appellauēre. Prouenit locis montuosis, petrosis, & solidis. Ad rupturam impendio prodest. Chamædrys herba cōtusa de ligno in lignū, adiecto uino potui data, cū mira celeritate ruptos sanabit. Ad sciam. Herba trixago feruefacta, ac triduo potui data, sciaticum mirifice sanat. Ad morsum serpentis. Herba chamædrys in puluerem mollissimum redacta, in uino ueteri potui data, uenenum uehementer discutit. Ad podagram. Herbam chamedryn perinde dabis ut supra calidā, mire paragoriam præstat. Legenda uero est mense Augusto.

Nomina chamælææ & uirtutes eiusdem. Cap. X X V.

CHAMAELAEAN quidam Græcorum nominant, alij Corcodrillon, alij Dipsasa, alij Onocardion, alij Cneoron; Prophetæ Aphroditeloter, Aegyptij Semmeor, alij Imeleta; Itali Labrum Veneris, alij Cicer rusticum, alij Statiorus, alij Mararia; Hispani Analentidium, Daci Sciate, alij Calox cardiatos, Aegyptij Gerbaste, alij Sapho. Ad hepaticos. Chamælææ herbæ succus potui datus cum uino, hepaticis, febricitanti cum aqua calida mire proficit. Contra uenenum iam sumptum. Herba chamælæa siccata, in puluerem redacta, & in uino propinata, discutit uenenum. Ad hydropicos. Herbam Chamælæam & Chamædaphnem, & Cha-

medrin,& Chamæpityn equali pondere tusas,& quàm mollissime cribratas,si in potione uini mixti,iuuenibus cochlearia quinque,item minoribus & mulieribus cochlearia tria, puerculis cochlearium unum ministraueris,mirificè aquam omnem de corpore per urinam digerit.

Nomina & uirtutes chamæpityos. Cap. XXVI.

GRAECI Chamæpityn,alii Orozelon,alii Holocyron, alii Bryon agrian,alii Sideritin uocant; Prophetę Hema Athenas;Itali Ibicam,alii Cypressum nigram,alii Rapam,alii Spiculam,alii Mamalle;Aegyptii Nemenespa,Daci Dochela. Et habet quidem uires Ad uulnera glutinanda.

Herba Chamępitys contusa,uulneri imposita, conglutinat: si autem altius uulnus fuerit, succum eius herbe in uulnere mittes. Ad strophi, hoc est interaneorum dolorem.

Herba Chamępitys potui data, strophi dolorem tollet.

Nomina & uirtutes chamædaphnes. Cap. XXVII.

CHAMAEDAPHNE à Gręcis quibusdam Daphnites,aliquibus uerò Daphne,aliis Hydragogos seu Caragogos dicitur. Itali Mustellaginem dicunt,alii Lactilaginem,& Lauraginem, alii Eugubim,Vsuben. Ad aluum concitandam.

Herba Chamędaphne in puluerem redacta mollissimum,& in aqua calida potui data, aluum concitat.

De ostriagine. Cap. XXVIII.

NASCITVR Oristriago circa monumenta,aut in monumentis, aut parietibus, qui sunt circa montiū radices.facit peculiariter ad eas res,quę in homine nascūtur. Ad ea quę in corpore oriūtur.

Ostriago tusa,& imposita,omnes res quę in corpore nascuntur, persanat: hanc herbam si uolueris euellere, mundus & ante solis ortum leges mense Iulio.

Nomina & uirtutes britannicæ. Cap. XXIX.

A' GRAECIS dicitur Britanī,& Damasinios. Itali Britanicam,alii Betam plantaginis,alii Bibonem uocant. Ad uitia quę in ore nascuntur, nempe nomas & tonsillas. Herba Britanica sumpta uiridis cum lactuca,oris uitia sanat:& per se tritę & expressę succus in ore contineatur, & aliquid ex ea deglutiatur, adæquè proficiet. Ad oscedinem. Herba Britanica sumpta uiridis, oscedinem tollit. Quòd si uiridem non habueris,etiam arida contusa cum uino ad mellis crassitudinem,eodem modo sumpta, eundem effectum habet. Ad dentium dolorem,& si laxi fuerint. Herba Britanica mira quadam potentia succurrit;reponēdus autem est in hyeme succus uel puluer eius;nam semper apparet. Succum eius seruabis in uase abietino;& calefacito,& puluerem reponito;nā ad eosdem usus cum uino sumptus æquè efficaciter prodest. Ad aluum ciendam. Britanicæ herbæ succus pro uiribus cuiusque potui sumptus, per se sine periculo purgat. Ad paralysim. Herba Britanica uiridis cum radicibus contusa,uini meri optimi cyathis duobus uel tribus potui sumpta,mirè proficere creditur.

Ad anginam, quam Græci συνάγχην appellant. Herbæ Britanicæ flos, antè quàm tonitrum audiat, collectus,deuoratus, per annum totum anginam non experietur.

Nomina & uirtutes lactucæ syluestris. Cap. XXX.

GRAECIS Didaxagria,alijs Hieracios,alijs Aspideion,aliquibus Picris;Aegyptijs Iobonsos;Italicis Lactuca syluatica. Nascitur locis cultis & sabulosis. Ad oculorum caliginem.

Dicunt Aquilam,cùm in altum uolare uoluerit,ut prospiciat rerum naturas,Lactucæ syluaticæ folium euellere,& succo eius sibi oculos tangere,& maximam inde claritudinem accipere. Herbæ igitur Lactucę syluaticæ succum mixtum cum uino uetere & melle acapno, qui sine fumo collectus est, optimum succo herbæ uinum & mel commiscebis & teres,& in ampullam uitream condito,ex eo uteris; summam medicinam experieris.

Nomina & uirtutes agrimoniæ. Cap. XXXI.

A' GRAECIS dicitur Arsella,item Sarcocolla;Italicis Artemonia Agrimonia'ue, quæ has uirtutes habere memoratur. Ad oculorum uitia siue dolores.

Agrimonia uiridis per se trita: si autem arida fuerit,in calida aqua intincta,ut facillime teri possit, illita, sugillationes & lobares oculorum maturè discutit. Ad uentris dolorem. Agrimoniæ herbę radicem bibere dato,mirè prodest. Ad uulnera,ulcera,& cancromata. Herba Agrimonia uiridis contrita,& apposita,uulnera,ulcera,& cancromata sanare apta est: si autem arida fuerit,aqua tepida remissa,idem proficere creditur. Ad luxum. Agrimonia herba contrita, & apposita,mirè doloribus uel tumoribus ex luxu concitatis succurrit. Ad morsum serpentis. Agrimonię herbę drachmę duæ

duæ cum uini cyathis duobus potui datæ, discutiunt uenenũ mirificè. Ad ferro uel sude percussum. Agrimonia herba contusa & imposita, mirificè sanat. Ad uerrucas tollendas. Agrimonia herba cũ aceto imposita, tollet uerrucas. Ad splenis uitium siue dolorẽ. Herba Agrimonia in cibo sumpta, splenem consumet. Ad ea quæ secanda sunt. Herba Agrimonia contrita & imposita, aperit & persanat.

Nomina & uirtutes asphodeli. Cap. XXXII.

A' GRAECIS Asphodelos, alijs Hastula regia uocatur. Itali Albucum appellauerunt. Has uirtutes possidet. Ad dolorem tibiarum uel pedum. Herbæ Asphodeli succo cum oleo amygdalino ungebis quod dolet, mirificè sanabitur: etiam si tumores fuerint, ipsam tusam & subactam impones. Ad hepatis dolorem. Herbæ Asphodeli radix discocta, ex aqua mulsa potui data, hepatis dolorem mirificè persanat & tollet.

Nomina & uirtutes oxylapathi. Cap. XXXIII.

A' GRAECIS Oxylapathon uocatur; Itali uero Lapathum acutum pro uocabuli etymo nominant. Si qua durities in corpore. Herba Oxylapathon cum axungia ueteri ouilla pistata, & ex pane domestico, facta ut malagma, imposita, corporis duritias mirificè sanat.

Nomina & uirtutes centauriæ maioris. Cap. XXXIIII.

A' GRAECIS dicitur Maronion, alijs Nession, alijs Plectronias, quibusdam Lymnites. Prophetę Hæma Heracleos, alij Chironias, alij Lymnestis, alij Apogorisapo, alij Hydos, alij Emericos; Aegyptij Antiamas; Itali Fel terræ siue Vnefera. Ad hepatis dolorem. Herba Centauria maior in uino decocta ac potui data, mirificè auxiliatur. Ad spleneticos. Centauria maior in uino decocta & potui data, lienem persanat, experti sumus. Ad ulcera, uulnera, & cancromata. Herba Centauria maior contrita, imposita, tumorẽ fieri non patitur. Ad sugillationes & dolores. Herbæ Centauriæ maioris succus perunctus ex aqua, summè facit. Ad uulnera recentia. Herba Centauria tam efficax est ad plagas glutinandas, ut etiam carnes coherescant, quę ex aqua eius coquuntur.

Nomina & uirtutes centauriæ minoris. Cap. XXXV.

EST & Centauria minor à Gręcis Elleborites uocata. Prophetę Hęma Heracleos, Aegyptij Amarantum, Daci Stirsozila, Itali Febrifugiam, alij Multiradix. Chiron Centaurus has herbas fertur inuenisse, unde & nomen Centaureę tenent. Nasci amant solidis locis & fortibus. Ad morsum uiperę. Herbę Centaurię minoris puluer in uino exhibitus, aut ipsa pistata, in uino ueteri potui data, ualidissimè proficit. Ad oculorum uitia. Herbę Centaurię minoris succus oculis inunctus, aciem extenuatam sanat: adiecto etiam melle, idem proficit. Caligantibus quoque oculis claritas restituitur rectè facile. Ne quis in hoc periculum incidat, Centaurię minoris manipulum in uini congio coquito, ac triduũ maceratum eximito. Inde cotidie ad heminam mixtum, melle adiecto, ieiunus bibat. Auruginí pellendę. Herbam Centauriam decoque in aqua ad tertias, & ex ea dabis bibere, quantum potuerit, sanabitur. Lumbricis & tineis purgãdis. Herbam Centauriam dabis ut suprà, eijciet. Ei qui uenenum sumpserit. Herbam Centauriam ex aceto tritam dato, bibat, mox discutit uenenum. Item centaurię radices pondere denarij unius in tribus cyathis uini bibuntur.

Nomina & uirtutes personatiæ. Cap. XXXVI.

GRAECE Prosopites aut Protopes uocata est; alij Bacchion, alij Elephantosis, alij Elephas, alij Nephelion; Itali Personatiam, alij Dardana, alij Manifolium; Galli betilolen, Daci Riborasta.

Ad omnia uulnera, siue serpentium morsus.

Personatię herbę succus cum uino ueteri in potionem datus, omnes morsus serpentium uel colubri mirificè sanat. Febribus medendis. Personatię folijs cinges febricitantem, statim mirificè sanat, & effugat febres. Ad uulnus, etiam si cancer erit. Herbę Personatię aqua foueto, deinde ipsam cum nitro & axungia & picula cum aceto tere, & in panno inducito, & imponito. Ad intestinorum dolorem. Herbę personatię succi cyathum unum ex melle, cyathis duobus ieiunus bibat. Ad canum rabidorum morsus. Herbę Personatię radix cum sale marino trita, morsui imponitur. Ad uulnera uetera, quę humorẽ pręstant. Personatię radicem, & spinã quę in locis siccis nascitur, ęquali pondere conteres, & impones. Ad ambusta. Personatię succi cyathum unum ex melle, cyathis duobus bibat.

De uirtutibus herbæ fragi. Cap. XXXVII.

COMAROS Gręci, Romani Fragum nuncupant. Nascitur quidem locis opacis & mundis,

& collibus. His est prædita uirtutibus. Ad splenis dolorem. Fragi herbæ succus ex melle potui datus, mirè ad splenis dolorem proficere, certum est. Ad suspiriosos. Herbæ Fragi succus cum albo pipere & melle mixtus, potui datus, mirificum remedium præstat. Legito eam mundus.

Nomina & uirtutes ibisci. Cap. XXXVIII.

A' GRAECIS appellatur Altheæ: alij Ororiza, alij Aeleomoloche, alij Molochen agriam aut Creticē, alij Anadendromalachen, alij Sycophyllon; Itali Ibiscum uocant. Nascitur locis humidis & cāpis. Virtus eius confert podagræ. Herba Ibiscus pisata, cum axungia uetere imposita, tertia die sanabit. Eius herbæ experimentum plures auctores affirmant. Ad collectiones, quæ in corpore nascuntur. Herba Ibiscus decocta cum fœnugræco & lini semine, pollice imposita, duritias omnes discutit. Ad omnia encatismata. Ibiscum herbam decoctam cum malua erratica & fœnugræco imponito. Eadem aqua fouebis, & his ominibus tritis, encatismatis impone. Ad intestinorum dolorem. Herba Ibiscus perinde ut suprà decocta cum singulis, sed ut encatisma, postea esca calida intestinum foues, tertio die sanabit. Id sumus experti.

Nomina & uirtutes ippiri. Cap. XXXIX.

A' GRAECIS dicitur Ippiron, Itali uerò æquiseiam uocant. Ad dysentericos. Herbæ æquiseiæ succus ex uino dulci cyathis duobus potui datus, dysenteriam sanare creditur. His qui sanguinem euomunt. Herbæ æquiseiæ succum ex uino austerissimo sine fumo ieiuni bibant, mox sanguinem restringet.

Nomina & uirtutes maluæ erraticæ. Cap. XL.

MALACHINAGRIAN Græci uocant, alij Aeleomalachen, alij Acopon, alij Collyris, alij Malachen, alij Helionstrophon; Itali Osyriacam, alij Maluam rusticam, alij Ibiscum, alij Maluam erraticā. Nascitur ubique in locis cultis. Ad uesicæ dolorem. Maluæ erraticę cum totis radicibus suis libram in congio aquæ coctam ad dimidium, per triduum ieiuno dato bibere, sanabis eum. Ad neruorum dolorem. Malua erratica pisata cum axungia uetere, & imposita, neruorum dolorem mirificè sanat. Facit & ad omnia encatismata, decocta cū Ibisco & fœnugræco. Ad pleuretida. Maluam erraticā decoques cum oleo, & postea destringes, & folia in mortario teres, & in pannum induces & impones, & triduo non solues: emendasti dolores. Ad uulnera recentia. Maluæ erraticæ radicem in cinere coctam contere & impone, sanabitur.

Nomina & uirtutes buglossæ. Cap. XLI.

BVGLOSSON græce, Prophetæ Gonos ælurn, Osthanes Tzanuchi, Aegyptij Antueorinbetos, Romani linguam bubulam, Lucani Carroga. Nascitur locis cultis & sabulosis. Ad tertianas siue quartanas. Herbæ Buglossæ, hoc est Bouis linguæ, quæ treis thyrsos seminis mittit, radicem totam ex aqua decoctam, potui dabis, tertianæ medetur. Quæ autem quatuor thyrsos habet, faciet ad quartanas: dabis autem ut suprà alia. Eadem herba similis ei est, quæ folia Lapathi fert. minuta eius radix potata ex aqua, ranis & serpentibus aduersatur. Ad suspirationes. Herba Buglossa ex melle & pane pisata, uitce malagmatis mirificè rumpit. Hanc leges mense Iulio.

Nomina & uirtutes bulbi scillatici scillæ ue. Cap. XLII.

A' GRAECIS dicitur Scilla, alijs Pancratios, alijs Typhonos. Aegyptij Sylitho, Prophetæ Optalmontiphonos, Itali Scillam rubram masculam, alij Bulbum scillitem, siue scilliticum appellant. Ad hydropisim. Scillæ herbæ bulbus torretur, deinde circumpurgatur, & medium eius in aquā conijcitur. dum madidū fuerit, eximitur: & inde tres oboli potui dantur ex melle & aceto, & euacuatur per urinam. Ad Pernioniones. Herbæ Scillæ quod est in medio eius, hoc est interius, cum oleo deferuefacto, atque ea quæ dolorem exhibent, perungito, sedabuntur. Ad Panaritium. Herbæ Scillæ radix pisata cum aceto & pane imposito, panaritium mirificè sanat. Ad extinguendam sitim hydropicorū, siue dum sitiunt illi. Herbæ Scillæ folium subiectum linguæ, sitim compescit. Legenda est ea omni tempore.

Nomina & uirtutes cotyledi. Cap. XLIII.

GRAECI Cotyledon, alij Cepos Aphrodites, alij Gesomphalos, alij Stoechis, alij Stergethron; Itali umbilicū Veneris appellāt. Nascitur in tectis aut in monumētis. Ad strumas discutiendas.

Cotyledon

Cotyledon herba pilata cum axungia suilla, fœminis sine sale, æquis ponderibus calida imposita, strumas discutit. Leges eam hyemali tempore.

De herba Gallicrure. Cap. XLIIII.

NASCI amat herba Gallicrus locis solidis & circa uias; eius cacumen instar pedis galli. Virtutes habere dicitur, Ad canis morsum. Herbam Gallicrus tritam cum axungia, & pane domestico imponas, mox sanabit. Ad duritias. Eadem sic (ut diximus) parata, duritias discutit.

Nomina & uirtutes prasij seu marrhubij. Cap. XLV.

GRAECORVM quidam Prasion, alij Eupatorion, alij Philophares; Aegyptij Asterope, prophetæ Hæma tauru, alij Aphedros, alij Gonos Hori; Itali Marrhubiū, alij Mellitenam siue Messiciam, Vlcerariam; alij Chamęle podium, alij Nosprason dicunt. Ad grauem tussim. Herbam Marrhubium coques ex aqua, & dabis eis bibere qui grauiter tussiunt, sanabit mirifice. Ad stomachi dolorem. Herbæ Marrhubij succus potus, stomachi dolorem tollet: si febricitat, ex aqua potus, satisque eleuat se. Ad lumbricos. Herbæ Marrhubij, Absinthij, & Lupinorum paria pondera in aqua mulsa cocta cum uino, bis aut ter in umbilico posita, necat lumbricos. Ad condylomata. Herbam Marrhubium combure, eiusque cinerem infrica, sanabit. Veneno accepto pellendo. Si quis uenum sumpsit, herbę Marrhubij succum dabis ex uino ueteri; discutit nanque uenenum. Ad scabiem uel impetigines. Herbę Marrhubij decocti aqua corpus lauato, scabiem discutit, & impetiginem tollit. Ad pulmonis extensionem. Herbam Marrhubium ex melle coctam sumat, mirè curabitur. Ad omnem duritiam. Herba Marrhubium tusa cum axungia & imposita, mire sanat. Ad lassitudinem & languorem ab opere cōtractum. Si quis ab opere lassus inciderit in languorem, & neruorum habuerit dolorem, herbę Marrhubij succo cum oleo rosaceo permixto perunges eum, sine mora sanabitur.

Nomina & uirtutes xiphij. Cap. XLVI.

GRAECORVM quidam Xiphion, alij Phasganon uocant; Itali Gladiolum dicunt. Ad fistulas quę in corpore nascuntur. Herbę Xiphij radicis uncias sex, Amyli uncias sex, aceti cyathos duos, adipis uulpini uncias treis ex uino pilabis, in panno lines & impones, miraberis. Ad capitis fracturam. Herba Xiphij superior pars sicca contrita ęquis ponderibus, mixto uino, capitis ossa fracta extrahit: aut si quid in corpore suppuratum fuerit; uel si pedibus calcata sint ossa serpentis, contra ea uenena efficax est.

Tam nomina quàm uirtutes callitrichi. Cap. XLVII.

GRAECI Callitrichon, ijdem Adianton, ijdem Polytrichon, ijdem Trichomanes, ijdem Trichophyes, alij Selinophyllon, alij Diphyes, alij Hippomanes: item Scolopendrion, Asplenon, Scolibrocis: alij Amiantion; Latini Capillum Veneris, ijdem herbam capillarem; Punici Nesso essesade; Romani Saxifragum. Nascitur in locis aquosis, uirgultis nigris, lenibus, cum splendore, bipalmis folijs ut Coriandrum, scissis in summitate. Ad strumas uirginum. Herba Callitrichū pilata per se, & imposita, uirginibus strumas sanat. Ad capillos tingendos. Herba Callitricho in oleo trita, capilli uncti inficiuntur.

De Moly uirtute & præstantia. Cap. XLVIII.

MOLY, clarissima herbarum est, Homero teste, qui inuentionem eius Mercurio adsignat, contraque eius succum beneficia demonstrat; radice rotunda nigraque, magnitudine cepis. Ad matricis dolorem. Herba Moly contusa & imposita, dolorem matricis sedat.

Nomina & uirtutes Heliotropij. Cap. XLIX.

A' GRAECIS dicitur Heliotropion, & heliostrophon, quibusdam Heliuron, aliquibus Dialiō, alijs Sesamon agrion, item Scorpiocton, item Heraclea; alij Sideritesin, alij Vra Scorpiu; Prophetæ Gonoschronū; Galli Hæmatites, Pythagoras Pareoron, Osthanes Putagonon, Aegyptij Nisine, Itali Vertanum, alij Mulcetram, alij Intybum syluaticum. Nomen accepit primo, quod æstiuo solstitio floreat, uel quod solis motibus folia conuertat. Sed & specie duplex: quarum altera maior, appellata est Scorpiuros, à similitudine caudæ scorpionis: alia minor. Maior igitur nascitur in asperis locis, tenui radice, ex qua ramulos quatuor aut quinque, atque ab ipsis plurimas furcas emittit, folijs Ocymo similibus, paulò maioribus atque succulentis, & nigrioribus & asperis, cum flore in summitate tenui, & ueluti purpureo atque uncato in similitudinem caudę scorpionum. Minoris herbæ species similis est supradictæ. Nascitur locis concauis, folijs rotundis, semine pendenti, in caudę scorpiorum similitudinem. Eius herbæ diuinæ ad

Solis cursum floscelli se uertunt: & cùm Sol occidit, flores se claudunt: rursum cùm oritur, floscelli se aperiunt. Nasci amat ubique, locis cultis mundis, & pratis. Facit ad remedia ista. Ad omne uenenum. Herbæ Heliotropij puluer mollissimus, aut succus eius cum uino uetere optimo potui datus, mirè uenenum discutit. Ad luxationem. Herbæ Heliotropij folia contusa & apposita, efficaciter sanare creditur.

De uirtutibus Cryas. Cap. L.

NASCITVR Cryas in Lucania, marmoris albi colorem habens, quatuor rubicundis ornata cauliculis; has potentias habet. Ad Sciaticos. Herba Cryas contusa & imposita, sciaticos tertio die sanat: hęc quasi malagmatis genus imponatur. Ad omnes corporis dolores. Herbæ Cryadis radix pisata & imposita, omnes dolores sedat.

Nomina & uirtutes Polytrichi. Cap. LI.

GRAECORVM alij Adiaton, alij Polytrichon, alij Trichomanes, alij Ebenotricō, alij Hopterin, Aegyptij Ethui, Rhomani Cincinalem, alij Terræ capillum, alij Supercilium terræ uocant. Nascitur in parietinis, & locis humorosis. Hæc etiam herba Callitrichos appellatur, de qua superius loquuti sumus, & quam antea posuimus. Ad coli dolorem. Herbæ Polytrichi, eius quæ habet ramulos, quasi seta porcina, folia contrita cum piperis granis nouē; & seminis coriandri grana nouem simul cōtrita, cum uino optimo dabis bibere intranti in balneum: facit & ad capillos mulierum nutriendos.

Nomina & uirtutes Asulæ. Cap. LII.

ASVLA, Gręce Molocheagria dicitur. Ad dysentericos. Herbæ Asulę regię radix cum uino trita, potui datur dysentericis, statim sentient beneficium. Ad uentris fluxum restringendum. Herbæ Asulæ regię semen mixtum cum aceto acerrimo potui datum, uentrem restringet.

Nomina & uirtutes papaueris Syluestris. Cap. LIII.

GRAECIS Mecon ceratitis, alij Aphrodes, alij Heraclion, alij Mecona agriā, alij Mecō Rhoeas, alij Anemone, & Enemion, alij Oxytonon, alij Prosopon, alij Lethe, alij Lethusa; Prophetę, Basilice, Persephonion appellant; Itali Papauer album, Papauer nigrum, Papauer agreste, Papauer syluaticum, &c. Μήκων, Latini papauer dicunt. Eius alia est usualis, quę etiam fallicul osa uocatur, alia agrestis, & altera appellata. Succum quidem ex ipsa fluentem, Opium appellant, uel quę facile florem dimittat. Alia sine ἀφρώδης. Est igitur usualis, longioris capitis atque semine albo. Agrestis uerò, quę Rhoeas appellatur, cum capite sessili, semine nigriore. Alia aridior atque agrestior, cuius caput longius, flores rubei uel albi, semen fuluum, radix subalbida, longa, minimi digiti robore; colligitur tempore uerno. Cerastitis uerò nascitur in littoribus, erecto thyrso atque hirto, folijs insectis, hirtis, albis, flore pallido, fructu sine semine paruo, uncata ut cornu, semine nigro, paruo, radice ualida, nigrá, atque in superficie terrę. Item Aphrodes, quę appellatur Heraclios, ex omni parte alba est; eius semen colligitur estiuo tempore aridum.

Ad Epiphoras oculorum. Herbę papaueris succus uel cauliculus cū suo fructu oculis imponitur. Ad hemicranium, uel capitis dolorem. Herbę papaueris syluatici teres cum aceto & impones super frontem, sedabit dolorem. Ad somnum prouocandum. Herbę papaueris syluatici succo si quem perungas, somnum ei cum sopore obijciet.

Virtutes herbæ œnanthes. Cap. LIIII.

Contra stranguriam conuenit.

HERBAE Oenanthes radix in puluerem redacta, data ad stranguriam in uini cyathis duobus, summè facit. Aduersus tussim. Oenanthes herbę radicem dabis potui ut suprà, tussim sedat.

Nomina & uirtutes Narcissi. Cap. LV.

NARCISSVS à Gręcis dicitur Anhydros, Autogenes, bolbos, Emeticos; Aegyptij Emptone, Prophetę Cynoglossa; Itali Bulbum uomitorium uocauerunt. Nascitur thyrso bipalmi, folijs porri similibus, sed paulò breuioribus, flore interius albo, croceo, uel in aliquibus purpureo, fructus sine semine ut in membranula nigro, in magnitudine bulbi. Ad uulnera, quę ex se nascuntur. Herbę narcissi radix contusa cum oleo & farina, uice cataplasmatis imponitur uulneri, & sanat mirificè.

Nomina & uirtutes splenij ac saxatilis. Cap. LVI.

A GRAECIS dicitur Lonchitis, alijs Hermionion, alijs Scolopendrion, alijs Phrygia, alijs Phrygitis,

gitis, alij Philtrodotis, alij Aturion; Prophetæ Hæmagales. Lonchis folia habet rubra, flores nigros, cōmoda uultibus hircesibus, semen siue fructum album, radicem latam, lanceæ similem. Alijs uirtutibus traditur etiam alia Lonchitis, similis scolopendriæ, cum aceto spleneticos medens, in potu data.

Ad splenis dolorem. Herbæ Splenion radicem in puluerem mollissimum redactam uino leniore potui dato, summam rem experieris: constatque eam sic esse inuentam, cùm exta super eam essent proiecta, adhæsisse lieni, eumque exinanisse. Propter hoc à quibusdam Splenion uocatur. Narrantur sues, qui radicem eius sumpserint, sine splene inueniri. Quidam eam dicunt ramis hyssopi fisticulosam; folia fabæ eodem nomine appellantur. Legunt autem eam dum floret. maximè ex Ciliciæ & Persidis montibus laudant.

Nomina & uirtutes Polij. Cap. LVII.

GRAECI quidam Polion, alij Phuxalpidion, alij Achamenis, alij Ebenitis, alij Melosmon, alij Belion, alij Leontocharon uocant; Aegyptij Cathotis, Latini Conula, Martialis Polium, Neptunia. Duæ eius sunt species: alia est fructuosa, atque inutilis: altera syluestris, frutice bipalmi, albo, folijs tenuibus, semine pleno, cum capitello in summitate paruulo, crinoso, ueluti canam capillaturam, frangenti odoris grauissimi, cum quadam iucunditate. Nascitur locis asperis. Ad lunaticos.

Polij herbæ succum commisces cum aceto & oscilliente, & perunges eos, curabuntur. Item pilulam eius & radicem linteo mundo, circa collum eius qui patitur, ligabis, experta est res.

Nomina & uirtutes Victoriæ. Cap. LVIII.

EVPEPLIOS Græci, Daphnoides, Hypoglossion, Eupetalō, Diglosson, Daphne Samothracia, Daphne Alexandrina, Daphne Minthrios, Danae, Stephane Alexandru, Camædaphne, Carpophyllō, Daphnitis. Latini Peruincam, uictoriæ folium, Laurum Alexandrinam, Macedonicā, Lauraginem, Mustellaginem terrestrem uocant. Frutex eius sæpius cubitalis, folijs ut muria paulò maioribus atque tenerioribus, & non in fractis, gustu remordentibus & incendiosis. His prædita est uirtutibus.

Ad phlegmata incidenda.

Herbæ Victoriæ succi cyathos duos dabis cum melle bibere ieiuno, mox phlegmata intercidet.

Nomina & uirtutes Consolidæ maioris. Cap. LIX.

GRAECI Xylophyrō, Symphyton, Anazethesis; Democritus Hæmestriasis, Latini Consolida, Enula rustica, Allium Gallicum. Nascitur in petrosis, lignosisque locis, iucundi odoris, saliuam prouocās, ramis origano & capitelli thymi similibus, radice lōga fulua, in robore digitali; sed appellatur etiam pictis; thyrsum bicubitalem, geniculatum, inanem, in quo folia hirta angusta & ueluti longa, cum adnationibus secundum genicula, flore nigro, fructu siue semine floceorum corticis simili, pruritum mouens; radices exterius argillosas, uirtutis densabilis. Ad profluuium mulierum.

Herbæ Consolidæ puluerem mollissimè contritum potui dabis in uino, restringet.

Ad conuulsos uel intus ruptos. Herbæ Consolidæ radicis cinerem tepidum coquito, & ex melle, ieiuno dabis ut edat, sanabitur, & thoracem purgabit. Ad stomachi dolorem.

Herbam Consolidam si cum Oxygaro edat, magnum beneficium sentiet. Contra tussim.

Herbæ Symphyti radices in caldaria decoques cum melle, & pipere, & castoreo ad quartas, & in uino ueteri ieiuno dato in potu. Hæc herba hoc augumentum habet, ut carne bubula concisa, & in cacabum emissa, eius radicis, si miseris drachmas duas, cocta caro in unum cohærebit.

Nomina & uirtutes Asterij. Cap. LX.

GRAECORVM alij Asterion, alij Asteriscon, alij Aster, quidam Bubonion, alij Hyophthalmon uocarunt, Latini Inguinalis, Punici Terdum. Herba est, lignosas habens uirgas, & florem in summitate nigrum, tanquam Anthemidis herbæ capillum, Ambitum foliolis stellæ similibus; sed in thyrso folia longiora atque hirta, uel crassiora, & est laxatiuæ uirtutis. Nascitur ubique inter petras & loca aspera. Hæc herba noctu tanquam stella in cœlo lucet: & qui uiderit ignorans, dicit phantasmata se uidere, & metu plenus irridetur à pastoribus pecorum. Adhibetur denique inguinum tumoribus.

Caduco laborantibus opitulatur.

Herbæ Asterij baccas si dederis manducare Luna decrescente, cùm erit signum Virginis, & ipsam herbam laborans habeat in collo suspensam, remediabitur.

Nomina & uirtutes Lagopu, hoc est pedis leporis. Cap. LXI.

LAGOPVS Græcis à similitudine pedis leporini dicta est. Romani pedem leporis appellant. Nascitur in pratis. Fluori uentris compescendo.

Herba Lagopus cum uino potui data, uentris fluori medetur.

Ad uentrem soluendum.

Herba pes leporis (item benedicta) persiccata, in puluerē redacta, da in potione uini, si sine febre fuerit: si autem febricitat, in aqua calida dabis, mox uentrem soluet.

Nomina & uirtutes Dictamni. Cap. LXII.

A' GRAECIS Artemedion appellatur, alij Creticen, alij Ephimeron, alij Eldiam, alij Beloiacon, alij Belotocon, alij Dorcidion, alij Elbunion. Itali Vstilago rustica, alij Labrum Veneris; Aegyptij Emenypse & Dipsacos. Nascitur in insula Creta, & in mōte Ida, folijs similibus papaueri, sed paulo maioribus, atque flaccosis uel lanugeris adnationibus, & neque florem generans, neque fructum. Item alia huic similis, quæ appellata est Pseudodictamnum. Nascitur plurimis in terris, similis acrimoniæ Dictani. Memoratur etiam tertia species apud Cretam Dictamni, cum folijs similibus Sisymbrij, maioribus ramis & flore nigro & molli, similis uirtute Pseudodictamni. Harum denique multò efficacior est prima.

Habuerit si qua mulier in utero pecus mortuum.

Dictamni herbæ succum, si sine febre fuerit, cum uino dabis: si autem febricitat, cum aqua calida: mox eijciet pecus sine periculo. Ad plagas siue à serpentibus, siue à ferro, siue à sude impactas. Herbæ Dictamni succum in plagam infundet, & aliquid bibet, & mox sanus erit. Ad serpentium autem morsum, succum eius in uino bibat, & mox discutit uenenum. His qui uenenum sumpserint. Herbæ Dictamni succi cum uino in potu heminam sumat: nam tanta uis est eius Dictamni, ut non solùm interficiat, ubicunque fuerint serpentes, præsentia sui: sed & si odor eius à uento sublatus fuerit, ubicunque eas tetigerit, mox occidet. Fertur & hoc exemplum: Si capra in uenatione telo percussa fuerit, cùm peruenit ad herbam Dictamnum, & mox ea pascatur, telum à se eijciet, & plaga sanatur pascendo Dictamnum. Ad uulnera recentia. Herba Dictamnum & Agrimoniam & Ambrosiam contritas, cum butyro plagæ imponito, miraberis in omnibus Dictamni effectum. Ad ulcera & nomas. Herba Dictamnus imposita, ulcera & putres nomas & purgare, & explere dicitur.

Nomina & uirtutes Solaginis maioris. Cap. LXIII.

SOLAGINEM Græci Helioscorpion & Heliostrophon appellant, & cætera ut supra.

Ad serpentium morsus & scorpionum ictus.

SOLAGO herba maior siccata, & in puluerē mollissimum redacta, in uino potui datur, & ipsa contusa plagæ imponitur.

De Solagine minore. Cap. LXIIII.

HERBAM Solaginem minorem, alij Heliotropion appellitant. Nascitur locis concauis, folijs rotundis, semine pendenti in Agrio cardami similitudinem. Virtutes habet lumbricis latis atque rotundis perimendis & excludendis. Lumbricis excludendis. Solaginis herbæ decoctio potui datur ex aqua cum cardamo atque hysopo & nitro ad excludendos lumbricos latos siue rotundos. Ad lumbricos necādos. Herba Solago minor siccata, & in puluerem redacta, in aqua calida potui data, lumbricos occidet.

Nomina & uirtutes Pæoniæ. Cap. LXV.

PAEONIA à Græcis appellatur Penterobon, alijs Glycyside, alijs Aglaophotis, alijs Pæonion: alij Selenion, alij Meneon, alij Pantheceratos, alij Selenogonon, alij Dicomeneon, alij Gludim; Itali Pæoniam, alij rosam fatuinam uocant. Pæonia porrò auctoris nomen retinet. Nascitur in Creta, quam Homerus sacer auctor libris suis inseruit. Inuenitur sæpe à pastoribus, hæc in extrema facula, habet maligranati magnitudinem, quę noctu quasi lucerna lucet, & est granum eius cocco simile. Ad Sciaticos. Pæoniæ herbæ radicis partem alligabis ei qui patitur, & circuncinges, res est saluberrima. Ad Lunaticos. Herba Pæonia si lunatica iacenti imposita fuerit, statim se leuat uesanus. Vel si eandem secum habuerit, nunquam ei hoc mali accidet.

Nomina & uirtutes Peristerei. Cap. LXVI.

GRAECI Peristereon Orthos, alij Trigonon, alij Bunion, alij Hierabotanon, alij Philtrodoten, Aegyptij Thiophenges; Prophetæ Herasdacryon, alij Hæmagales, alij Hæma Hermu; Itali Cristam gallinaciam, alij Columbinam, alij Feriam; Punici Zimicum, alij Exuperam, alij Matricalem, Herculaniam, Azirgozol uocauerunt. Vtique Peristereō herba siue redacta siue supina. Nascuntur ubique in planis & aquosis locis, radice simplici atque thyrso. Sunt autem eæ columbis esca iucunda, unde & hoc nomen habent. Ad omnia uenena. Peristereō puluer si cui in potu datus fuerit, omnia uenena discutit.

Nomina & uirtutes Bryoniæ. Cap. LXVII.

GRAECI Bryoniam, Chelidonion, & Melothron & Arthezostin, siue Apiastellum; Itali uuam taminiam,

taminiam, Vitem albam, Agrifolium, Dentariam: Aegyptij Thodona, Gardiadana: Syri Hugadessi, Dinupula, Daci Dochlea appellauere. Virgultis atque folijs & corymbis, ut uitis nostra, sed omnibus hirtis, quæ se colligit uicinis fruticibus, fructu siue semine botruoso, longo, raro, fuluo, quo etiam tergora depilantur, thyrsos emittens prima informatione & è radice, qui sunt asparagis similes.

Spleni sanando uirtutem habet. Herba Bryonia in cibo data lienosis, per urinam lien digeritur, & emendatur. Hæc herba tam laudabilis est, ut in theriacas etiam potiones mittatur.

Nomina & uirtutes Nymphææ. Cap. LXXVIII.

NYMPHÆA Græce Cacabon, Lothonietram, Rhopalon, alij Androgamos, alij Hydragodos, alij Heracleos; Latini Matrem Herculaniam, Algam palustrem, Papauer palustre, Clauum Veneris, Digitum Veneris dixere. Nascitur in aquis stantibus: Ita denique nomen sumpsit, thyrso nigro, lenis, folijs similibus herbæ ciconiæ, aliqua ex parte superatibus, flore pallido, fructu siue semine lato, denso, atque gustu argilloso, radice stipidosa: nigra & acerrima est. Præterea nascens Ompenio tenus flumine, cuius flos niger est, radix alba & aspera. Dysenteriæ compescendæ.

Herbæ Nymphieæ succus cum uino tritus in potu detur. Item radices eius rades, & dabis manducare dysenterico diebus decem, curabitur. Item si cum uino austero data fuerit, uentris cursum restringet.

De Crisio. Cap. LXXIX.

Herba Crision, thyrso est bicubitali, Trigona inferius, summitate rotunda, cum thyrsiculis purpureis atque canescentibus folijs hirtis, radice, ut Andreas memorat, dolori medente. Ad faucium dolorem.

Herbæ Crisios radicem si quis collo portauerit, fauces ei nunquam dolebunt.

Nomina & uirtutes herbæ Isatis. Cap. LXXX.

GRAECI Isatis, Prophetæ Apisi, Romani Alutam appellauere. Ad serpentis morsum.

Herbæ Isatis folium contritum in aqua, & in plaga positum, adiuuat, & dolorem tollet.

Nomina & uirtutes Herbæ Pastinacæ. Cap. LXXXI.

A GRAECIS dicitur Agrios Staphylinos, alijs Ceras: Alij Ydonaulion; Itali Pastinacam rusticam, erraticam, & syluaticam. Nascitur in locis saxosis & aggeribus. Alia est hortualis siue seminalis & uiribus imbecilla: Alia agrestis, quæ appellatur etiam à quibusdam Ceras, eo quòd cornu fingat: habet comam ut fœniculus, thyrsum tenuem, asperum, in quo umbraculum, & flores paruos tenues, quorum in medio croceum germen purpurei coloris, radicem bipalmem, robore digitali, odore iucundam.

Pro mulieribus quæ partu laborant, neque purgantur.

Herbam pastinacam syluaticam decoquant, & de aqua eius se fomentent; & sanabuntur.

Ad purgationem mulieris. Herba pastinaca, decocta, cum eadem aqua ubi cocta est, cōmisce, & da ei bibere, purgabitur.

Nomina & uirtutes Perdicalis. Cap. LXXXII.

HERBAM Perdicalem, Græci Lysimachion, Sideritin, Elesinen, Helxine, Parthenion dicunt; Latini Muralem & Parietariam, alij Oriclariam, alij Vrceolariam appellant. Sed nomen sumpsit à perdicibus, siquidem ipsæ ea aluntur. Vocatur etiam Heraclia & Ion agrion, & Elitis, Elebatis ue, & Polyonymos. Nascitur in turribus uel parietibus; habet thyrsos tenues fruticosos, rubros, in quibus semina aspera & folia Linozosti herbæ similia, rotundiora tamen atque hirsuta, & aspera qualitate remordentia atque cohærentia. Est enim, ut Græci aiunt, uirtutis stypticæ. Denique ad similes causas, ac similiter ut arnoglossos herba adhibetur. Ad podagram & chiragram.

Herba perdicalis coquitur in aqua, & eadem aqua fouebis pedes uel genua, deinde ipsam tusam cum axungia impones pedibus panno inductam, uel supra genua, sanabit mire. Nascitur parietibus aut macerijs, aut aggeribus.

Nomina & uirtutes Mercurialis. Cap. LXXXIII.

MERCVRIALIS à Græcorum alijs Linozostis arren, alijs Argyros, alijs Aritrilis, aliquibus Parthenion, quibusdam Clibadion, & Chrysitis, Arguminosque appellata est. Aegyptij Aphlopho, Prophetæ Hermu Basilion, Itali Mercurialem. Frutex eius herbæ bipalmis, folijs Ocymi similibus, atque ramis inanibus, cum furcis plurimis atque densis: & est fœmina maior quæ appellatur. Mas uerò uocatur Mercurialis masc. siue Testiculata, & est minor atque rotunda, & ueluti testiculis binis paruis circa exordium ornata. Ad uentris duritiem.

Mercurialem herbam coques, & tritam ex passo dabis, statim detrahet, & stomachum purgabit. Semen quoque eius tritum ex passo datum, idem detrahet. Ad menstrua cienda.

Mercurialis herba admota cum irino uel rosaceo oleo potui data, prouocat menstrua. Ad oculorum epiphoras. Mercurialis folia cum uino albo ueteri imponuntur. Si aqua in aures introierit. Mercurialis succus tepidus in aurem instillatus, mox liberabit.

Nomina & uirtutes herbæ radioli. Cap. LXXXIIII.

HERBAM Radiolum alij Felicinam uocant, similis est Felici quæ forte in lapideis nascitur, uel in parietibus, habens in folijs singulis binos ordines punctorum aureorum. Ad capitis dolorem. Radiolo herba cõtusa, atque curiosè depurgata, cum aceto scillitico usqueadeo decocta, donec non pareat, perungito, capitis dolorem sedat. Ad aluum concitandam. Herbę Radioli radix euulsa, & cultro cortice depurgata, cum malua; & ita maluæ & ius earũ bibatur, sine labore uel aliquo tędio uentrẽ deducit, & omnes æstus.

Nomina & uirtutes Asparagi agrestis. Cap. LXXXV.

GRAECI Myacantha, alii Aranthillidam appellauere, alii Anaspargos, alii Sparagos agrios; Latini Corrudam, alii Asparagum agrestẽ, alii Sparagum rusticum, alii Sparagum nostrum. Ad uesicę dolorem siue tumorem. Herbæ Asparagi agrestis radicem coque in aquæ sextario in pultario nouo ad quartas, & ieiunus, diebus septem laborans sumat in potu: plurimis diebus balneo utatur: in frigidam non descendat, neque frigidum bibat: mirificè experietur. Ad dẽtium dolorem. Herbæ Asparagi succum in ore continere oportet. Herbæ Asparagi radix cocta, trita utiliter imponitur. Herbæ Asparagi radix trita cum uino potata, proficit. Si quis maleuolus deuotauerit hominem. Herbę Asparagi agrestis radice sicca cum aqua fontana delustrabis eum, & solutus erit.

Nomina & uirtutes Sabinæ. Cap. LXXXVI.

GRAECI eam Nerion dicunt, alii Arathy, alii Baryton; Itali herbam Sabinam atque Sauinam. Cupresso similis. Ad morbum regium siue auriginem. Herba Sabina cum melle & uino pota, auruginem discutit: cum uino trita, idem facit. Ad capitis dolorem. Herba Sabina diligẽter trita, cum aceto & oleo rosaceo mixta, capiti & temporibus illita, ualde prodest. Ad carbunculos. Herba Sabina carbunculis cum melle illinitur. Ad ignẽ sacrum. Herba Sabina pariter cum melle illinitur.

Nomina & uirtutes Cynocephali, hoc est capitis siue Cerebri canis. Cap. LXXXVII.

GRAECI Cynocephalion dicunt, alii Antirinon, alii Brucanon, alii Amerifton, alii Brathin; Prophetæ Osireostaphe, Itali Canis cerebrum appellant. Ad oculorum Epiphoras. Canis cerebri radicem cum aqua decoque, & de eadem aqua subinde oculos foueto, celeriter lenit.

Nomina & uirtutes herbæ Erusci, rubi'ue. Cap. LXXXVIII.

A' GRAECIS dicitur Batos siue Batosdæa; alij Cynosbatos, alii Syntrophyllon, alii Asyntrophon; Prophetæ Hema Ibeos, & Hæma Titanu; Itali Senticem, alii Rubum, alii Moram syluaticam, Daci Mantiam, Aegyptij Aemoos. Ad aurium dolorem. Erusci herbæ teneri cymæ succus expressus tepefactus, & instillatus, aurium dolore liberat, & persanare eundem est certum. Ad hemorrhoidas restringendas. Erusci herbæ teneri cymæ nouem, & muscę syluaticę cymę tantundem, maligranati sicci cortices tres conteruntur in se, & in calida eorum sedes encathesina: & cum iam refrigerauerit, fomentabis tibi anum. hoc triduum facies, mirificè restringit & persanat. Ad profluuium mulieris. Erusci cymas teneras ter septenas coque in aqua usque ad tertias, & triduo ieiuno in potu dabis, ita ut cotidie renoues potionẽ. Ad Cardiacos. Erusci folia per se trita imponuntur mamillę sinistrę, & sic dolori resistunt. Aduersus gingiuarum & labrorum uitia. Erusci herbæ cauliculi teneri in uino decoquuntur, & ipsum uinum in ore continetur. Vuæ remedium. Erusci herbæ folia aresiant in umbra: crematorum cinere in cochleario tacto resiliet, præsentaneum est. Ad uulnera recentia. Herbæ Rubi aut flos aut mora imponitur, sine collectionis periculo sanat. Ad condylomata. Herba Rubus cum uino decoquitur ad tertias, eoque uino fouentur condylomata, & omnia uitia sedat. Contra serpentum & hominum morsus. Herbæ mori folia recentia trita imponuntur.

Nomina & uirtutes herbæ Millefolij. Cap. LXXXIX.

A' GRAECIS dicitur Myriophyllos, & Chiliophyllos, alij Melophyllon, alij Stratioticen, alij Achilleon, alij Chrysites, alij Ambrosiam dixère; Itali Millefolium, alij Militarem, alij Supercilium Veneris, alij Acorum syluaticum; Galli Bellicocandium, alij Vigentiam, Daci Diodela. Nascitur in palustribus locis, thyrso unius radicis, molli, fuluo, ita coæquato atque elimato, ut manufactus uideatur, folijs foeniculi similibus. Hanc herbam Achilles inuenit, unde uulnera ferro facta sanabat, & ob id Ahilleos uocatur.

catur; hac sanasse Telephum dicitur. Ad dentium dolorem. Millefolij herbę radicem ieiunus manducet laborans dentibus. Ad uulnera ferro facta. Herba Millefolium cum axungia pisata & imposita uulneri, purgat & sanat. Ad tumores. Herbam Millefolium commisam cum butyro tumoribus imponito. Ad dysuriã, hoc est urinæ difficultatẽ. Herbæ Millefolij succus cum aceto potus, mire prodest, sanatque.

Nomina & uirtutes Rutæ hortensis. Cap. XC.

GRAECIS dicitur Peganos & Eriphion. Romani Rutam hortensem appellitant. Nota quidem hæc est omnibus herba: cuius est altera usualis, altera agrestis, atque uirtutis acrioris: sed utræque fer uentissimæ comprobantur. Mutatur etiam nomina, pro regionum uarietate, apud Cappadocas appellata est Moier, à quibusdam Armola, à Bisis Bessa. Memorant etiam in Macedonia appellari Mollicines, ab alijs Viperalem uocari, eaque interfectibilis eorum cum probetur. Ad sanguinem fluentem e naribus. Herba Ruta frequentius odorata, sanguinem de naribus mire restringet. Ad inflationes. Herbæ Rutæ hortensis paululum edito, uel in potione sumito. Ad stomachi dolorem. Herbæ Rutæ semen cum sulphure uino & aceto ieiunus gustato. Ad inguinum dolorem. Herba Ruta uiridis coquitur ex oleo, deinde commiscetur cera, eo ut ceroto in linteolo utendum. Ad epiphoras oculorum. Herba Ruta cum polenta bene trita & imposita, lenit epiphoras: nam & radix cõtusa, & illita, eas emendat. Ad caliginem oculorum. Herbæ Rutæ rorem matutinũ, aut matutino madentes succos collectos in uasculo habeto, & ex eo ungebis. Eadem & carbunculis ex aceto tusa imponitur. Ad morsus canis rabidi. Herbæ Rutæ pondus denariorum sex ex uino bibitur. Plagæ imponuntur Rutæ folia trita cum melle, sale & pice. Ad cardiacos. Herbæ Rutæ fasciculus cum rosaceo decoquitur, adiecta aloes uncia, & olei perunctio dolorem sistit. Pro Lethargicis excitandis. Herba Ruta trita ex aceto infunditur fronti. Eadem ignem sacrum ex aceto & oleo illita sanat. Ad oculorum aciem. Folia Rutæ subinde manducet ieiunus. Herba Ruta cum uino contrita, potui data, antidotum est. Ad profluuium mulieris. Herbam Rutam circunscribe auro & argento & ebore, & sublatam eam alligabis infra talum. Si fluit semen. Herba Ruta manducatur ex uino cum liquamine. Ad capitis dolorem. Herba Ruta ex uino potui datur, & trita capiti instillatur cum aceto & oleo rosaceo.

Nomina & uirtutes Mentastri. Cap. XCI.

MENTASTRVM Græci Calaminthen, alij Glechon agrion, alij Hedyosmos, alij Osmites Bregiu, Thesmu Osthanes; Prophetæ Gonos Apollonos; Itali Mentastrum uocant: Alij Nepetã; Hispani Creobula, Galli Mentam. Huius species tres memorantur. Est enim syluestris, folijs Ocimi similibus, atque subalbidis, ramis cauliculatis, cum flore purpureo: sed eius folia sunt odore pulegio similiter forma ta, sed maiora. Secunda species appellatur agreste pulegium, quã specialiter Latini (ut supra diximus) Ne petam uocãt, cum folijs menthæ similibus, longitudine à prædicta porrectioribus, thyrso atque ramis maioribus, sed inferioribus effectu. omnium acriora sunt folia gustu, atque incendiosa. Ad aurium uitia & dolorem. Mentastri herbæ succus cum uino austero mixtus, & in auriculam coniectus, uermes natos necare creditur. Vt scias in cuius stellæ tutela sis. Herbam Mentastrum tollis mundus; in linteolo mundo habeto, ut quando in pane cocto granum frumẽti integrum inueneris, quem simul cum herba ponito, & preceris septem stellas, id est, Solem, Lunam, Mercurium, Iouem, Venerem, Saturnum: & sub puluino pone, ut tibi per quietem ostendant, in cuius stellæ tutela sis. Pro elephantiacis. Herbæ Mentastri folia frequenter manducato, sanare certum est.

Nomina & uirtutes Ebuli. Cap. XCII.

EBVLVM Græci Chamæacten dicunt, alij Chamæsacen, alij Moecosa Phrodites, alij Agrianacten, alij Eboicen, Galli Ducone, Daci Olma, Itali Ebulum. Ramis rotundis digitalibus, terræ prostratis, succo plenis, folijs lẽticulatis, fructu siue semine rotundo, radice tenui. Ad calculosos. Ebulum herba, tenerum cum folijs tritum, ex uino potui datum, calculos pellet. Ad colubri morsum. Herbam Ebulum antequam succidas, ter nouies dicis, Omnia mala bestia canito: atque ferro q̃ acutissimo elima, secundam terrę trifariam prædicito; & id faciens de eo cogitato cui medeberis; reuersus ita ne respicias, & ipsam herbam contritã opponito, cõtinuò sanabitur. Ad Hydropicos. Herbę Ebuli radicis succus expressus cyathis quatuor ex uini sextario semis potui semel in die datus, hydropicis ualidissimè proderit; per annum enim humor omnis detrahitur. Splenis dolori curando. Herbæ Ebuli radicem siccatam, & in puluerem mollissimum redactam, ex uini cyathis quatuor, pulueris cochlearia tria in limine stans bibat, & Ebulum semper secum habeat sine ferro lectum.

Nomina & uirtutes Pulegij. Cap. XCIII.

GRAECI Blechon, alij Glechon, alij Arsenachanthon, alij Poludon ac Heniton; Prophetæ Pantaagathon, Osthanes Dimoron, Latini Pulegium. Quam uim Pulegium secum habeat, multi

gnorant. Duo enim genera sunt, masculum & fœmina: masculum florem albũ habet, fœmina rubeum siue purpureum: utrunque utile est & mirabile. Cæterùm mirabile in se habent, cùm maximis æstatis caloribus floreat, cùm fere alię herbæ arescũt. Virtutis est acerrimæ ac feruentis. Capiti ne noceat æstus.

Herbam Pulegium tecum aut super aurem, aut sub annulo portato, hoc & hyeme tota facies, nec grauetudinem senties, nec perfrictionem. Ad infantium intestinorum dolorem.

Pulegium & cuminum tritum ex aqua super umbilicum ponito, & continuò sanus fiet.

Contra nauseam stomachi. Pulegium tritum, uel in aqua maceratum, cum aceto potui dabis, nauseam stomachi sedat. Ad uentris pruriginem. Pulegium in aqua feruente maceratum tandiu, donec bibi possit aqua, optimum est, & pruriginem sedat. Ad uentris dolorem.

Pulegium commanducatum, & in umbilico positum, religatum ne excidat, cõtinuò dolorem discutit.

Tertianæ curandæ. Pulegij ramulos lana inuolutos odoret ante accessionem: quòd si quis coronam Pulegij in capite habuerit, capitis dolorem sedat. Si infans in utero mulieris mortuus fuerit.

Pulegij codas treis recentes, quæ adolent suauiter, tritas in uino ueteri optimo, quartario da, bibat.

Ne in naui nausees. Pulegium & Absinthium simul tere ex oleo & aceto, nares frequenter frica.

Si mulier minus purgatur. Pulegij pon. seminum in oxymellite cyathis duobus manè ieiuna bibat.

Si secundæ à partu non sequuntur. Pulegij treis distingue codas, & in uino bono da, bibat.

Aduersus uesicæ dolorem uel calculum. Pulegium in uini cyathis duobus bene contritum, ieiunus bibat, & continuò in solio descendat, intra paucos dies sanat, & calculus pellitur.

Si quis circa cor, uel pectore dolet. Pulegij & aceti cyathos duos ieiunus bibat.

Contra spasmum. Idem faciat si spasmus molestus fuerit. Si mulier obticuerit.

Pulegium contritum, & in puluerem redactum, lana conuolutum subijciatur ab obstetrice.

Ad stomachi aut intestinorum inflationem. Pulegium ex aqua calida cõtritum, uel ex uino, aut per se dato, rem miraberis illico. Ad morbum articulorum. Pulegium in oxymelle, quartario uel cyathis tribus ieiuno da bibere, eijciet bilem & saniem albam: idem faciet ut facilè respiret.

Splenis dolori medendo. Herbam Pulegium decoque ex aceto, & id acetum calida permixtũ potui dabis. Cæterùm ne quid pulegij prægnanti dederis. Ad Sciam uel coxarum dolorem.

Herba Pulegio & pipere æquis ponderibus tritis in balneo perfricabis, ubi dolet.

Nomina & uirtutes Nepitæ. Cap. XCIIII.

GRAECI eam Mentham agrian, alij Menthamorinon, alij Diaulan, Prophetæ Hæma Ammonos, alij Gonos Ammonos, Itali Nepitam montanam, siue syluestrem. Morsibus serpẽtum curãdis.

Herbæ Nepitę montanæ ex uino tritæ succus expressus, cum uino potui datur: cuius etiam folia contrita plagæ utiliter imponuntur.

Nomina & uirtutes Peucedani. Cap. XCV.

A' GRAECIS dicitur Peucedanon, quibusdã Licys agrion, alijs Agriophyllon, Prophetæ Agathos Dæmon, Itali Pinastellum, alij Satanariam uocarunt. Thyrsum habet ut fœniculus, radicem magnã & nigram, grauissimi odoris, succo plenam; secundum ipsam, coronam densam, florẽ nigrum; pro temporibus augetur, & propterea aliquãdo præsecta molli radice defluit, atque in umbra deponitur seruada. Sole nanque uires amittit; sed probatur melior esse flauus & feruens gustatu & odore grauis, ut in Sardinia & Samothracia gignitur. Ad serpentes fugandos.

Peucedanum herba arcet serpentes odore suo. Peucedanum item cum betonica & adipe ceruino aut medulla aceto mixto, morsui medetur. Contra Phrenitim. Herba Peucedanum cum aceto, capiti infusa, summè facit.

Nomina & uirtutes Hinulæ campanæ. Cap. XCVI.

A' GRAECIS dicitur Panax Chironia. Alij Centauriam, alij Panax Helenion, alij Helenam; Itali Hinulam campanam appellant. Habet folia Amarathro similia, flores aurosos, radicem tenuem, non altam, acerrimam gustu; medetur serpente uexatos. Ad uesicæ dolorem.

Herba Hinula, & Apij semẽ, & Asparagi, & fœniculi quoque radices, in unum trita, & in tepida potui data, efficaciter prodest. Remedium ad cruciatus dentium. Herbam Hinulam ieiunus commanducet, dentes confirmat. Ad lumbricos. Herbæ Hinulæ folia ex uino trita, supra uentrem ponuntur.

Nomina & uirtutes Cynoglossę. Cap. XCVII.

GRAECI Cynoglosson, alij Phrygian, alij Emionion, alij Splenion, alij Caballatiõ, alij Acolymbos, alij Scolymon, alij Pyrgys, alij Leucrion; Aegyptij Zęnis, Itali Linguam caninam, alij linguam canis, alij Sublabium, alij Linguam Macedonicam. Ad morsum serpentis.

Cynoglossa herba trita, & ex uino sumpta, prodest. Quartanæ typo medicando.

Herba Cynoglossa, quæ folia quatuor habet, pisata, & potui data ex aqua, liberat. Pro ijs qui minus audiunt. Herbæ Cynoglossæ succum ex passo & oleo tepefacto in aurem stillato, mire sanat.

Nomina & uirtutes Saxifragæ. Cap. XCVIII.

A' GRAECIS dicitur Saxifragos, alijs Adiantos, alijs Scolopendrion, quibusdam Scolymos, nonnullis Scoliprochos, Asplenon, & Prochos agrios; Aegyptij Phepere; Itali saxifragam, alij uitem canam, alij Apruco, alij Lampago uocant. Nascitur in montibus, locis saxosis, uirgultis nigris, lenibus, cum splendore, bipalmis, ut coriandrum scissis in summitate. Calculosis amuletum præsentaneum.

Saxifragam herbam contritam ex uino bibendum dato, febricitanti ex aqua calida: tam præsentis effectus ab expertis traditur, ut eodem die perfractis eiectisque calculis, ad sanitatem perducat.

Nomina & uirtutes hederæ nigræ. Cap. XCIX.

GRAECI eam dicunt Cissos Melas, alij Cissarion, Cissonecion'ue, alij Crysometas, Galli Bolus serron, Daci Arborriam, Itali Hederam nigram. Ad calculos pellendos.

Herbæ hederæ baccas aut septem aut undecim contritas, ex aqua potui sumptas, mire calculos in uesica congregatos frangere & extrahere per urinam, certum est. Ad capitis dolorem.

Herba hedera cum oleo rosaceo & cum succo eius, mixto uino tempora uel frontem perfricabis, sedat dolorem. Ad splenis dolorem. Herbæ hederę nigræ grana, primo III. secundo V. tertio VII. quarto VIII. quinto XI. sexto XIII. septimo XV. octauo XVII. nono XIX. decimo XXI. in uino bibuntur diurnis diebus, si febricitat, in aqua calida, maximo auxilio lienosis auxiliatur.

Ad sphalangionum morsus, Herbæ hederæ radicis succus bibatur: item ulceribus, hedera ex uino decocta, utiliter imponitur. Ad nares graueolentes, Herbæ hederæ succus bene colatus in nares infunditur. Ad aurium uitia, & eis qui minus audiunt, Herbæ hederæ succus mudissimus cum uino stillatus medetur. Ne caput à sole doleat. Herbæ hederæ folia mollissimè trita in aceto & oleo rosaceo aduersus omnem capitis dolorem fronti illinitur.

Nomina & uirtutes Serpylli. Caput. C.

A' GRAECIS dicitur Herpyllos, alijs zygis. Alij Polion, Aegyptij Meronopus, Itali Serpyllum, alij Cicer erraticum, alij Cicer rusticum: eius est alia hortualis siue usualis, humi serpens cum folijs atque ramis Origani similibus, albidioribus quidem, atque samsuci odorem fingentibus: alia agrestis, quæ etiam Zygis appellata est, non in solo serpens, sed directa atque statim positione subrecta, cum ramis tenuibus atque lignosis, longitudine bipalmi, & folijs paruis & angustis tanquam rutæ, sed paulò longioribus atque plenioribus & angustioribus. Floribus quoque omnibus in uirgis cõstitutis, in summitate purpureis, remordentibus linguam, odore iucundo, radice inutili. Nascitur in petris. uehementior est autem ruibea, quæ seminalis siue hortualis appellata est. Capitis dolori medendo.

Herbæ Serpylli succum cum oleo & sale fricto, & in pulucrem redacto, omnibus permixtis caput peruncium sanatur: Item Serpyllum decoctum in aceto, tritum illinitur temporibus & fronti.

Ad combustum. Herbæ Serpylli surculi unciam, spumæ argenti uncias treis, rosam: hæc in mortario teres: ceræ punicæ, adipis ursini & ceruini semilibram, simul decoques, colabis, & impones.

Nomina & uirtutes Absinthij. Cap. CI.

GRAECI Absinthion Bathypicrõ cognominant, Romani Absinthium rusticum, Aegyptij Somi appellant. Est porrò Absinthium omnibus cognitum; cuius probabilius genus est Ponticum uirtutis acerrimæ, feruentis, & redarguentis amaræ. Nascitur locis cultis & montuosis & saxosis. Est præterea aliud Absinthium marinum, quod quidem Seriphium uocant; gignitur in Tauro monte & Cappadocia plurimum, & in Taphosiri Aegypti prouincia, tenuioris fructus ac seminis à supradictã, & angustioribus folijs, neque tam amarum, sed odoris grauioris. Contra periculum fungorum.

Herbæ Absinthij succum ex aceto bibat; hoc serotinus uir cẽtenarius euasit, cùm esset à fungis tẽtatus.

Ad liuores tollendos. Herbam Absinthium in aqua decoctum, & inductum panno impone: si corpus tenerum fuerit, ex melle imponito. Lumbricis necandis.

Absinthij herbę & Marrhubij & Lupinorum paria pondera in aqua mulsa cocta, uel in uino austero bis aut ter in umbilico posita, necant lumbricos. Ad inguinum uel intertriginis molestias.

Herbæ Absinthij & marrhubij surculum sumito, & in semicinctio tecum portato, sanaberis.

Nomina & uirtutes Saluiæ. Cap. CII.

QVIDAM Græcorum Cission, alij Elelisphacon, alij Phacon, alij Bechion appellauere; Aegyptij Anusi, Itali Saluiam, alij Tussilaginem uocant. Elelisphacos agrestis, grauioris est odoris. Vsualis uero, quæ est boni odoris ac lenioris, Saluia uocatur. Est igitur frutex siue sarmẽtum longitudine porrectũ, subalbidum, uirgis maioribus, folijs paulò asperis, odoris boni, & fructu siue semine in summitate ramorũ, similior minor agresti. Nascitur asperis locis, & est uirtutis redarguentis cum acrimonia, quę denique pro

Dictamno sæpe uenenum eijcit. Contra ueretri pruriginem.

Herba Saluia decoquitur, & de ea aqua ueretrum infricatur. Ad pruriginem circa anum.

Herba Saluia decoquitur, & de ea aqua inferiores partes fomentantur, & sedat pruriginem summé.

Nomina & uirtutes Coriandri. Cap. CIII.

GRAECI Corion, Itali Coriandrum, Aegyptij Ocheon nominant. Notum quidem omnibus frigidæ uirtutis esse. Lumbricis purgandis.

Coriandrum coquitur ad tertias in oleo, & in caput mittatur. Mulier ut citò pariat.

Coriandri seminis grana XI. aut XIII. in linteolo mundo de tela alligato, puer aut puella uirgo ad femur sinistrum prope inguẽ teneat: & mox ut peractus fuerit partus, pueri remedium citò soluatur, ne intestina sequantur. Ad frigora & omnes febrium typos.

Herbam Coriãdrum ubi manè uideris ad olitorem propositum, accedis ad eum, & proijcies denarium, & tollis fasciculum de Coriandro; sed noli nominare, & portes tecum usque dum hora suspecta ueniat. cùm hora transierit, & nihil tibi prouenerit, sub sero proijcis illud post te, dum ambulas, & noli post te respicere, liberabis te.

Nomina & uirtutes Portulacæ. Cap. CIIII.

A' GRAECIS dicitur Andrachne. Alij Cappara, alij Andremas, Prophetæ Hæma areos, Daci Lax, Aegyptij Mothmutim, Itali Portulacam, alij Pocastrum, alij Illecebram, nonnulli Amaranthos uocarunt. Notum est omnibus, Portulacam frigidæ uirtutis atque redarguentis esse.

Ad seminis immodicum profluuium.

Portulaca herba sumpta, bene facit, & per se, & cum Oxygaro. Ad stomachi inflationem.

Portulaca herba purgat, & in aceto sumpta, mirè inflationem tollit.

Nomina & uirtutes Cerefolij. Cap. CV.

GRAECI Pæderota uocant, alij Boopes, alij Arctophyllon, Latini Cerefolium.

Ad stomachi dolorem. Herbæ Cerefolij uiridis cymas treis colliges, & pulegium in ligno teres, mellis cochlearium malaxes, ut ebulliat cum papauere uiridi, & induces stomacho.

Nomina & uirtutes Sisymbrij. Cap. CVI.

GRAECI Sisymbrion, alij Stephanon Aphrodites, alij Herpyllon mega, Latini Terralem Austeralem'ue, alij Mentham Veneriam appellant. Est quidem similis menthę, sed latioribus folijs atque odoris summi, & uirtutis feruentis. Ad uesicæ dolorem & stranguriam.

Sisymbrij herbæ contriti excepto succo, scrupulos duos febricitanti ex aqua calida, non febricitanti ex uino potui dabis, mirè remediaberis.

Nomina & uirtutes Olusatri. Cap. CVII.

SMYRNION Græci uocant, alij Hipposelinon, alij Selinon agrion, Itali Olusatrum, Aegyptij Denterobon; Radice alba, stomacho commoda, non ualida, thyrso molli, cauo atque celso, ueluti scripturis notato, quas Græci γράμματα uocant, folijs latis atque rubris cum albis notis, semine longo, acciimulatur masticatione, atque odore aromata simulat. Ad uesicæ dolorem & stranguriam.

Herba Olusatrum trita ex passo in potu sumpta, stranguriam potenter emendat.

Ad purgationem mulierum. Herbæ Olusatri semen ex mulso potui dabis, fœminas purgat.

Nomina & uirtutes Lilij. Cap. CVIII.

GRAECI eam Crinon uocant, alij Lirion, Latini Lilium, alij Rosam Iunonis. Ad percussum serpentis, Herbæ Lilij bulbum conterito, & in potu dabis; ipsum etiam bulbum tritum morsui adponas, sanabitur. Ad luxum. Herbæ Lilij folia tusa & imposita, efficaciter sanant: & si tumor fuerit, sedát.

Species & uirtutes Tithymali. Cap. CIX.

TITHYMALI species sunt septẽ, quarum alia masculum, siue Characias appellatur, uel Comites, aut Amydaloides, atque Cobios, Helioscopos, Meconitis, Alipos: Latini Lactucam marinam, Prophetæ Conos artos. Alia fœmina, quam Myrtiten, uel Caryiten, Myrsiniten appellant; Romani Mutilaginem caprariã. Tertia Paralios, siue Tithymalis, Paraplion, Mecon aut Meconiõ. Quarta Helioscopios, Dentricis Tithymalis, Latinè Cicer columbinũ, & Caprago dicitur. Quinta Cyparissias. Sexta Dendroides. Septima Platyphyllos siue Persites. Prophetæ Asclepiu diadema. Latinè Tritum appellatur.

Characias

Characias igitur nascitur in collibus, uel montuosis locis, thyrsis ultra longitudinem cubitalem rubris, succi acrioris, atque albis folijs oliuæ similibus, paulò angustioribus, sed longioribus comæ, in summitate sunt iunci similes, uirgulis porrectis, in quibus ueluti cauliculi cum semine, radice longa. Succus eius potui datus duobus obolis, purgat phlegma bilemque: in posca uetrem soluit, in mulso uomitum mouet, emortuos dentes & exesos tollit. Fœmina autē asperis nascitur locis, & alba est, folijs similibus myrti, paulò maioribus ac firmis, & acutis in summitate, spinosis uirgultis bipalmis, fructu siue semine nuci similis, quæ leniter arguat gustū, ac singulos per annos renascatur: eius succus plus est uomificus. Paralios nascitur circa mare, ramis bipalmis, rubris, quinis uel senis ab radice uenietibus, in quibus folia parua, angusta & longa, cum capitello in summitate denso paruo, in quo Eruo similis, sed uarium floribus albis ex toto, atque succo uirtutis superioris. Helioscopos prouenit in hortis, ramis è radice uenientibus quatuor aut quinque, bipalmis, tenuibus, rubris, folijs portulacæ similibus, paulò tenuioribus capitello, anethi similis, fructu siue semine uelut in folijs, coma quasi dei solis motibus uel circunflexionibus conuertat, uirtute prædictæ similis, sed paulo uehementiore. Cyparissias, thyrso bipalmi, nigro ac subrubente, folijs pini similibus, sed paulo longioribus. Dendrys nascitur in petris, latior ac rubrior prædictis ramis, folijs myrrhæ tenuioribus similis, fructu siue semine ceu Characias. Platyphyllos similis est Verbasto forma atque uirtute. Ad interiorum dolorem. Tithymali herbæ fruticem teres, & in uino, cyathis duobus, ex eodem succo cochlearia duo dato ieiuno bibere, sanabitur. Ad uerruculas tollendas. Herbam Tithymalum lactem mixtum cum Batrachi herbę succo, si in uerrucā imposuerit, tertio die sanabit. Ad fistulas. Herbę Tithymali succum cum uino mixtum superexprimito, deinde cęteris fomentis obligato. Ad lentiginem, hoc est lepram. Tithymali herbę flos cum resina decoctus illinitur.

Nomina & uirtutes Cardui syluatici. Cap. CX.

GRAECI Chrysisceptron, alij Ixian, alij Pancration, alij Chamęleon, alij Gnidium coccum, alij Vlophonon, alij Cynomazon, alij Cynozolon, alij Ocimoides: Latinis Carduus uaria, Carduus lacteā, Carduus nigra: alij Vernilago, Vstilago. Nascitur in pratis, & secus uias. Ad infirmitates stomachi. Herbę Cardui syluatici, quam habet in capite summo medullam uiridem dato ex Oxygaro, edat. Vt occursus malos non timeas. Carduum herbam, si Sole nouo fuerit Luna in Capricorno, tollis, & quandiu tecum portaueris, nihil mali tibi occurrit.

Nomina & uirtutes Lupini. Cap. CXI.

A' GRAECIS uocatur Thernos orinos, à Romanis Lupinum montanum. Nascitur secus sepes, aut locis sabulosis. Ad lumbricos & tineas. Herbam lupinum montanum tere cum radice, & dato ex aceto cyathum unum bibere, sine mora eijciet. Item infantium, cum absinthio tritum, umbilico imponitur.

Nomina & uirtutes Lathyridis. Cap. CXII.

A' GRAECIS dicitur Lathyris, Coccos gnidios: Alij Chamelean, alij Eupolis, alij Epantemon; Itali Cicotatium, alij Lathyridem nuncuparunt. Nascitur locis cultis & sabulosis, thyrso cubitali, roboris digitalis, cuius in summitate furcę, atque folia loga, ut in aristolochia, semine in summitate ramorum trigano & rotundo, ut capparis, in qua tria semina obtecta, folijs inuicem discreta, rotunda, & eruo maiora: quę purgata, alba reperiūtur & dulcia. Ad duritiam uentris. Herbę Lathyridis semen quod est granum, purgatum potui dabis in aqua calida, aluum citat.

De uirtutibus Lactucæ Leporinæ. Cap. CXIII.

NASCITVR Lactuca leporina locis sabulosis. Lepus ęstate cùm animo deficit ęstu, hac herba remediatur, ideo Lactuca leporina dicitur. Ad febricitantes. Lactuca leporina supponitur sub puluino nescienti, remediabitur. Si pili oculis obstant. Lactuca leporina pilos oculis obstātes summè relegat.

Nomina & uirtutes Cucumeris. Cap. CXIIII.

GRAECI Elaterion, alij Licys agrios, alij Grynon, alij Ballis, alij Bubalion, alij Scorpion, alij Phe rombron, alij Peucedanum, alij Notiō; Itali Cucumerem Anguinum & Cucumerem syluaticum; Prophetę Nemaictinos, Punici Cussimezara. Nascitur locis arenosis, sed maritimis & calidis, folijs cucumeri usualis similibus, cum uirgultis breuioribus, radice alba, magna, & fructu longitudine digitali; totus frutex amarissimus. Ad neruorum dolorem & podagram.

Cucumeris syluatici radices coques ex oleo cibario pondo III. ad tertias, inde perunges eos, sanabūtur. Ad aborsum. Herbę Cucumeris syluatici radices ad tertias in aqua coquantur, & inde se sublauet. Si quis autem ieiunus, fructum eius ediderit, periclitabitur: ideoque quisque abstineat, neque manducet.

Nomina & uirtutes Cannabis. Cap. CXV.

CANNABIS alia est usualis, alia agrestis, quam nonnulli Hydrastinam, Itali Terminalem appellitant, radice similis Altheæ, quam nos Ibiscum appellamus. Nascitur locis asperis, & secus uias ac sepes.

Ad mammillarum dolorem.

Herbam Cānabem syluaticam tusam, cum axungia imponat, discutiet tumorē: & si collectio fuerit, expurgat. Frigore exustis. Cannabis syluaticæ fructū tritum cum urticæ semine subiges aceto, & eis impones.

De uirtutibus Rutæ montanæ. Cap. CXVI.

GRAECI Peganon orinon, Itali Rutam montanam uocauere. Cæterum titulum quære suprà in Ruta hortensi. Nascitur in montibus, locis asperis. Ad caliginem oculorum & ulcera. Herbæ Rutæ montanæ roscidæ folia decocta in uasculo uitreo mittes, uinum uetus admisce, & sic inūges. Ad præcordiorum dolorem. Rutam syluaticam contunde in uase ligneo; deinde addē tribus digitis, quod prendere potueris, mitte in calicem, & uini cyathum unum & aquæ calidæ cyathos duos da bibat, & cōtineat se in lecto modicum, mox sanus erit. Ad hepatis dolorem. Rutę syluaticæ manipulum in olla noua & aquæ heminas treis; mellis tantundem adijcito, exempta ruta, & fac inferuescat aqua cum melle: id per triduum facies bibere, & sic plures poteris sanare. Pro ijs qui meiere non possunt, uel dysuriam patiuntur. Herbæ Rutæ syluaticæ cauliculos nouem conterito, additis aquæ cyathis tribus, & aceti hemina, & subferueat, & dato bibendum dies continuos nouem, sanus fiet. Si mulier intrinsecus aliquid mali habuerit. Rutæ syluaticæ semen contritum, ex uino austero da bibat, præter partum liberabitur. Ad extematos à uino. Rutæ syluaticæ semen cum uino potum, mirè facit. Scorpio si quem percusserit. Herbæ Rutæ syluaticæ semen contritum ex uino dabis potui, dolorem sedat.

Nomina & uirtutes Heptaphylli. Cap. CXVII.

GRAECI Heptaphyllon, Itali Septefolium dicunt. Nascitur locis cultis & sabulosis. Ad pedum dolorem. Herba Septefolium trita, cum luto mixta, pedes perunges, tertio die dolorem tollit.

De Ocymo, eiusq; uirtutibus. Cap. CXVIII.

OCYMVM, est herba notissima, atque difficilis digestionis, & mutatione sui instabilis, & uirtutis mictualis. Capitis dolori medēdo. Herba Ocymum tritum cum oleo roseo aut myrtino, uel aceto, fronti imponitur. Epiphoris curandis. Idem ad epiphoras oculorum ex uino optimo tritum, oculis illinitur. Idem ad renes in maligranati cortice bibitur.

Nomina & uirtutes Apij. Cap. CXIX.

SELINON Græci & Melissophyllon, Prophetæ Hæma areos, Romani Apium, omnibus notum est acerrimæ uirtutis esse & mictualis. Ad epiphoras oculorum. Herba Apio trito bene cum pane oculi teguntur.

Nomina & uirtutes hederæ Chrysocanthos. Cap. CXX.

A GRAECIS dicitur Cissos & Chrysocanthos sic appellata, quod grana aurei coloris ferat. Ad hydropicos sanandos. Herbæ hederæ Chrysocanthos grana uiginti in uini sextario contrita; ex eo uino terni cyathi bibantur per dies septem, qui per urinam exinaniuntur.

Nomina & uirtutes Menthæ. Cap. CXXI.

HEDYOSOMOS Græcis, Romanis Mentha dicitur. Ad ignem sacrum. Herbę Menthę succus expressus, adiecto sulphure & aceto, de pēna inunctus, sine mora dolorem sedat. Vlceribus in capite manantibus. Herba Mentha contrita, & imposita, ulcera siccat.

De Anetho. Cap. CXXII.

Dolori uentris medendo.

ANETHVM herbam combure, & cinerem eius commisces cum melle, dein uulnus foues ex aqua, dein ex myrtino calida laua, & sic medicamen impone. Loci mulierum si dolent. Herbæ Anethi medicamine suprascripto pessum factum inijciatur ab obstetrice. Ad capitis dolorem. Anethi florem cum oleo decoque, temporibus illinito & alligato.

Nomina

Nomina & uirtutes Origani. Cap. CXXIII.

ORIGANON à Græcis Heracleoticon, Onitis, Asclepion, Panaces, Conila appellatur. Latini Cunilam Gallicam & Origanum nominant. Tussi medendo. Herbam Origanum commanducet, miraberis effectum. Origanum item herbam in puluerem mollissimè tritum, & melle ad tertias decoctum, misce puluerem & figurabis trociscos, & bibat in aqua calida.

Nomina & uirtutes Semperuiuæ. Cap. CXXIIII.

GRAECI Aizoon, alij Aïthales, Latini Semper floridum & Semperuiuum, siue Vitalem nominant. Semperuiuę nomen sumpsit, quòd sit semper uiridis. Ab aliquibus Stergethron uocatur, eò quòd amorifica iudicetur; unde & pro foribus à plurimis ponitur, ut pellat odia: etiam Ambrosia dicta, propter usum sacrum: item Buphthalmos, Zoophthalmos appellata est, propter cymas: cubitales enim euomit thyrsos, robore digitali, linguam simulantes, folijs pinguibus, pollicis crassitudine, linguæ similibus in summitate; inferior uerò supinata; sed in capite præstricta, rotunditatem oculi simulantia. Nascitur in locis montuosis, in domibus etiam plurimi serunt. Prouenit etiam parua in parietibus, petris, & sepulturis, & locis umbrosis. Ad apostemata. Herbam Semperuiuum cum axungia & pane & coriandro simul tritam, uice malagmatis impone. Ad hemitriteum, Herbæ Semperuiui folia quinque trita in aqua calida potui dentur.

Nomina & uirtutes Fœniculi. Cap. CXXV.

GRAECI Marathron, Latini Fœniculum, omnibus notum. Vrinam mouet cito data, lac prouocat. Ex eius thyrsis siue folijs succus sole præsiccatus, acuit uisum. Præterea semen eius ex uirore constitutum cum suis uirgultis. Ad tussim. Herbæ Fœniculi radicem tusam in mero ieiunus bibat per dies nouem. Ad uesicæ dolorem. Herbæ Fœniculi uiridis fascem, & apij uiridis radicē, asparagi agrestis radicem in pultarium nouum mittis, & aquæ sextarium, ut simul ferueant ad quartas, & ieiunus bibat per dies septem, uel pluribus; balneo utatur, in recentem non descendat, frigidum non bibat, uesicæ dolorem sedat sine mora.

De Eryphio. Cap. CXXVI.

ITALI hanc herbam Rutam agrestem indigitant. Nascitur in Gallia in monte Soracti, figuram habet Apij, florem habet purpuræ similem. Nasturtium septem radicibus totidemque ramulis: ipsa autem patula humo asperis minimisque irriguis, omni florens tempore, semen habet tanquam faba.

Phthisicis curandis.

Herba Eryphion pisata, malagmatis instar imposita sanat; succi eius potui dati, miraberis uirtutem.

Nomina & uirtutes Symphyti. Cap. CXXVII.

A' GRAECIS Symphyton, & Xylophoron, Anachallis, & Nemostasis dicitur. Latini Conseruam, Hinulam rusticam uocant. Ad profluuium mulieris album. Herba Symphytum siccata, pisata, & in puluerem mollissimum redacta, in uino potui datur, & mox restringet.

Nomina & uirtutes Petroselini. Cap. CXXVIII.

GRAECI Petroselinon, alij Smyrnion, Itali Apium syluaticum. Nascitur in petris: sed est summum, ac probabile Macedonicum, odoris boni, hoc est aromatici, sapor dulce, urinam mouēs, medetur uentositati, stomacho & colo, & his similibus. Ad serpentium morsus. Herbæ Petroselini puluerē mollissimum pondere drachmæ unius ex uino potui dabis, & ipsa contritæ plagæ imponetur.

Ad neruorum dolorem. Herba Petroselinum trita, & imposita, neruorum dolorem sedat.

Nomina & uirtutes Brassicæ syluaticæ. Cap. CXXIX.

GRAECI Cramben, alij Cynanchon, alij Cynanchen nuncupant: Itali Brassicam rusticam, & Brassicam aliqui caninam, Punici Butzrutim. Ad tumores quoscunque. Herbæ Brassicæ syluaticæ cinerem cum axungia ueteri pisata cōmixtum, quasi malagma inducis linteolo grosso, & in aluta imponis. Ad lateris dolorem. Herbam Brassicam syluaticam imponis, ut suprà. Ad podagrā. Brassicam conficies ut suprà: quòd si uetustissimum fuerit, eò magis efficacius erit.

Nomina & uirtutes Basilicæ. Cap. CXXX.

BASILICAM Gręci, Itali Regiam nuncupant. Hęc herba illis locis nascitur, ubi fuerit serpens basiliscus. Non enim unum genus est eorum, sed genera sunt tria: Vnus enim est holochrysus:

alius stellatus, capite aureo: tertius sanguineus, ut minium, & ipse capite aureo. Hos omnes hæc herba Basilica obtinet facilè, si quis eam secum portauerit: sed nec mala ei nocere possunt. Holochrysus autem, qui dicitur Chryseos, quod uiderit, insufflat, & incendit: stellatus autem qui est Chrysocephalos Asteries, hic quod uiderit, arescit, & occidit: tertius autem qui est Hæmatites, & Chrysocephalos, quod uiderit uel percusserit, defluet, Vt ossa per se remaneant. Omnes uiolentias eorum herba Regula obtinet; si quis homo eam secum habuerit, ab omnibus serpentium generibus erit tutus. Est autem herba similis rutæ, lactem habens aurosum, similem Chelidoniæ, flore autem chrysococcum. Qui eam leget, mundus circumscribat eam auro & argento, cornu ceruino, ebore, dente aprino, cornu taurino, & fruges mellitos in uestigio ponet. Hac utebatur imperator Augustus. Stomachi ea dolorem compescit; neque iecoris, aut splenis, renum, cordis doloribus obnoxius fuit: neque Icia, neque spasmus, aut tussis, aut coli dolor neque hydrops eum tentabit: suspirium, pectoris dolores & lateris sedat, spissos humores per urinā deducit, renes purgat, uenenis resistit: & breuiter, omni corpori, quod ea usum fuerit, sanitatem restituit.

F I N I S.

LIBELLVS VTILISSIMVS DE BETONICA,

QVEM ANTONIO MVSAE QVIDAM, NONNVLLI APVLEIO ADSCRIBENDVM AVTVMANT.



BETONICAM siue Britanicam, Græci Cestron, & Prioniten, iidem Pyrinem, iidem Adiaton, iidem Psychotrophrō, item Thyarizan, Seropodion, & Pandiona appellauerunt: Prophetæ Hierathiorine, Romani Betonicam, aliqui Serratam, nonnulli Rusmarinam. Hæc herba nascitur in pratis & montuosis locis & opacis circa frutices. Animas hominum & corpora custodit, & nocturnas ambulationes à maleficijs, periculis, ab iustis etiam & uisionibus metuendis tuetur ac defendit, & omni rei sancta est. Cestron uocatur & psychotrophron, siquidem frigidis reperitur in locis. Radicibus quidem tenuibus & rubicundis, thyrso tenuiore, ultra cubitum, quadrangulo, folijs quercui similibus, boni odoris, semine in summitate thyrsi, spicato, modo thymbræ.

VIRTVTES BETONICAE.

Fracturis capitum sanandis.

HERBA Betonica contusa, & super capitis ictum posita, uulnus mira celeritate conglutinat, & sanat: Eoque efficacius, si ter die refectam, hoc est recentiorem frequentius imposueris, donec sanescat. Eius potestas tantam [illegible]tur habere utilitatem, ut ossa quoque fracta consolidet, & ui sua extrahat.

Oculorum doloribus medendis. Betonicæ herbæ radices ex aqua ad tertias coquito, & ex ea aqua oculos foueto. Ipsam aut eius folia certa supra frontem, & oculis imponito. Ad oculorum caligines. Betonicę drachmam unam, aquę calidę cyathos quatuor ieiunus bibat, deducit ad inferiorem partem eum sanguinem, qui caliginem oculorum fecerat. Ad oculos lachrymosos. Betonica manducata aciem oculorum clariorem facit. Item Betonicę herbę tritę paululum salis adijcito digitis duobus & pollice quantum tolli potuerit: sublatam formatam turundulam si naribus inserueris, idem efficies.

Aurium doloribus succurrendis. Herbę Betonicę recentis folia, uel per se, aut in aqua madefacta, deinde adiecta rosa liquida tepefacito, & in aures stillato, lanaque spissato, mirè proficere creditur.

Ad dolorem dentium. Herbam Betonicam ex uino ueteri & aceto ad tertias decoctam gargariza, dolorem dentium discutiet. Ad uomitus & suspiriosos. Herbæ Betonicę drachmam unam, & sumptis ex aqua tepida cyathis duobus, bibendū si dederis, iuuat. Idem suspiriosis prodesse creditur.

Phthisicis, & eis qui purulentum egerunt, curandis. Betonicę drachmas treis dato cum melle, & glutiat ieiunus, auxiliatur. Spleni curando. Betonicę drachmas treis dato manducare per triduum, uel in aqua frigida cyathos dabis bibere. Betonicæ drachmas quatuor, aquę calidę cyathos quatuor da, ut bibat per triduum. Herbam Betonicam ex uino decoctam, & potui datam, lienosis prodesse experti affirmant. Betonicę drachmę binę ex mulso cyathis duobus, bibentem sanabunt.

Ad renes. Betonicę drachmas treis ex uini ueteris cyathis tribus, piperis grana XXVII. contrita & calefacta ieiunus bibat. Ventris dolori medendo. Herbę Betonicę drachmam unam in aqua calida cyathis duobus bibēdam da. his autem duntaxat hęc apta erit compositio, quibus non ex cruditate intestina torquebuntur. Ad uentrem concitandum. Betonicę drachmas quatuor, hydromelitos, octo dies bibendum dato, uentrem mouebit. Ad lumborum dolorem. Betonicę drachmas tres ex uini Aminei cyathis tribus, piperis grana XVII. contrita & calefacta ieiunus bibat, curabitur.

Betonica ex mulso potui data, febrienti ex aqua calida, lumborum dolores sanare creditur.

Ad colum. Herba Betonica cum uino austero ęquè proficit. Ad tussim. Herbę Betonicę uncias duas ex melle accipiat per dies octo. Ad typum quotidianę. Herbę Betonicę drachmas duas, arnoglossæ unam ex aqua calida, cyathis quatuor bibendum sub accessione ministra.

Ad

Ad typos tertianæ atque quartanæ. Herbæ Betonicæ drachmas treis, mellis Attici unciam, aquæ calidæ cyathos tres in unum miscebis, & ante accessionem potui dabis, mirè sanabitur. Ad uesicę dolorem. Betonicæ drachmas quatuor, apij radicis scrupulos treis decoquito; radices uerò apij in aquæ sextario ad medium cùm decoctæ fuerint, tum demum betonica admiscenda, potui exhibenda, dolorem ita exterminant, ut postliminio redeat nunquam. Ad calculum. Betonicę drachmas treis ex aceto quam optime, & mellis & aquę calidę cyathos octo bibere confert. Hydropicis curandis, mulieribus item quę partu laborant, necnon & ijs qui febricitant, Betonicę drachma una ex aquæ calidę cyatho uno pota medetur. Betonicę item drachmę duę, aquę calidę cyathis quatuor, si sine febre fuerit: si cum illa, ex uini cyathis duobus ministra, fert opem. Ad paralysim. Betonica trita, & imposita, neruos etiam precisos glutinare, & persanare creditur. Contra horrores. Betonicę drachmę duę ex uino austero, cyathis duobus: Item ex aquę calidę pari mensura sub accessione bibere dato. Pro mulierculis quibus loci frigore uexantur. Betonicę drachmas tres ex aqua calida totidem cyathis ieiunę per triduum bibere dato. Aduersus ebrietatem. Betonica si prius sumatur, ebrietas uinum non comitatur. Morbo regio curando. Herbam Betonicam ex uino sępius sumptam proficere piria didicimus. Carbunculo sanando. Betonica in aquę calidę cyathis duobus pota, carbunculo medetur. His qui perfrictionibus laborant, Betonica cum axugia trita, plagę imponatur, prodest utique. Lassis ex itinere. Betonicę unciam ex uini cyathis tribus triduo ex itinere lassus bibat. Aegris fastidientibus cibum, Betonicę drachmas geminas ex aquę mulsę cyathis tribus potui dato. Vt facilè quis decoquat. Betonicę drachmas treis, mellis decocti unciã sumito, mel quo ad indurescat, coquito, ex aqua calida, cyathos duos potui dato. Pastillos quoque ex eo facere conuenit, & ex calida deglutire. Nota.

Ad serpentium morsum.

Betonicę drachmas treis ex uini cyathis tribus diluito & potui dato, omnium quippe serpentium morsus sanat. Betonicam quoque uini nigri cyathis tribus conterito, & uulneri illinito.

Venenis datis expellendis.

Betonicę drachmę tres statim potę, uenenum discutiunt.

Ad morsus rabidi canis.

Betonica contrita, & contusa, morsui imponitur.

Ad fistulas.

Ex Betonica contusa & cõtrita tumindulas facito, & pusillum salis inserito, fistulã obligato, expurgat.

Podagrę fugandę.

Betonicę radices cum folijs coctas ad tertias, in aqua potas: ipsam quoque per se tritam, & applicatam, mirè dolorem podagrę lenire, experti affirmant.

Ad purgationes.

Betonicę drachma purgationes hęrentes, in uino expellit.

LIBELLI DE BETONICA FINIS.

Nancelius Lectori S.

Apuleius Madaurensis, vir in philosophia Platonica clarus, magices cultor, Latini idiomatis prisci affectator studiosus, inter reliqua opera, hoc de re herbaria opus conscripsit, mancum sane & inops, e pluribus paucula colligens; ac velut ex horto Hesperidum, aliquot flosculos in corollam aut sertulum legens. Quo in opere laudari hominis debet industria, in copiosa nominũ omnigenum synonymia peruestiganda: nam quicquid praeterea inest praeterea, vel in descriptione herbarum, vel virtutis earundem amplitudine, id totum Dioscoridi acceptum referre debet: preter admodum pauca ἐξωτικὰ, tum etiam superstitiosa, ex arcana illa philosophię parte deprompta: quibus sola hominis authoritas vix apud me fidem prebebit. Ceterum & ipsi Dioscoridi turba innumera vocum tum Grecarum, tum Latinarum, tum etiam peregrinarum accessit, quanquam miris modis depravatarum; quę te nihilominus in dignotione reliquarum herbarum & plantarum, non parum poterunt adiuvare, siquando inter legendum (quod mihi sepe contigit in his aliquot Latinorum authorum corruptissimis operibus examinandis) inaudita quędam, & a communi usu abhorrentia nomina occurrent: quo e fonte hęc etiam synonyma, magna ex parte fluxisse videntur. Quantum autem laboris subierim in ijs omnibus emendandis, & nuda coniectura, sed non inerudita tamen, opinor, restituendis (neque enim ullo alio exemplari, Deum testor, usus vel minimum sublevabar, tantum operę insumpsi) ijs sane estimandum relinquo, qui aliquando in re consimili periculum fecerunt: a quibus statim illud Persij audiam,

Et plutеum cędit, [illegible] demorsos sapit ungues.

Vale. 8. Cal. Decembr. Turonj, 1575.

AEMILIVS MACER DE HERBARVM VIRTVTIBVS, CVM IOANNIS ATROCIANI COMMENTARIIS LONGE VTILISSIMIS.

Ad candidum Lectorem.



DE HOC Macro (candide Lector.) nihil certi auctores tradidere, nisi quòd coniectura est, plures Macros extitisse. De quorum altero sic Volaterranus: Aemilius Macer Veronensis Poëta, uolucres & herbarum cecinit uirtutes Ouidij tempore, ut ipse testatur:

> Sæpe suas uolucres legit mihi grandior æuo,
> Quæque nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer.

Sed & opus Homeri persequitur, quidquid apud Iliũ actum, usque ad finem belli, ut idē poëta testatur:

> Tu canis æterno quidquid restabat Homero,
> Ne careant summa Troïca bella manu.

Opus autem de herbis ad nostram usque peruenit ætatem. Hæc ille. De altero uero, Plinius epist. lib. 3. in epistola, cuius initium, Pergratum est mihi, quòd tam diligenter libros auunculi mei lectitas, ut habere omnes uelis, &c. Et in calce epistolæ, Confido tamen, inquit, hæc quoque tibi non minùs grata, quàm ipsos libros futura, quæ te non tantùm ad legendos eos, uerumetiam ad simile aliquid elaborandum possunt æmulationis stimulis excitare. hæc Plin. Atque hunc Plinianum Macrum huius operis fuisse auctorem asseruerim, quòd Plinius adhortatur illum ad simile quid elaborandum. Quòd autem præsens opus non sit Macri illius Ouidiani, ex eo elucet, quòd hic noster Plinium, multis seculis Ouidio iuniorem, plerisque in locis citat.

AEMILII MACRI DE HERBARVM VIRTVTIBVS.

De Artemisia.



HERBARVM uarias dicturus carmine uires,
Herbarum matrem (dedit Artemisia nomen
Cui græcus sermo iustum puto ponere primò.)
Huius opem fertur prior inuenisse Diana,
Artemis græcè quæ dicitur: indéq; nomen
Herba tenet, quia sic inuentrix dicitur eius.
Præcipuè morbis muliebribus ipsa medetur.
Menstrua deducit, eius decoctio sumpta:
Hocq; facit, matrix si sæpe fouetur eadem,
Vel si cruda mero sociata terendo bibatur,
Aut si trita uirens super aluum nocte ligetur.
Pellit abortiuum potu, uel subdita tantùm.
Duritias soluit stericas, pellitq; tumores:
Vrinam potata ciet, lapidesq; repellit.
Ictericosq; iuuat, cum uino sæpius hausta.
Hanc adipi iunctam strumis apponere, laudat
Plinius, atque iubet cum uino sumere tritam.
Hæc, opium nimium si quenquam læserit haustum,
Subuenit eximiè, si uino iuncta bibatur.
Affirmant etiam, quisquis gustauerit illam,
Quòd nullo ualeat nocuo medicamine lædi:
Et quòd eum morsu non appetat ulla ferarum.
Radix illius collo suspensa, rubetis
Dicitur, & cunctis nocuis obsistere ranis.
Succus ad hoc eius cum uino proderit haustus.
Si musto contrita recens seruabitur herba,
Vinum prædictis reddit medicabile morbis:
Et sapor est & odor uino gratissimus illi:
Confortat stomachum, sanat præcordia: sumptum
Et multis alijs affirmant utile causis.

HERBARVM uarias.] Proponit, omissa inuocatione, quicunque tandem huius utilissimi operis auctor, quid & qualiter dicturus, uarias herbarum uirtutes scilicet: non soluta oratione, hoc est prosa: sed ligata, & numeris astricta, hoc est carmine: nec quolibet, sed hexametro tantùm. in quo si quid contra ueterum ac classicorum consuetudinem & auctoritatem, quod fit quidem rarissimè, ponitur, studiosum lectorem minimè celabimus. Sunt tamen ex tanto studiosorum numero admodum pauci quibus curæ sit syllabarum discrimen, earundemque proba aut improba positio. Et cùm totus orbis hodie refertus sit præceptoribus, uix tamen unus aut alter reperitur, qui sciat discernere inter carmen & prosam. Olim mihi quidam nondum agenti annum 15. persuadere uolebat, hymnos quos canit sacrosancta Dei ecclesia, orationem esse solutam ac prosam: in quo uicisset ille, si ab incunabilis aliter sentire haud edoctus fuissem. Quale genus hominum, hoc est indoctum, & à Musis prorsus alienum, non solùm Macro huic, sed optimis quibusque auctoribus multũ nocuit, & multa fœda uulnera inflixit. Opera tamen nostra pristinæ sanitati restitutus est Macer hic noster, quem & modò multò tutius legere possunt literatum candidati (quibus hæc qualiacunque commentariola scribimus) quàm antea. Volentes scire, qui latinè usus herbarum scripserint,

rint,& quando ad Romanos notitia eorum peruenerit,& qui primi Græcorum de his composuerint, legant Plinium Natur.hist.lib.21.Cap.2. Herbarum matrem.] Artemisiā dicit matrem,uel propter ipsius inuentricem Dianam,uel propter ipsius præstantē efficaciam:& Artemisiam græcè uocatam,ab Artemide,hoc est Diana. Ponitur autem hîc Artemisia τεχνικῶς,hoc est,ut quidam loquūtur, materialiter,& pro uoce tantum. Est autem,dedi Artemis. parenthesis,ut signatum cernis. Huius.] Artemisiæ. Opē.] Virtutem & auxilium contra morbos præcipuè muliebres. Fertur.] Narratur, dicitur. Prior.] Sic etiam Gell.retulit Prior ad plures,li.14.ubi ait, Qui eorum prior alijs esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuisse. Inuenisse.] Reperisse,quamuis hæc differant. Naso horum differentiam clare expressit in Metamorphosi,hoc hemistichio, Non inuenta, reperta es. Diana.] Fuit hæc Iouis filia, & græcè ἀέρτεμις dicitur,hoc est,aërem uerberans:testis Macrobius Saturnal.lib.7.cap.ultimo. Artemia,Dianæ sacra uocantur,in quibus faces gestabantur:quod Cœlius etiam libro Antiquarum lectionum adnotauit. Indeque nomen.] Hoc est à Diana,quæ græcè ἀέρτεμις dicitur,herba nomen habet Artemisia. Dissentiunt auctores de inuentrice huius herbæ, quod docemur ex Plinio,qui li.Natural.hist.cap.7.hæc scribit: Mulieres quoque hāc gloriam affectauēre, in quibus Artemisia uxor Mausoli,adoptata herba, quæ antea Parthenis uocabatur. Sunt qui ab Artemide Artemisiā cognominatam putent, quoniam priuatim medicatur fœminarum malis. Putatur autem Artemisia eadem cum Ambrosia: genusque duplex illius asserit idem Plinius. Absinthij autē modo(inquit)fruticosa,maioribus folijs,pinguibusque. Ipsius duo genera: altera latioribus folijs,altera tenera tenuioribus,& non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellant,simplici caule,minimis folijs,flores copiosi erumpentes,cum uua maturescit,odore non iniucundo,quam quidam botryn,alij Ambrosiam uocant. Artemisia etiam nomē oppidi & insulæ,ut docet Plinius. Inuentrix.] Diana. Muliebribus.] Id est mulierum,quibus mulieres infestantur. Menstrua.] Hæc etiā muliebria rectè dixeris, ut in Geneseos libro,cap.18. Erant autem ambo senes,prouectæque ætatis,& desierant Saræ fieri muliebria. Sunt autem menstrua,mulierū profluuia singulis mensibus redeuntia. Hocque.] Hoc est,matricis etiam mala per illius concoctionem sumptā fugantur. Cruda.] Non cocta. Mero.] Vino. Nocte.] Quando ægrotans fœmina cubitum abijt. Abortiuum.] Quod abortum,hoc est immaturum ortum facere potest. Subdita.] Supposita per suffumigationem. Stericas.] Hystericas ab hystera rectè dicitur,non stericas. ὑστέραν enim uocant uterum,uuluam. Et mulieres ab utero suffocatæ, hystericæ dicuntur. Et ut pueri intelligant, hystera, quod Macer dicit, steram,est uas fœtum conseruans. Insignis autem eius affectio est,ubi obdurescit. Stericas ergo,id est hysteræ,hoc est uteri seu uuluæ. Ciet.] Mouet,& fluere facit. Lapides.] Calculis qui sunt in renibus,mediocriter opem ferunt artemisiæ,inflammationibusque femorum. Ictericos.] Ictero morbo laborantes. Icterus,teut. Gelsucht. Hic uocatur etiam morbus regius,item aurugo; & inde homo auruginosus, qui patitur. Et appellatur arquatus,à colore celestis arcus:nōnunquā dæmoniacus,& comitialis. Hicterici,qui hoc malum habent, teut. Gelsuchtig. Strumis.] Struma,gutturis uitium. Struma,inquit Celsus,quoque est tumor,in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine,quasi glandulæ oriuntur. Quæ uel præcipuè fatigare medicos solent,quoniam & febres mouent, nec unquam facile maturescunt,siue ferro,siue medicamentis curantur. Plerunque iterum iuxta cicatrices ipsas resurgunt, multoque post medicamento est opus. Quibus id quoque accedit,quod longo spatio detinent. Nascuntur maxime in ceruice, sed etiam in alis & inguinibus & in lateribus. In mammis quoque fœminarum se repetisse,chirurgicus Meges auctor est. Opium.] Succus ex papauere,habens per somnum uim,si copiosius sumatur,mortiferam. Affirmant etiam.] Artemisiam quoque secum habentibus, negant nocere mala medicamēta,bestiam'ue ullam,ne solem quidem. Bibitur & hæc ex uino aduersus opium. Alligata priuatim potens traditur,pota'ue aduersus ranas: auctor Plinius libro 25.capi.10. Rubetis.] Ranis uenenosis. Iuuenalis, Porrectura uiro miscet sitiente rubetam. Stomachum.] Qui est rex totius corporis. Nec stomachus semper pro uentriculo apud scriptores accipitur,sed etiam pro gula ipsa,ut Galenus libro 13. Vtile.] Quod fit,si recens Artemisia contrita musto seruata fuerit, & tali uino erit sapor & odor gratissimus.

DE ABROTONO.

TERTIVS Abrotono legitur gradus esse caloris,
Et desiccandi. semen feruentius herba est;
Vnde iuuat neruos, & causas pectoris omnes,
Illius elixi si sit decoctio sumpta.
Sic quoque dyspnoicis prodest, tussimq; repellit.
Et prodest lumbis, sic uuluarumq; querelis.
Omnibus his crudum cum uino proderit haustum.
Vrinam purgat, sic & præcordia mundat:
Sic schiasim curat, sic sumptum menstrua purgat.
Serpentes nidore fugat, bibitumq; uenena
Illorum extinguit. sedat quoque frigora febris,
Antea quàm ueniant, si mixto sumitur amne:
Aut oleo, quo decoquitur, si membra perungas.
Lumbricos uentris hanc sæpe bibendo necabis.
Huic panis micas, & mala cydonia iungens,
Insimul amne coquas, oculorum cocta dolori
Apponas, uel feruori: curabis utrunque.
Stirpes infixas & spinas abstrahet, ipsum
Appositum per se, uel adeps si iungitur illi.
Hæc etiam uenerem, puluino subdita tantum,
Incitat, & ueneri nocuis potata resistit.

ABROTONO.] Scribendum & legendum abrotonum,& non abrotanum,ut mendosi quidam codices habent. Græcè enim sic scribitur ἀβρότονον, quam orthographiam diligenter seruatam uidemus à

Frobenio in imprimenda Historia naturali. Et quis audet adserere, græcarum literarum peritiam non esse necessariam? Lucret. lib. 3. inflectit abrotonum in uirili sexu, dicens, Abrotonique graues, & tristis centaurea. Serenus uerò in neutro, cùm ait, Pullegium, abrotonum, nitida cum mastice coctum: quod est nomen herbæ. Abrotonium uerò, siue Abrotonia, nomen mulieris proprium. Gradus.] Totius caliditatis quatuor ordines, quos gradus uocamus, instituere medici, ut primus sensu uix omnino percipi queat, uel certe non percipitur, sed considerantis tantum ratione perpendatur. Alter qui secundus, iam sensu percipiatur. Alius qui tertius iam multum calefaciens, necdum tamen exurens gradus. post quem quartus ac ultimus uim habet exurendi. Tertius ergo gradus abrotono, hoc est multum calefaciens, non tamen exurens. Desiccandi.] Habet enim uim desiccandi ac distrahendi. Feruentius.] Calidius: hoc est, semen magis calidum est, quàm herba. Abrotonum, duorum traditur generum, campestre ac montanum: hoc fœminam, illud marem intelligi uolumus. Amaritudo absinthij in utroque; Siculum laudatissimum, dein Galaticum. Vsus est & folijs, sed maior semine ad calefaciẽdum: ideo neruis utile, tussi, orthopnoicis, conuulsis, ruptis, lumbis, urinæ angustijs. Datur bibendum manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes. Ex his, quaternis cyathis bibitur. Datur & semen drachmæ pondere. Prodest & uuluæ. Coquitur panis cum farina hordeacea, & oculorum inflammationibus illinitur, cotoneo malo concocto. Serpentes fugat. Contra ictus earum bibitur cum uino, illiniturque. Efficacissimum contra ea, quorum ueneno tremores & frigus accidunt, ut scorpionum & phalangiorum, & contra uenena alia pota. Prodest & quoque modo algentibus, & ad extrahenda ea quæ inhærent corporibus. Pellit & interaneorum mala, ramo eius si subijciatur puluino. Venerem stimulari aiunt, efficacissimamque esse herbam contra omnia ueneficia, quibus coitus inhibeatur. hæc Plin. lib. 21. cap. 21. Neruos.] Hos Aristoteles in corde ortum habere tradit: quem ut in alijs, ita etiam in hoc Albertus sequitur. Galenus his contrarium scribens, neruos primo Canonis à cerebro oriri asserit. Neruum, appellamus etiam uinculum ferreum, quo pedes impediuntur. quanquam Plautus eo etiam ceruices uinciri ait, perfidiose captus, eo ædepol neruo ceruices probat. auctor Sex. Pompeius. Pectoris.] Pectus, dicitur anterior pars animalis à gula usque ad uentrem. hoc homini tantum (ut Pli. ait) latum est, reliquis animalibus carinatum. Illius.] Abrotoni. Elixi.] Aqua cocti. Dyspnoicis.] Difficulter spirantibus. Quæ difficultas spirandi dum modica est, neque ex toto strangulat, δύσπνοια appellatur: cùm uehemens est, ut spirare æger sine sono & anhelatione non possit, ἆσθμα: cùm accessit id quoque, ne nisi recta ceruice spiritus trahatur, ὀρθόπνοια. Auctor Cornelius Celsus lib. 4. ca. 4. Lumbis.] Sunt lumbi, pars corporis, qua libido designatur, à cinctura usque ad nates. Vnde & lumbos quidam à lubidine, hoc est à libidine dictos existimant. Nam ueteres, lubet & libet, lubidinem & libidinem dixere. Vnde lumbago, uitium & debilitas lumborum. Vuluarumque querelis.] Hoc est doloribus hysterarum & matricum. Crudum.] Non coctum. Vrinam.] Lotium. Nec solùm pro potus excremento usurpatur urina, sed etiam pro genitali spermate. Plinius: Incontinens asinæ uterus genitalem urinam reddit, ni cogatur in cursum uerberibus à coitu. Præcordia.] Hæc sic dicuntur, quod cordi prætendantur, membranę uidelicet quæ exta seiungunt ab inferiore uiscerum parte. Quam membranam, septum Plato; Hippocrates & Galenus phrenas nuncupant; Græci quandoque περικάρδια uocant: sed & περίζωμα, quod cinctum Theodorus transfert, appellat, & διάφραγμα, quanquam & in naribus septum eodem censetur nomine. πραπίδα etiam Poetæ uocant, ut scribit Eustachius. Et recitat Cęlius Antiq. lect. lib. 2. cap. 53. Schiasim.] Schiaticam, quam inepte recentiores medici uocant, intelligit. Hic morbus græce ἰσχιὰ dicitur, & est coxendicis labor. Inde Ischiadici, qui ex coxendicibus laborant. Est autem coxa & coxendix idem. Illorum.] Serpentum. Amne.] Aqua. Lumbricos.] Vermes. Mala.] Poma. Virg. Aurea mala decem. Cydonia.] Cydon, oppidum Cretæ; unde mala cydonia, quæ & Cotonea dicuntur. Plin. His proxima amplitudine mala, quæ uocamus Cotonea & Græci cydonia. Malorum genera sunt, Armenium, Cotonium, citreum, Columellium, conditiuum, ἐπιμηλίς, musteum, mattianum, orbiculatum, ogranum, precox, pãnuceum, punicum, Persicum, quirianum, prosiuum, rubrum, scadianum, syluestre, strutium, Tybur, uerianum. hæc Macrobius Saturn. lib. 2. cap. 19. Insimul.] Simul in amne, id est aqua. Feruori.] Inflammationi. Curabis.] Fugabis. Vtrunque.] Tam dolorem, quàm feruorem oculorum. Infixos.] Digitis aut pedibus aut reliquis partibus corporis. Abstrahet.] Eximet. Per se.] Hoc est solum sine aliarum rerum admixtione. Illi.] Abrotono. Venerem.] Appetitum coeundi. Subdita.] Supposita. Tantum.] Solùmodo. Potata.] Bibita, quod de succo eius intelligitur.

DE ABSINTHIO.

In primo calor esse gradu, uis sicca secundo
Dicitur Absinthi. stomachum corroborat herba
Illius, quocunque modo qui sumpserit illam:
Sed melius pluuiæ si sit decocta liquore,
Et sic sub dio prius infrigidata bibatur.
Sic poterit uarijs eius succurrere morbis.
Hocq; modo pellit lumbricos, mollit & aluum:
Eius & immodicum sedat sic sumpta dolorem.
Vrinam potu producit, menstrua soluit:
Illi si nardum, quam profert Gallia, iungas.
Et coniuncta teras, & mulsa trita resoluas,
Præcipuè tali purgabis menstrua potu.
Hoc quoque præstabunt cum lana subdita molli,
Si siler, & nardus, & acetum iungitur illi.
Noxia deterges potu fastidia tali,
Gramina si rutæ iungas huic, salq; piperq;:
Cumq; mero tundens, des hæc decocta'ue potum,
Noxius & crudus stomachi purgabitur humor.
Iri coniuncta, pectus mire iuuat, hausta.

Acri

Acri cum uino trita se quilibet ungens,
Non metuet culices, ustaq; fugantur odore.
Ictericis crudam dabis hanc apio sociatam.
Curat epar, sibi iungatur si gallica nardus.
Splenq; sibi iuncto potata iuuabit aceto.
Sic quoque fungorum depellit sumpta uenenum.
Obstat lethiferæ, cum uino sumpta, cicutæ.
Sicq; uenenatis occurrit morsibus hausta.
Et claros oculos reddit, cum melle peruncta.
Hocq; modo suggillatis superaddita prodest.
Decoctæq; uapor obstrusas liberat aures.
Si manant sanie, cum melle terens superadde.
Subuenit anginæ, melli nitroq; iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus illa
Si superaddatur. capitis sic ulcera curat.
Pruritusq; iuuat eius decoctio fotu.
Nausea non poterit quenquam uexare marina,
Antea commixtam uino qui sumpserit illam.
Inlini panno si circumcincta geratur,
Inguinis in modicum fertur cohibere tumorem.
Olfactu somnum capiti uel subdita præstat,
Hanc sibi supponi si non præsenserit æger.
Denigrat crines cinis eius, si bene mixtus
Ceroto fuerit, & eo sit sæpe perunctus.
A' tineis tutam reddit, qua conditur, arcam.
Sub lingua factum curat cum melle tumorem.
Liuoremq; nigrum, qui circa luminis orbem
Apparere solet, purgabit idem medicamen.
Auris depellit sonitum, cum felle bouino.
Duritiam splenis eius cataplasma resoluit.
Coniuncto sibi melle, steræ si subditur herba,
Desiccabit eam, manareq; menstrua coget.
Ex oleo fuerit uiridis si cocta, iuuabit
Non modicè stomachum, qui sit hoc ungine fotus.
Incausto, uino quo sit macerata, soluto,
Si scribis chartam, mus non teret amplius illam.
Plinius attollit magnis hanc laudibus herbam,
Romanosq; refert sacris ex more diebus,
Dum quadrigarum cursu certare solebant,
Absinthi succum solitos donare bibendum
In Capitolina uictori sede locato:
Credentes pretium præ cunctis reddere dignum
Illi, quo firmam posset seruare salutem,
Quæ constat mundi pretio pretiosior omni.

IN PRIMO.] Hoc est, Absinthium est calidum in primo gradu siue ordine, siccum autem in secundo. Quidam tamen absinthium aridum dicunt in tertio. Succus ipsius est herba multò calidior, particeps uerò acerbitatis non obscuræ, imprimisque ponticum; ideo absterget & confirmat, & arefacit. Absinthi.] Pro absinthij. ut Verg. Cura peculi, & pauperis tuguri. Stomachũ.] Ob hoc sapor eius in uina transfertur, ut tradit Plin. Sunt eius genera plura. Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate. Pōticum, à Ponto, ubi pecora pinguescunt illo, & ob id sine felle reperiuntur: neque aliquod prĕstātius, multoque Italico amarius. sed medulla pontici dulcis. Quocunque modo.] Siue coctam, siue non. Illam.] Herbam absinthium. Pluuię liq.] Aqua pluuiali. Dio.] Cœlo. Græci Δίος, cœlum uocant. Infrigidata.] Bibitur & decoctum aqua (inquit Plin.) & postea nocte & die refrigeratum sub diuo, decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cœlestis aquæ sextarijs tribus. Oportet & salem addi. Eius.] Alui. Sedat.] Mitigat, remouet, extinguit. Sic sumpta.] Aqua cœlesti & pluuiali. Vrinam.] Lotium, potata herba absinthium ciet. Herba (inquit Plin.) lentè coquitur ad crassitudinem mellis; qualiter ex minore centaurio quæritur succus. Sed hic absinthij, inutilis stomacho, capitique est; cùm sit ille decoctus saluberrimus. Nanque astringit stomachum, bilemque detrahit, urinam ciet, aluum mollit, & in dolore sanat. Menstrua soluit.] Vrinam ac menses, hoc est menstrua, cient tres quatuor'ue ramuli, cum Gallici nardi radice una, cyathis aquæ sex. Cùm lana.] Menses priuatim cũ melle sumptum purgat, & in uellere appositum, quod Macer dicit cum lana. Deterges.] Auferes. Fastidia.] Plin. fastidia absterget, concoctiones adiuuat. Diligenter legit Plin. auctor noster, quicunque tandẽ sit: nã sępe eisdem cum Plin. uerbis utitur. Huic.] Absinthio. Crudus stomachi.] Cruditates detrahit cum ruta & pipere & sale, inquit Plinius. Iri.] Herbæ sic dictæ, de qua in sequẽtibus dicet auctor. Pectus.] Facilè thoracem purgat in iride sumptum. Culices.] Culices ex oleo perũctis abigit, & fumo, si uratur. Ictericis.] Auruginosis alio nomine, hoc est morbo regio laborantibus. Apio sociat.] In regio morbo crudum bibitur cum apio, aut adianto. Curat epar.] Iocinoris causa cũ gallico nardo sumitur. Splenque sibi.] Causa lienis cum aceto, aut pulte, aut fico sumitur. Fungorum.] Vlcerum in sede similium fungis terrestribus, quibus absinthium aduersatur ex aceto sumptum.) Lethiferæ.] Mortiferæ. Cicutæ.] Huius herbæ succum bibentes moriuntur, quo Socrates uitam finiuit. Persius, Barbatũ crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ. Venenatis.] Venenosis. Absinthium enim aduersatur muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Claros oculos.] Claritati oculorum, teste Plinio, multũ cõfert. Suggillatis.] Qui ex percussione tumorem, maculamque contraxerunt, quibus cum melle imponitur hæc herba. Decoctæ.] Herbæ absinthij. Vapor.] Aures eius decoctum uaporis suffitu sanat: aut si manat sanies, cũ melle tritum. Obstrusas.] Clausas. Manant.] Fluunt. Sanie.] Sanguine corrupto. Subuenit.] Opitulatur, medetur. Anginæ.] Apostemati gutturis, quod ab angendo, hoc est strangulando dici uolunt. Et Græcè συνάγχη. Nec audiendi sunt, quibus in ore est barbara dictio, Squinantia. Nitro.] Subuenit, inquit Plinius, anginis cum melle & nitro. Iugata.] Sociata, addita. Vulneribus.] Sanat uulnera recentia, priusquàm aqua tangantur, impositum: prætereaque capitis ulcera. Pruritusque.] Sanat & pruritus. Nausea.] Vomendi appetitus. Nauseas maris arcet in nauigationibus potum. Inguinis.] Inguinum tumorem in uentrali habitum fugat. Olfactu.] Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite positum. Hanc.] Herbam Absinthium. Denigrat crines.] Capillũ denigrat absinthij cinis, unguento rosaceoque permixtus. Ceroto.] Vnguẽto, ut Plin. docet, rosaceo. Cerotũ

siue ceratū dicitur, quod uulneribus supponi solet. Tineis.] Vestibus insertū, tineas arcet. Arcā.] Vestes in arca inclusas. Luminis.] Oculorū. Cataplasma.] Emplastrū. Sterę.] Vuluę, matrici, quę obduruit. Eā.] Sterā, quā rectè hysterā dixeris. Nō modicè.] Plurimū. Vnguine.] Vnguēto, quale facere docuit. Encausto.] Inustū, dicitur encaustū. Encausto ergo, id est, atramento. Soluto.] Diluto. Nā atramentum librarium ex diluto eius temperatum, literas à musculis tuetur. Est autem sensus, Cùm scribis chartam encausto, hoc est atramento, quod temperatum est uino in quo absinthium maceratum, mures nihil nocebunt chartam. Plin. attollit.] De usu eius cōuenit dicere herbæ facillimę, atque inter paucas utilissimæ, præterea sacris populi R. celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum ferijs quadrigæ certant in Capitolio, uictorque absinthium bibit. credo sanitatem præmio dari honorificè arbitratis maioribus. Hæc de laudibus absinthij Plin. Capitolina.] Capitolium, in quo templum Apollinis, locus Romæ, sic dictus à capite hominis ibi reperto, dum foderent fundamenta. Antea enim Tarpeius mōs dicebatur, à uirgine uestali Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata atque sepulta fuit. Illi.] Victori. Salutem.] Sanitatem. Pretiosior.] Quare Iuuenalis Satyra 10. dicit, Optādum est, ut sit mens sana in corpore sano.

DE VRTICA.

GRAECVS Acalephen, nos urticam uocitamus.
Feruida non modicè uis illi dicitur esse:
Vnde nec immeritò nomen sumpsisse uidetur,
Tactu quod exurat digitos urtica tenentis.
Hæc solet ictericos cum uino sumpta iuuare.
Illius semen colicis cum melle medetur,
Et tussim ueterem curat si sæpe bibatur.
Frigus pulmonis pellit, uentrisq; tumorem.
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus,
Aut succus uiridis cum uino sæpius haustus.
Cum sale de folijs eius factum cataplasma,
Vlceribus prodest, & uulnera sordida purgat.
Et contra morsus ualet hoc cataplasma caninos.
Hoc cancros, & parotidas, luxataq; curat.
Hocq; reformatur caro quæ discessit ab osse.
Et solet humores hoc desiccare nocentes.
Acri cum uino radix contrita tumorem
Compescit splenis; podagræ sic subuenit illa.
Omnibus & morbis sic subuenit articulorum.
Omnibus his prodest superaddita, uel sibi iuncto
Si coquis hanc oleo, foueasq; hoc unguine membra.
Naribus impositus succus, foliumúe, cruorem
Elicit, innata est illi uis tanta caloris.
Quòd si manantem cupias retinere cruorem,
Vrticæ succo frontem line, reprimit illum.
Si supponatur cum myrrha, menstrua pellit.
Si claudit uuluam matrix, humore grauata,
Vrticæ folijs reuocabitur illa fricata.
Cum uino bibitum, uenerem semen mouet eius,
Et melius tritæ, si iungas melq; piperq;,
Et sic cum uino, prædicto more bibantur.
Pleureticos, pectus, pulmones, adiuuat eius
Semen, si sumptum fuerit cum melle iugatum.
Cum mulsa bibitum, lotium producit abundans.
Herba recens eius olerum si more coquatur,
Detur & illius decoctio, molliet aluum.
Ore diu clausus succus si soluitur eius,
Vuæ non modicum poterit sedare tumorem.
Sudorem mouet ex oleo decocta perunctis.
Si quadrupes quæcunque marem perferre recusat,
Vrticæ folijs illius uulua fricetur:
Sic naturalem calor excitat ille calorem.
Defluuium capitis, si succo seminis huius
Vngas sæpe caput, reprimit, doctore Galeno.
Illius semen collectum tempore messis,
Et desiccatum, multis erit utile causis.
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus.

GRAECVS Acalephen.] Quod Græcis est ἀκαλήφη, Latinis est urtica; quod nomen herbæ ab urendo ferunt impositum. Est urtica etiam piscis. Dicitur autem hæc herba acalephe, cnide, scintha & urtica. Plures urticæ differentiæ. Syluestris, quā fœminā uocant, mitior. Et in syluestri, quæ dicitur cania, acrior: Caule quoque mordaci, fimbriatis folijs. Quæ uerò etiam odorem fundit, herculanea uocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, & tactu tantùm leni, pruritum, pustulasque confestim adusto similes existere. Notum est & remedium olei. Sed mordacitas nō protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata. Incipiens quidem ipsa nasci uere, non ingrato, multis etiam religioso in cibo est ad pellendos totius anni morbos. Syluestrium quoque radix, omnē carnem teneriorē facit simul cocta. Quæ innoxia est, morsu carens, lamium uocatur. Nō modicè.] Plurimùm. Vnde.] Quòd illi uis est non modicè feruida. Digitos urtica.] Non solùm digitos adurit, sed etiā reliqua corporis mēbra, si apposita fuerit. Vrtica igitur ab urendo dicitur, quòd folia eius tacta acerrimè urant, quamuis genus urticæ est, quod lamium uocant, multò cæteris mitius, & folijs ferè nihil mordētibus. Cōstat si qs decocto urticę pedes hyeme lauerit, eo die nō frigescere. Ictericos.] Morbo regio laborantes. Morbo regio resistunt etiam sordes aurium, aut mămarum pecudis denarij pondere cum myrrhæ momento, & uini cyathis duobus. Canini capitis cinis in mulso. Multipeda in uini hemina. Vermes terreni in aceto mulso cum myrrha. Gallina si sit luteis pedibus, prius aqua purificatis, deinde collutis uino, quod bibatur. Cerebrum perdicis, aut aquilæ in uini cyathis tribus. Cinis plumarum aut interaneorum palumbi, sed in mulso ad cochlearia tria. Passerum cinis sarmentis crematorū cochlearibus duobus in aqua mulsa. Auis icterus uocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & auē mori. Colicis.] Colicam passionem habentibus. Est colica passio ægritudo maxima in uentre sub cingulo, in intestino quod dicitur colon. de quo Cel. lib. 1. cap. 7. Et si (inquit) laxius intestinū dolore cōsueuit (quod κῶλον nominant) cum id nihil nisi genus inflationis sit, id agendum est, ut concoquat aliquis: ut lectiōe, & alijs generibus exerceatur, utatur balneo, cibis quoque & potionibus calidis, denique omni modo

frigus

frigus euitet, item dulcia omnia, leguminaque, & quidquid inflare consueuit. Tussim.] Phanias physicus utilissimam esse urticam scripsit in cibis coctam, conditam'ue, lieni, duritiæ uentris, intestinis ani maliũ, articularibus, & podagricis morbis, arteriæ, tussi, uentris distillationi, stomacho, panis, parotidi, per nionibus. Pectus præterea purgare, urinam ciere, sanguinem narium sistere, calculos rumpere, uuam reprimere.

Parotidas.] Apostemata secus aures. Podagræ.] Pedum dolori. Podagræ morbus (inquit Plin.) rarior solebat esse, non modò patrum, auorumque memoria, uerumetiam nostra. Peregrinus & ip se. Insanabilis non est credendus; quippe quoniam in multis & sponte desinit, & in pluribus curatur. Medetur panacis radices cum uua passa, succus hyoscyami cum farina, uel semen scordion ex aceto. Articulorum.] Prodest articulis etiam quinquefolium impositum. Mãdragore folia cũ polenta, uel radix recens tusa cũ cucumere syluestri, uel decocta in aqua. Elicit.] Manare & fluere facit. Quòd si manantem.] Notatu dignum & utile. Menstrua.] Menses, muliebria, fluxũ sanguinis. Pellit.] Fugat, sedat. Vuluã.] Impropriè hic accipit uuluam pro cunno. Cunnus autem clauditur, quando uulua seu matrix intumuit humore grauata. Reuocabitur.] Puto melius legi reserabitur, pro reuocabitur: ut sit sensus, uulua fricata folijs urticæ, reserabitur, quæ antea clausa erat propter matricem humore grauatam. Semẽ eius.] Vrticæ. Pleureticos.] Laterum morbo laborãtes. Stomachus lateribus cingitur; atque in his quoque uehemẽtes dolores esse cõsueuerunt, & initiũ uel ex frigore, uel ex ictu, uel ex nimio cursu, uel ex morbo est. Sed interdũ id malum intra dolorẽ est, isque modò tardè, modò celeriter soluitur; iterdum ad perniciẽ quoque procedit, oriturque acutus morbus; qui pleuriticus à græcis nominatur. hæc Cornelius Celsus libro 4. cap. 4. Vuæ.] Hoc malum Græci staphylen uocitant, & fit circa fauces. quia depẽdet sicut uua, nomen uuæ accepit. Quæ si (ut tradit Celsus libro septimo, capite duodecimo) cum inflammatione descendit, doloríque est, & subrubicundi coloris, præcidi sine periculo non potest. Itaque melius est his uti, quę alias proposita sunt. Si uerò inflammatio quidem nulla est, nihilominus autem ea ultra iustum modum à pituita deducta est, & est tenuis, acuta, alba, præcidi debet. Itemque, si ima, liuida, & crassa; summa, tenuis est. Neque quidquam commodius est, quàm uolsella prehendere, sub eaque quod uolumus excidere.

Sudorem mouet. Hominem sudare facit. Si quadrupes.] Si equa marem non admittit, & urtica infricatur natura, libenter coitum patitur, quod etiam Marcus Varro de Re rustica tradit. Defluuium capitis.] Capillorum fluorem. Libet subijcere quæ breuiter docet Placentinus ille Georgius; Medetur tuberculis, & parotidibus, ex thorace ac pulmone deducit humorum crassitudines & tenacitates. Habet quoque uim inflandi: unde etiam salax esse perhibetur, præsertim cum potatur. Eius semen uenerem acuit cum uino dulci potum, sunt qui cum melle. Aluum autem mediocriter subducit, emittendo leniter ac titillando, non etiam purgando. Cancri potestatis, & cancrum & cancrenam spectantia, & prorsus quæcunque opus fuerit arefacere, citra ullam uellicationem appositè medicatur.

DE ALLIO.

SCORODON à Græcis sunt allia dicta latine.
Huius uim medici calidam siccamq; periti
In quarto posuère gradu. mansum uel inunctum,
Curat quos serpens uel scorpius intulit ictus.
Et nocui uermes triti pelluntur odore.
Sanat & appositum morsus cum melle caninos.
In mulsa coctum, commixtum cui sit acetum,
Et bibitum, uermes uentris, tineasq; repellit.
Ex oleo cum ueste sua si decoquis illud,
Morsus pestiferos reddes hoc unguine sanos.
Corpus & attritum cura sanabis eadem;
Vnguine uesicæ dolor & tumor hoc reprimuntur.
Ipse refert Ipocras educi posse secundas
Fumo combusti, si uulua diu foueatur.
Pulmonis uarias coctum cum lacte querelas
Potatumq;, iuuat, uel crudum sæpe comestum.
Cum centaurea Diocles dare præcipit illud
Hydropicis, sic humores desiccat aquosos.
Idem nephreticis elixum sumere iussit.
Pythagoras illo fuit usus cum coriandro
Et uino, causas sic curans ictericorum:
Et sic potatum dicit quòd molliat aluum.
Cumq; faba coctum, capitis sedare dolorem
Dicitur, attrito si tempora perlinis illo.
Anseris huic adipem iungas, tepidumq; dolenti
Infundas auri, præclare subuenit illi.
Elixum tussim iuuat, & suspiria sedat;
Clarificat raucam crudum, coctum quoque uocem:
Sed magis elixum iuuat illam sæpe comestum.
Adiuuat incoctum pulti, sumptumq; tenesmon.
Porcino iungens adipi si conteris ipsum,
Non modicos reprimes superaddens sæpe tumores.
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diuersorum mutatio facta locorum,
Allia qui mane ieiuno sumpserit ore.

SCORODON.] Hæc dictio græca est, & Græcè scribitur σκόροδον, & latinè significat allium. Allio magna uis, magnæ etiam utilitates contra aquarum, & quorumlibet locorum mutationes. Serpentes abigit, & scorpiones odore: atque, ut aliqui tradidère, & bestiarum omnium ictibus medetur, potu uel cibo, uel illitu. priuatim contra hæmorrhoidas prodest, cum uino redditum uomitu. Ac ne contra araneorum murum uenenatum morsum ualere miremur, aconitum, quod alio nomine Pardalianches uocatur, depellit. Item Hyoscyamum; contra canum morsus, inque uulnera cum melle imponitur. Ad serpentium quidem ictus potum cum uestibus, efficacissimè ex oleo illinitur: Attritisque corporum partibus, uel si uesica intumuerit. Quin & suffitu eo, secundas partus euocari existimauit Hippocrates. cinere eorum cum oleo, capitis ulcera manantia sanitati restituens. Suspiriosis coctum, aliqui crudum id dedère. Diodes hydropicis cum centaurea, aut in fico duplici ad euacuandam aluum; quod efficacius præstat uiride,

cum coriandro in mero potum. Suspiriosis aliqui & tritum in lacte dederunt. Praxagoras & cõtra morbum regiũ uino miscuit, & contra ileum in oleo & pulte; sic illinens. Strumis quoque antiqui & insanientibus dabant crudum. Diocles phreneticis elixum. Cõtra anginas tritum imponi & gargarizare prodest. Dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis imminuit, uel si decoctã aqua colluantur, addaturque ipsum in caua dentium. Auribus etiã instillatus succus cum adipe anserino; phthiriases & prurigines potum, tusum item cum aceto & nitro. Compescit & distillationes cum lacte coctum uel tritũ permixtum'ue caseo molli: quo genere & raucitatem extenuat; uel phthisim, in fabæ sorbitione. In totum autem, coctum utilius est crudo, elixumque tosto: sic & uoci plus confert. Tineas & reliqua animalia interaneorum pellit, in aceto mulso coctum. Tenasmo in pulte medetur; temporum doloribus illitum elixum; & pustulis coctum, cum melle, deinde tritum; tussi cum adipe uetusto decoctum, uel cum lacte; aut si sanguis etiam excreetur, uel purulenta sint, & pituitæ sub pruna coctum, potum, & cum mellis pari modo sumptum; conuulsis & ruptis, cum sale & oleo. Nam cum adipe, tumores suspectos sanat. Extrahit fistulis uitia cum sulphure, & resina; etiam harundines cum pice. Lepras, lichenas, lentigines exulcerat, sanatque cum origano, uel cinis eius ex oleo & garo illitus. Sic & sacros ignes. Suggillata aut liuentia ad colorem reducit, combustum ex melle. Credunt & comitialem morbum sanare, si quis eo in cibo utatur, ac potione. Quartanas quoque excutere potum. Suppurationes quantaslibet sanat, fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituat. Facit & somnos, & in totum rubicundiora corpora. Venerem quoque stimulat, cum coriandro uiridi tritum, potumque è mero. Vitia eius sunt, quòd oculos hebetat, inflationes sanat, stomachum lædit copiosius sumptum, sitim gignit. Cæterum contra pituitam, & gallinæ & gallinaceis prodest. Mixtum farre in cibò iumentis urinam reddere, atque non torqueri tradunt, si eo trito natura tangatur. Huius uim.] Hoc est, allij uim calidam & aridam in quarto ordine posuerunt medici. Curat.] Sanat. Scorpius.] Hunc etiam scorpionem dicimus. Nocui uermes.] Serpentes & scorpiones, uiperæ & natrices. Scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum uino bibunt: quidam eodem modo contritum super uulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito, uulnus suffumigant, undique ueste circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem eius super uulnus deligant. Hæc Celsus libro quinto. Caninos.] Canum. Tineas.] Non intelligit tineas, hoc est uermiculos, quibus uestes & libri corroduntur: ut apud Horat. Aut tineas pasces taciturnus inertes. Nec intelligit per tineas, uermes in aluearibus noxios, ut apud Columellam. sed uentris animalia intelligit Macer hic per tineas. Serenus Samonicus primam syllabam in tinea præter morem aliorum producit, cùm ait:

Quid non aduersum miseris mortalibis addit
Natura? interno cum uiscere tinea serpens.

Elminthes græci dicunt in intestini recti extremo reperti. Celsus uocitat lumbricos. Cum ueste ad serpentium quidem ictus (ut Plinius scribit) potum cum uestibus suis, efficacissimè ex oleo illinitur. Morsus pestiferos.] Serpentum, aliorumque uenenatorum. Vnguine.] Vnguento. Secundas.] Secundæ arum, pluralis numeri tantùm, pro membrana illa, qua partus obuolutus utero prodit; dictæ, quòd nascentem infantem sequantur. Querelas.] Morbos & dolores. Et quis hæc legens, quę optimi quique ac doctissimi de herbarum uirtutibus tradiderunt auctores, non rapitur in opificis naturæ amorem? Allium secundum uulgi opinionem, uile est, cùm tam sit magnarum uirtutum: quas si etiam pueri cum aliarum herbarum uirtutibus inciperent quodammodo per lusum discere, non ne animi eorũ & citius & uehementius poterint amore Dei incendi? Quod quidem fieret, si fidelis præceptor prælegeret interdum semel unam aut alteram in hebdomada paginam ex hoc auctore: cuius eruditio minimè est uulgaris, cuiusque carmen non est inelegans: nisi sit, quem fortassis leonina carmina frequentius occurrentia offendant. quod tamen non fit, si lector (candidatum literarum & tyronem intelligo) considerauerit, auctorem hunc nostrum nihil aliud uoluisse, quàm breuiter prodesse: nec præterea ingenium ostẽdere uoluisse, quod quidem non defuit illi: imò poetam præstare potuisset non insuauem. Doleo sæpissimè considerans multorum præceptorum negligentiam, quibus satis est, si pueri, quos instituendos sumpsẽre, nouerint panem & uinum, sæpiam & papyrum latinis aut græcis uocabulis appellitare: cùm non minus essent herbarum, gemmarum edocendi uocabula: præterea animantium. Ex quibus quid norunt, præter asinum & uaccam? quia asinus apud istos præceptores semper currit: & uacca, etiam si dormiat & mactata sit, semper mugit. Interroga unum aut alterum ex uulgo præceptorum, quo nomine hæc aut illa uocetur herba: respondebitur tibi fortassis de urtica, aut allio, quæ herbæ usque adeo notæ sunt, ut etiã fere uulgo illarũ nomina sint cognita. De cæteris minus sciunt literatores isti, quàm inscitia ipsa. Quod si quem propterea redarguas, habet quo se defendat clypeum, Nõ scilicet sum medicus, nec medicinã profiteor. Quid ergo nobis cum herbarum uocabulis? Quid si talis diceret, Nõ sum homo, sed asinus. Centaurea.] Herba, de qua in sequentibus. Diocles.] Hunc etiam citat Plinius. Hydropicis.] Morbo hydropico laborantibus. Phreneticis.] Id est delirio obnoxijs. Elixum.] Coctum. Ictericorum.] Auruginosorum. Sedare.] Curare. Illo.] Allio. Illi.] Dolenti auri. Clarificat.] Claram facit. Incoctum.] Crudum. Tenesmon.] Tenesmos, siue tenasmus, est frequens desidendi cupiditas, æquè dolor, ut in torminibus, ubi aliquid excernitur. auctor Celsus in quarto cap. 15. Porcino.] Porcorum. Ignotarum.] Non nocebit ignotarum aquarum potus.

DE PLANTAGINE.

HERBAM quæ nostra lingua plantago uocatur,
Hanc Arnoglosson Græcus uocat, est quia linguæ
Agninæ similis folijs. Plantaginis huius
Sunt geminæ species: & maior prima uocatur.
Altera uerò minor, quam uulgò lanciolatam
Dicunt, quòd folijs ut lanceæ surgat acutis.
His inflammandi, desiccandiq; notatur
Tertius esse gradus. maiorem uim tamen esse
Maiori dicunt. nimis humida uulnera siccat,
Si superaddatur cum melle, & sordida purgat.
Cum sale, sicut olus si iuncta coquatur aceto,
Ventrem restringit nimiùm sic mansa fluentem:
Si supradictis lens sit concocta, iuuabit
Hic dysentericos melius cibus, & ciliacos.
Stringit manantem superaddita sæpe cruorem.
Et nigris maculis fertur reparare colorem.
Qui cum lacryma mire medicatur adustis.
Sola canis morsum curat, sedatq; tumorem.
Et scrophas spargit, superaddita cum sale trita.
Hydropicis ut olus decocta, comestaq; prodest.
Sic iuuat asthmaticos, fertur q; iuuare caducos.
Sordida purgabit bene uulnera quælibet oris,
Ore diu tentus si succus uoluitur eius.
Hic intus fusus curat syringia succus.
Et dolor hoc auris sedabitur, & sacer ignis.
Fert hemophthisicis hic opem, si sæpe bibatur
Per se: fortior est, si sit coniunctus aceto.
Sicq; iuuat phthisicos, iniectus uerò per anum,
Stringit non modicum fluxum dysentericorum.
Pellitur ex oculis tumor, hoc, feruorq; perunctis.
Sæpius hanc ipsam si dentibus atteris herbam,
Gingiuas reprimet tumidas, & sanguine plenas.
Sicq; solet dentis compescere sæpe dolorem.
Succus cum lana matrici subditus eius,
Stringit manantem nimiùm siccando cruorem.
Cunctis prædictis eius decoctio causis
Prodest, & potus cum uino seminis huius,
Vesicæ, renumq; iuuat potando dolorem.
Dicunt non nasci scrophas, gestantibus eius
Radicem collo suspensam, uis ibi tanta est.
Radices eius tres attere, iungito tritis
Vini tres cyathos, & aquæ, sic sit modus idem:
Hæc nondum tremulo potanda dabis febrienti:
Sic pelles febrem, cui dat lux tertia nomen.
Bis binæ quoque quartanis prodesse putantur,
Cum totidem uini cyathis si dentur, & amnis.
Cuncta potest plantago minor prædicta iuuare,
Quamuis non tantas uires uideatur habere.
Præcipuè succus curat plantaginis huius,
Quod iuxta nares uel lumina nascitur ulcus,
Si superaddatur cum lanis mollibus illi,
Perq; nouem cataplasma dies istud renouetur.
Eius si succo tepido uenter foueatur,
Acri depulso sanabitur ille dolore.
Lumbricos succus depellere dicitur eius,
Si porcina uetus axungia iungitur illi.
Sedabit duros istud cataplasma tumores.
Parotidas, uulnusq; recens hoc adiuuat unguen.
Ante duas horas quartanæ quàm tremor ægrum
Vexet, si succum biberit plantaginis huius,
Sentiet eximiam facili medicamine curam.
Eius potatum depellit sperma secundas.
Si uia longa pedum mouet (ut fit sæpe) dolorem,
Acri cum uino superaddita trita iuuabit.
Cum passo succus bibitur si sæpius eius,
Vesicæ uarijs fertur succurrere morbis.
In desiccando uis est plantaginis ingens
Maioris, queat ut (ueluti cauteria) corpus
Appositum siccare, refert ut Plinius auctor.
Composuit librum Temeson de uiribus eius,
In quo præclaris celebrauit laudibus illam.

HERBAM.] Plantago latine, ἀρνόγλωσσον Græce, Arnoglossum, alij agni linguã, uerbum uerbo reddentes: alij plantaginem uocant. refrigerat & arefacit in secundo gradu, ut uocant. Quia linguæ.] Reddit rationem auctor, quare arnoglossos uocetur plantago. Geminæ species.] Duo plantaginis genera, auctore Plin. minor angustioribus folijs & nigrioribus, linguæ pecorum similis, caule anguloso, in terram inclinato, in pratis nascens. Altera maior, folijs laterum modo inclusa: quę quia septena sunt, quidam eam heptapleurõ uocauêre. Huius & caulis cubitalis est, & napi similis. Nascitur in humidis multò efficacior. Vis mira in siccãdo densandóque corpore, cauterij uicẽ obtinens. Nulla res æq̃ sistit fluxiones, quos græci rheumatismos uocãt. Lanciolatam.] A similitudine lãceæ, ut ipse interpretatur. Ventrẽ fluent.] Fluxum uentris. Dysentericos.] Dysenteria est malum, cũ intus intestina exulcerãtur. Lege Corn. Celsum lib. 4. Et latinè tormen dicitur. Inde dysenterici & torminosi. Dysentericos ergo, id est dysenteriam & tormen patientes. teut. rot rur. Ciliacos.] Scribẽdum cœliacos, id est aluinos; qui Græce κοιλιακοὶ dicuntur, qui uentris profluuium patiuntur. κοιλία enim latinè uenter transfertur. de quo malo Celsus lib. 4. sic: In ipsius uerò uentriculi porta consistit is, qui & longus esse consueuit, κοιλιακὸς à Græcis nominatur. Sub hoc uenter indurescit, dolorque eius est. Aluus nihil reddit, ac spiritum quidem transmittit. Extremæ partes frigescunt, difficulter spiritus redditur. Commodissimum est inter initia, calida cataplasmata toto uentri imponere, ut dolorem leniant; post cibum uomere, atque ita uentrem exinanire. Manantem.] Fluentem. Nigris mac.] Nigras maculas fugat. Scrophas.] Apostemata sub lingua. Hydropicis.] Aqua intercute laborantibus. Asthmaticos.] Difficulter spirantes. Caducos.] Caduco morbo, quem Germani S. Valentini morbum uocant, laborantes. ἐπιληψία Græcè dicitur hoc malum. Syringia.] Id est fistulas. & declinat syringia in neutro genere. Opinor hunc uersum sic debere legi,

Hinc intus succus curat syringa refusus.

Nã Græci fistulam σύριγγα uocant. Est autem fistula, ulcus altum, angustum, & callosum in corpore, siue ex uulnere sit, siue ex uitio orto, quod ad suppurationem uenerit. Sedabitur.] Placabitur & curabitur. Sacer ignis.] Hunc sancti Antonij ignem uocãt, qui etiã pruna, & ignis persicus, & carbo, & à Dioscoride ἱερωσίας nominatur; alijs dicitur formica militaris. Dicitur item anthrax. De qua re tamen est con-

trouersia. De quo malo nos lib. 3. de Origine morborum hæc scripsimus carmina:

Illius exurit scintillans ignibus anthrax
Membra. latent causæ. nulla medicabilis arte,
Progreditur, morbusque hominem depascitur omnem;
Concremat & rapidis inuisus corpora flammis.

Sequentia uero Serenus:

Est etiam morbi species, quæ dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore.

Hæmophthisicis.] Sanguinem spuentibus. Per se.] Id est, sine alterius admixtione. Fortior.] Hoc est, succus ille plantaginis potentior est, si sit cōmixtus aceto. Phthisicos.] Phthisin, hoc est, sputionem patiētes, quam etiā compescit allium in fabæ sorbitione. Dysentericorum.] Dysenteriam, hoc est, tormina patientium. Hoc.] Succo. Gingiuas.] Has à dētibus gignendis sic dictas asserunt. Teuton. das zan fleisch. Eius.] Plantaginis. Subditus.] Suppositus. Stringit.] Constringit, & cohibet, retinetque ne fluat. Scrophas.] Apostemata sub lingua. Eius.] Plantaginis. Tres cyathos.] Id est tria parua pocula. Modus idē.] Hoc est, facito ut tantum sit aquæ, quātum uini. Tres ergo cyathos uini, & tres aquæ. Nōdum tremulo.] Hoc est, nōdum febris tremorē patienti. Lux tertia.] Tertianā intelligit. Bis binę.] Hoc est quatuor radices plātaginis. Quartanis.] Quarta die redeūtibus. Amnis.] Aquę. Huius.] Minoris plantaginis. Lumina.] Oculos. Superaddatur.] Succus subaudi plātaginis minoris. Illi.] Vlceri. Cataplasma.] Emplastrum. Ille.] Vēter. Lumbricos.] Animalia uentris, hoc est uermes. Axungia.] Interior porci pinguedo inueterata, sic dicta, quòd plaustrorum axes ea ungantur, quò facilius circum eos rotę uertantur. Parotidas.] Apostemata iuxta aures. Vnguen.] Vnguentū. Quartanę.] Febris quarta die reuerti solitę. Tremor.] Horror quem facit febris. Aegrum.] Aegrotū, febri obnoxium. Sperma.] succus. Secundas.] De his in allio. Acri.] Forti. Cauteria.] Cauterium est instrumentum, quo notæ imprimuntur, & morbi alioqui insanabiles inuri solent. Est & pictorum instrumentum. Sumpsit autem hanc cōparationem ex Plin. dicēte, Vis mira in siccando densandoque corpore, cauterij uicem obtinens. Vt Plinius.] Sic habet ille: Celebrauit & Temeson medicus uulgarem herbam plantaginem, tanquam inuentor, uolumine de ea. In quo.] Libro scilicet. Celebrauit.] Subaudi Temeson. Illam.] Plantaginem.

DE RVTA.

A' Medicis Rutæ uis feruida dicitur esse,
Siccaq; , fertur in his gradus illi tertius esse.
Vtilis est ualde stomacho, si sæpe bibatur.
Expellit partus potu, ueneremq; coercet.
Tussim, si bibitur, compescit: menstrua purgat.
Si coquis hanc in aqua, cui uinum iunxeris acre,
Compescit talis decoctio tormina uentris.
Pulmones iuuat, & pectus, morboq; medetur
Costarum, quem pleuresim uocat Attica lingua.
Arthreticos, sciasimq; iuuat, febribusq; medetur
Hausta, uel ex oleo, uiridem si coxeris illam,
Et foueas tepido patientes ante tremorem.
Matricis prodest, intestiniq; tumori
Hoc unguen, uel clysterio si funditur intus.
Haustaq; cum uino prodesse ualebit utrique.
Lumbricos oleo decocta & pota repellit.
Cum caricis decocta diu, uiniq; liquore,
Prosunt hydropicis, si sint superaddita nocte.
Cruda comesta recens, oculos caligine purgat.
Et melius marathri cum succo, felleq; galli,
Melleq; , si succus ex æquo iungitur eius,
Indeq; sint oculi patientis sæpe peruncti.
Cum roseo miscens oleo, necnon & aceto
Illius succum, capitis curare dolorem
(Quamuis immodicum) poteris hoc sæpe perungens.
Naribus expressus si succus funditur eius,
Sistit manantem bene desiccando cruorem.
In corio maligranati si tepefactum
Auribus infundas, depellet inde dolorem.
Cerusæ, roseoq; oleo miscens & aceto
Illius succum, mirandum conficis unguen
Ad depellendum sacrum, quem dicimus ignem.
Et scabiem dertæ, quæ dicitur herpeta græce.
Et græce dictas acoras hoc unguine purgas,
Vlcera sunt capitis humore fluentia pingui.
Curat & ozænas, immissum naribus: hæc sunt
Quæ grauiter fœtent in naribus ulcera nata.
Obstat pota, mero: uel, cruda comesta, uenenis.
Hoc Mithridates rex Ponti sæpe probauit,
Qui rutæ folijs uiginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisq; duabus
Ieiunus uesci consurgens mane solebat.
Armatusq; cibo tali, quascunque ueneno
Quilibet insidias sibi tenderet, haud metuebat.
Mustelæq; docent, obsistere posse uenenis
Mirifice rutam, comedunt quæ primitus illam
Cum pugnaturæ sunt cum serpentibus atris.
Cum butyro, modicoq; oleo decocta, tumorem
Matricis subiecta tepens fugat illa, coliq; ,
Et cunctis intus morbis, sic subdita, prodest.
Hac etiam testes poteris curare tumentes,
Cum folijs lauri bene tritam si superaddas.
Ex hac antidotum non paucis utile causis
Conficitur: medici dicunt diapeganon illud,
Peganon in græca lingua quòd ruta uocatur.
Illius antidoti confectio talis habetur:
Pondere iunge pari nitrum, piper, atque cyminum,
De tribus his, quantum de ruta, ponito tantum:
Sed prius ex acri uino macerare cyminum
Conuenit, in ferro post assari calefacto:
Omnia deinde simul bene trita, ex melle iugabis.
Pectoris, & lateris, iecoris, renumq; dolores
Hoc ex antidoto curantur sæpe comesto.
Extenuat bilem, mollit sine tormine uentrem,
Confortat stomachum, facit ut bene digerat escam.

A' MEDICIS rutę.] Rutam à ruēdo, id est eruendo dictam uolunt, quòd una ex oībus herbis propter

pter uarios eius usus, plurimum eruatur. In præcipuis autem medicaminibus ruta est. Latiora satiuę folia, rami fruticosiores. Syluestris horrida ad effectum est, & ad omnia acrior. Succus exprimitur, tusa ea & aspersa modice aqua, & in pyxide Cypria asseruatur. Hic copiosior datus, ueneni noxiam obtinet: in Macedonia maxime iuxta flumen Alyacmon. Mirumque, cicutæ succo extinguitur, adeo etiam uenenorum uenena sunt, quando cicutæ succus prodest manibus colligentium rutam. Cæterum inter prima immiscetur antidotus, præcipueque galatica. Quæcunque ruta & per se pro antidoto ualet, folijs tritis, & ex uino sumptis: contra aconitum maximè, & uiscum: item fungos, siue in potu detur, siue in cibo. Simili modo contra serpentium ictus, utpote cùm mustelæ dimicaturæ cum his, rutam prius edendo, se muniũt. Valent & cõtra scorpionum ictus, & araneorum, apũ, crabronum, uesparum aculeos, & cãtharides, ac salamãdras, canis'ue rabiosi morsus; acetabuli mensura si succus e uino bibitur, & folia trita uel cõmanducata imponuntur cum melle & sale, uel cum aceto & pice decocta. Succo uerò perunctos aut etiam habentes, negant feriri ab his maleficijs. Serpentesque, si uratur ruta, nidorem fugere. Efficacissima tamẽ est syluestris radix cum uino sumpta: eandem adijciunt efficaciorem esse sub dio potã. Pythagoras & in hac marem minoribus, herbaceique coloris folijs à fœmina discreuit, etiã latibribus folijs & colore. Idemque oculis noxiam putauit, falsò, quoniam sculptores & pictores hoc cibo utuntur, oculorum causa: cum pane quoque uel nasturtio satiuæ atque syluestris, propter uisum. Vt aiunt, multi succo eius cum melle attrito inuncti, discusserunt caligines, uel cum lacte mulieris puerum enixæ, uel pure succo angulis oculorũ tactis. Epiphoras cum polenta imposito. Lenit autem capitis dolores pota cum uino, aut cum aceto & rosaceo illita. Si uerò sint cephalea, cum farina hordeacea, uel aceto. Eadem cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi ueteres. Vuluas aperit, corrigitque conuersas illicita in melle toto uentre & pectore. Hydropicis cum ficu, & decocta ad dimidias partes, potaque e uino. Sic bibitur & ad pectoris dolores laterumque, & lumborum, tusses, suspiria, pulmonũ, iocinerum, renum uitia, horrores frigidos. Ad crapulæ grauedines, decoquuntur folia poturis. & in cibo uel cruda, uel decocta, condita'ue prodest. Item torminibus in hyssopo decocta, & cum uino. Sic & sanguinem sistit interiorem, & narium indita: sic & collutis dentibus prodest. Auribus quoque in dolore succus infunditur, custodito, ut diximus, modo. E syluestri uero contra tarditatem & sonitum cum rosaceo, uel cum laureo oleo, aut cumino & melle. Succus & phreneticis ex aceto tritæ instillatur in tempora & cerebrum. Adiecerunt aliqui & serpyllum & laurum, illinentes capita & colla. Dederunt & comitialibus bibendum decoctę succum in cyathis quatuor ante accessiones, quarum frigus intolerabile est: alijs ö sisque crudam dari in cibo. Vrinam quoque uel cruentam pellit. Fœminarum etiã purgationes, secundasque, etiam emortuos partus, ut Hippocrati uidetur, ex uino dulci nigro pota. Itaque illitam & uuluarum causa etiam suffire iubet. Diocles & cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina hordeacea. Et contra ileum decoctæ farina in oleo, & uelleribus collecta. Multi uerò & contra purulentas excreationes siccæ drachmas duas, sulphuris unam & dimidiam sumi censent. & contra cruentas, ramos tres in uino decoctos. Datur & dysentericis cum caseo in uino contrita. Dederunt & cum bitumine infrictam potioni propter anhelitum. Ex alto lapsis, seminis tres uncias ex olei libra, uinique sextario. Illinitur, cum oleo coctis folijs, partibus quas frigus adusserit. Si urinam monet (ut Hippocrati uidetur) mirum est, quosdam dare uelut inhibentem, potui contra incontinentiam urinæ. Psoras & lepras cum melle & alumine illita emendat. Item uitiligines uel rugas, strumas & similia, cum hircino & adipe suillo ac taurino seuo. Item ignem sacrum, ex aceto & oleo, uel psimmythio: carbunculum, ex aceto. Nonnulli laserpitium unà illini iubent, sine quo epinyctidas pustulas curant. Imponunt & mammis turgentibus decoctam, & pituitæ eruptionibus cum cera. Testium uerò epiphoris cũ ramis laureæ teneris adeo peculiari in uisceribus his effectu, ut syluestri ruta cum axungia ueteri illitos ramices sanari prodant. Fracta quoque mẽbra semine trito cum cera imposito. Radix rutę sanguinem oculis suffusum, ut in toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat. Ex reliquis quoque quæ traduntur, mirum est, cùm feruentem rutæ naturam esse conueniat, fasciculum eius in rosaceo decoctum addita uncia aloës, perunctis sudorem reprimere. Itemque generationes impediri hoc cibo; ideo profluuio genitali datur, & uenerem crebrò per somnia imaginantibus. Præcauendum est grauidis, abstineant hoc cibo; necari enim partus inuenio. Eadem ex omnibus satis, quadrupedum quoque morbis in maximo usu est, siue difficile spirantibus, siue contra maleficorum animalium ictus, infusa per nares ex uino: aut, si sanguisuga exhauserit, ex aceto; & quocunque in simili morborum genere, ut in homine temperato.

A medicis.] Hoc est, medici dicunt rutam calidam & siccam in tertio gradu. Venerem.] Coitum. Attica.] Græca. Arthreticos.] Arthretica, hoc est morbo articulari laborantes, qui nostra hoc est Germanica lingua dicuntur, Glidsuchtig. Schiasim.] Coxarum dolorem. Matricis.] Vuluæ. Vnguẽ.] Vnguentũ. Clysterio.] Instrumẽto, aut iusculo, quo clunis repurgari solet. Clyster eris, penul. prod. & Clysterium dicitur, ἀπὸ τοῦ κλύζειν, quod est abluere. Nam clystere aluum ægrotantiũ lauare seu purgare solemus. Quod autem in orificium durum ponitur ad excrementum prouocandum, & uulgò suppositorium dicitur, docti à glandis specie balanũ dixère. Auctor tamẽ e longum in clysterio corripuit. Clyster, in genitiuo clysteris penul. longa, ut character characteris, etiam penultima longa proferri debet contra abusum. Vtrique.] Matrici & intestini tumori. Carycis.] Caryca est genus ficuũ. Hydropicis.] Aqua intercute laborantibus. Cruda.] Non cocta, & uiridis. Sistit manantẽ.] Modus retinendi sanguinis fluxum. Mirandum unguen.] Mirabile unguentum. Sacrũ ignem.] Ignẽ sancti Antonij, ut uocant. Herpeta.] Vlcus quod serpit. Acoras.] Vlcera capitis. Ozænas.] Ozæna morbus, cũ ulcera circa nares

sunt, pluresue crustæ, & odorem fœdum habent; cui malo uix potest succurri. De ozœnis lege Celsum libro 6.cap.8. Immissum.] Vnguentum subaudi. Grauiter fœtent.] Male olent. Caryicis] Ficubus. Armatus.] Munitus. Matricis.] Vuluæ. Coli.] Podicis. Antidotum.] Remediũ. Antidotum, ex cõtrario datum trãsferri potest, quia cõtraria contrarijs curantur. Remedium igitur cõtra uenena datũ, uocatur antidotum. Extenuat.] Tenuẽ facit. Bilem.] humorẽ in fellis existentẽ folliculo.

DE APIO.

EST apium dictum, quòd apex hanc ferre solebat
Victoris, ueterum fieret dum more triumphus.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides: morem tenuêre sequentes.
Ast alij dictum credunt, quòd apes uehementer
Illius soleant auidè decerpere flores.
Hanc herbam selinon solet attica dicere lingua.
Virtutis calidæ, siccæ quoque dicitur esse:
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroque.
Illius succo, si candida mica terendo
Panis iungatur, oculi sedare tumorem
Dicitur, emplastri noctu superaddita more.
Sicq; ferunt mammis prodesse tumentibus illam.
Sedat feruorem stomachi, pellitq; tumorem.
Et quidquid uenti creat, includitue nociui,
Desiccans poris assumpta repellit apertis.
Prouocat urinas hæc cruda comesta, uel hausta:
Sed mage radicum facit hoc decoctio sumpta.
Hoc itidem semen operatur fortius haustum.
Tota uenenatis occurrit morsibus herba;
Sed semen potius, uel apoxima proderit eius
Si bibitur, tussimq; modo sedabis eodem.
Ventrem constringit, uomitum potata coërcet,
Lymphæ commixtum, quoque si iungatur acetum.
Aegris amissum fertur reparare colorem,
Cruda à ieiunis fuerit si sæpe comesta.
Vnaquaque die uexantem corpora febrem,
Cum lympha potata fugat febris ante tremorem.
Hydropicos, & splen tumidum iuuat illa, iecurq;,
Si cum fœniculi succo contrita bibatur,
Hacq; superposita, turpis lentigo fugatur.
Illius succus farris cum polline mixtus,
Atque oui lacryma, uulnus bene purgat & ulcus,
Si superaddatur emplastri more frequenter.

EST APIVM.] Hanc herbam Græci σέλινον uocant, Latini apium, quòd uictores, qui Nemea uicerat, hac coronabantur. Iuuenalis, Graiæque apium meruisse coronæ. Quod Lucianus etiã præter alios testatur, ut tradit Politianus epist.lib.11.epist.10. Plin. Natural.hist.lib.19.cap.8. Ab æquinoctio uerno (inquit) seritur apium, semine paululum in pila pulsato. Crispius sic putat fieri, aut si satum calcetur cylindro, pedibusue. Proprium ei, quod colorem mutat. Honos ipsi in Achaia coronare uictores sacri certaminis Nemeæ. Apex.] Caput. Hanc.] Herbam apium, hoc est coronam de apio. Vergilius apiũ dicit amarum, propter succi amaritudinem, in Silen, o Floribus atque apio crines ornatus amaro. Talẽ.] Hoc est de apio factam. Alcides.] Hercules, ab ἀλκὴ, quod uirtus, robur & fortitudo transferri potest. Morem.] Coronandi apio. Illius] Apij. Attica.] Græca. Gradus.] Latinius ordo. Huic.] Apio. Vtroque.] In calore & siccitate. Illius succo.] Apio (inquit Plin. in lib. 20.) gratia uulgo est. Nanque rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Præterea oculis illitum cum melle, ita ut subinde foueantur feruenti succo decocti, alijsque membrorum Epiphoris per se tritum, aut cum pane, aut polenta impositum, mirè auxiliatur. Pisces quoque si ægrotent in piscinis, apio uiridi recreantur. Verùm apud eruditos non aliud erutum terra in maiore sententiarum auctoritate est. Distinguitur sexu. Chrysippus fœminam esse dicit crispioribus folijs & duris, crasso caule, sapore acri & feruido. Dionysius marem nigriorem, breuioris radicis, uermiculos gignentem. Ambo neutrum ad cibos admittendum, imò omnino nefas: nam id defunctorum epulis feralibus dicatum existimant. Ipsius quoque uisus claritati inimicum. Caule fœminæ uermiculos gigni. Ideóque eos qui ederint, sterilescere mares fœminasque. In puerperijs uerò ab eo cibo comitiales fieri, qui hubera hauriunt. Innocentiorem tamen esse marem. Eaque causa est, ne inter nefastos frutices damnetur. Mãmarum duritiam impositis folijs emollit. Suauiores aquas potui incoctum præstat. Succo maximè radicis cum uino, lumborum dolores mitigat. Eodem iure instillato, grauitatem aurium. Semine urinam ciet, menstrua ac secundos partus. Etsi foueantur semine decocto, suggillata reddit colori, cum oui albo illitum. Aut ex aqua coctum, potumque, renibus medetur. In frigida tritum, oris ulceribus. Semen cum uino, uel radix cum ueteri uino, uesicæ calculos frangit. Semen datur ex tribus cyathis ex uino albo. Iungatur.] Addatur. Sedare.] Reprimere. Noctu.] Nocturno tempore. Tumentibus mammis.] Id est duritiei mammarum. Nociui] Morbiferi. Poris.] Meatibus per quos sudor exire solet. Est & porus iter per quod genitura in urinæ uias defertur. Prouocat.] Ciet, & prodire facit. Hęc.] Herba apiũ. Cruda.] Nõ cocta. Hausta.] Potata. Mage.] Quod nihil à magis differt. Facit hoc.] Id est, magis prouocat urinas sumpta radicũ decoctio. Hoc itidẽ.] Hoc est, fortius ciet urinas haustũ apij semen. Venenatis morf.] Id est morsibus uenenatorũ animaliũ. Semẽ.] Apij. Apoxima.] Coctio. Cũ uarijs cõdimẽtis aqua cocta, dicitur apoxima. Modo eodẽ.] Eadẽ cõcoctione. Coërcet.] Cohibet & sedat. Lymphę.] Aquę. Aegris.] Infirmis. Reparare.] Reddere. Tremorẽ.] Qđ alibi morẽ aliorũ dicit, ante typũ. Hydropicos.] Aqua intercute laborãtes. Hac.] Herba apio. Turpis lẽtigo.] Lẽtiginẽ uocat turpẽ, quę reddat hoĩem turpẽ.i.deformẽ. Nã turpis hic ab effectu dicitur lẽtigo, quia turpe, etiã deforme significat. Oui. Turpe pecus mutilũ, turpis sine gramine campus. Sũt aũt lẽtigines maculę subrufę, & ĩterdũ nigrę in facie, et alibi, ad lẽtiũ similitudinẽ. Dĩr & lẽticulę, et grçcè hypopia. Illius.] Apij. Polline.] Flore tritici.

DE

DE MALVA.

ALTHEAM, maluæ speciem nullus negat esse.
Altheamq; uocant illam, quòd crescat in altum.
Hanc ipsam dicunt euiscum, quòd quasi uisco
Illius radix contacta madere uidetur.
Agrestisq; solet à multis malua uocari.
In mulsa coctus flos eius, uulnera purgat,
Vel si cum uino tritum florem superaddas.
Spargere sic scrophas, anumq; iuuare dolentem
Dicitur, hocq; modo conquassatis medicatur.
Elixata prius radix, adipiq; terendo
Addita porcino, terebinthineq;, tumores
Matricis curat, reliquosq; leuare dolores
Dicitur, illius neruos sic ipsa relaxat.
Rumpit uel spargit sic apostemata dura.
Omnes has causas elixatura iuuabit,
Si loca morborum foueantur sæpe tepenti.
A dysentericis radicum coctio sumpta
Cum uino, fluxum stringens compescit eorum.
Et pellit tardas hæc coctio sumpta secundas.
Et prodest hæmophthisicis, lapidesq; repellit.
Vesicæq; solet uarijs succurrere causis.
Acri cum uino contritum semen, oliuæ
Iungito, deformes maculas hoc unguine pelles.
Cum posca potata, potest obstare uenenis.
Elixata prius, cum melleq; trita, replebit
Vulnera quæ caua sunt, si sit superaddita sæpe.
Sic quoque duritias mollit, lenitq; rigores.
Decoctis oleo folijs factum cataplasma,
Quosuis pestiferos morsus, combustaq; curat.

ALTHÆAM.] In magnis laudibus (inquit Plin.) malua est utraque, & satiua & syluestris. Duo genera earum, amplitudine discernuntur. Maiorem græci malochen uocant in satiuis. Alteram ab emolliendo uentre, dictam putant malachen. E syluestribus, cui grande folium & radices albæ, althea uocatur: ab excellentia effectus, à quibusdam aristalthea. Omne solum in quo seruntur, pinguius faciunt. Huic contra omnes aculeatos ictus efficacior uis, præcipuè scorpionum, uesparum, similiumque, & muris aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum peruncti ante, uel habentes eas, non feriuntur. Folium impositum scorpionibus torporem adfert. Valent contra uenena. Aculeos omnes extrahunt illitæ crudę, aut cum anetho potæ. Decoctæ uero cum radice sua, leporis marini uenena restringunt: &, ut quidam dicunt, si uomatur. De eisdem mira & alia traduntur: sed maximè, si cotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. Vlcera manantia in capite sanant, in urina putrefactæ lichenas, & ulcera oris cum melle. Radix decocta, furfures capitis & dentium mobilitates. Eius quæ unum caulem habet, radice circa dentē qui doleat punge, donec desinat dolor. Eadem strumas & parotidas panosque, addita hominis saliua, purgat citra uulnus. Semen in uino nigro potum, à pituita & nauseis liberat. Radix mammarum uitijs occurrit, adalligata lana nigra. Tussim in lacte cocta, & sorbitionis modo sumpta, quinis diebus emendat. Stomacho inutiles Sextus Niger dicit. Olympiades Thebanus, abortiuas esse cum adipe anseris. Aliqui purgari fœminas, folijs earum manus plenæ mensura, in oleo & uino sumptis. Vtique constat parturientes folijs substratis celerius solui, protinusque à partu reuocanda, ne uulua sequatur. Dat & succum bibendum parturientibus, ternis in uino decocta hemina. Quin & semē tritum adalligant brachio, genitale non continentium. Adeoque ex Veneri nascuntur, ut semen unicaulis aspersum genitali, fœminarum auiditates augere ad infinitum Xenocrates tradat. Item tres radices iuxtà adalligatas tenasmo & dysentericis utilissime infundi. Item fœdis uitijs, uel si foueantur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus, & insanientibus quaternis. Decoctæ comitialibus heminę succi. Hic & calculosis, & inflatione, & torminibus, aut opisthotonico laborantibus, tepidus illinitur. Et sacris ignibus & ambustis, decocta in oleum folia imponuntur, & ad uulnerum impetus cruda cum pane. Succus decoctæ neruis prodest, & uesicæ, & intestinorum rosionibus. Vuluas & cibo & infusione mollit in oleo. Succus decoctæ, pori meatus suaues facit. Althææ in omnibus supradictis efficacior radix, præcipuè conuulsis ruptisque. Cocta in aqua, aluum sistit. Ex uino albo strumas & parotidas, & mammarum inflammationes, & panos in uino folia decocta & illita tollunt. Eadem arida in lacte decocta, quālibet perniciosę tussi citissime medentur. Hippocrates uulneratis, sitientibusque defectu sanguinis, radicis decoctę succum bibendum dedit. Et eam uulneribus cum melle & resina, item conuulsis, luxatis, tumentibus, & musculis, neruis, articulis imposuit. Et asthmaticis ac dysentericis in uino bibendum dedit. Mirū, aquam radice ea addita addensari sub diuo, atque lactescere. Efficacior autē, quo recentior. auctor Plin. lib. 20. c. 21. Maluę speciem.] Quod satis liquet ex Plinio. Et ἀλθαία grecè scribitur. Meleagri mater quoque Althea uocabatur. Scrophas.] Apostemata sub lingua. Conquassatis.] Cōuulsis. Terebinthineque.] Resinę terebinthi arboris. Syria & terebinthum habet. Ex his mascula est sine fructu. Fœminarum duo genera: alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus: Cum uite maturescit, non grandior faba, odore iucundior, tactu resinosus circa Idam Troadis. Sed in Macedonia breuis arbor hæc atque fructicosa, in Damasco Syrię magna. Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad uetustatem, eximij ac nigri splendoris; flos racemosus oliuę modo, sed rubens, folia densa. Fert & folliculos emittentes quędam animalia, ceu culices, lentoremque resinosum, qui & cortice erumpit. Etiam rhus Syriæ mascula fert, sterili fœmina, folio ulmi paulo longiore & piloso, foliorum inter se semper cōtrarijs pediculis, gracili breuique ramo. Pelles candidę conficiuntur ijs. Semen lenti simile cum uua rubescit, quod uocatur rhus, medicamentis necessarium. Hęc Plin. lib. 13. cap. 6. Illius.] Matricis. Apostemata.] Vomicas, quę & suppurationes à latinis. teut. geschuuer. Elixatura.] Coctio althęę. Dysentericis.] Torminosis, hoc est, dysenteriam & tormina patientibus. Compescit.] Cohibet. Tardas.] Partum sequi tardantes. Et est elegans secundarum officio suo nō fungentium epitheton. Hęmophthisicis.] Sangui-

nem spuentibus. Deformes.] Turpes, quę corpus deformare solent. Posca.] Commixtione aquę & uini. Mollit.] Molles facit ac resoluit. Pestiferos.] Lethiferos, uenenosos

DE ANETHO.

A MEDICIS calidum, siccumq; refertur anethũ:
Et dicunt quòd sit gradus huic in utroque secundus.
Lac dat abundanter, eius decoctio sumpta,
Nutrici: stomachiq; solet depellere morbos,
Tres cyathos eius tepidæ si sumpserit æger:
Indicio ructus sit, qui demonstrat apertum
Os stomachi, uentumq; per hoc exisse nociuum.
Atque grauis tali sedatur nausea potu.
Prouocat urinas, obstantia queque repellens.
Matricemq; iuuat, bene si foueatur eadem.
Cum tepido tritum patiens si potet, aceto,
Intestinorum curat, uentrisq; dolorem.
Hoc etiam potu digestio tarda iuuatur,
Vnde minor fieri uis egestiua uidetur.
Assiduè bibitum, uisum nocet, & genitale
Claudit iter, siccans humorem seminis intus.
Vuaq; si nimio turgens humore grauetur,
Suspendit puluis combusti seminis eius
Appositus digitis, aut intus clystere fusus.
Acrior esse cinis radicum dicitur eius.
Rodit crescentes cinis hic in uulnere carnes.
Vulnera quæ serpunt, & sordida uulnera curat,
Vlcera præcipuè membri curare uirilis
Dicitur iste cinis infusus sæpius illis.
Olfactum reprimit singultum semen anethi,
Assatum & feruens si sæpius olfacit æger.
Dicunt feruores oculorum tollere posse
Eius radices tritas prius, appositasq;.
Venæ spinæ per quas sanguis transit ad anum,
Appositas hemorrhoidis si semen anethi
Vstum, curat eas, & condylomata soluit.
Flos oleo si decoquitur, medicabile reddit:
Illud præcipuè natis de frigore causis
Prodest, & capitis compescit sæpe dolorem.
Neruorum laxat tensuras, frigora pellit.

A. MEDICIS.] Anethum quod græce ἄνηθον scribitur, calefacit tantum, ut secundi sit ordinis absoluti: aut primi largi, ut tradit Valla ille Placentinus. Arefacientium autem secundi ordinis incipientis, uel primi finiti. Decoctum autem ex oleo, distrahendi & dolores amouendi, somnum excitandi uim habet, crudaque concoquit, tumoresque sedat. In tertio autem ordine est inter calefacientia & arefacientia; & ob hoc contractis, concretisque hulceribus impositum prodest, prę sertim in pudibundis, & quę exhulcerata, cicatricosaque in genitalibus & uesicę loco. Humidius autem & minus calidum uiride, quod adhuc in succo & perinde purgat magis quàm aridum, magisque somnum excitat, distrahendique uim minorem habet. Anethum quoque, ut Plinius ait, ructus mouet, & tormina sedat: aluum sistit: epiphoris radices illinuntur ex aqua uel uino. Singultus cohibet semen feruens olfactum. Sumptum ex aqua, sedat cruditates. Cinis eius uuam in faucibus leuat, oculos & genituram hebetat. Refertur.] Dicitur anethum, & debet scribi cum th aspirato. Cyathos.] Paruum poculum, cyathus. Iuuenalis, Cardiaco nunquam cyathum missurus amico. Indicio ructus est.] Lege indicio ructus sit, ut stet uersus. Per hoc.] Os stomachi. Sedatur.] Compescitur. Nausea.] Appetitus uomendi. Prouocat.] Ciet, mouet. Patiens.] Aegrotans. Digestio tarda.] Digerendi difficultas. Vis egestiua.] Vis egerendi. Assiduè.] Frequenter. Visum nocet.] Nocet oculis. Et rectè uerbo (nocet) accusandi casum addidit. Nam noceo tã accusatiuo, quàm datiuo iungitur: ut, noceo te uel tuis rebus: nocet uisum & uisui, oculos & oculis. Vuaque.] Quod malum gręce Staphyle dicitur, & circa fauces fit, ut adnotatum est in urticam. Combusti.] Concremati in puluerem. Clystere.] Mediam huius nominis syllabam debebat producere, quam corripuit tamen. Acrior.] Fortior & uehementior ad repellendam uuam. Cinis hic.] Seminis anethi combusti. Vulnera quę serpunt.] Herpetas intelligit, quę sunt uulnera, quę serpunt. Quare legendum censeo, hulcera quę serpunt, & non uulnera: nisi intelligat phagedęnas, quę tamẽ dicuntur uulnera rodentia. Illis.] Hulceribus membri uirilis. Reprimit.] Compescit. Hęmorrhoidis.] Est hęmorrhoïs in sede, cùm ora uenarum sanguinem fundunt: nec solùm sedem uexat, sed in ora uuluę fœminarum incidere etiam consueuit. Vstum.] Combustum. Condylomata.] Condyloma cum y gręco, morbus, qui nascitur circa coronam ani, siue podicis, turberculum insanabile. Frigore.] Morbis, ut loquuntur, ex frigore causatis. Neruorum tensuras.] Spasmum intelligit.

DE BETONICA.

B ETONICAM soliti sunt cestron dicere Græci.
Vrinas potata ciet, lapidesq; repellit.
Fert hemaphthisicis, cum posca sumpta, iuuamen,
Hydropicosq; iuuat, cum uino melleq; sumpta.
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Non modicum prodest oculis, quos læserit ictus.
Illius succus roseo commixtus oliuo,
Auribus infusus, uarios fugat inde dolores.
Betonicæ puluis cocto cum melle iugatus,
Hemphecos, tussimq; iuuat, suspiria sedat.
Et stomachi uarios sumptus iuuat ille dolores.
Si febris, ex calida: cum uino, si febris absit.
Cum mulsa bibitus idem puluis, mouet aluum.
Cum sale, contritis folijs, cataplasmate facto,
Vulnera curabis, fuerint quæ facta recenter.
Tritaq; fracturæ capitis hæc folia medetur.
De folijs eius elixis fit cataplasma
Vtile non modicum uarijs uitijs oculorum.
Restringit lacrymas oculorum, mansa uel hausta.
Hác etiam caligo solet metuenda repelli,
Aequo si rutæ fuerit cum pondere iuncta,
Et sic cum lympha sumatur trita tepenti;
Sic oculis nocuus sanguis per subteriora
Dicitur expelli; sic lumina libera reddit.
Sumpta hac cum tepida purgatur uomica dira.

Pectoris & morbi potu curantur eodem.
Splen iuuat illius decoctio sumpta, iecurq;
Vncia betonicæ socianda quaterna, uetusti
Vini cum cyathis tribus; atque his addito grana
Viginti septem piperis: simul hæc bene trita
Haustáq; purgabunt renes, pellentq; dolores.
Vncia cum cyathis calidæ potata duobus,
Dicitur immodicum uentris sedare dolorem.
Hæc tussim cum melle fugat, uentrem quoque mollit.
Vna quaque die febre si uexabitur æger,
Vncia iungatur plantaginis una, duabus
Betonicæ, siccum tepida contrita bibatur
Antea quàm febris prænuncia frigora fiant.
Vncia betonicæ calidæ cyatho resoluta
Prodest hydropicis, si sit potata frequenter.
Radicum puluis cum mulsa tritus & haustus,
Humores uelut helleborum uomitu citò purgat.
Bis binas drachmas præcepit Plinius harum
Radicum dare cum passo, mulsó ue bibendas;
Præcipuè phlegma uomitu purgabitur isto.
Cum mulsa bibitus prodest puluis foliorum
Ruptis, atque steras potus leuat iste cadentes.
Cum uino sumptis obstat potata uenenis,
Præcipuè semen: quod si desit, datur herba.
Vncia betonicæ cum uino sumpta tepenti,
Ictericos curat: cum mulsa, menstrua purgat.
Pondere uerò fabæ puluis cum melle uoratus
Post cœnam, stomachum iuuat, ut bene digerat escam.
Si de betonica uiridi sit facta corona,
Circa serpentes (ut Plinius asserit auctor)
Audebunt nunquam positam transire coronam:
Sed morsu proprio pereunt, & uerbere caudæ.
Omnibus antidotis Meniacus eam sociari
Præcipit, ut stomacho magis herbis omnibus aptam.
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam,
A' nullo poterit nocuo medicamine lædi.
Et dicunt, quod ea cum uino sæpius hausta,
Plumbeus abscedat color, & melior reuocetur.

BETONICAM.] Hæc herba græce κέςρον & psychotrophon dicitur, ut scribit Plinius, & uim secandi habet. Nam in renibus calculos dissipat, & pulmonem, & thoracem, & iecur purgat & abstergit, & menstrua ciet, comitialemque curat morbum. & fracturas, & luxationes, acuta febre afflictos, & ischiadicos pota iuuat. nominatur etiam serratula. Hæmophthisicis.] Sanguinem spuentibus. Iuuamen.] Opem, auxilium. Posca.] Commixtione aquæ & uini. Hydropicos.] Morbo intercute laborantes. cuius mali causas Serenus his uersibus reddit:

Corrupti iecoris uitio, uel splenis, acerbus
Crescit hydrops: aut cùm siccatæ febre medullæ,
Atque auidæ fauces gelidum traxere liquorem;
Tum lympha interius uitio gliscente tumescit,
Secernens miseram proprio de uiscere pellem.

Inde.] Ex auribus. Iugatus.] Sociatus, cõmixtus. Hæmphicos.] Quibus collectio facta est in pulmone, uel sanguinem spuentes. Nec legendum est embecos. Cum mulsa.] Potione ex uino, melleque confecta. Dicimus aũt mulsa & mulsum, quæ tamen quidam distinguunt, dicentes: Mulsa, est potio ex aqua & melle confecta: sed mulsum, uinum attico melle temperatum. Lumina.] Oculos. Ouidius, Parcite luminibus. Elixis.] Coctis. Aequo.] Aequali. Lympha tepenti.] Aqua tepida. Lumina libera reddit.] Oculos liberat à caligine. Vomica.] Tumor in corpore purulentus, à uomendo dicta. Plautus accipit uomicam pro marsupio nummis adimpleto. Quid, inquit, in hoc cello tibi tumet? Respondet, uomica est. Passo.] Genere liquoris, quod ex uua passa cogitur. Phlegma.] Pituitam. Circa serpentes.] Mirum est quod hic ex Plinio recitat. Verbere.] Ictibus. Plumbeus.] Liuidus.

DE SABINA.

BRATHEOS est græce, Sabina uocata latinè.
Sicca calensq; eius uis est, & tertius illi
Est in utroque gradus. uulnus, cum melle, uel ulcus
Fortiter exiccat, sordes quoque purgat eorum.
Sic iuuat anthracas, bona quæ plebs ulcera dicit.
Menstrua deducit, corruptos extrahit aluo
Conceptus, si cum uino sit sumpta frequenter:
Vel si trita prius matricis subditur ori.
Cærotis admixta, cutem facit esse nitentem.
Omnibus & morbis prodest de frigore factis.
Illius in uino uel aqua decoctio, curat
Quos uertigo nocet, si lotum sit caput inde,
Herbáq; temporibus, & fronti cocta ligetur.
Duplum sabinæ, si desint cinnama, poni
In medicamentis iubet Oribasius auctor.

BRATHEOS.] Herba sabina (inquit Plin.) brathy appellata à græcis, duorum generum est. Altera tamaricæ similis folio est, altera cupresso. Qua ex re quidam Creticam cupressum dixerunt. A' multis in suffitus pro thure assumitur. In medicamentis uerò, duplicato pondere, eosdem effectus habere quos cinnamum, traditur. Collectiones minuit, & nocuas compescit. Illita ulcera purgat. Partus emortuos apposita extrahit & suffitu. Illinitur igni sacro & carbunculis. Cum melle & uino pota, regio morbo medetur. Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari tradunt. Sicca calensque.] Hoc est, sicca & calida est sabina in tertio gradu & ordine. Bona quæ.] Expositio præcedentis. Menstrua.] Quæ & muliebria & menses. Deducit.] Fluere facit. Corruptos conceptus.] Emortuos partus apposita extrahit & suffitu, ut Plinius docet. Cærotis.] Cærotum dicitur, quod uulneribus superponi solet. Inde.] Ex coctione. Temporibus.] Hoc hic accipitur in eo significatu, in quo accipitur apud Vergilium primo Georgicorum, ubi poëta ait, Cingens materna tempora myrto.

DE PORRO.

IN multis causis usus medicamine porri
Dicitur Hippocrates, medicinæ maximus auctor.
Istius succum solum dedit ille bibendum
Aegrotis, qui reijciunt, sputantue cruorem,
Quos hemophthisicos soliti sunt dicere Græci.
Cum galla dant hunc alij thuris ue farina,
Aut geminis drachmis porrorum, seminis unam
Apponunt myrrhæ, uino quoque trita resoluunt.
Pre cunctis alij dicunt hæc sumpta iuuare.
Manantemq; potes naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali.
Contractas uuluas succo curabis eodem.
Reddit fœcundas mansum persæpe puellas.
Vlcera cum melle tritum iuuat, appositumq;.
Humorum capitis si distillatio fiat,
Pulmones, pectusq; nocens, uocemq; canoram;
Indeq; consurgat tussis præcordia lædens,
Cum ptisana succum porri sorbere iuuabit.
Et per se solum prodest his omnibus ipsum.
Si porri partes in lympha coxeris albas,
Sic ut aquam primam mutes, addasq; secundam,
Vtilis eius aquæ dato sit potio uentri.
Dicitur hæc eadem cum uino stringere uentrem.
Cum uino potus datur his quos læserat anguis,
Quodlibet aut animal fundens lethale uenenum.
Nec minus his prodest, si uulneribus superaddas
Sic uelut emplastrum porrum cum melle subactum.
Commixtus porri succus lacti muliebri,
Et bibitus, tussim fertur sanare uetustam.
Et uarijs uitijs pulmonum subuenit idem.
Auris compescit cum capræ felle dolorem.
Præstat idem pariter cum mulso mixtus, & auri
Infusus tepidus. fungis, si manditur, obstat.
Eius iungatur succo pars tertia mellis,
Et sic per nares tepidum fundendo, uel aures,
Immensum poteris capitis sedare dolorem.
Ex uino bibat hunc, lumborum quem dolor angit,
Dicitur utilius tali nihil esse dolori.
Fracturas solidat citò, duritiasq; relaxat
Appositum, uulnusq; recens citò cum sale claudit.
Si crudum fuerit sumptum, leuat ebrietatem.
Sic uenerem stimulat, sic durum molliet aluum.

IN multis.] Porrum Græci prason dicunt. Porrorum alij sunt Tarentini, qui & sectiui dicuntur: alij Aricini, qui & capitati. Porro sectiuo profluuia sanguinis sisti in naribus, contrito eo obturatis, uel gallæ mixto, aut mentæ: item ex abortu, profluuia, poto succo cum lacte mulierum. Tussi etiam ueteri ac pectoris & pulmonis etiam uitijs medetur. Illitis folijs sanantur ambusta, epinyctides: ita uocatur ulcus aciem hebetans, & in angulo oculi perpetim humor emanans. Quidam eodem nomine appellant pustulas liuentes, ac noctibus inquietantes. Et alia ulcera cum melle trito. Vel bestiarum morsus ex aceto, item serpentium. Aurium uerò uitia cum felle caprino, uel pari mensura mulsi. Stridores, cum lacte mulieris. Capitis dolores, si in nares fundatur, dormituris ue, in aurem duobus succi cochlearibus, uno mellis. Succus & ad serpentium scorpionumque ictus in potu bibitur cum mero, & ad lumborum dolores cum uini hemina potus. Sanguinem uerò excreantibus, phthisicis, distillationibus longis, uel succus, uel ex ipso cibus prodest. Item morbo regio, uel hydropicis; & ad renum dolores, cum ptisanæ succo, acetabuli mensura. Idem modus cum melle, uuluas purgat. Tostus uerò editur & contra fungorum uenena, imponitur & uulneribus. Venerem stimulat, sitim sedat, ebrietates discutit. Sed oculorum aciem hebetare traditur, inflationem quoque facere, quæ tamen stomacho nō noceat, uentremque molliat. Voci splendorem affert. Capitato maior est eadem effectus. Sanguinem reijcientibus, succus cum caule aut thuris farina, uel acacia datur. Hippocrates & sine alia mixtura dari iubet, uuluasque cōtractas aperiri putat, fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri: contritum ex melle, ulcera purgare, tussim & distillationes thoracis. Pulmonis & arteriæ sanat uitia datum in sorbitione ptisanæ, uel crudum, præter capita sine pane, ita ut alternis diebus sumatur, uel si purulenta excreentur. Sic & uoci uel ueneri somnoque multum confert. Capita bis aqua mutata cocta, aluum sistunt, & inflationes ueteres. Cortex decoctus, illitusque, inficit canos. Hippocrates.] Et hæc est proba lectio. Medicinæ.] Laus Hippocratis. Hæmophthisicos.] Græcè enim sic uocantur, qui sanguinem spuunt, ut etiam suprà adnotatum est. Galla.] Fructu quercuum. Nec pauciora genera gallæ fecimus (inquit Plinius) solidam, perforatam; item albam, nigram, maiorem, minorem. uis omnium similis. Optima comagena. Excrescentia in corpore tollit. Prosunt gingiuis, uuæ, oris exulcerationi. Crematæ & in uino extinctæ, cœliacis, dysentericis illinuntur. Paronychijs ex melle, & unguibus scabris, pterygijs, ulceribus manantibus, condylomatis, uulneribus quæ phagedænica uocantur. In uino autem decoctæ, auribus instillātur, oculis illinuntur. Aduersus eruptiones & panos cum aceto. Nucleus commanducatus dentium dolorem sedat. Item intertrigines, & ambusta. Immaturæ ex his potę, lienem consumunt. Eædem crematæ, & aceto salso extinctæ, menses sistunt, uuluasque procidentes potu. Omnes capillos denigrant. Geminis.] Duabus. Naris cruorem.] Sanguinem è naribus fluentem. Contractas.] Constrictas. Reddit.] Facit concipere puellas, & matres fieri. Pectusque nocens.] Nocens protulit, sicut nocet, & hoc quidem latinè. Vtrunque enim rectè dicitur, pectus nocens, & pectori nocens. pectori tamen hîc legi non potest. Lympha.] Aqua. Aquam mutes.] Sic etiam Plin. Capita bis aqua mutata cocta, aluum sistunt. Stringere.] Cohibere. Lethale.] Mortiferum. Lacti muliebri.] Quod habēt mulieres. Vetustam.] Quā quis longo habuit tempore. Subuenit.] Opitulatur & prodest. Compescit.] Reprimit & sedat. Fungis.] Vlceribus in sede nascentibus, fungis terrestribus non dissimilibus. Obstat.] Impedimēto est, & resistit. Venerem.] Libidinem.

DE CAMOMILLA.

ANTHEMIVM magis cōmēdat laudibus auctor
Asclepius: quam camimelam nos, uel camomillam
Dicimus: hæc multum redolens est, & breuis herba:
Herbæ tam similis, quam iusto nomine uulgus
Dicit amariscam, quòd fœteat, & sit amara,
Vt collata sibi uix discernatur odore.
Auctores dicunt, species tres illius esse.
Quas solo florum distingui posse colore,
Tradunt; est cunctis medius flos aureus illis:
Sed uarijs folijs flos circumcingitur ille;
Albi, uel nigri sunt, purpurei'ue coloris.
Dicitur anthemion propriè, cuius foliorum
Purpureus color est, maiorq; & fortior hæc est.
At leucanthemon, folijs deprehenditur albis:
Melinis crysanthemion. uis omnibus illis
Sicca calensq; gradu primo conceditur esse.
Prouocat urinam cum uino quælibet hausta.
Vesicæ frangit lapides, & menstrua purgat,
Si foueatur aqua matrix, qua cocta sit herba.
Aut si cum uino potetur sæpius illa.
Tormina sic sedat, stomachiq; inflatio potu
Pelletur tali. squamas de uultibus aufert,
Si tritam apponas solam, melli'ue iugatam.
Ictericis prodest eius decoctio sumpta.
Et mirè prodest iecoris potata querelis.
Pellere cum uino potata refertur abortum.
Hac oleo cocta fouens si febricitantem,
Frigus depelles, febrem quoque sæpe fugabis.
Vnguine purgantur hypochondria turgida tali.
Pestiferos morsus serpentum, pondere drachmæ
Cum uino, prohibet anthemis sumpta nocere.
Plinius affirmat hanc quadraginta diebus
Vnaquaque die bis sumptam pondere drachmæ
Cum geminis cyathis uini subtilis & albi
Cum lotio sensim totum purgare lienem.
Aegilopas curat, si quis commasticet illam,
Et sic apponat. sic ulcera sordida purgat.
Ebullire caput febris feruore grauatum
Sæpe solet, uel collectis humoribus in se,
Vlcera producit, uocat exanthemata Græcus.
Hæc decocta uirens oleo camomilla repellit.
Quòd si defuerit uiridis, maceretur aceto,
Et caput inde lauet. nullum magis adiuuat unguen.

ANTHEM.] Anthemis, ut scribit Placentinus ille, ut alij antimis, uel chamæmelum, calefacit & arefacit in primo ordine, tenuiumque partium est, & perinde uim distrahēdi, & rarefaciendi, & deprimendi summittendique habet. Si igitur uiridis fuerit, expedit ex oleo coquere, in quo flos sub sole detentus: sin arida, pauco aspergatur aceto, inde cocta cum oleo, efficitur commoda, ubi necdum materia perfectè pacata est, quæ ad caput euoluebatur: distrahit nanque quæ in capite, aliamque non attrahit, quod nullum aliud facit medicamē. Necepso autem Aegyptius iubet florem purum ipsius chamæmeli pubescentem colligere, tereréque in mortario, beneque subigi in fidelia, conficique pastillo, mediocres, & in umbra arefieri & reponi: cùm eorum usus aduenerit, pastillum sumi unū, immittique in oleum primarium, quantum satis sit, quod expressum primò fuerit: inde inungi corpus à capite usque ad imos pedes totum febricantium; inde tegi ægrum, & foueri. tum ait excitari sudorem salubrem, ac febre liberari: foreque ob hoc idoneum peregrinantibus remedium: quia facilè quiuis secum habere potest, & absque impendio sibi cauere, idque experientia plurium. Alij quoque eruum esse attestantur, maximeque congruere meatibus aperiendis. Iubet quoque is pastillos in aqua calida dilutos potare febri correptos drachmæ quantitate. Chamimolam.] Chamæmelon (ait Perottus) est herba uulgo nota, ab odore malo sic dicta, quam medici recentiores chamomillā barbare uocant. Amariscam.] Quæ est mali odoris herba; unde ait quòd fœteat, id est, malè oleat. Collata.] Comparata. Purpureus.] Qualis est purpura. Qua.] Aqua. Iugatam.] Additam. Ictericis.] Morbo regio laborantibus. Querelis.] Doloribus, propter quos queruntur homines. Hypochōdria.] Hypochōdrion uocant nonnulli partem corporis, ubi ilia alij lagaron. Hæc Perot. ille in Cc. Aegilopas.] Aegilope abscessus est pusillus, oblongusque sub ipsum palpebræ torulum: officit luminibus. De quo malo Cor. Cel. lib. 7. c. 7. Etiamnum, inquit, in angulo, qui naribus propior est, ex aliquo uitio quasi parua fistula aperitur, per quam pituita assidue distillat, αἰγίλωπα græci uocant; idque assiduè malè habet oculum: nonnunquam etiam exeso osse, usque ad nares penetrat, idque interdum naturā carcinomatis habet. Exanthemata.] Quæ ulcera græcus uocat exanthemata. De quibus Cor. Cel. lib. 5. cap. 28. At pustulæ, inquit, maximè uernis temporibus oriuntur. Earū plura genera sunt. Nam modò circa totum corpus partem'ue aspredo quędam fit similis his pustulis, quę ex urtica, uel sudore nascuntur, ἐξανθήματα Gręci uocant; eaque modò rubent, modò colorem cutis non excedunt. Nonnunquam similes uaris oriuntur &c. Vnguen.] Vnguentum. Maximè tamen notandum, quòd tussim curat, si quis succum porri cum ptisana sorbeat. Est autem ptisana, hordeum decorticatum, uel hordei succus siue aqua. ptisanarium, uas in quo coquitur.

DE NEPETA.

HERBAM quam nepetam uulgari more uocamus,
Hanc medici græco calaminthi nomine dicunt.
Sicca calensq; illi uis est, & tertius item
Est in utroque gradus. Cum mulsa trita tepenti
Sumpta, solet totum sudore reuoluere corpus.
Ex oleo quo sit decocta, perunge fricando
Illum, uenturæ metuit qui frigora febris,
Non frigus tantum, sed febrem sæpe repellit.
Illi qui schiasim patitur, coxæ supperadde
Contritam uiridem, fertur combvrere pellem,
Et sic humores siccando, fugare dolores.
Apposita, potuq; suo, cito menstrua purgat.
Est lepræ species, elephantiasisq; uocatur,
Quæ cunctis morbis maior sic esse uidetur,
Vt maior cunctis elephas animantibus extat.
Hunc in principio morbum potus calaminthes

Cum uino curat, humores extenuando.
Serpentum morsus superaddita trita, nocere
Non sinit, & pellit cum uino sumpta, uenena.
Potus, & iniectus, lumbricos enecat eius
Succus, & in membris uermes necat omnibus ipse.
Si mel iungatur huic cum sale, plus operatur.
Si bibit hanc praegnans, aut tritam subdit, abortit.
Purgat & ictericos cum uino, curat anhelos,
Asthmaticos medici quos Graeco nomine dicunt.
Et iecoris morbos cum uino mitigat hausta.
Hocq; modo ueterem lateris iuuat illa dolorem.
Atque cicatrices nigras superaddita, trita,
Haec naturalem reddit purgando colorem.
Vino decocta facit haec melius cataplasma.
Compescit stomachi cum uino sumpta, dolorem.
Fumus de domibus serpentes effugat eius.
Tollere singultum cum uino dicitur hausta.
Hocq; modo uenerem cohibet potata frequenter.

HERBAM.] Nepeta graece καλαμίνθη, est tenuium partium essentia, & calida & arida temperamento, in tertio ferè ordine utraque in qualitate. Haec pota arida, ob mulsum calefaciens, satis sudorem elicit, & distrahit, & arefacit uniuersum corpus. Ob hoc, ipsa quidam usi sunt, ad sedandos febrium rigores extrinsecus apponendo, ex oleo coquentes, & inungentes totum corpus, ualidè fricando, ut interna petat. necnon ilibus accommodant; & apponunt ischiadicis, utpore praesentaneum remedium: attrahit nanque funditùs, ac conuellit ad imam cutem, & uniuersum eum concalefacit articulum. Subuenit fracturis, & spasmis: lumbricos perimit, cocta cũ uino: & cataplasmate iposita, cicatrices atras reddit albicãtes, uritque manifestò cutem: & menstrua, pota atque apposita, prouocat efficaciter. Praesentaneum quoque medicamen elephantiasi correptis, non modò quòd distrahat tenues humores, sed etiam quòd attenuet & secet ualidè crassos humores, qui hanc aegritudinem gignunt. Ita etiam cicatrices illustrat nigras, & distrahit interim quoque hypopia. Melius autem facere illi existimantur, qui in uino coquentes ipsam apponunt uiridem potiùs, quàm aridam. Nam arefacta ualidior est, ad urendumque expeditior. Superimponitur autem immorsibus uirulentis atque pestiferis, ob amaritudinem perimens lumbricos, & serpentes, assumptus & potus succus necnon in auribus & hulceribus uermes absumit. Iuuat autem anhelosos & arquatos, abstergendo ac purgando iecoris oppilationes. Ad haec autem cuncta iam dicta, efficacior montana est. Orpheus autem ait, succum ipsius cum aequali rosaceo cum psimmytho solutum, soluere crassitudinem, & inustam, curare igni exusta. Illud admirabile uideri, quòd ne quidem mali uestigium appareat, pilosque educit locus. Cum cimolia autem & aloë aequalibus succum exprimendo, & inducendo fronti atque temporibus, pacaueris statim capitis dolores. auctor Valla Placentin. In utroque.] Tam siccitate quàm calore. Gradus.] Ordo. Sudore reuoluere.] Id est, facere ut totum corpus sudet, & sudorem emittat. Metuit qui.] Qui febri obnoxius est. Fertur.] Dicitur. Menstrua.] Fluxum sanguinis. Leprae.] Est (inquit) species leprae, quae elephantiasis dicitur, per similitudinem sic dicta, quae exponitur, cùm dicit, Quę cunctis &c. Graeci ἐλεφαντίαν appellitant, de quo Celsus lib. 3. cap. 25. Ignotus autem pene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίαν graeci uocant, isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque uitiari dicantur. Sũma pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inequaliter crassa, tenuis, dura, mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus emacrescit; os, surae, pedes intumescunt. Vbi uetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur; febricula oritur, quę facilè tot malis obrutum hominem consumit. Protinus ergo inter initia, sanguis per biduum mitti debet, aut nigro ueratro uenter solui: adhibenda tum quanta sustineri potest, inedia est: paulum deinde uires reficiendę, & ducenda aluus. post haec, ubi corpus leuatum est, utendũ est exercitatione, pręcipueque cursu: sudor primùm labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus euocandus; frictio adhibenda; moderandumque inter hęc, ut uires conseruentur; balneum rarum esse debet. Cibus sine pinguibus, sine glutinosis, sine inflantibus. Vinum pręterquam primis diebus rectè datur. Corpus, contrita plantago, & illita, optimè tueri uidetur. De elephantia sic ait Serenus, ut sequitur:

Est elephas morbus, tristi quoque nomine dirus,
Non solùm turpans infandis ora papillis,
Sed cito precipitans funesto fata ueneno.
Huic erit aduersus cedri de cortice succus,
Mustellaeque cinis, uel fusus sanguis ab illa.
Nonnulli dixere ferum prodesse bibendo.
Mentastri folium potu, appositumque salubre est.
Nec frustrà bulbos & sulphura iungis aceto,
Pręterea nitrum debes cum melle iugatum
Spargere lacte bouis, uarias sic ungere frontes.
Cerusam & chartam (quam gens Aegyptia mittit)
Thura simul, misceque oleum, quod flore rosarum
Conditum est; line sic faciem, sic redde salutem.

Calaminthes.] Nepetę. Lumbricos.] Vermes. Negat.] Non permittit. Abortit.] Abortum facit. Ictericos.] Morbo regio correptos. Anhelos.] Anhelosos & difficulter anhelãtes, quos gręci asthmaticos uocant. Compescit.] Sedat, reprimit. Fumus.] Nota, ut etiam cętera, dignum. Venerem cohibet.] Refrenat coeundi appetitum; quod quidam fortassis melius fieri putant uerberibus

bus; cùm tamen contrarium etiam constet. Hominum naturam extra reliquorum modum admirantibus, succurrit exemplum raro aliàs auditi euentus. Siquidem non multis abhinc annis uixisse quendam in uenereis ingenij stupendi maximè, quodque uix impetret fidem, ex adiuratissimis compertum est, qui quò pluribus affectus fuisset plagis, eò impetuosius, ardentiusque in concubitum ferebatur preceps. Fuit omnino mira res: nescires, utrùm affectaret auidius uerbera, an coitum: nisi quòd illorum mensu libidinis uoluptas constabat. Proinde extentis se precibus diflagellari exposcebat, pridie quàm id pateretur, flagello aceti asperitate obdurato: quòd si uerberator lentius agere foret uisus, uelut extimulante rabie, conuicijs incessebat: nec factum sibi satis arbitrabatur, ni inter cędendum sanguis sese ostendisset. Vnus, opinor, mortalium inuentus, qui eodem impetu in supplicium ferretur, ac delicias: quique inter tormenta sensuum titillationes, ac æstuantem pruritum uel expleret, uel incęderet. hęc Cœlius antiq. lecti. lib. 6. cap. 36. Frequenter.] Quia unus potus tanto monstro domando non sufficit, cùm interdum nihil remediorum quidquam aduersus tam immanem belham ualeat. Plinius, unde auctor noster ferè omnia sumpsit, lib. 20. cap. 14. sic scribit de nepeta: Nepeta quoque uires contra serpentes habet. Fumum ex ea nidoremque fugiunt; quam & substernere in metu obdormituris, utile est. Tusa ægilopis imponitur, & capitis doloribus recens cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. Succus eius instillatus naribus supinis, profluuium sanguinis sistit. Item radix cum myrti semine in passo tepido gargarizata anginis medetur.

DE PVLEGIO.

FERVIDA pulegij uis, siccáq; dicitur esse.
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroque.
Sępius hanc herbam si pręgnans sumit, abortit.
Menstrua deducit cum uino sumpta tepenti.
Hacq; modo tardas hęc extrahit herba secundas.
Hoc nomen quia non notum reor esse quibusdam,
Exponam tali quid nomine significetur.
Vt nondum natus, testâ circundatur oui
Pullus; sic infans matris uestitur in aluo
Quadam pellicula matris de semine facta.
Quam nascens rumpit, quasi testam pullulus oui.
Istas pelliculas medici dixêre secundas,
Quòd mox expositos naturæ iure sequantur.
Hę si plus iusto, uitio cogente, morantur;
Aut mors subsequitur, dolor aut qui uix toleratur.
Istas pulegium prędicto more repellit.
Cum sale contritam melli si iunxeris illam,
Vnguine contractis potes hoc succurrere morbis.
Illius puluis sumptus cum melle, uel haustus,
Pectoris humores uiscosos extenuare,
Et per sputa potest illos educere mirè.
Nausea, uel morsus stomachi curabitur illa
Cum posca sumpta, uel aceto quod sit aquosum.
Cum uino nigram choleram potata repellit.
Sicq; uenenatis serpentum morsibus obstat.
Si per uim febris, nimio'ue fluore cruoris,
Aut aliquo casu subitò defecerit æger,
(Quod solet à doctis medicis malefactio dici)
Pulegium ualido tritum iungatur aceto,
Naribus ægroti sic apponatur; odore
Solo confestim dicunt releuare iacentem.
Gingiuas sicci puluis confirmat, & usti.
Appositam uiridem dicunt sedare podagram;
Et quosuis alios solet emendare tumores,
Si superaddatur tepidę permixta polentę.
Addita cerotis, papulas de corpore tollit.
Spleneticis multum, superaddita cum sale, prodest.
Elixaturâ, si quisquam sępe tepenti
Illius abluitur, pruritus non patietur.
Et sic matricis poteris curare tumorem.
Tussim compescit, cum uino sumpta tepenti:
Et sic urinam compellit reddere largam.
Et magis, ex uino si sit decoctio facta,
Aut oleo mixtam contritam si superaddas.
Si radix acri trita iungatur aceto,
Sedabit quosuis superaddita sępe tumores.
Obstat serpentum cum uino sumpta uenenis.
Et sic assumptum, uenerem stimulare fatentur.
Sic quoque pulmonis prodest, iecorisq; querelis.
Et sic nutrici sumptum, lac prębet abundans.
Herba uirens curat morsus cum melle caninos
Si superaddatur, & uino mixta bibatur.

FERVIDA.] Hoc est, pulegium est calidum & siccum in tertio gradu. Magna societas cum menta ad recreandos defectos animo pulegio, cum surculis suis in ampullas uitreas aceti utrisque deiectis. Qua de causa dignior è pulegio corona uerigini quàm è rosis, cubiculis nostris pronunciata est. Nam & capitis dolores imposita dicitur leuare. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque iniuriam, & ab siti traditur: neque ęstuare eos, qui duos è pulegio surculos impositos auribus in sole habeant. Illinitur etiam in doloribus cum polenta & aceto. Fœmina efficacior. Est autem hęc flore purpureo. Mas candidum habet. Nauseas cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet. Sic & pectoris ac uentris dolorem. Stomachi autem ex aqua intercisiones sistit, & uomitiones cum aceto & polenta. Intestinorū uitia melle decocta & nitro sanat. Vrinam pellit, ex uino: & si amineum sit, & calculos, & interiores omnes dolores. Ex melle & aceto sedat menstrua, & secundas. Vuluas conuersas corrigit. Defunctos partus eijcit. Semē obmutescentibus olfactu admouetur. Comitialibus in aceto cyathi mensura datur. Si aquę insalubres bibendę sunt, tritum inspargitur. Salsitudines corporis, si cum uino tradatur, minuit. Neruorū causa & in contractione cum sale & aceto & melle confricatur opisthotono. Imbibitur ad serpentium ictus decoctum. Ad scorpionum, in uino tritum, maximè quod in siccis nascitur. Ad oris exulcerationes, ad tussim efficax habetur. Flos recentis incensus, pulices necat odore. Xenocrates pulegij ramum lana inuolutum, in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subijcit, & ita collocari ęgrum, inter remedia tradit. hęc & multa alia Plinius Nat. hist. 20. cap. 14. Deducit.] Fluere facit muliebria, quæ

antea fluxum naturæ negabant. Hoc nomen.] Secundas intelligit, & doctè nominis significationem explicat. Expositos.] Infantes in lucem datos. Istas.] Secundas sequi morantes. Vnguine.] Vnguento. Viscosos.] Qui multorum malorum, etiam lepræ causa dicuntur à medicis. Defecerit.] Hoc non simpliciter intelligendum est de pulegio, sed de pulegio cum menta: quod docemur ex Plinio, qui ut suprà adscripsimus, ait: Magna societas cum hac, id est, menta ad recreandos &c. Podagram.] Podagram ob doloris atrocitatem, Serenus uocat rabidam, cum dicit:

Quædam sunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas species Epidaurius ipse
Dixit inesse Deus: requiem tamen indere morbo
Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.

Cerotis.] Quæ uulneribus superponi solent. Papulas.] Pustulas, tubercula. Spleneticis.] E splene laborantibus. Compellit reddere largam.] Largè facit mingere.

DE FOENICVLO.

*F*OENICVLVM *medici calidū, siccumq; secūdo*
Dicunt esse gradu; marathrum Græcus uocat illud.
Cum uino cunctis obstat hæc herba uenenis.
Hac mansa, serpens oculos caligine purgat.
Indéq; compertum est, humanis posse mederi
Illam luminibus, atque experiendo probatur.
Radicis succus mixtus cum melle recenti,
Pulsa reddit eos omni caligine claros.
Expressus marathri uiridi de semine succus,
Soléq; siccatus, magnum medicamen habetur,
Ad quoscunque uelis oculorum pellere morbos.
Auribus infusus, uermes succus necat eius.
Renibus in ptisana radix decocta medetur.
Cum uino fugat hydropicos potata tumores.
Sicq; uenenatis obstabit morsibus illa.
Sic quoque pulmonis obstat, iecorisq; querelis.
Et sit nutrici sumpta, sit copia lactis.
Cum uino uel aqua radicis coctio sumpta,
Nephreticis, & uesicæ morbis medicatur.
Vrinas purgat, & menstrua sumpta resoluit,
Vel si trita super pectus hæc herba ligetur,
Nauseæ cum uino sumpta sedabitur illa.
Feruorem stomachi cum lympha mitigat hausta.
Radix illius uino decocta, dolores
Fomento curat, patitur quos uirga uirilis.
Hoc quoque si iungas oleo, facit, hocq; perungas.
Ictus, uel factos subitò quoscunque tumores,
Apponas tritam iuncto sedabis aceto.
Semen cum uino bibitum, ueneris mouet actus.
Hocq; modo lateris diros sedare dolores
Dicunt, aut herbæ si sit decoctio sumpta.
Tradunt auctores, eius iuuenescere gustu
Serpentes, & ob hoc senibus prodesse putatur.

FOENICVLVM.] Hanc herbam Græci μάραθρον uocant, & uehementer calefacit, tanquam ex tertia iam sit potentia; sed arefacit in primo ordine, ob hoc, lac gignit quòd non admodum arefaciat. Suffusionibus opitulatur; eadem ratione uim mingendi, & menstrua agit. Est etiam aliud marathrum, quod à magnitudine hippomarathrum uocant; cuius radix & semen magis arefacientis est potestatis, quàm domesticum; cuius semen est ut milium; id calculosis opitulatur, menstrua & urinam mouet. Est & alterum hippomarathrum, cuius semē rotundum & acutum, coriani simile, potentiâ imbecillius alio hippomarathro. Placentinus ille auctor, quod maximè sumpsit ex Dioscoride. Humanis luminibus.] Oculis hominū. Pulsa.] Fugata. Marathri.] Foeniculi, quod grammatici à foenore dictum uolunt. Ptisana.] Succo seu aqua hordei. Hydropicos.] Quos facit hydrops. Virga uirilis.] Membrum uirile, quod & uerretrum à uerrendo, & colis, & nonnunquam priapus, alijsque nominibus. Fomento.] Hoc à fouendo, hoc est nutriendo, dictum est. Vnde fomenta dicuntur applicationes rerum calidarum seu humidarum ad partes corporis læsas, & medendi gratiâ, quæ & fotus appellantur. Mouet.] Incitat. hoc pro lasciuioribus. Auctore.] Vt Plinius.

DE ACIDVLA.

*D*ICIMVS *acidulam, quam græcus dicit aizoum,*
Sic dici credunt, sapor illi quod sit aceti;
Crescit arenosis in pratis, & secus amnes.
Hanc auidè quidam comedunt in tempore ueris;
Expertumq; ferunt sibi quòd fastidia tollat.
Virous est illi succus, & frigida ualdè.
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroque.
Hæc fugit apposita sacer ignis, & herpeta mordax.
Et tumor ex oculis tritæ cataplasmate cedit.
Vlcera quæ serpunt, cohibet, combustaq; curat.
Et multùm calidæ dicunt prodesse podagræ,
Si fuerit folijs illius operta uirentis,
Aut cataplasmatâ mixtâ contrita polentâ.
Eius cum roseo succus permixtus oliuo,
Dicitur antiquo capitis prodesse dolori,
Qui dictus dolor est lingua cephalargia græca.
Omne genus fluxus uentris restringere mirè
Cum uino potata solet, uel mansa frequenter.
Hocq; modo nimium manantia menstrua sistit,
Vel si matrici tritam uiridem superaddas.
Sic quoque lumbricos pellit potata rotundos.
Taliter & cunctis prodest potata uenenis.
Exhilarat uisus, illius succus inunctus.
Cum uino uarijs obstat potata uenenis.
Affirmant, istam qui secum gesserit herbam,
Quòd non appetet hunc lethali scorpius ictu.
Auribus expressus succus si funditur eius,
Adiuuat auditum mirè, pellitq; dolorem.
Altera uerò minor species est istius herbæ,
Quam semperuiuam dicunt, quoniam uiret omni
Tempore: barba Iouis uulgari more uocatur.
Esse refert similem prædictæ Plinius istam:
Nec minùs omnibus hanc prædictis posse iuuare.

Mane solent adeo palpebrae glutine quodam
Phlegmatis astringi, ualeant ut uix aperiri;
Has mire succus herbae deglutinat huius,
Illo si tactae fuerint, digito'ue peranctae.

DICIMVS acid.] Quod latini acidulam, Græci aizoum uocant. Aizoi duo genera: maius in fictilibus uasculis seritur, quod aliqui buphthalmon uocant, alij zoophthalmon: alij stergethron, quod amatorijs conueniat: alij hypogeson, quoniam in subgrundijs fere nascitur. sunt qui ambrosiam potius uocant, & qui amerimno: Itali sedum magnum, aut oculum, aut digitellum. Alterum minusculum, quod erithales uocant, alij trithales, quia ter floreat, alij Chrysothales, aliqui isoetes, sed alij Itali sedum, alij aizou, utrunque quoniam uireat semper, aliqui semperuiuum. Maius, cubiti altitudinem excedit, crassitudine plus quam pollicari. Aliud in cacumine linguæ simile, carnosum, pingue largo succo, latitudine pollicari: Alia in terram conuexa, alia stantia, ita ut ambitu effigiem imitetur oculi. Quod minus est, in muris parietinisque nascitur & tegulis, fruticosum à radice, & sursum usque ad cacumen, folijs angustis, mucronatis, succosis, palmo alto caule, radix inutilis. auctor Plin. lib. 25. cap. ultimo. Aizou (inquit Placentinus Valla) quod semperuiuum dicimus, utrunque tam paruum, quàm magnum, arefacit quidem aliquantulum, quod etiam mediocriter acerbescit atque astringit, refrigerat uerò non mediocriter. est enim tertiæ distantiæ atque ordinis refrigerantium; & ob hoc, aduersum ignem sacrum & herpetas atque inflãmationes, quę ex distillationibus sunt, conuenit. Secus.] Iuxta. Vtroque.] Tam siccitate, quàm frigore. Sacer.] Ignis S. Antonij, qui & alijs nominibus appellatur, ut suprà pueros docuimus. Non enim hæc criticis scribimus, sed duntaxat pueris, & literarum candidatis, quibus utile est hæc minuta legere. Herpeta.] Vitius quod serpit & mordet: inde dixit Mordax satis cõuenienti epitheto. Tritæ.] Acidulę. Podagrę.] Pedum dolori. Operta.] Tecta. Aut cataplasmata.] Pessimus uersus, nec facile deteriorem apud auctore hunc inueneris. Cephalargia.] Morbus est, quo totum caput infestatur, qui & cephalea. Hemicranici ab hemicrania sunt, qui dimidia parte capitis laborant. Restringere.] Cohibere. Manantia.] Fluentia. Sistit.] Stare facit ne fluant. Lethali.] Mortifero. Refert Plin.] Vt suprà habes. Phlegmatis.] Pituitæ. Deglutinat.] Dissoluit & aperit.

DE PORTVLACA.

ANDRACHNE graece, quae portulaca latine
Dicitur; hac uulgi pes pulli more uocatur.
Humida uis eius, & frigida dicitur esse,
Inde iuuat febrem, quam dicit graecia causon,
Tertius humori, stridori uero secundus
Huic gradus est. utilis stomacho quoque habetur,
Trita super stomachum uiridis si ponitur herba.
Praestat idem succus si sumitur, herbaq; mansa,
Aut ut olus accepta, solet lenire calorem.
Mansa uel hausta, potest nimium restringere fluxum
Sanguinis, & uentris nimium cohibere fluorem.
Esse uetat dentes illis contrita stupentes.
Et tumidis oculis prodest superaddita trita.
Feruorem solis aestate comesta nocere
Non sinit, & uentrem cum uino uel cum sale mollit.
Vesicaeq; solet sedare comesta dolores.
Est haemophthisicis haec saepe comesta salubris.
Acidulae similes huic pene per omnia uires,
Effectusq; pares, testatur Plinius esse.

ANDRACHNE.] ἀνδράχνη Græce, est portulaca latine. Adrachne uerò sine n in prima syllaba, est syluestris arbor, neque in planis nascens, similis unedoni, folio tantùm minore, & nunquam decidente, cortice nec scabro quidem, sed qui circũgelatus uideri possit, tam tristis aspectu est, ut scribit Plin. lib. 13. cap. 22. Est autem ἀνδράχνη in potestate refrigerandi, tertij ordinis ac distantię, humectandi autem secundi. Paululum austeri habet; ideo fluxus amouet, imprimis biliosos & calidos trãsmutando ipsos, mutãdoque qualitatem, & aliquatenus refrigerando, quapropter æstuantes iuuat: si quidquam aliud, ori, atque aluo apposita, cunctisque hypochondrijs, lęuigat que admodum, ouo crudo mixto cum albumine ac uitello: medeturque, Galeni sententia, febribus hecticis, mixto etiam oleo rosaceo, & pauculo aceto, inunctoque toto corpore; statum facilem infert medelam per febrem exæstuantibus, & æstus prorsus extinguit; ut insurgere amplius nõ sinat. Id nos ex ipsa profitemur experientia; sicut & cichorij decoctionis aqua pota ieiuno stomacho, ut inde dormiatur, ilico leuatur febris. Fluentem sistit sanguinem, succusque eius uim habet cõsimilem, ut non solùm extrinsecus appositus, uerumetiam potus refrigeret. Hæc nimirum herba cõuenit uniuersę manducationi, quod subacerbescat, eduliumque aptum torminibus, et fluxui muliebri, & sanguinis eiectionibus; ad quæ efficacior, quàm ipsa herba, est succus. hæc Placentinus. Esse uetat.] Tollit enim stuporem dẽtium. Feruorem.] Notatu dignum quidem, & maximè ijs, quorum capita solis ęstu facilè debilitantur. Hæmophthisicis.] Sanguinem spuentibus. Comesta.] Mansa. Salubris.] Vtilis & sanitatis causa. Effectus.] Virtutes. Pares.] Similes.

DE LACTVCA.

Frigida lactuca uis constat, & humida ualdè.
Vnde potest nimios haec mansa leuare calores.
Et praestabit idem, superaddas si bene tritam.
Vtilis est stomacho, somnum dat, mollit & aluum:
Omnibus his melius prodest decocta comesta
Et stomacho potius non lota comesta medetur.
Lactucae semen compescit somnia uana.
Cum uino bibitum, fluxum quoque reprimet alui.
Lac dat abundanter nutrici sumpta frequenter.
Vt quidam dicunt, oculis caligo creatur
His, quibus assiduè fuerit cibus eius in usu.

FRIGIDA.] Lactucæ Gręci tria fecere genera, unũ lati caulis, adeo ut ostiola olitoria ex his facti-

tari prodiderunt. Folium his paulò maius herbaceo & angustissimum, ut alibi consumpto incremento. Alterum rotundi caulis. Tertium sessile, quod laconicon uocant. Est etiamnum alia distinctio atræ, quæ meconis uocatur, à copia lactis soporiferi: quanquam omnes somnum parere credantur. Apud antiquos Italiæ hoc solum genus earum fuit, & ideo lactucæ nomen adeptæ. Purpuream maximæ radicis Cæcilianam uocãt. Rotundam uerò, ac minimæ radicis, latis folijs, astylida. Quidamque eunuchion, quoniam hęc maximè refragetur Veneri. Est quidē omnibus natura refrigeratrix, & ideo æstate gratæ à stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiã faciunt. Diuus certè Augustus lactuca conseruatus in ægritudine fertur, prudentia Musę medici, cùm priores eam ob religionem minimè comanducarent; in tantũ recepta commendatione, ut seruari etiam in alienos menses eas oxymelite repertum sit. Sanguinem quoque augere creduntur. Est etiã num quę uocatur caprina lactuca. Est quę cilicia uocatur. auctor Plin. lib. 19 cap. 8. Humida ualde.] Est enim lactuca humidum & frigidum holus, non utique extremo modo, sed ut fontana aqua, perfrigida; ideo aduersus inflammationes congruit, & leues sacros ignes. Edulium planè sitim extingnens. Leuare.] Minuere. Mollit.] Mollem facit, & soluit induratam. Eius.] Lactucæ.

DE ROSA.

DICI flos florum nobis rosa iure uidetur,
Quæ specie cunctos præcedat, odoreq; flores;
Non tamen hæc tantum specie, nec odore iuuare
Nos ualet, at uarijs nos adiuuat illa medelis.
Eius sicca gradu uis est & frigida primo.
Compescit sacrum, si trita apponitur, ignem.
Sic quoque si stomachus calet, aut præcordia, sedat.
Fluxum matricis cum uino stringit & alui.
Illius succum collyria plurima quærunt.
Et siccæ puluis morbis bene subuenit oris.
Infrictus per se tantum, cum melle'ue mixtus.
Omnes feruores superaddita trita coercet
Ipsa recens, uel si mulsæ contrita bibatur.
Ex hac conficitur oleum, roseumq; uocatur,
Diuersis morbis, & multis utile causis.
Si bibitur, uentrem mollit, stomachiq; calorem
Extinguit nimium, bene si foueatur eodem.
Et dolor & feruor capitis curabitur illo.
Permiscendo illi si fortè iugatur acetum,
Expurgat sordes, uulnus repletq; profundum.
Et combusturis præclare subuenit ignis.
Ore diu tentum, dentis sedare dolorem
Dicitur, & duras palpebras reddere molles.
Aufert suppositum pruritus interiorum.
Et stericis uarijs ualet hoc succurrere morbis.
Hoc oleum quoniam uariatur conficiendo,
Dicam Palladius quid scripserit inde peritus.
Quod rubrum fuerit foliorum sumito floris,
Vncia sic purgatorum iungatur oliui
In libra; uitreo sic claudens omnia uase,
Sub phœbo tantum septem suspende diebus;
Inde medelarum uarios seruetur ad usus.

DICI flos.] Rosæ uis ex essentia aquosa calida remixtis duabus qualitatibus, acerbescẽti & amarescenti constat. Flos autem ipsarum adhuc magis acerbescit rosis, & ob hoc arefaciens. Rosa nascitur spina uerius, quàm frutice, in rubo quoque proueniens. Illic etiam iucundi odoris, quamuis angusti. De generibus rosarum multa scribit Plin. lib. 21. cap. 4. Eius sicca.] Est rosa, inquit, sicca & frigida in primo gradu. Compescit.] Sedat. Stringit.] Cohibet. Illius.] Rosæ. Collyria.] Medicamenta oculorum, de quibus lege Corn. Cels. lib. 6. cap. 6. Illo.] Oleo rosaceo. Subuenit.] Opitulatur. Stericis.] Hystericis, hoc est hysteræ, matricis uidelicet. Rubeum.] Tu lege rubrum. nec opinor auctorem scripsisse rubeum, sed rubrum: nam rubeum non est satis latina dictio. Phœbo.] Sole. Medelarum.] Medicinarum.

DE LILIIS.

AVROSAS (ut credo) rosas, argentea debent
Lilia iure sequi, quæ nec specie, nec odore
Cedere creduntur, roseo collata decori,
Nec minus in multis hominum sunt apta medelis.
Eius radicis bulbus, quæ lilia profert,
Sub prunis tectus, iuncto quoque tritus oliuo,
Prodest usturis mirè superadditus ignis,
Et melius roseum sibi si iungatur oliuum.
Duritias stericas mollit, si subditur idem.
Elixis eius folijs, cataplasmaq; factum,
Mollescunt nerui, combustaq; membra iuuantur.
Sicq; superpositus morsus curabitur anguis;
Aut si cum uino bulbus potabitur ipse.
Sic quoque fungorum uetat ille uenena nocere.
Hunc uino coctum tritumq;, pedum superadde
Clauis, nec soluas nisi cum lux tertia transit.
Pingui porcino si decoquis hunc, uel oliuo,
Reddere posse pilos membris narratur adustis.
Cum uino potum, nocuum purgare cruorem
Per uentrem dicunt, & sic prodesse lieni.
Sicq; iecur uuluas, sic idem menstrua purgat,
Vel si cum uino ueteri coctum superaddas.
Præcisis neruis tritus cum melle medetur.
Expressus succus foliorum mixtus aceto,
Et melli coquitur; sint mellis, sint & aceti
Vt geminæ partes, prædicti quinque liquoris;
Ad desiccandas nihil est magis utile plagas,
Inq; cicatrices ducit, licet inueteratas.
Elixus bulbus, & ceroti bene mixtus,
Rugas distendit uultus, maculas fugat omnes.
Lichenas purgat, faciem quoque surfure mundat.
Exprimitur succus de tritis floribus eius,
Qui uuluas mollit cum lana subditus illis.
Illitus asseritur sudorem posse mouere.
Turgida maturat, primò coquit, & citò purgat.

AVROSAS.] Lilij flos temperamenti mixti est ex tenuibus partibus, terrestri quadã essentia, ex qua gustu quoque habet amaritudinem, aquosæque cuiusdam temperatæ essentię est; ex quo oleum uim distrahendi

distrahendi citra uellicationem habet, potestatisque molliendi est, extremæque duritiei idoneum. cuius radix & folia per sese soluta arefaciunt, & abstergent, mediocriterque distrahunt. Radix nãque in primo est ordine abstergentium; ita nimirum conuenit ambustis & inflammatis locis. Radicem igitur torrentes, inde cum rosaceo dissoluentes oleo, ambustis imponunt, quo ad cicatricem peruenerit. Est autem alioqui hulcerum omnium perducendorum ad cicatricem egregium remedium; molliendo quoque mẽstrua prouocat; folia quoque præcocta imposita, cicatrices obducunt, omnibus hulceribus salubre medicamen. Succum quoque foliorum coquendo apponimus cum aceto & melle, quo sistatur corporis humectatio. hæc Placentinus. Lilia iure sequi.] Lilium (ut tradit Plin.) rosæ nobilitate proximum, & quadam cognatione unguenti oleique, quod lirinon appellatur. Et impositum etiã maximè rosas decet, medio prouentu earum incipiens: nec ullis florum excelsitas maior. Interdum cubitorum trium; languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, folijs foris striatis, & ab angustijs in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo & semine stantibus in medio crocis. Ita odor colorque duplex, ut alius calycis, alius staminis, differentia angusta. In unguenti uerò, oleique usu, folia non spernuntur. Et flos non dissimilis illi in herba, quam cõuoluolum uocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac ueluti rudimentum naturæ lilia facere condiscentis. hæc Plin. lib. 21. cap. 5. Cedere.] Rosis. Roseo.] Rosarum. Collata.] Comparata. Apta.] Idonea. Bulbus.] Significat bulbus radicem rotundam tunicatam. Hoc nomine, ut scribit Dioscorides, Romani significant allium agreste, alij allium marinum. Dicitur bulbus uenerem mirè stimulare ac excitare. Idem sentire uidetur Epigrammatarius Poëta Martialis, dicens:

Cùm sit anus coniunx, cùm sint tibi mortua membra,
　Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Et ego olim sic lusi:

Qui præstare uirum Cypriæ certamine nescit,
　Manducet bulbos, & bene fortis erit.
Languet anus, pariter bulbos ne mandere cesset,
　Et sua ridebit prælia blanda Venus.

Fungorum.] Qui uescentibus sunt periculosissimi. Clauis.] Clauus, genus tuberculi. Nonnunquam quidem alibi clauus, sed in pedibus tamen maximè nascitur, præcipue tamen ex contuso: quamuis interdum aliter: doloremque etiam, si non aliàs, tamẽ ingredienti monet. lege Celsum lib. 5. cap. 28. Clauo interijt Silius Italicus clarissimus Poëta; quod docemur ex Plin. qui tertio epistolarum sic scriptum reliquit: Modò nunciatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia uitam finisse. Causa mortis ualetudo. Erat illi natus insanabilis clauus, cuius tædio ad mortem irreuocabili constantia decucurrit, usque ad supremum diem beatus & felix, nisi quòd minorem e liberis duobus amisit: sed maiorem, meliorem, florẽtemque, etiam consularem reliquit. Lux tertia.] Tertius dies. Vuluas.] Hysteras, quas Græci uocant. Rugas.] Pro uetulis maximè, quibus uenus multo charior, quàm uirtus. Distendit.] Explicat. Lichenas.] Mentagram intelligit, quam latini sic uocant, quòd à mento ortum deducat. Martialis sordidos uocat lichenas his uersiculis:

Non hulcus acre, pustulæue lucentes,
Nec triste mentum, sordidiue lichenes.

Furfure.] Capillorum morbus. sed faciei squamas intelligit. Vuluas.] Matrices, non cunnos, ut imperiti linguæ latinæ interpretantur.

DE SATVREIA.

THYMBRA solet græce dici, Satureia latinè.
Illi sicca nimis uis est, sed feruida ualdè.
Prouocat urinam, cum uino menstrua sumpta.
Pellit abortiuum, muliebria uiscera purgat.
Illius puluis cum cocto melle subactus,
Et mansus, uel cum uino si sumitur idem,
Pectoris humorem pellit persumpta tenacem.
Cum uino tepido compescit tormina uentris,
Si large bibitur: uerum iam sæpe probaui.
Est quidam morbus lethargus nomine dictus,
Oppositum medici quem dicunt esse phrenesi;
Quod uetat hic somnum, somno grauat hic nimis ægrum.
Hoc tam lethali somno depressus, aceto
Thymbram commiscens, foueat caput inde frequenter,
Sic uitium pigri poterit depellere morbi.
Hanc herbam caueat mulier contingere prægnans:
Nam non mansa modo, sed partum subdita tollit.
Nausea sedatur hac, si bene trita bibatur
Cum modico uino, uel si fumatur in ouo.
Hocq; modo mirè uenerem solet illa mouere,
Si largo potu uiridis, uel sicca bibatur.
Quòd si cum uino uel iungitur & piper illi,
Non modicum ueneris succendere dicitur ignem.
Hinc est à Satyris meritò satyrea uocata,
Quòd sint in uenerem nimis hæc animalia prona.
Si desit thymus, pro thymo ponere thymbram,
Præcipiunt medici: quia uis est æqua duobus.

THYMBRA.] Hæc & cunila & satureia dicitur, Plin. lib. 19. cap. 18. Thymbram uerò, quæ sit cunila, hæc apud nos habet uocabulum & aliud, satureia dicta in condimentario genere. Seritur mense Februario, origano æmula. Nusquam utrunque additur, quippe similis effectus. Sed cunilæ Aegyptium origanum præfertur. Prouocat.] Ciet. Vrinam.] Lotium. Menstrua.] Muliebria, alio noiẽ & mẽses. Muliebria.] Mulierum. Tenacem.] Viscosum humorẽ intelligit, multorũ malorũ auctorẽ.

Lethargus.] Seuerinus Boetius in primo Cõsolatus philosophici libro, Lethargum patitur. Est autẽ

morbus quoque alter (ut scribit Celsus) aliter phrenetico contrarius. In illo, difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est: at in hoc, marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas: λήθαργος Græce nominatur. atque id quoque genus acutum est: & nisi succurritur, celeriter iugulat. Hic.] Morbus phrenesis. Grauat hic.] Lethargus. Mulier contin.] Hoc omnibus notandum, quò minus periclitentur grauidæ mulieres. Subdita.] Supposita. Tollit.] Necat. Nausea.] Vomendi appetitus. Venerem.] Panditur hic aliud imbellibus auxilium, quod quidã fortassis libentius legunt, quàm si quis scribat, quæ uia sit, quæ ducat ad astra: usque adeo stimulo carnis, & beluinæ prurigini inseruire placet. Vis æqua.] Par & similis uirtus. Thymbra enim præcipuè horten. proximam thymo uim habet, at imbecilliorem, ut ait Placentinus.

DE SALVIA.

SALVIA, cui nomen elelisphacus est apud Argos,
Cum mulsa iecoris prodest potata querelis.
Pellit abortiuum, lotiumq; & menstrua purgat.
Trita uenenatos iuuat & superaddita morsus.
Crudis uulneribus, quæ multo sanguine manant,
Apponas tritam, dicunt retinere cruorem.
Cum uino succus tepidus si sumitur huius,
Compescit uentrem, tussim, laterisq; dolorem.
Pruritus uuluæ curat, uirgæq; uirilis,
Si foueas uino fuerit quo saluia cocta.
Illius succo crines nigrescere dicunt,
Si sint hoc uncti crebrò sub sole calenti.

SALVIA cui.] Elelisphacus, quæ à nobis saluia, euidenter cõplexionis est calidæ, clementer subacerbescentis: in prunis suffumigata, mulieribus corripit menstrua immoderatè fluentia, & fluxum muliebrem. Agrippas autem inquit, elelisphacum sacram herbam leenæ concumbentes comedunt: est enim ad fœtum concipiendum potentissima. Cùm igitur huius succum acetabuli unius mensura cum pauculo sale potarit mulier aliquoties, atque cũ uiro dormierit, in coitu sine controuersia cõcipiet. Perhibent in Copto Aegypti peste defecisse multos, & reparatã multitudinem, coactis mulieribus ea uti. Argos.] Græcos, unde Argolici. Querelis.] Doloribus, morbis. Lotium.] Vrinam. Compescit.] Cohibet. Ventrem.] Fluxum uentris. Vuluæ.] Hic impropriè usurpat uuluam pro cunno. Virgæque uirilis.] Membri, pudendorumque uirilium. Nigrescere.] Quomodo crines nigri fieri possint.

DE LIGVSTICO.

A LIGVRVM patria sumpsêre ligustica nomen,
Copia quòd maior ibi nascitur illius herbæ.
Tertius huic gradus est calidi sicciq; uigoris.
Maior radicis uis est, & seminis eius,
Et par est illis uis in medicamine quouis.
Inflato stomacho cum uino sumpta medetur.
Et tali potu uis digestiua iuuatur.
Omnibus & morbis sic prodest interiorum.
Vrinas sic sumpta mouet, & menstrua purgat.
Tota uenenatis medicatur morsibus herba,
Si bibitur bene trita prius, uinoq; soluta,
Et pars contritæ ponatur desuper herbæ.
Non modicum colicis prodest hæc manse uel hausta,
Vel si radicis elixatura bibatur.
Nec solum colicis decoctio proderit ista,
Sed supradictis medicabitur omnibus hausta.
Digestibilibus semen bene iungitur eius
Omnibus antidotis, quòd sit huic peptica uirtus.
Hanc oculis Strabus potuq; & odore nociuam
Asserit: antidotis eius tantummodò semen
Misceri iussit. hoc uerùm dixerit à se,
Aut à doctorum libris, non est mihi notum.
Hoc scio, quòd ueteres non paruis laudibus istam
Attollunt herbam: nec me legisse recordor
Vllum, qui Strabi sermonibus astipuletur.

A LIGVRVM.] Quòd frequens in Liguria herba nascatur, dicitur ligusticum. Cuius herbę naturæ & medicinæ ex ea scribuntur à Plinio Natur. hist. lib. 20. cap. 17. Est autẽ ligusticum calidum & siccum in tertio gradu. Illis.] Radici & semini ligustici. Vnde Placentinus ait: Radix & semen calefacientium est eò usque, ut menstrua moueat, & urinas aduertat: est autem sufflationis expers. Digestiua.] Peptica uirtus græco nomine, ut sequitur. Colicis.] Colicam passionem habentibus. Elixatura.] Coctio. Antidotis.] Remedijs aduersus uenena datis. Peptica.] Digestiua. Hanc oculis Strab.] Sic in hortulo Strabus monachorum doctissimus cecinit:

Inter odoratam memorare lybistica syluam
Fortia, suadet amor parui diffusior horti.
Hoc germen succo quamuis & odore, gemellis
Orbibus officere, & tenebras inferre putetur:
Semina sæpe tamen quæsitis addere curis
Parua solent, famamque aliena laude mereri.

Quòd autem auctor noster Strabum citat, argumẽtum est, hunc Macrum Strabo esse iuniorem, nisi coæui fuerint. Ego tamen in nomine auctoris huius libri erratum crediderim, ut etiam antea in scholis in Macrum indicauimus. Potest etiam hic liber immutatus esse in aliquot locis, cuicunque tandem sit adscribendus. Vt etiam diximus in epistola, quæ præfixa est scholijs nostris in Macrum. Claruit autẽ Strabus monachus Fuldensis, natione teutonicus, Rabani abbatis quondam auditor & scriba, sub Ludouico imperatore, anno 1340. ut scribit Abbas Spanh. in lib. de Eccl. scriptoribus.

DE OSTRVTIO.

STRVTHION, ostrutiū quod uulgi more uocatur,
Vim calidam siccamq; tenet. radix fugat eius
Cum uino morbos iecoris, si trita bibatur.
Ictericos sic sumpta iuuat, spleniq; tumorem
Durum, quem græci sclirosin dixêre, repellit.
Hocq; modo lapides uesicæ frangere dicunt.
Menstrua sic, lotiumq; mouet, tussimq; medetur.
Sic orthopnoicis prodest si sæpe bibatur.
Subdita matrici depellere fertur abortum;
Et sic tarda nimis seducere menstrua tradunt.
Acri cum uino si iungitur, atque polenta
Illius succus, lepras emendat inunctas.
Hoc etiam succo iuncto cum polline, quem dant
Hordea, curatur (ut dicunt) pustula quæuis,
Si superaddideris emplastri more dolori.
Illius succus cum melle terendo iugatus,
Humores capitis purgat, si nare trahatur.
Sternutamentum per se puluis mouet eius
Naribus iniectus, ueratro non segnius albo.
Ictericis succus mirè medicabitur eius,
Hunc si nare trahant lacti mixtum muliebri.

STRVTHION.] Struthij radix utilis, calida & arida in quarto fere ordine, estque abstergens, inde sternutamenta gignit. De hac herba sic Plin. lib. 24. cap. 11. Tingentibus, inquit, & radicula ramos præparat, quam struthion uocari diximus à Græcis. Medetur morbo regio ipsa decocta, & ius potum, item pectoris uitijs; urinam ciet, aluum soluit, & uuluas purgat. Quamobrem aureum poculum medici uocant. Ea & ex melle prodest magnificè ad tussim, orthopnoę cochlearis mensura. cum polenta uerò & aceto, lepras tollit. Eadem cum panace & capparis radice calculos frangit, pellitque. Panos discutit cum farina hordeacea & uino decocta. Miscetur & malagmatis & collyrijs, claritatis causâ. Ad sternutamēta utilis inter pauca. Lieni quoque ac iocineri. Eadem denarij unius pondere ex mulsa aqua, suspiriosos sanat. Orthopnoicis.] Qui, nisi recta ceruice, spirare nequeunt.

DE CEREFOLIO.

EST. Cerefolio uis acris & ignea ualdè.
Appositum cancris tritum cum melle medetur.
Cum uino bibitum, lateris sedare dolorem
Sæpe solet, tritam si nectis desuper herbam.
Cum mulsa bibitum, pituitæ noxia soluit.
Ex oleo coctum, frigus depellit, inunctum.
Si tritum mixto uiolento soluis aceto,
Lumbricos tali potu, tineasq; repellis.
Cum uino ciet urinas, & menstrua purgat.
Virgine cum cera, uetus huic axungia mixta,
Non modo parotidas, uerùm quoscunque tumores
Curat, uel reprimit, si sæpius hæc superaddas.
Intinctum ualido si manducetur aceto,
Sæpe solet uomitum, uentremq; tenere solutum.
Si trito tegitur pectus, succusq; bibatur,
Vrinæ clausos reserat quoscunque meatus.
Illius elixatura uertigo fugatur,
Si caput hac tepida patientis sæpe lauetur,
Herbaq; temporibus & fronti cocta ligetur.

EST Cerefolio.] Vehemens est hæc herba & ualdè calida. Cancris.] Quod malum serpit ut cancer. Pituitæ.] Phlegmatis. Violento.] Multùm acri. Tineasque.] Tineę hîc uermes sunt corporis, ut suprà. Parotidas.] Apostemata secus aures. Reserat.] Aperit. Meatus.] Vias per quas urina fluit.

DE ATRIPLICE.

INFRIGIDARE gradu primo, humectare secu(do)
Atriplicem dicunt: eius mollit cibus aluum.
Duritias soluit uarias, clauisq; medetur,
Emplastrum crudū, uel coctū si superaddas.
Hocq; superpositum scabros citò detrahit ungues.
Ignibus & sacris dicunt sic posse mederi.
Atriplicem tritam cum nitro, melle, & aceto,
Dicunt appositam, calidam sedare podagram.
Ictericis dicitq; Galenus tollere morbum
Illius semen cum uino sæpius haustum.

INFRIGIDARE.] Atraphaxis græcè, à nostris atriplex nominatur. Et est secundi ordinis humectantium, primi uerò refrigerātium. Non est acerbitatis particeps, sed aquosa, ut malua, & aluum cit. Sunt etiam hortenses agrestibus humectantiores, & magis refrigerantes; & proinde utiles inflammationibus.
Mollit aluum.] Duritiam alui tollit. nec præterea multæ uirtutes illius herbæ sunt. Quæ autem hîc commemorantur, ex Plin. sumptæ sunt, sicut ferè omnia auctor noster habet. Atriplex, inquit, & syluestre est, & satiuum, accusatum à Pythagora, tanquam faceret hydropicos, morbosque regios & pallorem: Coquitur difficillimè, ac ne in hortis quidem iuxta id nasci, quidquam, nisi languidum, culpauit. Addidêre Dionysius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos; nec nisi mutata sæpius aqua coquendum; stomacho contrarium esse; lentigines & papulas gignere. Miror quare difficulter in Italia id nasci tradiderit Solon Smyrnæus. Hippocrates uuluarum uitijs id infundi, cum beta: Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendum dedit. Panos, furunculos incipientes, duritias omnes, uel cocto, uel crudo utiliter illini putant. Item ignem sacrum, cum melle, aceto, nitroque. Similiter podagris. Vngues scabros detrahere dicitur sine ulcere. Sunt qui in morbo regio dent semen eius cum melle; arterias & tonsillas nitro addito perfricent, aluum moueant, cocto aut per se, aut cum malua, aut lenticula, concitantes uomitiones; syluestri capillos tingunt, & ad supradicta utuntur medicina.

DE CORIANDRO.

FRIGIDA uis herbæ coriandri dicitur esse,
Austeraq; simul, quiddam uirtutis habere
Hancq; Galenus ait, per quam depellere uentre
Lumbricos tineasq; solet, si trita bibatur
Cum uino, uel si mixta sumatur aceto.
Vua cum passa coriandrum, melq; iugatum,
Sedabunt uarios superaddita trita tumores;
Præcipue testes tumidos iuuat hoc medicamen.
Illius semen uentrem stipare solutum
Fertur aquæ iunctum, fuerit si sæpius haustum.
Argenti spumam cerussæ contere mixtam,
His tritis, succum coriandri iunge, & acetum,
Quattuor his roseum miscendo iugabis oliuum.
Ista terendo simul, pretiosum conficis unguen,
Quo sacros ignes pellas, calidosq; tumores.
Si tibi difficilis confectio tanta uidetur,
Succus cum solo prodest commixtus aceto.
Et si frumenti panis mundissima mica
Iungitur huic succo, sedat quemcunque calorem.
Huic succo si iuncta fabæ sit sola farina,
Et superaddatur scrophis, medicabitur illis.
Et cedet feruens emplastro pustula tali.
A multis scriptum legitur, febris ante tremorem
Si tria grana uoret coriandri seminis æger,
Euadet febrem cui dat lux tertia nomen.
Præstat idem lectum coriandrum manè, priusquàm
Sol surgat, ceruicali si subditur ægri.
Xenocrates scripsit totidem cessare diebus
Menstrua, quot mulier coriandri grana uorabit.
Assiduum quidam condemnant illius usum,
Nempe putant mortem, quemuis'ue parare dolorem.

FRIGIDA uis.] Coriandrum (ut scribit Plinius) inter syluestria non inuenitur. Præcipuum tamen esse constat statim Aegyptium. Valet contra serpentium genus unum, quod amphisibænas uocant, potum, impositumque. Sanat & alia uulnera, epinyctidas, pustulas, tritum. Sic & omnes tumores, collectionesque, cum melle, aut uua passa. Panos uerò ex aceto tritum. Seminis grana tria in tertianis deuorari iubent aliqui ante accessionē, uel plura illini fronti. Sunt qui & ante solis ortum ceruicalibus subiici efficaciter putent. Vis magna ad refrigerandos ardores uiridi. Vlcera quoque quæ serpunt, sanat cum melle, uel uua passa. Item testes, ambusta, carbunculos, aures, cum lacte mulieris, epiphoras oculorum; uentris & intestinorum fluxiones. Semen ex aqua potum bibitur in choleris cum ruta. Pellit animalia interaneorum, cum mali punici succo & oleo semen potum. Xenocrates tradit rem miram, si uera est; Menstrua contineri uno die, si unum granum biberint fœminæ; biduo, si duo: & totidem diebus, quot grana sumpserint. M. Varro, coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate seruari putat. Sedabunt.] Repriment. Tumidos.] Inflatos. Stipare.] Cohibere fluxum uentris. Cerussæ.] Cerussa fit uel per se in plumbinariis officinis, uel ramentis plumbi tenuissimis super uas aceti asperrimi impositis, atque ita distillantibus. Quod ex eo in acetum cecidit, arefactū molitur, & cribatur, iterumque aceto mixto diuiditur in pastillos, & æstate in sole siccatur. Potus eius lethalis est sine spuma argenti; inde cerussatus. Vnguen.] Vnguentum. Sacros ignes.] De hoc malo sæpius suprà. Scrophis.] Apostematibus sub lingua. Cui dat lux tertia.] Tertianam febrem intelligit. Xenocrates.] Vt adnotauimus etiam ex Plin. quem auctor noster diligentissimè legit, & imitatus est.

DE NASTVRTIO.

DICVNT feruentes quòd habent nasturtia uires,
Et siccas: hac re uenerem ceu ruta, coercet,
Siccando semen, fuerit si sumpta frequenter.
Fermento commixta recens hæc herba terendo,
Anthracas curat, bona quæ plebs ulcera dicit.
Si superaddatur: curatq; furunculus ista,
Emittit saniem, cum qua dolor ipse recedit.
Illius succus crines retinere fluentes
Illitus asseritur, dentisq; leuare dolorem,
De qua parte dolens dens est, infusus in aurem.
Fortius est herbæ semen; depellit abortum,
Haustum cum uino, uentrisq; animalia pellit.
Et sic serpentis dicunt obstare uenenis.
Solus odor positi carbonibus, effugat illas.
Splen reprimit mixto, si sæpe bibatur, aceto.
Herbam uel semen cum polline iunge, & aceto,
Hæc contrita simul schiasis superadde dolori.
Vtile non modicùm confirmant hoc medicamen.
Lichenas succus purgabit, melle perunctus.
Si prurigo caput, aut ulcera turpia fœdant,
Anseris admiscens adipi nasturtia trita,
Sæpius unge caput, uitium pelletur utrunque.
Si coquis hanc herbam capræ cum lacte recenti,
Illius aut semen, dolor angit pectora quisquis,
Assumpto tepido potu sedabitur isto.
Semen cum tepida contritum pondere drachmæ,
Et bibitum, dicunt quòd durum molliat aluum.
Tussim compescit, semen cum melle uoratum.

DICVNT feruentes.] Nasturtium (ut tradit Plinius) nomen accepit à narium tormento. Et inde uigoris significatio, prouerbio id uocabulum usurpauit, ueluti torporem excitantis. In Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni. Nasturtium uenerem inhibet, animum exacuit. Duo eius genera. Aluum purgat, detrahit bilem potum in aqua decem denariorum pondo. Cum lomento strumis illitū, opertumque brassica, præclarè medetur. Alterum est nigrius, quod capitis uitia purgat. Visum clarificat. Commotas mentes sedat ex aceto sumptum. Lienem ex uino potum, uel cum fico. Tussim ex melle, si quotidie ieiuni sumant. Semen ex uino omnia intestinorum animalia expellit, efficacius addito mentastro. Prodest & contra suspiria & tussim cum origano & uino dulci. Pectoris doloribus decoctum in lacte caprino. Panos discutit cum pice, extrahitque corpori aculeos. Et maculas illinitum ex aceto. Cōtra carcinomata adijcitur ouorum album. Et lienibus illinitur ex aceto. Infantibus

uerò

uerò è melle utilissime. Sestius adijcit hoc, serpentes fugare, scorpionibus resistere. Capitis dolores contritum & alopecias emendare addito sinapi; grauitatem aurium trito imposito auribus cum fico. Dentium dolores infuso in aureis succo. Porriginem & ulcera capitis cum adipe anserino. Furunculos concoquit cum fermento. Carbunculos ad suppurationem perducit & rumpit. Phagedænas ulcerum expurgat cum melle. Coxendicibus, & lumbis cum polenta ex aceto illinitur. Item licheni, item unguibus scabris; quippe natura eius caustica est. Optimum autem Babylonium. Syluestri uero ad omnia ea effectus maior. Anthracas.] Bona ulcera plebi, ut ait, dicta. Curaque furun.] Furunculus, est tuberculum acutum cum inflammatione & dolore, maximeque ubi iam pus uertitur. Qui ubi adapertus est, & exit, super adparet pars carnis in pus uersa, pars corrupta subalbida, subrubra, quem uentriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum est periculum, etiam si nulla curatio adhibeatur. Maturescit enim per se, atque erumpit. Sed dolor efficit ut potior medicina sit, quæ maturius liberet. Proprium eius medicamentum, galbanum est. hæc Celsus libro quinto, capite uigesimo octauo. Fluentes.] Decidentes. Dentisque.] Notatu dignum, propter mali magnitudinem: nec nisi expertus credit, quanta patiantur, quibus dentes dolent. Illas.] Serpentes. Schiasis.] Ischiadicę rectè. Lichenas.] Nominatiuus huius est lichen, non lichena. Et est lichen, quod latini uocant mentagram.

DE ERVCA.

ERVCAM calidam dicunt mediocriter esse,
Siccam non adeo. cibus eius digerit escam.
Tertius erucæ fertur gradus esse caloris,
Et ualet urinas hæc mansa uel hausta mouere.
Manditur utiliter pueris, tussimq; repellit.
Emundare cutem maculis cum melle iugatam
Tradunt, & mundos lentigine reddere uultus.
Elixata priùs radix, ualideq; subacta,
Ossibus & fractis superaddita, reijcit illa.
Cum uino tritum si semen sumitur eius,
Quosuis pestiferos ictus curare uidetur.
Hæc nigras maculas purgat cum felle bouino
Illita. mira loquar, cum uino largiùs haustam
Indurare ferunt hanc contra uerbera sensum:
Si condituris coquus hanc admisceat herbam,
Aut semen, gratum dicunt præstare saporem.
Euzomonq; solent hac causa dicere Græci,
Erucam, succus quòd gustu sit bonus eius.
Non modicè mansam uenerem stimulare uel haustam
Confirmant medici, pariter pluresq; Poetæ.
Est cum lactucis hæc herba comesta, salubris:
Nanque calor dat temperiem cum frigore mixtus.

ERVCAM calidam.] Erucam quidam dictam putant, quod erodat, quidam quod urat: sunt, ab edendo qui sic dictam uelint. Erucæ semen scorpionum uenenis & muris aranei medetur. Bestiolas innascentes corpori arcet. Vitia cutis in facie cum melle illitum, lentigines ex aceto. Cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt, uerbera subituris, potum ex uino, duritiam quandam cōtra sensum induere. In condiendis obsonijs tanta est suauitas, ut Græci euzomon appellauerint. Putāt, sub trita eruca si foueantur oculi, claritatem restitui. Tussim infantium sedari. Radix eius in aqua decocta fracta ossa extrahere: nam de uenere stimulāda diximus, tria folia syluestri erucæ sinistra manu decerpta, & trita in aqua mulsa, bibantur. hæc Plinius libro 20. cap. 13. Tertius.] Eruca calida est in tertio gradu. Manditur.] Editur. Iugatam.] Commixtam. Reddere mundos.] A' lentigine liberare. Ossibus.] Dicitur enim extrahere ossa fracta. Indurare.] Id quod, ut cætera etiam, Plinius memorię mandauit. Condituris.] A' conditura primi ordinis nominādi casu. Conditurā autem dicit ea forma, qua elixaturam. Venerem stimulare.] Vnde Ouid. erucam appellat salacem, de Remedio amoris,

Nec minus erucas iubeo uitare salaces.

Lactucis.] Vide quę in lactuca scripsimus. Hæc herba.] Eruca. Comesta.] Manducata. Salubris.] Sanitatis bonum præbens. Temperiem.] Temperamentum. Calor.] Propter erucam. Frigore.] Propter lactucam.

DE PAPAVERE.

DICVNT uim gelidam, siccamq; papaueris esse.
Tres illi tribuunt species: flos unius albus,
Alterius roseus, rubeus pallensq; minoris
Flos est: hanc uulgo dicunt agreste papauer.
Cunctis nobilior, cui flos innascitur albus.
Ex huius teneris faciunt opium capitellis,
Incisa leuiter summa cute, lacq; quod inde
Defluit, accipiunt cochleis, siccumq; reseruant,
Antidotis multis aptum, uarijsq; medelis.
Sunt qui contundunt cum lacte suo capitella,
De quibus expressum siccant in sole liquorem;
Post primum succus uires habet iste secundas.
De specie uerò, roseos quam gignere flores
Dixi, conficiunt oleum de semine tunso,
Non modicum gustu iucundum, somniferumq;.
Tertia, cui flos est rubeus, semenq; nigellum,
Præstat, si bibitur, reliquarum more soporem.
Elixatura tepida cuiuslibet harum,
Aeger si foueat faciem, uel si bibit illam,
Optatum capiet, nisi mors sit proxima, somnum.
Sperma nigri bibitum cum uino, stringere uentrem
Dicitur, hocq; modo fluxus inhibet muliebres.
Somnum dat bibitum, tussim compescit iniquam.
Pondere denarij debent hæc semina sumi:
Nam plus, lethargum, uel mortem sæpius infert.
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Eximiè fauces dicunt curare tumentes.
Quosq; uocant sacros, extinguere dicitur ignes.
Frigore, uel cantu, potú ue, cibó ue, uel æstu,
Aspera si fuerit uocalis reddita uena,
Apposito tali fiet medicamine lenis.
Candida micon species (sic nempe uocari

Græcorum lingua dicunt quodcunque papauer)
Longè nobilior est, utiliorq; duabus.
Tunc cum lacte fluunt capitella papaueris huius,
Lecta coquantur aqua, cui sit pars tertia mellis
Addita; cuncta coquis, donec decoctio spissa
Sit quasi mel; uarios sic conseruetur ad usus.
Sumpta facit somnum, tussim fugat, abstinet aluum.
Vocalis uenæ bene rheumatismata siccat.
Eiusdem teneris opium factum capitellis,
Sicut iam docui, roseo miscebis oliuo;
Vnge caput mixtis, sedabitur his dolor omnis.
Et solet hoc unguen somni præstare quietem.
Prædictis admisce croci redolentia fila,
Auris curabis hæc infundendo dolorem.
Hoc quoque fœmineo cum lacte crocoq; subacto,
Vngendo, calidam poteris sedare podagram.
Ano suppositum, solet hoc adducere somnum.
Illud idem solo præstare uidetur odore.

DICVNT uim.] Papauer, quod & rhœas nominatur, quoniam confestim flos defluit, refrigerãdi potentia. sed hortense, quod thylacitida uocant, uim habet mediocriter somnum cõciliandi. Rhœadis semen ualidius refrigerat, ut eo nemo utatur securè, ut hortensi. Agrestis papaueris semen atrum, est aptum medicamini, satis frigidum: succus admodum refrigerat, stupore tenus, opium appellatus. Interitum quandoque affert ex somnolentia; est nanque quarti & ultimi refrigerantium ordinis. Vidimus adolescentem ausum fuisse uetulæ epulis admiscere, quo tantisper eius filia abuteretur, quoad mater dormiret: qua adeo consopita est, ut eo somno nunquam experrecta sit. hæc Georg. Valla in libro de simplicium natura. Innas. albus.] Satiui (inquit Plin. lib. 20. cap. 18.) albi calix ipse teritur, & bibitur somni causâ. Semen elephantijs medetur. Huius.] Papaueris satiui albi. Antidotis.] Remedijs quæ contra uenena dantur. Sperma.] Succus. Stringere.] Cohibere. Ventrem.] Fluxum uentris. Fluxus muliebres.] Menstrua. Lethargum.] Morbum illum, de quo suprà. Candida meconis.] Meconis id Græcè scribitur: & mecon ceratitis, id est papauer habens cornua. Abstinet aluum.] Profluuium uentris sedat. Rheumatismata.] Fluxiones, quæ & rheumatismi & rheumata dicuntur.

DE CEPIS.

De cepis medici non consentire uidentur.
Nanque Dioscorides inflare, capitiq; grauare,
Atque sitim cepas, dixit, succendere mansas.
Fellitis non esse bonas, ait ipse Galenus;
Phlegmaticis uerò multùm putat esse salubres.
Non modicùm sanas Asclepius asserit illas,
Præsertim stomacho: pulchrumq; creare colorem,
Affirmat, quoties aliquis conspexerit illas.
Et dicit, quisquis ieiunia soluerit illis
Vnaquaque die, quòd uiuet hic absque dolore.
Affirmant omnes, mansas inferre soporem.
Et dicunt, illas mollire salubriter aluum.
Appositas perhibent morsus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint, uel aceto.
Apponunt alij cum uino melleq; tritas:
Transactisq; tribus soluunt cataplasma diebus.
Sol tritum, cepasq; Dioscorides iubet anguis
Morsibus apponi, sic asserit ille iuuari.
Fœmineo lacti commixtus succus earum,
Pellit sæpe graues infusus ab aure dolores.
Hic succus commixtus aqua, bibitusq;, iuuabit
Illos, quos subitus facit obmutescere morbus.
Naribus attractus harum tantummodò succus,
Humores noxios capitis deponere cogit.
Mansæ uel potæ, tardantia menstrua purgant.
Tritarúq; pedum, soleæ quas, uel caligarum
Duritiæ faciunt, succo sanabis eodem,
Cum gallinarum pingui si sæpe perungas.
Manè sibi dentes qui succo perfricat isto,
Dicunt hunc dentis nunquam sentire dolorem.
Vlcera compescunt oris cum pane comestæ.
Intingens oleo coctas qui sumpserit illas,
Sedat quos intus dat dysenteria morbos.
Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.
Oris fœtori prosunt, fastidia tollunt.
Hasq; iubent hæmorrhoidis superaddere tritas.
Illarum succus caligine lumina purgat.
Admixtus melli, maculas quoque iunctus aceto
Emendare solet, si sint hoc sæpe fricatæ.

DE CEPIS medici.] Cepe ex quarto est calefacientium temperamẽto; cuius essentia, crassarum partium est. unde hæmorrhoidas, apposita, interrumpit: & cum aceto perunctã oleo, uitiligines absterget: & attrita, alopecias confestim exuscitat in pilos: mãducata uerò, corpus calefacit acumine, attenuatque in ipso crassos & tenaces humores, uentum in uentrem inducit, ob essentiæ crassitudinem partium, sanguinemque gignit. hæc Placentinus. Allium cepasque inter Deos iureiurando habet Aegyptus. Cepæ genera apud græcos, sardia, samothracia, halsidena, setania, Item schista, ascalonia ab oppido Iudææ nominata. Omnibus etiam odor lacrymosus, & præcipuè Cyprijs, minimè Gnidijs. Omnibus corpus tutum pinguitudinis earum cartilagine. E' cunctis setania minima, (excepta Tusculana) sed dulcis. hæc Plin. libro decimonono, capite sexto. Affirmant.] Asserunt. Cepę (inquit Plinius) syluestres non sunt. Satiuæ olfactu ipso & delacrymationi & caligini medentur, magis uerò succi inunctione. Somnum etiam facere traduntur, & ulcera oris sanare, commanducatę cum pane. Et canis morsus, uirides ex aceto illitæ, aut siccæ cum melle & uino, ita ut post diẽ tertium soluatur. Sic & tritę sanant. Tostã in cinere epiphoris multi imposuêre cũ farina hordeacea, & genitalium ulceribus. Succo & cicatrices oculorũ, & albugines & argemas inunxêre, & serpẽtium morsus, & oĩa uiscera cũ melle. Itẽ auricularum cũ lacte mulierũ, & in iisdẽ sonitũ ac grauitatẽ emẽdantes, cũ adipe anserino, aut cũ melle stillauêre. Et ex aqua bibẽdum dederũt repẽtè obmutescẽtibus. In dolore quoque ad dentes colluendos instillauêre, & plagis bestiarum

omnium

omnium, priuatim scorpionũ. Alopecias fricuere & psoras, tussis cepis. Coctas dysentericis uescendas dedere, & contra lumborum dolores: Purgamenta quoque earum cremata in cinerem, illinentes ex aceto serpentium morsibus, inter ipsas quoque multipedes ex aceto. Reliqua inter medicos mira diuersitas. Proximi inutilia esse præcordijs & concoctioni, inflationemque & sitim facere dixerũt. Asclepiadis schola ad ualidum quoque colorem profici in cibo. Et si succum ieiuni quotidie edant, firmitatem ualetudinis custodiri; stomacho utilia esse, ac spiritus agitatiõi, uentrem emollire, hęmorrhoidas pellere subditas pro balanis; succum cum succo fœniculi contra incipientes hydropises mirè proficere. Item contra anginas, ruta & melle. Excitari eisdem lethargicos. Varro, quæ sale aut aceto pisa est, arefactaque, uermiculis non infestari, auctor est. Compescunt.] Sanant. Dysenteria.] Tormen, intestinorum exulceratio: Vnde dysenterici, qui latinè torminosi dicuntur. Contritis cepis loca.] Modus reparandi crines. Hæmorrh.] Est in sede malum hæmorrhoïs, cùm uenarum ora sanguinem fundunt, nec est solum sedis, sed etiam ianuæ uuluæ.

DE BVGLOSSA.

LINGVA bouis, graeco sermone buglossa uocatur,
Hæc choleram rubeam nimio feruore perustam
Purgat, cum uino fuerit si sumpta frequenter.
Cardiacum, choleræ quem fecit copia nigræ,
Consimili potata modo curare ualebis.
Humores nocuos pulmonis detrahit hausta.
Mixtus aquæ tepidæ si succus sumitur eius,
Illi qui patitur schiasim mirè medicatur.
Vim memorem cerebri dicunt seruare periti,
Vinum potatum, quo sit macerata buglossa;
Lætos conuiuas decoctio dicitur eius
Reddere, si fuerit inter conuiuia sparsa.

LINGVA bouis.] Buglossum humidum & calidum est temperamento; uino impositum, causa temperantiæ est. Congruit autem ob gutturis asperitatem tussientibus coctum in mulso. Aiunt tertianis congruere febribus quidam, quæ trinum habet caulem herba, si cum radicibus & semine conteratur, inde potetur. Quartanis porrò eam, quæ quaternis caulibus surgit. Harum decoctio ex uino abscessibus utilis perhibetur. Choleræ.] Bilis. Rubeam.] Sæpius illatinum hoc uocabulum in hoc libro, nescio cuius culpa, ponitur. Cardiacum.] Id nihil aliud est, quàm nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente, immodico sudore digeritur. Licetque protinus scire id esse, ubi uenarum exigui imbecillique pulsant: Sudor autem supra consuetudinem & modo & tempore, ex toto thorace & ceruicibus atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodò & cruribus siccioribus atque frigentibus. At ubi id morbi genus est, curatio prima est, supra præcordia imponere quæ reprimant cataplasmata: secunda, sudorem prohibere. id præstat acerbum oleum uel rosa, uel melinum, aut myrteum. Quorum aliquo corpus leuiter perungendũ, ceratumque ex aliquo horum tum imponendum est. Si sudor uincit, deliniendus homo est, uel gypso, uel argenti spuma uel cimolia creta, uel etiam subinde horum puluere respergendus. Idem præstat puluis ex contritis aridi myrti uel rubi folijs, aut ex austeri, & boni uini arida fęce. hæc Celsus lib. 3. cap. 19. Schiasim.] Ischiam intellige, coxarum dolorem. Inter conuiuia.] Buglossos, bouis linguę similis, cui præcipuum, quòd in uinum deiecta, animi uoluptates auget, & uocatur euphrosynum. Auctor Plin.

DE SINAPIO.

INTER eas, quas Pythagoras laudauerit herbas,
Asseritur primam laudem tribuisse sinapi.
Quartus ei gradus est in ui sicca, calidaq;.
Extrahit humores uiscosos, extenuatq;.
Comburitq; cutem, uis illi est tanta caloris.
Maior uis eius in semine dicitur esse.
Sensus exacuit cibus eius, commouet aluum,
Confringit lapides, urinam & menstrua purgat.
Si tritam iungas tepidæ, uersesq; palato
Ad solem, capitis purgabit phlegma nociuum.
Sternutamentis hoc admiscere, salubre est;
Isto nam capitis strictura resoluitur omnis.
Mansum confortat stomachum, suspiria sedat.
Morsum serpentis, trito si iungas acetum,
Et superapponas, tali medicamine curas.
Mansum pestiferos uetat intus lædere fungos.
Vi nimiùm feruente, cutem comburere dixi;
Sed tamen hæc multis est utilis ustio causis.
Hac oculis nocuus capitis sedabitur humor,
Et qui distillans, pulmonum concaua lædit,
Et stomachi; morbosq; creat, tussimq; phthisimq;.
Hoc per uesicas, coxæ dolor inueteratus
Elicitur, schiasim quam graeco nomine dicunt;
Hacq; tumor splenis durus, iecorisq; fugatur,
Et multum causis hæc subuenit inueteratis.
Vtile tot causis quoniam cataplasma sinapis
Sæpius à medicis uariatur conficiendo,
Hoc dicam qualiter fieri iubeat Meniacus:
In mortariolo tritum bene pone sinapis
Semen, iungatur panis huic candida mica,
Sic, ut tertia pars sit panis iuncta sinapi;
His ficus siccas, & mel iungas, & acetum
Aetatis quantum, uel morbi causa requiret.
Nam quò plus ficus siccæ, uel mellis habebit
Ille sinapismus, tantò solet acrior esse:
Debilior, quò plus panis mittes, & aceti.
Ne tibi sit uilis, moneo, confectio talis,
Effectum cuius in multis sæpe probasti.
Non tamen hanc iubeo cunctis apponere morbis,
Sed rarò magnis, & causis inueteratis.
Plinius in musto cum semine præcipit huius
Radices mergi; sic postquàm senserit horum
Omnem uim uinum, multùm putat esse salubre
Faucibus, & stomacho potatum, luminibusq;:

Pluribus & capitis dicunt prodesse querelis.
Infuso faciunt oleum de semine quidam
Vtile lumborum uitijs, stupidis quoque neruis.
Exprimitur succus tenero de caule sinapis,
Quod siccum mandens, dentis tormenta fugabis.
Vocales uenas semen lenire sinapis
Mansum confirmant, adipi tundendo uetusto
Commixtus, scrophas dispergit, si superaddas.
Illius fumus multùm prodesse caducis
Dicitur, atque steræ causas siccando iuuare.
Cum ficu tritum capiti superaddere raso,
His, qui lethargum patiuntur, magna medela est,
Vel si sæpe pedes ungendo fricabis eorum.
Semen contritum melli coniunge, uel uncto,
Illud alopecias iuuat unguen sæpe fricando.
Acri cum uino lepras emundat iunctum.
Hoc quoque curatur manso, periodica febris,
Antea quàm diri ueniat commotio morbi.

INTER eas.] Sinapis, cuius in satiuis tria genera, Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime uis feratur, iudicauit, quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret. Ad serpentium ictus & scorpionũ tritũ cũ aceto illinitur. Fungorum uenena discutit. Contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentium dolorem manditur. Ad uuam gargarizatur cum aceto & melle. Stomacho utilissimum contra omnia uitia, pulmonibusque. Excreationes faciles facit in cibo sumptum. Datur & suspiriosis. Item comitialibus tepidum cum succo cucumerum. Sensus atque sternutamenta capitis purgat, aluum mollit, menstrua & urinam ciet. Et hydropicis imponitur. Cum fico & cumino tusum ternis partibus, comitiali morbo. Et uuluarum conuersionem suffitum excitat odore aceto mixto. Item lethargicos. Est autem id semen ex seseli. Et si uehementior somnus lethargicos premat, cruribus, aut etiam capiti illinitur cum fico & aceto. Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacunque parte corporis ex alto uitia extrahenda sunt, illitum, causticà ui emendat, pustulas faciendo. At in magna duritia sine fico impositum, uel si uehementior urgo timeatur, per duplices pannos. Vtuntur ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, lithanicos, opisthotonicos. Inungunt quoque scabras genas, aut caligantes oculos cum melle. Succusque tribus modis exprimitur in fictili, calescitque in eo in sole modicè. Exit & è cauliculo succus lacteus, qui ita cùm induruit, dentium dolori medetur. Semen ac radix cum maduere, multo conteruntur: manusque plenæ mensura sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusque omnes: Mulierum etiam lassitudines, saluberrimo genere medicinæ. Calculos quoque discutit potum ex aceto. Illinitur & liuoribus, suggillatisque cum melle & adipe anserino, aut cera Cypria. Fit & oleum ex semine madefacto in oleo, expressoque, quo utuntur ad neruorum rigores, lumborumque & coxendicũ perfrictiones. Quartus ei.] Hoc est, sinapium siccum & calidum est in quarto gradu. Extenuat.] Tenues facit, ac prorsus dissoluit. Phlegma.] Pituitam. Fungos.] Vlcera in sede. Phthisimque.] Quo malo fit exulceratio pulmonis à capite distillante. Schiasim.] Ischiam tu semper intellige, ubi hac dictione non recepta utitur. Luminibusque.] Oculis. Tormenta.] Dentium dolorem. Scrophas.] Apostemata sub lingua. Steræ.] Hysteræ, hoc est matricis. Lethargum.] Morbum in quo est marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas. Alopecias.] Fit hoc malum cum capillorum profluuio: de Alopecia lege Celsum lib. 6. cap. 4. Et Cælium, Antiquarum lectionum lib. 10. cap. 41.

DE CAVLE.

CAVLIS Romana, Græcorum brassica lingua
Dicitur: is quamuis passim nascatur in hortis,
Est tamen illius ad multa salutifer usus.
Annis sexcentis usos medicamine caulis
Romanos, Cato testatur, medicina priusquàm
A medicis Romæ descripta fuisset in usu.
Tunc hortus escas illis dabat, & medicinas.
Vulnera non tantum curare recentia caulem,
Ipsemet affirmat, sed quamuis inueterata:
Et cancros etiam: loca sed prius amne lauari
Præcipit, aut uino tepido; sic denique crudum
Vnaquaque die bis tritum apponere caulem.
Hordei quam dederint, cauli miscere farinam
Idem præcepit, tritam quoque cum coriandro,
Et sale permodico; sic omnia mixta terendo,
Apponi diræ docuit cataplasma podagræ.
Hoc etiam morbis medicabitur articulorum.
Hoc quoque syringas ait, & luxata iuuare.
Atque superpositum, uarios sedare tumores.
Illius urinam, fuerit qui caulibus usus,
Causis neruorum calefactam censuit aptam.
Hac ex urina pueri si sæpe lauentur,
Asserit illorum multùm conferre saluti.
Hæc narrat de caule Cato. Scripsisse libellum
Chrysippum dicunt huius de uiribus herbæ.
Omnes confirmant, caligine lumina tergi,
Eius qui uiridi uescetur caule frequenter.
Auget lac mammis cibus eius, menstrua purgat:
Atque iuuat stomachum, sumptas ut concoquat escas.
Si multùm coquitur, restringere dicitur aluum.
At semicrudus solet illum soluere sumptus.
Ac sumptus crudus sic ut tingatur aceto,
Splen reprimit tumidum: semen depellit abortum.
Vncto cum ueteri coctos bene contere caules,
His oleum roseum quantum res postulat, addas,
Ardores nimios iuuat hæc confectio febris,
Si superaddatur stomacho, membro'ue calenti.
Acri non scissum si mergis alumen aceto,
Et caules, sic ut corpus redigantur in unum,
Cuncta terendo diu; potes hoc compescere lepram,
Et plures alias maculas his sæpe perungens.
His etiam crines poteris retinere fluentes.
Dicitur & testes istud curare tumentes,
Et uarios morbos genitalia quæ patiuntur.
Et melius si prædictis faba cocta iugatur.
Cum fœnugræco si tundis hanc & aceto,
Et super arthreticos apponas ista dolores,

Multùm ſubueniet illis, uitijq; podagræ
Non modicùm poterit iſtud cataplaſma mederi.
Vncto cùm ueteri, caulis cineres bene triti,
Profunt ad ueteres lateris, coxæq; dolores.
Sit licet hæc uilis, tamen eſt medicina ſalubris.
Si caulis ſemen mixto potatur aceto,
Pellere ſæpe ſolet animalia noxia uentris.
Fit cinis ex ſiccis caulis radicibus uſtis;
Subditus hic, uuam releuat ſiccando iacentem.
Dentibus attriti ſuccum glutire uirentis,
Affirmant raucæ multùm ſuccurrere uoci.
Naribus infuſus ſuccus, purgat caput eius.
Qui prius eſt caules, uix ſentiet ebrietatem.
Euulſam caulis radicem, poſtea terram
Quæ non attigerit, collo, Melinius inquit,
Suſpenſam, uarios uuæ depellere morbos.

CAVLIS Romana.] Braſſica mãducabilis, mixtæ potentiæ eſt, cùm manſa, tum extrinſecus appoſita, non ſatis euidenter acuta, ſed ad uulnera glutinanda, medendumque hulceribus in malam conſuetudinē labētibus, Inflãmationibusque iã obduratis, difficulterque ſolubilibus, ſacroque igni & ſimilibus. Curat quoque epinyctidas, & herpetas: uimque habet abſtergendi: ipſum corpus continet, ne diſſipetur. Hac de cauſa, ubi areſacere humectum uentrem uolumus, mediocriter ipſam coquēdo, & priorem aquam profundēdo, immittimus ſtatim ad aliam calidam, quæ ſtatim ferueat; quãdo non expedit, ut aerem aquam ue frigidam cocta attingat: nec enim admodum utilis, nec ſi admodum coxeris. Immittendo igitur in aliam feruentem aquam, coquamus, ut ſit opportuna ad ſubducēdum, ſi non plurimùm coquatur. Areſacit igitur braſſica uelut ſens; & ob hoc, uiſum hebetat, & melancholicum gignit humorem. Aſparagus autem minùs quàm braſſica areſacit, & magis urinam cit: at ſemen potum, lumbricos perimit, & epheles & lenticulas, idque genus alia, quæ mediocri egent acerbitate, iuuat. Caules braſſicæ exuſti, uehementer areſaciūt ſuo cinere: adeo, ut iam poteſtatem habeant amburendi. ob hoc ipſi adipem admiſcent uetuſtum, & antiquis laterum medentur doloribus. Et ſi quid fuerit eiuſmodi, utuntur ea: præſentaneum nanque ad diſtrahendum remedium eſt. Chryſippum.] Braſſicę, inquit Plinius, laudes longū eſt exequi, cum & Chryſippus medicus priuatim uolumen ei dedicauerit, per ſingula membra hominis digeſtum; & Deuces; ante omnes autem, Pythagoras & Cato non parciùs celebrarint. Lumina.] Oculos clarificare. Alumē.] Salſuginem terrę. Lepram.] Qui morbus græce hiera dicitur. Arthręticos.] Morbo articulari obnoxios. Podagræ.] Pedum cruciatui. Vix ſentiet ebrietatem.] Compotoribus notatu dignum, quod etiam ex Plinio ſumpſit. cuius ſunt hæc uerba: Cato prodeſſe tradit capitis doloribus, oculorum caligini, ſcintillationibuſque, uel ſtomachi præcordijs, crudam ex aceto & melle, coriandro, ruta, menta, laſeris radicula ſumpta acetabulis duobus matutino: tantamque eſſe uim, ut qui terant hæc, ualidiores fieri ſe ſentiant. Ergo uel cum uino tritam, ſorbendam, uel ex olei intinctu ſumendam. Podagræ autem, morbiſque articularijs illini cum rutæ, coriandri & ſalis mica, hordei farina. Aqua quoque eius decocta, neruos articuloſque mirè iuuari. Si foueantur uulnera, & recentia & uetera, etiam carcinomata, quæ nullis alijs medicamentis ſanari poſſunt. Foueri prius aqua calida iubet, & bis die tritam imponi. Sic etiam fiſtulas eluxatas, & tumores reuocari, quæque diſcuti opus ſit. Inſomnia etiam, uigiliaſque tollere decoctam, ſi ieiuni edant quàm plurimam ex oleo & ſale. Tormina, ſi decocta iterum decoquatur, addito oleo, & ſale, cumino, polenta. Si ita ſumatur ſine pane, magis profuturam. Inter reliqua, bilem detrahit per uinum nigrum potã. Quin & urinam eius, qui braſſicam eſitauerit, aſſeruari iubet, calefactamque neruis remedio eſſe. Hæc & multa alia illic legere poteris: inter quę, hoc etiam, Braſſicam uino aduerſari, ut inimicam uitibus. antecedente in cibis, cauere ebrietatem. Vuæ.] Hoc malum græcè dicitur Staphyle, & Staphylophoros.

DE PASTINACA.

EST paſtinacæ uirtus in ſemine tantùm,
Et radice ſua. mulſa ſi decoquis eius
Radices, multùm decoctio proderit eius,
Si potanda datur ſplenis, iecoriſq; querelis.
Lumborumq; iuuat eadem potata dolorem.
Has ſi lacte coquas, decoctio ſumpta iuuabit
Aſthmaticos, quamuis ueteres, uentreſq; fluentes.
Radix illius collo ſuſpenſa, tumores
(Vt quidam dicunt) compeſcit teſticulorum.
Qui paſtinacam fert, aut qui mandidit illam,
Dicitur à nullo ſerpente poſſe noceri.
Accendit uenerem, ſi large ſumitur illa.
Si circum ſcalpis dentes radicibus eius,
Dicunt ingenti perſæpe dolore iuuari.
Ex uino paſtinacæ ſi ſperma bibatur,
Compeſcit diros quos ſcorpion intulit ictus.
Sic quoque fœminei uentris curare tumorem
Dicunt, quòd mulier quaſi prægnans eſſe uidetur.
Appoſitum cancris totum cum melle medetur.
Quòd paſtum tribuat, eſt paſtinaca uocata.
Nanque cibum nulla radices dant meliorem.

EST PASTINACAE.] Paſtinaca græce ſtaphylinos dicitur. Plin. lib. 19. cap. 5. Ex ijs paſtinacæ unum genus agreſte ſponte prouenit, Staphylinos græcè dicitur. Alterum ſeritur radice uel ſemine, primo uere, autumno, ut Hygino placet, februario, auguſto, ſeptembri, octobri, ſolo quàm altiſſimè refoſſo. Annicula utilis eſſe incipit, bima utilior, gratior autūno, patiniſque maxime. Et ſic quoque uirus illi intractabile eſt. Paſtinaca etiam piſcis eſt, ut apud Plin. lib. 32. Virtus.] Vis & potentia. Querelis.] Morbis propter quos querimur & eiulamus nonnunquam. Eius ſemen, hoc eſt paſtinacę contritum, & in uino potum, tumentem aluum, & ſuffocationes mulierum, doloreſque lenit, in tantum ut uuluas corrigat, illitumque è paſſo, uentri earum proſit. Viris uerò prodeſt, cum panis portione æqua tritum: Ex

uino potum contra uentris dolores. Pellit & urinam, & phagedænas ulcerum sistit recens cum melle impositum. Vel aridæ farinæ inspersam radicem eius Dieuces contra iocinoris ac lienis, ilium, lumborum, & renum uitia, ex aqua mulsa dari iubet. Cleophantus & dysentericis ueteribus. Philistion in lacte coquit, & ad stranguriam dat radicis uncias quatuor; ex aqua hydropicis, similiter & opisthotonicis, & pleureticis, & comitialibus. Habentes eam, feriri à serpentibus negantur: aut qui antè gustauerint, non lædi. Percussis imponitur cum axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatorium inesse staphylino dixit; fortassis quoniam uenerem stimulari hoc cibo certum est; ideo conceptus adiuuare aliqui prodiderunt. Ad reliqua & satiua pollet. Efficacior tamen syluestris, magisque in petrosis nata. Semen satiuæ quoque contra scorpionum ictus, ex uino aut posca, salutare est. Radice eius circum scalpti dentes, dolore liberantur. Syria in hortis operosissima (inde quoque est prouerbium græcis, Multa Syrorum olera) simillimam staphylino herbam serit, quam alij gingidion uocant: Tenuius tamen & amarius, eiusdemque effectus est, coctum crudumque stomachi magna utilitate. Siccat enim ex alto omnes humores eius. Asthmaticos.] Quos asthma premit; quod fit, cum anhelitus cum difficultate trahitur. Qui pastinacam.] Mirabile hoc quidem & omnipotentiæ Dei miraculum, si uerum, qui hoc asserunt, loquuntur. Venerem.] Quis putat hic opus esse, ut admoneamus quempiam, ut hic attentius audiat; cum etiã stupidi lectores, in talibus narrationibus libenter arrigant aures; quod facit hominibus innata libido. Quod pastum.] Vnde sit dicta pastinaca docet.

DE ORIGANO.

ORIGANI uires calidæ siccæq; leguntur.
Tertius huic in utroque gradus conceditur esse.
Illius in uino curat decoctio sumpta
Quosuis pestiferos morsus, si sæpe bibatur.
Cum mulsa sumpta prodest aconita bibenti.
Sic multis alijs dicunt obstare uenenis.
Conquassata iuuat mansum, uel sæpius haustum.
Hydropicos reprimit bibitum, siccatq; tumores.
Cum mulsa bibitum, choleram deponere nigram,
Dicunt, oxybaphi fuerit si pondere sumptum.
Menstrua deducit bibitum, uel si superaddas
Tritum, uel cocta mulier si se fouet herba.
Illius puluis tussim cum melle repellit.
Pruritus, acoras, maculasq; cutis fugat omnes,
In quo decoquitur, si sæpius amne lauentur.
In lauacro iuuat ictericos hæc coctio sumpta.
Succus prædictæ uiridis si sumitur herbæ,
Vuas & fauces curat siccando tumentes.
Oris uulneribus medicabitur ore retentus.
Naribus infusus, irino mixtus oliuo,
Infusum capiti coget manare cruorem.
Auribus infusus sedat cum lacte dolorem.
Hic succus mixtus cepis, & rosyriaco,
Ponitur ad solem, tunc quando Sirius ardet.
Sicq; quater denis feruebit in ære diebus.
Si supponatur lecto confectio talis,
Effugat (ut dicunt) animalia cuncta nociua.
His quibus ex aliquo uitio digestio tarda
Euenit, ex uino prodest si sumitur aluo.
Cum calida, morsus stomachi lenire probatur.
Illius succos oleo mixtos & aceto
Succida lana bibat, & sic superaddita membris
Luxatis uel contusis, multum iuuat illa.
Prouocat urinam, lumbricos proijcit haustu.
Dente diu tritum solet inde fugare dolorem.
Omnia potatus succus iuuat interiora.
Eius cum succo si caryca trita bibatur,
Sudorem sporis producere fertur apertis.
Appositus coxis succus cum polline farris,
Harum sæpe grauem pellit reprimitue dolorem.

ORIGANI.] Huius herbæ tertia est species, secandi, & attenuandi, & arefaciendi, & calefaciendi potentiæ. in tertio hæc habet ordine: nam heracleotica efficacior est onitide, estque agrestis, quam panaces heracleum, alij cunilam uocant. At quæ dicitur tragoriganus, quiddam etiam admittit acerbitatis. hæc Valla. Illius in uino.] Origanum, quod in sapore cunilam æmulatur, plura genera in medicina habet, & onitin uel prasion appellant, non dissimile hysopo. Priuatim eius usus contra torsiones stomachi in tepida aqua, & cruditates. Contra araneos, scorpionesque in uino albo. Luxata & contusa in aceto, & oleo, & lana. Auctor Plin. lib. 20. cap. 17. Aconita.] Venena. Choleram.] Atram bilem. Persius de hac: Atra bile tumet. Oxybaphi.] Heminę, quę continet dimidium sextarij. Pondere.] Mensura. Menstrua.] Muliebria, menses. Acoras.] Capitis ulcera. Amne.] Aqua. Ictericos.] Ictero, hoc est morbo regio correptos. Vuas.] Quod malum circa fauces nascitur: sic dictum, quòd uelut uua dependeat. de quo & suprà. Irino.] quod iris herba præbet, & quod ex iride fit, ut utar uerbis Perotti. Sirius ardet.] Hoc est canicula. Est autem sirius, propriè stella in ore canis, admodum perniciosa. Aere.] Olla. Succida lana.] Hęc à succidendo dicta, quòd talis sit, qualis succisa est, hoc est plena sordibus. Varro à sudore deriuat: dicit enim tonsurę tempus inter æquinoctium uernum & solstitium, cùm sudare inceperunt oues; à quo sudore recens lana tonsa, succida est appellata. Iuuenalis, Qualis cœna tamen? uinum quod succida nollet Lana pati.

DE SERPILLO.

SERPILLVM ueteres dixerũt, quod quasi serpat
Terræ uicinum: huic feruida siccaq; uis est.
Acri cum uino coctum, contundis oliuo
Cui rosa dat nomen: hoc unguine perline frontem
Aegroti, capitis solet hoc sedare dolorem.
Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore uenenum.
Hoc ideo miscere cibis, messoribus est mos,
Vt si forte sopor fessos depresserit illos,

Vermibus

Vermibus à nociuis tuti requiescere possint.
Pestiferos morsus bibitum iuuat, appositumque;
Prouocat urinas, compescit tormina uentris.
Splen tundit, admixto si sæpe bibatur aceto.
Si mel prædictis iungatur, sputa cruenta
Iactantes, mirè potus solet ille iuuare.
Haustum cum uino iecoris sedare dolorem
Dicitur, hicque solet producere menstrua potus.

SERPILLVM ueteres.] Serpillum (inquit Plinius) à serpendo putant dictum; quod in syluestri euenit, in petris maximè. Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit. Pinguius uoluntarium & candidioribus folijs & ramis, aduersus serpentes efficax, maximè cenchrin, & scolopendras terrestres ac marinas, & scorpiones, decoctis in uino ramis, folijsque. Fugat & odore, cominus si uratur. Et contra marinorum uenena præcipuè ualet. Capitis doloribus decoctum in aceto illinitur temporibus ac fronti cũ rosaceo. Item phreneticis, lethargicis; contra tormina, & urinæ difficultatẽ, anginas, uomitiones, drachmis quatuor datur. Ex aqua bibitur & ad iocinerum dolores. Folia obolis quatuor dantur ad lienem ex aceto. Ad cruentas excreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis. Vergilius serpillum inter olentes commemorat, cuius est hoc carmen in Alex. quæ est eclogarum secunda:

Allia, serpillumque, herbas contundit olentes.

Oliuo.] Oleo rosaceo. Messoribus.] Quod & Thestilis rustica mulier fecisse dicitur à Vergilio.

DE VIOLIS.

NEC roseus superare decor, nec lilia possunt
Fragrantes uiolas specie, nec ui, nec odore.
Dicitur humida uis illis, & frigida primo
Esse gradu. species tres esse leguntur earum,
Noscere quas tantum diuerso flore ualemus.
Nam sunt purpurei flores, albique, nigrique.
Cunctis penè pares sunt in medicamine uires.
Inflammata notant loca, trita si superaddas.
Crapula discutitur bibitis, capitisque grauedo,
Olfactu solo, uel si caput inde coronas.
Anginis potæ medicantur aqua resolutæ.
Purpuream uiolam dicunt curare caducos,
Præcipuè pueros, si mixto sumitur amne.
Radices uiolæ cum myrrha tunde, crocoque,
Hoc inflammatis oculis apponito nocte.
Contritis folijs uiolæ cum melle perungens,
Vlcera sanabis capitis, si iungis acetum,
Et cataplasma facis, cedet collectio quæuis.
Illius curat elixatura tumorem
Matricis, tepida si sæpe fouebitur illa.
Ani fissuras, quas appellant rhagadias,
Addita cerotis medicatur sæpe perunctis.
Pustula si fuerit, mellis superadde iugata.
Illius semen cum uino, menstrua purgat.
Trite cum mixto radices eius aceto,
Splen siccant bibitæ, uel splenis si superaddas.
Hocque modo calidam dicunt sedare podagram.
A' stomacho choleram rubeam potata repellit
Herba uirens uiolæ, uel flos siccusue, recensue.
Morbos de cholera rubea, uel sanguine factos,
Mollibus in costis, aut in pulmonibus ipsis,
Sedat, si mixto potabitur amne recenti.
Infantum tussim sic, & suspiria sedat.
Ex uiolis oleum, sicut de flore rosarum,
Conficiunt, multis quod dicunt utile causis.
Auribus infusum, sonitum fugat atque dolorem.
Et capiti prodest quocunque dolore laboret,
Leniter infrigidans, corpusque sopore resoluens.
Lumbricos necat infusum, bibitum, uel inunctum.
Et capitis furfur oleo depellitur isto.
Os capitis ictu fuerit si fortè plicatum;
In tantum, ut linguæ patiens amiserit usum;
Fac prius hanc uiolam cum uino sumere tritam;
Postea, si fuerit capitis pars dextera læsa,
Contritam plantæ pedis hanc adnecte sinistræ;
Atque econuerso facias, si læua plicata est;
Os resilit, linguæque die redit usus eadem,
Vt Iustus tradit medicus, qui talia scripsit.
Altera uis uiolæ fertur mirabilis esse.
Albæ si uiolæ radix teneatur in ore,
Et transglutiens sic succus sæpius eius,
Vulneris immodicum tradunt mox sistere fluxum.
Hanc liquiritiæ tradit uim Plinius esse.

NEC ROSEVS.] Violæ folia (inquit Placen. Valla) Aquosam & subfrigidam obtinent potestatem; id & per se, & cum farina subacta, calidas inflammationes auertunt. Ori & aluo etiam id apponitur, & inflammatis oculis. Violarum (auctore Plinio) plurima genera: purpureæ, luteæ, albæ, plantis omnes ut olus satæ. Ex ijs uerò quæ sponte apricis & macris locis proueniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso exeunt: solæque græco nomine à cæteris discernuntur, appellata ia, ut ab his ianthina uestis. Sed satiuis maxima auctoritas luteis. genera ijs, tusculana, & quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum uerò sine odore, minutoque folio calathina, munus autũni, cæteris ueris. Superare decor.] Lilium rosę nobilitate proximum est, uiolis honos proximus. hæc etiã Plinius. Et uide, quàm raro discedat à Plinio auctor noster, & quàm frequenter eisdem cum Plinio uerbis utatur. Ob eam causam magnæ auctoritatis apud me est hic Macer, quicunque tandem sit. Et nemo doctus est, qui negare possit, hunc esse doctum librum. Fragrantes.] Odorem emittentes, odoras. Pares.] Aequales potestates. Anginis.] Hoc malum ut sup. Græce συνάγχη, de quo lege Celsum lib. 4. cap. 4. Caducos.] Comitiali morbo laborantes, quem S. Valen. nec scio ob quam causam, uocant. Myrrha.] Quæ arbuscula maximè prouenit in Arabia. In myrrham arborem scribit Oui. poëtarum ingeniosissimus, Cynaræ regis Cypriorum filiam nomine Myrrham transformatam fuisse. Crocoque.] Quod safranum communiter appellitant. Rhagadias.] Anus quoque multa tædijque plena mala recipit, nec in se multum abhorrentes curationes habet. At primum in eo sæpe, & quidem pluribus locis,

cutis exciditur. ῥαγάδια Græci uocant. Id si recens est, quiescere homo debet, in aqua calida desidere. Columbina quoque oua coquenda sunt: & ubi indurauerint, purganda, deinde alterum iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, sic ut inuicem utroque aliquis utatur. Tum tetrapharmacum, aut rhypodes rosa diluendum est, aut hyssopum recens miscendum cum cerato liquido ex rosa facto: aut eidem cerato liquido plumbum elotum adijciendum. Aut resinæ terebinthinę, aut spumę argenti, uetus oleum. Et quolibet ex his id perungendum. Sic quidquid lęsum est, extrà est, neque intus reconditum, eodem medicamento tinctum linamentum superdandum est: & quidquid antè adhibuimus, cerato cōtegendum. In hoc autem casu neque acribus cibus utendum, neque asperis, nec aluum comprimentibus, ne aridum quidem quidquam satis utile est, nisi admodum paulum. Liquida, lenia, pinguia, glutinosa meliora sunt. Vino leniori, nihil prohibet. Hęc Celsus. Rubeam.] Modò iterum occurrit hęc illatina dictio, nec quidquam prohibet legere rubram: & in tertio uersu sequenti pro rubea, rubra. Plicatum.] Cōstrictum.

DE ARISTOLOCHIA.

*A*RISTOLOCHIAE *species tres dicimus esse.*
Longa prior, radix est cuius longa, uocatur.
Dicta rotunda sequens, quòd sit radice rotunda.
Tertia clematis græco sermone uocatur.
Viribus hæc penè par dicitur esse rotundæ.
Omnes uim calidam siccamq; leguntur habere.
In primo uis sicca gradu, feruensq; secundo est.
Pestiferos morsus, cum uino sumpta rotunda,
Curat, & assumptis prodest sic hausta uenenis.
Hocq; modo tardas educit sumpta secundas.
Cum pipere & myrrha putredine mundat ab omni,
Post partum, potata, steràs, uel subdita tantum.
Asthmaticis prodest, & frigora sumpta repellit.
Pleureticos curat, mixto si sumitur amne.
Quodlibet infixum, superaddita trita, repellit.
Vulnera cum mellis purgatq; repletq; liquore.
Quòd si prædictis irim coniungis, & inde
Vngas gingiuas, dentesq; putredine purgas.
Splenis duritiem soluit, laterisq; dolorem,
Si mixta potatur aqua, febresq; malignas
Hoc potata modo fertur compescere mirè.
Sic etiam spasmis super omnia subuenit hausta.
Et sedat diram sic sæpius hausta, podagram.
Et morbum curare solet sic sumpta caducum.
Et uentris nimium sic mitigat illa dolorem.
Sic quoque sit sumpta leuior paralyticus illa.
Dæmonium fumus depellere dicitur eius.
Infantes fumo dicunt hoc exhilarari.
Fistula curatur huius radicibus herbæ,
Si bene purgatis eius loca concaua farcis.
Singultum sumpta sedari dicitur illa.
Omnia longa potest, quæ dixi posse rotundam.
Longa tamen uires habet illa debiliores.
Vnde quidem si defuerit quandoque rotunda,
Par pondus longæ ponatur, dimidiumq;.
Fomento longæ prodest decoctio mirè
Matricum morbis, humores extenuando.
Pingues & purgat, eadem si sumitur, illas.
Plinius, hanc formare mares, cum carne bouina,
Appositam uuluæ, postquàm conceperit, inquit.
Trita necat pisces admixta calce rotunda.
Hanc ideo quidam terræ dixère uenenum.

ARISTOLOCHIAE species.] Aristoloche, seu aristolochia dicitur. Inter nobilissimas, aristolochię nomen dedisse grauidę uidentur, quoniam esset ἄριστη λεχούσαις, nostri malum terrę uocāt, & quatuor eius genera seruant: Vnum tuberibus radicum rotundis, folijs inter maluam & hederam nigrioribus, pinguioribusque. Alterū masculę, radice longa quatuor digitorū longitudine, baculi crassitudine. Tertium longissimę tenuitatis, uitis nouellę, cui sit pręcipua uis, quę clematitis uocatur, ab alijs Cretica. Omnes colore buxeo, caulibus paruis, flore purpureo. Ferunt bacculas paruas uelut capparis. Valent radice tantum. Est & quę pistolochia uocatur, quarti generis, tenuior quàm proximè dicta, densis radicis capillamentis, iunci pleniores crassitudine. Hanc quidam polyrrhizon cognominant. Odor omnium medicatus. Sed oblonga radice, tenuiorique gratior. Carnosi enim est corticis, unguentis quoque nardinis conueniens. Nascuntur pinguibus locis & campestribus. Effodere eas messibus tempestiuum, ita disquamato terreno seruantur. Maximè tamen laudatur Pontica, & in quocunque genere ponderosissima quęque medicinis aptior. Rotunda contra serpentes. Oblonga in summa tamen gloria est etiam modo. A conceptu admota uuluis in carne bubula, mares figurat, ut traditur. Piscatores Campanię radicem eā quę rotunda est, uenenum terrę uocant, coramque nobis contusam, immixta calce in mari spargére; aduolant pisces cupiditate mira, statimque exanimati fluitant. Quę polyrrhizos cognominatur, conuulsis, contusis, ex alto pręcipitatis, radice pota ex aqua, utilissima esse traditur. Semine pleureticos & neruos confirmare, excalfacere. hęc Plinius. Secundas.] Quod partum statim sequi debeant ex naturę ordinatione, secundas dici uolunt. Putredine.] Quod maximè intelligitur de rotūda: oppilationē enim & crassitudinem, uel spiritus incocti dolorem curat, putredinibusque medetur. Et tabida purgat hulcera, dentesque, & cicatrices in oculis illustrat. Asthmaticis.] Opitulatur asthmaticis, grauemque anhelitum trahentibus, & uacillātibus morbo comitiali, & podagricis, pota cum aqua. & fracturis, et luxatis membris, si quod aliud medicamen, idoneum est. Irim.] Herbam, de qua sequitur. Spasmis.] Cōtractionibus neruorum. Paralyticus.] Qui neruorum patitur resolutionem. παράλυσις enim grecè resolutio neruorum dicitur. Inde paralyticus. Exhilarari.] Hilares fieri. Fistula.] Quam grçci syringa uocant, de quo malo etiam supra. Illa.] Rotunda aristolochia, quia longa minus partium tenuium est; at uim abstergendi calefaciendique habet: ideo carnem hulceribus superinducit, utiliorque existit. Plinius hăc.] Lege Plin. de aristolochia lib. 25. cap. 8. & cap. 13. & 17. Et iterū lib. 25. cap. 9. ac cap. 17. & 16. & undecimo, & 12. & 13. & 16. capitibus.

DE

DE MARRHVBIO.

MARRHVBIVM nostri dixerunt, prasion Argi.
Hanc herbam medici calidam, siccamq; secundo
Dicunt esse gradu. decoctio totius herbæ,
Seminis aut eius, phthisicos mirè iuuat hausta.
Pectoris hæc uarios compescit potio morbos.
Et melius prodest illi si iungitur iris.
Asthmaticos sic sumpta iuuat, tussimq; repellit.
Accelerat partus eadem, pellitq; secundas.
Si mel marrhubio iungatur, uulnera purgat.
Hocq; modo curat quæ rodunt ulcera carnem.
Dicitur hoc bibitum lateris sedare dolorem.
Omnibus his succus siccatus proderit eius.
Illius succus cum uino melle'ue mixtus,
Prodest luminibus caligine debilitatis.
Sic iuuat ictericos iniectus naribus idem.
Auriculæq; grauem dicunt curare dolorem,
Hunc mixtum roseo si fundas intus oliuo.
Vsum marrhubij non dicunt esse salubrem
His, qui uesicæ morbo, renumq; laborant.

MARRHVBIVM nostri.] Marrhubium plerique inter primas herbas commẽdauere, quod græci prasion uocant, alij linostrophon, nonnulli philopeda, aut philocares. Huius folia semenque contrita profunt contra serpentes, pectoris & lateris dolores, tussim ueterem. Et ijs qui sanguinem eijciunt, eximiè utile, scapis eius cum panico aqua decoctis, ut asperitas succi mitigetur. Imponitur strumis cum adipe. Sunt qui uiridis semen quantum duobus digitis capiant, cum farris pugillo decoctum, addito exiguo olei & salis, sorbere ieiunos ad tussim iubeant. Alij nihil comparant. In eadem causa, marrhubij & foeniculi succi ad sextarios ternos expressis, decoctisque ad sextarios duos, cum addito mellis sextario rursus decocto ad sextarios duos, si cochlearij mensura in die sorbeatur in aquæ cyatho. Et uirilium uitijs tusum cum melle mirè prodest. Lichenas purgat ex aceto. Item menstrua & secundas mulierum. Arida farina cum melle ad tussim siccam efficacissima est. Item ad gangrenas & pterygia. Succus uerò articulis, & naribus, morbo regio, minuendæque bili cum melle prodest. Item contra uenena inter pauca potens. Ipsa herba stomachum & excreationes pectoris purgat. Cum iride & melle urinam ciet. Cauenda tamen exulceratę uesicę, & renum uitijs. Dicitur succus claritatem oculorum adiuuare. Castor marrhubij duo genera tradit: nigrum: &, quod magis probat, candidum. In ouum inane, succum adijcit is, ipsumque ouum infundit melle equis portionibus tepefactum, uomicas rumpere, purgare, persanare promittens. Illitis etiã uulneribus à cane factis tusa cum axungia ueteri. Phthisicos.] Sanguinem spuentes. Asthmaticos.] Anhelitum difficulter trahentes. Luminibus.] Oculis. Ictericos.] Auriginosos.

DE IRI.

IRI dat florum nomen color ipse suorum,
Cœlestis similes sunt nempe coloribus iris.
Illyricam dicunt illam, quia plurima nascẽ
Fertur in Illyria. uis eius sicca, calensq;
Dicitur: atque gradum dant huic in utroque secundum.
Maior uis huius est in radicibus eius.
Has desiccandas per frusta rotunda secatas
Sic ut se partes non tangant insere filo;
Inde loco sicco fac suspendantur in umbra:
Vix aliter totum poteris siccare per annum.
Cum uino sedant tussim, præbentq; soporem.
Sic latitans intus sanies præcordia lædit,
Pellitur illarum cum uino puluere sumpto.
Cum mulsa bibitus, choleram depellit iniquam.
Tormina cum mixto bibitus sedabit aceto.
Hocq; modo sumptis dicunt prodesse uenenis.
Splem contractis, & quouis frigore læsis,
Cũm uino bibitus puluis medicabitur eius.
Hocq; modo sumptus, tardantia menstrua purgat.
Duritias stericas radicum coctio mollit,
Si subtus tepida foueantur sæpius illa.
Hæc cum clysterio si sit subiecta per anum,
Non modicum schiasi dicunt prodesse dolori.
De radicibus his mixto collyria melle
Fiunt, quæ uuluæ pellunt subiecta secundas.
Inq; locis hæc fixa cauis syringia curant.
Commixtus melli, desiccat uulnera, puluis:
Carneq; nuda replet, si sit superadditus, ossa.
Pulueris hellebori pars tertia iungitur illi,
Iris radicum tenui cum puluere duplo;
Puluis uterque simul commixto melle ligatus,
Hoc superappositum purgat caligine uultum,
Et papulas eius istud cataplasma repellit.

IRI DAT florum.] Iris (ut tradit Plinius) radice tantùm commendatur, unguentis aut medicinæ nascens. Laudatissima in Illyrico. Et ibi quoque non maritimis, sed in syluestribus Drilonis & Narone. Proxima in Macedonia: laudatissima hæc, & candicans. Et ex illis tertium locum habet Africana, amplissima inter omnes, gustuque amarissima. Illyrica quoque duorũ generum est: Rhaphanitis à similitudine, quæ melior. Rhizotomos subruffa. Optima, quæ sternutamenta tactu mouet. Caulem habet cubitalem, & rectum. Floret diuersi coloris specie, sicut arquus cœlestis, unde & nomen. Non improbatur & pisidica. Et fossuri tribus antè mensibus mulsa aqua circunfusa, hoc ueluti placamento terræ blandiuntur, circulscriptam mucrone gladio ue triplici: & cùm legerint eam, protinus in cœlum attollunt. Natura est feruens, tractataque pustulas ambusti modo facit. Præcipitur ante omnia, ut casti legant. Teredines non sicca modò, uerùm in terra celerrimè sentit. Optimum antea irinum Leucade & Elide ferebatur. Iampridem enim & seritur. Nunc à Pamphylia. Sed Cilicum maximè laudatur, atque septentrionale.

Cœlestis.] Quia similis coloribus arcui cœli. Illyricam.] Quare illyrica dicatur iris, exponit. Soporem.] Somnum. Stericas.] Hysterarum, id est matricum seu uuluarũ; quod sæpe diximus. Clysterio.] E in clysterio producendum, corripit. Schiasi.] Est & hoc ineptum. Ischiam autem intelligit. Collyria.] Oculorum medicamenta. Eius.] Vultus, hoc est quæ in facie nascuntur.

DE INVLA.

INVLA, quam uulgus elnam uocat, eliniumq;
Dicitur à medicis: est forma cognita cunctis.
Humida uis eius, & feruida dicitur esse.
Humor habere gradum primum, feruorq; secundum,
Dicitur. illius decoctio, menstrua purgat:
Si bibitur, mouet urinam, depellit abortum.
Dicitur hæc eadem stipatum soluere uentrem.
Radix trita fugat schiasim superaddita coxæ.
Ex eius folijs cum uini nectare coctis,
Mire nephreticis renes inuoluere prodest.
Eius radicum puluis cum melle uoratus,
Tussim compescit, orthopnöicisq; medetur.
Cum succo rutæ succus si sumitur eius,
Affirmant ruptis quod prosit potio talis.

INVLA quam uulgus.] Est hæc herba humida in primo gradu, & calida in secundo. Purgat mẽses, cit urinam, abortum quoque pellit, uentrem laxat, dolorem coxendicum fugat, nephreticis usque ad miraculum prodest, sanat tussim, & orthopnoicos, rupturasque curat.

DE HYSOPO.

EST hysopum siccum, calidum quoque. tertius illi
Est in utroque gradus: eius decoctio facta
Sic, ut cocta simul sint mel, ficus quoque sicca,
Prodest non modicum patientibus hausta catarrhum.
Subuenit & uoci raucæ uersata palato.
Et prodest cunctis pulmonum sumpta querelis.
Lumbricos uentris eadem potata repellit.
Et pectus, capitis si distillatio fiat,
Quæ persæpe solet tussim, phthisimq; creare,
Prodest hæc eadem decoctio sumpta frequenter.
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus.
Contrito uiridi si iungitur oxymel illi,
Sicq; datur bibitum, stipatum molliet aluum.
Potio si uiridis uel sicci sæpe bibatur,
Vultibus eximium fertur præstare colorem,
Cum uento nocuo, uiscosum phlegma repellens.
Cardamũ si iungas, his solues fortius aluum.
Cum nitro & ficu sicca si conteris ipsum,
Et superapponas spleni cataplasma tumenti,
Hydropicis ue, solet siccando repellere morbum.
Cum uino bibitum, præcordia tensa relaxat,
Et quicunque nocet tumor interiora, recedit.
In quo decoquitur, si dens foueatur aceto,
Fertur ab immodico citò sæpe dolore leuari.
Accensæ fumo sonitus compescitur auris.
Elixum appositum, humores lympidat omnes.
Sic iuuat ictericos iniectum naribus idem.
Auriculæq; grauem dicunt curare dolorem,
Hoc mixtum roseo si fundis intus oliuo.

EST HYSOPVM.] Malè & contra naturam produxit mediam huius nominis. Pueris igitur in hoc non est imitandus. Est autem hysopum calidum & siccum in tertio gradu. de hysopo lege Plin. lib. 25. Catarrhum.] Malum quod fit ex distillatione humoris ex capite. Distillat autem humor ex capite interdum in nares, quod leue est: interdum in fauces, quod peius est: interdum etiam in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares distillat, tenuis per has pituita profluit, caput leniter dolet, grauitas eius sentitur, frequentia sternutamenta sunt: si in fauces, has exasperat, tussiculam mouet: si in pulmonem, preter sternutamenta & tussim, est etiam capitis grauitas, lassitudo, sitis, æstus, biliosa urina. Aliud autem (quamuis non multùm distans malum) grauedo est. hæc nares claudit, uocem obtundit, tussim siccam mouet, sub eadem salsa est saliua, sonant aures, uenæ mouentur in capite, turbida urina est. Hæc omnia κορύζας Hippocrates nominat. Phthisimque.] Tabem, uel sanguinis reiectionem. Oxymel.] Si cõmiscetur oxymel uiridi cõtrito hysopo. Stipatum.] Duritiem alui. Phlegma.] Pituitã. Hydropicis.] Aqua intercute laborantibus. In quo decoquitur.] Remedium notatu quidem dignissimum aduersus dentiũ tormenta. Lympidat.] Extenuat & purgat. Ictericos.] Ictero, hoc est malo regio correptos.

DE ASARO.

EST asarum græcè, uulgago dicta latinè.
Hæc calida & sicca uirtutis dicitur esse:
Tertius est illi gradus, ut dicunt, in utroque.
Prouocat urinam, potataq; menstrua purgat.
Hocq; modo iecoris medicatur sumpta dolori.
Hydropicosq; iuuat, schiasim fugat hausta frequenter.
Et multis morbis decoctio subuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum.
Helleboriq; modo uomitu præcordia purgat.
Sed non est huius purgatio tam uiolenta,
Nec metuenda quidem, si fiat taliter illa.
Aetatem & uires eius circunspice primùm,
Quem purgare uoles, & tempus quale sit anni,
Et si sit regio feruens, uel frigida ualdè,
Aut si temperiem mediam tenet inter utranque.
Nam senibus puerisq; parum donare licebit:
Aetatis mediæ plus his, iuuenesq; requirunt.
Pinguibus & ualidis plus dandum, quàm macilentis
Debilibusq; uiris magis in gelida regione
Dandum, quàm calida: duris quocunque labore
Plus illis tribues quos reddunt otia molles,
Hæc circunspiciens, & cætera talia tractans,
Non solùm tutus dabis hanc, sed quaslibet herbas,
Quæ purgant uomitu, uentrem, stomachum'ue resoluunt.
Sed quia de cunctis dixi communiter herbis,
Quo sit danda modo propriè uulgago, docebo.
De folijs eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum, quo possint cuncta recondi.
Tota nocte mero facias macerentur in illo;
Manè terens, uino, quo sunt macerata, resolue.
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti
Porcina, priùs ægroto da sufficienter,
Et sumat uini, uult quantum, fortis & albi;
Sic asari succum colatum trade bibendum.
Fortibus & magnis est hic numerus foliorum
Sufficiens, reliquis (ut diximus) est minuendus,
Iuxta quod uires, ætas, & cætera poscunt.

EST ASARVM.]

EST asarum.] Hanc herbam Græci ἄσαρον uocant, quoniam in coronas non addatur. auctor Plinius libro uigesimo primo. Asaron, quidam crocum hortensem uocant. Plinius baccar uocat. Huius radices utiles ferè, ut acori, sed magis explicantur; & perinde quod de illo iam dictum, id de hoc intelligatur, auctor Placentinus. Tertius.] Hoc est, asarum calidum & siccum est in tertio gradu. Hydropicos.] aqua intercute laborantes. Schiasim.] Ischiam, ut sæpe aliàs, intelligit, hoc est coxarum dolorem.
Vuluæ.] Hysteræ, id est matricis. Ictericum.] Arquatum & morbum regium. Hellebori.] Veratri. Macilentis.] Qui sunt macilento & macro corpore. Macerentur.] Extenuentur, siue mollificentur. Macerata.] Extenuata.

DE MENTHA.

VIM caldam, siccamq; gradu fert mentha secundo.
Illius potu uis digestiua iuuatur.
Confortat stomachum, uomitū quoque detinet hausta.
Lumbricosq; modo depellere fertur eodem.
Diuersis morbis occurrit testiculorum,
Si foueantur aqua, qua mentha cocta sit herba.
Concretum soluit lac mammis addita trita.
Instillata fugat auris cum melle dolorem.
Asperitas linguæ fugit illā sæpe fricata.
Haustaq; cum sapa partum solet accelerare.
Trita canis morsum superaddita cum sale curat.
Hac hæmophthisicis mixto succurrit aceto.
Matrici succus si subditur illius ante
Quàm fiat coitus, mulier non concipit inde.
Caseolos succus putrescere non sinit eius
Admixtus, uel si uiridis superadditur herba.

VIM CALIDAM.] Menthæ nomē suauitas odoris apud græcos mutauit, cùm alioquin mintha uocaretur; unde ueteres nostri nomen declinauerunt. Grato mētha mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Semel sata diutina ætate durat. Menthæ ipsius odor animum excitat, & sapor auiditatem in cibis; ideo in mammarum mixtura familiares ipsæ accessere, ut coire, densareque lac non patiantur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu strangulentur. Data in aqua & mulso, eadem ui resistere & generationi creditur, cohibendo genitalia densari. Aequè maribus & fœminis sistit sanguinem, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amylo ex aqua pota, cœliacorum impetus. Syriation & uomicas uuluæ curauit. Illa & iocinerum uitia ternis obolis ex mulso datis. Item sanguinem excreantibus in sorbitionem. Vlcera in capite infantium mirè sanat. Arterias humidas siccat, siccas astringit. Pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Voci succus sub certamine utilis duntaxat, & qui gargarizatur uua tumente, adiecta ruta & coriandro ex lacte. Vtilis & contra tonsillas cum alumine, linguæ asperæ cum melle. Ad conuulsa intus per se, uitijsque pulmonis. Singultus & uomitiones sistit cum succo granati, ut Democritus monstrat. Recentis succus narium uitia. Spiritus subductos emendat. Ipsa trita choleras in aceto quidem pota. Sanguinis fluxiones intus. Ileum etiam imposita cum polenta, & si mammæ tendantur. Illinitur & temporibus in capitis dolore. Sumitur & contra scolopendras & scorpiones marinos, & ad serpentes. Epiphoris illinitur, & omnibus in capite eruptionibus, item sedis uitijs. Impetigines quoque, uel si teneatur tantùm, prohibet. Auribus cum mulso instillatur. Aiunt & lieni mederi eam in horto gustatam, ita ne uellatur, si is qui momorderit, dicat se lieni mederi per dies nouem. Aridæ quoque farinæ tribus digitis apprehensam, & stomachi dolorem sedare in aqua, & similiter aspersa in potionem, uentris animalia expellere. Fert mentha.] Hoc est, mentha est calida & sicca in secundo gradu.
Illa.] Mentha, & est casus auferendi. Sapa.] Est sapa, mustum usque ad tertiam, siue dimidiam partem decoctum. Hæmophth.] Sanguinem spuentibus.

DE CYPERO.

VIM cypero medici calidam siccamq; secundo
Dicunt esse gradu. potu depellitur eius
Calculus, urinæ purgat laxatq; meatus.
Dicit Apollodorus, quòd pellere possit abortum,
Si mulier foueatur aqua, qua coxerit illum.
Asserit hic idem consumere posse lienem,
Illius fumus si sæpius ore trahatur.
Si se sanus homo fumo suffumiget illo,
Dicit eum fieri firmum magis & leuiorem.
Subuenit altarum uitijs, admixtus oliuo.
Succus sic uitium fugat intertriginis unctum.
Humores nimios depellit sæpius haustus.
Illius solus puluis, melli'ue iugatus
Vlcera mirificè, uel uulnera putrida purgat.
Præcipuè puluis hic ulceribus ualet oris.
Si bibitur, stomachum confortat debilitatum.
Hydropicis multùm succurrit sæpius haustum,
Atque per urinas humores purgat aquosos.
Contrito ualidum cypero si iungis acetum,
Vlcera quæ serpunt, cohibes medicamine tali.

VIM CYPERO.] Cyperum, calidum & siccum est in secundo gradu. Cyperi utiles admodum radices, calefacientes & arefacientes absque laccratione; unde per humiditatē multā hulcera mirificè iuuāt: habent nāque quiddam acerbescens, stypticumque: ob hoc hulceribus oris multùm accōmodatum, secandique uim habent quandam, calculosisque medentur, & urinas & menstrua ciunt. Cyperum Plinius gladiolum uocari ait. Laxat.] soluit & aperit. Cyperi (inquit Plin.) uis in medicina psilothri. Illinitur pterygijs, ulceribusque genitalium, & quę in humore sunt, omnibus, sicut oris hulceribus. Radix aduersus serpentium ictus, & scorpionum præsertim, remedio est. Vuluas aperit pota. Largiori tanta uis, expellit eas. Vrinam ciet & calculos; ob id utilissima hydropicis. Illinitur & ulceribus quæ serpunt, sed his

præcipuè quæ in stomacho sunt, ex uino uel aceto illita. Oliuo.] Oleo. Intertriginis.] Hoc malū est, cum membra simul interteruntur, & confricantur, accedente sudore. Hydropicis.] Quos hydrops tenet. Medicamine.] Medicamento, medela, medicina.

DE PAEONIA.

PAEONIAM medici calidam siccamq; fatentur.
Hancq; tenere gradum dicunt in utroque secūdum.
Splen, iecur, & renes cum mulsa sumpta iuuabit.
Si iungatur ei uiolenter amygdala trita,
Menstrua sic purgat, & fluxum detinet alui.
Illius in uino decoctio sæpius hausta,
Vesicæ duros sedat sic sumpta dolores.
Et scotosim sic illa iuuat, stomachiq; dolorem.
Calculus infantum potu depellitur eius.
Nephreticos eadem multum iuuat, ictericosq;
Pressuras, inferre solent quas somnia nocte,
Pæoniæ semen bibitur si sæpius, arcet.
Illius radix pueris suspensa caducis,
Non modicum prodest, uelut asserit ipse Galenus.
Quendam se puerum narrat uidisse caducum,
Aetas cuius erat annorum circiter octo:
Pæoniæ puer hic radicem ferre solebat
Appensam collo: quadam uice concidit illa,
Moxq; puer cecidit; solito qua more ligata,
Protinus euasit. rem uero probare Galenus
Hanc plenè cupiens, radicem denuò dempsit
De collo pueri: cecidit, uiguitq; resumpta.
Cognita uis herbæ fuit huius sic manifestè.
Ipse Dioscorides cunctis ait esse caducis
Aptam, si bibitur, uel si suspenditur illa.
Seminis illius ter quinque rubentia grana
Cum uino fluxum matricis sumpta coërcent.
Nigra solent uarios matricum pellere morbos,
Si totidem dantur cum uino nocte bibenda.
Huius sunt geminæ species: mas dicitur una:
Altera, quæ minor est species, est fœmina dicta.
Radix maioris est palmis longa duobus,
Grossaq; ceu digitus: radix diuisa minoris
Dicitur in plures radices: hæc bene purgat
Post partum postea steras uino sociata:
In cunctis reliquis similis uis dicitur illis.

PAEONIAM medici.] Vetustissima inuentu pęonia est, nomenque auctoris retinet, quam quidam pentorobon appellant, alij glycysiden. Hæc quoque difficultas est, quòd eadem aliter alibi nuncupatur. Nascitur opacis montibus, caule inter folia digitorum quatuor, ferente in cacumine ueluti græcas nuces quatuor aut quinque. Inest ijs semen copiosum, rubrum, nigrumque. Hæc medetur & faunorum in quiete ludibrijs. Præcipiunt eruere noctu: quoniā si Picus Martius uideat, tuendo in oculos impetum faciat. auctor Plin. lib. 25. Tenere gradum.] Hoc est, pæonia calida & sicca est in utroque gradu. Scotosim.] Oculorū obtenebrationē, quæ fit ex uertigine, uel alio uitio capitis. Nephreticos.] Renum morbo obnoxios. Vidisse caducum.] Morbo comitiali laborantem; & magnum est naturæ & opificis Dei miraculum, quod solum docere possit, quantus sit dominus Deus noster, quamque infinitę potentiæ. Fluxum matricis.] Alui seu uuluæ. Huius.] Pæoniæ sunt duæ species. Steras.] Hysteras propriè & rectè, atque iterum uuluas intelligit & matrices.

DE BORAGO.

HERBAM, quam Græci dixerunt melissophyllon,
Boragum nostri dicunt uulgariter illam.
Præ cunctis apibus gratissima dicitur herbis,
Nec gaudere magis illius flore uidentur.
Contritæ floris apium si uasa perungas,
Non fugient, meliusq; facis si lac sibi iungas.
Vnguine cultores retinent examina tali.
Auxilium præsens apium fert ictibus illa,
Ictus detrita tegitur si protinus herba.
Hocq; modo, quos uespa nocet, uel aranea, curat.
Trita solet ueteres compescere cum sale strumas.
Hocq; modo, uitijs dicunt succurrere fœdis.
Fœmina purgatur decocto cum sale succo.
Tali discutitur, inflatio noxia potu.
Eius si uiridis decoctio sæpe bibatur,
Antiquos dysentericos iuuat & ciliacos,
Asthmaticis eadem prodest, orthopnoicisq;.
Vlcera depurgat, morbos leuat articulorum.
Herba canis morsus superaddita cum sale curat.
Eius fomento decoctio menstrua purgat.
Ore retenta, solet dentis sedare dolorem.
Lumina purgat caligine, Plinius inquit,
Eius si succo fuerint cum melle peruncta.

HERBAM quam.] Melissophyllū marrhubio consimile est potentia, sed multò inferius; ob hoc eo quisquam ferè nō utitur. Cùm enim in omni terra sit melius marrhubium, eo uti malunt: nisi marrhubium desit, ubi eo utēdum sit, tum hoc utendum. Alio nomine dicitur apiastrum, putaturque ea esse, quā melissam uocant. Lege de melissophyllo Plin. lib. 21. cap. 9. Et lib. 20. & cap. 12. & iterum lib. 21. cap. 20. Apibus.] Inde apiastrum, quia nullo flore apes magis gaudent. Apium uasa.] Aluearia intelligit, et est modus examina retinendi, minimè negligendus. Dysentericos.] Torminosos. Cœliacos.] Qui ex stomachi uitio uentris profluuium patiuntur: de hoc malo lege Celsum libro 4. Asthmaticis.] difficulter spirantibus. Orthopnoicis.] Hos intelligit, qui, nisi recta ceruice, spirare nequeunt.

DE SENECIO.

ERIGERON Græci, nos Senecion uocitamus,
Quòd canis similis uideatur flore capillis.
Nascitur in muris, & in hortis, & tabulatis.
Illius herbæ uis frigida dicitur esse.
In medicinali radix non ponitur usu.
Flores cum folijs tundens, infundito uini

Permodicum

Per modicum dulcis; & sic tepefacta tumori
Hac simul appones ani, uel testiculorum.
Addito thus istis, neruos & uulnera quaeuis
Curabis facilè, posito cataplasmate tali.
Haec eadem trita faciunt eius capitella.
Potari prohibent, quia suffocare bibentem
Quidam confirmant. at contrà Plinius auctor,
Ictericis quondam potum donasse salubrem
Cum uino dicit: taliq; modo medicari
Morbis uesicae plures ait ille probasse:
Et cordis uitijs illam, iecorisq; dedisse.
Torminibus quoque cum passo, iussisseq; potu
Hoc uarios morbos praecordia quae patiuntur.
Et uiridis facit hac si trita teratur aceto.
Trita solet duras hac cum sale spargere strumas.
Hanc circumscriptam si quis fodiat sine ferro,
Et tangat dentem uicibus tribus inde dolentem,
Vnaquaque spuens uice, postq; reponat eodem,
Quo fuit orta loco, sic rursum uiuet ut herba;
Plinius ut dicit, non amplius ille dolebit.

ERIGERON Graeci.] Erigeron à Graecis, quae à nostris uocatur senecio. Hanc si ferro circumscriptam effodiat aliquis, tãgatque ea dentem, & alternis ter despuat, ac reponat in eundem locum, ita ut uiuat herba, aiunt dentẽ eum postea non doliturum. Herba est trixaginis specie & mollinã, cauliculis subrubicundis. nascitur & in tegulis & in muris. Nomẽ hoc Greci dederũt, quia uere canescit. Caput eius numerosa diuiditur lanugine (qualis est spinae) inter diuisuras exeunte. Quare eam Callimachus acanthida appellat, alij pappum. Nec deinde Graecis de ea constat. Alij erucae folijs esse dixerunt, alij roboris, sed minoribus multò. Radice alij superuacua, alij neruis utili, alij potu strangulante. E' diuerso quidã regio morbo cum uino dederunt, & cõtra omnia uesicae uitia. Item cordis & iocineris. Renibus extrahere harenam dixêre. Ischiadicis drach. cum oxymelite ab ambulatione propinauêre, torminibus quoque in passo utilissimam, praecordijs etiam cibo & aceto eam praedicantes, serentesque in hortis. Nec defuerunt qui & alterum genus facerent. Nec quale esset, demonstrarunt; contra serpentes in aqua bibendam, edẽdamque comitialibus dãtes. Lanugo eius cum croco ex exiguo aquae frigidae trita, illinitur epiphoris. Tosta cum mica salis, strumis. auctor Plin. lib. 26. Canis capillis.] Canescere enim uidetur. In medicinali.] Radix eius medicis nulli usui est. Cataplasmate.] Emplastro. Ictericis.] Ictero, hoc est morbo regio comprehensos. Hanc circumscriptam.] Id quod suprà ex Plinio adscripsimus.

DE CHELIDONIA.

ESSE chelidoniae species geminae referuntur
A' medicis: species est maior prima uocata,
Altera uerò minor oculis medicatur utraque.
Caecis pullis hac lumina mater hirundo
(Plinius ut scripsit) quamuis sint eruta, reddit.
Hanc nasci dicunt auibus uenientibus illis,
Et desiccari solito dum more recedunt.
Indeq; nomen habet chelidonia; nanque chelidon
Dicitur haec uolucris Graecorum more uocari.
Florentis succus cum melle coquatur in aere,
Igne leui, spumam donec proiecerit omnem,
Et quasi crassitiem mellis decoctio sumat.
Vtilius nullum dicunt oculis medicamen,
Quos caligo nocet, si sint hoc saepe peruncti.
Conteritur iuncto sibi radix eius anetho,
Et sic ictericis cum uino sumitur albo.
Dentis, ut affirmant, prohibet contrita dolorem.
De folijs eius contusis si cataplasma
Cum uino fiat, maculas abstergere dicunt.

ESSE chelidoniae species.] Quidam ineptè hãc herbam uocant coelidoniam, quasi donum coeli, inter quos est Simon Genuẽsis: de qua re sic loquitur Antonius Codrus Vrceus, homo utriusque linguę impensè doctus, in eo sermone, quem in laudem literarum graecarum habuit: Quid dicam (inquit) de medicis, qui chelidoniam ab hirundinis dictam, interpretantur coeli donum? Simon ipse Genuensis, & gentiles alij plures, huiusmodi scatent erroribus. Chelidoniam ab hirundinibus dictam cõfirmat Plin. lib. 25. dicens: Animalia quoque inuenere herbas, in primisque chelidoniã. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt uisum, ut quidam uolunt, etiam erutis oculis. Geminae species.] Genera eius duo, inquit Plin. Maior, fruticoso caule, folio pastinacae erraticae ampliore, ipsa altitudine duûm cubitorum. Color albicans, flos luteus. Minori folia hederae rotundiora, minùs candida. Succus croci mordax, semen papaueris. Florent aduentu hirundinũ, discessu marcescunt. Florentibus succus exprimitur, & in aereo uase cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur, singulari remedio cõtra caligines oculorũ. Vtuntur & p se succo in collyrijs, quę chelidonia appellatur ab ea. Auibus uenĩetibus.] Hirũdinibus. Recedunt.] Discedũt hirundines. Aere.] Aereo uase. Hoc.] Medicamine, Ictericis.] Arquatũ morbum (habentibus.

DE CENTAVREA.

SVNT centaureae species, maiorq; minorq;,
Vt supradictis dixi de pluribus herbis.
Sed quia perpaucis species est cognita maior,
Hanc praetermittens, uires narrabo minoris,
Quam notam cunctis credo uulgaribus ipsis.
Desiccatiuae uirtutis dicitur esse.
Non modicùm plagas conglutinat inde recentes,
Inq; cicatricem ueteres superaddita ducit.
Illi qui schiasim patitur, decoctio mirè
Prodest, illius si sit subiecta per anum:
Sanguine detracto sedat mox illa dolorem.
Fomento neruis eadem medicabitur aegris.
Illius succus deducit menstrua sumptus:
Pellit abortiuum; medicamina cuncta maligna
Cum uino sumptum, dicunt purgare per aluum.
Melle sibi iuncto, caligine lumina purgat.
Illius exprimitur autumni tempore succus,
Quem desiccatum feruenti sole reponunt,
Ad renum curam, quam diximus antè salubrem.

SVNT Centaureæ.] Centaureâ curatus dicitur Chiron, cùm Herculis exceptus hospitio, pertractanti arma, sagitta excidisset in pedem: quare aliqui chironion uocant. lege Plin. lib. Plagas conglutinat.] Ingentia uulnera adglutinat uiridis herba superimposita: & quæ difficillimè in cicatricem coeunt, superinducta in cicatricē cogit. & arefacta, conglutinantis ac arefacientis potentiæ rebus admiscetur, quæcunque sinus & fistulas curare possint. Caligine purgat.] Claros facit oculos, fugata caligine.

DE COLVBRINA.

HERBA, dracontiam græcorum quam uocat usus,
Hæc eadem, uulgi lingua, colubrina uocatur:
Quòd colubræ similis, maculoso cortice surgat.
Ex quibus antiquis expertum credimus esse,
Quòd queat à simili colubrina uenena fugare.
Quisquis se trita radice perunxerit eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse.
Morsibus illarum cum uino sumpta, medetur.
Si iungas oleum cum succo seminis eius,
Auribus infundens, poteris sedare dolorem.
Hoc succo lanam madidam si naribus addas,
Compesces morbum qui polypus est uocitatus.
Sic etiam cancris magnum solet esse iuuamen.
Succo radicis eius caligo fugatur,
Et uarij morbi quæ lumina perpetiuntur,
Ex ipso puro si sint lita, melle'ue mixto.
Et prodest oculis radix si manditur assa.
Cum posca granis terdenis seminis hausta,
Lumina munda ferunt, pulsa caligine, reddi.
Si marcescentis illius floris odorem
Nare trahat prægnans, deponere fertur abortum:
Vel si sit radix matrici subdita trita,
Puluis radicis eius cum melle iugatus,
Tussim compescit sumptus, sedatq; catarrhum,
Et confert hæmophthisicis hoc sæpe iuuamen.
Pectoris humores exhaurit non redituros.
Omnibus his prodest radix si sumitur assa.
Istud idem faciet eius decoctio sumpta.
Eius cum uino radix uenerem mouet hausta.
Prouocat urinas, phagedænica uulnera sanat,
Si sit ei trita cum melle bryonia iuncta.
Vulneris hoc mundat sordes, syringia curat.
Sola sibi iuncto maculas depellit aceto.
Esse pedum uitium dicunt, cui pernio nomen
Est à pernicie membri patientis idipsum.
Plebs dicit mulam; solet hoc de frigore nasci.
Amne dracontiæ radices decoque, tali
Pernio deletur, si sæpius amne fouetur.

HERBA dracon.] Δρακόντιον lingua latina colubrinam uocat. Colubrina.] Colubrorum uirus. Illarum.] Serpentum. Polypus.] πολύπους, est caruncula modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret: & modò ad labra pendens narem implet, modò retrò per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeo increscit, uti post uuam conspici possit, strangulatque hominē, maximè austro aut euro flante. fereque mollis est, rarò dura, eaque magis spiritum impedit, & nares dilatat, quę fere καρκινώδης est. Itaque attingi non debet. auctor Corn. lib. 6. cap. 8. Lumina.] Oculi. Marcescentis.] Putrescētis. Catarrhum.] Destillationem, de quo malo suprà. Confert.] Conducit. Hęmophthisicis.] Sanguinē spuentibus. Phagedęnica.] Quæ phagedæna facit. Est autem phagedæna, exulceratio usque ad ossa celeriter depascens cum inflammatione, saniem malè olentem emittens, & mortem inducens. Columella uerò accipit phagedænam etiam pro morbo, quem in iumentis uermem appellant. Bryonia.] Vitis genus. Syringia.] Fistulas. Pernio.] Est hic morbus pedum ex nimio frigore proueniens, & calcaneum infestans. Per diminutionem perniunculus.

DE GAISDONE.

ISCHAS à Græcis, est uulgò gaisda uocata,
Non modicum quæstum præbens tinctoribus herba.
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Vulnera, magna licet, conglutinat: atque cruorem
Illorum sistit, reprimit quoscunque tumores.
Si cum melle teris hanc, sordida uulnera purgat,
Emundat maculas: & sacro subuenit igni,
Oui si iungens albumen, eam superaddas.

ISCHAS à Græcis.] Ischias lego apud Plin. Perottus tamen etiam cum alijs legit ischas. Est autē hæc herba multorum nominum. Leucacantha (inquit Plin.) quam alij phyllon, alij ischiada, alij polygonaton appellant, radice cyperi, quæ cōmanducata, dentium dolorem sedat: item laterum & lumborum, ut Hicesius tradit, semine poto drachmis octo, aut succo. Eademque ruptis conuulsisque medetur. Non] modicum.] Maximum. Quæstum.] Lucrum. Illorum.] Vulnerum. Ego tamen credo hic describi herbam, quæ Græcè dicitur ἰσάτις, & ideo debere legi non ischas, sed isatis. Nam isatis est, qua utuntur tinctores, & est lactucæ genus. ut docet Plin.

DE HELLEBORO ALBO.

ELLEBORVM geminas species testatur habere:
Album, quod sursum purgat, nigrumq; deorsum.
Vim siccam calidamq; tenet: & tertius illis
Est in utroque gradus: nigro uiolentius album
Dicitur: unde prius dicam de uiribus eius.
Suppositum quocunque modo, depellit abortum.
Naribus attractus sternutamenta mouebit
Illius puluis, capitis pellentia morbos.
Miscetur confecturis, quæ lumina purgant,
Et multum prodesse ferunt uitijs oculorum.
Pultibus admixtus, mures puluis necat eius,
Et cum lacte datus est muscis perniciosus.
Dicunt per uomitum uarios educere sumptum
Humores, ueteresq; ferunt sic pellere morbos.
Purgatur tali uomitu uertigo uetusta.

Insanis, melancholicis ualet, atque caducis.
Sæpeq; curatur sumpto lymphaticus isto.
Hydropicis in principio mire medicatur.
Emundat lepram, tetanum fugat, atque podagram.
Confirmat tremulos, redeuntia tormina curat.
Diuersis uitijs stomachi, schiasiq; medetur.
Et tussi ueteri, febribusq; per omnia prodest
Quartanis, annis iam pluribus inueteratis.
Ingenti cura sumpturum Plinius ipsum
Admonet, ut septem se preparet antè diebus,
Humectisq; cibis corpus bene temperet omne.
Nec serò cœnet, qui debet sumere manè.
Et quando sumet, iubet explorare serenam
Et calidam claramq; diem, uentisq; carentem
Obseruare iubet: curam si spreuerit istam,
Passurum nimios affirmat eum cruciatus.
Helleborumq; iubet, in pultibus antea coctum,
Aut in lente dari, sic dicit non nociturum.
Huncq; dari prohibet senibus, pueris q; tenellis,
Mollibus & timidis, animiq; uiris muliebris,
Et macris nimium dicit non accipiendum.
In succo ptisanæ, uel mulsa, pane ue coctum
Sumere precipiunt alij, sic utile dicunt.
Philo composito fertur scripsisse libello,
Qualiter helleborum sit nobis accipiendum.
Inq; suis Hipocras Aphorismis istius herbæ
Solius meminit, quam nouerat utiliorem.
Plures scripserunt huius de uiribus herbæ,
Et quo sit sumenda modo, docuère, quibusq;.
Non tamen inueni per plura uolumina uoluens,
Vllum, qui certum pondus donare iuberet.
Illius dixisse satis se, credo, putabant,
Cùm iuxta uires, ætates, tempora, dandum
Iussissent: mihi uerò satis non esse uidetur
Tutam rem, subitum quæ confert sæpe periclum,
Commendare dari cuiquam sine pondere certo.
Plinius ut scripsit, Themison donare solebat
Hellebori drachmas geminas; tribuisse sequentes,
Bis binas etiam confirmat: non tamen ipse
Pondere quo iubeat sumi statuisse uidetur,
Cùm tamen hellebori nigri iubeat dare drachmam,
Quatuor aut scrupulos. mihi significare uidetur,
Albi dimidium pondus tantummodò dandum:
Quod longè nigro uiolentius esse fatetur.

HELLEBORVM geminas.] Helleborus uterque albus ac niger, abstergendi calefaciendique potentiæ est, ideo curant uitiligines, & impetigines, & scabies, & lepras, fistulamque callosam; atro curaueris intra biduum aut triduum, abijcit callum. Ponuntur in tertio ordine calefacientium & arefaciẽtium. Purgat autem niger humorem melancholicum per uentrem in primis inferiorem. Albus autem, per superiorem, per uomitum crassos glutinososque humores purgando, mouet etiam inferiorem. Geminas.] Duas, album & nigrum. In tertioque gradu habent siccum & calidum. Pultibus admixtus.] Notãdum hòc contra mures. Est muscis.] Contra muscas hoc seruandum. Lymphaticus.] Furiosus. Nam creditum est ab antiquis, qui in fonte imaginem nymphæ uidisset, furore percipi. Tetanum.] Ceruix grauibus admodum morbis obnoxia est. Neque tamẽ alius importunior, acutiorque morbus est, q̃ is, qui quodam rigore neruorũ, modò caput scapulis, modò mentũ pectori annectit, modò rectã & immobilem ceruicem intendit. Vltimum Græci appellant τέτανον. Lege Celsum lib. 4. cap. 3. Plinius ipsum.] De Helleboro lege Pliniũ Naturalis hist. lib. 25. cap. 5. & cap. 13. & lib. 27. cap. 2. & 3. & 32. capitibus. Ptisanæ.] Ab hoc fit ptisanarium, de quibus suprà. Nigro.] Helleboro, quod ueratrum dicunt latini.

DE HELLEBORO NIGRO.

ELLEBORVM nigrum nõ est adeo uiolẽtum,
Nec formidandum, quàntum quod diximus album.
Hoc quoque præcipiunt ueteres in lente coquendum,
Aut in sussellis; sic insanis medicari
Assumptum dicunt, & sic prodesse podagræ.
Hydropicis, mota febre, dicitur auxiliari.
Miram sentit opem sumpto paralyticus illo.
Et uarios bibitum morbos lenat articulorum.
Educit choleras uarias, & phlegma per aluum.
Elixaturæ potu caligo fugatur.
Duritias suppuratas factum cataplasma
Concoquit, & purgat, uacuat syringia, collo
Infixus modicus radicis surculus eius,
Posiq; dies geminos sit surculus ille remotus.
Ordea quam dederint, contrito iunge farinam,
Hydropicus tumor appositus siccabitur illis.
Menstrua suppositum purgat, depellit abortum.
Auditum reddit, si surdis auribus illud
Imponas; & post triduum, biduum ue repellas.
Appositum tollit maculas eius cataplasma,
Emundat lepras, scabies quascunque repellit.
Ore diu tentum, quo coxeris illud acetum,
Dentis non modicum dicunt sedare dolorem.
Hellebori nigri præcepit Plinius unam
Donari drachmam, leuiter sic promouet aluum.
Plus quàm bis binos obolos uetat accipiendum.

HELLEBORVM nigrum.] Veratrum nigrum minus uiolẽtum est albo. Podagræ.] Pedum dolori. Hydropicis.] Quibus hydrops est oneri. Choleras.] Biles. Phlegma.] Pituitam. Suppuratas.] Id est, apostema factas. Suppurare enim est apostema fieri. Dentis.] Contra dentium supplicia.

DE VERBENA.

VERBENAM, hierobotanem, peristereonq;
Appellant Græci. species hæc fertur habere
Binas, effectus est idem penè duabus.
Cum uino, iuuat ictericos, si sæpe libatur.
Pestiferos morsus curat superaddita trita
Cum uino renouanda quidem per quatuor ista
Est medicina dies. oris bene uulnera purgat
Illius succus tepidus si uoluitur ore.
Hoc quoque facta recens herbæ decoctio præstat.
Hæc etiam quæuis putredo repellitur oris.

Si tepefacta diu uoluatur fauce sonora.
Glutinat herba recens uulnus superaddita trita.
Occurrit cunctis cum uino sumpta uenenis.
Quae fuit alternis febris accedendo diebus,
Pellitur hac, tribus sumptis radicibus eius.
Cum totidem folijs potentur aqua resoluta,
Ista prius patiens, quàm frigus senserit ullum.
Hocq; modo febribus quartanis illa medetur,
Bis binis folijs cum tot radicibus haustis.
Illius in uino si sit decoctio facta,
Conuiuas hilares inter conuiuia sparsa
Reddere narratur, ut iam praescripta buglossa.
Hanc herbam gestando manu, si quaeris ab aegro,
Dic frater quid agis? bene si responderit aeger,
Viuet: si uerò male, spes est nulla salutis.
Ex hac compositam quidam iussêre coronam
Apponi capiti causa quacunque dolenti,
Sic dicunt illam celerem conferre medelam.
Plinius affirmat hanc omnibus esse salubrem
Visceribus, lateris morbis, iecorisq; querelis,
Pectoris & uitijs, & praecipuè medicari
Pulmonem causis hanc asserit ille, phthisiq;.
Parotidas reprimit adipi commixta uetusto.
Herbam, cui nomen folijs de mille dedêre
Betonicamq; pari uerbenae pondere iunge:
Haec mixta potentur aqua, nullum medicamen
Vtilius credunt illis, quos calculus angit.
Non modicum laudare magos hanc asserit herbam
Plinius. hanc cunctis dicunt obsistere morbis,
Et quod quisque petet hac impetrare perunctum.
Sic & amicitias captari posse potentum:
Et pelli febres, & plurima talia fingunt.
Quae quamuis natura potens concedere posset,
Vana tamen nobis, & anilia iure uidentur.

VERBENAM.] Verbena in aquosis locis nascitur, aliqui trigonum, alij bunion, alij sacram herbam, alij philtrodoten, Aegyptij pepsepte, prophetae Iunonis lacrymam, alij felis sanguinem, alij Mercurij sanguinem, Romani cristam gallinaceam uocant. auctor Dioscorides. Hierobotanen.] Quasi sacram herbam, quo nomine Plin. Verbenacam uocitat. Periste.] Quasi columbariam. Quartanis.] Qui quartanam passus côualuerit, uiresque integras recuperauerit, fidelius, constantiusque postea ualiturum scripsit Plato. auctor Gellius Noct. Attic. lib. decimo septimo, capite duodecimo. Si quaeris ab aegro.] Si aegrum interrogas. Spes nulla.] Si hoc uerum est, longe praestat multas herbas uerbena, maioresque uires habet, quàm unquam fortassis ab aliquo percipi potuit. Videtur tamen commentum anile, sicut interdum de alijs quoque herbis ridicula narrantur. Nihil tamen derogo diuinae potentiae, quae in omnibus rebus mirificè operatur. Celerem conferre.] Celeriter mederi. Querelis.] Doloribus. Phthisi.] Pulmonis exulcerationi: quae fit, cùm pituita ex capite destillat. Parotidas.] Apostemata secus aures.

DE GAMANDREA.

CHAMAEDRYS Graece, quae gamadrea Latine
Dicitur. hanc herbam calidam siccamq; fatentur.
Tertius est in utroque gradus. depellit abortum,
Si mixta potetur aqua, tussimq; medetur.
Conquassata iuuat, si mixta libatur aceto.
Splen siccat, purgat cum uino menstrua sumpta.
Hydropicis in principio sic sumpta medetur.
Sic quoque pestiferis occurrit morsibus illa.
Cunctis praedictis prodest superaddita trita.
Sordens purgabit uulnus licet inueteratum,
Si cum melle teras, & tritam desuper addas.
Chamaedreos oculi succo cum melle peruncti,
Dicuntur clari, dempta caligine, reddi.
Si tritam misces oleo, corpusq; perungas,
Pellit frigorem, reuocabit & ipsa calorem.

CHAMAEDRYS Graece.] Χαμαίδρυς Graece dicitur. Est autem (ut scribit Plinius) Chamaedrys, herba, quae latine trissago dicitur. Aliqui eam chamaedropen, alij teucrion appellauêre. Folia habet magnitudine menthae, colore & diuisura quercus. Alij serratam, & ab ea serram inuentam esse dixêre, flore pene purpureo. Carpitur praegnans succo. In petrosis aduersus serpentium uenena potu, illituque efficacissima. Item stomacho, tussi uetustae, pituitae in gula cohaerescenti, ruptis, conuulsis, lateris doloribus. Lienem consumit, urinam & menses cit. Ob id incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis eius in tribus heminis aquae decoctis usque ad tertias. Faciunt & ex ea pastillos, terentes eam ex aqua supra dicta. Sanat & uomicas, & uetera ulcera, uel sordida cum mellé. Fit & uinum ex ea pectoris uitijs. Foliorum succus cum oleo caliginem oculorum discutit. Ad splenem ex aceto sumitur. Excalfacit perunctione. Conquassata.] Conuulsa. Licet.] Quamuis. Frigorem.] Frigus.

DE MAVRELLA.

HERBAM, quam Graeci strygnon dixere, Latini
Maurellam dicunt. uis eius frigida ualdè est.
Dicitur auriculae mirè sedare dolorem
Illius succus, si sensim funditur intus.
Aegilopis strygni dicunt cataplasma mederi.
Istud idem dicunt capitis sedare dolorem.
Vna cum strygno si sal, panisq; terantur,
Parotidas reprimet cataplasmatis addita more.
Strygni prurigo depellitur illita succo.
Succus suppositus fluxum stringit muliebrem.
Contritis eius folijs coniunge polentam,
His superappositis, sacer ignis, & herpeta mordax
Dicitur expelli: si uerò iunxeris istis
Argenti spumam, cerussam, oleumq; rosatum,
Fortius & melius praedictum fit medicamen.

HERBAM quam.] Strychnon & strygnon quidam uolunt esse eãdem herbã, quam maurellã uocant. Aegilopis.] De his suprà, & apud Celsum libro 7. cap. 7. Parotidas.] De his saepe diximus. Herpeta.]

Herpeta.] Et hoc suprà declaratum est pueris: quibus qualiacunque bono animo congessimus, nihil curantes superciliosorum sciolorum ronchos.

DE IUSQUIAMO.

IUSQUIAMUM Græci, quã nostri caniculatã
Dicunt: huic herbæ uirtus est frigida ualdè.
Tres habet hæc species: semen profert prior album:
Altera subruffum producit, tertia nigrum.
Nobilior reliquis est, semen quod gerit album:
Pro quo, si desit, mos est apponere ruffum.
Nigrum uerò frequens medicorum respuit usus.
Iusquiami folijs contritis, adde polentam:
Hoc adhibendo, potes quosuis curare tumores.
Sic mirè calidam potes infrigidare podagram.
Auribus infusus uermes succus necat eius,
Illarumq; solet uarios lenire dolores.
Ore diu tepidum si contineatur acetum
Quo sint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem.
Expressus succus contriti seminis eius,
Viscosum, calidumq; potest compescere rheuma,
Si fuerint oculi patientis sæpe peruncti.
Seminis illius obolus, cum semine mixtus
Miconis, pariter cum mulsa, sumitur illis
Vtiliter, fluxum matricis quæ patiuntur.
Et dicunt hæmophthisicis sic posse mederi;
Vel quocunque modo sanguis iacletur ab ore.
Dicitur hic potus medicari sæpius haustus.
Cum uino tritum semen, cataplasmaq; factum,
Mammas & testes dicunt curare tumentes.
Emplastris multis apponitur, antidotisq;.
Infert, sicut olus hæc herba comesta, maniam.
Præstat idem succus in quouis uulnere fusus.

IUSQUIAMUM Græci.] Hanc latini uocant caniculatã. Habet autem hæc herba tres species. Prima producit semen album, secunda subrubrum, tertia uerò nigrum. Quod.] Iusquiamum. Respuit.] Contemnit. Ore diu.] Aliud contra dentium carnifices remediũ. Rheuma.] Eruptionem seu fluxum: à ῥέω, quod est fluo. Rheumatismus pro eodem. Miconis.] Lactucæ genus: de quo lege Plinium libro uigesimo, capite septimo. Comesta.] Manducata. Maniam.] Insaniam. unde maniaci, furoris morbo correpti dicuntur.

DE MALVA.

DIXERUNT maluam ueteres, quòd molliat aluũ.
Esse cacostomacham Sextus Niger asserit illam,
Atque Dioscorides. tamen interioribus ambo
Sumptam sicut olus, multum prodesse fatentur:
Et sic uesicæ dicunt illam medicari;
Sicq; uenenosis occurrere potibus illam.
Hi quoque confirmant maluæ folijs, salicisq;
Ex æquo tritis, citius, meliusq; cruentum
Sanari uulnus, emplastris quàm pretiosis.
Addunt auctores ipsi, quòd malua potenter
Conquassata iuuat, adipi commixta uetusto.
Vnius caulis radix admota dolori
Dentis, sedat eum: uenerem stimulare refertur
Hæc eadem, femori si lino annexa geratur.
In lana nigra tectam si gesserit illam
Fœmina, mammarum dicunt occurrere morbis.
Scripsit abortiuam Thebana Olympias illam,
Si resolutus adeps miscebitur anseris illi,
Et sic subdatur ueluti pessaria, uuluæ.
Contritis folijs illius cum sale pauco,
Aegilopas pellit, succoq; medeberis eius
Puncturis apum: cui si coniungis oliuum,
Corpus & inde linas, apium te nulla nocebit.
Decoctam lotio capiti superaddito maluam
Sic turpes acoras pelles, furfuraq; nociuum.
Decoctis folijs eius si iungis oliuum,
Extingues ignem sacrum cataplasmate tali.
Et combusturis illo bene subuenis ignis.
Duritias stericas eius decoctio mollit.
Intestinorum casus, matricis, & ani,
Hoc etiam mirè prodest, si subditur illis.

DIXERUNT Maluam.] μαλάχη, Malua, agrestis quidem, distrahendi, & molliendi clementer particeps est potentiæ. Hortensis uerò, quatenus plus aquosæ humiditatis admittit, eatenus potestate imbecillior est. Agit uentrem, non ob humiditatem modò, sed ob glutinosam uim, præsertim cùm profertur cum oleo, & garo, pauculo uino asperso, quo tempore manducatur. Fructus autem eius eousque ualidior est, quatenus est aridior. & quæ nominatur dendromalache, huius est generis: uerùm magis distrahit, quàm quæ dictæ. nominatur uerò althea. hæc Placentinus. De Malua lege Plinium libro uigesimo, capite uigesimo primo: & libro uigesimo primo, capite tertio decimo: & libro decimo nono, capite quarto: & libro decimo, capite octauo. Molliat.] Quòd aluum mollificet. Cacostomacham.] Stomacho incommodam. Venerem.] Pro petulcis: quamuis huiuscemodi remedia sint quærenda ab his, quibus omnino uenus irata est. Languens maritus rectè confugit ad remedia, ut debitum soluere possit.

DE PARATELLA.

HERBA solet lapathi uulgo paratella uocari.
Illius species dicuntur quatuor esse.
Par tamen est fermè uis omnibus in medicina.
Omnibus est illis feruens, austeraq; uirtus.
Vnde quidem stomachum confortat sumpta, solesq;
In stomacho clausum per ructum pellere uentum:
Sumptaq; sicut olus, fertur restringere uentrem.
Pruritus mordax, scabieiq; cutis laceratrix,
Illius tepido cedunt apoximate fotu.
In uino cocta radicis, & bene trita
Appositaq;, scrophas compescunt, parotidasq;.
Eius sæpe tepens si coctio gargarizetur,

Vuas sedabit tumidas, denticq; dolorem.
Hoc dysentericos potu iuuat, & cœliacos.
Pellitur hac tepida dolor auris si foueatur.
Decoctas ualido radices eius aceto,
Et tritas spleni superaddito sæpe tumenti:
Quemuis non modicum reprimunt siccando tumorem.
Cum uino uel aqua radicum coctio facta,
Menstrua restringet potu, lapidesq; repellet.
Hæc eadem iuuat ictericos, suspensaq; collo
Illius radix, scrophas nasci prohibebit.

HERBA solet.] Lapathum, potestatis est mediocriter distrahēdi, particepsque caliditatis est, & in renibus calculos terit. Radix ipsius curat scabies, asperitatesque corporis cum aceto cocta, & illinendo. Oxylapathum autem mixtam uim habet: nam cum ui distrahendi, etiam expellendi uim habet. At semē quiddam manifestum acerbescens habet, quod torminibus medetur, & profluuijs alui, præsertim oxylapathi. Hippolapathon in paludibus nascitur, eiusdem autē potestatis est, sed imbecillioris. Agrestis autem lapathi radix, quam mylen, hoc est molam uocant, cocta cum aceto uel uino, diluta dentes confirmat, doloresque ipsorum lenit. hæc Valla. Restringere uentrem.] Ventris fluxum sedare. Apoximate.] Aqua cocta cum uarijs condimentis. Et nota puer, quòd duplam corripuit in apoximate. Gargarizetur.] Corripuit & hîc duplam, in quo non est imitandus.

DE LOLIO.

FRVMENTIS nocuū Loliū Græcus uocat herbā,
Quam nostri dicunt uulgari more nigellam.
Cancros emundat, pascentia uulnera curat,
Cum raphano modicoq; salis superaddita trita,
Zernas & lepras cura compescit eadem.
Sulphure cum uino, purgamentisq; columbæ
Admisce lolium, semen quod lilia præbent
His iungas; hæc cocta mero superaddita scrophis,
Sic scrophas spargit, sic apostemata rumpit.
Duritiasq; alias emolliet hoc cataplasma.
Mulsa decocta cum uino, thure, crocoq;
Apponas coxæ, ischiasis quam uexat iniqua.
Parturiens mulier si se suffumiget illa,
Asseritur citius uentris deponere pondus.
Argenti spumæ commiscens hanc, adipiq;,
Apponas calidæ cataplasma salubre podagræ,
Et per se tali multum prodesse probaui.

FRVMENTIS nociuam.] Frugibus inimicam dicit Plin. quem lege de lolio dicentem lib.18.c.17. & lib.22.cap.25. Cancros.] De hoc malo lege Cels. lib.6.cap.15. & lib.6.cap.18. Zernas.] Impetiginem, fœdationem cutis serpentem cum pruritu, uel siccam & asperā scabiem. Quidam dicunt hoc malum serpiginem dici. Schiasis.] Ischiam intellige, ut semper. Asseritur citius.] Dicitur citius parere. & est elegantissimus uersus. Prodesse probaui.] Expertus asserit hoc.

DE CICVTA.

FRIGIDA lethiferæ uis noscitur esse cicutæ.
Vnde necari gelidi potantes more ueneni.
Qui perit hac herba, cutis eius fit maculosa;
Vnde genus mortis ualet hoc per signa probari.
Publica pœna reis hæc esse solebat Athenis.
Hac sumpta magnus Socrates fuit exanimatus.
Qualiter hoc fiat, non æstimo dicere nostrum:
Cum nil, quod noceat, sed quod iuuat, est referendum.
Hac sumpta, si quis morti sit proximus, herba,
Forte merum tepidum bibat, euadetq; periclum.
Sed quamuis potu solet hæc assumpta nocere,
Magnificè tamen apposita solet illa iuuare.
Aestiuas mire iuuat epiphoras oculorum,
Si frons contritis folijs sit operta uirentis;
Vel si sint eius circumlita lumina succo.
Hac quoque pelluntur sacer ignis, & herpeta mordax.
Tradit Anaxilaus, si succo sæpius eius
Virgo linat mammas, sibi cum turgescere primum
Incipient, modicas semper, stantesq; manere.
Lac contritis uirens mammis superaddita siccat.
Extinguit uenerem, fluxum quoque seminis omnem,
Si pectus trita cataplasmes sæpius illa.
Argenti spumæ commiscens hanc, adipiq;,
Apponas calidæ cataplasma salubre podagræ,
Et per se tali multum prodesse probaui.
Singula quid memorem? nocuum quemcunque calorem,
Apposita trita poteris curare cicuta.

FRIGIDA lethiferæ.] Cicuta, uenenum est, publica Atheniēsium pœna inuisa: ad multa tamen usus non omittendi. Semen habet noxium. Caulis autem eius & uiridis estur plerunque, & in patinis. Lenis hic & geniculatus ut calami, nigricans, altior sæpe binis cubitis, in cacuminibus ramosus, folia coriandri teneriora, graui odoratu, semen aniso crassius, radice concaua, nullius usus. Semini & folijs refrigeratoria uis: quæ sic enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio est, priusquam perueniat ad uitalia, uini natura excalfactoria. Sed in uino pota irremediabilis existimatur. Succus exprimitur folijs floribusque: tunc enim maximè tēpestiuus est, & melior. Semine trito expressus, & sole densatus in pastillos, necat, sanguine expissando: hæc altera uis. Et ideo sic necatorū maculę in corporibus apparēt. Ad dissoluēda medicamēta utūtur illo, ꝓ aqua. Fit ex eo ad refrigerandū stomachū malagma. Præcipuus tamen est ad cohibēdas epiphoras æstiuas, oculorumque dolores sedandos circūlitus. Miscetur collyrijs, & alios oēs rheumatismos cohibet. Folia quoque tumorem omnem, doloremque & epiphoras sedant. Anaxilaus auctor est, mammas à uirginitate illitas, semper staturas. Quod certum est, lac puerperarum mammis imposita extinguit: uenerem que, testibus circa pubertatem illita. hæc Plin. lib.25. cap.13. Lethiferæ.] Mortiferæ, quam Socrates bibens, extinctus est. Vnde Persius ille Satyrus salsissimus: Barbatum crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta. Publica.] Sicut apud nos, uel laqueus, uel gladius, aut rota

rota: Magnus.] Hoc non ad corpus, sed ad animum Socratis referri debet. intrepidus enim & magno animo bibit cicutam. Venerem.] Coeundi appetitum, quem etiam cibi & potus abstinentia solet domare. Legitur in Decretis distinct. 35. ministris templi uinum prohiberi, ac siceram bibere, ne grauentur ebrietate corda eorum, ut uigeat perpetuò sensus & tenuis sit. Vel quia uenter mero æstuans, facile despumat in libidines. Vnde Noe femora ex ebrietate nudauit. Loth autem, quem Sodoma non uicit, uina uicerunt. Hinc in Apostolorum canonibus, Episcopus aut presbyter, aut diaconus, aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut damnetur.

DE PIPERE.

CARMINE descriptis paucis uulgaribus herbis,
Nunc species illas, quas iam cunctis propè notas
Vsus medendi fecit, tentabo referre.
Atque prius piperis, quod notius ipsa coquina,
Quàm medicina facit, uires puto discutiendas.
Virtutis siccæ piper asseritur, calidæq;:
Tertius esse gradus conceditur huic in utroque.
Tres sunt huic species, album, longumq;, nigrumq;.
Sed quia sunt geminæ medicis tantummodò notæ,
De specie nigra dicam quædam mihi nota.
Crudum uel coctum sumptum cum melle iugatum,
Vim digestiuam stomachi, iecorisq; iuuabit;
Morsus pestiferos curat, fastidia tollit.
Occurrit uarijs thoracis sæpe querelis.
Quodq; mouere solet frigus periodica febris
Compescit, febris si sumitur ante tremorem.
Cum lauri baccis, uel cum folijs bene tritis,
Cumq; mero tepido potatum, tormina sedat.
Et scrophas reprimit admixtum cum pice dura;
Et superappositum: rectè quoque iungitur illis,
Quæ purgare solent oculos caligine dira.
Admixtum nitro maculas cataplasmate delet.
Vsti stercoris humani cum puluere tritum
Vnà iunge piper, & sic superaddito cancris:
Experti nihil utilius hoc puluere dicunt.
Nemo potest omnes piperis describere uires:
Nanque piper fermè medicamina cuncta requirunt,
Antidotisq; solet pretiosis pluribus addi.
Hinc puto tam paucas laudes de simplici dictas,
Innumeris quod sit hoc dignum laude medelis.

CARMINE descriptis.] Dicit se nunc scripturum de speciebus. Virtutis.] Hic incipit commemorare uirtutes piperis. Piper (ut scribit Placentinus) cùm primùm germinans, longum est, ideo humidiushic uelut omphax fructus. Quod album est piper, acutius quàm nigrum: nigrum siquidem ueluti despectum iam, ac iam suprà quàm satis sit, arefaciens. utrunque admodum calefacit, ac arefacit. De pipere lege Plinium lib. 12. cap. 7. & 32. & 16. capitibus. Et lib. 6. cap. 23. Virtutis siccæ.] Hoc est, piper siccum & calidum est in utroque gradu. Huic.] Piperi. Vim digestiuam.] Virtutem pepticam. Thoracis.] Pectoris. Periodica.] Quæ certo tempore abit & redit. De febrium speciebus atque earum curatione lege Cornel. Celsum lib. 3. cap. 5. Ante tremorem.] Quod frequens dicit ante typū. Cancris.] Malo serpenti. Nanque piper.] Notandum hoc præcipuè.

DE PYRETHRO.

EST pyrethrum calidū, siccū quoque: quartus in istis
Est gradus. excruciat dentes si frigidus humor,
Masticet hoc patiens, teneatq; diutius ore.
Et iuuat admixto si gargarizetur aceto.
Hocq; modo tumidam reprimit de phlegmate linguam:
Sic uuam releuat humoris pondere pressam:
Et multis alijs uitijs sic subuenit oris.
Non modicum prodest sumptum cum melle, caducis:
Sicq; leuare solet morbum qui membra resoluit.
Suspensum collo pueris prodesse caducis
Dicitur, & solo succurrere fertur odore.
Ex oleo quo decoquitur, si corpus inungas
Ante febris motum, tollet, minuetq; rigorem.
Renum sæpe grauem fugit unguen tale dolorem.
Miram sentit opem paralyticus inde perunctus.
Non leuiter manibus fuerit si sæpe fricatus,
Vnguine si totum corpus mulcebitur isto,
Largus per poros sudor procedet apertos,
Membrorum solet hoc quemuis curare stuporem,
Et corpus seruare potest à frigore tutum.
Et medicamento soluetur tetanus isto:
Tantundem prodest si tritum soluis oliuo,
Sicq; fricando locum, quem uis medicare, perungas.

EST PYRETHRUM calidum.] πύρεθρον græcè est, cuius radice maximè utuntur, urendi habente potentiam, qua dentium refrigeratorum dolores mitigat, aduersumque rigores ambitiosarum febrium conteritur cum oleo ante iniectiones, & stupentes soporatosque iuuat. de pyrethro lege Plin. lib. 28. cap. 9. Quartus in istis.] In quarto gradu calidum est & siccum. Excruciat.] Aliud remedium aduersus carnificinam dentium. Gargarizetur.] Iterum corripit duplam, & hoc quidem non ignorantia: nec tamen est imitandus. Qui membra resoluit.] Paralysim intelligit. Vnguen tale.] Tale unguentum. Poros.] Qui sunt in corporibus foramina, per quæ sudor exitum habet. Tetanus.] De hoc malo suprà.

DE ZINZIBERE.

ZINZIBER atque piper æquales in medicina,
Dicunt; hac causa taceo de uiribus eius.

ZINZIBER atque piper.] Zinziberis radix ualidè calefacit, non iuxta primam iniectionē, ut piper; ob hoc particeps est crassarum partiū, superfluitatis aquosæ, ideo facilè sauciat. hęc Georg. Valla.

DE CYMINO.

Esse putant medici calidum siccumq; cuminum.
Tertius est illi gradus in uirtutibus istis.
Assumptum quocunque modo depellere tradunt
Viscera uexantem uentum, stomachumq; grauantem,
Et digestiuum stomachi iecorisq; calorem
Excitat, & ueneris credunt inhibere furorem,
Et fluxum uentris in aceto stringere coctum.
Hoc orthopnoicis miram praestare medelam
Experti dicunt cum posca saepius haustum.
Atque uenenosis cum uino morsibus ipsum
Praebet opem: tritumq; fabae cum polline, iuncta
Melle, repente solet testes curare tumentes:
Appositum: sistit cum posca menstrua sumptum.
Dicunt pallentem dare mansum saepe colorem.

ESSE PVTANT.] Cumini semine praecipue utuntur. est autem calefaciendi potentiae, mingendi uim habens, & exhauriendi. in tertio ordine calefacientium est. lege Plin. lib. 20. cap. 14. Tertius est.] Calidum & siccum est, dicit, in tertio gradu. De gradibus ferè ad principium quidpiam adscripsimus, pro literarum candidatis, sicuti reliqua. Veneris credunt.] Cuminum sine dubio aspernabuntur hirci isti foetidissimi & Satyri petulci, quibus magnum Venus numen est, qui uel nihil die noctuque cogitat, quàm quo modo nihil temporis consumant citra foetentis libidinis praelio. Saepe audiui senes aliquot dicentes, hoc uel illud non edo, quia dicitur uirum reddere imbecilliorem ad certamina ueneris. O mores, ò Christianos.

DE GALANGA.

Phlegmonem stomachi sumptum galanga resoluit.
Et si phlegmaticus fuerit, corroborat ipsum.
Inclusum uentum sumptum fugat interiorum.
Vim digestiuam iuuat hoc, colicisq; medetur.
Oris non modicum mansum commendat odorem,
Augmentat sumptum ueneris, renumq; calorem.

PHLEGMONEM.] Relaxat, inquit, galanga pituitã & uiscosos humores stomachi. Phlegmaticus.] Pituitosus. Corroborat.] Confirmat. Vim digestiuam.] Quam pepticam uirtutem uocat, ut diximus ante. Colicis.] Colicam passionem habentibus; quod malum primus in Italia Tyberius habuisse legitur. Veneris.] Ob hoc grata hircis, in Venerisque ministeria iuratis.

DE ZEDOAR.

Adprime sumptum zedoar obstare uenenis
Affirmant, & reptilium morsus leuat haustum.
Sumptum confortat stomachum, ructusq; salubres
Commouet, & crebro fastidia reprimit usu.
Antiquum stomachi dicunt curare dolorem,
Illud si patiens ieiuno masticet ore,
Et sic infectam sensim uoret ille salinam.
Lumbricos uentris depellere dicitur haustum.
Allia quem faciunt foetorem, pellit ab ore.
Et nimium bibiti uini depellit odorem.

ADPRIME sumptum.] Adprime, id est ualde. Teren. Nam id arbitror adprime in uita esse utile, ne quid nimis. Reptilium.] Serpentum. Allia.] Est & hoc notatu haud indignum.

DE GARIOPHYLO.

Gariophylum dicũt calidũ, siccumq; secũdo
Esse gradu; iecur & stomachum corroborat ipsum,
Et ferme cunctis ualet interioribus haustum.
Vim digestiuam mire iuuat, abstinet aluum.
Accendit uenerem, si drachmae pondere tritum
Potatum fuerit cum uaccae lacte recenti.
Vim memorem cerebri confortat saepius haustum.

VIM DIGESTIVAM.] Quę est ipsius stomachi, & peptica uirtus dicitur. Accendit.] Stimulat, irritat, & prouocat. Vim memorem.] Remedium ad confortandum memoriam. De gariophylo lege Plinium libro 12. cap. 7.

DE CINNAMO.

Cinnama tres species dicuntur habere; sed harũ
Est pretiosa magis, quae plus subtilis habetur:
Et quae plus mordet, mixta dulcedine linguam.
Humores stomachi siccat, corroborat ipsum,
Et facit acceptas ut digerat ocyus escas.
Sumptum curat epar, lotiumq;, & menstrua purgat.
Humida tussis eo sedabitur, atque catarrhus.
Hydropicis speciem, cui praebent tympana nomen,
Sumptum, non modicum reprimit, renumq; dolorem.
Reptilium morsus curat: si iungitur illis
Quae curant oculos, humores siccat aquosos.
Si bene contritum forti miscetur aceto,
Liberat appositum tetra lentigine uultum.
Sicq; iuuat morbum qui ducit ab impete nomen.
Grossa magis species, fluxus haemorrhoidarum
Stringit, aqua gelida bene si contrita bibatur,
Tempore quo nondum patiens ieiunia fregit.
De specie geminas haec quaerit potio drachmas.

CINNAMA tres species.] Cinnamum cum cinnamomo putant esse idem. Et tres species habere dicitur. Hydropicis.] Aqua intercute laborantibus. Huius morbi tres sunt species. Nam modò uentre uehementer intento, creber intus ex motu spiritus sonus est. Modò corpus inaequale est, tumoribus aliter aliterque per totum orientibus. Modò intus in unum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur,

uetur, ut impetus eius conspici possit. Primum τυμπανίτην, secundum λευκοφλεγματίαν, tertium ἀσκίτην Græci nominant, auctor Celsus lib. 3. cap. 21. Et modò clarum est, quod dicit, cui præbent tympana nomen.

Lentigine.] Macula. Impete.] Impetiginem intelligit, hoc est fœdationem cutis cum pruritu serpentem. de hoc malo in libro de medicina sic Serenus Sammonicus:

Si uerò uitium est, quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere saliua,
Seu folio platani, quod mansum mane uorabis.
Fœda fluunt curui quæ purgamenta cameli,
Vruntur, cineremque dabunt, iungentur aceto
Mascula thura, simul diuinaque cura ualebit.

Hæmorrhoidarum.] Hoc malum suprà diximus esse in sede, quando uenarum ora sanguinem effundunt. Drachmas.] Constat drachma XVIII. siliquis, id est tribus scrupulis.

DE COSTO.

COSTI sunt geminæ species: grauis una, rubensq;
Est, & amara nimis. hæc indica dicitur esse.
Altera uerò leuis, nec amara, colore subalba.
Hanc Arabes mittunt; prior utilior medicinæ.
Vrinas purgant, & eis obstantia pellunt.
Splen curant plene, lateris; fugare dolorem
Dicunt, cum uino tepido si sumpserit æger.
Menstrua purgabunt si se suffumiget illis
Fœmina: sic etiam uuluæ sedare dolorem
Dicunt, aut ex his sibi si pessaria subdat.
Lumbricos pellunt, purgant lentigine uultum,
Si tritis cum melle linas: ueneremq; mouere
Dicuntur, si sint cum mulsa sumpta tepenti.
Ex oleo, costum quo coxeris, illine quemuis
Ante febris typum, reddes à frigore tutum.
Subuenit hoc schiasi, membrisq; stupentibus unguen.
Antiquum uulnus citò purgat puluis eorum.

COSTI sunt geminę.] Radix costi gustu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili. Primo statim introitu amnis Indi in Patale insula, duo sunt eius genera: nigrum, & quod melius, candicans. Pretiū in libra XVI. Auctor Plin. lib. 12. cap. 12. Geminæ.] Duę. Indica.] Ab Indo flumine. Hanc.] Subalbam, quam Plinius candicantem dicit. Arabes.] Horum regio Arabia ultra Pelusiacum ostium est, ad rubrum pertinens mare. Et est triplex: una felix, alia petræa, alia deserta. Pessaria.] Pessarium, genus medicaminis. Ante febris typum.] Ante tremorē febris. Schiasi.] Ischię. Nec hoc docti agnoscunt uocabulum.

DE SPICA.

ESSE gradu primo calidam, siccamq; periti
Testantur spicam, quæ dicitur indica nardus.
Confortat potata iecur, stomachiq; dolores
Mitigat, & renes illius apoxima purgat:
Vesicam iuuat, urinas & menstrua pellit.
Ictericis prodest, nociuisq; humoribus obstat,
Quos caput ad pectus transmittit sæpe per uuam.
Puncturas aufert, & morsus interiorum.
In stomacho clausum solet hausta repellere uentum.
Matricis nimium restringit subdita fluxum.
Cum gelida si detur aqua, sedare tremorem
Dicitur hæc cordis, & nausea sistitur inde.
Excitat hæc uenerem, cum cepa sumpta liquore.
Duritias stericas elixatura resoluit,
Eius fomento per partes inferiores.
Lumina si tepida foueantur sæpius illa,
Affirmant acri prurigine libera reddi.
Palpebræq; pili bene confortantur eadem.
Est nardi species, quæ celtica spica uocatur,
Celtarum tantum quæ nascitur in regione.
Omnia quæ nardus ualet indica, dicitur ista
Posse, licet uires uideatur habere minores.

ESSE gradu primo.] Nardostachys, nardi spica, calefacit quidem in prima (ut scribit ex Dioscoride, Placen.) distantia, arefacit aūt in secunda completa. constat autem ex acerbescente aliquantum essentia, & cicuta non admodum calida, & quodam subamaro breui: unde congruit admodum tum iecori, tum stomacho pota, & extrinsecus apposita, & urinam mouet, morsus ac uellicationes dimouet & curat stomachi, arefacit quoque in uentre & intestinis fluctuationes. Pręterea confert & capiti, & thoraci. Validior autem est indica, quæ syriaca nigrior est. Est nar.] Nardus celtica propemodum eiusdem potentiæ est, quæ etiam memorata, nisi quòd in cunctis imbecillior, nisi ad mouendam urinam: calidior siquidem alijs, minus uerò acerbescit.

DE THVRE.

THVS calidum, siccumq; gradu dixère secundo.
Lumina clarificat, lacryma si soluitur oui,
Contritum uel fœmineo cum lacte tepenti.
Acri cum uino tritum, pice, lacteq; mixtis,
Vulnera præcipuè curare recentia dicunt.
Pingui porcino mixtum, medicabitur ustis.
At mixtum melli planaritias decutit unguis.
Thus bene contritum, uinoq; tepente solutum,
Affirmant auri multum prodesse dolenti.
Tritum cum creta cimolia, sicq; rosato
Permixtum, mammas dicunt curare tumentes.
Nil credunt hæmophthisicis magis auxiliari,
Admixto uino si sumatur, uel aceto.
Thus cum lacte terens muliebri, si superaddas
Vlceribus, fieri quæ sæpe uidentur in ano,
Aut alio quocunque loco, medicabitur illis.
Huic aloë iungens, lacrymamq; albuminis oui,

Sic ut fit spissum, secta superaddito uena,
Aut his uulneribus, nimio quae sanguine manant:
Nec soluas, nisi comperias diuisa coisse.
Si sit opus, medicamen idem superadde priori,
Donec firmari ualeat solidata cicatrix.
Affirmant melius nil sistere posse cruorem.
Vim memorem cerebri proprio confortat odore.
Origano iunctum si quis commasticet ipsum,
Humores capitis nocuos per sputa repellit.
Alleuat ista grauem capitis purgatio linguam.
Anseris aut anatis mixta pinguedine thuri,
Fit cataplasma ualens membris quae laeserit ignis.

THVS calidum.] Thura (ut scribit Plin.) praeter Arabiam nullis, ac ne Arabiae quidem uniuersae. lege Plin.lib.12. Albuminis.] Albumen, quod est in ouo album. Vitellus uerò, quod croceum. Sectae.] Incisae. Affirmant.] Notatu multo dignissimum. Vim memorem.] Ne hoc nō notādum.

DE ALOE

SVNT aloë species geminae: quae subrubet, & quae
Intus sicut epar cum frangitur, haec epatica
Dicitur, & magnas habet in medicamine uires.
Vilior est piceo quae fracta colore uidetur.
Phlegmate mundificat stomachum, caput, articulosq;.
Leniter humorem nocuum purgando per aluum,
Ictericos purgat, iecoris iuuat interiora.
Vulnus quodque recens putredine purgat ab omni
Illius iniectus puluis, siccandoq; sanat.
Ventris praecipuè dicunt & testiculorum
Vlcera curari, uel uulnera puluere tali.
Si soluatur aqua, iuuat apostema labrorum,
Et naris superappositum, nec non oculorum
Liuoremq; fugat sic circa lumina factum.
Acri cum uino miscens, oleoq; rosato,
Vnge dolens caput, & frontem, mireq; iuuabit.
Vnguine pruritus sedabitur hoc oculorum.
Cum uino bene contritum, cataplasmaq; factum
Confortat, retinetq; pilos quoscunque cadentes.
Linguae, gingiuis, uitiis quoque subuenit oris,
Si refricetur eo cum uino melleq; trito.
Hoc sumptum per se uentrem non soluit acutè.
Esse tamen stomacho putat Oribasius aptum.
Cum laedant illum soluentia caetera uentrem:
Illius geminas cum mulsa sumere drachmas
Idem praecepit, choleram sic, phlegmaq; purgat.
Vnaquaque die post coenam sumere dixit
Vtile tres eius pilulas, binasue, uirentis
Cum succo caulis formatas, ut faba grossas,
Aut cicer; humores nocuos cum stercore purgat,
Non corrumpendo stomachum, nec uim faciendo.
Purgatus pilulis fuerit qui saepius istis,
Vix unquam capitis uexabitur ipse dolore.
Et nihil est oculis, mihi crede, salubrius istis.
Si uerò duram uis soluere largius aluum,
Partibus est geminis pars admiscenda terendo
Vna diagridij; sic apta solutio fiet.

SVNT aloë spe.] Aloë scyllae similitudinem habet, maior & pinguioribus folijs, ex obliquo striata. Laudatissima ex India adfertur. Natura eius spissare, densare, & leniter calefacere. Vsus in multis, & principalis aluum soluere, cum penè sit sola medicamentorum, quę per se id praestant. Confirmat etiam stomachum, adeo, ut non infestet ulla uis contraria. bibitur drachma. Ad stomachi uerò dissolutionem, in duobus cyathis aquae tepidae uel frigidae, cochlearis mensura, bis ter'ue in die ex interuallis, ut res exigit. Purgationis etiā cā, plurimum tribus drachmis. Efficacior si pota ea sumatur cibus. Capillum fluētem cōtinet cum uino austero, capite in sole contra capillum perūcto. Dolorem capitis sedat, temporibus & fronti imposita, ex aceto & rosaceo, dilutiorque infusa, oculorum uitia omnia sanari ea cōuenit, priuatim pruritigines & scabiem genarum. item insignita ac liuida, illita cum melle, maximè pontico; tonsillas, gingiuas, & omnia oris ulcera. Sanguinis excreationes, si modicè sint, drachmae pondere ex aqua; si minus, ex aceto pota. Vulnerum quoque sanguinem, & undecunque fluentem sistit per se, uel ex aceto. Aliàs etiam est uulneribus utilissima, ad cicatricem perducens. Eadem inspergitur exulceratis genitalibus uirorum, condylomatis, rimisque sedis aliàs ex uino, aliàs ex passo, aliàs sicca per se, ut exigit mitiganda curatio, aut coercenda. Haemorrhoidum quoque abundantiam leniter sistit. Dysenteriae infunditur. Et si difficilius coquantur cibi, bibitur à coena modico interuallo. Et in regio morbo, tribus obolis ex aqua. Deuorantur pilulae cum mellis decocto, aut resina terebinthina; ad purganda interiora. Digitorum pterigia tollit. Oculorum medicamentis lauatur, ut quod sit harenosissimum, subsidat. Aut torretur in testa, pennaque subinde uersatur, ut possit aequaliter torreri. haec Plin. Humores noc.] Vt sunt maximè uiscosi, qui multorum malorum causa sunt. Non corrumpendo.] Quia si stomachus corrumpitur, qui possunt reliqua membra salua manere? Qui uelit multa super stomachi ratione, legere & minimè protrita, legat Coelium antiq. lectionum lib. 3. cap. 43.

FINIS.

STRABI GALLI POETÆ ET THEOLOGI DOCTISSIMI, AD GRIMALDVM

(Cape e manuscripto.)

COENOBII S. GALLI ABBATEM, HORTVLVS.

Præfatio.

PLVRIMA tranquillæ cum sint insignia uitæ,
Non minimũ est, si quis Pestanæ deditus arti,
Nouerit obscœni curas tractare Priapi.
Rus enim quæcunque datur possessio, seu sit
Putris, arenoso qua torpet glarea tractu:
Seu pingui molita graues uligine fœtus:
Collibus erectis alte sita, siue iacenti
Planicie facilis cliuo, seu uallibus horrens,
Non negat ingenuos olerum progignere fructus:
Si modo non tua cura, graui compressa ueterno,
Multiplices olitoris opes contemnere stultis
Ausibus assuescit, callosasque ære diurno
Detrectat fuscare manus, & stercora plenis
Vitat in arenti disponere puluere qualsis.
Hæc non sola mihi patefecit opinio famæ
Vulgaris, quæsita libris nec lectio priscis:
Sed labor & studium, quibus otia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.

De Culturæ initio. Cap. II.

BRVMA, senectutis uernacula, totius anni
Venter, & amplissimi consumptrix sæua laboris,
Veris ubi aduentu, terrarum pulsa sub imas
Delituit latebras, uestigiaque horrida auaræ
Ver hyemis, reduci rerum delere pararet
Sterilitate, & antiquo languentia rura nitori
Reddere, uer orbis primum caput & decus anni.
Purior aura diem cum iam referare serenum
Inciperet, zephyrosque herbæ, floresque sequuti
Tenuia porrigerent radicis acumina, cæco
Tecta diu gremio, canasque exosa pruinas:
Cum sylvæ foliis, montes quoque gramine pingui,
Prataque conspicuis uernarent læta uirectis;
Atriolum, quod pro foribus mihi parua patenti
Area uestibulo solis conuertit ad ortum,
Vrticæ implerunt, campique per æquora parui
Illita feruenti creuerunt tela ueneno.
Quid facerem? tam spissus erat radicibus infra
Ordo catenatis, uirides ut texere lentis
Viminibus crates stabuli solet arte magister:
Vngula cornipedum si quando humore nocetur
Collecto, putres imitatur marcida fungos.
Ergo moras rumpens Saturni dente, iacentes
Aggredior glebas: torpentiaque arua, reuulsis
Sponte renascentum complexibus urticarum
Erigo, & umbriculis habitata cubilia talpis
Diruo, lumbricos reuocans in luminis oras.
Inde noti coquitur flabris, solisque calore
Areola: & lignis ne diffluat, obsita quadris,
Altius a plano modicum resupina leuatur;

Caput I.

Tota minutatim rastris contunditur uncis;
Et pinguis fermenta fimi super insinuatur.
Seminibus quædam tentamus oluscula, quædam
Stirpibus antiquis priscæ reuocare iuuentæ.
Denique uernali interdum conspergitur imbre
Parua seges, tenuesque fouet præblanda uicissim
Luna comas; rursus si quando sicca negabant
Tempora roris opem, culturæ impulsus amore
(Quippe siti metuens graciles torpescere fibras)
Flumina pura cadis inferre capacibus acri
Curaui studio, & propriis infundere palmis
Guttatim, ne forte uelocior impetus undas
Ingereret nimias, & semina iacta moueret.
Nec mora, germinibus uestitur tota tenellis
Areola: & quanquam illius pars ista sub alto
Arescat tecto, pluuiarum & muneris expers
Squalleat aerei, pars illa perennibus umbris
Diffugiat solem, pars hæc quia celsior, ignei
Sideris accessum lateris negat obice duri:
Non tamen ulla sibi fuerant quę credita pridem,
Spe sine crementi pigro sub cespite clausit.
Quin potius quæ sicca feret translata, subactis
Suscepit scrobibus, rediuiuo plena uirore
Restituit, reparans numeroso semina fructu.
Nunc opus ingeniis, docili nunc pectore & ore,
Nomina quo possim, uiresque attingere tantę
Messis, ut ingenti res paruę ornentur honore.

De Saluia. Cap. III.

ELELIFAGVS prima pręfulget honore locorum
Dulcis odore, grauis uirtute, atque utilis haustu.
Pluribus hęc hominum morbis prodesse reperta,
Perpetuo uiridi meruit gaudere iuuenta.
Sed tolerat ciuile malum: nam sæua parentem
Progenies florum, fuerit ni dempta, perurit.
Et facit antiquos defungier inuida ramos.

De Ruta. Cap. IIII.

HOC nemus umbriferũ pingit uiridissima rutę
Syluula cerulee, foliis quę prædita paruis,
Vmbellas iaculata breues, spiramina uenti,
Et radios Phœbi, caules transmittit ad imos,
Attactuque graues leni dispergit odores.
Hęc cum multiplici uigeat uirtute medelę,
Dicitur occultis adprime obstare uenenis,
Toxicaque inuasis incommoda pellere fibris.

De Abrotono. Cap. V.

NEC minus abrotoni promptum est mirarier alte
Pubentis frutices, & quas inspicat aristas

Admonitio — Hunc Strabum cum suo comentario cape e libro meo manuscripto, auctoris versus, & nostros comentarios complectente.

Ramorum ubertas, tenues imitata capillos.
Huius odoratum lento cum uimine crinem
Pronijs calpturis prodest miscere medelis,
Febribus obstat enim, telum fugat, adiuuat artus
Quos incerta premit furtiuæ iniuria guttæ.
Præterea tot habet uires, quot fila comarum.

De Cucurbita. Cap. VI.

HAVD secus altipetax, semente cucurbita uili
Assurgens, parmis foliorum suscitat umbras
Ingentes, crebrisque iacit retinacula ramis.
Ac uelut ulmum hedera implicuit cu frondibus alta,
Ruris abusque imo toti sua brachia circum
Laxa dedit ligno, summumque secuta cacumen,
Corticis occuluit uiridi tutamine rugas:
Aut arbustiuum uitis genus, arbore cum se
Explicuit quauis, ramorumque alta corymbis
Vestit, & propria sursum se sponte leuauit,
Visitur ergo rubens aliena in sede racemus
Dependere, premit tabulata uirentia Bacchus,
Pampinus & frondes discernit latior altas.
Sic mea sic fragili de stirpe cucurbita surgens,
Diligit appositas, sua sustentacula, furcas,
Atque amplexa suis uncis tenet unguibus alnos.
Ne uero uesano diuelli turbine possit,
Quot generat nodos, tot iam retinacula trudit.
Et quoniam duplicem producunt singula funem,
Vndique se fulcitam dextra læuaque prehendunt.
Et uelut intusum neptes cum pensa puellæ
Mollia traiciunt, spirisque ingentibus omnem
Filorum seriem pulchros metantur in orbes;
Sic uagi tortilibus stringunt amenta cathenis
Scalarum, teretes inuoluuntque illico uirgas,
Viribus & discunt alienis, tecta casarum
Ardua porticuum uolucri superare natatu.
Iam quis poma queat ramis pendentia passim
Mirari digne? quæ non minus undique certis
Sunt formata uijs, quam si tornatile lignum
Inspicias medio rasum, quod mymphure, constat.
Illa quidem gracili primum demissa flagello,
Oblongo, tenuique ferunt ingentia collo
Corpora, tum uastum laxatur in illa pondus;
Totum uenter habet, totum aluus, & intus aluntur
Multa cauernoso seiunctim carcere grana,
Quæ tibi consimilem possint promittere messem.
Ipsis quinetiam teneri sub tempore fructus
Ante humor quam clausa latens per uiscera sero
Autumni aduentu rarescit, & arida circum
Restiterit cutis, inter opes transire ciborum
Sepe uidemus, & ardenti sartagine pinguem
Combibere arumnam, & placidum segmenta saporē
Ebria multoties mensis prestare secundis.
Si uero estiui siccatur spiramina solis
Cum genitrice pati, & matura falce recidi;
Idem tostus in assiduos formarier usus
Vasorum poterit, uasto dum uiscera uentre
Egerimus, facili radentes illa torno.
Nonnunquam hac ingens sextarius abditur aluo,
Clauditur aut potior mensure portio plene,
Amphora: que piceo linitur dum glutine, seruat
Incorrupta diu generosi dona Lyei.

De Peponibus. Cap. VII.

HOC simul in spatio, campi quo bigitur imis
Hec tam leta seges, uili quam carmine pinxi,
Visitur alterius satis genus acre, per equor
Serpere puluereum, & fructus nutrire rotundos
Pomorum, hec species, terre super arida uulgo
Tecta iacens, crementa capit pulcherrima, donec
Solibus estiuis flauos intincta colores,
Messoris calathos matura fruge replerit.
Tum uideas alijs oblongo stemmate uentrem
Demissum, nucis aut butiliestatilis instar:
Vel qualis manibus quondam suspensa supinis
Lucet, agens circum lomenti bulla saliuam,
Ante recens maceratur aquis quam spuma refusa
Dum lentescit adhuc digitis luctantibus, & se
Alternis uicibus, studioque fricantibus uno,
Inter utranque manum, paruo fit paruus hiatu
Exitus: hic stricto lenis meat ore Notus, is
Distenditque cauum uitrea sub imagine pondus,
Et centrum medio confingit labile fundo.
Vndique conueniat camera quo inflexio tecti.
Ergo chalybs huius penetrat dum uiscera pomi,
Elicit humores largos cum semine siuos
Multiplici: tum deinde cauum per plurima tergus
Frusta manu spargens hortorum letus opimas
Delicias conuiua capit, candorque saporque
Oblectant fauces: nec duros illa molares
Esca stupere facit, facili sed mansa uoratu,
Vi naturali frigus per uiscera nutrit.

De Absinthio. Cap. VIII.

PROXIMVS absinthi frutices locus erigit acris,
Herbarum matrem simulantes uimine lento.
In folijs color est alius, ramisque odor alter
Puberibus, longeque saporis amarior haustus.
Feruentem domuisse sitim, depellere febres
Hoc solet auxilium clara uirtute probatum.
Si tibi preterea caput acri forte dolore
Pulsetur subito, uel si uertigo fatiget;
Huius opem sumere, coquens frondentis amaram
Absinthi syluam, tum iura lebete capaci
Effunde, & capitis perfunde cacumina summi.
Quo postquam abluens graciles humore capillos,
Deuinctas frondes super imposuisse memento,
Tum mollis fotos constringat fascia crines,
Et post non multas elapsi temporis horas,
Hoc inter reliquas eius mirabere uires.

De Marrhubio. Cap. IX.

QVID referã mixta positi, nimiumque potentis
Marrhubij non uile genus; licet acrius ora
Mordeat, & longe gustum distinguat odore.
Dulce enim olet, nõ dulce sapit; sed pectoris egros
Comprimit angores, tristi dum sumitur haustu;
Precipue talis caleat si potus ab igni,
Et cœnam cyathis cogatur claudere crebris.
Si quando infensę quęsita uenena nouercę
Potibus immiscent, dapibus ue aconita dolosis
Tristia confundunt; exemplo sumpta salubris
Potio marrhubij, suspecta pericula prestat.

De Fœniculo. Cap. X.

NEC marathri taceatur honor, quod stipite forti
Tollitur, & late ramorum brachia tendit;
Dulce satis gustu, dulcem satis addit odorem.
Hoc oculis quos umbra premit, prodesse loquuntur.
Huius item semen, fœtæ cum lacte capellæ,
Absumptum

Absumptum, uentris fertur mollire tumorem,
Cunctantisque moras dissoluere protinus alui.
Pręterea radix marathri commixta liquori
Lenæo, tussim percepta repellit anhelam.

De Gladiola. Cap. XI.

TE neque transierim, Latiæ cui libera linguę
Nomine de gladij nomen facundia finxit.
Tu mihi purpurei progignis floris honorem,
Prima ęstate gerens uiolę iucunda nigellę
Munera, uel qualis mensa sub Apollinis alta,
Infestis pueri pro morte recens Hyacinthus
Exijt, & regis signauit uertice nomen.
Radicis ramenta tuę siccata, fluenti
Diluimus contusa mero, seuumque dolorem
Vesicę premimus tali, non secius arte
Pignore fullo tuo, lini candentia texta
Efficit ut rigeant, dulcesque imitentur odores.

De Lybistico. Cap. XII.

INTER odoratam memorare lybistica syluā
Fortia, suadet amor parui diffusior horti.
Hoc germen succo quamuis & odore, gemellis
Orbibus officere, & tenebras inferre putetur;
Semine sępe tamen quęsitis addere curis
Parua solent, famamque aliena laude mereri.

De Cærefolio. Cap. XIII.

QVAE tot bellorum, tot famosissima rerum
Magnarum monumenta sacro pia conficis ore,
Exiles Erato non dedignare meorum
Diuitias olerum uersu perstringere mecum.
Infirmis diuisa licet Macedonia ramis
Spargitur, & crebris ignobile semen aristis
Sufficit; illa tamen toto reparabilis anno,
Pauperiem largo solatur munere plebis.
Indignę! nec non restringere sanguinis undas
Corpore diffusas, facili solet obuia gustu.
Illa quoque infesto uenter dum forte dolore
Turbatur, fomenta super non irrita ducit,
Pulegium sibimet frondesque papaueris addens.

De Lilio. Cap. XIIII.

LILIA quo uersu candentia, carmine quo ue
Ieiunę macies satis efferat arida musę?
Quorum candor habet niuei simulachra nitoris:
Dulcis odor, syluas imitatur flore Sabeas.
Non parius candore lapis, non nardus odore
Lilia nostra premis: nec non si perfidus anguis
Ingenitis collecta dolis serit ore uenena
Pestifero, cęcum per uulnus ad intima mortem
Corde feram mittens: pistillo lilia pręstat
Commacerare graui, succosque haurire falerno:
Si quod contusum est, summo liuentis in ore
Ponatur punctum, tum iam dinoscere uires
Magnificas huiusce datur medicaminis ultro.
Hæc & iam laxis prodest contusio membris.

De Papauere. Cap. XV.

ET cereale quidem nugarum in parte papauer
Hac memorare placet, quod raptæ mœsta puellæ
Mater, ut immensis optata obliuia mentem
Exueret curis, fertur Latona uorasse.
Hoc simul auxilio carbunculus ater, ab imo
Pectore qui ructus nimium conuoluit amaros
Oris adusque fores, reprimi persæpe uidetur.
Huius ad alta, caput, granorum semine fœtum,
Protento fragili que solet se tollere collo,
Inque modum mali, regio cui Punica nomen
Indidit, unius patulo sub pellis amictu,
Grana celebrandæ uirtutis plurima claudit;
Deque sono mandentis habet formabile nomen.

De Sclarea. Cap. XVI.

HIC umbrosa nouos inter Sclarea uirores
Stipite præualido assurgens, ramosque, comasque
Altius extollit: quæ quamuis rarius ulli
Quęsita auxilio, medicorum penè putetur
Effugisse manus; dulcis tamen indita caldæ,
Et uires & odorati fermenta saporis,
Præstat; eam iuxta hortensis non extima costi
Sylua latet, stomachique moras uetremque salubri
Prouocat auxilio, radicis munere coctę.

De Mentha. Cap. XVII.

NEC mihi defuerit uulgaris copia menthę,
Multa per & genera & species diuersa, coloresque
Et uires; huius quoddam genus utile uocem
Raucisonam claro rursus redhibere canori
Posse putant, eius succos si fauce uorarit
Ieiuna, quem crebra premens raucedo fatigat.
Est aliud prępingue genus huiusce frutecti,
Quod iam non parui diffundat germinis umbras;
Celsa ebuli sed more petens, à stipite forti
Vndique maiores foliorum prorogat alas;
Quis odor alter inest, pauloque immitior haustus.
Sed si quis uires, species, & nomina menthę
Ad plenum memorare potest; sciat ille, necesse est,
Aut quot Erythręo uolitent in gurgite pisces;
Lemnius aut altum quot in aera Mulciber ire
Scintillas uastis uideat fornacibus Aetnę.

De Puleio. Cap. XVIII.

NON patitur cunctas angustia carminis huius
Pulei uirtutes celeri comprendere uersu.
Hoc apud Indorum tanti constare peritos
Fertur, apud Gallos quanti ualet Indica nigri
Congeries piperis. quis iam dubitare sinetur,
Hac herba plures leniri posse labores?
Quam pretijs inhiantes emit ditissima tantis
Gens, hebenoque auroque fluens, & mira uolenti
Queque ferens mundo, o magis laudanda tonantis
Virtus & ratio, nullis quę munera terris
Larga suę non pandit opis, quę rara sub isto
Axe uidere soles, alijs in partibus horum
Copia tanta iacet, quantam uilissima tecum
Efficiunt: rursus quędam quę spreta uidentur
Forte tibi, magno mercantur ditia regna;
Altera ut alterius potiatur fœnore tellus,
Orbis & in toto per partes una domus sit.
Puleium quam decoctum curabit amice
Et potu & fotu stomachum (mihi crede) morantē.
Dum canimus quę certa graui ratione tenemus;
Quędam audita, & iam uero miscere cothurno
Fas ususque finit: ramum coniungito pulei
Auriculę, ne forte caput turbauerit ęstus
Solis, in aerio si te perflarit aperto.
Quod nisi me currens deponere uela Thalia
Cogeret, ac tandem portus intrare moneret;
Hinc tibi multiplices poteram decerpere flores.

De Apio. Cap. XIX.

QVAMVIS in nostris apium uilesceret hortis,
Et solito id multi prodesse sapore notarent;
Plura tamen proprijs medicamina uiribus, acri

Exhibet auxilio; cuius si trita capellas
Semina, torquentes urinæ frangere tricas.
Dicitur ipsum etiam tenero cum germine mansum,
Concoquit errantes stomachi penetralibus escas.
Corporis hunc regem turbans si nausea uexet,
Mox apium lympha tristique bibatur aceto,
Passio tum celeri cedet deuicta medelæ.

De Betonica. Cap. XX.

MONTIBVS & syluis, pratis & uallibus imis
Bettonicæ pretiosa licet collectio cunctis
Pene locis superet passim; tamē hāc quoque noster
Hortus habet, cultaque docet mansuescere terra.
Hæc tantum meruit generali nomine laudis,
Vt si quid mea musa uelit superaddere, tandem
Mole operis deuicta sui, iam sentiat, illa
Vtilitate minus quidquid deprompserit, esse.
Hanc uiridem si forte tuos conferis in usus,
Carpere, siccatam ue hyemi deponere pigræ,
Turbida siue tuas oblectant pocula fauces,
Seu potius longo tibi defecata labore
Dona placent, huius uirtus mirabilis herbæ
Omnia sufficiet: quam quosdam pendere tanti
Nouimus, ut contra, totum si iniuria corpus
Impetit interius, muniti uiribus eius,
Sese posse rati, soleant haurire diebus
Continuis hoc ære genus medicaminis almi.
Præterea caput infesto si uulnere fractum
Tabuerit, tum crebra terens imposito sacræ
Tegmina bettonicæ, statim mirabere uires
Illius, in solidum fuerit dum clausa cicatrix.

De Agrimonia. Cap. XXI.

HIC quoque Sarcocolam, campos que plurima passim
Vestit, & effœtis syluarum inuenta sub umbris
Nascitur, ordinibus facile est discernere pulchris.
Hæc præter uarijs latæ uirtutis honorem,
Trita domat uentris prædirum & pota dolorem.
Si quæ forte chalybs intensus uulnera membris
Indiderit nostris, huius tentare iubemur
Auxilium, partique imponere tonsa patenti
Germina, maturum nacturi hac arte uigorem;
Si tamen addatur mordens cataplasmati acetum.

De Ambrosia. Cap. XXII.

HAVD pcul Ambrosiā uulgò quā dicere mos est,
Erigitur; laudata quidem. sed an ista sit illa,
Cuius in antiquis creberrima mentio libris
Fit, dubium est multis. Medici tamen arte suapte
Hanc ut cuique colunt. tantum ue sanguinis hausta
Absumit, quantum potus ingesserit aluo.

De Nepeta. Cap. XXIII.

HERBARVM in numero, quas hortulus ille recenti
Semper prole creat, nepetæ non segnior exit
Surculus, urticam foliis simulans, suo alto
Vertice pergratum latè largitus odorem.
Hec uarijs olim morborum accommoda curis,
Non extrema alias inter decernitur herbas.
Huius enim succus roseo commixtus oliuo,
Efficit unguentum, læsæ quod uulnera carnis,
Atque cicatricum deformia signa nouarum,
Posse abolere aiunt, prisco reparare nitori;
Et reuocare pilos, plagæ quos forte recentis
Pestis hiulca tulit, sanie taboque perosos.

De Raphano. Cap. XXIIII.

HINC raphanū radice potēs, latoque comarum

Tegmine sublatum, extremus facit ordo uideri.
Cuius amara satis, quatienti uiscera tussim,
Mansa premit radix; triti quoque seminis haustus
Eiusdem uitio pestis persæpe medetur.

De Rosa. Cap. XXV.

IAM nisi me fessum uia longior indupediret,
Scrupeus atque noui tereretur carminis ordo;
Debuerant tributa rosæ pretiosa metallo
Pactoli, & niueis Arabum circundare gemmis.
Hec, quia non Tyrio Germania tingitur ostro,
Lata nec ardenti se Gallia murice iactat,
Eu ea purpureis reparat crementa quotannis,
Vbertum floris; tantum qui protinus omnes
Herbarum uicisse comas, uirtute & odore
Dicitur, ut meritò florum flos esse feratur.
Inficit hic oleum proprio de nomine dictum;
Quod quam sæpe siat mortalibus utile curis,
Nec meminisse potest hominū, nec dicere quisquā.
Huic famosa suos opponunt lilia flores,
Longius horum & iam spirans odor imbuit auras.
Sed si quis niuei candentia germina fructus
Triuerit, asperso mirabitur ilicet omnem
Nectaris ille fidem celeri periisse meatu.
Hoc quia uirginitas fama subnixa beata
Flore nitet, quam si nullus labor exagitarit
Sordis, & illiciti non fregerit ardor amoris,
Flagrat odore suo. Porro si gloria pessum
Integritatis eat, fateor, mutabit odorem.
Hec duo nanque probabilium genera indyta florū
Ecclesiæ summas signant per secula palmas:
Sanguine martyrij carpiunt quæ dona rosarum;
Liliaque in fidei gestant candore nitentis.
O mater uirgo, fœcundo germine mater,
Virgo fide intacta, sponsi de nomine sponsa,
Sponsa, columba, domus, regina, fidelis amica,
Bello carpe rosas, læta arripe lilia pace.
Flos tibi scēptrigero uenit generamine Iesse,
Vnicus antiquæ reparator stirpis & auctor.
Lilia qui uerbis uitaque dicauit amœna,
Morte rosas tingens, pacemque & prælia membris
Liquit in orbe suis, uirtutem amplexus utranque:
Præmiaque ambobus seruans æterna triumphis.

Dicatio Opusculi.

HAEC tibi seruitij munuscula uilia parui
Strabo tuus, Grimalde pater doctissime, seruus
Pectore deuoto, nullius ponderis offert.
Vt cum conseptu uiridis consederis horti
Super opacatas frondenti germine malos,
Persicus imparibus crines ubi diuidit umbris;
Dum tibi cana legunt tenera lanugine poma
Ludentes pueri, schola lætabunda tuorum,
Atque uolis ingentia mala capacibus indunt,
Grandia conantes includere corpora palmis:
Quo moneare, habeas nostri pater alme, laboris,
Dum relegis, quę dedo uolens, interque legendum,
Vt uitiosa seces, deposco, placentia firmes.
Te Deus æterna faciat uirtute uirentem,
Immarcescibilis palmam contingere uitæ,
Hoc pater, hoc natus, hoc spiritus annuat almus.

FINIS.

Commentarios nostros in hunc Strabonem habes manu separatim descriptos, & paratos ut cudantur, [illegible]

CAELII AVRELIANI SICCENSIS IN QVINQVE LIBROS CHRONION PRAEFATIO.

Admonitio. Cape e paruo exemplari Lugdunensi à me correct. & auctum altera parte De acutis morb.

PRAESCRIPTIS celerum passionum libris, tardarum placet curationes ordinare, quæ solo suprapositionis tempore superioribus similes, in lenimento uero uaria recorporatione formantur, & peritis medicinæ claram æternamq; gloriam quærunt. Celeres enim, uel acutæ passiones etiam sponte soluuntur, & nunc fortuna, nunc natura fauente. Quo fit, ut ignari homines elati sæpe medicos fugiant, cum hos prouentus incantationibus nouis ac ligamentis adscribant, aut fortunæ, cum quoties repentino nuncio læti aut territi ægrotantes, mutatione quadam corporis morbos excludunt, uel ea per intemperantiam gerunt, quæ ratione occulta sibi profutura nescientes, duce desperatione committunt: in utrunque enim faciles celeres passiones accipimus: pelluntur enim aut fluore sudoris, aut sanguinis per nares, aut uentris. Chroniæ autẽ uel tardæ passionis morbi, qui iam præiudicio quodam corpora possederint, solius medici peritiam poscunt, cum neque natura, neque fortuna soluantur. Podagram denique, uel phthisin, aut elephantiasin, uel similes tarditate passiones resolui, nulli sectarum principes meminerunt, sicut sæpe febres acutæ soluuntur. Hinc denique Græci ASCLEPIVM nomen sumpsisse dixerunt, quod dura curando primus superauerit uitia. Scribentium igitur medicinam nullus ante Themisonem tardarum passionum curationes principaliter ordinauit. Alij uero has omnino tacuerũt, tanquam impossibiles iudicantes, uel incurabilium passionum: alij aliptarum officio transmittendas crediderunt: alij disperse atque de alijs passionibus scribentes, ut podagra, sanguinis fluore, hydropismo, paralysi, alopecia, uel quartanis typis, ut Erasistratus & Asclepiades. Themison autem tardarum passionum III libros scripsit. Item Thessalus secundo libro Regulari earum curationem ordinauit. Dehinc Soranus plenissime cunctarum diligentiam tradidit, atque speciale corpus scripturæ formauit, de passione capitis initia sumens: quod nos quoque faciendum assumimus.

Admonitio: Aurelianum hunc, altera parte sui auctum, à me multis correctum locis, reperies in minori volumine excusum Lugdum. Huc ergo transfer.

CAELII AVRELIANI SICCENSIS CHRONION
LIBER PRIMVS.

De Capitis paßione, quam Græci Cephalæan nominant. Cap. I.



A PARTE corporis quæ patitur, passio nomen accepit: nam cephalen Græci caput uocauerunt. Generatur autem sæpius perfrictione aut frigiditate, aut e contrario solis exustione, aut continuatione uigiliarum: sed uehementius fœminas tenet ob diligentiam capillorum. Sequitur in passione constitutos dolor uehemens capitis totius, aut dimidij, quę consueto nomine hemicraneam uocant: uel certe temporum, quem dolorem crotaphon appellant. Occupat etiam oculorum radices, & occipitium atque colla, tendens usque ad spinæ partes: ut, cum sedere ægrotantes uoluerint, uertigine adficiantur; atque oculorum caligine cum nausea & fellis uomitu. Ac si passio uehementer cœperit, rubri atque prominentes oculi fiunt, deiectis & conclusis palpebris euitantes lumen, cum lacrymarum fluore, cibi etiam iugi fastidio, & obtusione uisus, aurium tinnitu, & difficili auditu. Sequentur etiam uigiliæ iuges, aut frequentes, dentium dolor, & accessionis initio sanguinis e naribus paruissimus guttarum fluor, nihil releuans. Erit igitur locandus ægrotans, si totum caput doluerit, supinus: si autem ex parte, ea parte quæ patitur: mitigatur enim quodam blandimento straminum pars in dolore constituta. Peiorante passione sequitur uultus deprauatio, pulsus obscuritas, & omnes sensus obtusione afficiuntur. Hac passione alij celeriter atque cum febribus: quem dolorē proprio nomine sectarum principes capitis uocauerunt. Alij tarde atque sine febribus per interualla temporum admoniti solo dolore capitis oppressi, quam passionem ueteres cephalæan uocauerunt. Pati autem aliqui membranam cerebri dixerunt, alij eam quæ testam circuntegit, alij omnem cutem capitis, alij temporum atque buccarum musculos, quos siagonas appellāt. Nos uero aliquando istorum aliqua, secundū quod se sensus doloris extendit: aliquādo omnia, secundum quod fomenta uel accessionis passionum ordinate se ingerunt: similiter etiam sicut dimissiones atque delinimenta conuariāt, & nunc lōgiores & puras, nunc angustas & sordidas accidētium malorum reliqas in accessionem reliquerint. Itē secundum suppositionem tēpore accessionis. Itē secundum quod nunc diurnas, nunc intercapedinatas, interpositis diebus uno uel duobus, sicut quos typicos, aut periodicos appellamus, aut hemitritaicos, pro respōsione tēporum habuerint uariātes. Igitur de dolore capitis in acutis febribus accidenti prius de febribus memorauimus: de illo uero qui sine febribus, atque tardus, & suæ passionis est, nunc dicemus. Cū itaque adhuc paruus fuerit sensus, oportet ægrotantē iacere loco mediocriter frigido, atque obscuro, paulo leuatius capite collocato, adhibito silentio, atque corporis & animi reqe, cum abstinentia cibi usque ad primā diatritum. Adhibenda etiā articulorum leuis fricatio, cū capitis fomēto ex oleo frigido atque uiridi, uel succo quolibet admixto, qui sine repcussu ualeat astringere, ut polygoni, arnoglossę herbarū, aut intybi, aut portulacę, aut rubi, quem Gręci batum appellāt: aut annulorum uitis, quos helicas uocāt: uel uuæ lupinę, aut anagallidis, uel sideritis herbæ, aut murtæ. Hinc etiā cataplasmata adhibenda ex horum singulis, aut admixta polenta, uel cōpositum ex multis eius uirtutis medicamen frōti apponēdum, ut est diatheon. Si uero uehementior fuerit dolor, erit locādus ægrotans loco amplo, atque calido mediocriter, & neque plurimū lucido, ne nimius splendor officiat. Apponendæ ēt lanæ lenes, ac tenues & limpidę iisdem partibus, cum iugi fomēto ex oleo dulci atque calido. Ac si coegerit dolor, ptygmata erūt uicissim lanæ æque mollia apponenda, ex oleo calido expressa tēporibus sub buccarum musculis imota. Tunc etiā uesicæ semiplenæ ex oleo calido, uel saccelli ex pollinibus calidis confecti, manu etiā calida, atque digitis molli tactu loca dolentia cōtingenda, cum omni silentio ac requie ægrotātis. Si autem dolor ad dentes tetenderit, mulsum calidum uel oleum damus, quod in ore sine ullo motu cōtineat: nisi quis hoc horrescens in nauseā fuerit prouocatus. At si uehementius dolor conualuerit, & maiora exegerit, diu etiā permittentibus uiribus in ipsa diatrito, uel ante ipsam sanguis erit detrahendus, phlebotomia scilicet: sed totum caput dolentibus, ex eo brachio quod facilius fuerit detractio facienda. Ac si altera pars capitis doluerit, ex eius cōtraria detractionem faciemus, quo lōgius adiutorij cōmotio à parte patienti remota uideatur. Tunc os colluere permittimus, & aquæ calidæ potum damus. In ipsa uero diatritō unctionem adhibemus ex oleo dulci atque calido. Tunc faciemus foueri faciem ex aqua scilicet calida. Dehinc potum atque cibum damus, ut est panis aquæ calidæ elutione purgatus, quo difficultate deposita politus fiat. Vel cere aliqua similiter fiat, aut cū mulsa mediocriter cocta, aut ex panis pulticula confecta, quam torineton Græci uocant, cum paruissimo anetho, aqua, sale, & melle: item oua sorbilia. Quæ quidem cibatio erit alternis diebus adhibenda, donec dolores declinent. At si passio durauerit, erit tondendus æger usque ad cutem. Hinc etiam patientes partes leuantur, cum ex alto reflatio quædā uiarum nuditate permittitur, & localibus interea adiutorijs præparantur. Tunc nouacula radendum caput, atque cataplasmatibus, & leui cucurbita in accessione, sine scarificatione autem & dimissione releuandum, ex illis scilicet partibus quæ plus patiuntur, uel fortiore dolore uexātur. Atque ita sanguisugę apponēdę, quas hirudines appellamus, & magis si locorū inęqualitas

cucurbitæ

cucurbitæ non fuerit capax,quo inhærere minime poſſit. Tunc uaporationes ſpongiarum ex aqua calida expreſſarum adhibendæ,uel calida aut oleo,aut decoctione hybiſci, quam althean uocant. Ac ſi uenter non fecerit officium plurimis diebus,tunc calidę,& oleo rutæ admixto melle erit inijciendus ægrotãs: ſic enim & inteſtinorum fotus fiet,& ſtercorum detractione caput releuatur:quorum motu ac expirationis aſcenſu amplius grauabatur. Quapropter etiam pridem, ſi officium uenter non agnouerat, oportuit adhibere clyſterem,priuſquam cucurbitæ uſus acceſſerit: dehinc cataplaſmatum genus nunc laxatiuum conuenit,ut eſt ex lini & fœnigræci ſeminibus,atque polline ex aqua & oleo admixto melle cõcocto, uel ex panico diligenter emollito. Declinante paſſione,cerotarijs atque malagmatis ſimplicibus utendum,ut eſt diachylon. Tunc cibus uarius dandus,prædictæ ſimplicitati uicinus,ut eſt cerebrum porcinũ,uel hœdinum,piſcis teneri,turdi,columbarum pulli,uel domeſticarum gallinarũ:olera quoque cucurbitę,maluę, betæ,nunc ex aqua cum oleo atque garo curata,nunc conciſa atque trita,& interius condita: magis enim ex ijs facilis uenter efficitur. Quod ſæpe etiam ſanitatis tempore omnibus profuit,quibus unius diei uẽtris dilatio caput impleuit. Ante cibũ præterea erit adhibenda geſtatio,portatoria ſcilicet ſella, ſine uehementi motu,quo partes uehementer patientes releuentur. Tunc etiam deambulatione utẽdum, & poſt perunctionem capiti adhibendus fotus, cum toto corpore ſupradicto motu laxatum ſpiramẽtis facilibus agitatum ſit. etenim denſa laxantur,& retenta tenuantur. Dehinc cum declinatio firmior eſſe cœperit, lauacrum adhibendum. Tunc in alia diatrito quiddam uini aq[illegible] offerendum. Ita cum capitis pauſauerit dolor,longo tempore horæ ſolitarum acceſſionum erunt euitandæ,atque e memoria eijciendæ: quibuſdam etiam temporibus in requie ſeruemus ægrotos. Declinandum etiam omne,quod poteſt acceſſionem in commemorationem reducere,ut eſt aduſtio,indigeſtio,uenus,meratus potus,uel plurima maſticatio durioris cibi, aut curioſe conditi, necnon etiam uapores uehementes atque ignea lauacra, exclamatio uehemens,iracundia,uel uenter nimis adſtrictus, & magis poſt cibum,aut ſpiritus retentio, & eius ad ilia deſcenſus: ſic enim oppreſſio quædam omne caput extendit,dein tardante paſſione,& nunc ſuperpoſitionibus exaſperata,nunc lenimentis leuigata. Oportet igitur ſuper poſitione temporis animaduerſionem habere,ijs denique quæ ſupra ſcripſimus uti. Etenim quæ mitigant celeres uel acutas paſſiones, ea tardarum ſuperpoſitioni non conueniunt. In lenimento uero paulo audacius reſumendi ſunt ægrotantes,& non,ut nuper,timoris adiuncta cautione tempore quo ſuperpoſitionis aſperitas declinabat. Adhibenda igitur uectatio pro uiribus ægrotãtis,fertorio uel ſella procurata: ac ſi purius occurrerit lenimentum,& neque æger fuerit uiribus præuexatus,tunc hominum manibus, aut animalium actu uehiculum adhibemus,æquali uidelicet motu,ſed perfecto atque æquabili,lucido & mediocriter calido loco. Ac ſi tẽperata & ſine flatu aeris fuerit qualitas,tunc etiam ſub cœlo erit adhibenda geſtatio. Sed neceſſario longitudo loci curanda, ne frequenti reuerſione uehiculi circulatus greſſus uertiginem ingerat ægrotanti. Tũc etiam deambulatio adhibenda,ſed primo tarda dehinc medio tempore fortior, atque paulo erectior extentis cruribus. Iis uero quibus caput fuerit plurimum releuatum, etiam lectio ante deambulationem erit adhibenda,ſi ſtudioſi fuerint ægrotantes, ſed leui exercenda uoce,tunc exercitium atque unctio, quæ æqualiter corpus moueant atque curent,ut ueſtitos faciamus currere: nudos uero cum defricatione perungi. Tunc manus ſuo motu exerere,uel certe luctationem iugem facere,adhibito doctore,cuius præceptis pareat. Adhibitis ſane ijs rebus quæ implere atque commouere caput ualent,ut ſunt ea quæ cum obiectione plurima corporis fieri iubentur: necnon etiam circulatos ductus,atque retrogreſſus cum ſaltibus. Tunc ora lauanda,atque articuli fouendi,uel lauacrum per interualla dierum adhibendum. Depoſita autem corporis turbatione,erit aqua præpotandus ęgrotus. Tunc cibum ſumere ſucci facilioris,id eſt mediæ materiæ,quam meſen hylen uocant Græci. Dandum etiam uinum tenue paruum. Sed eo tempore quo cibamus adhibẽda quoque animi laxatio,quã diachyſin uocãt.q̃ fiet aut ludicris rebus,aut ioculari facetia,q̃ ſingula artis moderatione adhibita,cyclorũ ductu augeri atque minui debẽt: prædatio initio,cui perfectio conſummata reſpondeat. Eſt autem reſumptiui cycli ordinatio formanda hoc modo. Prima die paruo cibo atque aqua nutritus ægrotans, uel ſi ferre ualuerit, ab omni nutrimento abſtentus, alia die leui motu erit exercendus, atque oleo perungendus: tunc & cibo nutriendus, id eſt, totam accipiat partem ſolitæ quantitatis, quam facile percipere atque digerere ſolebat. Sed panem dabimus limpidum, fermentatum: pulmentum autem oua, uel holerum betas, aut cucurbitas,uel maluas,aut lapathos, aut bulbos, uel piſces teneros, ut ſunt ſcari: & auiculas, ut ſunt turdi, aſelli, iulidæ, ficedulæ: uel cerebrum porcinum aut hœdinum. In hac perſeuerantes qualitate atque quantitate duobus uel tribus diebus,iuxta uirium poſſibilitatem, quo neque parua dando debilitentur, neque adiectionibus perturbati opprimantur. Tunc detractæ partis partem tertiam adijcientes, pulmentum damus turdorum, ficedularum, aut ex pullis columbarum uel gallinarum. Tunc rurſum poſt tres uel quatuor dies aliam tertiam partem panis adijciemus, & agreſtia dabimus pulmenta, ut leporis, aut capreæ. Atque ita æquali numero dierum peracto, ultimam partem panis addemus: pulmentum dabimus porcinum tenerum ex aqua, uel non curioſe conditum ex anetho & ſale. Præterea ſimili modo erit etiam uini facienda partitio, atque per ſingulas pulmentorum mutationes adiectio: ac ſi plus ægrotans bibere quàm damus uoluerit, aquam ſumat. Simili modo etiam geſtatio, atque exercitium,ſiue motus erit augendus aut minuendus, ad comparationem quantitatis ciborum. Perfecto reſumptiuo cyclo erit metaſyncriticus adhibendus, primo ex parte, dehinc perfectus. Eſt enim paſſio facilis in motu, & natura caput iniurijs aptiſſimum: ſiquidem non facile rerum repentinas per-

ferat mutationes. Prima igitur die erit cibo abstinendus ægrotans: tunc alia die parua adhibita gestatione, atque unctione corporis, uel si passio permiserit, lauacro. Rursum panis dabimus partem solitæ quantitatis, quam ante initium curæ facile accipere atque perferre solebat. Pulmentum dabimus salsum, assum, uel coctum: dabimus etiam cappares sinapi madidatas, atque oliuas ex uiridi nouitate messas, quas colimbadas uocant: præcauentes ea quæ facile caput implent atque grauant, ut est porrum, allium, cepe. Potum dabimus uinum: & si perferre uoluerit æger, in ijsdem duobus uel tribus perseuerabimus diebus: sin minus, secunda die salsamentis admiscemus cerebrum uel piscem. Tunc sequenti die panis detracti partem tertiã addemus, pulmentum damus, holus, cerebrum, piscem tenerum, hoc tribus uel quatuor seruantes diebus. Tunc rursum aliam tertiam partem panis addentes, transimus ex mediæ qualitatis materia ad uolantum qualitatem, atque in eadem simili dierum numero perseuerantes, ultimã partem panis addemus: pulmentum dabimus porcinæ carnis. Sed si multas mutationes facere uoluerimus, in quatuor partes medietatem panis diuidimus, ut singulas singulis mutationum pulmentis adijciamus: hoc est, unam mediæ qualitatis materiæ applicantes, aliam uolantum, aliam agrestium, aliam porcinæ carnis. Sed ne quid odiosum è quantitate multorum dierum fiat ægrotanti, hoc est pulmentorum similis oblatio, erit in communi qualitate specierum diuersitas uarianda, ut quibus diebus salsum damus, Græci drimyphagian appellant, eiusdem speciem uariemus. nunc; exempli causa, dãtes piscem, nunc sardam, nunc cordulam: atque ita in usum mediæ materię, quam mesen hylen appellant, nunc turdos, nunc ficedulas, siue quas miliacas uocant, nunc columbarum pullos ac gallinarum. Hoc denique etiam in alijs qualitatibus pulmentorum, siue materiarum erit seruandum, ut eiusdem uirtutis pulmenta specierum mutatione uarientur. Erit præterea pomorum quiddam adiungendum, quod inflare non ualeat. Sed tempore, quo porcina utemur, erunt etiam olera offerenda: solum seruandum, ne modum quantitatis excedamus, siue qualitatem rerum datarum. Augetur enim oblatio non solum si plurima fuerint diuersarum specierum, sed etiam si plus nutrire ualuerint. In omni igitur mutatione, hoc est transitu ex qualitate ad quantitatem, prima die oportet curandum aqua uiuere, adhibita perunctione. In alijs uero diebus etiam uinum accipere, & lauacro corpus recurare. Sed non omnibus necessario diebus: siquidem facile caput iugi lauatione ad passionis uestigia reuocetur. Similiter autem oportet etiam motus corporis augeri atque minui. Tunc isto cyclo perfecto erit alius adhibendus solo ex uomitu, detracta drimyphagia. In quo oportet prima die paruo cibo, & aquæ potu ægrotantem reseruare. Tunc alia die leui deambulatione motum uomitum exagitari, ex radicibus raphani, uel ijs similibus speciebus, si loci aut tẽporis causa defecerit copia. Oportet igitur radicis cortices in frusta minui paruissima ad libræ pondus, quod excedere fas non est. Tunc infuso mulso, & aceto confecto simplici, uel scillino hauriendum, atque medendo dare ægrotanti. Sed paulo prius quàm cibum libero tempore accipere solet, ut neque supinus adhuc stomachus, hoc est cibi adpetitu non admonitus, sine ulla commotione reuomat: neque rursum appetentia soliti temporis excitus digestioni incitet accepta. Tunc tenuiter masticans iugiter ex illo mulso ex aceto confecto sorbens transuoret: atque, cum omnem modum sumpserit, leui deambulans motu requiescat, donec ructãte stomacho è retento spiritu mordicatione quadam, siue feruoris sensu sentiat altiora pulsari. Quod quidem interposita hora occurrere probamus. Tunc aquę tepidę sumens cyathos duos, ne plurimo potu acrimoniam radicis obtundat, immissis digitis uomitum prouocet: atque, cum omnia reddiderit accepta, aquam superbibat plurimam, ut & stomachum lauet, & reliquias feruoris extinguat: atque ita prouocato uomitu reiecto potu rursum bibat. Hoc cum tertio aut quarto fecerit, & potum liquore limpido reddiderit, capiti leuis fotus est adhibendus, atque ora aqua calida fouenda. Tunc leui deambulatione mouendus est ob tranquillitatem capitis faciendam, nisi sit soluendi corporis ex nocumento uomitus illati causa perungendus: hoc est, ex superioribus ad inferiora membratim deductis manibus defricandis. Sic enim capitis densitas, quæ uidebatur illata, soluetur, cum inspiratio facilis totum per corpus fuerit effecta. Tunc, epotis duobus cyathis aquæ calidæ, lecto recollocandus, & ab omni cibo uel potu abstinendus summa cum requie animi atque corporis. Dehinc, laxata capitis strictura, solo dimittendus: quoniam prius quàm densitas ex adiutorij commotione illata soluta est, in somnum facile deuenerunt, non solum suæ causa capitis grauationem seruauerunt, sed etiam maiorem fecerunt, cum nullo spatio interiecto somnum adiutorio iungentes densitatem corporis iunxerunt. Est igitur, ut dicimus, cibo abstinendus, ne sumpta corrumpat ex corporis remanente torpore post agitationem uomitus atque feruorem: quippe cum sæpe manentibus in stomacho squamulis uel folliculis radicum, requie superaddita, atque cibo nouo commixto, eius necessario faciant corruptionem: ex qua consequenter caput impletum, etiamsi sua passione præuexatum non fuerit, necessario constrictum grauescit, cum ex illa putredine corruptionis exhalationes ascensu quodam caput obsidunt. Sicut enim Themison ait, est natura caput carnibus pauperũ & neruosum, & duris cutibus & capillis obtectum, & spiramẽtis difficilibus natura: tum sensibus quoque uniuersis formatũ, insidẽs corporibus, atque accipiẽs eorum cunctas exhalationes, cũ spiritus naturaliter superna petẽs ex inferioribus trahit corpora ea per arteriam atque stomachum, quæ sunt corporis ueluti maiora fumaria. Dehinc alia die lauacro utemur, atque pulmento mediæ qualitatis. Tunc post duos uel tres dies cæteras cycli partes adhibemus. Ac si radices loci aut temporis causa defuerint, adfectandus ordine supradicto uomitus ex granis sinapis madidati, uel ex liquido sinapi poto, aut mulso ex aceto & pipere confecto, uel cardamomo, aut erucæ semine, aut decoctione thymi, uel origani, aut hyssopi, aut salsamenti, & multis ossibus, cum aceto, uel mulso ex

aceto.

aceto. Tunc, profectu cedente, atque limpido lenimento perspecto, præsumpto etiam ægrotanti in grauescentem perferre nunc uomitum, nunc drimyphagiã, audemus integrum atque perfectum cyclum metasyncriticum adhibere: ut initium à uomitu sumentes, drimyphagian iungamus, ac deinde per cętera cycli materias decurramus. Ordinantes præterea etiam localia adiutoria, quorum prima sunt adhibenda leuiora: & quæ longe remotis partibus admota transmissa patientibus ingerant curationem, tunc etiam uehementiora. Erit igitur radendum caput, nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam, donec cutis rubore afficiatur. Ac deinde in balneo nitri puluere aspergi, & confricari paulo antequam in solium descendat ægrotans. Tunc etiam paroptesis adhibenda erit ex carbonibus æquali uapore medentibus. Alia etiam die cucurbitæ infigendæ plurimæ cum flamma, & primo dorso atque ceruici, uel cæteris neruis, quos tenontas appellant: tunc capiti. quæ quidem capiti erunt magno raptu detrahendæ. Dehinc dropax adhibendus, primo cruribus, tunc thoraci, & dorso, ex primo ceruicis sphondylo usque ad clunes, uel earum ultimum sphondylum: plurimi etenim nerui inferiora quæque communi natura complexi iisdem paria faciunt superiora. Tunc partium propungentibus pilis capitis, atque buccarum, uel temporum musculis, quos siagonas appellant, collo uel mento cum subiectis gutturis, quã ante rumam uocant, dropacem apponemus. Sed ne cęteri corporis partes nudæ interea perfrigescant, erunt à duobus ministris mediocriter unctione fricandæ: atque ita, cum dropacem detraxerimus, totum perungi corpus oportebit. Ipso quoque capite manu leuiter pertractato, & lauacro dabimus ægrotantem. Iis itaque adiutorijs relaxatis, atque lentescentibus capitis partibus, uocis quoque exercitium adhibemus, quod Græci anaphonesin uocant. Tunc frequentius sinapismum, ac deinde ptarmicum utile est. Plurimum denique prodest post deambulationem sinapi adhibitum in gargarismum, madidatum prius quàm lauacro æger utatur, uel aridum, ac masticatum, ac deinde aqua calida sumpta, & in ore paulisper retenta, uel piper cum melle. Non quidem hæc humoris, siue phlegmatis detrahendi causa methodus ordinauit, sed ut etiam oris interiora adiutoriorum agitatione capiti beneficium tradant: quippe cum dolor sæpe ipsas quoque partes afficit. Ista igitur regula consequenter etiam in betæ nigræ, uel cyclaminis herbæ succo in cochlearis quantitate reclinato capite ægrotantis pollicis sinistræ manus impressione inflatis narium cauernis infuso uti possumus. Etenim fit mucilenta humoris excussio qua ægrotans releuetur, non ob detractionem, ut supra diximus, materiæ: sed quod adiuncta agitationi utilitas capiti beneficium tradat. Est etiam ex localibus adiutorijs usura corporum, ut sunt ea quã conficiuntur ex euphorbio, uel adarce, opobalsamo, aphronitro, murra, uel alijs similibus uirtute rebus. Vtendum etiam malagmatibus, quæ ualeant ex alto causas inductione propria detergere, quæ Græci Minythica uocauerunt. Meminerimus tamen, non prius esse ab adiutorio locali ad aliud transeundum, prius quàm turbatio corporis fuerit delinita, atque patientes partes aliam recte poscere commotionẽ adiutoriorum fuerint uisæ. Quapropter si plurimum uexata corpora uiderimus, sufficere intelligimus uno in cyclo unum locale adiutorium. In ijs uero quæ minus uexata noscuntur, uel uiribus depurgata, etiam secundo uti licet. Singula igitur adiutoria adhibenda esse meminerimus sequenti die, quàm mutatio facta fuerit materiarum, hoc est, qualitatis pulmentorum in aliam transitus qualitatem, ut ex antecedenti abstinentia ductile atque aptum corpus adiutorijs fiat. Specialiter autem erit dropax adhibendus tempore quo mediæ qualitatis utimur materia. Paroptesis uero & sinapismus, & ptarmicum, quod sternutamentum dicere poterimus, tempore quo uolantum utimur pulmentis: etenim neque adhuc corpus post usum salsamenti debile, neque rursum plurimum nutribili qualitate uidetur esse confertum. Cauenda etenim uehementer est capitis commotio, quæ sæpe corporis plenitudine fit. quippe cum sanos homines plerunque uinolentia, uel indigestione confusos, capitis motu uexatos in catarrhum, atque coryzam uenire uideamus. Solo igitur tempore, quo drimyphagia utemur, omne erit locale adiutorium prohibendum. Vel si quisquam omni ex parte fuerit uiribus plenus, leue quiddam addiderit. Sufficiens quippe, cum drimyphagiæ uehementia atque recorporatio altiorum eo tempore totum pene habitum mutare uideatur: & fit timoris, ita corpus adiutorijs exercere, ut eodem tempore superficies cum altioribus agitetur. Vtendum etiam fomentis, siue uehementioribus illisionibus aquarum, quas Græci cataclysmos appellant. Et primo calidarum, deinde frigidarum. Ordinandæ etiam mutationes earum ad usus naturalium aquarum, scilicet earum quæ non odore percutiant. Natationes uero sub diuo fieri reprobamus. Cæteris enim corporis partibus aqua complexis, solum supernatans remanet caput: quod necessario perfrigescens, inæqualitatem corporis facit. Ac si minus cedere passionem uiderimus, post frequentiam eiusdem, iterataque curatione & fortificato corpore, ægrotantis querimonia permanserit, hellebori usus adhibendus: sed primo ex eius insertatione radicibus penetratis, uel mulso ex aceto confecto infusis. Dehinc etiam coquis utendum est, atque diuersis ciborum pulmentis. quod quidem latius tertio Responsionum libro iandudum docuimus. Vehementi enim motu corpus apertum despuit, ut ita dixerim, passionis carnẽ: qua depulsa, naturalis atque noua succedit. Dehinc si etiam ijs gestis passio permanens erit, secundo uel tertio utendum helleboro: sed præsumptis uiribus ex corporis refectione. Tunc etiam naturalibus aquis utendum, uel siccis uaporationibus, & longa per maria nauigatione. Etenim fluminales uel portuosæ, atque stagni nauigationes incongruæ iudicantur, humectantes caput infrigidant exhalatione terrena: maritimæ uero latenter atque sensim corpus aperiunt, & salsæ proprietatis causa corpus adurunt, atque eius habitum quadam mutatione reficiunt. Affectandus etiam in aeres teneros atque aquilonios transitus, uel con-

trarios ijs qui passionem asperare ualent. Adhibenda præterea animi laxatio, & magis post cibum: omnis enim mentis intentio caput implet. Hæc est secundum Methodicos ordinata curatio. Plurimi autem diuersarum sectarum principes fomenta probauerũt ex oleo rosaceo, atque aceto, & ruta, & herpyllo, peucedano, castoreo, sylphio, atque semine herbæ quam agnon appellant, samsuco, hederarum coma: ex quibus in accessione caput impletum augmentis asperrimis agitatum atque grauatum, totius passionis duplicat modum. est enim supradictarum materiarum repercussibilis usus, & eo adhibitus tempore, quo mitigatio conuenire perspicitur. Vtuntur etiam purgatiuis medicaminibus, quę catartica uocauerunt, hoc est, uentrem deducentibus, ex quibus stomachus inficitur, & omnis neruositas uitiatur. Item arteriotomiam probant, & usturam ex cauterijs ferratis, duorum digitorium spatio super ipsas uenulas effectam. Tunc longo tempore uulnerationis seruata ferri materia purulenta, ex alto atque superficie passionem releuare promittunt: quod nos in accessione noxium atque exitiale iudicamus ob uehementiam motus. In lenimento uero inutile atque adiutoriorũ medelæ contrarium, siquidem prohibeat eorũ beneficia penetrare. Non enim fricationes uel cucurbitæ, uel dropaces, aut sinapismi, aut ptarmica, aut cataclysmi, quos nos aquarum illisiones appellamus, uulneratis locis adhiberi aut perferri aptissime possunt. Vtuntur etiam frigido lauacro, quod Gręci psychrolusian appellant, quod necessario neruos indurat, ac congelare consueuit obdensatione cutis ac totius corporis. Vtuntur etiam locali uenarum diuisura, ex qua patientes partes implentur. Dant quoque mastichen masticandam, ex quo in passione constituta densatus cõstrictiuę uirtutis cassatur ⋆. Item Themison primo libro tardarum passionum, quas chronias uocant, phlebotomat, atque constrictiuis fomentis utitur ad laxamentum phlebotomiæ, frustratus errore sequenti ex fomentis incongruis. Item imminente augmento, duas præcauens horas, unctiones adhibet accerrimas, & durissimam fricationem atque constrictionem articulorum. tunc sinapismum adhibet ultimis mẽbrorum partibus, siue summitatibus articulorum, ob auertendam materiam. Plurimas etiam fronti sanguisugas apponit, atque humeris & temporibus capitis, quod est contra sectæ rigorem. Affectandam igitur corporis laxationem, non auersionem materiæ eius dicimus: quippe cum non concurrat, neque conueniat quod faciendum putat, ut eodem tempore articulorum cõstrictione, & sanguisugarum appositione utamur præseruatis horis duabus, antequam passionis implicent augmenta, cum illo tempore sit requies adhibenda: & sæpe cõtingat, ut præueniens corpori occupato querela accessionẽ denunciãs, ipsum quoque tempus quod elegisse uidetur, turbare noscatur: sitque nocẽs appositio sanguisugarum, ex quibus perfricatio atque commotio, uel ex earum morsibus amentia: aut si aliquò sanguinem detrahunt, grauis ægros uexatio consequitur. Probat etiam apponenda malagmata dolori contraria, quæ anodyna uocantur uel castoreum, aut rutam, aut sphõdylion herbam, cum cerotario ex oleo rosaceo atque pice liquida confecto. Ex ijsdem iugiter iubet odorem capere ægrotantem omnifariam caput implens: atque ita si dolores, inquit, mitigati non fuerint, ex calidis rebus frigidæ spongiæ apponendæ, ad empiricorum consilia deuolutus: qui ex contrarijs ad contraria transeundum, causis resistentibus, probauerunt. Vtitur etiã scaroticis, hoc est quæ cutem extendere uel corrumpere ualeant. &, cessante accessione, imperat fricationẽ adhiberi atque fomenta: quorum item usus non declinantis est accessionis, sed in toto recedẽtis. Denique peccatis indulgendum, Methodicorum princeps Soranus dignissime iudicauit. Adhuc enim, inquit Themison, Asclepiadis erroribus & rudimento temporis Methodici fallebantur.

De Scotomaticis. *Cap.* II.

SCOTOMATICA passio ab accidẽti nomẽ sumpsit, quòd repẽtinas oculis ingerat tenebras. Afficit frequenter uacuos homines, hoc est sine aliquo exercitio uitam ducentes, & uinolentos, uel consuetos uentrem purgare medicaminibus potis, & ab eorum usu repente desistentes. Item hæmorrhoidis longo tempore affectos, & post earum amputationem nulla recorporatione curatos. Vehementescit autem hæc passio hyeme, uel uerni temporis initio: præterea sæpe futuram denunciat epilepsiam. Veteres denique paruam epilepsiam uocauerunt. Nam in passione cõstitutos repentina uisus tenebratio atque nebula cum capitis uertigine consequitur, ut omnia secum moueri existiment. Item ante oculos quosdam sentiunt marmorum maculis similes tractus, quos marmarygas Græci uocauerunt, cum tamen conuersis oculis omni ex parte non deserant uisum. Item capitis atque oculorum grauatio, & sedere uolentibus timor: siquidem secum omnia putent impelli, uel cadere: aurium tinnitus, superiorum corporis sudor, aut repentinus casus cum celerrima surrectione. Asperatur præterea passio, si ex alto aspexerint ægrotantes uel meatum fluminis, aut rotæ uertiginem, siue ignis. Item si proni quidquam gesserint, uel maiorem uocem auribus acceperint. Discernitur ab epilepsia hæc passio, siquidem neque sensibus priuat ægrotantes, neque spasmo, id est diuerso raptu adficit. Item à capitis passione, quã cephalæan uocãt discernitur, quòd dolorem non faciat. Separare autem ab ista passione uertiginem, siue obscuritatem, necessarium non est: siquidem ex ijs ueluti partibus scotomatica passio confecta esse uideatur. Est denique istius passionis affectio saluti innoxia, hoc est sine ullo periculo, nisi quis maretenus, aut ex alto cadẽs, ratione casus potius quàm passionis uiolentia perire uideatur. Curationem uero eandem adhiberi conuenit, quæ nuper passioni capitis est ordinata, non solum generali, sed etiam speciali ratione.

DE

De Incubone. Cap. III.

INCUBONEM aliqui ab hominis forma uel similitudine nomen ducere dixerunt, aliqui à phantasia qua patientes afficiuntur: siquidem ueluti ascendere atque insidere suo pectori sentiant quidquam. Themison uero II epistolarum libro Pnigaliona uocauit, siquidem præfocet ægrotantes. Item quidam ueteres ephialten uocauerunt: alij epibolen, quòd utilis patientibus perhibeatur: afficit crapula uel indigestione iugi uexatos. Accidens igitur semel ita, ut nullam uigilantibus querelam aut displicentem sanitatem faciat, sed solius somni turbatio noscatur, minime passio dici potest. sicut neque semel effectus per somnum seminis lapsus, quem Græci onirogonon appellant, passio nuncupatur, nisi iugiter, atque cum corporis incommoditate fuerit effectus. Est autem supra dicta passio epilepsiæ tentatio. Nam quod neque Deus, neque semideus, neque Cupido sit, libris causarũ, quos Aetiologumenos Soranus appellauit, plenissime explicauit. Ista igitur passione possessos sequitur corporis tardissimus motus atque torpor, & magis per somnium grauedo atque pressura, & ueluti præfocatio, qua sibi quenquam irruisse repente existiment, qui sensibus oppressis corpus exanimet, neque clamare permittat. Quo fit, ut sæpe erumpentes non articulata, sed confusa uoce exclament. Quidam denique ita inanibus adficiuntur uisis, ut & se uidere credant irruentem sibi, & usum turpissimæ libidinis persuadentem: cuius si digitos apprehendere nixi fuerint, fugatum existiment. Tunc, cum somno surrexerint, faciem atque transforationis partes uuidas & humectas sentiunt, attestante grauedine ceruicis, cum tussicula leui, molli stimulatione commota. Plurimum autem possessis accidit pallor, & corporis tenuitas: quippe cum somnum timẽdo non capiãt. Apparet igitur stricturæ passio ex grauedine, tarda autem ex temporis tractu, & non semper sine periculo salutis. cum enim uehementer impresserit præfocatio, quosdam interficit. Memorat denique Silimachus Hippocratis sectator, contagione quadam plurimos ex ista passione ueluti lue apud urbem Romam confectos. Quapropter curãdos oportet iacere loco lucido, atque mediocriter calido, adhibita requie animi, & corporis abstinentia, usque ad tertium diem, quem Græci diatriton uocauerunt. Tunc colla tegenda atque caput, & stomacho lanis limpidis ex oleo calido præcincto. adhibenda etiam oris collutio ex potu aquæ calidæ. Ac si plurima stomachi, uel capitis, uel colli fuerit querela, adhibenda phlebotomia, & post detractionem perunctio ex oleo calido. Tunc ora fouenda, cibus dandus simplex, succi facilioris, paruus, sorbilis: &, si passio perseuerauerit, cataplasmata adhibenda: cucurbita quoque nunc simplex, nunc adiũcta scarificatione ex utraque parte gutturis, quam Græci anthereona uocant, nos rumam. Tunc uaporatione utendum, & alternis diebus cibus dandus. Illa uero adiutoria, quæ adhibenda diurnis erunt diebus, adhibenda: sed longe remotius à nocturno tẽpore. Tunc etiam gestatio atque uarius cibus, & lauacrum, & aquatum uinum. Illis uero partibus, quas curamus, erunt primo cerotaria apponenda: tunc malagmata, ut diachilon, aut diamelilotum, aut diasamsucum. Fricatio etiam capitis, & dẽsi pectinis capillorum decursio, suspiciones etiam siue metus imminentium somniorum auertendi procul, fabularum lenitate robore adiecto. Plerique enim sibi fingentes uel formantes futura, uoluntarios penè causarum motus efficiunt: ac si passio tardauerit leuioribus admonita monitis, conuenit etiam radicum uomitus atque drimyphagia: capitis quoque detonsio, ac corporum usus acriorum: item dropax. sic enim aut ex supradictis adiutorijs ęgritudo soluetur: aut, si peiorauerit, epilepsia necessario sequetur.

Symptoma nõ morb

Signa.

Dieta.

De Epilepsia. Cap. IIII.

EPILEPSIA uocabulum sumpsit, quòd sensum atque mentem pariter apprehendat. Appellatur etiam puerilis passio, siquidem in ipsis abundet ætatibus: & sacra, siue quòd diuinitus putetur immissa, siue quòd sacram contaminet animam, siue quòd in capite fiat, quod multorum philosophorum iudicio sacrum atque templum est partis animæ in corpore natæ: siue ob magnitudinem passionis. maiora enim uulgus sacra uocauit: sacrum dictum mare, sacra domus, uelut tragicus poeta sacram noctem, hoc est magnam. Fit plerunque uel nascitur ex uinolentia, aut indigestione, aut conclusione: uel, ut Asclepiades, percussu atque diuisura membrorum quę cerebrum tegunt, aut nimio timore. Sed eius passionis species duę esse probantur: una, quæ somno similis altissimo uideatur: alia diuerso raptu corpus afficiat. Quarum prima grauior iudicatur, siquidem fit similis apoplexię: quarum quidem commixtio tertiam facere speciem potest. Plerique enim raptu atque contractu corporis adfecti, uel adprehensi, secundo in altissimum soporem deuenerunt. Sed horum differentia generaliter inutilis curationi inuenitur. Pronos autem seu decliues, aut uenturos in ipsam passionem, sequuntur communia accidentia etiam cæterarum passionum quæ ex membrana cerebri oriuntur, ut grauedo atque uertigo capitis, & interior sonitus, consensus etiã occipitij, oculorum intentio, aurium tinnitus, aut difficilis auditus, & cum uertigine uisus obtusio, uel quędam præ oculis quasi propendentia, macularum marmoris similia, quæ Græci amarygmata, siue marmarygas uocãt: uel araneorum cassibus, aut nubibus tenuissimis similia, aut paruulis uolantũ animalibus, ut sunt culices. item uelut scintillarum micas, aut circulos igneos circunferri præ oculis sentiunt ægrotãtes: linguam quoque inflexibilem cum saltu musculorum, & dolorem à tergo inter scapulas. Sequitur etiã gutturis durities, atque præcordiorum iugis inflatio cum oscitatione, sternutamento, & saliuarum fluore, & cibi fastidio, aut immodico appetitu, uigilię iuges, aut plurimus & inanis somnus, insomnia turbata, & ciborum difficilis egestio, uel nulla, & manifesta causa ueretri tentigo, & frequens Veneris delecta-

tio. Aliquando etiam per ſomnum ſeminis lapſus, quem Græci oniorogonon uocauerunt: mens ſuſpenſa cum anxietate, & nullis ex maioribus cauſis facilis iracundia, atque paulo ante geſtorum obliuio, & eorum quæ caliginem facere ualent facilis ſenſus, obtinente paſſione occupato corpore, ſenſuum priuatio acceſſione dominante. Sequitur & quibuſdam immobilitas perfecta cum ore demiſſo, atteſtante pallore cum aſpiratione tarda & pulſu magno, atque alti ſoporis ſimili oppreſſione. Alios uero raptos diuerſa diductio, atque ſaltus, & uultus contortio, uel oculorum ſequetur: quæ ſæpe perſeuerans etiam poſt acceſſionem ſtrabos fingit ægrotantes: atque contrario quibus tarda fuerit correctio, naturalis uiſus ſimulāt ęquitatem. Sequitur etiam gutturis ſtridor, & ſingultus, cum rubore uultus, & uenarum inflationes, & aliquando pulſus atque ſpirationis ceſſatio, tunc per interualla reſumptio, palpebrarū quoque ſuſpenſa poſitio, & illiſio dentium atque ſtridor, & linguæ prolapſio, quæ ſæpe quaſſatione, ſæpe inciſura uexatur. Sequitur etiam præcordiorum ad ſuperiora raptus, uel ſtercorum & urinæ inuoluntaria emiſſio, ſudór roſcidus rigenti corpore. Aliquibus etiam confuſæ uocis emiſſio, & ante dimiſſionem per os atque nares ſpumare fluor, acceſſione ceſſante omniū geſtorū ignorantia, atque corporis demiſſa uolutatio, cum mœſtitia uultus ægrotātis. Sequitur tunc oſcitatio & diſtētio corporis ueluti uolūtaria, & inſolitus uiſus. Piger motus & totius corporis marcor: oculorum etiam permanens turbatio, atque uenarum frontis extantia. Aliquibus etiam mentis alienatio, & nulla notorum agnitio. Alio autem tempore plurima ex antecedentibus conſequentur quę ſupra memorauimus: hoc eſt, tenebratio uel caligo, cum proni quidquā geſſerint ægrotātes, aut nauē, aut rotā figuli celeri motu ferri cōſpexerint: aut aquā fluentē, uel altitudinem, aut rupem uiderint, aut ſtrepitum uel clamorem audierint, aut uehementer refrixerint, uel igneis lauacris uſi fuerint, aut odoribus nimium bonis uel malis adfecti, ut ſtoracis incēſi, aut thuris, aut bdellij, aut gagatis lapidis, uel bituminis, aut ceruini cornu. Præterea acceſſionum motus nunc ordinatos, nunc inordinatos ægrotantes accipiunt: & nūc interuallis longioribus, ut menſium duodecim: nunc anguſtioribus plurimum uel parum, ut eodem menſe uel die frequenter agitentur. Noctibus quidem inquietati, & quidam antecedentibus ſignis acceſſionem fore denunciant: quidam ſine ullo denunciatiuo motu, quo fiet ut magis periclitentur. Alij enim prænoſcentes futura, motibus ſolitis admoniti, in domibus ſe continendo tutantur, acceſſionem præuenientes: quam cum ſentiunt propinquare, eligunt locos quibus tuto, ac ſine ulla turpitudine iactentur. Alij uero iſtorum ignari publicis in locis cadēdo fœdantur. Adiūctis etiā externis periculis, quæ paſſionis non eſſe uideantur, loci cauſa præcipites dati, aut in flumina uel mare, cadentes, aut in balneis uentris ſolutione coacti. Signa autem ſunt poſt lenimentum futuræ rurſus acceſſionis, ex quibus affici in paſſione uenturos memorauimus, ſomnus turbatus, uel cibi corruptio ſine ulla manifeſta cauſa. Item uereri ſine ratione tētigo, & Veneris appetentia, uel ſeminis per ſomnum iactus, quē onirogonon Græci uocant: iracundia, mœſtitudo, & cętera quæ nuper poſuimus. Item ſegnities cum pigro motu in officia ſolita, & grauatio cum quodam ſomnifico mœrore uultus, decolor atque maior inflatio, oculorum quoque ueluti deprauatio, cum deiecto quodam uiſu. Nam ſuſpicere difficile eſt ægrotanti, hoc eſt aerem ſupernum attendere. Quod ſi tentauerint, facile rurſus abducti uicinas quoque oculorū partes ad inferiora conuertunt. Vel ſi repentino motu caput in alteram conuerterint partem, uertiginē ſentient cum tremore atque torpore, cum digitorum cōtractu uel dolore, aut crurum grauedine, & ſummitate manuum uel pedum. Ex quibus multis uel cunctis interrogatione acceptis paſſionem dicere poterimus, niſi præſentibus in acceſſione facilius nobis cognitio fuerit declarata, uel ætatis, aut aliqualibet cauſa ęger ſua narrare non potuerit accidentia, quę ſuperadicta ratione apprehendere poterimus, & acceſſionem futuram prænoſcere · conijcientes etiam temporum reſponſionem, quanquam ſummatim acceſſionum ordo ſæpe ſeruetur. Communiter autem hæc paſſio frequens eſt in pueris, & magis tēpore quo dentium natiuitates habentur. Accidit etiam primæuis, atque medijs ætatibus: ſenibus uero difficile: nam uehementius afficit proximos natiuitati infantes, quàm pueros, aut uergenti ætate atque ſeniores: ſiquidem uiribus inualidi paſſionum impetum tolerare non poſſint. Solet denique hæc paſſio pubertatis tempore ſiue nouæ purgationis in fœminis, aut primi partus quadam naturali nouitate facile detergeri corporis mutatione ſuffecta. Quod ſi minime uenerit, plerunque patienti conſeneſcit: niſi aut longo tempore natura pugnante, aut medicinæ diligentia fuerit ſuperata. Irruit autem omni tempore corporibus, ſed magis uerno. Frequenter ſimile pati epilepticis, & à matrice præſocatæ mulieri inueniuntur: ſiquidem non aliter ſenſibus priuautur, ſed diſcernuntur quod in ultima acceſſionis parte per os atque nares ſpumarum fluore afficiantur. Hæc eſt paſſionis cuncta ſpecialis ſignificatio. Curationis autem adhibendæ cauſa erit neceſſario adhibendum genus, quod ſit paſſio ſtricturæ, atque uehemens, & difficulter frequentans, tarda, ſuperpoſitionibus atque lenimentis uariata. Cuius quidem ſuperpoſitiones nunc plurimis tempora temporibus acceſſionis generalia ſuperpoſitionis occurrerunt. Sed quæ forte ſuperpoſitiones plurimis ex acceſſionibus fuerint confectæ, nunc quotidianos, nunc tertianos, nūc hemitritaicos faciunt typos. Difficile eſt enim hanc paſſionem in continuationem uenire: ſiquidem præuentu mortis interueniente minime continuatio intelligi poſſit, & ſit impoſſibile, iugibus diebus aut ſenſibus priuatum, aut motu carentem, aut diuerſo raptu affectum in uita manere. Item lenimentorum aliqua pura ac limpida, aliqua turbata concurrunt: & aliqua latiora, aliqua anguſta, aliqua horum mediocria. Patitur enim communiter omnis neruoſitas, ſed principaliter caput, ſicut ex antecedentibus conijcere poterimus, & ex ijs quæ poſt acceſſionem remanere uidentur. Curandum autem oportet primo cum tenebricoſitate uel uertigine uexatur, iacere loco lucido atque mediocriter calido, altioribus ſtramentis

mentis capite subleuato. & si raptus fuerit consecutus, digitis erũt palpbrę differendę, atque iugiter ab omni motu seruandus ob spasmi passionem. Iubendũ etiam ministris manibus calidis nunc caput atque frontem cum blanda fricatione, nunc collum atque gutturis partem, quam anthereona uocant, contingere. Alijs etiam manuum summitatem atque pedum tenere iubemus. Pręterea frigescentia corporis uaporari, corrigi etiã ea quę forti raptu torquentur. Ac si minime consenserint, erunt in eodẽ schemate seruanda ne ulterius torqueantur. Tunc quodam laxamento captato corrigenda, ne nimio occurrentia certamine superare cupientes, neruorum quassationes faciamus. Linguam quoque relocare curabimus, atque mentum corrigere, uel coęquare. Tunc calidis pannis thoracẽ uaporare, atque inter scapulas, quod Gręci metaphrenon uocant. Laxatis enim diaphragmatis partibus, quod nos thoracis atquę uentris discrimen diximus: laxato etiam hypodymate, siue membrana quę latera ex interioribus contegit, sine ullo periculo poterit collectus spiritus exhalari. Apponenda etiam uesica oleo calido semiplena pubetenus, atque uesicę partibus, ut ipsę quoque mitigatę conquiescant. Ac si dentes conciderint, ut prefocationis excitent meatum, immissione digitorum sinistram compaginem, quam Gręci chalinon uocant, hiscentes dimittemus, ne spumarum emissio tardetur. Tunc per interualla ęgrotantem inclamantes excitamus, & eius ora spõgia ex aqua calida expressa detergemus, dehinc caput fouemus iugiter. Cum statum sumpserit accessio, plurimo atque dulci oleo calido, & lanis mollioribus infuso omnia contegimus: magis autem occipitium, & maiores neruos, quos tenontas appellant. Tunc gutturis atque rumæ partes, quas anthereonas appellant, cum temporibus & buccarum musculis, quos siagonas appellant. Sudores etiam si fuerint, ingruentes raptim detergemus, ne corpora perfrigescant. Tunc collectum humorem detrahimus appositione digiti, aut lanæ, aut spongiæ melotæ inuolutæ: perseuerans enim longioris temporis facit accessionem. Ac si minime resumentem uiderimus, erunt cucurbitæ leues apponendæ, quas Græci sicyas appellant, stomacho atque thoraci, & interscapulis atque præcordijs. Sed si infans ætas fuerit patientis, erunt maiora prohibenda ob debilitatem uirium. Sed eum nutrix amictu contegens, oleo fouens, conclusu corporis corrigere meditetur. Aut si spumarum quidquam comparuerit, quod in ore teneatur, mulsum tenue destillet paulatim, & neque iugiter, quo commorationem faciat spirandi. Tunc lac offerat dimissione perfecta, siquidem sit crassius, atque maioris nutrimenti. Dehinc, cum forte potuerit, post accessionẽ mammam sumere: erit melle papilla linienda, quo facilior sumptio fiat, atque neruorum laxatio celebretur. Corpus quoque necessario nutriatur: tenuatur præterea etiam liquidorum crassitudo, & uenter mollitur: conijcientes etiam singula passioni accidentia, quæ ita corrigere debemus, ut à generali regula nihil dissentire uideamur. Tunc etiam curationis diligentiam per nutricem ægrotanti præstare tentabimus, iubentes & à lauacro abstinendũ, atque sine uino atque esu perseuerare. Tunc de ambulationibus atque exercitio leui gestari, quo humeros magis exerceant, ut est sphæræ ludus, uel exultationis cuiuspiam. Item iubendum cibum sumere succi facilioris, uel interea mulsum. Ac si forte ipsam quoque hac passione uexari uiderimus, erit ab officio remouenda. Non aliter etiam si qualibet passione affecta malo succo atque corpore habituari uideatur: nam hoc Græci cachexian uocauerunt. Erunt igitur ijs perfectis aliæ nutrices exhibendę, ex quorum sano lacte infans nutriatur. Quomodo autem sanum lac, uel communiter nutrices bonæ probentur, muliebribus libris, quos Græci gynecion uocant, docebimus. Interea ipse quoque infans erit à lauacro seruandus. Tunc post tertium diem in domo locandus, & primo oleo calido, tunc oleo & aqua calida fouendus. Vitanda præterea quorum timore infantes afficiuntur, ut sępe fictę formidines. In ętatibus uero quę ferre maiora adiutoria possint, accessione transacta, erit phlebotomia adhibenda. Aliqui enim medici statim phlebotomandos probant, sicut etiam Thessalus se uelle demonstrat. Aliqui prima diatrito seruandum existimant, quo speculentur utrum post unam accessionem passio soluta recessisse uideatur. Sit præterea non solum inane, uerumetiam noxium phlebotomiam adhibere. quippe cum prędicendum probent ex accessione secunda, utrum passio augeatur, & hoc phlebotomię exigat adiutorium, & phlebotomatus cibi refectione toleretur. Alij uero discernenter aiunt hoc adiutorij genus adhibendum, ut qui forte iam consueti passione afficiuntur, reseruato ordine lenimẽtorum, statim accessione facta phlebotomentur. Hi autem qui in prima incursione passionem accipiunt, in tertium diem, siue ut Græci uocant, diatriton differantur, siquidem sit incerta accessionis recursio. Nos uero, ut Soranus docuit, neque omnes intra diatriton phlebotomamus, & magis eos qui primo incursu passionis afficiuntur. Plurimi enim ægrotantes corrupto cibo admonentur: & est præcauendum, indigestione sauciatos phlebotomare. Neque rursum omnes in tertium diem probamus reseruandos. Cogente enim passione, nullo subiecto indigestionis obstaculo, erit arripienda phlebotomiæ commoditas, nõ solum ijs qui iam sæpe admoniti passione uidentur, sed etiam in illis qui primo inuasu afficiuntur. Cessante etenim accessione, inesse passionem conijcimus: siquidem generaliter fit maligna, & frequentius tarda quàm celer, nisi adiutorijs medicinalibus destructa à corpore depellatur, aut ullo naturæ, aut fortunę beneficio: nisi tardando corpus tenuerit, ut solius medicinæ diligentiam poscat: iudicare enim est incertum, utrum passio post accessionem primam inesse corpori, an soluta uideatur: siquidem ex occulta ueniat apprehensione causarum. & oportet methodicum sine ulla falsitates regulas intendere curationum. Videmus denique phlebotomiæ conuenire. Nam passionales coenotetes argui uidebuntur, si, utrum passioni conueniat, fuerit dubitatum. Sed quia sola temporum quęstio flagitari præspicitur, erit conijciendum ante secundam passionem adhiberi posse phlebotomiam: siquidem initium uehementię atque magnitudinis causa passio transcedat, ut sæpe contusio corporis, aut fractura, uel ignis ustura: stare autem

nec declinare poterit passio : horum enim difficilium morborum proprium est,sine ullo destructiuo adiutorio non celeriter temporum nequitia transire.hoc est accessionis augmentum . Sed neque propter abstinentiã cibi,quam necesse est post phlebotomiam adhibere,erit hoc adiutorium declinandum , quando corporis uires ferre ualuerint : hoc est, ut & sanguinis detractionem , & abstinentię tolerent. Denique etiam alijs passionibus affectos:ut,exempli causa , synanchicos sine ulla ratione phlebotomamus. Quare,sicut superius diximus , post casum rectos epilepticos , cessante accessione, paruo tempore differimus, quo turbore spiritus,atque liquidarum materiarum deposito tranquillentur. Erit enim speculandum,ne qua indigestio siue corruptio cibi subesse uideatur . Quod ita intelligere poterimus, si nauseantem uel ructantem fumosas exhalationes ęgrũ uiderimus,attestante mordicatione atque tormẽtis, intestinorumque inflatione : quę si non fuerint , perfecte digestum iudicabimus : quippe cum forsitã, pręoccupato corpore,iam dudum futurę accessionis causa aut paruum sumpserit cibum,aut in totum abstinuerit . Sed si, ut supra dictum est,corruptus extiterit cibus,erit phlebotomia in tertium diem differenda, fouendum caput cum cęteris partibus,his adhibita collutione cum uini abstinentia . Tunc erunt somno dimittendi, atque à cibo seruandi usque ad primum diem . Sed si quidquam corruptionis ex indigestione superare uiderimus,erit per uomitum depurgandum: ac si nulla fuerit corruptionis uel indigestionis suspicio,erit statim adhibenda phlebotomia moderata detractione,ex brachio scilicet,sed cum pręcautione defectus, quẽ Gręci lipothymian uocant : siquidem facile passionis accessionem imitetur . Tunc post phlebotomiam erit adhibendus potus,atque oris collutio cum paruissimo potu , & somno abstinendus . ac si accessio in secundum diem durauerit , prędicto periculo eius propinquis uel ministris, atque adiutoriorum ex ratione uenientium exitum incertum , ne nobis quidquam male gestũ imputetur , si forsitan ui passionis superatus ęgrotans uitam finierit,& intemporaliter nos quisquam adiutorium adhibuisse arguat,phlebotomiam adhibemus,tanquam in continuationibus paruam indulgentiam pro dimissione accipientes. Vt si,exempli causa, parum requieuisse agitatione seposita ęgrum uiderimus , ut nullo raptu tentetur : uel contrario , si forte oppressis sensibus motu caruerit,aliquas partes corporis mouere uideatur,ut palpebras , quæ iandudum motus similitudine possessæ siluerant. Dehinc post detractionem sanguinis procurata facie,ex spongia calida erit mulsum in os ægrotantis distillandum : tunc secunda die dandi mulsi cyathi duo , uel. tres : tertia uero die ante horam solitam erit perungendus oleo calido atque dulci, toto corpore sub stramentis. Tunc detectus aqua calida ora foueat , & post æquatum corpus accipiat succum paruum, luculentum,mollem,lenem,calidum,digestibilem,ut est panis,uel alica ex aqua cõfecta , aut pulticula,ex pane, quam torsiniton uocant,ex oleo,aqua,sale, uel melle condita,ex prima diatrito usque ad declinationis tẽpus : quod probare poterimus ex minutione accessionum siue accidentium . Alternis diebus cibum sumat,ne passione affecta neruositas etiam illatione cibi graua[illegible] digestionis officium sustineat, sed magis laxamentum ex abstinentia consequatur. Tunc,si uenter n[illegible]ecerit,uel si suum officium non impleuerit, ob detractionem grauatum quo corpus releuetur, erit inij[illegible]endus calidæ & oleo per clysterem. Tunc, præsentato uentris officio,erit tondendus,atque nouacula omnis capillatura radenda . Ita in alia diatrito cucurbita occipitio apponenda collo,uertici & temporibus capitis,cum scarificatione, & communibus cataplasmatibus utendum,quibus omne caput cum neruis maioribus,quos tenontas appellãt,contegamus . Tunc buccarum musculos , quos siagonas appellant , atque omnes inter scapulas partes cum stomacho , usque ad locum quo discernitur uenter,quem diaphragma uocant,ac deinde præcordia,atque uesicam simili curatione laxamus . Singula etenim passione raptus uexata , accessionis tempore accipimus : ac si aliqua in parte corporis querela extiterit,cucurbita imponenda . Sed neque coaceruatim , neque uno tẽpore omnes erunt partes curandę,sed partiliter,atque diuerso,ut nunc stomachus, nunc uesica,nũc inter scapulam releuetur , quo necessario caput relaxatum adquiescat. Tunc spongiæ euaporationibus , qui curationem labori sustinuerunt recuramus : atque ungentes oleo communi,siue,quia iam licitum est,cyprino uel irino. Tunc cerotarijs mollibus,ac deinde scarificatis locis inducta apponimus cerotaria . Conuenit etiam enuasin adhibere,de qua Adiutoriorũ libris docuimus . Dabimus cibum plurimum atque panosum . Si aliqua in parte capitis grauedo,uel dolor, aut punctio,aut torpor occurrerit,erunt sanguisugę circulatim apponendę : quę,si sufficientem fecerint detractionem,adiutoriorum modum dabunt : sin minus,ijs detractis cucurbitas infigemus, ut per earum uulnera detractio procuretur . Tunc rursum cataplasmatibus utemur, atque uaporationibus spongiarum:dehinc cerotario partes contegimus . Profectu accedente dabimus olera non acriora,atque ita gestationem adhibemus sellarem : etenim uehiculi motus rotarum uertiginem caliginemque facit ęgrotanti,quę passionis imaginem ferat. Tunc deambulatione mouendus pro temporis aere , atque loco lucido,& longo ductu,ne iugi conuersione uertiginem sentiat. Dehinc,si ferre ualuerit,etiã uocis atque corporis exercitio utemur:monentes,ut neque spiritum retineat, neque pronus uel circunflexus,aut sępe conuersus aliquid gerat,sed pingui unctione defricatus stanti exercitio moueatur. Tunc, cum facilitas corporis fuerit accepta, lauacrum adhibemus, caput fouentes sine ullo percussu manibus subterpositis : implet enim sensum eius demersio . Tunc etiam in aqua calida,quã pygolithon uocant,deponendi sunt ęgrotantes,ne percussu frigoris neruositas afficiatur. Post lauacrum uero parum differentes,quo feruor ex capite releuetur,dabimus aquam prębihendam. Tunc cibum uarium,simplicem,media qualitate confectum . Et post primam uel secundam diatriton dabimus quędam in cibo,quę uinosę sint qualitatis,ut sunt poma:quo corpus uinum daturi prętentemus,ut tuto dare possimus . atque ita seruandum, ne ijs gestis somnus suspensus,uel concisus,aut adiuncta phantasia sequatur,

& insomnia

& insomnia faciat turbulenta, quod ex relatione patientis discere poterimus. Item si grauedo uel torpor in aliqua parte corporis fuerit, ut dolor, aut punctio, uel saltus, erit in aqua calida perseuerandum: atque illa prohibenda, quæ uinosæ qualitatis danda præcepimus. Sin uero ex ijs nulla fuerint prosecuta, dabimus lauacro remoto mediocriter uinum lene, parum: ut, exempli causa, semunciam uel unciam, medio scilicet cibo, aquatissime temperatum. Tunc in alia diatrito lauacro uinum iungemus. sed præ cæteris erit animi laxatio procurāda, quo corpus consentiens nullis obstantibus curis facile sanitatis repetat qualitatem. Ac si resumptio recurrens nihil uirium perficere permiserit, quo etiam carnatum corpus ostendat bono attestante colore, erit consuetudini dimittendus ægrotans. Eadem sanè curatione utendum etiam in ijs, qui cum nondum sunt epileptici, eò tamen ferri uideantur. Hoc enim solum seruabimus, cum signis ad passionem minantibus fuerint absoluti, eos consuetudini reuocemus: facilius est enim imminentium auersionem, quàm præsentium depulsionem facere. Sin uero passio tardauerit, & propterea plurimis fuerit accessionibus uariata, erit partienda curatio secundum superpositionem & lenimentum: ita ut superpositionis tempore ijsdem utamur adiutorijs, quibus acutas passiones curari perscripsimus. neque enim phlebotomum reprobamus, permittentibus uiribus: siquidem longo interstitio superpositiones occurrere uideantur. In lenimento uero resumendos dicimus ægrotantes, cum recorporatiua curatione dirigendos iusta cyclorum regula, sicut latius, cum de capitis passione diceremus, scripsimus. Quapropter ob resumēdum corpus adhibēda gestatio, sella uel cathedra, aut deambulatio, aut uocis exercitatio. Itē lectionem, perunctionem aliptarum præceptis ordinatam, sine ulla capitis inflatione geramus, ne immodico labore affectum corpus uexare potius, quàm reficere uideamur. Tunc lauacrum languorum interuallis adhibendum, uarius dandus cibus, panis limpidus, atque studiose elaboratus. Pulmentum uero ex mediæ qualitatis materia, ut oua, pultes, olera, quæ non sunt acerrimæ uirtutis. Item uolantum leuiora, & piscium teneriora: dehinc post resumptiuum cyclum adhibendi recorporatiui, & primo ex parte, tunc perfecti, in quibus esse uomitus ex radicibus debet, uel similibus materiarum rebus, ut nuper docuimus: atque ita drimyphagiā, exinde contiguas sibi pulmentorum materias ordinamus. Item adiutoria localia, ut exempli causa, primo capillos decurramus ex pectione, nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam: tunc tōsuram adhibentes, dehinc nouacula caput radentes, & cucurbitas alijs atque alijs partibus recorporatiuas imponamus. Tunc tropacis raptum adhibemus, sed longe primo remotis partibus, tunc uicinis, dehinc patientibus: dantes etiam masticandum sinapi, uel piper, aut staphysagriam. Item sternutamentum ex helleboro uel astrutio, & pipere, & castoreo, uel ijs similibus adhibemus. Narium quoque apophlegmatismum adijcientes, atque fricatione balnearum nitri pulueris, & cæteris sympasmatibus, quæ ruborem facere ualeāt, ut sunt ex pyrethro, staphysagria, adarce, euphorbio, pipere, calcis gleba, & pumice. Tunc cataplasma ex sinapi, atque malagmata, quæ detergere & pabulis afficere corpus ualeant. Item acopa acriora, sed quę tetri odoris non sint, toto corpore illinienda: magis tamen capiti atque ori, conclusis palpebris: quæ immitenda sunt etiam aurium cauernis. Gargarizandum sinapi, adhibenda etiam aquarum illisio, qua patientes partes percussæ mutari cogantur, quod Græci cataclysmum appellant. Iis deinde perfectis cyclis, resumpto corpore, helleborum adhibemus, sed longe superpositionis seruantes occursum. In omnibus quidem adiutorijs exercitioribus adhibendis, tunc magis in helleboro monemus præcauendum. Denique si nullam accessionem denunciauerint signa, ijs qui ordine seruato admonentur, ante decem uel duodecim dies, uel generaliter ꝑ longitudine lenimenti porrectius erit adiutoriorū regula dirigenda. In ijs uero qui ordinate admonētur, eo tēpore adhibenda curatio, quo conijcere possumus medium præteritę atque futuræ accessionis. Sic igitur hoc genus diligentię intuendum, ut cum æger somnum decusserit, primo requiescat paululum iacens, nō solum suspicans indigestionem cibi, uerumetiam donec persecutione quadam propria corporis fuerit facta digestio, ne ex uigilatione sequenti, atque laxamento membrorum, & tenuitate, uel purgatione spiritus iandudum somno turbati atque crassi fiant: quo etiam sæpe officia impediri noscuntur, cum nondum totum recurrens occupauerit corpus. Vnde sæpe factum est, ut experrectis ijs quæ illico intueantur fallantur, nisi perfricatis oculis intenderint. neque clamare uel currere facile possint: siquidem ui quadam somni nunc arteria, hoc est gutturis uia, asperetur, & raucos faciat: nunc fatigata corpora densitate neruorum, irruente spiritu crassiore, afficiat percussione uel quassatione similes plagas ingerendo. Has igitur ob causas ęger plurimo tēpore, somno deposito, tardare debet, pręcauēs lucis auctoritatem: quam, mox discusso somno, intueri minime potest, ne repentino percutiatur uisus. Itē disputationibus uehementibus animum exercere declinet. Tunc resumptus atque releuatus somni plenitudine, sub stramentis leni unctione tangatur semel, uel secundum corporis singulas partes laxamenti mediocris causa, atque frigoris cautione leuem & delectabilem gestationem, ut fertoria sella, uel cathedra. Sed prohibenda erit exclamatio, siquidem uehementer moueat partes patientes. Tunc deposito turbore motus, unctione olei fricetur, conductis & extentis brachijs, flexo atque extento motu releuans singula crura commoueat, quo fortioribus motibus faciat aptiora. Fouenda etiam ora aqua calida: nunc enim erit lauacrum prohibendum, atque ita post perunctionem cibum accipiat paruum, succulentum & leuem, ut oua, pultes piscis teneri, quęque ex uolantibus paruæ ætatis atque formæ, ut ficedulæ, turdi: declinans omne quod fuerit acrioris uirtutis, siue inflare ualentis, aut carnosæ, uel grauis. Quapropter etiā à uino erit abstinendus, uel per interualla ab omni cibo seruandus: releuatur enim hoc genere corpus ieiunitate reflatum. Sin uero aliqua signa accessionis futuræ apparuerint, ut somnus turbatus, uel cibi corruptio, uel iracundia inanis, ac sine ratione, item mœstitudo uel sternutamentum, aut aurium tinnitus, uel

præ oculis scintillarum fingibilis uisus, aut inflatio præcordiorum, & per somnum seminis inuoluntariu iactus, quem onirogonon uocant, & horum similia: non solum ad uitæ regulam transeundum est, uerum etiam initium ex abstinētia sumendum. Tunc leuis adhibendus motus, atque perunctio, & cibus, quo cc pus salutaribus officijs non deseratur. Vt enim ijsdem ciborum regulis perseuerare, tutum non est, sic contrario iugis immobilitas, atque cibi abstinentia, uacuato corpore solitis nutrimentis, uires extinguit f turis tēporibus necessarias. Quæsitum ēt, utrum cōtradicentibus signis accessionem fore, an pñtem siue ctā iudicemus. Sed tunc erit accessio iudicāda, quoties ceciderint in ea ægrotātes: quo discere poterimu quo tempore diatriti tempus sit numerādum, ut recte possint curationes suis reddi temporibus. Nan denunciata signa iam præsentia accessionis esse contendit. Nos uero prætangi neruositatem, atque in a cessionem urgeri, recte probamus, ut augmenti indicia tanquam præludere uideantur, ut sunt in hemitri tritaicis febribus frequenter accessione imminente corpora præoccupata, cū noctis anxietate pulsata, die fore asperitatem significant. Ita igitur uel simili ratione præmonitus epilepticus, tanquam si accessione u xaretur, erit usque ad primam diem abstinendus, & neque similiter agendus, ut pridie cum fuisset in leni mento purissimo. Quapropter abstentus una die, sequentibus leui motu, antecedente unctione, atqu paruo cibo nutriatur, aquam bibat. Tunc si rectius habuerit, ut laudabilior sanitas appareat, augend oblatio cibi, alternis scilicet diebus, nunc qualitate, nunc quantitate. Tunc nisi ex omni parte signa supe dicta, erit rursum abstinendus una die. Sin uero fuerint expulsa uel depugnata, non erit illico reddend ægrotanti consuetudo, tanquam nihil sit quod sollicitudini remansisse uideatur. Neque rursum inani su spicione, tanquam iam imminentis superpositionis metuentes aduentum, in tenui uitæ regula retinere de bemus patientem. ut enim opportunitas adhibita, abstinentiæ futuras amputat superpositiones, atqu earum occasiones detrahit: sic importune adhibita, corpus uexat, atque fatigatione affectum tarde surger facit in solitas uires. Quapropter cum summa cautione, & sine ulla nimietate seruati, blanda regula resu mendi sunt ægrotantes, quo asperatas accessiones fore metuamus. Tutius autem esse probamus, ut supr dictum est, longe ante futuram accessionem ad hellebori usum accedere: quo accepto si irruerit accessio erunt omnia mitigatiua adhibenda, quæ accessionem ualeant temperare. In strictura enim constitutis al tioribus, hoc est stomacho & uentre, mitigatiua laxatione adhibita, etiam medicamini excludendo prap rat uiam, & præfocationis amputat metum. Sin uero post purgationem nullum periculum subierit pra focationis, causa refectionis adhibenda resumptio est, cum ijs quæ ualeant accessionem temperare, ut odo ramenta sine ullo percussu medentia, atque nutribilia, ut est panis calidus, melo, cucumis, & ijs similia. De stillandus etiam helleborismus, sed ex melle decocto. Ac si initio uomitus ex accessione emerserit, cucur bita multa cum supposita ori uentri infigenda, tunc sequenti parti, secundum quod medicamen ad infe riora teneatur, donec accessio leuigetur tēperamentis supradictæ rationis, ne concursus passionis & adiu torij præfocet ægrotantem. Erit igitur sustollendus ægrotans subiectione manuum ex utraque alarum par te cum capitis sustentatione, atque leuiter inclinandus. Tunc si medicamen ad superiora cucurrerit, & transuorationis cœperit partes, quo spiramenta obstruere uideatur, illisis dentibus, atque ore clauso, uel erumpens per naturales uias, quæ ad fauces de capite ferūtur, in nares defluxerit, ac rursum decurrens gut turis meatum clauserit, præsens præfocatio metuenda. Quapropter immissis digitis, ex utraque parte buc carum circa maiores dentes oris facienda distātia. Tum imponenda ptygmata multiplicia: quę si forte de fuerint, cuneos ex ferulis scissis mittere poterimus, quod scientes ęgrotantem seruemus, atque medicamen ad faucium partes ueniens spatio quodam exceptum facilius excludatur. Seruanda etiā tempora, quibus medicamen faucibus occurrit, adiuuantes eius exclusionem, in faciem inclinantes ęgrotantem, atque eius ora calida spongia detergentes: distillantes etiam in os mulsum: sic enim ueluti despumans resumit, aut deponit accessionis pressuram releuatus ęgrotans. Ac si non sufficiens hellebori fuerit agitatio, quam Græci sparagmon uocant, & paruo euentu successerit perseuerante passione, erit etiam secundo uel ter tio hellebori usus adhibendus, sed pręsumpto uiribus ęgro: quippe cum non ijsdem uti omnibus necesse sit, & destruendę passionis causa una sola sufficiens & perseuerans exhibitio approbetur. Vtendum etiam aquis naturalibus, hoc est naturali uirtute medentibus: sed quę nulla odoris uexatione adficiant ęgrotan tem. Adhibenda igitur natatio, & sole corpus torrendum, quod Gręci heliasin uocant, sed pręrecto capi te. Vtēdum etiam potabilibus medicaminibus, uel electarijs ex hyssopo, & origano, & thymo confectis. Principaliter enim corpus mutant recorporationem faciendo ob acrimoniam, dehinc etiam corpus succo rum naturalium tenuant qualitate. Emolliendus nanque uenter, & peregrinatio imperanda terrena at que maritima, si ferre nauigationem potuerint patientes. Tunc etiam exercitia uehementiora, quæ la bore corpus afficiant affectanda, quo magis fortitudo quàm corporis robur augeatur. Est enim semper grauabilis carnatio, & magis si tenuibus fuerit imposita uiribus, & in ijs passionibus, quæ in neruis esse no scuntur. Vnde neque facile curationis est credendus effectus, quo depulsam passionē iudicemus, nisi legi tima accessionum tempora soliti concursus sine ulla inquietudine, atque plurima transierint ægrotantes. Somnos quoque sine ullo impedimento duxerint, & uigilias placidas, ac liquida sanitate moderatas, nulla etiam difficultate officiorum animæ uel corporis impeditas, attestante cibi sufficienti appetitu, cum dige stione congrua, & corporis nutrimento mediocri, uel egestionum naturalium moderato exitu, bono atte stante uel immutato colore. Seruāda pręterea multo tempore omnis nimietas ut frigus, ustio, indigestio, uinolentia, libido, lauatio, & magis ea quę specialiter passionem in commemorationem ducunt, ut odores percussibiles, aut splendor nimię lucis, aut resultantium materiarum. Item strepitus, clamatio, circulatus

cursus,

cursus, extentio, aut ex alto despectio, siue fluminum celerrimus fluor. Vt enim ulcerum recentes cicatrices facili occasione soluuntur: non aliter hæc passio, uel alia quæque similis nequitia paruo impulsu repetit corpus: quippe quod proxime dimisisse uidebatur. Ac si forte neque ita fuerit æger ab epilepsia liberatus, nihil minus adhibendum, sed magis perseuerandum curatione probamus. Dabit enim hæc diligentia uel ex parte beneficium, quo neque frequentius admoneatur ęgrotans, neque longioribus accessionibus opprimatur, neque turpiter in furore, uel publicis in locis apprehensus etiam post passionis impetũ animi luctatione uexetur. quibus enim prima uel optata non proueniunt, erit secunda mitigationis causa capienda. Hęc est secundum ordinem methodica epilepticorum curatio. Aliarum uero sectarum principes uaria rerum temperatione, siue experimento curationis adiutoria cumularunt, caput fouentes aceto atque oleo rosaceo puro, uel immixto castoreo, in accessione frigidis utentes. Articulos quoque omnes ligatione costringentes, sternutamento commoto ex aceto, naribus interius flato cum sinapi uel castoreo oleo irino infuso cũ calchanto, uel sulphure uiuo, aut astrutio incenso, uel ijs quę ad matricis pręfocationes incendenda posuerunt. Item hysopum & origanum, & thymum, uel ignis flammam oculis offerentes, cum titillatu quodam & oppressione pręcordiorum ad inferiores partes. Iubent pręterea motũ corporis adhibere, gestationem uel deambulationem, aut supra sindonem uolutari: sinapisandas etiam manus ęgrotãtium atque pedes, & ante accessionem perungi thapsia caput, & spiritum continere. Alio uero tempore, hoc est dimissionis, uini atque carnis imperant abstinentiam, & magis porcinæ uel bubulę, & caprinę. Prohibent pręterea supra pellem caprinam dormire siue iacere ęgrotantem: siquidem passionis faciat motum. Adhibent etiam clysterem iugem atque acerrimę uirtutis, & medicamina diurinalia, quę diuretica uocant: atque purgatiua per uentrem, quę catartica uocant: & horum magis cui nomen est hiera: quę non erunt, inquiunt, tertio minus singulis mensibus offerenda. Tunc capitis diuisuram accuratam, quam chiasmum, dehinc scarosin uel medicamine, siue ignis ustura. Item terebrationem testę, uel arteriotomiam, uel usum uenereum, aut è contrario eunuchismum faciendum probantes. Dant etiam bibẽdum lac asininum, cum sale uel sanguine testudinis marinę uel humano, aut uituli marini: & non solum sanguinem, uerumetiam coagula quę lacti miscentur. Item mandendam mustelam, sed longo desiccatam tempore: & tunc corda hominum atque equorum, quorum crura quasi impetigines habent, siue asinorum, uel mulorum. Item testes uel ueretrum marini siue fluminalis cancri, & porcellionis: hoc est, animalia quę humectis & aquosis locis sępe nascuntur, à Gręcis appellata onisci: dehinc squamulas ferri, cum aqua in qua fuerit candens ferrum pretinctum. Dant etiam cameli cerebrum fumo siccatum atque concisum, sed infantibus uel pueris odorandum: perfectis autem ętatibus bibendum ad modum cyathi cũ mulso & aceto tribus cyathis. Similiter etiam leporis cor, & cerebrum gauię. Alij uero etiam ligamenta probauerunt, & magos adhibendos, atque eorum incantationes: quę quantis sint uexationibus confertę, etiã per se probantur, sicut latius Adiutoriorũ libris docuimus, nunc tamen paucis memorauimus. Constringens igitur fomentum, atque tetri odoris, uel aceto & oleo rosaceo, & castoreo percutit & grauat, & tumores constringit: & si, ut putant, materiam redarguit, abactum tamen cutibus ad cerebrum, & eius membranas reuocat. & sunt hęc exteriorum comparatione magis salutaria. Pręterea est uehementer noxium, frigidat caput accessionis tempore fouere: quę enim dimissione releuata mitescunt, eadem frigida densatione magis grauantur. Item ligationes neruos densant, atque corporis oppressio, quam fieri iubent. Desiccatio intemporalis, hoc est accessionis tempora geminat passiones. Accidentia enim si temporaliter quidem uidentur lacessitis sensibus in resumptionem uenire, totam tamen passionem peiorant, nõ aliter quã si quisquam turbatos oculos manutigio, quod Gręci chirapsiam uocant, temporaliter fricando releuare uideatur. Item non aliter sternutamenta medicaminibus commota accessioni non conuenire probamus: quippe cum neque in linimento passionis constitutos hoc adiutorio facile inquietare liceat: nisi certo regulę ductu pręparatos, quo caput releuetur gestatione tenui, ac deambulatione: siquidem hoc adiutorij genus initio impleat caput, dehinc medeatur. Quod sperandum in ijs, qui accessione agitati, earum partium plenitudine uexantur, si etiam sternutamento fuerint conuitiati, cum magis oporteat passionis illatam soluere turbationẽ. Est præterea acetum molestum naribus insufflare, siue solũ, siue cũ alia qualibet percussibili materia. Constringit enim atque densat tumentia, & turbata perturbat, & ea concurrere compellit, quæ accessionis uiolentia excludi coguntur. Item non aliter mutiles atque satiabiles sunt incẽsiones, siue fumigationes & odoramenta ex pice, bitumine, spõdilio, castoreo, galbano, acerrimæ atque grauabilis uirtutis causæ, & iniucundioris: adeo ut etiam recte ualentium impleant caput, & eorum qui nunquam, aut difficile earum partium querelam prodiderint. Nunc tamen ijs odoramentis acceptis uertigine atque grauedine urgeantur, & non aliter tumentes oculos fumigatio adficiat, quàm etiam tumentes cerebri membranas: necessario enim cogit in similem uenire passionem. Percutit etiam ignis flamma, siue eius affectatus splendor multus. Denique etiam in lenimento epilepticos constitutos, lucis importunitas, atque eminens percussio in commemorationem facit accessionis uenire. Noxia etiam præcordiorũ pressura, quam adhibendam probant, iudicatur. Mitiganda enim sunt accessione commota, & non uiolenter atque contrario conatu reprimenda. Grauis etiam sine dubio uidetur supra sindonem iussa uolutatio: quippe cum leui conuersione corpus affectum, non solum lenimenti tempore epilepticos in uertiginem mittat, uerumetiam recte ualentes similiter afficere uideatur. Articulorum quoque sinapismus accessionis tempore tumorem geminans, etiam passionem necessario peiorem facit. Est item intemperabilis ante accessionem punctio ferulaginis, quam Græci thapsiã uocant, cum oporteat motam passionem,

atque in peius coactam mitigare potius, quàm prouocare: & quoties eius neceſſarius eſt uſus lenimenti tēpore, toties, atque melius ſuæ uirtutis impleat beneficium: cum importune adhibitus, partes faciat emori. Has denique Græci necroſes uocant. Item ſpiritus retentio, quam faciendam probant acceſſionis initio, ſenſus implet: non, ut quidam uolunt, repercuſſo ſpiritu, futuram prohibet acceſſionem. Premit etiam potius quàm diſcutit ea quæ iam ſuo motu denſari uidentur. Abſtinentia uero uini atque carnis, quam iugiter fieri iubent, uel unius anni ſpatio, impedit recorporationes faciundæ profectum, quem augere neceſſario mutationum uarietas poteſt. Quod facile ignaris notum fiet ex uitæ conſuetudine. quæ, ſi eadem fuerit, procul dubio corpus infirmat: quippe cum iugis potatio aquæ demiſſum faciat corpus, & neque numero dierum, uel menſium curandi regula ſit conſtituenda, ſed paſſionis temporibus, quorum mutatæ regulæ commutantur, ut ſub eorum rigore damnum aquę uel uini miniſtretur. hoc etiam de carnis uſu erit conijciendum. Caprina uero pellis odoris tetri cauſa noxia capiti iudicatur, non ſpeciali atque priuata ratione. Item iugis atque acerrima clyſteris iniectio inteſtina conradit, atque neruos uitiat. Vrinalia quoque medicamina, quæ diuretica uocant, ueſicæ infectione capitis membranas commouent. Item purgatiua medicamina, quæ catartica uocant, defluxionem corporis facient, atque ſtomachum euertunt, capitis etiam accuratam diuiſuram, quam chiaſmum uocant, & teſtæ perforatio, & uſtura cutis medicamine uel igne ſuffecta, quam ſcaroticam uocāt, & arteriotomia patiētes partes inſumit, & utilibus renititur rebus: ſiquidem nulla te comparatiua adiutoria iiſdem locis adhibere permittat. At uero concubitus, ſiue Venus quam adhibendam probant, ab aliquibus parua epilepſia nuncupata eſt: ſiquidem ſimilem faciat membrorum motum diuerſo contractu, anhelatione & ſudore atteſtante, & oculorum conuerſione cum rubore uultus: ac deinde poſt effectum diſplicere faciat ſibimet corpus cum pallore, & quadam debilitate uel mœſtitudine, adeo neruos afficere male uideatur, ut ſæpe imminente acceſſione per ſomnum iactu ſeminis ægri præpurgentur, quod Græci onirogonon uocauerunt. Item eunuchiſmus uires amputat, non epilepſiam ſoluit. Lac quoque ſumptum facile aceſcit, & propterea grauans epilepticos male probatū uidetur. Non aliter etiam potus ſanguis teſtudinis, ſiue hominis, atque uituli marini, & ſumptio coaguli; quod Græci pityan uocant. Muſtelæ quoque, ſiue hominum caro ſiccata, & equorum impetigines, uel ueretrum, atque teſtes canis aquarij, uel porcellionis ſupra memorati, quos oniſcos appellant, & aqua de ſquamulis ſiue tinctionibus ferri, & cor leporis & cameli, ſiue gauiæ cerebrum male probatur. Etenim neque ex occultis cauſis, quas Græci ἀδήλους αἰτίας uocant, rationes ducunt: neque ex alia contagione ſiue tentatione, ut empirici uolunt, approbata in uſum uenerunt medicinæ. quippe cum intelligi, uel apprehendi naturali aut fortuita rerum dominatione minime poſſit, uti ijs maxime ita inſuetis atque nouis, & odioſis generibus materiarum, quarum nihil uſu grauius eſſe uideatur, ipſius quoque cōparatione paſſionis, ſitque admirandum quod de aere atque uigilijs, uel ſomno & potu, & cibo, uel ijs quę neceſſario ſumuntur, nihil experimenti utile collegerint: de ijs uero ita execrandis, & crudelibus, atque inhumanis, plerunque etiam periculoſis curationes ordinare uoluerint. Non enim ſanguinem tauri potum interficere, ut Themiſtoclem: lac coagulatum, uel caſeum coctum, aut oratorem, & imaginem recte reprobauerunt, ſi quiſquam humanum ſanguinem facere minime crediderit, quo falſo memorata à ueteribus cętera uideantur. Accuſatis igitur, ſiue nudatis ſummatim ueterum curationibus, non eſt abſurdum etiam cum nominibus errores arguere ſingulorum. Hippocrates de epilepiſia ſcribens communiter ait: Quiſquis in humano corpore agnouerit ſiccandi uel humectandi, aut frigidandi, uel calefaciendi cauſas, idem etiam iſtius paſſionis poterit uidere rationem: & neque quo modo, neque ex quibus, neque quando uel quouſque hęc fieri debeant, tradere curabit. Item Diocles libro quo de paſſionibus ſcripſit, in ijs qui ex uinolentia, uel carnali cibo iſtam paſſionem conceperint, phlebotomiam probat, antecedentes potius quàm pręſentes intuens cauſas. In ijs uero qui ex corporis habitudine in iſtam uenerint paſſionem, humoris craſſi detractionem probat adhibendam, quem appellaui phlegma. Vtitur etiam urinalibus medicamentis, quę diuretica uocant: item deambulatione ac geſtatione. Quę, ſi etiam uera eſſent adiutoria, ob paruitatem tamen numeri & magnitudinis ſuę, magnę paſſioni difficile poſſent paria pronunciari, aut eius deſtructioni ſufficere. Item libro Curationum phlebotomans utitur medicamine catapotio, quod ſtomachum euertit, atque poſt cœnam uomitum facit, exhalationibus implens caput. Potat etiam aceto, ſternutamētum commouens prius quàm in ſomnum ueniant ægrotantes, profecto intemporaliter commouet ſenſuales uias. Dat etiam abſinthium, centaurion, & lac aſininum, & equorum impetigines, uel mulorum, neque tempus adijciens factis, & odioſis ægrotantes afficiens rebus. Praxagoras uero ſecundo libro Curationum caput imperat radendum, adhibens fricationes & cataplaſma ex aceto ſine Venere, dolentibus ſpeciebus etiam ſternutamentum commouens, & ieiunum uomitum per ſingulos dies, utens etiam poto lacte cum mulſo atque ſale. Item deambulationibus plurimis atque uehementi motu, celebratis & potionibus urinalibus, & cibis uarijs, & agninæ carnis, ſiue hœdinæ, atque porcinæ & catulorum, dans acetum bibendum atque uinum, & poſt uomitum ſternutamenta & odoramenta probans, ſpiritus retentionem. Item uſturam atque inciſuram partibus, adhibens etiam uentriflua medicamina: & cum acceſſionem uiderit cōmoueri, deprimit partes quę fuerint in querela, atque defricat caſtoreo, & uituli marini ueretro, ſiue uirilibus hippopotami, aut teſtudinis ſanguine, uel rhombi marini, omnia confundens. non enim initio raſio capitis eſt adhibenda, nec aceto denſandum corpus, neque diurno uomitu uexandum, ſiquidem fortitudinem tollant: neque plurimo ſternutamento, implet enim ſenſus: neque urinalibus medicaminibus, ſiquidem corpus nimium laxent: neque purgatiuis, ſiquidem non aliter uexent: neque catulorum carnibus,

bus, propter suæ qualitatis horrorem: neque detentione spiritus accessione imminente, tunc enim tempus est requiescendi: neque compressionibus, asperant enim tumores: neque curiosis odoramentis, siquidem caput impleant: neque incisura, ob inutilem dolorem: neque ustionibus, superpositionis enim tempore asperant ob tumorē passionem. In lenimento uero resumendos uexatione doloris fatigant, & usui recorporatiuorum adiutoriorū obsistunt: neque coagulo uituli marini, uel ueretro, aut testibus hippopotami, uel testudinis sanguine, aut rhombi marini. Hæc omnia experta neque ratione, neque regula, sed tētatione probantur. Item Asclepiades primo libro Celerum uel acutarum passionum, eos qui corporis raptu afficiuntur solos imperat phlebotomari: non aduertens, quia ex eadem adstrictione generales queque species epilepsiæ formantur, sed accessione grauior altera comparabitur. quapropter magis exigit phlebotomiæ beneficium. Item phlebotomatos iniici iubet clysteri, uel collyrio, quod balanon appellant, odoribus tetris adhibitis, & fumationibus, & naribus aceti insufflati insufflatione, atque uolutatione in sindone præstita. Prohibet sanè carnales cibos & uinum, sed imperat Ven[illegible]m, quorum accusationem atque improbationē ex ante scriptis accipe poterim. At Serapiō primo lib. C[illegible]tionum multis ex rebus diligētiam curandi confundit. Vngit enim residuum corpus oleo, colla uero aceto cum oleo rosaceo, constringens ea quę laxatione indigeant. Tunc exercitio adhibito dat mulsum bibendum, ex aceto confectum: ac deinde nihil accipere iubet ægrotantes, sed quiescere. Tunc deambulare circa uesperam, ac rursum conquiescere, & deambulationem repetere. Tunc lauari, & adhibita requie bibere hysopi decoctionem cum aceto, atque mel in trium heminarum quantitate, tunc cibum sumere, erroribus mille stomachum uexās, ut semel cibo reficiat. Vtitur etiam ante unum uel duos dies, si ordine certo accessionis occurrerint, nunc sanguinis detractione, nunc purgatiuis medicaminibus: sed nunc per superiora, aut albo helleboro, nunc per inferiora, aut scamonia, uel nigro helleboro, & ijs similibus perniciosis turbationibus corpus adficiens eo tēpore quo requies adhibenda est, ne ulla occasione accepta accessio generetur. Ordinat pręterea quę specialiter passioni congrua medicamina nuncupauit, ex castoreo & equorum impetiginibus. Sunt autem squamulæ anteriorum crurum sub armorum partibus in ipsis animalibus natę: has Græci lichenas uocāt, siue chelidonas: nos uero, ut supradictum est, impetigines uel hirundines. Dat etiam cameli cerebrum atque fella, & coagulum uituli marini. Item dat medicamen quod ex crocodili terreni stercore confectū probat, & leporis corde, & lumbis, & testudinis marinæ sanguine, uel testibus apri, uel arietis, aut galli gallinacei. Adhibet etiam odoramenta, & iniectiones clysteris, non minus ab epilepticis in curationibus cadens. Item Heraclides Tarentinus secundo libro Interiorum curationum eadem medicamina conscripsit. Multi quoque uetustiores istam curationem ordinantes uarijs erroribus conciderunt, quos memorare superfluum est: quippe cum eorum uires proditione temporis expirasse uideantur: ex quibus est Menecrates Zeophletensis, item Tryphon, Philotimus, Chrysippus, Demarchus, & horum plurimi. Quod est nudum atque probabile ex conscriptione curationum Apollonij Citiensis secundo libro de epilepticis: item Nicandri tertio libro. Themison uero libro primo tardarum passionum Asclepiadis erroribus. Nondum purgatur ante accessionem phlebotomandus, inquit, si ordo fuerit augmentorum præseruatus: sin uero errans fuerit perspectus, post accessionem imperat phlebotomiam adhibendam. Modū autem detrahendi sanguinis eius approbat mutationem. Quæ sunt uanissimæ inuentiones: sicut libris Specialium adiutoriorū docuimus. Tunc si in brachijs, uel in cruribus, inquit, aliqua querela extiterit, earundem partium uenas diuidendas. Sin minus, interiorem uenam distringendā lino, conijciens melius esse ex partibus non patientibus sanguinis coaceruatam facere detractionem: siquidem patientes magis grauentur ob irruentem materię lapsum, qui detractæ superet modum. Tunc post phlebotomiam deambulatione utitur, & defricatione alienis manibus adhibita, quo corporis motus conquiescat. Dat etiam cibum ex mediæ qualitatis materia, & nulla cogente ratione rursum sanguinem detrahit. Sed si ordinem seruauerint accessiones, intra quinque dies secundo uel tertio detractionem facit. De alijs quoque multis atque omnibus corporis partibus, & talis & brachijs, nil metuens defectionem, sanguinem detrahit. In lenimēto uero, ut exempli causa XXX dierum, post accessionem helleboro utitur, post quatuor uel quinque dies. Tunc sequenti initiet, atque alia die adhibet lauacrum, & tribus uel quatuor diebus cæteris cursibus cyclum complet, ac deinde rursum adhibet helleborum post accessionem trāsactam, uel certe radiciū adhibet phlebotomum dissecans corpus: quod erat melius ordinare ante usum hellebori, quo leuiora maioribus præponerentur: quippe in recorporatiuis curationibus. Adhibet præterea clysterem, qui uires detrahat ægrotantis, & propterea sequi non debuerit. Supra dicta utitur etiam localibus adiutorijs, & quidem multis pro differētia, & quibusdam falsissimis, ut est sub occipitio accurata diuisura, quam chiasmum uocari diximus: & ferro circunscripta in capite cutis ustura, qua testa squamulis despumatur. Itē medium testæ, quod Græci bregma appellant, terebri perforatione, & in accessione constrictione articulorum, & odoribus tetris atque male olentibus, ex pice, atque ex spondilio castoreo, galbano, sinapi cum aceto, quæ ex ante dictis erunt protinus refellenda.

De furore siue insania, quam Græci Manian uocant. Cap. V.

PLATO in Phædro duplicem furorem dixit: unum fieri mentis intentione, ex corporis causa uel origine: alterum diuinum siue immissum, eiusque Appollinem inspiratorem esse, atque nunc uocari diuinationem: ab antiquis uero appellatum furorem. Magna Grecorum uetustas manian appellabat,

quæ nunc mantice dicta est. Item alium, inquit, ex Libero fieri patre: alium ex amore, & appellauit eroticon: alium ex Musis, quem appellauit protrepticon, quòd carmen instruere uideatur. Item Stoici duplicem furorem dixerunt: sed alium insipientiæ genus, quo omnem imprudentem insanire probant: alium ex alienatione mentis, & corporis compassione. Item Empedoclem sequentes alium dicunt ex animi purgamēto fieri: alium alienatione mentis, ex corporis causa, siue iniquitate: de quo nūc scripturi sumus. Quem Græci, siquidem magnam faciat anxietatem, quam appellant manian. uel quòd animum siue mentem ultra modum laxet: manon enim dimissum siue mollem appellant. uel certe quòd polluat ægrotantes: nam pollui Græci lymænin uocant. uel certe quòd desertam, siue solitudinem cupientes faciat ægrotos: nam Greci destitui, atque solitudinem petere, monusthæ dicunt. uel quòd perseuerantius corpus teneat, & difficile pellatur, & ob id Græci ueluti moniam dixerunt. uel certe quòd duros atque perferentes faciat ægrotantes, quod Græci hypometicos uocant. Est autem alienatio tardans in febribus, quo à phreneticis discernitur. Siquidem neque celer, neque cum febricula esse uideatur. Vel si quisquam furiosus febricitauerit, discernatur à phrenetico temporis consideratione: nam præcedit in furiosis furor sequenti febricula, & non ita paruo pulsu afficiuntur, quæ utraque necessario phreneticos sequentur. Generatur autem frequentius in iuuenibus, ac medijs ętatibus, difficile in senibus, atque difficilius in pueris, uel mulieribus: & nunc repente inuadens, nunc paulatim increscens: & nunc ex occultis, nunc ex manifestis causis, ut est ustio, perfrictio, indigestio, uinolentia frequens atque immodica, quam Greci crępalen uocant. item uigilię iuges, & amor, uel iracundia, aut mœstitudo, uel timor, uel superstitio nimia. Item concussio, siue percussio, & intentio nimia sensuum & intellectus ob cupiditatem disciplinarum, uel quęstum pecunialem, aut gloriam. item pota medicamina, uel magis ea quę amorem facere uideantur, à Gręcis philtropota appellata. item detractio hęmorrhoidarum ueterum, siue uaricum, aut abstinentia in fœminis solitę purgationis. Sequentur autem eos qui non repente hac passione afficiuntur, priusquam morbus enitescat, ea quę etiam epilepticos futuros afficiunt, & apoplectos. Signa denique ex ante dictis sumēda memorauimus: sed hęc quidā discernunt, ut communibus propria iungentes: graues etenim, inquiunt, somni magis epilepsiam fore significant: atque è contrario leues atque parui, furorem. Sic etiam in iracundia constitutos capitis implemento affici atque ęstimare se in furorem deuenisse, & rursum silentio opprimi ex inani timore. item mœstitudo, uel animi anxietas, & iactatio, uel plurima ciborum appetentia, & oculorum frequens palpebratio, cordis saltus, & somni cum timore terribili uel turbato effecti. item uentris extantia, & frequens descensus uenti per podicem, pulsus paruus atque crebrer, & uehemēs: etenim in epilepsiam decliues ac pronos maior atque rarus pulsus sequetur & imbecillus. Intuendam etiam, inquiunt, qualitatem aduenientium morborum: sępe enim quadam contagione ingeruntur, quę uniuersa secundum nos non tutissima atque certam faciunt discretionem supradictarum passionum: etenim futuris epilepticis, uel in passionem pronis uigilię irruunt, & anxietates, & cętera. Item in aduentitijs morbis aliqua ex ijs eueniunt, necessario omnia, uel certe aliqua quę non enumerauerint signa. Emergente enim siue prodita passione, alienatio mentis fiet sine febribus, & quibusdam uehemens, quibusdam leuis, & alijs alia specie atque uisu differens, uirtute tamen atque genere uno confecta: nam furor nunc iracundia, nunc hilaritate, nunc mœstitudine, siue uanitate occupat mentem: nunc timore comminante inanium rerum, sicut quidam memorauerunt, ut nunc speluncas timeant, nunc lacunas, ne in easdē concidant, uel alia quę terrori esse possunt. Item esse furorem cum quadam uaticinatione ueteres posuerunt. Demetrius etiam parui temporis mentis extensionem furorem appellat. Item turbine repentino expauescentes atque percussos quosdam, ut etiam obliuione pręgestorum afficiantur. Sic denique Artemidorum grammaticum Apollonius memorat nitente gressu crocodilum in harena iacentem expauisse, atque eius motu percussa mente, credidisse sibi sinistrum crus atque manum à serpēte comestā, & literarum memoria caruisse obliuione possessum. Item melancholiam inquit speciem furoris esse nuncupandam: nos uero ipsam quoque discernimus à furore. Est autem insania siue furor nunc iugis, nunc temporis interiecti requie leuigatus, efficiens ut ęgri nunc non meminerint sui laboris, nunc obliuionem nesciant suam, & nunc omnium sensuum alienatione uexentur falsitate possessi, nec aliarum specierum errore fallantur. Sic denique furens alius se passerem existimauit, alius gallum gallinaceum, alius fictilem alius laterem, alius deum, alius oratorem, alius tragœdum uel comœdum, alius stipulam ferens mundi se cēsum tenere, alius se sustentandum manu poscebat, uagiens ut infans. Horum plurimis accessionis tempore oculi sanguinolenti fient atque attenti. Accidunt etiam uigilię iuges, uenarum extensio, genarum rubor, corporis durities, atque aliena fortitudo. Patitur autem omnis neruositas, ut ex ijs quę sequuntur uel accidunt conijcere poterimus, magis tamen caput: etenim antecedentes plurimę querelę eius partis existunt, cum grauedine atque dolore afficiuntur, singulis quoque sensibus patientibus, quos in capite nouimus constitutos: & pręterea passio magna atque tardissima superpositionibus ac lenimentis uariata, ex constrictione confecta: etenim ijs, qui Mnaseam sectantes alium putant, adquiescendum non est, suspicantibus eum furorem, qui hilaritate affecerit ęgrotantes, solutionis appellandum. Falluntur etenim nominis uoce: siquidem Gręci diachysin animi laxationem dixerunt, siue diffusionem, cum hoc animi, non corporis ostendat qualitatem: nam quòd omnis furens strictura afficiatur, manifestum atque probabile est ex oculis sanguinolētis, qui inlato constitutam stricturam denunciant. Item quòd ipsos oculos atque uenas in uultu extantiores habeat, totius corporis attestante duritias, cum fortitudine pręter naturam adueniente obstricturę consensum: denique lenimenti tempore fatigatos se sentiunt ęgrotantes.

Est

Est item coniectura facienda ex ijs quæ mentis alienationem præcedunt, ut capitis grauedo uel dolor, & tardus membrorum motus, spinæ uel scapularum, uentris inflatio. Peccant denique etiam ij qui animæ passionem principaliter, dehinc corporis esse concipiunt, cum neque quisquam philosophorum eius tradiderit curationem, & antequam mente falluntur accidentia substantia corporis habere uideatur. Hæc sunt quæ ad apprehendendum uel discernendum morbum methodus ordinauit. Curationem uero similem epilepticis accipimus adhibendam. Etenim principio conuenit iacere loco mediocriter lucido atque calido, & nullo turbore pulsato: nulla quoque picturæ distinctione, neque fenestris humilibus luminato, neque in superioribus potius quàm in solo: plerique enim furore correpti sese præcipites dederunt. Est etiam lectus firmissime, atque auersus ingressum cubiculi locandus, quo ingredientes minime uideant ægrotantes, ne uultus uarietate lacessiti furoris augeant uanitatem. Stramina præterea mollia sunt approbanda cum defricatione ac retētione articulorum, blando scilicet tactu: & si qua pars corporis saltu fuerit agitata, tepidis uaporationibus erit mitiganda, appositis lanis mollibus ac limpidis, atque capiti, collo, & thoraci circulatim. fotus quoque adhibendus olei calidi, admixto aliquando mitigatiuæ uirtutis causa fœnigręci liquore, & eius decoctione confecto, sed minime pingui, uel certe hibisci infusione aut lini seminis: tunc oris collutio, atque potus ex aqua calida. Erunt præterea multorum ingressus prohibendi, & maxime ignotorum. Mandandum quoque ministris, ut eorum errores quodam cōsensu accipientes corrigant, ne aut oībus consentiendo augeant furorem, eorum uisa confirmantes, aut rursum repugnando asperent passionis augmentum: sed inductiue nunc indulgeant consentientes, nunc insinuanda corrigāt uana, recta demonstrantes. Ac si exilire cœperint, ut difficile teneantur, uel solitudine potius exasperantur, oportebit plurimis uti ministris, & præcipere ægros latēter retineri, ad articulorum fricationem, quo minime prouocentur: si etiam uisu hominum fuerint commoti, erit adhibēda ligatio sine ulla quassatione, prætectis articulis ex lana. Tunc fasciola ligatur, ac si quidquam timere uel reuereri consueuerint, non erit itidem frequenter inducendum: continuatio enim contemptibilitatem parit: uel cum causæ coegerint, uel adiutorio adhibendo non succubuerint ægrotantes, tunc erit necessario inducendum, quo ægri terrore uel reuerentia opprimantur. Ac si etiam lucem animo contraria commouentem uiderimus, erunt eorum oculi adumbrandi, quo cæterum corpus luce tangatur. Adhibenda cibi abstinentia usque ad primam diatriton, ac permittentibus uiribus phlebotomia, si passio coegerit intra diatritum, & si ulla obstiterit causa detractionis congruæ faciendæ aliquoties adhibita detractione modus implendus. Si horum nihil obstiterit, in ipsa diatrito erit phlebotomia adhibenda, tunc perunctio: ora fouenda, dandus cibus leuis, paruus, digestibilis, ut panis ex aqua calida, uel alica ex melle leuiter decocto confecta, uel sorbile quidquam, aut tenerum. Exinde usque ad passionis declinationem alternis diebus æger nutriendus, si uires eius permiserint. Proluendus denique etiam clystere simplici, si passio poposcerit. Tunc etiam præcordia cataplasmatibus relaxanda, ob digestionis qualitatem, quo nulla constrictio spiritum abstentum capiti transmittat. Attendendæ etiam species alienationis, cuius accidentia contrariorum coniectura erunt mitiganda, ut eum hilaritate relaxent, nunciantes quidquam quod animum resoluat. Dehinc cum status passionis apparuerit, detōso capite atque raso, cucurbitā infigimus, adiūcta scarificatione, & primo ex præcordijs, tunc inter scapulas, quas Gręci metaphrenum uocāt: consentiunt enim facilius istis superiora. Dehinc etiā occipitio ac uertici, & tēporibus capitis. ac si uultus uel ora fuerint affecta plurimū, totū corpus erit sanguisugis releuādum, quas hirudines appellamus. Tunc cataplasmādum ex pani cæteri laxatiuæ uirtutis: dehinc spōgijs uaporādum: & si passio ijsdem pmanserit, secundo uel tertio ijsdem perseuerabimus adiutorijs. si uigiliæ fuerint cōsecutæ, adhibenda gestatio primo ex lectulo pēdenti, tunc ēt fertoria sella. Adhibēda etiam aquæ destillatio crebra, cuius sonitu sæpe ęgrotantes inducti somnos capiūt. Tunc etiam spongijs calidis oculi uaporandi, atque palpebrarum duritia relaxanda, quo etiam per oculos usque ad cerebri mēbranas beneficiū pueniat curatione: ac si passio declinauerit, & propterea minime uigilare, atque alienari cœperint ægrotātes, dabimus uariū cibum ex mediæ materię qualitate. Tunc si doloris sensum ęgrotantes acceperint, adhibēda embasis ex oleo, uel admixto aliquāto liquore, quo fuerit hibiscus pcocta. Tunc capiti atque scarificatis locis cerotaria apponēda, & ex eis liquefactū corpus omne perungendum miti defricatione. Tunc acopis atque malagmatibus ueterū, q̄ nulla nimietate percutiāt, motum quoque gestationis adhibentes: & primo gestatoria sella, tunc uehiculo manibus acto, atque toto fortificato corpore erunt in deambulationē cogendi: & uocis exercitium quod cuique conuenerit: nam literalis etiā lectio adhibēda est, & quę sit aliqua falsitate culpata, quo interius mentem exerceant ęgrotantes. Quapropter interrogationibus quoque erunt fatigandi, ut nunc mendacij causa, nunc promēdi quod quærimus exerceri uideātur. Tūc sibi dimittēdi, data lectione quę nō sit intellectu difficilis, ne plurimo labore uexētur: hæc enim, si supra uires fuerint, nō minus afficiunt q̄ corporis imodicæ gestationes. Item post lectionem aliqua cōposita uel mimica sunt offerenda, si mœstitudine furentes laborent, aut rursum tristitiā uel tragicum timorē habentia, si puerili luxu furentes afficiātur. Oportet enim cōtrarietate quadā alienationis corrigere qualitatē, quo animi quoque habitus sanitatis mediocritatem agnoscat. Tunc proficiēte curatione erunt pro possibilitate meditationes adhibendæ, uel disputationes: sed nunc quoque similiter ordinatæ, ut principia leui uoce promātur: narratio uero & demōstrationes extenta atque maiore: tūc epilogus dimissa & indulgenti, sicut ij qui de exercenda uoce, quā Græci anaphonesin uocāt, tradiderūt. Adhibēdi denique auditores sunt ægrotāti cōsueti, q̄ fauore quodā atque laude dicta, psequētes dicētis aīum laxent: etenim iucūda exercitamēta corporis adiuuāt sanitatē. Tunc post meditationē uel disputationē deducēdus mox est, atque perungēdus leuiter ægrotās, & deambulatione leui mouēdus: ei aūt qui literas

nesciat immittẽdę quęstiones erunt, quæ sint eius artis proprię, ut rustico rusticationis, gubernatori nauigationis: ac si ex omni parte iners fuerit curandus, erunt uulgaria quædam quæstionibus tradenda, uel calculorum ludus · habet enim quiddam quòd animum exerceat, & magis si peritior ægrotãti colludat. Tũc post requiem adhibita deambulatione erunt diligentius perungendi: & primo parua atque simplici defricatione mulcendi: dehinc profectu apparente etiam deuexo ductu post humeros atque colla defricatione potiore, & leui deductione, quam Græci catapasmon uocant : ultimo fricandum etiam caput, quod fuerit releuatum, lauacrum erit adhibendum : & sicut de epilepticis dictum est, uarius dandus cibus inhibito uino. Tunc addendum quidquam pomorum, quo corpus prætentemus : dehinc uinum dandum tenue, leue atque paruum medio cibi tempore : & primo inter quinque dies, tũc inter quatuor, dehinc inter tres atque duos : item alternis diebus : ita quotidie interiecta uel uariata aquæ potatione eodem cõtrario ductu quo uinum uariabamus. Tunc cum nulla cœperit æger nouitate seruari, & perferre singula didicerit, erunt addendæ aeris mutationes. Et si quidem philosophorum disputationes audire uoluerint, erunt adhibendæ : etenim timorem, uel mœstitudinem, aut iracundiam suis amputant dictis, ex quibus nõ paruus profectus corpori commodatur. ac, si passio permanserit, & corpus tarditate possederit, superpositionibus ac lenimentis uarianda erunt : & superpositiones mitigandæ eisdem adiutorijs, quæ initio furentibus sunt ordinata. In lenimento uero prius adhibendus resumptiuus cyclus per uariam gestationem, atque uocis exercitium musico monitore compositum. Tunc deambulatio atque gestatio, & cibus uarius, & ijs similia : secundo recorporatiuus, sicut superius docuimus. Vtendum etiam localibus adiutorijs, hoc est cucurbitis recorporatiuis, & rasione capillorum : item sternutamento, & dropace communi, atque composito ex nitro, galbano, mãna, pyrethro, euphorbio & pipere : tunc paroptesi atque catadysmo, & aspergine pulueris nitrei. Torrendum etiam corpus feruore solis, prætecto capite: dehinc sinapismo & exercitio uario ac uehementi. Sed hæc omnia cum adhibentur etiam localibus adiutorijs prius erunt prætangendæ ac renouandæ, longe remouendæ à patientibus partibus. Tunc secundæ ac uicinæ, dehinc ipsæ: etenim quoties longe remota præmouentur, transmissa commoditas sine partium curandarum commotione latenter aduenit, & nullam facit capitis inflationem. Dehinc adhibẽdus uomitus ex albo helleboro radicibus inserto : & magis, si quisquam ex radice pura noluerit digitis uomitum prouocare : fit enim ut inserto helleboro sponte uomitus nascatur. Tunc etiam ipsum helleborum dabimus: &, si oportuerit, non semel, sed sæpius per interualla temporum. Item aurium cauernis inijcere debemus aquam nitro aspersam, uel mulsum cum semine urticæ, uel sinapi liquido, quo etiam per sensuales uias ad membranas cerebri recorporatiua uirtus adueniat : quippe cum etiam aurium tinnitus sæpissime ægrotantes afficiat. Dehinc erunt rursum resumendi aliptarum diligentia. Vtendum quoque naturalibus aquis, ut sunt nitrosæ, & magis si odoris non fuerint tetri, quo membranę capitis quatiãtur. Vtendum etiam peregrinatione terrena atque maritima, & animi auocamentis, quibus mentis laxatio fiat.

Erit etiam conijciendum, ex mœstitudine quantum permaneat passionis, quanquam soluta uideatur, non aliter quàm si terebratis oculis, quod Græci paracentesin uocant, ob tardam suffusionem quanquam sit perfecta curatio, uisus impedimenta perseuerant, quę quadam consuetudine potius, quàm passionis præsentia fieri uidebantur. Solutam uero uel conuictam passionem intelligere poterimus ex ijs quæ de epileptica curatione memorantes docuimus. Hæc est secundum methodum furiosorum, siue insanorum curatio. Aliarum sectarum ueterum methodicorum plurimi, obscuris in locis habendos inquiunt ægrotantes, neque accidentia passionis conijcientes : siquidem sæpe quidam obscuritatem odisse uideantur, neque ipsam passionem, quòd sit ex strictura effecta. etenim densata corpora aeris obscuritas minime reflari permittit : abstinentis denique naturalibus officijs impletum caput magis grauatur. Adhibendam etiam immodicam abstinentiam, quam Græci læmanchiam uocant: non aduertentes, quia immoderata cibi abstinentia uires corporis uexat, & ægrotantem naturali fortitudine desertum adiutoria ferre non patitur. Perdit etiam cibandi tempora, ex quo densata corpora sæpe laxantur. Non enim uere admittenda aut credenda sunt ea quę suspicantur, quibus ipsi insanire potius, quàm curare uideantur: aiunt enim ferarum similitudinem intuendam, quæ deductione cibi, posita ferocitate mansuescunt: non aliter etiam furentes posse iugi abstinẽtia mitigari: quippe cum inter sanos homines facile sapere ieiuni uideantur: post cibum uero affici hilaritate facilius, aut furore. Iubent præterea uinculis ægrotantes coerceri, sine ulla discretione: cum necessario deuinctæ partes quatiantur, & facilius ægros ministrantium manibus, quàm inertibus uinculis retinere. Cupiunt etiam certis medicaminibus somnos altos efficere, papauere fouentes, & pressuram potius atque grauationem capitis, non somnum ingerentes fouent. Etiam oleo rosaceo aceto admixto, serpillo & castoreo, & cæteris similimę uirtutis caput obsidunt, constringentes ea quæ laxatione indigeant. Item alij frigidis usi sunt rebus, passionis causam ex feruore uenire suspicantes, ut Aristoteles & Diocles: nescij, quoniam feruor innatus sine dubio tumoris est signum, & non, ut existimant, passionis est causa : quare peiorare necesse est, & maiorem furorem fieri, cum frigida curatione corpora densantur. Alij uero phlebotomiam adhibendam probant ex duobus brachijs usque ad animæ defectionem, ut sæpe faciant mori cupientes : etenim defectio, aut uirium amputatio sequuntur immodicam sanguinis detractionem, quam non oportebit ex utroque brachio fieri. Dicunt præterea usum esse clysteris addendum, ex acerrimæ uirtutis liquoribus iniectione frequenti. Ex quibus nihil utile, sed potius dysenteria sequatur: dantes etiam urinalia atque uentriflua medicamina potanda, quæ diuretica uel cœliotica Græci uocauerunt. Auertendam etenim è superioribus ad inferiora materiam dicunt, ex quibus corpora tabescunt, neruositas uitiatur. Item alij inebriandos

dos aiunt ægrotantes, cum sæpe ex uinolentia furor atque insania generetur. Alij flagellis aiunt coercendos, ut quasi iudicio mentis pulso resipiant, cum magis tumentia cæde lacessendo faciant asperiora, & adueniente lenimento passionis cum sensum recipiunt plagarum dolore uexentur. Vel certe sic ut ratio poscit uicinis magis ac patientibus locis adiutoria sunt adhibenda: coguntur ergo ut ori uel capiti plagas imponant. Vtuntur etiã decantionibus tibiarum uaria modulatione: quarum alterã phrygiam uocant, quæ sit iucunda atque excitabilis eorum, qui ex mœstitudine in furore noscuntur: aliam diram, uel quæ occupata mente pudorem suadeat, iniecto rigore, ut in bello, quam dorion appellant: in ijs qui risu, uel puerilibus cachinnis afficiuntur, cum cantilenæ sonus caput impleat, ut etiam recte ualentibus apertissime uideatur: uel certe, ut plerique memorant, accendat aliquos in furore, quo sæpe uaticinãtes Deum accepisse uideantur. Alij uero amorem furentibus aiunt procurandum, quo mentis intentio conuersa furoris asperitate purgetur, non intuentes nudissimam ueritatem, quòd plerisque furoris amor fuerit causa. Sic denique alius amore Proserpinæ petit inferna, & sibi licitas alienę ac diuę coniugis credidit nuptias: alius nymphæ ob desiderium Amphitritis sese deditum mari proiecit. Ferunt Græcorum commenta loquacia & hiereprolis fœminam humanis exercitatam fatis, & sæuo pœnitudinis dolore commotam, sua manu suos extinxisse successus. Neque aspernandos cæteros accipiamus, qui ipsum quoque amorem generaliter furorem uocauerunt, ob similitudinem accidentium, quibus ægrotantes afficiuntur: & est impium atque absurdũ passioni adiutoriorũ in id ipsum probare quod curas: omitto quod sit impossibile, amorem furentibus persuadere: siquidem iudicio carentes pulchritudinem probare non possunt: nam sæpe homines feras existimant, uel ea quæ uiderint, fingendo præsentia putant. Dehinc etiamsi amor fuerit acquisitus, quid magis probemus erit incertum, utrum'ne prohibendus sit usus uenereus, an admittendus. Sed prohibitus indignari magis cogit ægrotantes, cum desiderata producuntur: item permissus uexat, cum corpore euirato animæ quoque substantia turbatur. Item alij arteriotomian probauerunt, inutili uexatione caput afficientes. Iis igitur omnibus experimentis inanibus conferta est furiosorũ curatio: quæ ne falsa putentur, erunt denunciandæ personæ, atque librorum nomina designanda. Asclepiades autem secundo libro adhibendam præcepit cantilenam. Quo etiam eius discipulus Titus adductus, secundo libro de anima memorat flagellandos. Sed idem etiam officijs solitis amoueri iubet ægrotãtes, & uinculis constringi, & abstinentia ciborum nimia coerceri, & siti affici, tunc uino corrumpi, uel in amorem induci, cætera primo libro tardarum passionum supradicta compleuit. Item Themison phlebotomatos constrictius curat fomentis, qui se sua lege tenere non potuit: adhibens etiam lauacrum, atque uinum plurimum, & amorem suadens adiuncta ciborum copia: alijs quoque incongruis utens rebus, quę magis Asclepiadi, quàm Themisoni sunt adscribenda: nondum enim sese eius liberauerat secta, sic hæc ordinasse perspicitur.

De Melancholia. Cap. VI.

MELANCHOLIA dicta, quòd nigra fella ægrotantibus sæpe per uomitũ ueniant: Græci enim nigrum melan uocauerunt, fel autem cholen appellant: & non, ut plerique existimãt, quòd passionis causa uel generatio nigra sit fella: hoc enim est æstimãtium magis quàm uidentium ueritatem, uel potius falsum, sicut in alijs ostendimus: nam Tullius atram bilem dixit, ueluti altam iracundiam. Item Vergilius, Hercule alta iracundia moto, Hic uero, inquit, Alcidæ furijs exarserat atro Felle dolor. Siquidem melancholici semper tristes, ac nulla penè hilaritate laxati esse uideantur. Frequentat autem in masculis magis, & medijs ætatibus: difficile uero in fœminis, uel alijs ætatibus. sed eius antecedentes causæ sunt hæ, indigestio, iugis uomitus, post cibum medicamina pota, acres cibi, mœstitudo, timor, & cętera quę etiã ualent sufficere. Sequuntur autem in ipsam pronos uel uenturos ea quæ etiam insanos fore denunciant. Eos uero, qui iam passione possessi sunt, animi anxietas atque difficultas tenet, attestante mœstitudine cũ silentio & odio conuiuentium. Sequitur etiam nunc uiuendi, nunc moriendi cupido, cum suspicionibus ueluti insidiarum sibi paratarum. item inanes fletus, atque murmura uacua, & rursum hilaritas, magis post cibum cum inflatione præcordiorum, & articulorum frigore, & leui sudore, atque stomachi mordicatione, uel oris uentris usque ad interscapulas, quas Græci metaphrenum uocauerunt. item capitis grauedo, color uiridis cum nigrore, aut subliuidus, corporis tenuitas, uirium debilitas, & accepti cibi corruptio cum ructationibus odoris tetri, hoc est fumosi, uel bromosi, uel piscosi. item intestinorum tormenta, uomitus, tunc inanis, nunc fellosus, uel ferrugineus, aut niger, & eiusdem qualitatis per podicem egestio. In lenimẽto uero eorum mitigatio, uel multorum depurgatio. Sed hanc passionem furoris speciem alij plurimi, atque Themisonis sectatores uocauerunt. Differt autem, siquidem ista principaliter stomachus patiatur, in furiosis uero caput. Et est communiter stricturæ passio magna: aliquando etiam complexa, ob plurimas egestiones. Præterea est ex numero tardarum passionum, quas Græci chronias appellant. Curatio autem adhibenda est, quam furiosis ordinauimus: non enim phlebotomiam reprobandam attestante dolore, aut hellebori purgationem attestante passione approbamus: sed exterius localia adiutoria, atque mitigatiua, siue corporatiua magis ori uentris, atque inter scapulas sunt adhibenda. Ac si forte aut uomitus immodicus, aut egestio uentris coegerit, constrictiua sunt cataplasmata apponenda uentri atque stomacho, ut ex palmulis thebaicis infusis uino uel posca, admixtis etiam malis punicis, uel cydonijs, & œnanthe, & alumine scisso, aut hypocistide, uel acacia, siue galla, & ijs similibus. Dandi etiã cibi constrictiui, atque apponendæ eius uirtutis cucurbitę. Alia uero medicarum sectarum præfectis relinquamus, & ijs qui de furiosis scripserunt. Adhibent etiã bibenda medicamina, hoc est, aloen & absinthium iugiter, quę propter uim suã, quã habent plurimã, excludenda probamus: quippe cum sit possibile ex consuetis perficere sanitatẽ. Aloes & absinthij

CAELII AVRELIANI SICCENSIS CHRONION

LIBER SECVNDVS.

De Paralysi. Cap. I.



IN SENIBVS atque hiemis tempore frequentat hæc passio: difficile autem in calidis ætatibus; sed generatur nunc ex occultis, nunc ex manifestis antecedẽtibus causis, ut quassatione, uulneratione, uel alia qualibet passione: item frigore profundo, uinolentia, indigestione, luxuria, atque libidine frequenti extenta: item medicaminibus potis. Sed est uel fiet paralysis nunc sensus, nunc motus, nunc utriusque. Et intelligitur sensus paralysis, quoties feruens atque frigidum non sentiunt ægrotãtes manifeste partium naturalium motu: motus autem, quoties feruens atque frigidum sentiunt motu partium carentes; utriusque uero paralysin factam accipimus, quoties motu atque sensu caruerint. Item hæc passio nunc partis est, nunc partium, nunc totius corporis cum apprehensione mentis, quam apoplexiam uocantes, acutarum passionum libris tradidimus. Sed plurimis species duæ paralyseos uisæ sunt: alia conductione effecta: alia extensione. Sequuntur autem pronos & decliues in passionem, hoc est, qui non repente fuerint percussi, si totum corpus passurum denuncietur, ea quæ epilepsiam uel furorem denunciant. Si uero ex parte, grauedo partis passuræ sequetur, ut tardus motus cum stupore & pallore, & torpedo cum sensuum debilitate, quæ nunc perseuerantia, nunc sine ratione recedentia intelliguntur, ac rursum recurrentia: dehinc effecta passione torpor atque stupor gelidus partium fiet plurimus, & paruus: & nunc uoluntario motu cessante, nunc ex parte manente, & nunc sensu amisso, nunc paruo remanente, nunc etiam dolore attestãte, obscurato pulsu, & per profectum cessante pallore, & tenuatione partis uitiatæ, nutrimento cessante, quod Græci atrophian uocant. Sequente etiam rugatione cum adductione partium, uel extensione. Aliqui præterea paralipsin uocauerunt eam, quæ ex omni parte naturalem motum abstulerit: paralysin eam, quæ ex plurima parte uitiauerit motum. Quibus minime consentire, maiorum auctoritas iubet. non enim passionum differentiam ostendunt, sed magnitudinem generaliter passionis, ut sunt quædam partes duobus uel plurimis officijs aptatæ, quæ nunc omnium, nunc certorum amputatione uexantur. Lingua etenim transuorationis officium sustinens uerba distinguere non ualebit. Hæc sunt communes paralyseos significationes: sed ob singularem partium atque particularum, quas supra diximus, communiter adprehensionem, specialiter locorum impedimenta tractabimus. Supercilium igitur paralysi uitiatum laxius propendebit circa superius palpebrum, uel certe sustollitur, ut etiam ipsum suspendat. Item palpebrum superius paralysi uitiatum laxius fiet, atque motu caret, & oculi pupulam contegit, uel è contrario extentum sustollitur, & oculorum pupulam nudat. Item interius palpebrum paralysi uitiatum nunc intrinsecus flectitur, nunc in semet uel exterius refunditur, & motu caret, atque oculum nõ contegit. Sequitur etiam inuoluntarius lacrymarum fluor, quod est utrique palpebrorum uitio commune: &, si in risum uenerint ægrotantes, contortum uel conductum simulant uultum. Oculorum uero tunicæ, siue membrana paralysi uitiata uisum impediunt latitudine facta pupularum, quæ passio uocatur mydriasis: ac si cõductione fuerit paralysis facta, angustior pupula fiet, cessante nutrimẽto, appellatur phthisis. Lingua paralysi uitiata uocem nõ differit, sed interius mouetur, & nũc nullius significationis uocem reddit, nunc amputatione facta medio tempore oppressis conatibus conticescit. Demonstrata tamen uerbi intelligibili prolatione, nunc imperfecta, nunc ex omni parte motu carens. Sed discernãtur ab ista passione qui forte ex alia uocẽ amiserint, cum neque colorẽ, uel superficiem lingua mutauerit, neque sensu caruerit, neque motu, neque schema suæ mutauerit positionis, quod fieri necesse est, cum fuerit paralysi uitiata. Itẽ odoramenti officium paralysi uitiatũ odorum non accipit sensum, sed discernitur ab ijs, qui narium uitio officiũ odoris amiserunt, quod appellãt ozænan: quod neque torpor partium, neque pallor, neque nutrimenti desertio sequatur, quam Græci atrophian uocant. Labium superius paralysi uitiatum inuertitur forinsecus proditum magis cum risus aduenerit, aut locutio · conducitur enim sano cum inferiori. Item poto sumpto exterius facit fluere liquorem. Hoc quidam caninum raptum esse dixerunt nescij, sicut principaliter futuro docebimus schemate. Item siagon paralysi uitiatum, siquidem nos musculum qui buccas colligat dicere poterimus, conducitur aut laxatur. Vicinus denique oculus nõ ualebit perfectã facere reclusionẽ conducto inferiore palpebro. Mentũ paralysi uitiatũ amisso motu laxatur, aut uehemẽter sustollitur. Fauces paralysi uitiatæ trãsuorationis difficultatẽ faciũt. Gutturis summitas paralysi uitiata, siue ut rheuma, siue ut Græci bronchos, mortẽ facit, & paruã trãsuorationis tussiculam: siquidem non perfectam eo tempore faciat inductionem, ne superet radicẽ linguæ, quam Græci epiglottida uocant: quo perfecto, accepta conuiuantur. Videbitur denique eius extantia plurimum relaxata. Item stomachum paralysi uitiatum difficultas transuorandi sequetur, uel omnino impossibilitas: unde etiam præsens periculum. Videbuntur etiam difficilia transuorantibus accepta, ueluti acriora, aut immaturo tempore comesta. Item sequitur præfocationis sensus cum frigore, in quacunque eius

parte

parte fuerit paralysis: illic nanque etiam trāsuorata sistuntur. Sed discernuntur ab ijs qui facilem paralysin ex difficultate transuorandi patiuntur: siquidem etiam decolorationes nutrimento cessante, ac frigus, etiam immobilitas faucium necessario concurrat. Item ijs qui ex stomacho sunt humores supra dictis querelis si fuerint adfecti discernuntur, quod etiam dolore atque feruore partium uexantur. Si cor num uel eius summitas paralysi uitiatum, quod nos commune dicere poterimus, quod arteriæ atque stomacho interpositum uideatur, locorum grauedinē faciet: atque, sumpto cibo uel potu, in pręcordijs permanebunt, cum torpore sensuum ac tumore manuum, aliquando & crurum attestante singultu & inani timore: aliqui etiam reuomunt accepta nulla corruptione mutata. Perulo paralysi uitiato cibus nulla digestione mutatur, sed tanquam per infundibulum ad inferiora descendit, & circū uentrem laxior locus efficitur inferius inflatiorque: quæ per uentrem egerūtur, aspera atque plurima erunt, & neque fluida: nestide paralysi uitiato & typhlotero, quod nos cæcum intestinum dicere poterimus, erunt ea quæ per uentrem excluduntur plurima, & minus fluida: uidentur enim nesteuin, cum naturam seruauerint, uel nullo fuerit morbo tentata, tunc plurimum excrementorum acceptorum facere. Colo paralysi uitiato inordinato motu atque inuoluntario stercorea descendunt, sine ulla humectatione, uel cum fœtore maximo eorum fiet egestio sine ullo dolore. Longanone cum sphynctere atque podice paralysi uitiato, erit inuoluntaria egestio stercorum, nisi ex aliqua hoc fuerit circumincisione confectum. Aliquando etiam præcedit, uel certe egestionem stercorum non sine tumore, uel aliqua simili causa fieri permitit. Vesica paralysi uitiata, inuoluntarius urinæ exitus fiet sine ullo dolore, neque incisura, neque circū incisione antecedente. Aliquando etiam per interualla prohibitus, uel paulatim retardatus, aut omnino negatus, & sæpe etiam pubetenus extantia partium fiet, extenta uesica, sed ex tumore, uel sanguinis gelati corpusculis, quæ Græci trombos appellant: aut lapide, uel uulnere difficultas fuerit mictus, aut in toto negatio discernitur, quod sine dolore atque partium liuore, atque sanguinis mictu, apposita manu oppressa pectine urina in paralysi excludatur. Præterea etiam peritoneo paralysi uitiato, ut Erasistratus ait, urina abstinetur, & neque excluditur, nisi adhibito catetheri: non enim uesicæ ambitus naturali consuetudine peritoneo imbuente opprimitur, neque concluditur ad exprimendum liquorem radix uirilis paralysi uitiatus, sed multo maior aut minor efficitur, & nulla tentigine prouocatur. Seminales uiæ, quas Græci spermaticos poros uocant, paralysi uitiatæ, si laxatione fuerit paralysis effecta sine ulla tentigine inuoluntarius fiet seminis lapsus. & uocatur hæc passio gonorrhœa, quam nos seminis lapsum dicimus. Ac si conclusione fuerit paralysis effecta, iugis tentigo ægrotantis sequetur, sine ullo dolore atque seminis lapsu. & uocatur hæc passio priapismus. Crus paralysi uitiatum aut conductione breuius fiet, aut extentione longius, ut plerique putent articulorum delocationem hic factam. Sed discernitur hoc: siquidē cōcauitas atque distāti à loco motos aut eiectos articulos sequatur. Est autē ratione credibile, cęterorum quoque interiorum singula paralysi uitiari, ut pulmonem, cor, uel discrimen thoracis atque uentris, quod Gręci diaphragma uocant, aut hypozygon, uel splenem, aut iecur pręueniri adprehensione mortem patientis: quæ sæpe latent facta, cum non propria possint apprehensione signari. Herophilus denique repentinam mortem nulla ex manifesta causa uenientem, fieri inquit paralysi cordis. Item Erasistratus memorat paralyseos genus, & paradoxon appellauit, quo ambulantes repente sistuntur, ut ambulare non possint, tunc rursum ambulare sinuntur. Est autem passio generaliter grauis atque difficilis, sed grauior curatione fiet, quoties toto sensu caruerint partes atque motu, & in corporibus iandudum debilibus, uel senibus, aut ex alio morbo præuitiatis, ut epilepsia, febre: item si plurimas tenuerit corporis partes, uel uitiatæ necessarias. De nominibus autem specialiter elogiatis paralyticæ passionis, ut mydriasi, phthisi, priapismo, gonorrhœa, & ijs similibus singula præscribemus. De cæteris nunc dicemus.

Hāc ergo passionem multi sectæ nostræ principes stricturā dixerunt, ob duritiam uitiatarū partiū, atque siccitate, & grauedinē, & torporē. Mnaseas uero cōductione factā paralipsin uocat, fierique etiā aliqñ extentione, aliqñ solutione. Nos uero iuxta Sorani sentētiam illā uocamus solutionem, cum plurimæ egestiones corporis fuerint uisæ: etenim manuū, uel pedū, & horū similiū extentione facta, nulla egestione attestāte, & in ligni similitudinem duratis partibus, stricturæ dicimus esse passionē: qppe cum frigescere, uel quadam rugatione crispari corpora commune contrarijs passionibus esse uideatur. Est autem passio generaliter tarda, & accessionibus atque dimissionibus uariata, & superpositionibus ac lenimentis, cuius prædata atque demōstrata significatione, necessario curationem ordinamus. Mox igitur effecta paralysi, lucido loco atque mediocriter calido locandi sunt ægrotātes, & usque ad tertiam diem permittentibus uiribus abstinendi. Tunc nisi uino fuerint pleni uel cibo, mox phlebotomandi: si copia fuerit, ex brachio: sin minus, ex qualibet patienti parte contraria, quo laquei cōnstrictione, & phlebotomi diuisura in passione constituti non afficiantur. Si autem pleni fuerint cibo, alia die erunt phlebotomandi. Sed partes paralysi uitiatæ fricatione atque calefactionibus recurandæ, & lanæ limpidæ ex oleo dulci atque calido expressæ, & circuntegendæ, & fomento relaxandæ. Tunc oris collutio permittenda, atque potu aquæ calidæ erunt prouidendi. Præterea accessionū ac dimissionum diligentius tempora obseruanda, quæ adprehenduntur ex ægrotantium pallore nunc aucto, nunc minuto: uel sensu earundem partium, quibus plus aut minus inesse uideatur. Item ex motu uel īmobilitate, aut grauedine & leuitate, aut frigore & feruore. Tunc diatriti tempore adhibenda perunctio ex oleo calido. Ora quoque fouenda ex aqua mediocriter calida, & dādus cibus paruus sorbilis, ut alica lota ex aqua calida infusa, aut oua. Ac si trāsuorationis faucium partes paralysi fuerint uitiatæ, erunt cucurbitæ obliquis partibus gutturis atque ceruicis appo-

nendæ. Tunc cibus offerendus: etenim extentæ transuorationis officio facile seruire coguntur: exinde donec passio declinet alternis diebus dabimus cibum. Sequenti denique die post diatritum abstento ægro cataplasmatibus utemur ex polline lini seminis & fœnigræci. Tunc alia die, nisi passio creuerit, patientibus locis cucurbitas infigentes scarificabimus: ac, si plurimæ fuerint partes passione uitiatæ, cogentibus magis atque urgentibus ordine præponimus curationem, uel ijs locis, quæ facile poterunt ægrotos in periculum deuocare, aut ex quibus cæteris partibus facile possit curationis beneficium dari. Sic denique stomacho laxato plurima certe conlaxantur, utpote e contrario oppressis principalibus partibus cæteræ necessario comprimuntur. Tunc cæteris trinis diebus, quas diatriton Græci uocauerunt, alias quoque partes cucurbita releuamus. Si siagon, uel mentum paralysi fuerit uitiatum, erunt cucurbitæ temporibus infigendæ, atque musculis buccarum, uel sub aurium lamnis. Ac si fauces fuerint uitiatæ, uel transuorationis partes, prædictis utemur adiutorijs. Item, manibus paralysi uitiatis, erunt humeris uel eorum summitatibus atque palis, & brachiorum musculis, aut cubitorum nodis hæc adhibenda. Item cruribus paralysi uitiatis, uertebris atque genibus cucurbitę infigēdę, quarum quæ partes non accipiunt usum, ut supercilia, labia, digiti, sanguisugis erunt releuandæ. Item si nimiæ tenuitatis causa, aut usus difficultate, neque sanguisugarū morsum tolerare potuerint, ut in palpebris, uel lingua, præfecta uaporatione scarificamus, & generaliter cataplasmatibus utimur. Tunc, si exegerit passio, secundo scarificamus, & spōgiarum uaporatione utemur, ex aqua & oleo solo expressis, uel ex oleo aut decoctione lini seminis atque fœnigræci, uel hibisci, aut maluæ communis uel agrestis. Iis uero qui secundum linguam, uel transuorationis partes paralysi fuerint uitiati, tempore cataplasmatum atque uaporationum iubemus in os dari oleum calidum, uel aquam calidam, & oleum continendum, aut mulsum: simul enim atque eodem tempore ex utraque parte uaporata uehementius relaxantur. Si uenter fuerit retētus, clystere utemur prius quàm partes cucurbita releuamus, ut primo ex aqua mulsa. Tunc si oportuerit, etiam diurnis diebus ex oleo calido iniectiones adhibemus. Si intestina, uel eorum uicinitas paralysi fuerint uitiata, ac si etiam urina fuerit retenta, adhibitis cæteris adiutorijs atque perfectis, encathismata sunt adhibenda. Tunc catatherismus faciendus, quo urina detrahatur, ac post detractionem oleum calidum inijciendum, atque adnexo folliculo catathere ex ea parte quæ cystophilus à Græcis est appellata, uel otico clystere, quem nos auricularem dicere poterimus, tenui exabilisco formatum, quo possit cauernam inuadere directum catathere. Tunc cucurbitas prædictis adhibemus locis, atque uaporationibus & cataplasmatibus eas partes cū podice & ueretris uicinis releuamus. Si stomachus fuerit paralysi uitiatus, omnia sorbilia dabimus, quo facilius transuorentur: ac, si ea quæ sumuntur aliqua ex parte substiterint impedito meatu, ægrotātium manus in aquam calidam mittemus, uel parua uascula aqua calida plena tenenda offeremus. Tunc stomacho leuem cucurbitam infigemus sub ea parte quæ premi uel impediri uidetur: atque ita sensim, uel paulatim eam detrahimus, quo stomachi partes deferendo accipere, uel transire faciamus illata, uel uacuum officium in memoriam reducamus: ac, si uomitus irruerit paralysi facta, nihil dentibus interponamus, si uero conductio, immittimus ceram, uel tabellam alearem, aut feruleam, & ductu contrario fasciolæ corrigere tentabimus deprauata declinante passione: etenim ante id tempus difficiles in consensu partes esse perspiciuntur: & propterea quassatio potius quàm effectus sequitur. Vtemur præterea eodem tempore etiam cerotarijs qualibet paralysi uitiata: & primo simplicibus, ut ex cera & oleo pingui, uel sabina, & squinanto, admixta hibisci decoctione, uel fœnigræci semine contuso, atque trito. Tunc ex oleo ueteri & resina terebinthina adhibemus etiam embasin ex oleo calido. Tunc calidam & oleum, cibum dantes diurnis diebus ex oleribus non acrioribus, atque piscibus petrensibus, & uolantum paruioribus. Vtemur etiam acopis, ut est diasamsucum & diamelilotum, uel omnibus quæ ex adipibus conficiuntur, & medullis, & irino oleo, uel malabatrino, & quirino, & ijs similibus, & malagmatibus talibus, ex quibus est diachilon, atque mnaseum, & diamelilotum, & meline simplex. Tunc gestatione corpus mouebimus pro uirium modo, fertoria sella, siue cathedra, longiore tunc uehiculo manibus acto, dehinc animalibus: sic enim consensu persuasæ altiores in corpore materiæ ad exteriora concurrunt, cum in embasi ex oleo fuerint constitutæ, motus beneficio prælaxato ægrotante. Dehinc lauacrum adhibemus atque uinum paruum: & consequenter singula, quæ passione fuerint uitiata, suo officio exercemus: explorantes etiam, uel intuentes, si quid aliud in corpore passionis occurrerit, ex quo paralysis uidetur effecta, ut hoc quoque destruamus: non hac quidem quod antecedens causa esse uideatur, sed quo etiam eam ipsam passionem necessario intelligamus. Quapropter si uulneratio ei fuerit congrua, gerere debemus sicut in Chirurgumenis, uel Responsionum libris demonstrauimus: reminiscentes, siquidem ex uulneribus facta paralysis fit, diuisura partium necdum proprio nomine uocabulum teneat, sed appellari claudicationes uel tardationes possunt, siue alienationes. Sin uero cicatrix fuerit clausa, hanc mollire tentabimus. Item si spinæ contortio uel conuersio ex causa effecta, hanc corrigemus. Item si febricula, aut nimia capitis passio, quam cephalæan uocant, aut epilepsian, ex ijsdem eas quoque destruemus. Item si euersio, uel inclinatio fuerit matricis, eidem consequenter ordinata adhibebimus, sicut Muliebrium passionum libris docuimus. Sin uero articuli fuerit eiectio, quanquam longi temporis eum recolamus. Item si quis humoris fluor per quodlibet officium naturale ultra modū fuerit dimissus, cataplasmata constrictiua probamus, ut ex palmulis thebaicis, malis citonijs acacia, hypocistide, alumine, & ijs similibus: apponentes etiam emplastrorum ea quæ constrictiuæ uirtutis à Græcis enæma appellata: uel si qua ualent concludere atque siccare fluentia, ut sunt uulnerum

nerum medicamina quæ appellantur melana. Nunc similiter ægros resumemus: ac si passio permanserit, cyclo ductu, resumptionis regula dirigemus per uariam gestationem, deambulationem, uocis exercitium, lectionem, unctionem, lauacra. Tunc post hæc omnia partium adhibemus fricationem, dantes uarium cibum atque uinum, iuxta præscriptam disciplinam omnia augentes atque minuentes: & nunc usque ad piscium qualitatem ordinamus cyclum, nunc usque ad uolantum, tunc etiam agrestium, ultimo porcinæ carnis, sicut superius De capitis curatione scribentes docuimus. Dehinc adhibemus etiam metasyncriticos cyclos, & primo partiles, tunc perfectos, nisi ex initio uires ægrotantis eos perferre non ualuerint. Denique nunc drimyphagia utemur antecedente cibi paruitate, nunc uomitum prouocamus drimyphagian linquentes, & cæteras quoque cycli regulas complemus; & nunc uomitus adiungentes drimyphagian. Ipsum quoque uomitum primo ieiunum probamus, nunc ex radicibus, uel ijs similibus qualitate materijs. Atque ita post frequentem radicum uomitum helleboro utemur, primo radicibus inserto, uel aceto infuso: quo detracto, radices immissæ concisæ ipso cum liquore sorbeantur. Vtemur etiam localibus adiutorijs in ijs partibus quæ sunt paralysi uitiatæ, ut dropaci primo, tunc composito, quem Græci pharmacoden uocauerunt. Psilothro quoque, & cucurbitis recorporatiuis multa cum flamma admotis, atque uiolenter remotis, aut circuntractis nunc ex superioribus ad inferiora: etenim spiritus iandudum motu uacuatus ex alto adducetur, & quadam prouocatione excitus uel accurrens sua cubilia cognoscit, singularum uiarum motus inuadens, passionis deturbato languore. Hoc igitur facere tentabimus ex multis cucurbitis per spinam, recto scilicet ordine post inuicem adfigentes, atque sufficiens tempus adductioni largientes, primo primarum faciemus detractionem, tunc sequentium, quo sibi adductum spiratum tradunt, atque insolitos prouocent motus, atque uerso ordine inferiores primo affigentes easdem detrahemus primo. Post cucurbitationem atque dropacis usum, puluere nitri partes aspergi facimus, & fricari uel sinapi, uel ex utroque. Tunc etiā ijs pulueribus quæ sunt ex calce uiua, fecla, pumice, pipere, pyrethro, & ijs similibus uirtute rebus. Ordinamus etiam unctiones, gestationes uarias, acopa quæ mordicatione quadam corpus afficiant, uel accendant, & emolliant: ut sunt ea quæ conficiuntur ex oleo sicyonico, syriaco, castoreo, aphronitro, sulphure uiuo, agresti cucumere, ammoniaci gutta, squilla, quam uulgo uulum pluriosum uocant, urticæ semine, pyrethro, pipere, helleboro albo, nigella, galbano, iri illyrica, lemnida carie, & ijs similibus. Non aliter etiam malagmata sunt adhibenda, quæ corpus ualeant papulare lacessendo, ut sunt ex flore salis, uel ex nitro, & illud quod nileos appellatur, uel diadaphnidon, uel apollophanos, & caphysophontos: quorum compositiones Responsionum tradidimus libris, pro modo magnitudinis passionum adhibendas, atque lenimentorum alias augentes, alias indulgentes. Ordinamus etiam sole corpus torrendum, uel paroptesin ex carbonibus, aut parietibus calefactis, uel pauimento: item lapidibus ac testis hoc faciunt. Etiam ceromata sub sole ignita, uel terga præuncta, simili modo calefacta, quæ substrata accipiunt ægrotantes uolutatione quadam conuertendi, ac defricandi, & mutandi: etiam loca quæ deseruerint repetenda, ut ueniant feruentiora: quippe cum naturaliter tergora oleo ac sole facile feruescant. Vtemur etiam ob similem corporis curationem, quam Græci phoenigmon uocant, harena litori uicina, quæ fit sole ignita, ut circuntecta gremio foueat ægrotantem. Tunc etiam fomentationibus ex aqua salsa, uel marina, aut decoctione baccarum lauri, uel omnium quæ ita corpus afficiunt: manente passione etiam cataplasma ex sinapi adhibemus, uel contusam atque liquatam ferulaginem, quam Græci thapsian uocant, corpus ungemus usque ad cutis ruborem, atque mediocrem partium inflationem: etenim uulnerari, siue uexari quosdam ex istius herbæ usu immoderationis est uitium, tanquam sinapismi usus immodicus. Generaliter autem similiter medentur etiam uaporationes ex saccellis sale torrido repletis, atque in lauacro igneo usus flabrorum. Ordinamus etiam, si quid partialiter loco patienti poterit adhiberi, ut capiti passione uexato rasionem capillorum, nunc pro capillatura, nunc contra capillaturam. In mulieribus uero, quæ id fieri non facile permittunt, denso pectine exerceri capillos imperamus, supradicta scilicet diuersitate, & cum uehementi conatu, atque primo aliorum manu, & raro pectine: tunc magis dēso, & ægrotantis manu. Ac si odorandi officium fuerit paralysi uitiatum, erunt adhibenda acriora odoramenta, ut ex aceto & sale, aut adiuncto origano in aceto extincto, quo ex eo acriorem profecto exhalationem naribus sapiant ægrotantes. Nunc etiam sinapi, uel castoreo ex aceto soluto per interualla, uel lasare, quod Græci opon cyrenaicum uocant. Sed hæc erunt naribus quoque immittenda, uel sinapi cum aceto, donec prouocentur iubemus eos uolenter emungere. Probamus denique betæ nigræ, uel cyclaminis herbæ succum cochleare plenum naribus infundendum, utentes ptarmicis uehementioribus, quæ nos sternutamenta uocamus, ex pipere, helleboro, castoreo, astrutio, & horum similibus. Post sternutationem uero magis odoramenta utenda probamus: hæc enim uehementius odorationis mouent officium, & solas capitis partes in passione constitutas quadam mutatione reformant. Ac si lingua fuerit paralysi uitiata, uel transuorationis partes, aridum sinapi dabimus masticandum ante lauacrum. Tunc aqua calida os colluere præcipimus. Aliquando etiam liquefactum ex aceto sorbere ægrotantem imperauimus, & gargarizare. Hoc quidem etiam de similibus liquoribus faciemus, ut ex fico, hyssopo, draganto, origano, thymo, pipere, pyrethro, staphysagria: hæc etiam masticanda dabimus. Ipsam quoque linguam lasare fricantes ex aqua soluto. Tunc etiam cornu cucurbitæ in modum adhibemus: adducit enim non aliter quàm hæc spiritum, & insolitas prouocat uias, quæ sunt ex antecedentibus medicaminibus præpurgatę. Item stomacho patiē-

te atque uentre, magis frequentabimus drimyphagian: dantes etiam lasar cũ aceto, ex quibus panis erit madidandus, adiuncto quolibet pulmento. Ac si podex fuerit paralysi uitiatus, aut eius uicina, acriora facimus uel mordicantia iniici collyria, quæ Græci balanos uocant: uel sinapi plurimum fico admixto, atque in collyrium collectum lõgitudine aptum partibus iniicimus, ut ea quæ in aliis ordinauimus fomẽta, nunc pro encathismatibus adhibemus, uel per clysterem iniicimus aliqua ex acrioribus, ut aquã salsam, uel marinam, uel garum, quod appellamus liquamen ex pisce siluro confectum, & si qua fuerint similis uirtutis: quorum omnium dexteros usus, atque confectionis genus, & adhibendi rationem libro Adiutoriorum specialium docuimus. Oportet præterea singulas partes in passione constitutas, suis ac naturalibus motibus admonere, ut supercilium leuando ac deponendo, palpebrã concludendo ac distinguendo, linguam producendo atque conducendo. Hæc sunt ægrotantibus imperanda. Hortandi etiam locutionem tentare: quod si minime facere potuerint, ex omni parte officio linguæ cessante, erunt suadendi, ut animo concepta uoluant quæ proferre nõ possunt: sæpe enim quæ loqui uolentes mente perceperint, in alto formans spiritus accepto motu rumpit in uocem. Vel certe docendi sunt unius exprimendæ literæ curam suscipere, ut intra se exercendo manifestius probent, & magis ex uocalibus, ne difficultate sonitus multarum literarum uocis organa concludantur potius, quàm reserentur. Tunc, cum implere ualuerint, dabimus lexes, atque nomina, quæ sint ex multis uocalibus conscripta, ut est Pæan, & iis similia: sic etiam numeros dabimus, & ex iis exclamare prouocabimus ægrotantes. ac deinde lectionem offeramus, uel disputationem. Hæc adhibenda sunt etiã, si buccarum partes circa labiorum confinia, quem Græci chalinon uocant, fuerint in passione constitutæ. Dandum etiam mastiche masticanda, uel cera indulgentior mordenda, tunc ferulæ particula, uel per profectum tiliæ tabella: plus enim illorum singula quodam cum certamine partes faciunt exerceri. Tunc danda etiam frangenda arida fabarum grana, uel amygdala molliora, ac nuces auellanæ primo, tunc etiam glandes paulatim aucto numero quantitatis. Ac si digiti fuerint in passione constituti, erunt commouendi oblatione ceræ emollientis, & malagmatum suprascriptorum: quo non solum motu, sed etiam tactu medicamina propria uirtute medentur. Præterea eodem exercitii tempore, & in illis quibus totæ manus paralysi fuerint uitiatæ, uel earum quælibet partes, altheres erunt offerendi: at enim pondere pro modo uirium ægrotantes, quodam labore mortes exercent. Sed erunt prædictis malagmatibus commouendi, ut primo teneant uel baiulent ægrotantes, tum demum ex ipsis simili ratione feriendi manus exerceant. Ac si crura fuerint paralysi uitiata, si fieri potuerit, per seipsos: sin minus, aliorum impulsu extensione atque conclusione exerceant eas partes, non tamen sine suasione, qua non solum motibus exerceantur, uerum etiam ipsi conuitantur. Erunt denique ob uarietatem motus artis industria partes commouendæ hoc modo: iacente ægroto, cruribus imposita fasciola superpendenti rotulæ, quam Græci trochilion appellant, alterum ex finibus fasciolæ inserendum, hinc tenendum dare: nunc ministro, nunc ægrotanti demonstrato motu, ac partili, qui nunc adducta fasciola subleuet crura, nunc indulta deponat. Sed cum non solum leuare ac deponere uoluerimus, sed etiam extendere, aut inflectere partes paralysi uitiatas, duæ erunt fasciolæ imponendæ: altera genibus, altera talis: tunc per supradictam rotulam traiiciendæ, & apprehensis initiis similiter offerendæ patientibus uel ministris, ut uicissim adducant, quo ea quæ genu continet adducta, & ea quæ talum continet indulgente, hoc motu crura flectantur: rursum talari adducta, & indulta ea, quæ genu continet, cruris fiat extensio. Ac, si sedere potuerint ægrotantes, erit fasciolæ medietas pedibus submittenda, cuius initia eidem tradita cogatur labore proprio per seipsum adducendo atque indulgendo suis cruribus motum præstare. Simili etiam modo manus in passione constitutæ moueri posse noscuntur, ut ex altera fasciola iubeat quam oportet arteriam articulis digitorum uicinam, quam Græci carpon uocant, altera cubitum circundari. Præmotis igitur, uel exercitis, ut supra dictum est, dabimus ut sella tonsoria sedeant ægrotantes, quæ fit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese leuare nitantur: & nunc fulciti ex utroque alarum latere ministrorum officio deambulationẽ tentent, uel incumbentes baculo, aut uehiculo manibus acto, quod infantibus sæpe motum discentibus fabricatur: sed magnitudine tamen ægrotantibus coæquandum. Dehinc cum gestationis augmenta sufficimus, conficienda sunt ligna, quæ transgredi pedibus nitantur ægrotantes: tunc etiam, perfectis in terra lacunis, deambulationem imperabimus: ac deinde calceamentis adiuncto plumbo prius paruo, ut exempli causa uncia, tunc plurimo, atque pro augmentorum gradu usque ad libram deducto, tum etiam itineris celeritas erit augenda: habet enim maioris laboris officium. Varianda etiam omnis regula, ut nunc resumptiuos cyclos in metasyncriticos deducamus, nunc è contrario uersa uice gradum reuocemus. Præterea perseuerante passione ad hellebori usum probamus accedendum: non solum semel, sed & cogentibus rebus secundo uel tertio: tunc resumendos, atque naturalibus aquis dandos, & magis calidioribus, ut sunt in Italia Pantherinæ, Vesuinæ, & Senanę, & Caritanæ appellatæ: etenim Albæ, siue Albulæ quæ sunt appellatæ, quòd sint frigidæ uirtutis, solutione laborantibus, uel fluore quorumlibet officiorum naturalium à ueteribus sunt approbatæ. Vtendum etiam natationibus marinis, uel supradictarum aquarũ, & primo partibus passione uitiatis inflatæ uesicę sunt adiũgendæ, quo natãdi laborem minuãt. Itẽ aquarum ruinis partes in passione cõstitutę sunt subiiciẽdę, quas Gręci cataclysmos appellãt: plurimum etenim earũ percussiones corporũ faciunt mutationẽ. Peregrinatio quoque adhibẽda, atque maritima: necnõ castoreum poto damus, si qsq̃ eius odoris difficultatẽ perferre ualuerit: recorporatiuam curationem, quam Græci metasyncriticam uocant, utilem approbamus, partibus in passione constitutis.

stitutis. Hæc est secundum methodon paralyticorum curatio. Veterum autem medicorum Hippocratis atque Erophili sectatores, memorant ea quæ in passione constitutos sequuntur, curationem uero nullam tradiderunt. Item Diocles libro quo de passionibus atque causis,& curationibus scripsit, eandẽ dixit conducere curationem, quæ epilepticis est ordinata. Dehinc Praxagoras secundo libro Curationum primo uomitum probat,& ijs præsertim qui caput fuerint paralysi uitiati, nunc ante cibum, nunc post cibum. Tunc reuocationes atque uentriflua,& urinalia medicamina, quæ cœliotica atque diuretica appellauit. Adhibet etiam clysterem iugem & acriorem: bibendum etiam cum aceto asininum atque bubulinum lac probat. Tunc cataplasmata,& malagmata,& sudoris prouocationes: &,si quis uomerẽ facile potuerit, parum hellebori pulmentis interiectis diebus admiscet. Neque mox factam paralysin curans, neque recta à uomitu incipiens,& in ijs magis qui caput paralysi uitiati uidentur, priusquam ex alijs adiutorijs partes fuerint releuatæ. Dehinc sensibilis post cibum omnis est uomitus,& multo grauius ingis. At Praxagoras iubet, quotidianis aut alternis diebus adhibitos suis dogmatibus sublatis erroribus, quanquam uentriflua atque diuretica,& clysteres iuges approbauerit: non enim, quòd mutationem corporis hæc facere ualeant, existimauit: sed quod materiarum facere detractionem, atque corpus liquidis uacuare. Item aceto poto dato lac repugnat, cuius magis grauis, dehinc qualibus cataplasmatibus, uel malagmatibus sit utendum, dicere negligit. Sed neque tempus adhibendi discreuit: non enim, quando mitigatiuis utimur cataplasmatibus, tunc erit malagmatibus utendum. At iste pariter utraque composuit. Item sudores laxatis corporibus fiunt, non ipsi laxamentum faciũt: sed neque quemadmodum sint prouocandi docuit, aut memorauit: item album helleborum paruum datum præfocationis ingerit periculũ, & multo potius quoties sunt in uomitum difficiles ægrotantes: mitto, communiter eum dixisse interpositis diebus offerendum,& tempus non memorasse, cum passionem necesse sit superpositionibus ac lenimentis uariare. Item Erasistratus de paralysi scribens, differenter curandos ait eos qui conclusione sunt paralysi uitiati, ab ijs qui extensione uidentur affecti: etenim neque cataplasmata, neque malagmata secũdis inquit conuenire: non aduertens, quoniam etiam strictura densata quædam corpora ui maiore, non aliterquàm chordæ tenduntur: laxata denique medicinalium uirtute, sæpe retenditur. Item initio curationis clysterem probat, phlebotomiæ negligens potentiam: quo adiutorio maius nihil maioribus approbatur. Tunc, inquit, effecta febricula detrahendum cibum,& dandum mulsum ex aceto confecto: profecto densata constringent. Tunc obseruatis temporibus accessionum uel dimissionum, dandam ptisanam probat aut olus: quorum alterum inflat, alterum facile corrumpitur. Dehinc aromaticas approbat potiones,& aliàs mites, aliàs uehementes. Ventrẽ quoque facilem cupit, ex quo stomachus necessario uitiatur: & neque quanta, neque quando, neque quæ danda sint, memorauit. Prohibet etiam unius anni spatio, uana intentione tempus definiens. Dat etiam lac cum melle, atque sale: quod est contrarium supradicto mulso ex aceto confecto. Vtitur præterea uomitu post cibos: quod iam superius fieri damnauimus. Vitiat etiã deambulationibus harenosis in locis, ex sola intentione sui dogmatis: etiam uentrem facilem cupit, caduca suspicione deceptus. Asclepiades uero principaliter de paralysi nihil scripsit, sed Erasistrato respondit, eos inquit, qui non graui dolore in ista passione afficiuntur, phlebothomari nõ oportere: eos uero qui priuatis sensibus peiore strictura uexantur, abstinendos primo, tum initiandos probat: adhibet etiam purgatiua medicamina, quæ Græci catartica uocauerunt: cum sint hęc corruptiuæ uirtutis,& propterea corpus elimando consumant potius, quàm relaxent. Sed specialiter à laxatione paralysi uitiatis adurentia inquit medicamina conuenire,& fomentationem paruam paulo feruentius temperatã: non aduertens, quia plurima extenta conclusis similem exigunt laxationem, atque indulgentiam tensionis,& non, ut existimant, conscriptionem: utraque etenim hæc passioni subiecta sunt, ut etiam stupor corporis, uel frigidus torpor, quem non semper necessario uaporationibus, uerumetiam frigore adhibito releuamus: siquidem contrarijs inter se passionibus hæc subiecta monstrantur. Ordinat præterea idem in harenæ spatio deambulationem, quod appellant scamma, atque transcensum lignorum,& inter plurimum tempus bibendum uinum. Item Themison primo libro Tardarum passionum in quibusdã peccare cognoscitur, nondum rectam methodon respiciens: etenim phlebotomat ex ea parte quę passione uitiata est, si, inquit, sensu non caruerit: non curans, ut supra demonstrauimus, euitanda omnia, quæ adiutorio quadam necessitate ueluti uexabilia uideantur esse coniuncta. Dehinc lanam succidam, quam œsypon appellant, capiti iubet imponi, aceto atque oleo rosaceo infusam. Neruis autem ceruicis atque spinę,& cruribus,& brachijs, uinum atque oleum cum sale imponendum iubet, constringens atque lacessens incongrue ea, quæ phlebotomia miti releuatione laxauerat. Tunc tertia die cibum probat, atque quarta die cucurbitam imponi adiuncta scarificatione: non interrogans passionis tempus, solum numerũ dierum imprudenter attendens. dehinc sequentibus gestationem probat: & neque in eo definiens tempus, atque audaciter secundę diatriti expectationem spernens. Dat etiam aloen in potu,& ex aqua calida, & oleo intestinis dare laxamentum ordinat. Pręterea anatresin testę faciendã, quam nos perforationem uocamus, iãdudum quidem & in alijs methodicis explosam: & harenæ deambulationem conuenire existimat, atque plagis ferulę cędendas partes in passione constitutas, profecto quę salsę aquę mitigatione atque recorporatione uidentur esse curandę. Item Lusius primo libro Tardarum passionum cum ijs omnibus, tum medicosis quoque fomentationibus utendum probat. Plurimi etiam alij aceto, atque oleo roseo fouentes cum herpillo,& ruta,& hedera,& castoreo. Probãt præterea iuges clysteres, atque purgatiua medicamina, quæ catartica uocauerunt,& magis hieram, cuius usum græco libro Epistolarum ad

Prætextatum damnauimus scribentes: sunt enim ea quæ stomachum uitiant fugiendá, ut sunt corpus infumentia, & quæ moderationis nostræ careant potestate. Item Thessalus secundo libro de Regulis scribens, plurima recte dixisse probatur: quædam uero proterua festinatione caduca: etenim post phlebotomiam usque ad tertium imperat abstineri, solum potum diurna cum luce offerendum. Tunc transacta tertia die, atque hora qua sunt ægrotantes paralysi uitiati, cibum portat. Quibus respondere facile quisquã poterit, si quærat, qua intentione Thessalus oriẽte luce potum iubeat dari: etenim si continuationis causa id fieri responderit, oportebat etiam cibum eodem tempore approbare: sin uero accessionum frequentia id existimat declinãdum, uel suspicione futurarum, & propterea post tertium diem cibum transferendum, quo transacta hora passionis illatę tertia die recte ęgros nutrire uideamur, oportebat etiam potum nõ communiter, sed generaliter diurnis diebus, uel initio lucis offerre, sed horarum dimissione captata. Dehinc non semper, ac necessario tertio die cibum oportet dari, sed etiam quarta continuationis, quæ initium ex die sumpsisse uisa, uel ob typum eadem ratione currentem. Idem post hæc similiter ut Themison, quarta inquit die cucurbitas infigẽdas, non interrogans utrum passio sumpserit statum, quod est maxime seruandum. Ait præterea alternis diebus cibandos usque ad centum numerum dierum, quod infinitum reliquisse perspicitur. Audaciter etiam atque inuidiose acopa quædam, uel malagmata probat excludenda, solius moderationis neglecta arguens uitiata. Hæc sunt quæ etiam Thessalo Sorani diligentia uidentur esse responsa.

De Canino raptu, quem Græci Cynicon spasmon uocant. Cap. II.

IN ISTA passione constitutos sequitur conclusio, siue contractio repentino motu ueniens, ac recedens sine ulla corporis turbatione, & nunc utriusque labij in ultimo fine, siue oris angulo quẽ Gręci chalinon uocant, ut etiam buccas adducat in posteriorem partem crebrissime, tãquam ridentibus, nunc palpebras, uel supercilia ac nares, ut etiam colla atque humeros rapiat, & ita patientes faciat commoueri, tanquam onus humeris baiulantes transferendi ponderis causa. Differt autem à spasmo, & paralysi musculorum qui buccas conligant: siquidem spasmus acuta atque celer passio perspicitur, caninus uero raptus etiam tarda. Item paralysis supradictorum musculorum, non, ut Demetrius ait Attaleus, eo differt quod non fit in canino raptu partium conuersio: (hoc enim contra manifestam rationem intelligitur dictum) sed quod ipsa conuersio coacta celeritate prius facta, quàm fieri sentiatur. Curationem uero ex ante scriptis accipiendam ducimus, & magis quàm de paralysi monuimus, oris partibus.

De Auriculæ dolore, atque humoris fluore per auditorias cauernas. Cap. III.

SENSVALES aurium uiæ, siue auditoriæ cauernæ, quos Græci acusticos poros appellant, difficilimis sæpe doloribus uexantur, ut etiam occipitium teneant, & oculos atque buccarum musculos, & perseueratione quadam tardissima, tempora teneant & caput. Aliquando etiam humoris fluor per easdem cauernas fiat, quem Græci rheumatismõ uocant, & ita iugis, ut sæpe uulneret altiora, atque corrumpat, & ossa conterebret, & propterea copiam fluentis humoris efficiat. Oportet igitur actionis tempore discernere curationem in lenimento communem magis, hoc est recorporatiuã, quam Gręci metasyncriticam uocant, adprobare: ut, cum dolor fuerit in initio, adhuc nouam passionem iudicantes, quidquam destillari faciamus in has cauernas, constrictiuum medicamen, uel ex lana limpida sumentes auriculæ immittamus, ut est amygdalinum, uel roseum oleum, uel acetum, & ijs similia. Vtendum etiam requie corporis atque abstinentia, & silentio suo: etenim officio accepta uoce aures necessario commouentur, & propterea maiores dolores efficiuntur. Ac si passio fuerit augmentis asperata, erit immittendum oleum calidum ac dulce, ac mollibus lanis prętegenda exteriora, atque uicina. Locandi prěterea ęgrotantes calido in loco: & si dolor coegerit, phlebotomandi, atque tertia die leui atque sorbili cibo reficiendi: & ob mitigationem doloris exterius admouenda uaporatio tepidi uaporis, uel saccelli ex polline tenero confecti. Tunc cataplasmata laxatiua, & cum dolor sumpserit statum erunt admouendę sanguisugę, quas hirudines appellãt, circa fines auriculę, hoc est, circulatim auditoriam cauernam, habentes cartilaginem prętermissam, uel certe eius posteriora cucurbita admota scarificanda, adhibita uaporatione spongiarum calidarum. Ipsam quoque cauernã inuoluta lana per melotida oleo calido tinctam paulatim penetramus, atque illic lana derelicta ferramentum detrahimus. Tunc declinante passione cerotaria apponemus, dantes uarium cibũ & uinum: ac si humoris fuerit fluor, quem rheumatismum uocãt, eadem adhibemus quæ initio doloris adhibenda probauimus. Dehinc eorum augemus potentiam, ut cauernæ ipsi faciamus infundi collyrium, quod appellamus diaglaucium ex uino solutum, uel aceto, uel illud medicamen quod appellãt heren, & mulsum ex uino factum: quod fit præcoctum in mali punici cortice, cum nardo, uel amygdalis amaris, & aceto, croco, & myrrha, & alumine, & uel ex herbarum succis constrictiuæ uirtutis, tum auriculæ uicinantia circulatim cataplasmata, ex cydonio malo, ac simili medentiũ uirtute cõtegemus, uel medicamine quod appellatur diaiteo, quod est siccatiuæ uirtutis, uel icesio, aut diadictamno, & ijs similibus. Dehinc si passio coegerit, radendum est caput, & constrictiuis cataplasmatibus contegendum. Dandi etiam cibi constrictiui, & lenimenti temporibus, siue dolorum tardantium, siue humorum fluentium resumptiuus adhibendus cyclus, tunc recorporatiuus. Et localiter ipsis cauernis per clysterem modicum iniicienda, nunc destillatio

destillatio aquæ cineribus liquatæ,quam uulgo lixiuium uocant,Greci coniam:nunc sinapi liquido,atque etiam admixto fico,erunt exteriora cataplasmanda,donec rubor maximus fiat, quem Greci phœnigmon appellant. Item eundem immissione medicaminum ex garo confectorum,quod uulgo liquamen appellant,uel ijs uirtute similium materiarum. Tunc etiam totius capitis curationem ex illisione aquarum supercadentium,quam Greci catadysmum appellant. Quibus etiam aurium uicina sunt maxime concuranda. Dehinc acopibus & dropacis,& malagmatibus acrioribus, & aquis naturalibus utendum : sic enim intardata corporibus emoueri,atque excludi mutatione poterunt curationis.

De dolore dentium. *Cap.* IIII.

FIVNT dolores dentium nunc omnium,nunc aliquorum,nunc unius, cum sibi uicinantibus gingiuis,ut etiam contumescant,ac sepe ora faciant subinflari,uel eorum aliquas partes crescente passione terebrari. nam sepe dentes & gingiue computrescunt,corruptis ossibus quibus natura inserti sunt,recedentibus tumore cogente gingiuis. Sed etiam nunc erit curationis diligentia partienda,ut initio doloris, uel certe si ita passio recurrendo tardauerit,superpositionis alia adhibeatur curatio,alia lenimenti. Quapropter adhuc recedentibus passionis motibus,uel in asperitate superpositionis doloris constitutis, conuenit abstinentia cibi,atque requies corporis, ut initiorum cause aqua que uirtute constringat collutioni oris adhibenda sit,ut est à plerisque conscripta decoctio in aqua & uino herbe syderitis, uel acacie, uel leuces, quam etiam polium uocant,aut mandragore: sed non sine cautione, ne quid ex ipso liquore transuorent egrotantes. Item pentaphylli herbe,aut papaueris,necnon personatie,aut herba phlomon in posca decocta,uel ex cornu ceruini drachmis quinque,& aceti hemina usque ad sui medietatem decocta,uel de pinguis cum aceto decocte, aut alterci radices cum uue lupine succo,& uino sufficienti simul cocte. Erunt preterea ex ijs,aliqua parte in doloribus constituta,apponenda uel lenientia, uel simili uirtute medentiũ materiarum. Tunc cum dolor uehementescere cœperit,lecto tradendus est eger,atque blando tempore calefacientibus supino capite collocandus, sed paulo prominentius à cetero corpore subleuato. Tunc articuli fricatione calefaciendi,atque musculi buccarum lana oleo calido infusa circuntegendi, appositis saccellis ex pollinibus calidis confectis. Tunc oris collutio ex oleo adhibēda dulci atque calido,uel fœnigreci succo,aut alica,aut ptisana,uel glycyrrhiza,aut lacte cum melle. Et,si nimius fuerit dolor, phlebotomia adhibenda. Tunc tertia die,qua sanguinis facta detractio est, sorbilibus atque calidis cibis egri nutriendi,sed plus perungendi. Alia quoque die,si dolor steterit atque durauerit,& officium cessauerit uentris,erit amouendus ex simplici clystere:& loca in dolore constituta ferro laceranda, appositis cucurbitis secundum buccarum musculos, atque gingiuarum locos. Aliquando etiam ipse gingiue scarificande,uel circunseperande à dentibus ferramento,quod pericharactera uocant. Est etiam mitigatiua ex oleo uaporatio,que fiet ex feruenti oleo,lanam melotidi inuolutam tingimus, tunc gingiuis altrinsecus imponemus,hoc est,interiori atque exteriori parti,& ipsis quoque dentibus, quantum eger ferre feruoris potuerit: sed pretegenda uicina sunt,lana premissa,ne facile pustulentur. Alia quoque uaporationum genera,que sunt à ueteribus tradita,erunt adhibenda, ut thuris granum igne calefactum tunc tenui linteolo inuolutum dolentibus dentibus apponatur,& ita mordeat egrotantes,ut ex ipso uapore resumantur. Item thuris triti puluerem singulatim linteolis pluribus illigamus,tunc eorum singula oleo calido pretincta egrotantibus offerimus mordenda,dentibus scilicet in dolore constitutis. Aliqui etiam scylle paruum modum aiunt oleo concoquendum:quod nos differendum probamus,ac lenitatis tempore adhibendum: siquidem ob acrimoniam scyllæ recorporatiuã habeant uirtutem. Oportet preterea etiam mentum uaporari exterius,& spongijs expressis ex aliqua coctione laxatiue uirtutis ad mitigandam materiam,uel ex ipsa adhibere fomentum. Tunc cerotaria apponenda probamus ex oleo cyprino,uel irino : item malagmata sensim calefacientia : tunc lauacro atque uino,& cibo uario utendum. Ac,si tardi temporis dolor fuerit effectus,ut chronia passio uideatur,& nunc superpositionibus asperata,nunc lenimentis emollita,oportebit superpositionis tempore ijsdem adiutorijs perseuerare: totum uero corpus resumere,sicut frequēter docuimus. Præterea tempore exercitij erit offerenda cera,quam ægrotantes mordendo dentes exerceant, sicut nuper demonstrauimus de paralysi scribentes. Vltimo autem tempore gestationis erit adhibenda fricatio capitis atque oris,sed ipsius manibus ægrotantis paruissima, plurima uero ex alienis,sed longitudine temporis potius quàm uehementia,ne caput nimietate moueatur. Tunc,ne partes refrigescant,uel impleantur etiam,à plurimis erit corpus confricandum,ut duobus ministris ab humeris latera,& alijs duobus ab inguinibus curata. Tunc resumptione paulo fortius erunt partes recorporatione curandæ,ut post fricationem strigili non obtuso uel aspero pannis buccarum musculos usque ad ruborum fricari faciamus,& nunc dropacem illiniri,tunc etiam ipsos dentes atque gingiuas uehementius fricari. Dantes præterea iugiter oleum calidum sorbendum, atque continendum & despuēdum. Item aqua frigida tunc interpositis duobus uel tribus diebus, ex humore in quo fuerit decocta mali punici cortex,adhibemus oris collutionem,uel in quo sit prætincta ignita galla,uel ex aquis sua uirtute medētibus. Item dentium confricamentis utendum,quæ constringere atque fortificare ualeant, sicuti libris medicaminum ordinauimus. Vomitus uero post cibum factum omnibus est contrarius,& maxime in ista constitutis passione. Item non aliter Venus obesse probatur,& uinolentia. Multi autem ueretrum medicorum accessionis tēpore ea medicamina adhibenda iusserunt,quæ anodyna Græci uocauerunt, nos in-

doloria dicere poterimus, quæ aiunt nocturno tempore adhibenda, profecto sensum non dolorem auferētia. Adhibet etiam fumigationem dentibus, ut bitumen cum simili pondere myrrhæ uino conspersæ, mollibus prunis impositæ. Tunc iubentes ore aperto ægrotantem fumum accipere, cum fuerit melius hæc propter inflationem capitis prohibere, & offerre mulsum calidum, uel quenquam mitigatiuum liquorem continendum, uel, ut aiunt, carbonibus infundendum, ut exinde exhalatione facta solatium capiant ægrotantes. Item iubent circundandos atque inuoluendos dentes ex opio, galbano, pipere, uel lasere, & peucedano, & herba quam tithymalon uocāt. Hæc quidem etiam corruptis dentibus adhibēda probauerunt. Necnon tenue linteolum apponendum, prælinitum oleo cocto, uel sale, & cedria, uel ex croco atque pipere longo, & rosa recenti, & illyrica, galbano, cocco cnidio, styrace, nitro, cum melle medicamine confecto: quæ omnia ob acrimoniam lenimenti tempore locum potuerint inuenire: quanquam sit etiam fugienda satietas medicaminum plurima. Omitto quod tithymali succus appositus dentes infringat. Non aliter etiam ferreici altheres exhibiti, qui dentium dolores mitigent locorum mortem faciunt, & ipsorum dentium laxitatem, qui aiunt ungendas gingiuas accessionis tempore amurca, cum simili modo infecta lana ex oleo ueteri & myrrha, cum uino & oleo resoluta, atque crassitudine mellis deducta, cum secūdum methodon aliud sit tempus medicaminum lacessentium. Item alij præsente dolore in contraria partis auricula aiunt balsami succum mittendum, cum succis supradictis simili modo uel folio. Iis omnibus resolutis, uel oleo decoctis, aut in quo decocta sint ederæ nigræ folia decem, & squillę medium in oliuę magnitudine spe auocandę materię, deprauati, uel maioris doloris illati causam anteriorem auocantes, obscurātes auocatis sensibus ægrotātes. Item alij eius partis, q̄ dentis dolorē sustinet, nari ederę succū infundentes, cum olei parte dimidia, ex ferramento quod rinenchyton uocant. Adhibentes etiam sternutamenta & apophlegmatismos, & odoris medicamina, quæ iugiter aiunt apponenda, & sint uirtutis lacessentis, quæ stomatica uocant: quorum singula tanquam recorporatiua non mitigatiua in lenimento adhibere probamus. Item alij statim ad auferendos dentes dolore pulsatos accurrunt, nescij quoniam detractio amissio partis est, non sanatio. Quapropter sicut alias quoque partes in tumore cōstitutas non detractione, sed mitigatione curamus, sic etiam dentes concurandos accipimus. etenim si quisquam dentium fuerit exesus, exigit primo mitigationem, tunc sui detractionem faciendam. quippe cum non sit à periculo remotum doloris tempore dentes auferre, & maxime integros, hoc est, qui non fuerint exesi, uel corrupti, aut mobiles: consensus etenim superiorum partium necessario sequetur & musculorum, & oculorum. Erophilus denique & Heraclides Tarentinus mori quosdam detractione dentis memorauerunt: nam Erasistratus plumbeum inquit odontagogum, quod nos dentiducum dicere poterimus, apud Delphum in Apollinis templo ostentationis causa propositum: quo demonstratur, oportere eos dentes auferri, qui sint faciles, uel mobilitate laxati, uel quibus sufficiat plumbei ferramenti conamen ad summū. Sic autem putant, quòd omnis dens dolore uexatus, & qui necet sanos, est detrahendus, oportet etiam omnes auferri, si omnes fuerint dolore possessi. Quomodo autem sint auferendi dentes exesi uel moti, nisi seruari potuerint, libris medicinalium Respōsionum docuimus. Ac si aliquando ex humore gingiuarum uisi fuerint commoueri, oportet constrictiuis uti collutionibus, quarum materiæ ex parte superius diximus adhibendum oleum lentiscinum, & aquas cœlestes, & lac asininum: est enim densabile: item decoctio mali punici, uel gallę, aut acacię, aut rosę, aut murtę nigrę, aut mali cydonij, uel platani baccæ. Vngendę pręterea gingiuę medicamine, quod appellamus diamaron. Item diaporos & diaroos, & diomphacion, & œnanthio. Item si quędam emerserit gingiuarum sanguinatio, corallij tusi puluis cretus, atque intus ponendus & alumen cum melle. Item eruca cum aceto apponenda. Sed hęc sunt primo concoquenda iugi motu uersata.

De Apprehensione, siue Oppressione, quam Graeci Catalepsin appellant. *Cap. IV.*

HANC passionem ueteres tanquam specialem, uel propriam tradiderunt, quasi nullo ex genere uenientem, ut Chrysippus memorat, quod de ipsa Niceratus conscripsit librum, probans scilicet etiam ueteribus medicis cognitam, quod nos confirmamus. Sed quia nunc tarda, nunc celer à methodicis adprobatur, quanquam sit à nobis celerum passionum libris plenissime tradita, etiam nunc erit ordinanda: quippe sępe in tardum ueniens motum, & propterea chronia nuncupanda. Sequitur autem patientes febricula, & uocis amputatio cum oculis patientibus, atque impalpebrationes: difficilior eo tempore quo statum sumpserit accessio, & omnis immobilitas, cum palpebrarum impossibili atque horrēti positione, quę declinatione facta aliqua ex parte accipiat motū: etenim admota manu ac digitis, circūtractis oculis tenus palpebra recognoscitur ęgrotantis, atque obtutu inter nota translatione manus in qualibet parte declinata sequetur conuerso scilicet uultu. * Dehinc inclamati intendunt, lacrymantes sine ulla responsione: & si odoramenta iucunda fuerint admota, declinatione quadam moueri intelliguntur, frequenter adducētes spiritum hauriendæ exhalationis causa. Ac si tetra odoramenta fuerint admota, recusare uidentur ac fugere. Itē dulcia atque amara ori admota labijs uel linguę illita sentiunt: nō aliter si ulla fuerint pūctione pulsati, ex nostro officio tentā manum suo replicant uel colligunt. Item lacessiti collugēt, ingemūt, attestante uultus rubore cum pulsu magno ex uehementibus atque fortioribus saltibus confecto. In declinatione uero plurimus sæpe sudor sequetur, ac feruens, & in dimissione limpidæ synceritati proximi efficiuntur. Ac rursum in accessionem si redeunt ægrotantes, peiorante passione plurimus feruor accedit

accedit cutis,& spiratio celerrima,quam Græci tachypnœan uocant: oculorum conuersio, manuum contractio,sudoris ignei defluxio,maculis emergentibus in thoracem atque uultum,& primo rotundos in similitudine ulcerum, quæ iontus appellant. Item ab apoplecticis hæc discernitur passio, quòd in ipsis paruus atque creber pulsus inueniatur,& non ut in catalepticis maior atque percussibilis: & neque iucundum,siue tetrum odorem accipiant,neque dulcia & amara consapiant. Item ab ijs qui ex stomachi passione obmutescunt. Siquidem in ijs rursum paruus atque imbecillis pulsus inueniatur,attestãte singultu cum manifesto tumore in stomacho apparente. Hęc est discretio similium passionum: sed ei curatio adhibenda est, quæ epilepticis dicta est.

De uocis amputatione, quam Græci Phones apocopen uocant. Cap. VI.

VOCIS amputatio fiet ex clamore nimio, aut frigore, aut ardore, siue ustura faucibus asperatis, uel etiam tumore nimio. Fit autem obtusio sonitus emissæ per spiritum uocis,atque hirta, uel aspirationis tractu grauata locutio. Recenti denique passioni, atque eius initio conuenit adhibita requies cum abstinentia cibi, & spongiarum cum aqua frigida expressarum admotio gutturis per ambitum faucium, quem anthereona uocant. Ac si passio uehementescere cœperit,ut maiora deposcat adiutoria,adhibenda phlebotomia. Tunc sorbilibus cibis nutriendi, adhibitis etiam gargarismis ex oleo dulci atque calido,siue calida ex oleo uel aqua mulsa,aut decoctione uuarum,cantabri,ficuum pinguium,palmularum,glycyrrhizę,nécnon etiam succo alicæ,uel ptisanæ,ut ex eorũ uaporatione,siue exhalatione accensum spiritum rapiant ægrotantes. Tunc etiam spongiarum adhibenda uaporatio,atque usus electariorum ex melle decocto,& nucleis,& lini semine,& ouorum uitellis,& draganto ex mulso & uino præmollito. Dehinc sorbili ex amygdalis medicamine utendũ. In declinatione uero lauacro atque uario cibo,& uino,deambulatione,uel gestatione. Ac si querela tardauerit ægrotantium,erit in lenimento adhibenda drimyphagia,dropacismus,defricatio. Tũc etiam uomitus ex radicibus,atque uaria gestatione,& uocis exercitatione,quod Græci anaphonesin uocant,adhibito præceptore,sicuti iandudum docuimus,temporum ordine seruato. Adhibenda etiam & arteriaca medicamina,quæ partes in passione constitutas exerceant,à Gręcis amyctica appellata. Quorum compositionem libris Medicaminum conscriptam dedimus.

De influxione, quam Græci Catarrhon uocant. Cap. VII.

FIET influxio nunc ad nares,quæ appellatur coryza: nunc ad fauces, quæ appellatur branchos: nunc ad thoracem uel pulmonem,quę appellatur phthisis. Sequitur autem eos, qui coryza uexantur, grauedo narium & frontis,constrictio fluorum oris tenuissimi primo,tunc crassi atque uiridis,sternutatio iugis,cum lacrymatione oculorum, acrioris qualitatis uel mordentis. Aliquando etiam tussiculæ impar atque obtusa apprehensio. Item consensus sessionis oculorum,cum capitis atque uultus inflatione. Eos autem qui faucium influxione uexantur,siue quòd Græci branchos,quam nos raucitatem uocamus, sequitur pruritus quidam secundum fauces,atque titillatus,uox obtusa & grauis, & impedita locutio, ut se præfocari sentiant ægrotantes. Aliquando etiam tussicula,& transuoratio difficilis: ac,si ad pulmones fuerit facta defluxio,thoracis grauedo sequetur,& tussicula uehemens,cum sputis spumosis atque crassioribus, tum saniosis,attestante difficultate spiritus,quam Græci dyspnœan uocant. Aliquando etiam febricula,quę noctis initio sumat exordium,cum uocis obtusione, & uomitu cibi. Sed hęc passio à peripleumonia discernitur. Siquidem fit una ex tardis passionibus,& neque celeri atque acuta febricula corpus afficiat. Item discernitur à rheumatismo thoracis, siue influxione, quod cęteris communibus signis sequentibus dolor etiam inesse uideatur in ea parte thoracis quę pati perspicitur. Sunt autem antecedentes, ex quibus influxiones supradictę nascũtur,ut sępe probatur perfricatio profunda,uel extensio uomitus. Veterum igitur methodicorum alij stricturam hanc passionem uocauerunt, uelut expressis humoribus atque coactis,in alia uenire loca eam fieri asserentes: alij solutionem,ut Thessalus manifestat, atque eius decessores,ut Themison. Mnaseas uero & Soranus,cuius etiam nos amamus iudicium,complexam inquiunt esse passionem, & nunc strictura superante,nunc solutione: etenim constrictio atque dolor accidentia sunt stricturæ, quæ Gręci symptomata uocant. Multorum uero liquidorum egestio solutionis est signum. Quapropter obtinente strictura, conuenit ęgrotos iacere loco lucido mediocriter,atque calido,adhibita abstinentia usque ad tertium diem,quem Gręci diatriton uocãt, cum requie corporis atque animi,appositis lanis limpidis ac mollibus,oleo dulci atque calido prętinctis, colla circundãtes & thoracem. Tunc oris collutio adhibenda,siue fotus ex aqua calida. In ipsa autem diatrito perungi ęgrotantes oleo calido atque dulci, fouenda facies ex aqua calida. Cibus dãdus sorbilis ex alica uel farre, oleo,& anetho,uel paruo sale confecto,uel ex melle, aut alica ex mulso confecta sorbilis trãsuoratio non sine cautione atque coniectura utriusque passionis, ne alterã faciat superiorem. Ac si passio permanserit,alia die cataplasmata laxatiua adhibemus, ijs scilicet partibus quę fuerint in querela. Tunc cucurbitam infigentes scarificabimus,ac deinde spongijs uaporantes loca relaxamus, aut calidis lanis contegemus narium partes. Tunc gargarismum dabimus calidum mulsum, aut decoctione cantabri, & palmularum pinguium,& noxarum,& glycyrrhizæ,uel eius succo resoluto ex aliquo liquore laxatiuo. Item electarium dabimus ex lini seminibus & sesami frixi acetabulis singulis, & oui elixi uitello, & nucleis nume-

ro uiginti,& amygdalis amaris expolitis decē ampli drachma una, traganti drachma una, passo cretico demollito, & mellis decocti sufficientis : quod medicamen in auellanę modum sumptum sub lingua teneant ęgrotantes : tum defluens ac desiccatum sensim atque paulatim transuorent,uel mel oleo concoctum. Multi autem sub fabam fractam,quod Graeci etnos acton uocant, idque linguæ suppositum ac defluens transuoretur,quo asperitas arterię liniatur. Vel ex amylo,& ex menta,& amygdalis amaris confectum medicamen,quod habeat palmularum dulcium contritarum drachmas octo,& nucleorum drachmas quatuor,& amygdalæ purgatæ drachmas duas,glycyrrhizę succi obolum unum,hoc est drachmæ partem sextam,draganti drachmam unam,collectis omnibus atque infusis ex uino protropo. Ac,si uenter officiũ non agnouerit,simplici uentris laxatiuo utendum : &,si fuerit caput grauatum,adhibenda detonsio, appositis deinde laxatiuis medicaminibus. Tunc cibus alternis diebus dandus. Cum autem passio mitescere cœperit,danda olera,ut malua,lapathum,atriplex,quam Gręci andraphasin uocant, beta cum ptisanæ succo,uel alica,aut mulso,& pisces teneri,& uolantum teneriora. Ipsis etiam locis apponenda cerotaria ex meliloto concocto confecta , uel malagmata simplicia. Tunc lauacrum atque uinum adhibendum. Ac si superans fuerit defluxio,quam Gręci rheumatismum uocāt,simili abstinentia utendum est frequenter : sed frigido atque obscuro mediocriter loco ægrotantes iacere iubemus, & abstinendos à potu,quo sitiendo siccentur. Cuius usus cum fuerit permissus , uel oris collutio frigida ex aqua paulatim atque parua probatur. Tunc appositio spōgiarum ex aqua frigida expressarum,uel posca iisdem partibus quæ fluore uexantur , hoc est thoraci atque gutturis summitati , quam Græci anthereona uocant, nos rumam,aut lanę limpidę infusę oleo uiridi conueniunt. Dehinc dabimus ore continendam,uel gargarizandam aquam frigidam,uel poscam,aut succum herbę calidaris,quam Græci helxinen uocāt:aut plātaginis,quam iidem arnoglossan uocāt:aut uuam lupinam,quam strychnon nominant:aut intybi,aut endiuię decoctionem,aut buxi,aut rosarum. Item lenticulæ palmarum thebaicarum,lentisci uirgultis aut rubi, quam baton appellant, singulis uel in unum mixtis pro passionis magnitudine. Aliquando etiā diamoron,siue diasycaminon,cuius nota compositio,atque Medicaminum libris tradita comprobatur,ex aliqua supradictorum liquore soluta. Tunc etiam epithemata constrictiua adhibemus,ut est mel decoctum cum alumine schisto ęquis ponderibus,uel aceto & aloe,aut ex palmulis,& malis cydoniis,& iis similibus. Item cucurbitam constrictiuam,& electaria,uel catapotia,ut est diacodion simplex, & uinum sciuelliticum coctum,donec mellis habeat crassitudinem,solum,uel cum melle admixto etiam cumino. Item creticum uinum , uel passum similiter decoctum,aut tyrrhenum,uel protropum ,& omne quod adiuncta dulcedine constringit,ut arteriam leniat,atque desiccet humorem. Item mel admixto modico cumino concoctum,uel persicę lacrymo,uel plantaginis aridę contusę,atque cretę puluere,uel rosarum aridarum, & aluminis. Item trocisci medicaminis trigoni appellati. Tunc cibi ordinandi supradictis iandudum temporibus,sed constrictiuę qualitatis,ut est oryza,uel alica ex posca,uel aqua frigida confecta,aut decoctio palmularum thebaicarum. Item oua hapala,uel pultes paruissimo atque uiridi oleo confectę, oryza uel milio,aut pulmēto frixo,aut alica,aut farre,aut ex amylo,uel ex ges asteros, & melle decocto admixto quiddam supradictis,quo coagulentur,& uirtutem medendi maiorem sumant. Item thebanarum palmularum decoctarum admixtione in pulmentis uti possumus,uel ex aridis palmulis pane cōfecto ; & oleo uiridi,atque rore syriaco,uel aceto,& galla. Ipsa quoque pulmenta , aut cibos aridos dare debemus. Tunc hapala oua,uel lac,decocta cum amylo ad modum cotylę , uel duarum ; quod est pondus unciarum decem uel uiginti. Dehinc danda olera constringentia,ut intyba,plantago,cauliculi. Sed hęc omnia cocta,atque aceto condita. Tunc pisces durioris corporis,atque uolantia non pinguia, sed magis torrida, uel ex aceto & aqua cocta. Tunc declinante passione uinum dandum est asperioris naturę. Dehinc adhibenda gestatio prętecto ore,quo spiratio nulla tangatur iniuria,dehinc lauacro utendum. Ac, si passio tardauerit,superpositionibus ac lenimentis uariata,erit in lenimento adhibenda deambulatio,& uocis exercitium mite. Tunc leuis unctio ac defricatio,& cibi ex media materia dādi,scilicet pro qualitate passionis solutione aut strictura obtinente, qui erunt quodam profectu augendi aut minuendi per regulam cycli,usque ad uolantum atque agrestium,& porcinæ carnis percoctam partem tertiam : sicque panē ante pulmenti oblationem,si obtinens fuerit fluor,cum aqua. Dabimus etiam uuarum fabrilium uel pensilium siccatarum acinos,uel intybi thyrsum aceto prętinctum,adhibito lauacro,longo dierum interuallo; tum drimyphagia. Dandum etiam lasar cum aceto atque liquamine ac deinde locis patientibus adhibendæ cucurbitæ recorporatiuæ,quas Græci metasyncriticas uocant,& maxime anthereoni, hoc est thoraci,uel gutturis circulo,quem rumam uocamus. Tunc resinæ cabialis , hoc est dicaminis illinimentum uel dropacis. Dehinc etiam ex puluere nitreo lacera fricatio,quam Græci mixin appellant,uel smegmata,quorum compositionem Responsionum tradidimus libris, uel lemnida cum oleo, aut pyrethro cū pipere. Item unctiones ex syriaco,& opobalsamo, & laurino , atque irino oleo,& butyro,& pice liquida apponenda naribus,atque narium cauernis. Tunc etiam sinapismus,& gargarismata ex sinapi,uel aqua marina,aut decoctione thymi,origani,hysopi,glaucii,quod nos pulegium uocamus, & horum similibus. Dehinc mutatio locorum appetenda,& magis maritimorum: tum usus aquarum naturalium; ex quibus erit caput fouendum. Decessores uero medici,nondum rigore methodico obtinente,in quibus est Erasistratus,secundo libro Salutarium præceptorum,& Asclepiades tertio Celerum passionum, item Themison Salutari libro,atque primo Tardarum passionum,quas chronias appellant,meratum potum dari iusserunt. Ait enim Asclepiades,duplicandam uel triplicandam quantitatem uini solitæ temperationis, adeo

adeò ut uni cyatho unum admisceri iusserit, quo uini & aquæ quantitas coæquetur. Sed hoc facit in tardante passione: etenim recentem atque nouam curans, libris quos ad Geminium scripsit salutarium, uinum prohibendum tradidit. Erasistratus uero etiam pileum uini calidi infusione inflatum capiti imponendum iubet. Lateribus uero ac præcordijs lanas apponendas, uino atque oleo calido madefactas: quorum primo neruorum uitiabilis est merata potio, atque capiti faciens inflationem: dehinc etiam abstinentis uino, uel solutæ consuetudinis grauabilis atque noxius est usus pilei uino calido præfusi, uel lanæ tinctæ lateribus ac præcordijs circumpositæ ob dolorum uehementiam. Item Lusius secundo libro Tardarum passionum, cum de ijs quæ faucibus accidunt disputaret, hoc est de supradictis fluoribus, etiam aridā ficum torridam, atque uino infusam ante cibum dari iubet: siquidem rudis atque noua difficilimæ sit digestionis. Sed hinc ait mixtum calidum sorbendum, hoc est uinum cum aqua supradicta meratum. Idem admixtam sandaracham, quę sit ex oui albore consperſa, in quantitate oboli unius igni imponendam iubet, uel radicem herbæ tussicularis, quam uehion appellauit. Tunc per infundibulum ore rapere fumum adducto uento imperat ęgrotantes, cum sit capiti uehementer contraria supradictorum incensa fumatio. Generaliter autem, atque communi repulsione arguendos Erasistratum & Asclepiadem arbitramur, primo quòd non uiderint pro passionis motu in curationibus urgentiora nimis præponenda. Themisonem uero & Thessalum, memorantes constrictiuam curationem libro hęc * demetico atque secundo Regulari, quem dięteticum uocant, culpandos arbitramur, quòd non uiderint aliquando strictura fieri superiorum. Item plurima sulphurosa admiscenda quod satis sit probauerunt, & lanis quibus thorax circundatur aspergenda. Ordinantes etiam odoramenta iris illyricæ aridæ contusę, atque eius oleum. Item opobalsamum, & melantium linteolo ligatum naribus aiunt frequenter admouendum, & anisum, & cuminum, & rutam, & antiflorum, uel distillationem amaracini olei, & samsucum, & styracē, uel ex eo oleum confectum, quod styracinum dicitur. Item hedicroum, uel murram cum thure & sulphure, & radicibus sylphij, quę omnia caput implent, & propterea sunt euitanda magis accessionis tempore. In lenimento uero ratione recorporatiuę uirtutis, atque interiecto tempore per interualla adhiberi poterunt iudicari.

De Tussicula. Cap. VIII.

TVSSICVLA nunc arida, nunc humecta corporibus irruit, multos ac pingues humores excludēs: & quibusdam sola, quibusdam adiuncta respirationis difficultate, quam Gręci dyspnœan uocant: item cū sanguinis egestione, aut phthisica passione, uel horum similibus affectis corporibus. Sed de ijs tussiculis quę aliarum fuerint appendices passionum, singulatim scribentes docebimus. De ijs uero quę suę sunt, atque propria uexatione corpus afficiunt, nunc tradimus curationē: quę ita erit adhibenda, ut de catarrho scribentes docuimus: discreta scilicet specie, quo possint electaria, atque pota medicamina, uel catapotia, siue alia queque sub regula medicinali recte mederi corporibus. Monendi etiam ęgrotātes, ne ultra modum competentem retinendo spiritum alterent potius tussiculā, quàm mitigent. Quod quidem si fuerint moderati eius motum, facilius amputare quantum datum datur spiritum continendo. Tum apponendum, per quod ęger adducto spiritu accipiat uaporem ex mulso, uel alica, aut succo ptisanę: uel eorum quiddam sorbeat, aut ex aqua calida uaporem accipiat. Videnda etiā uua, ne ob tumorem sui aut indulta laxitate tussiculam prouocet: tum gargarismatibus, uel inunctionibus utendum, circa thoracē atque gutturis summitatem, quam Græci anthereona uocant. Epithemata etiam apponenda, & nunc laxatiua, nunc constrictiua: quorum species ex antedictis erunt accipiendæ, ne sæpius eadem dicere uideamur.

De sanguinis fluore. Cap. IX.

SANGVINIS fluor occultis ex locis ueniens uelut sæpe salutaris est, ita uehemens ingerit periculum, & quibusdam extemplo ob redundantiam fluoris celerans mortem corpore disiecto, & quibusdā in postremum effecta phthisica passione, uel uulnere non coeunte: siquidem primo tumeat, dehinc excorietur, atque fluidum ex uapore fiat. Sunt autem quæ conuentum siue glutinationem uulnerum impediant plurimæ, uel innumerabiles causę: etenim natura altiora plurimum feruere necesse est, atque fluida qualitate manare, & multo uel assiduo motu pulsari. Obstat etiam, quòd occulta atque alta, atque celata sint uisu, & à uicino medicaminum tactu remota. frustrantur etenim frequenter eorum illatę qualitates, priusquam locis patientibus aduenient itineris detrimento, cum non statim, uel extemplo illibata partibus patientibus admouentur. Sunt autem passionis antecedētes causæ, ut sæpe approbatum est, percussio uel casus: item exclamatio, uel ponderis perferendi conatio, uomitus uehemens, aut Venus plurima, & tussicula perseuerans: item abstinentia hęmorrhoidarum ueterum, quæ fuerint inertia amputatæ, nec iuxta methodicam rationem curatæ: item catarrhus. Sed non erit secundum has differentias curationis regula commutanda. Nominatur autem sanguinis fluor duplici significatione, propria, & abusiua: nam propria est, qua ex supernis partibus labens fluor significatur, ut de capite per sensuales uias: abusiua est, qua etiā ex inferioribus ascendens fluor significatur, ut ex pulmone uel stomacho, nausea aut tussicula exclusis: improprium est enim fluorem uocare id quod ascensu quodam, non lapsu, fertur. Sed hæc Græci uersa uice posuerunt, deriuationem nominis intuentes: ij enim anagogen uocant, quod magis ex inferioribus ad superiora fluorem significat. Differt præterea fluor sanguinis à sputo, quòd ne

que fluor sanguinis sputus dici potest: paruam enim materiæ significationem sputus refert, fluor plurimæ: neque sputus sanguinis fluor, supradicta ratione. paruam enim materiam sanguinis ex gingiuis, aut uua, aut faucibus emissam, sputum magis quàm fluorem recte nuncupamus.

Quot, uel quæ sint differentiæ fluoris sanguinis. Cap. X.

DIFFERENTIAS etiam fluoris sanguinis ueteres quęsierunt. Et quidam aiunt unam solam esse uel intelligi, hoc est uulnerationis, ut Themison libro Tardarum passionum. Alij uero eruptiones, ut Hippocrates, Euryphon. Sed Hippocrates solarum uenarum, Euryphon uero etiam arteriarum. Alij duas differentias posuerunt, eruptionis & putredinis, ut Asclepiades. Alij tres, eruptionis, & putredinis, & osculationis, quam Gręci anastomosin uocant, ut Erasistratus. Alij quatuor, adijcientes expressionis, siue sudationis, ut Bacchius, adserens ex gingiuis sanguinem sine ulla uulneratione, uel in curationibus fracturarum sæpe fasciolarum ligamenta maculis sanguinolentis aspersa reperiri. Item Demetrius Erophili sectator duas inquit esse principales differentias fluoris sanguinis: unam incisurę, aliam sine ulla incisura. Speciales uero plurimas, quas principalibus subijciendas ordinauit: etenim quam memorat incisuram fieri, in duas diuisit partes: quarum alteram uocauit eruptionis, alteram putredinis. Eam uero quę sine ulla diuisura est, in quatuor diuidit partes: quarum unam uarietate fieri dixit, aliam expressione siue sudatione: tertiam defectione uel debilitate corporum, quam Græci atonian uocant: quartã osculatione: uult enim eam differre à supradicta, id est expressionis, quam tertiã nominauit: osculari enim inquit corpora nimia plenitudine, siue uirtute medicaminum osculantium, quæ Græci anastomatica uocant: & magis inquit uenarum ultimos fines, exprimi etiam sanguinem, siue excludi per uenarum latera. Item alij Asclepiadis sectatores unam esse dicunt differentiam fluoris sanguinis, hoc est eruptionem: siquidem omnem sanguinis solutionem eruptione fieri Asclepiades memorauerit, negantes eam osculationis differentiam: siquidem fit impossibile sanguinem crassum tenera fieri per oscula uel excludi. Item putredinis esse differentias negant: siquidem ex ijsdem, non ex alijs, locis acrior humor fieri uideatur. Alij uero eundem Asclepiadem non naturaliter putredinis differentiam ab Erasistrato constitutam expugnasse dixerunt: non enim ex alijs locis acriore ueniente liquore pulmonem fieri in putredine accepimus, sed eundem quadam passione in putredinem, uel acerrimos transire liquores. Nos autem iuxta Sorani iudicium hac quæstione nullis commodis curationes adiuuari probamus: sed dicimus tres esse differentias fluoris sanguinis, hoc est, eruptionis, uulnerationis, & putredinis, siue lacerationis ex tussicula uenientis, sicut operantium manus iugi fricatione lacessiti uulnerantur. Item sudationis sine uulnere, siue ex uarietate uiarum effectus fluor osculationis differentiam tenet, siue expressionis, uel cuiuslibet alterius causę.

Quomodo intelligamus differentiam fluoris sanguinis. Cap. XI.

QVAESITVM etiam quomodo supradictę differentię intelligantur, uel apprehendantur. Sed discernuntur hoc modo: nam eruptionis esse intelligimus fluorum, quoties repente ęgrotantes atque limpidum sanguinem fluunt, nulla querela uulneris pręcedente. Vulnerationis uero differentiam dicimus, siue putredinis, uel defricationis, cum adiuncto humore purulento sanguis excluditur, & non repēte uel coaceruatim: preterea antecedente longi temporis, uel multorum dierum tussicula uel catarrho. Item sudationis dicimus esse, cum nullus fuerit uulneris sensus, aut acceptorum cibo uel potu acriorum materiarum mordicationis affectio. Qui sunt loci ex quibus sanguis fluit? Loci sunt plurimi, summitas faucium, arteria asperior, quę etiam faux nuncupatur, pulmo, thorax, hoc est membrana quæ interius latera cingit, à Gręcis hypozygos appellata. item membrana quę thoracem à uentre discernit, à Gręcis diaphragma appellata, quã nos discrimen dicere poterimus. item stomachus, uenter, & secundum aliquos iecur, ac lien, & uena maior, quę spinę coniuncta. Quomodo intelligimus ex quibus locis sanguis feratur? Intelligimus locos ex quibus sanguis, fluor, uel lapsus fertur: quod erit aptissimum, ob adhibendam curationem ijsdem, uel eorum uicinis partibus: & non, ut quidam existimant, commutandæ curationis causa, cum generaliter eadem cunctis adhibenda probamus. De ijs igitur qui ex supernis faucium sanguinem fluunt, primo paruus intelligitur ferri, aut si plurimus, non spumosus. Preterea cum quodam excreatu despuitur, ipsæ quoque partes sumpto cibo uel potu, aut gargarismate mordicantis materiæ dolore pulsantur, & inspicientibus nobis expressa lingua uisu locorum probatur asperitas. Plerunque etiam, ut Erasistratus ait, tubercula, quæ Gręci condylomata uocant, uisibus occurrunt, quæ sint similia hæmorrhoidis, ex quibus sanguis fertur. Iis uero qui ex arteria sanguinem fluunt, paruus atque flauus sanguis ferri perspicitur: & sæpe saliuis uel humoribus complexus in imaginem capilli unius aut multorum. Sequitur etiam pruritus uel mordicatio, & magis circa extantiam gutturis, cum quodam titillatu & tussicula leui. Tum deinde plurimus sanguinis fluor, uox hirta cum dolore, qui nunc tactu moueatur, nũc tussicula uehementi plurimus, tenuis, & spumosu[illegible]x plurimum feruens sanguis excluditur, attestante thoracis grauedine, & aliquando dolore cum uoce i[illegible]a, & sæpe cibo quodam cum infracto sonitu eo tempore quo sanguis excluditur. Iis uero qui ex diaphragmate, quod iandudum discrimen uocauimus, & cætera prædictos sequentur communia. Sed dolor inferius à pectore fiet rotunditate quadam thoracem pungens. Eos autem qui ex hypozygo sanguinem fluunt, multa similia supradictis sequentur, sed dolor secundum

latera

latera uel pectus, aliquando etiam inter scapulas fiet: ipse quoque sanguis minus flauus minus excluditur. In eos qui ex stomacho sanguinem fluunt, sine ulla tussicula uomitus sanguinis sequetur nigri atque gelati, & nunc solius, nunc cum admixtione cibi, attestãte dolore inter utrasque scapulas ad superiores tendentem, & magis eo tempore quo quædam remordentia transuorauerint ægrotantes. Accedit etiam animi desponsio cum fastidio cibi, & saliuarum fluor, & corpore frigido, & pulsu obscuro uel demerso. Iis uero qui ex uentre sanguinem fluunt, cum supradictis, quæ sunt cunctis communia, sequetur etiam dolor & mordicatio, uel tormentum inter præcordia, & aliquando sanguinis particula per officium uentris excludetur. Item ijs qui ex iecore uel splene sanguinem fluunt, uel ex uena magna, quæ spinæ coniuncta est, ut quidam memorant, sensu loca designantur: nam in dextera parte præcordiorum dolorum dolore aurigineo sequetur eos qui ex iecore fluunt. Item in iis sinistra parte præcordiorum hæc accidunt, quoties ex liene sanguis ferri perspicitur: uel secundum spinam, quoties ex maiore uena ferri dicitur. Sed hæc Soranus alta consideratione ex ijs locis per uentrem, uel per eius officium ferri sanguinẽ magis, quàm per os posse credibilius approbauit. Iis uero qui ex gingiuis, uel uua, uel faucium lateribus, uel tonsillis sanguinem fluunt, supradictorum nulla sequentur, sed locorum uulnerationem ore aperto oculorum approbat uisus. Item ijs qui ex capite sanguinem fluunt acceptum primo, uel exceptum internis uisceribus, atque ita redditum, si in arteriam defluxerit, excludunt. Deinde cum tussicula uehementi etiam, quam de pulmone feratur similitudinem dabit. Sin uero in stomachum defluxerit, uel uentrem, commota nausea uomitur, etiam quam ex ijsdem locis ferri uideatur similitudinem dabit. Sed discerni hoc facile potest, siquidem ægrotãtibus feruor igneus ora pertractans antecedat, & capitis grauedo uel dolor, & extensio uenarum, & magis earum quæ tempora uel frontem cingunt. Sequitur etiam faucium titillatus, & aliquando per narium quædam sanguinis distillatio, uel per eas cauernas quæ ad fauces ex capite descendunt. Quod aperto ore, atque experta lingua uisu probatur, & uicina loca quoque sanguinolenta apparebunt. Aliquando etiam remeantis materiæ causa laxiora transuorationis efficiuntur loca, & ægrotantes exercatu quodam sanguinem respuunt accipientes ex supernis adducto spiritu, ut sæpe muculenta consueuerunt dormientes. Præterea in ore collectus excitat sanguis, uel transuoratus, & in stomachum, uel in uentrem ueniens premit permanens ægrotantes, aut reiectus releuat. Et ij qui passione afficiuntur, acceptis uel transuoratis remordentibus materijs nullam interiorum mordicationem sentiũt: quod necessario eos qui ex stomacho fluunt sequitur. Ac si in arteriam fluxerit, tussicula rursum excludetur. Quo reiecto ægrotantibus tussicula mitigatur: siquidem nulla inesse uideatur interioribus remaneris causa, quæ tussire prouocet ægrotantes: nisi forte, quod est rarissimum, aliqua corpuscula gelati sanguinis inhæreant interioribus locis. Item de pulmone fluens discernitur, quod iam præcedente tussicula in fluorem ueniant, inde tussire non desinant. Cõmuniter autem, cæteris inter se paribus signis, ex arterijs ueniens sanguis tenerior, ac rubri coloris, & spumosus esse perspicitur: ex uenis uero crassior, & atri coloris. Hæc est locorum singulatim posita significatio.

De effectu siue exitu supradictarum passionum, quem Græci apotelesma uocant. Cap. XII.

QVAESITVM de euentu, siue exitu, uel effectu passionum: nam Erasistratus facile curabiles succulentos homines dixit atque fortes, & paruicolles, quos microtrachelos appellauit, hoc est qui minimę lõgitudinis habeant colla. Difficile autem curari posse tenues ac debiles, & porrecta collorum longitudine formatos: in ijs enim, inquit, summa cum difficultate sanguis & tussis plurimam per longitudinem tractus, & quod obsident uuida plurimo tempore habitudinem gutturis siue cannæ, quam arteriam uocãt, & ob hoc graues atque tardas tussiculas faciunt. Item Asclepiades difficile curabiles inquit succulentos atque carnosos, ob uehementiam spirationis. Eadem ratione etiam ætates medias, & pueros: celerius etenim inquit spiritum ferri, & in sputis perficiendis offensione carnium retardari. Plurimi deinde etiam affectiones uitæ quæsierunt, & regiones, & temporum annales partes. Item per putredinem factum fluorem difficile curabilem dicunt, ab eo qui eruptione fuerit effectus: siquidem putrefactæ partes non coeant. Nos uero iuxta Sorani sententiam fluores sanguinis alios dicimus esse nouos corporibus atque recentes, alios tardi temporis atque inueteratos, & alios solos, alios cum tumore, alios etiam cum febricula & tussicula, & alios iuges, alios dimissionibus intercapedinatos, ordine seruato, aut inordinatos, & insuper positionibus aut lenimentis magnis, aut paruis, & detracta uiriũ fortitudine, ac seruata. Hæc sunt enim urgentioris differentiæ, secundum quas diligentiam uariamus curationis, siue seruata, siue incerto motu existente passione. Sed difficile curabiles fluores præ cæteris dicimus tardos magis recentibus, ob iugem perseuerationem. Item cum tumore uel febribus, ab ijs qui soli esse perspiciuntur: etenim supradicti spem futuræ conglutinationis negant: & ob hoc cõplexioni contraria sæpe adiutoria poscunt, quæ sint diuersis aduersa. Item iuges fluores ab ijs qui dimissionibus mitigantur: etenim graue, atque minime tutum omne quod nulla fuerit mitigatione uariatum. Item inordinati ab ijs qui ordine seruato corpus afficiunt: est enim insidiosa curationi temporum inopinata uarietas. Non aliter etiam superpositione asperati fluores curatione difficiles ab ijs qui in lenimento constituti sunt iudicantur, ob prædictam rationem uulnerum. Item ij qui plurimum corpus affecerint, atque uires ægrotantis insumpserint. Dat etiam adiutorijs medicinalibus fortitudo corporis uiam. Hæc denique etiam in uulneribus nudis,

hoc est, in exterioribus partibus corporis constitutis fieri cernimus. Cum iuuenibus, uel, ut specialiter dixerim, athletis, & laborantibus hominibus facilia uulnera fieri uideamus. Senibus uero, & omnibus imbecillibus difficilia. Quapropter etiam uacuis, uel inexercitatis corporibus Asclepiadis dicta minime conueniunt. Item ulceratione facti fluores, difficiles curatione ab ijs qui eruptione fuerint affecti iudicantur. Siquidem transcenso atque prætermisso initio nouitatis fructu caruerint, quo facilis glutinatio fieri solet: negat enim tarditas facultatem. Item eruptione facti fluores ab ijs qui sine eruptione fuerint difficiles sunt curatione: eius enim factæ glutinationes, alterius passionis initium referunt. Item ex partibus multis modis factos fluores, ab ijs qui paruo motu agitantur, difficiles curatione accipimus: est enim motus cohærentium partium disiunctio. Item ex occultis partibus uenientes ab ijs qui proprias tenuerint partes: etenim adhibita adiutoria occultis uel celatis partibus uitiata suę uirtutis syncerita te perueniunt, sanis primo locis excepta, ac deinde transmissa. Ii uero qui ex primis locis fluores indomita adiutoriorum uirtute curantur, denique à stomacho, uel uentre, aut faucibus uenientes, facile curabiles approbamus: etenim pota medicamina patientibus primo locis adueniunt, & non nimio, aut iugi naturæ motu exercitatis. Ii uero qui ex hypozygo membrana fluores uenerint, difficiles curatione iudicantur: & magis si ex diaphragmate, quod nos iandudum discretorium diximus: item ex arteria, hoc est pulmonis calamo. Omnium præterea difficilis atque grauior curatione ex pulmone fluens accipitur, ob iuge spirationis officium: Iis enim qui omnem fluorem de pulmone uenientem incurabilem dicunt, assentiendum non est: sed iuxta Sorani sententiam difficilis est eorum curatio iudicanda: quippe cum uulnerationibus thoracis sæpe pulmo penetratus non intulerit mortem, ut ijs exclusis uel cadentibus, febri adhibita decisio in cicatricem uulnera fecerit conuenire, ut omnes approbant chirurgi, memorantes in bello quendam sagittatum penetrato pulmone conualuisse, sanguinem à sagitta uomuisse, nec tamen mortem fuisse consecutam. Hæc sunt quæ de effectu, siue de euentu fluorum credidimus ordinanda: etenim ex capite ueniens fluor generaliter est curatione facillimus: siquidem non multos sustineat motus. Nunc nobis necessario dicendum remanet, ne cui cœnotetesi sanguinis fluor adscribatur. Aliqui etiam Thessali sectatores recenti incisuræ, siue uulneris passione subigi dixerunt: non enim oportet locorum differentia cœnoteton mutare uirtutem externam. Igitur corporis eruptionem recentem dicimus incisuram, quo erit consequens, ut etiam interiorum eruptio huic cœnoteti subijciatur. Sed ijs respondemus, quoniam passio non chirurgia, sed diçteticarum traditur curatione: omne etenim adiutorium, quod adhiberi uidetur supradictis fluoribus, est diçteticę partis, non chirurgiæ. Quapropter diçteticas scriptores libris regularibus, quos diçteticos uocant, de hæmoptycis scripserunt, quos nos sanguinem spuentes nuncupamus. Chirurgi uero in chirurgumenis hoc memorare non ausi sunt. Ipse quoque Thessalus secundo libro Diçtetico de fluore sanguinis scribens, nihil in chirurgumenis memorauit, & impropriam, quod sola diçta curetur, in adiutorijs adhibendis chirurgię cœnoteta scribere. Nos uero iuxta Sorani iudicium, siue in exterioribus, siue interioribus corporis eruptionem factam recentem diuisuram recte dici probamus, atque etiam solutionem cognominamus, sed in exterioribus attentionem recentis uulneris iudicamus: hæc enim nos necessario rapit, siquidem solutioni diuisura dominetur, & figmentorum uel fabularum coniunctionem ex initio deposcat, atque hæc diuisura aptissima uideatur, quæ non in omnibus sunt congrua solutioni: etenim sagittarum diuisuræ laxatiuæ necessario accipiuntur. Interiorum uero eruptionum diuisura surgente solutionis cœnotetam ipsam magis cogimur iudicare: siquidem prior oculis occurrat solutio, ac deinde diuisura ratione atque intellectu mentis apprehendi uideatur. Secundo, quòd cum sint multæ differentiæ fluoris sanguinis, omnes uni subijci solutioni, hoc est eruptionis & ulcerationis, & sudationis, quæ non cogatur. Hæc causa fluoris differentias quærere, aut alicæ cœnoteti eruptionem adscribere: aliæ ulcerationem, & non eidem sine ulcere uel ruptione, uel emissione emissum fluorem. Tertio, quòd nullo adiutorio chirurgiæ uti cogamur, sed omnibus congruis solutioni, qua sæpe consequenter etiam glutinationem partium perfecerunt. Ad summũ quidem, est recens incisura siue uulnus cœnotetes, sed ex medicaminum regula, quam Gręci pharmaciã appellant, diçteticę parti ingesta apte curatur: quibus etiam supradicta passio concuratur, obstinente iudicio solutionis. Hæc sunt fluoris sanguinis cœnotetes: eas enim, qui ijs cognominari atque conscribi possunt, præscripta lectione tradidimus. Nunc curationem necessario ordinamus.

De curatione. Cap. XIII.

OPORTET igitur ex qualibet parte sanguinẽ fluentes iacere loco mediocriter frigido atque obscuro, lecto immobili, & schemate declinato, ut paulo promptius caput leuatum habere uideatur, stramentis non nimie cedentibus, neque calidis, & ut potuerint uno atque eodem schemate perseuerantes, hoc est immobiles: præterea animi intentionibus resolutos: uehementer enim motibus corporis animorum cura sæpius turbationes addiderunt. Erunt etiam solo consternenda folia atque rami lentisci, uitis, mali punici, thalliæ, murtæ, salicis, pini, & horum similium, & quibus sine capitis iniuria constrictiuus aer adnatus atque confectus congrue ægrotantibus inspiramentis inseratur: non enim cibi atque potus ratio ac diligentia curanda est, quæ interuallis distantibus adhibetur, quo constrictionis faciant commodum, uel fluentiam retineant, potius quàm aer, qui in pausibiliorem inspirationem adductus, omni parti atque

particulæ corporis ingressu suo fluentia faciat cohiberi, mitti densitate persuasa. Conuenit præterea, ægrotantes delatiore lecti sessione declinari, ut omnifariam immobiles curandi perseuerent. Prohibere etiam occasiones, quæ poterint passionem in commemorationem perducere, ut locutionis uel uisus: ne aut eadem plurimis fabulis reuoluendo, aut inspiciendo quę exclusa sunt, uiso admoniti commoueantur. Conuenit denique etiam sanguineos colores parietum, uel straminum, siue operimentorum declinare. Adhibenda præterea cibi abstinentia, permittentibus uiribus, usque ad tertium diem: non ob relaxanda corpora, sed quo altiora, quorum est officium accepta digerere, immobilia perseuerent: omnis etenim ciborum appropriatio motu quodam necessario perspicitur: quo fiet, ut ea quæ sunt aptissime conglutinanda, motu resoluta differantur. Quapropter ob acceptorum digestionem ciborum sumi prohibemus, & abstinentiam utilissimam iudicamus. Prohibendi denique ægrotantes ab officio locutionis, ut si quid uoluerint, usibus nutus, uel scriptura dari significent: magis quando ex pulmonis cannula, quam Græci arteriam uocant, uel ipso pulmone, aut thorace sanguinis nascitur fluor. Conuenit etiam articulorum tenacior ligatura, si uehemens fuerit: densitati etenim articulorum patientes consentiunt partes. Item spongiarum mollium ac limpidarum, & leuium, ex aqua frigida, uel aqua & aceto, uel decoctione mali punici, uel rubi, aut lentisci, aut myrtæ patientibus partibus appositio, hoc est ex quibus sanguinem ferri agnouerimus. Et erunt hæc iugiter commutanda, ne naturali corporis uapore tepescant. Ac si spongiæ uisæ fuerint ægrotantibus graues, erunt apponenda ptygmata ex supradictis liquoribus infusa, aut succo plantaginis, uel intybi, aut herbæ calicularis, aut uuæ lupinæ, quam Græci strychnon uocant: uel semperuiuæ, quam aizoon appellant, aut polygoniæ, & acaciæ ex aceto solutæ. Ac si ex capite fuerit sanguinis fluor, erit psilothro expoliandum. Tunc fomenta adhibenda ex oleo uiridi, aut roseo, aut lentiscino, aut melino, aut murtino. Sin uero plurimus fuerit fluoris lapsus, radendum caput, atque gypso illiniendum, uel acacia ex aceto, magis frontis atque tẽporum partes. Perseuerante fluore cucurbita quoque apponenda, subiecta flamma plurima occipitio. Si autem etiam per nares ferri uideatur, erunt stypteria immittenda sicca, uel aceto infusa, uel alia qualibet ex liquoribus supradictis. Ora quoque spongia ex aqua frigida expressa iugi tactu detergenda. Tunc etiam cataplasmatum adhibendus est usus ex rebus constrictiuis atque epithematibus: quæ paulo post cum suis nominibus ordinabimus. Danda etiam aqua frigida, uel posca frigida, aut gargarismus sine ullo percussu, quoties ex proximis partibus gutturis sanguinem ferri uidermus: ac si per inferiora, uel altiora ferri sanguinem uiderimus, sorbendos dabimus cyathos duos uel tres. Quod si minime mederi ualuerint, etiam succus plantaginis, aut intybi, uel uuæ lupinæ, aut polypodij, aut herbæ calicularis, aut rosæ erit offerendus, & neque plurimus iugiter, ne percussu partes noceantur, aut liquidorum influxione, quæ quidem sint constrictiuæ uirtutis, redundantia tamen laxare uideantur: neque rursum longioribus interuallis: sic enim frigus à nobis illatum naturali uapore obtusum parui temporis medullam dabit uitiatam. Tunc tertia die transacta, hora accessionis solitæ articulos leuiter ungemus frigido atque uiridi oleo. Dehinc detergemus faciem quoque, spongia aqua frigida expressa retangentes: cibum dabimus paruum constrictiuum, ut panẽ ex aqua frigida, uel posca, aut alica similiter, uel oryza, decoctione Thebaicarũ palmularum cõfecta, uel easdem ex aqua recenti confectas. Aut si plurimum ualere hæc uoluerimus, aqua coelesti, donec liquor mellis habeat crassitudinem, aut ex malis cydonijs: tũc etiam danda oua tremula ex posca, aut rore syriaco aspersa. Dandus etiam panis simplex, aut infusus. Tunc interposito spatio temporis dandus potus aquæ frigidæ paruæ. Dehinc permittentibus uiribus alternis diebus æger nutriendus, etiam si nondum repressus fluor uideatur, usque ad id tempus, quo cicatricem firmatam senserimus. Quod quidem Themisonis atque Thessali sectatores usque ad septimum diem seruari dixerunt, hoc est trium diatritorum spatium: ut enim Antipater ait tertio Epistolarum libro ad Gallum scribens: Naturalis est ratio trini numeri, non solum in diebus, sed etiam omnibus diatritis. Sed est melius, ut Soranus ait, quoniam non æquali tempore, nec dierum numero cunctis poterit cicatricis firmari soliditas, ob alias causas, & ob fortitudinem corporis, ac debilitatem, pro differentia naturali uariatam: neque nos unum atque eundem signare poterimus finem. Dehinc sequentibus diebus aliqua erunt emplastrorum apponenda, aut epithematum constringentium atque frigidantium: quæ sunt plurima particulariter. etenim Thebaicæ palmulæ uino acriori infusæ, uel aceto contritæ, admixtis malis cydonijs decoctis, aut mali punici corticibus, aut alumine, uel acacia, aut hypocistide, aut galla, aut œnanthe, aut aloe, aut cerotario ex oleo roseo confecto, uel melino, aut myrtino, aut lentiscino, aut œnãthino, aut mixto etiã mastiche trito, aut melle decocto, galla cõtrita, aut aspera, aut puluere mali punici, uel mãnæ thuris admixto alumine Liparo, quo malagmatis sumãt omnia qualitatem, tum linteo, uel panno illinita patientibus partibus apponenda. Vel illud medicamen, quod libris Celerum passionum memorauimus, de cardiacis scribentes, & appellauimus diaroos, uel ex polento, & uirgultis rubi, uel arnoglossæ, aut herbæ sideritis, uel uuæ lupinæ, aut calicularíæ, aut anulorum uitis, aut semperuiuæ. Item intyba cum pane ex aceto, aut palmulis, aut murtæ mollibus folijs, aut eiusdem semine uiridi ante cibum offerenda, uel ante cibum elixum aut non coctum panem, & plantaginem ex aceto coctam, & uiridi oleo, asperso rore syriaco. item bulbi ex aqua & aceto, & rore syriaco confecti dari poterint cibo. Non aliter etiam cochleæ erunt offerendæ: habent enim quiddam glutinis naturalis utraque, & compaginandi uirtutem, cum proficiente curatione. Danda etiam pomorum quædam, ut mala cydonia cocta recenti mulso: uel torrida, præsumpto tegmine, farina conspersa, aut sorba, aut mali punici grana, aut fabrilium

uuarum, item uolantium non pinguia, ut sunt pectora turdorum, uel pullorum matrem sequentium. item columbarum, aut phasianorum, aut attagenarum, aut perdicum, quarum erunt murta pectora penetranda. Tunc etiam porcinæ carnes, cerebrum, pedes, auriculæ, ora, uel auricularũ summitates, quæque uel fuerint nutribilia, nec tamen difficilia digestione. Dandum etiam catapotium ex melle decoctum, sub lingua detinendum singulare, aut admixto gummi, uel draganto: etenim sufficienter decoctum mel, sicut in externis corporum glutinat diuisuras, non aliter etiam interioribus mederi necesse est, atque iam glutinata solidare proficiente curatione. Dabimus etiam uinum, & magis illud quod fuerit mordicantis uirtutis, hoc est quodam sensu linguam remordentis. Tunc ad summam paulatim erunt ægrotantes resumendi, cum præcautione uehementium commotionum: sunt enim leuiter atque sensim mouendi, portatoria scilicet, uel cathedra longiore, & firmato corpore lauandi: etenim lauacra feruoris causa atque motus illati, quod corpora celerato spiritu agitantur recentium glutinationum, atque mollium uulnerum redulcerantia probantur: cum enim oporteat coerceri atque densari patientia loca cõtraria qualitate, necessario uexantur feruoris illati causa: inflata etenim parua ex occasione, atque turgentia redulcerantur. Præcauenda denique etiam uehementia exercitia, & magis retento spiritu peracta: tunc utendum peregrinatione terrena atque maritima: & si corpus uiderimus nõ attestante fortitudine augmenta carnis accepisse, erit abstinentia cibi imperãda. Tunc sequentibus diebus paruus dãdus est cibus uino detracto: etenim cicatricis nouitas: quippe ex uenarum uasculis confecta, atque nondum fortificata, si carnis pondere fuerit prægrauata, necessario rumpetur. Semper autem oportet uentrem mitius emollire: acriores etenim clysteres incongruis motibus lacerant cicatrices, atque recursum faciunt passionis: ac si uehemens atque plurimus fuerit sanguinis fluor, erunt extendendæ adiutorij uirtutes. Acetum denique syncere dabimus ore retinendum, uel gargarizandum, aut sorbendum, spreto quorundam iudicio, qui asperum, uel tussiculam commouens, atque fluorem prouocans acetum dixerunt: siquidem etiam gelatum sanguinem soluat: etenim asperat, uel tussiculam commouet, si iugiter atque immodice fuerit datum. Soluit autem eius percussibilem uirtutem distantia temporum oblatione uariata, quæ nõ sensibili tactu, sed remissibili quadam digestione longioribus actibus immoratur. item quòd fluorem non prouocet, demonstrandum non est: siquidem sit manifestum, in externis corporibus uulneribus constitutis necessario fecisse densitatem: & propterea conducibilis atque glutinantis uirtutis fuerit approbatum. Danda etiam acacia aceto soluta, aut posca, aut ex supradictis liquoribus: non aliter etiam hypocistis, uel licium indicum, aut omphacium, uel balaustium, aut œnanthe, aut polios herba, aut gentiana, aut macir, aut ponticum, uel ægyptia spina, quam acanthan uocant: quarum nunc sunt radices infundendæ, uel decoquendæ, nunc earum succi uel lacrymæ admiscendæ: siquidem sint frigidæ atque constrictiuæ uirtutis conuenientia obturamenta. Item corticis uasculi uetustissimi uini exusti triti puluerem asperum tribus cyathis poscæ frigidæ, aut decoctionis, de qua supra diximus, bibendum dari, in modum cochleariorum duorum: etenim constringit cortex inueteratus, & magis antiquissimi uini commutatus tarditate temporis aucta uirtute. Vtendũ etiam trochiscis confectis ex supradictis speciebus. Item ex rosæ seminibus trochiscos, quorum compositionem Responsionum libris de medicaminibus dicentes tradidimus. Item quod appellatur dielectrum: item œnocraton, & alia similia: quorum compositionem, ut supra dictum est, Medicaminum libris tradidimus. Ac si coaceruatus perseuerauerit sanguinis fluor, utendum etiam uehementioribus, quibus obturentur altiora, sua & teneritudinis causæ, tamen erunt ocyus adhibenda, ne passionis ipsius impetu in manibus nostris uitam linquere cogantur ægrotantes. Prædicto igitur periculo eorum proximis aut ministris, uel quòd producta uita spem sæpe dederint sanitatis, erunt hæc adhibenda supradicti corticis cinis exustus cum liquida pice spongiæ impressus, decoctio lentisci, & roris syriaci, & elygmatium supradictorum suorum: nam hæc conficiuntur hoc modo: agmine uitis ustis uirgultis, atque ex eorum cinere confecto liquamine, scilicet aqua imbriali admixta, quam uulgo cisterninam uocant, dabimus ex ipsa bibẽdos cyathos tres uel quatuor, nullis alijs speciebus admixtis: nam quidam in ijs, si febribus adficiantur, etiam uinum immiscuerunt uiuidum, uel spongiæ ustæ cinerem, qui conficitur hoc modo: spongia expressa aceto, atque pice liquida madefacta, uasculo nouo includitur testeo: tunc circuntegitur luto, & usque eo inuritur, donec carbonescat: dehinc trita in puluerem, ex quo cochlearis unius quantitas aquæ uel poscæ frigidæ mixta datur bibenda. Vel si uirtutem medicaminis augere uoluerimus, tinctam, ut supra diximus, spongiam liquidæ picis puluere bituminis aspergimus. Decoctio autem lentisci conficitur hoc modo: eius uirgultorum sumentes sufficientem modum aquæ imbrialis infundimus sextarijs duobus. Tunc decoquimus: & cum semel uel secundo scatere uiderimus, expressas detrahimus lentisci comas: tunc liquorem decoquimus, donec ad tertiã partem deducatur, cuius cyathum admixtum duobus cyathis aquæ bibendum propinamus. Non aliter etiam electariorum decoctio conficitur. Ob electarium autem conficiendum erunt sumenda mala punica recentia uel infusa, nisi fuerint mollia: quibus contusis atque cõpressis, aliquantum detrahimus succum, atque decoquimus, donec mellis crassitudinem sumat. Et quãtum medicaminis uirtutem tendere uoluerimus, tanto ualentius mala exuccamus, quo expressa ultimum atque crassiorem succum dimittant, ut etiam eorum cortex, si quid humoris habuerit, sudet. Conuenit etiam medicamen, quod Themison ordinauit hoc modo: mali punici partibus duabus aloe admixta parui cochlearis quantitate cum aqua frigida offerendum. Ac si solutio perseuerauerit, addenda etiam constrictiua cucurbita patientibus partibus: tum diæteon emplastrum, quod uehementer astringit, superimpositis spongijs aqua posca infusis, ut supra scriptum, ciborum qualitate permanente. Dãdum etiam no-

ctis initio

ctis initio medicamen,quod diaporon appellant,uel diasycaminon,siue catapotia,quæ Medicaminum libris prædiximus. Nunc autem perficienda conscripsimus hoc modo : gummi & acacia æquis ponderibus,admixto alumine scisso ad duplex pondus,quæ sunt colligenda decoctione papaueris,& danda quibusdam in duplicem modum. At si quisquam non plurimum sanguinem fluxerit, nec tamen materia ferri cessauerit,conuenit etiam tertia die phlebotomiam adhibere. Etenim ex eo,quòd sanguis ferri nõ quieuerit,manifeste conijcimus glutinationem partium non fuisse perfectam diuisuræ , siue uulneris : & propterea in tumorem uenisse perspicimus : omne etenim uulnus,quod usque in tertium diem glutinari non potuerit,necessario tumescit. Thessalum denique indigna accusatione appetitum Sorani sentẽtia recte purgauit : tertia etenim die phlebotomandos sanguine fluentes constituit, nutriens constrictiuo cibo non inconsequentia ordinans adiutoria,sed tanquam complexis passionibus apta,ut contrarijs contraria obijcere uideantur. Ac si etiam intra diatriti tempus fuerit attestata partium grauedo uel dolor, aut spiratio difficilis,uel tussicula sicca,phlebotomare conuenit,atque aerem loci paruissimi trepidare, & ijsdem partibus lanas oleo calido uiridi expressas opponere , uel ob sanguinis fluorem ea ordinare , quæ glutinare ualent,sed uirtutis frigidæ non sint,neque transuorationis asperent loca,nec tumorem cõmoueant. Plurima dabimus etiam samiæ terræ,quam ges astera uocant,unciæ partem tertiam cum duobus uel tribus cyathis aquæ tepidæ. Non aliter etiam amylum,uel argallici radicem , atque foliorum eius succum. Conuenit denique sub lingua retenta eius radicis particula,siue amyli,siue terræ supradictę. Danda etiam ex gummi siue draganto,& thure,& opio , & ijs similibus confecta electaria. Tunc tertia die accepta diatriti temporis obseruatione,non solius fluoris, sed etiam febrium, erunt ægrotantes oleo calido atque plurimo,& uiridi perungendi. Facies quoque aqua tepida fouenda : cibus dandus complexioni passionis aptus,& pultes ex oryza uel alica frixa,siue simplici,uel milio,& decoctio calidæ , sed non oleosæ,ac potius siccæ,uel ex oleo uiridi confectæ,aut cum palmulis, uel amylo , admixto ges asteros , aut argallici radicem incoctam. Cæteris uero diatritis,hoc est interuallis dierum trino numero seruatis cogentibus doloribus erit utendum fomentis,atque cataplasmatibus laxatiuis: nunc etiam cum scarificatione cucurbitis,siue hirudinum appositione , quas sanguisugas uocant : tum uaporatio spongiarum apponenda. Sin uero etiam fluor periculosus fuerit sanguinis,cum tussiculã uel asperitate gutturis,erit utẽdum quidem constrictiuis epithematibus,sed calidis : dandum etiam sorbendum mulsum ex melle decocto,& à uino abstinendum . Danda denique aqua potanda calida,sed paruo modo, tum sorbilia , quæ passioni uirtute apta mederi possunt,ut est amygdala ex posca in mulso decocta, quæ abijcienda , & admittendum amyli quantum ualeat mulsum in quandam crassitudinem redigere. Deinde similibus electarijs atque sub lingua continendis medicaminibus utemur tempore amissionis,ut est mel atticum admixto gummi,uel draganto decoctum,aut glycyrrhiza,uel eius succo : nisi quisquam ægrotantium hoc improbauerit nausea commotus,quo eius stomachus facile moueatur. Item ex lini semine trito,& dragãto drachmis duabus,& amygdalis expoliatis xxv, & strobilorum granis xxx,& oui unius tosti uitello,& amyli drachmis duabus,infuso passo sufficientis quantitatis,quo medicamen electarij crassitudinẽ sumat. Sin uero etiam rauci fuerint ægrotantes,erit mel decoquendum cum cæteris speciebus singulatim,resoluto draganto,ex infusione passi confecto : terminatur etenim asperitas faucium,uel transuorationis partes leniuntur,& tussicula mitigatur,sputa sanguinolenta reprimuntur. Danda etiam noctis initio,nisi febrium obstiterit accessio,simplex diacodion. Continuum uero medicaminum usum, quæ tussicularia sunt appellata,siue eorum immodicam quantitatem necessario fugiendam mandamus : est enim melius simplicibus atque consuetis mederi rebus : illa enim temporaliter quidem mitigare uidentur tussientium motum,sed passionem totam faciunt deteriorem. Ac si attestante tumore fluor perseuerãs produxerit tempus,in ijsdem perseuerare conuenit,quæ supra memorauimus,admixto etiam lacte. Si minui tumorem uiderimus,dandum quoque lac amylatum,& panis laganum,pultibus infusum,sed ex fermento confectum,quo panis habeat qualitatem,faciat etiam medelã meliorem. Strobilus denique cum suis fructibus,quod in semet habeat resinale,ptisana decoctus. Dehinc profectu cedente erit panis cum malua decoquendus,sed non exquisite conditus. Danda etiam ptisana cum lenticula,quam Græci psysanon uocant , & apponenda extrinsecus cerotaria ex murtino uel lentiscino , aut melino oleo confecta : tum urgentius augenda resumptio,ut supra demonstrauimus : atque ita abstento sanguine, quoad fiet glutinatione perfecta , at irruente tumore erit conijciendum, uel aduertendum , utrum glutinatio fecerit retentionem , cum neque grauedo , neque dolor , aut punctio ; uel pulsatio , uel saltus partium , aut extentio , uel febris cum arida tussicula , aut stridor , aut singultus , uel quæpiam sanitati impedita saucietas ægrum sequi uidebitur : sed sit æqualis atque ordinata spiratio perseuerans. Tum si tumoris causa fuerit retentio sanguinis tẽporaliter effecta,quæ necessario sordidum atque humectum uulnus efficiat,phthisicorum fluorem pronũciamus . Tum cũ producto tempore sanguinis fuerit ruptio uariata,erit curatio pro motibus temporum uarianda , ut superpositionem emergentem eadem curationẽ curemus. In lenimento uero leues atque quietos adhibemus motus , sub magisterio aliptæ uel musici, quo etiam uocis exercitium artificis præcepta moderentur , cibus dandus ex mediæ qualitatis materia , adhibitis resumptiuis cyclis , in quibus non erunt repentinæ mutationes faciendæ. Sed nunc ex mediæ qualitatis materia primus ordinandus est cyclus , dehinc ex uolantum secundus : tunc ex agrestium tertius , atque ex porcinis carnibus ultimus : & coniunctis deinde duobus contiguis ordo dirigendus , atque ita omnibus , sed singulis materiarum speciebus erunt magis constrin-

gentia procuranda,ut in oleribus intybum,plantago : in marinis squillæ, mulli : in uolantibus perdices, phasiani,attagenæ : in agrestibus,lepores,capreæ : & si celeriter ægros crassificari uiderimus,erit abstinentia intercalanda : tum uenter emolliendus. Vtendum præterea partiliter nunc aquæ potu, nunc uini leuiter remordentis : deinde ueniendum ad recorporatiuæ curationis materiam latenti motu adhibita drimyphagia,ex pisce gobione,admixto melle. Dandi etiam pisces & cerebrum una tantūmodo die, atque interuallatis diebus adhibitis localibus adiutorijs recorporatiuis,ut dropace, partibus primo quæ fuerint remotæ patientibus : tunc uicinis. ac deinde ipsis addendus etiam ex sinapismo rubor,quem Greci phoenigmon uocant,atque sicca fricatio. Tunc torrendum corpus sole,quod Græci heliosin uocant. Adhibenda quoque paroptesis,& aliquando sicca cibatio,aliquando cum pane palmulæ offerendæ,& imitanda consuetudo frigida lauacri,atque potus paruus scilicet primo,ac deinde auctus suggestione, quo possint etiam ijs ægrotantes uti partiliter : facit enim duriora corpora, atque ualentia, acceptorum uel gestorum differentiæ contrariorum mutatione uariata : quanquam sint ex eodem genere uenientia. Vtilis præterea nauigatio approbatur,& peregrinatio comprobatur : inde enim res salutares uenienti. Præcauenda etiam Venus : facile autem hæc passio refricatur. Hæc est secundum methodicos ordinata curatio. Apud ueteres uero dissonantia sunt ordinata. etenim de schemate iacendi, atque phlebotomia, & ligatione, & constrictiuis, uel frigidis cataplasmatibus,& aceto bibendo uaria disceptatione pugnatum est. de schemate inquam iacendi : siquidem alij supinos iubeant ægrotantes iacere : uel super eas partes quæ non patiuntur. Item Asclepiades consequenter approbat supra partes quæ patiuntur esse locandos ægrotantes : siquidem cum scriberet necessarias esse curationes adprehensa causa sic fuerit elocutus, etiam sanguinem inquit fluentes ita esse locandos. Siquidem Erasistratus phlebotomari præceperit patientes. Alij uero eius sectatores etiam fieri principaliter damnauerunt adiutorij genus tanquam uirium uexabile. item plurimi nostrorum tanquam laxatiuum,& propterea inconueniens fluori sanguinis ex solutione uenienti,& indignum ad constrictionem. Alij adhibendum probauerunt,ut Hippocrates de morbis scribens,Diocles libro quo de passionibus,causis uel curationibus scripsit, Praxagoras libro tertio de curationibus. Item Asclepiades libro, quo de clysteribus scripsit : dehinc Themison secundo libro Tardarum passionum : & Thessalus secundo libro regulari, sed adiecta discretione : etenim si tertia,inquit,die rursum sanguinem fluxerint ægrotantes atque plurimum, quod intelligitur tanquam in complexis passionibus,hoc est strictura obtinente,faciendum approbasse : alij uero omnes statum, atque sine ulla dilatione phlebotomandos dixerunt : & magis si ex thorace,uel pulmone sanguis fluxerit, uel plurimus auertendę materię causa,quo patientibus partibus derelictis,aliorsum feratur,hoc est ad eas quę non patiuntur,uel ob educendam materiæ multitudinem.Denique sæpe inquiunt faciendam consuetudinem, si oportuerit semel,& secundo,uel tertio,quo recurrens ex brachio post abstinentiam sanguis iterum auocetur,uelut Themison ait,secundum se,& laxamenti esse,& minutionis,ne initium toris efficiat. Item ut alij ob euacuandas uenas,quo exeant late celerius concedant atque coeant diuisuræ,uelut Asclepiades,ad minuendum cursum siue spirationem,quibus passio adiuuatur.Item de ligationibus pugnauerunt : siquidem Xenophon & Dionysius,& Erophilus primo libro Curationum, & Erasistratus probet articulorum faciendam constrictionem. Erophilus uero capitis, & brachiorum, & femorum : Erasistratus magis inguinum & alarum : etenim laxationem sensus sanguinis approbat fieri retentionem. Asclepiades uero ad ipsum scribens libros Parasceuasticos ligationem excludit,eamque neque Erasistrato congruam dicens,osculari non posse sub discrimine uenulas,quod Græci diaphragma uocant,uel misceri eas quæ supra diaphragma esse uidentur. Omnes etiam nostræ sectę principes id approbasse uidentur : impressa etenim inquiunt ligaturę uexat,non impressa inutilis esse perspicitur.Item Antipater tertio libro Epistolarum ait teneri materiam quidem ligatione,sed cum fuerit indulta uel relata, in repentinum atque immodicum fluorem ueniat : siquidem abstinentiæ causa altiora pendendo latere potius quàm teneri uideantur. Item de constrictis cataplasmatibus plurimi dissenserunt : nam si Erasistratus hęc approbauit, Asclepiades excludit,tanquam materiam imprimentia,uel coercendo in latum reuocantia. Item acetum alij tanquam tussiculam uel fluorem commouens expulerunt, uel quòd duras partes densando faciat. Themison uero ijs repugnans adhibendum iudicauit, attestante etiam Thessalo. Alij aiunt eius acrimoniam uel nimietatem temperandam admixtione aquæ. Plurimi uero contrariarum sectarum etiam clysteres, atque urinales aiunt uirtutes adhibendas. Item Diocles taurinum gluten bibendum dicit, farinæ concoctum & rubo, uel cum nepita amylum uel marrubium, uel rosmarinum in aqua posca dandum. Motus uero alij adhibuerunt, non solum fricantes, sed etiam deambulationem imperantes post cibum, ut Erasistratus. Asclepiades uero de communibus adiutorijs scribens, gestationem in hęmoptoicis prohibet. Vtuntur quidam præterea etiam purgatiuis medicaminibus ex papauere uel helleboro, aut diagridio, quod Græci scammonian uocant, ut Diocles. Item sudorem mouentibus & uomitum, ut Praxagoras, qui etiam plurima urinalia ordinauit. Sed hæc facile iudicantur ex ijs quæ secundum methodicos tradidimus. Demonstranda tamen eorum contradictio, & breui ratione formanda. Peccauerunt igitur, qui supra patientes partes ægros iacere uoluerunt : omnis enim impressio siue affectio incongrua glutinationibus approbatur. Ceciderunt etiam falsa intentione decepti, qui non addita discretione phlebotomiæ memorauerunt usum : non enim in omnibus oportuit prohiberi, cum fluorem sæpe fuerit uehemens strictura complexa: etsi secundum Erasistratum osculatio uenarum ex redundantia materiæ ueniens fluorem faciat, conuenit uti detractione : facile enim

enim corrigi uel reparari parua uirium uexatio potest: plurima tamen ex adiutorio patientibus utilitas fuerit. neque item in omnibus erit approbanda phlebotomia: nam nullo tumore apparente uexabilis iudicatur: etenim corporis fortitudo necessario depurgatur,& stomachus uitiatur, atque debilitate irruẽte difficile coeunt diuisuræ,& eadem patienti uidebimur ingerere, quæ prohibenda suscepimus: quippe cum non auersio,sed potius partitio sanguinis fieri intelligatur,& duplici egestione celerata, nullam mortis habeat dilationem. Dehinc erit anceps,utrum irruente rursum tumore phlebotomandi nec ne sint ægrotantes: sed phlebotomati apertissime interficiuntur, non phlebotomati magno adiutorio priuātur. Ligationes uero non tātum ad diuertendam materiam adhibendę sunt,ut supra memorauimus: quantũ ad densitatem uero faciendam adhibendas adprobamus: siquidem imprimendo coerceant: sed mediocriter adhibere,ne moderatione cessante uexare potius,quàm curare uideantur. Peccat etiam Asclepiades, frigida uel constrictiua epithemata recusando. Sunt etiam inconsequentia Erasistrati placitis, sed officio congruæ curationes efficacia: nam solutionem constringũt,diuisuras conglutinant: quod ex uulneribus in superficie constitutis,& sub uisum uenientibus usu approbatur: quibus apposita apertissime profuerunt. Peccant etiam non aliter,qui bibendum acetum negant: non enim in omnibus fluoribus sanguinis dandum probatur,sed in ijs qui approbato atque largissimo fluore uexantur: in paruis enim aqua frigida sufficere potest,aut admixto paruissimo aceto. Ac si tumor fuerit attestatus,ut complexam passionem demonstret,procul dubio constringentia fugienda, quantum res pati uel admittere possunt. Est igitur improprium,uti ea quæ incongrue adhibita nocere demonstrentur,etiam cum necessario conuenire fuerint uisa,prohibenda existimentur: etenim aduersantia solutioni tussiculam ex fluore ueniẽtem mitigant,atque ipsum fluorem constringunt,& sanguienm retinẽt cohibendo,& neque inurunt: siquidem sæpe reddita per digestionis uias patientibus partibus adueniant temperata atque admixta, liquidis in alto constitutis: & propterea obtusa uirtutis uiolentia perdurant. Sunt etiam clysteres contrarij: siquidem commoueant corpus,eo tempore præterea, quo conglutinationem faciendam nitimur. Hac ratione etiam urinalia medicamina atque uentriflua magis noxia iudicantur: siquidem turbent atque uexent,& uertant stomachum. Item proteruus omnibus uomitus,& propterea contrarius iudicatur: rescindit enim uulnera,nisi quis eum iam solidatis cicatricibus ob recorporationem adhibendũ probauerit. Est præterea affectatio sudorum,quam Græci aphydrosin uocant,contraria: cum enim superflua atque redundantia tollere uidetur,laxatiuæ uirtutis causa coeuntia disiungit. Item taurinum gluten tensionem atque duritiam facit. Motus uero corporis neque excludendos generaliter approbamus, neque approbandos: siquidem prius quàm passio declinauerit,requiescere debeant ægrotantes. In declinatione uero sint mouendi, sed non post cibum: tunc enim ob digestionem celebrandum tempus est quiescendi: quo fiet,ut prius quàm cibum sumpserint ægrotantes,gestatione sint mouendi secunda, etiã deambulatione: etenim parua adiectione neque ulcerare fricantur,& in resumptione uirtus corporis excitatur.

De phthisica passione. Cap. XIIII.

PHTHISIS, siue,ut plerique appellant,phthoe,quod corporis faciat defluxionem,siue corruptionem,fit frequentius antecedente sanguinis fluore: aliquando etiam longi temporis tussicula,siue catarrho thoracis cum altiora lacerantur,& primo leuius,tunc ulcerata,facientia collectionem intrinsecus: quæ cũ siccata non fuerint,citius sumat passionis initium. Sed non secundum has differentias erit efficacia curationis mutanda: siquidem antecedentes causæ,quanquam diuersæ, unam facere passionem uideantur. Sequitur autem ægrotantes febricula latens, & sæpe quæ initium declinante accipiat die atque ueniente luce leuigetur,attestante tussicula plurima initio noctis atque fine cum sputis saniosis, ac paruulis, primo in ijs,qui non ante sanguinis fluore uexantur: quæ quidem admixta saliua latere uideantur,secundo etiã plurima ferri uideantur. Iis uero qui ex fluore sanguinis in istam ueniunt passionem, primo sanguinolenta sputa efficiuntur,hoc est cruenta,quæ Græci hæmalopa uocauerunt: tunc feculenta,dehinc liuida, uel prasina,& in ultimo alba atque purulenta,dulcia uel salsa,cum uoce rauca aut acuta,& difficultate inspirationis,atque genarum rubore, & cæteri corporis cinereo colore. Item sequitur oculos exoletus aspectus, & corporis tenuitas, quæ nudatis membris proditur magis, quàm ex aspectu uultus. Quosdam etiam sibilatio uel stridor thoracis sequitur, crescente passione sudor superiorum partium usque ad pectoris finem, cibi fastidium, & maior appetitus sitis, & quibusdam grauedo uulnerati pulmonis, ut etiam eius expuant fibras. Quibusdam punctio, ulcera thorace,pulsus debilis, densus,ac deinde formicalis, quem Græci myrmezonta uocant: digitorum summitates crassescunt,obuncatis unguibus, quod Græci gryposin uocant. Sequitur prętere inflatio pedum, & nunc frigus,nunc feruor articulorum, nasi summitas pallescit, atque aurium laminæ frigescunt. Tunc peiorante passione uentris efficitur fluor albidarum egestionum, & indigestarum,debilitatis,naturalibus digestionis officijs. Discernunt præterea plurimi purulentum liquorem, phlegmata carbonibus imponentes, quo exustaprobentur: nam tetri odoris esse necesse est omne quod natura fuerit mutatum, uelut ex defluxione carnis ueniens. Item in aquam mittunt ægrotantium sputamina: etenim naturalia facile soluuntur: uitiata uero atque mutata perseuerant, quadam tenuitate coacta, & subsidunt: siquidem sint grauia, & contra naturam ex defluxione carnis uenientia. Vicinæ atque similes passiones sunt phthisicæ, syntexis,quam nos defluxionem dicere poterimus: atrophian, quam nos nutrimenti cessationem uocamus.

Item empyica passione, siue anaphoretica, quam nos purulẽtam, siue uomifluam dicere poterimus, quòd ex uomica interioris collectionis purulenta per tussiculam excludunt sputa. Sed hæc discernuntur: siquidem ex ijs atrophia longo tempore faciat tenuari, nullis etiam attestantibus sputis: sæpe etiam sine ulla tussicula: etenim longo tempore febricitantes, atque tussientes limpidis adhuc sputis affecti, necdum phthisici iudicantur, in phthisicam uero passionem proni ac decliues esse noscuntur. item empyica passio, siue, ut supra diximus, anaphoretica discernitur à phthisica, non aliter quàm ulcerum collectione: quippe cum empyicos sæpe antecedat pleuretis, uel peripleumonia, & tumor immensus, & febres uehementes cum horroribus frigidis, & inordinatis. Dehinc quod sæpe coaceruata puris copiam excludant repente, ac deinde egestione facta febribus atque horroribus præteritis liberentur, ut aut omnino ijs careăt, aut ex parte afficiantur: in phthisicis ea quæ supra diximus antecedant, & liquida paulatim non coaceruata excludantur, & pro modo auctæ passionis etiam febres augeantur. Communiter autem hæc passio stricturæ atque solutioni erit adscribenda, & subiacentibus passioni temporalibus cœnotetis. In quibusdam etiam ulcerum differentias monuimus promouendas: sunt enim necessario intuendæ: siquidem complexa sit regulæ, quam diætan uocant, medicaminum ratio, quam pharmacian appellant. Denique si tumens ulcus fuerit, quod intelligitur ex dolore consequenti, & cæteris tumoris signis, conuenit ægrotanti calidus locus, & abstinentia unius diei. Tunc fomentatio laxatiua, atque cataplasmata, & cucurbitæ appositio cum scarificatione, & uaporationibus spongiarum, & totius corporis perunctione. Cibus quoque sorbilis, calidus, & magis panosus, obseruatis temporibus singulorum adiutoriorum, ut sæpe docuimus: ac, si tumens non fuerit ulcus, ob purgationem sordis erunt aquæ mulsæ cyathi duo uel tres offerendi ante cibum, uel fœnigræci sæpe torti decoctus succus, sed non ita ut uiscosus fiat, quod seruabitur: si secundo uel tertio mollius scatere cœperit, deponatur, quòd sit colore uinosus, ac deinde uni cyatho liquato admiscemus mellis cochleare: habet enim uirtutem fœnigræci semen mitissimæ detersionis. Vel certe mulsum dabimus ex lini semine fricto, atque trito, admixto puluere, aut liquato linteolo limpido, uel farina meregmi. Si autem maior purgatio fuerit facienda, irin illyricam atque herbum dandum probamus. Oportet etiam herbum rubrum aquæ infundere donec infletur. Tunc testa calefacta atque ignita molere, terere, ac deinde tum tenuissimo cribrello eius pollinem mulso aspergere in cochlearij quantitatem, uel ex melle decocto electarium facere, admixto scilicet polline supradicto. Sed propter uehementiam herbi erit conijcienda sordis magnitudo, ut si fuerit putruosa, quam Græci dysoden appellant, tunc solo herbi polline utemur. Sin uero non ita fuerit cogens causa, admixto sesamo iri illyricæ æqualis ponderis aut superantis, pro passionis magnitudine: ac si plurimum putruosum apparuerit ulcus, ex ijs quę feruntur, non solum per os conuenit herbi pollinem dari, sed ex ipso confectum etiam cataplasma aceto atque melle extrinsecus apponere. Tunc etiam lenticula simili usu adhibenda probatur: & præterea purgatiuæ uirtutis aristolochia & dracontia herba, siue quæ appellatur aron: eius generis etiam marrubium approbatur, quanquam sit stomachi uexabile, purgatiuæ tamen uirtutis. Oportet autem eius manipulum tribus aquæ sextarijs decoquere, donec ad partem redeant. Tunc marrubium detractum proijcere, atque admiscere mellis boni libram, & rursum decoquere, donec ad suam ueniat crassitudinem. Ac si marrubium uiridius fuerit, tundendum atque exuccandum, & in unum cyathum succi libra mellis miscenda, & ita decoquenda, aut aquæ sextarij tres decoquendi, siue admiscendi, donec crassitudinem sumant. Faciunt etiam ex strobilis & amygdalis, & lini semine, uel supradictis electaria confecta. itẽ ex amygdalis, & ptisana cum melle & lacte sorbile medicamen, & primo cum pane acceptum infuso melle. Tunc etiam singulare sorbẽdum paruissime, ad modum unius cyathi uel duorum: dehinc plurimum, longe ante tempus alterius cibi: quanquam sit in quibusdam hoc solum cibo sufficiens: etenim corpus nutriet, & uulnera reterget, & cruentos, uel purulentos: dehinc cum tenuia sputa ferri uiderimus, facit etiam strobili decoctio, quæ conficitur hoc modo: uiridem strobilum sumentes fructuosum, qui in semet habeat quædam resinalia, quem tribus sextarijs immixtum decoquimus, donec pars liquoris insumatur. Tunc detracto strobilo erit residuæ parti liquoris miscenda mellis libra, uel glycyrrhiza. Tunc decoquẽdo donec crassitudinem sumat. Conuenit etiam ex squillitico uino electarium confectum, ex quo erit sextarius unus libræ mellis admiscẽdus, & gummi uino perfusi selibra: tunc decoquendum mel, donec uinum insumatur. Potest præterea etiam melilotum linteolo ligatum tempore decoctionis immitti. item succus glycyrrhizæ simili modo, atque eodem tempore misceri probatur. Conuenit etiam diocodion medicamen cochlearis quantitate sumptum, uel butyrum cum melle electario datum: & præterea purgatiuæ uirtutis atque siccatiuæ hoc medicaminis genus marrubij succi uiridis sextarij tres, mellis libra una: quæ cum fuerint coctione crassificata, iris illyricæ immittendæ sunt drachmæ duæ. Sed oportet neque semel, atque eodem tempore omnia hæc ægrotantibus dari: uarias etenim materias posuimus: siquidẽ iugis speciei unius oblatio satiat ægrotantes, & propterea recusetur. neque accessionis tempore hæc danda mandamus. Quapropter uni etiam cætera in curationibus monemus intuenda, quo purgato ulcere humanioribus cibis utamur, hoc est ex mediæ materiæ qualitate. Conuenit interea motus latens pensili primo lectulo cathedra longiore, atque in uicina porticu. Adhibita etiam perunctione primo sedenti, ac deinde recepta fortitudine stanti, purgato ulcere dabimus uinum album, atque lene mediocriter remordens. Tum lauacrum adhibendum, quando etiam sicca conueniat cibatio singularis, uel cum palmulis thebaicis, & pulmento in cibum dato, uel arnoglossa herba, & uolantum non pinguia. Item sub lingua amylum datum, quod retentum in defluxionem ueniens subiectis partibus patientibus irruat, &

paulatim

paulatim adiuuet cicatricem, uel mel decoctum simili modo datum, aut paruo ex amylo admixto: tum etiam trochiscum, qui appellatur trigonos, uel mel uino remordenti admixtum parti suæ quãtitatis & decoctum, donec incoquatur uinum. Tunc etiam antidotum, quod appellatur theriaca mithridatios, quę in semet habeat siccandi atque recorporandi uirtutem. Item zopirios, & dierisimus. Apponenda præterea extrinsecus emplastra, quę in cicatricem ducere ualeant, ut est melinon, ac deinde siccantia magis. Tum cum firmum apparuerit, lenimentum erit amithaoniõ imponendum, uel polyarcyon malagma, admixto cerotario ex oleo cyprino confecto parte tertia: siquidem hæc singularia primo tempore ægrotãtes ferre minime possint. Tunc cyclica regula adhibenda, sed quæ non repentinas habeat ordinum mutationes. Denique nunc uinum, nunc aquam potare permittimus, iuxta cycli rigorem. Danda etiam drimyphagia, quam despuentibus sanguinem memorauimus. Adhibenda etiam localia adiutoria, similiter cucurbita, dropaces, & sympasmata, & paroptesis, & sinapismus, & bibendum medicamen, quod diapipereon appellatur: ualet enim callositatem ulceris tenuare, atque siccare. Fugienda præterea bibendi medicaminis satietas, & eligendus consuetorum usus: magis siquidem insueta materia uexatus stomachus, atque fastidio supinatus prodat ægrotantes: & propterea uehementer utilis naualis gestatio, atque longa nauigatio, lectio, uocis exercitatio, & omne quod dare corpori fortitudinem potest. Veteres autem medici alij nihil de ista passione memorauerunt. Sed Diocles libris, quibus de passionibus atque causis, & curationibus scripsit, iubet initio cibos detrahi, nihil de fine abstinentia significãs, quousque sint ægrotantes retinendi: tunc sudores commouendos, quibus necessario uires auferantur, & neque hoc, quẽadmodum faciendum sit, ordinauit. Vtitur etiam anacœliasmis, quorum qualitates non memorauit, adijcẽs uerrendum, siue deducendum â pulmonibus humorem, quando fuerat mitigandum potius ulcus, quàm depurgandum. Item uomitum ex oxymelle adhibendum, quo corpus disijciendo ulceratas lacerat partes: atque hoc iugiter, & post cœnam faciendum probat: dehinc proterua mentis cæcitate deceptus etiam psichrolusian imperat adhibendam, & allium dandum, quod necessario uexet ęgrotantes inflãdo: tum uino flauo utendum siue nigro, & propterea duro: atque post prandium deambulatione uexandos imperat ęgrotantes, & nulli adiutorio sua tempora reddenda perspexit. Item Praxagoras secundo libro curationum, ijs qui pulmonis ulcere afficiuntur initio helleborum probat, atque sitim faciendam: tũ resumendos: non aduertens primo resumptione, tunc helleboro utẽdum, quo possint eius laborem perferre ęgrotantes. Ad summam, non resumpto uiribus deficienti helleborum non conuenit. Resumpto autem, uel fortificato exclusa phthisica passione comprobatur, & propterea usus hellebori recte prohibetur. At Themison secundo libro Tardarum passionem quędam recte, quędam caduca proteruitate cõposuit. Ex quibus est etiam pendentis thori gestatio, quo plurima parte diei ac noctis motu exerceantur ęgrotantes, cum necessario accessio uespertino tempore asperetur, atque luce surgente leuigetur: quo non solum laboriosus, uerum etiam intemporalis, & inordinatus motus ab eodem adhibitus approbatur. Etenim initio lucis, & dimissionis tempore nutriri cibo conuenit ægrotantes: est etiam noxium allium, quod imperat dare: siquidem inflationem maximam faciat. Vnctio item ex feruentibus adhibita uirtutibus, quam circa uesperam probat adhibendam, cruribus atque brachijs contraria iudicatur: tũc enim febres ardescunt. Imperat pręterea inter duos uel tres ęgros lauandos, cum corpus elimatis uiribus debilitet lauacri frequentia, & sordidet atque humectet ulcera. Pręterea herbum, dehinc intybum, & plantaginem, cum sit horum usus differentia temporum separatus: herbum enim purgationis adhibetur causa: frigerantiam uero cicatricis obducendę. Item imperat ulcera facienda extrinsecus ijsdem quibus intus inesse senserimus, quod est perniciosum: putat enim auersione humoris facta ad exteriores partes altiora ulcera pręsiccari: & propterea diutissime differendam sanitatem exteriorum ulcerum, donec illa clauduntur. Imponenda nanque ait emplastra, quę humoris prouocant defluxionem: cum humoris defluxio iuxta sapientia placita nullius commodi teneat fidem: sic etiam plurima localia adiutoria adhibenda conscripsit, quę tamen multo tempore magnificas ulcerationes, hoc est, quas nos extrinsecus infiximus, in cicatricem uenire cohibeant, impediens plurima quę congrue adhiberi possunt, ut defricationes, dropaces, cucurbitę, sinapismi paropteses, et alia quę cum uehementissime prosint; ulceratione cutis pręfecta adhiberi non possint.

CAELII AVRELIANI SIC-
CENSIS CHRONION
LIBER TERTIVS.

De suspirio, siue anhelitu, quem Græci asthma uocant. Cap. I.



NHELATIO, siue suspirium ab accidenti nomen sumpsit. Vocatur præterea secundum aliquos spirationis difficultas, quam Græci dyspnœan uocant, siue orthopnœan: siquidem sese præfocari sentiant, cum iacuerint ægrotantes, atque erecti facilius spirent. Item, ut alij dicunt, contrario uocabulo suæ uirtutis nomen accepit: nam cum sui ratione conuertat ac deprauet, tanquam corrigat orthopnœa nuncupatur, quam nos spirandi dicere correctionem poterimus: multa enim contrariæ interpretationis uocabulum sumpserunt, ut fella, quæ Græci glycea uocant, uelut dulcia, cum sint amarissima. Grauat autem atque premit hęc passio magis mulieribus uiros, & iuuenibus senes, atque pueros, & durioribus natura corporibus teneriora, hyberno atque nocte magis, quàm die uel æstate: in quibusdam ex initio generatur: in quibusdam perfectis irruit passionibus: sed magis ex profundo frigore sequitur patientes spirationis difficultas, & frequenter natura celerior magis quàm tarda. Item præfocationis sensus secundum thoracem, atque grauedo, & feruor igneus. Item enteron ad superiora conductio, & cum passio uehementescere cœperit, stridor atque sibilatio pectoris cum uocis debilitate. Tum extensio colli atque uultus cum rubore, & oculorum suspenso attentu, & iacendi potestas schemate supino, tussicula nunc arida, nunc uuida, cum sputis tenuibus & spumosis, aut crassis & uiscosis, & sudoribus, & colore morbido, atque pulsu humili. At si grauior impetus superpositionis fuerit, ora ægrotantium liuescunt: & quidem excluso per nares humore muculento releuantur, atque præfocationis carent metu: quod non aliter cedit, etiam si super oculos lacrymarum fuerit fluor. Variantur autem tempora passionis superpositionibus & lenimentis, & nunc limpidis atque synceris, nunc sordidis, & passionis tractibus implicatis, ut etiam tunc leuis difficultas inspirationis inesse uideatur: quæ facile prodetur, si ægrotantes itinere ascensibili gradiantur, atque ocyus pergant: uel indigestione, aut usu uenereo affecti, uel frigore, atque puluere, siue fumo grauentur. Differt autem hęc passio à peripleumonia, quòd neque cum febribus necessario fiat, & semper tarda esse uideatur. Itē secundum aliquos discernitur ab orthopnœa: siquidem hæc cum stridore atque præfocatione asperetur: orthopnœa uero cum thoracis euersione atque singultu, aliquando etiam cum sanguinis fluore. Item secundum aliquos magnitudine discernitur: uehementem enim dicunt orthopnœan supradictis passionibus. Sed est melius, ut uno atque generali concursu passionum potentiam iudicemus, ut nunc uehemētem passionem dicamus, & magis accessionis tempore, nūc leniorem & magis dimissionis tempore. Est autem passio stricturæ, quapropter conuenit, ut mox corpus inuaserit, siue cum repetendo superpositionem asperauerit, iacere ægrotantes altioribus stramentis, thorace atque capite subleuato, loco lucido atque calido, mediocriter adhibita requie, & abstinentia cibi usque ad tertium diem. Et si uires permiserint, pectus tegendum lana, atque fouendum oleo dulci calido: adhibita quoque articulorum blanda calidarum manuum fricatione, ut etiam tenendo medeamur teporibus admotis tempore quo accessio uehementescit, & cucurbitæ lenissimis raptibus detrahendę. At si pręfocatio coegerit, & uires permiserint ęgrotantis, adhibenda phlebotomia, & diatriti tempore unctione antecedente sorbilis atque calidus & uarius in dimissione offerendus cibus, atque alternis diebus, donec passio declinet. Sin uero imbecilles uiribus fuerint ęgrotantes, diurnis diebus dabimus cibum: sed ea die, qua abstinere oportuerat, paruum: ea uero, qua dare licebat paulo, plurimum. Sin uero officium non agnouerit, simplex clyster adhibendus, et ante cibum mulsę ex melle despumato duo uel tres cyathi prębibendi. Tunc cataplasma laxatiuum atque cucurbita cum scarificatione adhibenda thoraci, & in utrasque scapulas, ac magis paulo inferioribus locis, quo sine ulla quassatione partium eius raptus efficiatur. Tum uaporatio spongiarum, atque cerotarium, & malagma quod diachylon appellant, uel mnaseum: atque ita lauacrum, & uinum, & uarius reddendus cibus. In lenimento uero, si corpus passio tardauerit, erit adhibenda resumptio, gestatione, uocis exercitio, deambulatione, unctione, fricatione, corporis retento spiritu: tum lauacrum, atque cibum ex pulmentis medię qualitatis. Dehinc ad recorporatiuam curationem transeundum. Adhibenda drimyphagia, atque cęterarum transitus mutationum, quas sępe cyclos ordinantes docuimus. Tum etiam ex radicibus uomitus, uel si passio coegerit, etiam helleboro prouocatus. Iubemus pręterea acetum scilliticum ęgrotantes ante cibum sorbere, uel cum aceto nitrum, siue laser, aut hysopi decoctionem cum fico contritum, uel nucleo pineo, quem Gręci pityda uocauerunt admixto mulso. Item abrotonum tritum cum sulphure, atque aceto ex mulso confecto, uel urticæ semine, aut radicum, & horum similium electariorum, ut est melli admixta resina terebinthina, aut cartamum, quod nasturtium uocamus, aut sesamum, cū aloe, & amygdalis amaris. Aliquando etiam pipere, uel oui uitello: uel illud electarium quod diascylles appellamus, cuius confectionem de Medicaminibus scribentes tradidimus. Tum etiam cucurbitę recorporatiuę adhibendę thoraci, atque interscapulo: dehinc dropax, paroptesis, heliosis, sinapismum, acopa,

recorporatiua

recorporatiua malagmata,ut est diadaphnidon,uel dialoe,uel diaeuphorbio : dehinc nauigatio atque peregrinatio terrena, & potio theriacæ antidoti, & aquarum naturalium usus,quarum præstant in Italia cotyliæ appellatæ,siue albæ,uel nepesinæ. Tum etiam cataclysmus,hoc est aquarum illisio superne, ijsdē locis qui patiuntur: utilis denique maritima,& plurima mare tenus conuersatio,atque consuetudo frigidi lauacri,quam psychrolusian appellant. Aliqui autem aduersarum sectarum principes etiam dauco cū aceto & melle ægros potauerunt,siue iri cum mulso,& uentrem plurimum deduxerunt,dando de diagridio,quod scammonian Greci appellant,obolos tres,cum duplici pondere aloes siue hieræ,quam catarticā uocant,uel ammoniaci salis obolum,siue opoponacis simile pondus,uel cneoron, aut polion herbam, uel peplion,aut calchantum,uel thapsian,aut asininum lac,& castoreum,non solum lenimenti tempore, sed etiam in augmēto,siue superpositione passionis. Alij uero etiam urendum thoracem, uel caput crediderunt. Themison quoque secundo libro Tardarum passionum in quibusdam eisdem compeccasse uidetur, cum plurimum uentrem depurgandum credidit ex diagridio, atque in ipsa accessione. Vtitur præterea cōstrictiuis,atque ijs acrioribus:& imperat dari thapsiæ succum cum opoponace,aut sagapeno, ex quibus stomachus necessario uexatur. Hic denique erit memorandum,quia potis medicaminibus nō sine cautionibus utendum est, ut neque eorum plurima satietate uexandi ægrotantes. Item in impetu uel asperitate passionis recorporatiua adiutoria prohibenda : erit enim cœnoteta consideranda, qua facile medicamina qualitatis ratione accedente correctius approbamus.

De stomachicis. Cap. II.

A PARTE corporis quæ patitur stomachica passio nomen accepit:sed non omnis stomachi querela illico passio nuncupatur,nisi fuerit ex multorum concursu signorum,& perseuerantia cōfecta, atque corporibus tardans, repetendo superpositionibus lenimenta. Plurimi igitur singulatim speciales curationes eius tradiderunt : nunc de stomachi duritia dicentes,nunc de uētositate,de rheumatismo, & debilitate,& horrore ciborum,& fastidio. Themison quoque primo libro Tardarum passionum solutionem circa stomachum,quam appellauit rheumatismum, secūdo libro uentositatem. Item Thessalus secundo libro regulari curationem separauit soluti stomachi atque inflati. Nos uero communiter sub una propositione de omnibus dicere curabimus, qua uentositatem uel ex tumore duritiam confectam strictur æ iungimus : fastidium uero, siue horrorem ciborum, & corruptionem ambiguam utrisque principalibus passionibus subijcientes. Antecedentes causę quę stomachi passionem faciunt,cęteris quoque passionibus generandis communes esse probantur,sed magis ista iugis indigestio parit, siue post cibum gemitus,& perfrictio profunda:item mœstitudo & medicaminis insueti potatio. Sequitur autem in passione constitutos accessionis tempore animi defectio,articulorum frigidus torpor, aut uariatus per membra acrior naturali feruor,qui magis medias teneat manus : tum roscidus sudor,& animi angustia,iactatio,anxietas,siue concatenatio mentis,& desponsio,coloris mutatio,pulsus paruus,celer,imbecillus, corporis tabes,cibi fastidium, uel maior ciborum appetitus : tum corruptio acceptorum cum acore in bromosam uel fumosam transeuntium qualitatem. Quibusdam etiam uocis amputatio,& dentium confrictio,siue concubitus,inseparabilis capitis grauedo,aurium tinnitus, & quibusdam sitis insatiabilis : cum in accessu tumor maior fuerit excitatus,oris siccitas,& saltus sub præcordiorum partibus: tum dolor in eadem parte,aut etiam inter palas tenens,siue latius,cum se tumor uberior infuderit:dehinc transuorandi difficultas cum præfocabili sensu. Quo denique commoti quidam nostrę sectę principes, Epistolarum libris hoc accidentię genus stomaticam synāchen uocauerunt. Durescente autem stomacho sine ullo feruore atque dolore,cætera communia signa sequentur : tunc ligneus earundem partium sensus, & magis inter palas, si omnis aruerit stomachus : sin uero in superioribus erit transuorandi difficultas, donec ad eius fundum accepta perueniant:aut si in eodem fundo,quem Greci basin appellant,fuerit durities,erit transuoratio facilis:sed post eius perfectionem grauatio sequetur,tum durities,atque extantia in interioribus præcordiorum. Ac si uentositas fuerit stomachi,tensio sequetur inflatione coniuncta:tunc capitis plenitudo cum oppressis atque iugibus ructationibus,testante grauedine, quę magis accepto cibo sentiatur. Tum sonus in interioribus liquidorum tanquam semipleni folliculi,errante uento per inania : atque ita tensione laxata,erunt ructatione releuandi : & si etiam intestina fuerint conflata,rugitus interiorum sequetur,quē Gręci borborygmon appellant. Ac si solutio fuerit stomachi,quam rheumatismum uocauerunt,sequitur saliuarum fluor,& quibusdam iugis sputus,& oris humectatio nauseabilis, cum mordicatione interiorum quibusdam plurimus uomitus crassioris, uel tenacis, aut fellei, & prasini humoris, uel alterius cuiuslibet substantię circa supradictos colores. Sin uero occulta fuerit solutio, quam Gręci adelon appellant, aut immensa signa uideantur,quę Gręci logotheoreta uocauerunt,sequitur debilitas pulsus ęgrotantis,& ueluti stomachi pendentis atque trementis sensus,marcor ac defectio animi,quā Gręci lipothymian uocant, quę sumpto cibo temporaliter depellatur resumptione suffecta,nec tamen perseuerabili : sed rursum in eandem relabent defectionem,in imagine ultimę passionis. Quo fit,ut nisi quis celerius sumpserit cibū, summa defectione iactetur. Sic denique plurimi impausabiliter tota die atque nocte cibum sumpsisse ueteribus traduntur : nanque Asclepiades memorat,Praxagorę famulum ternos bilibres panes per singulos dies accepisse : quibus comestis non aliter passione afficeretur,quàm si nihil acciperet. Sed ab ista passione phagedęna discernitur : siquidem in ipsa non insumantur,uel digestioni tradantur accepta,sed gra-

uatione sequente euomātur. Hæc sunt quæ stomachi rheumatismo occurrunt: sed circa regulam methodicam discernentes superpositionis tempore contrariarum adiutoria passionum stricturæ ac solutionis, quę suis speciebus signis approbantur, in lenimento communi sæpissime curatione utemur, quam recorporatiuam dicere poterimus, à Græcis metasyncriticam appellatam. Cum igitur primo stricturæ passio corpus inuaserit, atque noua temporis causa fuerit ægrotantis, siue in superpositione constituta turbando, aut dolore, aut uentositate affecerit patientem, conuenit eum iacere loco lucido, atque calido mediocriter, adhibito straminum atque operimentorum calidorum usu: &, si uires permiserint, adiuncta abstinentia usque ad tertium diem, & accessionis tempore omnifariam requiem: tum articulorum blanda cōuenit defricatio, cum quodam calidarum manuum amplexu, ut etiam tenendo medeamur. Dehinc uaporationes inter scapulas, siue palas adhibendæ: pectori quoque saccelli calidi ex cantabro confecti, siue polline: nam Græci omphacomeli uocant, & harum similium materiarum. Conuenit etiam multiplicati linteaminis uaporatio, siue pannorum, uel plagellarum, quæ Græci ptygmata uocant, oleo tinctarum, cucurbitæ igni externo uaporatæ, atque leniter appositæ iugi atque frequenti mutatione. Aliquando etiā testea uascula, quæ Gręci amphoras uocant, siue uitrea: tum fomentatio studiosa ac iugis, ex oleo calido atque dulci, uel in quo maluæ agrestis radices decoctæ sunt: si singultus fuerit, sicyonio: si inflatio, ruta uel anetho. Ac si uocis fuerit amputatio, in accessionis affectu decumbentibus erunt spongijs aqua calida expressis ora uaporanda, & distinctio dentium facienda digitis immissis, quibus lenius gingiuas deprimamus. Tum capitis fomentatio, & resumptionum moderamenta adhibenda, ut panis calidus, uel cucumis, aut melo, uel terræ gleba aqua calida infusa, & oris collutio ex aqua calida, & accessione uergente parua potatio: ac si in uehementiam passio uenerit, adhibenda phlebotomia: qua perfecta, si tertia fuerit dies, quam Gręci diatriton uocant, erit ęgrotans unctione curandus, calido scillicet ac dulci oleo: tunc oris adhibenda collutio: cibus offerendus paruus, leuis, calidus, sumptione facilis, ut sorbile quidquam ex pane atque melle, & sale, & anetho confectum, siue pulticula molli, uelut ex pane, aut alica, & oua sorbilia: tum alternis diebus permittentibus uiribus ęger nutriendus, donec passio declinet. Potus pręterea dādus est plurimus, sed neque maioribus haustibus haurientibus, neque coaceruatim atque eodem tempore, quo potius ignotos impleri, quàm relaxari faciamus. Iis autem partibus quę fuerint in tensione constitutę, cataplasmata conueniunt laxatiua, ut est prę cęteris ex fœnigręci pollinibus, & semine maluę ex solo melle, & paruo oleo admixto confectum, quod plurimo tempore corporis possit sine ulla grauatione immorari: tunc cucurbita adiuncta scarificatione, siue hirudinum appositio, quas uulgo sanguisugas appellant: deinde cataplasma, & uaporatio spongiarum expressarum liquoribus sępe memoratis. Declinante passione si ulla durities fuerit consecuta, erunt cataplasmata apponenda, ut nuper docuimus, admixta resina, siue in olei uicem liquida pice, uel ex radice hibisci, & adipe porcino, recenti primo, tum ueterato confecta, siue ex hordei pollinibus, aut lolij semine, & arido fico & hibisco: tum etiam ex oleo calido embasis, siue ex uarietate eiusdem per diuersa uirtutis fœnogręci decoctione, uel radicis maluarum, aut lini semine. Dehinc cibus uarius dandus, sed qui nullam faciat inflationem, neque digestione tardius approbetur, sed omni facilitate conueniens, ut cerebrum porcinum, pisces teneri, atque olera quę uentrem mollire ualeant: tum lauacra conuenit adhibere, atque uino ęgrotantem resumere leni. Vtendum etiam malagmate quod diachylon appellamus, siue mnaseum, uel diamelilotum. Et si uentositate fuerit stomachus affectus, adhibendum diasamsucum, siue diaspermaton: quorum cōpositiones de medicaminibus Responsionum tradidimus libris. Si rheumatismus fuerit, quem nihil aliud quàm solutionem accipimus, conuenit ęgrotantem iacere loco mediocriter frigido, supino schemate, attritis ac teneribus stramentis utētem, adhibita requie & abstinentia, sicut superius diximus, permittentibus uiribus, tum tenacior ligatio articulorum: uel si causa coegerit, constrictio facienda apposita cucurbita stomacho, plurima flamma subiecta: dehinc solutione cogentes spongia frigida atque odoramenta quę percutere minus ualeant caput, ut exhalatione sui frigus ingerant ęgrotanti, ut mala cydonia, pira, sorba, mala punica, murta, lentiscum, rosa, uel pulentum infusum, & ijs similia, oris collutio ex aqua frigida siue posca. Ac si plurimus fuerit saliuarum fluor, expuere iubemus ęgrotantem: siquidem retentus stomachum soluat: transuoratus autem humectet atque obducat, & propterea geminet solutionem. Sed hoc conuenit facere urgenti tempore, ne meditatio potius expuendi fiat, atque exinde prouocatio fluoris augeatur. Perseuerante passione gargarismata sunt adhibenda ex supradictis, uel ex aliquo succo ad fluorem sanguinis pręscripto, qui ualeat frigore, atque propria uirtute mederi: uel si res coegerint, ex ijsdem spongię expressę, sicut in alijs docuimus, gutturi admouendę, siue pectori, & interscapulo. Lenius autem atque idem faciunt ptygmata ex supradictis expressa liquoribus: constringunt enim saliuarum fluorem, & nauseam releuant, quod nō minus etiam masticata conyza, atque exputa, siue mastiche contrita, & lactucæ albæ semen facere ualent. Possunt etiam poto dari ea quæ congrue medeantur, ut duobus aquæ frigidæ cyathis seminis aspergantur cochlearia duo, siue mastichis cochleare unum, uel plantaginis, siue mali punici dulcis, uel acidi succus, cum particula menthę paruissima, uel cucumeris semine contrito. Dandum quoque medicamen confectum, quod diaporon appellamus: item diamoron, siue diaroos, & ijs similia: quorum compositionem Medicaminum docuimus libris. Cauendę præterea horrentium materiarum fabulæ, quæ quadam commemoratione uomitum commouere uideantur: utendum cataplasmatibus, quæ nuper de fluore sanguinis scribentes docuimus: diatriti tēpore adhibenda perunctio ex oleo Hispano, siue lentiscino, uel murtino, qua præcuratus ęgrotans, ora fouenda aqua frigida, uel spongijs ex ea expressis detergi: tunc cibo reficiendi

ficiendi constrictiuo, sicut de fluore sanguinis conscripsimus: atque ita parua interposita dilatione frigidæ parum aquæ paulatim bibat. Quod si quisquam non ualuerit sustinere, calidam dabimus, ut nimio feruore constringat: imitatione enim uelut usturæ partium perficit densitatem. Ac si cibum sibi in stomacho natare senserint ęgrotantes, cõuenit articulorum impressam ligationem facere, ita ut in aquam feruentem manus ægrotantium mittere, uel si maiora cogunt, etiam constrictiuam adhibere cucurbitam: & primo ori uentris, dehinc inter scapulas, siue palas, quod metaphrenon Gręci uocant: & aliquando tertiã inferius à prima conuenit adhibere. Ac si cibus fuerit reiectus, secundo nutriendi sunt ægrotantes: & si permiserit ut diatriti rigorẽ seruemus, erit alternis plurimis paruus cibus offerendus, quo quidem diurnis diebus, sed non simili modo ægri nutriri uidentur. Sin uero stomacho collectus humoris fluor mordicationem fecerit, ilico excludendus, si plurimum superare fuerit uisus: non quidem digitis immissis, quo uomitum prouocemus, ne magis influant acriora, & ex partibus sanis, uel quę passione contaminatę non fuerint patientibus aduenire liquida faciamus: quippe cum consuetudo sæpissime transeat in naturam. Ac si plurimum edax fuerit humor, nec tamen ita superfluus, ut ex sua sponte per uomitum excludi uideatur, ob facultatem reijciendi, quo minus euersio fiat stomachi, dabimus potum: & perseuerante solutione, cataplasmatum, siue medicaminum uirtutes augemus. Tum si orexis, siue appetitio cibi fuerit impedita, dabimus ea quæ naturam ualeant excitare, ut intybi thyrsum, uel lactucę, & magis albæ, atque aceto tinctę: tunc albas oliuas, & panem posca infusum, cum paruo pulegio, & sale, & Hispano oleo. Item pultem ex pane, uel tragoptisana, atque posca, & oleo, & sale paruo confectam, & anetho, uel porro capitato, uel tragoptisana, quę ex lenticula atque alica conficitur: sed erit assanda lenticula. Tunc immittenda mala cydonia, uel orbiculata, siue scaudiana, ut plerique uocant, uel mala pira, aut sorba, aut pira duracina, quę crustumina uocant, uel folia plãtaginis mollia, aut intybi. Aspergenda etiã alicę siue oryzę, grana mali punici, uel uuę fabriles: dehinc etiam uina quędam infundenda, ut murtinum, malinũ, uel ex malo punico confectum, aut hydromel inueteratum, uel quod melimelon appellant, aut hydromelon. Dã da etiam damascena, & malum assum uel elixum, uel quidquã ex supradictis. Sic etiam uolantum, quæ nulla pinguedine accipientem grauent, ut passerum pectora, uel perdicum, aut attagenarum: tunc etiam quadrupedum leuia, deinde porcina crura. Item maritima, quę non sint contraria solutioni, ut squillę, mulli, carabi, bucini, spondylia, conchylia. Ac si cibus in acorem trãsierit, ijsdem erit perseuerandum, atque eodem potu, cui erunt aspergendę coriandri seminis drachmę duę: tunc etiam asperiori uino utendum, quod Gręci hypausteron uocant. Perseuerante fluore, erit etiam trochiscis utendum, quos hęmoptoicis & cœliacis potãdos scripsimus. Lauacrum interea tardius ac serius ordinandum, & multo atque longo tempore prohibendi ęgrotantes bibere, priusquam cibum sumpserint, nisi aliqua forte maior necessitas intolerãdę sitis occurrerit: erunt nanque dãdi cogentibus rebus ex uino asperiore aqua commixti duo uel tres cyathi. Sed si forte complexionis passionum aliqua fuerint signa perspecta, erunt urgẽtiora conijcienda, quibus ordo magis seruiat curationum. Plurimi uero medici stomachicos putant eos, qui duritia laborauerunt, & singultu, castoreum ex aqua mulsa solutum quãtitate pleni cochlearis tribus cyathis aquę miscentes. Eos autem qui fluore stomachi, hoc est rheumatismo laborauerint, aquã potãt, miscentes aloes cochlearis pleni quãtitatem, uel infusione, uel decoctione, aut succo. Sed erit pręcauenda medicaminum dandorum satietas, ac magis inlocãdę qualitatis, quam non solum ęgre perferant ęgrotãtes, uerum etiam officio appetendi cibi deserantur, & propterea passionis augeatur pernicies. Hęc etiam de illo potando medicamine, siue antidoto, quod hieran appellant, dixerimus. Facienda etiam laboriosa, atque dolore grauissima ignis ustura: sed in lenimento oportebat ęgrotantium fortificare corpora, atque resumere uaria gestatione, & pro modo uirium sub diuo deambulationes adhibere, siue lectionis exercitium, si fuerit literatus ęgrotans, uel ut communiter dixerim, uocis: tum unctionem ac defricationem, & eos motus qui magis humeros ualeant exercere retento spiritu, & nunc palęstra corpus agitare, tum lauacro rarissimo, in ijs qui fluore uexãtur stomachi: iugi autem ac frequenti in ijs qui strictura laborare uidentur. Vinum uero, atque uarium cibum constrictiuum prioribus, laxatiuum sequentibus ordinamus, ut pisces teneros, echinos, ostrea, & olera mollia, accedente regula methodicæ disciplinę, minuendæ augendæque quantitatis. Dehinc adhibenda recorporatio, quam Gręci metasyncriticã uocant, ex acrio ri cibo, quem Gręci drimyphagian appellant, ex aqua capparis confecto, & aceto, & sale, & cepe: sed ex depositis, quæ temporis requie accepto marcore inflabilis uirtutis careant qualitate. Dandæ etiam rapæ sinapi madidatæ, atque salsum ex aceto & oleo conditum: uel aceto, & mulso, & sinapi: aut mulso ex uino confecto: quæ quidem erunt narianda. Admiscendum etiam piper pro ratione uirium, atque passionis magnitudine, ut nunc uno, nunc duobus, nunc tribus acribus pulmentis utamur. Conuenit etiã sicca fricatio cum aspergine corporea facta. Tunc frigidi consuetudo lauacri, quam psychrolusiam appellant, & cibi sicciores magis in ijs qui fluore, hoc est rheumatismo laborauerunt: tum rubor cutis faciendus inter scapulas, & in thorace usque ad uentrem, nunc ex feruentis resinæ lenimento, nunc ex picis, nũc ex dropacis, primo communis ac lenioris, deinde compositi ac uehementioris: atque ita nitri fricamento utendũ, & sole torrendum corpus, quod Græci heliosin appellant: aut paroptesis adhibenda ex carbonibus, uel parietibus ignitis, & ceromate: aliquando etiam ex fico calefacto: tunc defricatio ex nitro, atque oleo, & adarce. Adhibenda quoque acopa ex euphorbio, & diagridio, & pyrethro, & pipere, & sinapi, uel succo ferulaginis, quem Græci thapsian uocãt: ungenda corpora, uel admixta cera imponenda, donec sufficienter inflari ui medicaminis partes uideantur. Conuenit etiam uomitus arte affectatus, quo cor-

pora dissecentur: & primo ex aqua mulsa, uel ex aceto squillitico melli admixto singulari, uel adiuncto semine erucæ, aut cardami, aut urticæ, aut sinapi, aut salsamenti multi ex aceto & melle: tum etiam ex radicibus: ultimo quoque helleboro lenticulę admixto, uel oryzæ, in ijs qui rheumatismo fuerint affecti: cū sorbilibus uero succis qui strictura. Adhibenda etiam ptarmica, quibus stomachus commotione capitis contremiscat. Item sorbendus, aut infundendus rhinenchyto ferramento naribus succus cyclaminis, aut erucę, aut anagallidis herbæ: gargarizandum sinapi ex aceto & melle, decoctio thymi, aut origani, uel pulegij, aut hysopi, aut squillę succus cum aqua mulsa, & cętera similia eius generis quę fuerint, & magis cum initia atque summitas stomachi callosa uidebuntur, uehementiore modo curationis indigentia. Tunc etiam adhibemus quędam acriora, uel horum exhalatione ęgrotātes haustu suo hortabimur adducto spiritu recipere, quo etiam altiora agitatione medicaminis demutentur. Sumpto igitur fictili uasculo immittimus poscam: tum admixto nitro, origano, cardamomo, mastiche chia, carbonibus subiectis decoquimus. Sed erit primo os uasculi pręgypsandum, immisso utraque ex parte forato, cuius summitatibus oui uacuati imponimus testam, ex utroque suo uertice perforatam: cuius altera cauerna calamo inseratur, altera uaporem fumet acceptum: tum ęgrotantem iubemus ore aperto supradictam cauernam labijs amplecti, siue oui, ut supradiximus, uerticem, atque ita eius exhalationem excipere: cuius quidem feruor erit moderandus, ne nimietate partes exurat. Atque ita si plurima & perseuerans mordicatio affecerit ęgrotantem, erit mitiganda simplicibus gargarismatibus, ut aqua calida, & oleo, siue lacte, aut decoctione cantabri, aut succo ptisanę, uel noxarum decoctione, aut amyli cum aqua. Oportet pręterea etiam partibus in passione cōstitutis apponere medicamen, quod polyarchion appellamus, uel diadaphnion, & horum similium, quorum compositionem Medicaminum tradidimus libris. Dandum quoque medicamen theriacum bibendum, quod diechidnon appellamus: cuius quoque compositionem Responsionum dedimus libris. Tunc ęgrotantes maritima natatione exercendi, atque cataclysmo curandi, hoc est aquarum illisione, suppositis partibus patientibus. Animo pręterea securo atque facili esse conuenit curandos, & aquarum naturalium usum adhibere, ut sunt in Italia quæ Cotylię sunt appellatę, & Nepesinę: lauacro atque potu aptissimo utendum, adhibita aeris mutatione longa, terrena, maritima: exercitationibus uarijs palęstrarum, adhibito pręceptore, utendū: atque ita ijsdem resumptionibus corpus conuenit recurare. sic enim perseueratione & uentositas excludetur stomachi, & alię quoque supradictę passiones depellentur.

De Phagedena. Cap. III.

EST etiā phagedęna ex stomachi passionibus, qua affecto sequetur cibi uehemens appetentia, quā Gręci orexin appellant, & coaceruati accipiendi cupiditas, & immasticata transuoratio: tunc grauedo atque tensio, & propterea uomitus, quem sibi coacti atque oppressi prouocent ægrotantes, corporis macies, pallor. Aliquando etiam uultus inflatio, oris pedor: quibusdam etiam gingiuarum putredo, cum scabro dentium detrimento tritus, uisus obtusio, sed passioni genus philonij in problematicis non daturos nos iterum pollicemur: interposito enim tempore digestionis rapiuntur accepta, atque repletis uijs quos Græci poros appellant, obtunditur appetitus. Erit pręterea curandum, tempore quo cibamus ea ministrare quæ parum nutriant, sed quanta ui queant appetentiam obtundant: ut sunt olera quæ non relaxent, ne uomitum moueant, sed constringant potius. sic enim sui quantitate famem sentiunt, atque uirtutem propria digestione non grauando perficiunt. Bibere autem non prius, quàm solidus sumitur cibus, ijs qui fame urgentur utilissimum iudicamus: siquidem potu impleti minus solidos appetunt cibos: phagedænicis uero hoc conuenire negamus. humectatus etenim stomachus in uomitum facile prouocatur: & liquefactus atque supernatans cibus facilius nauseam prouocat ægrotanti. Erit igitur sensim uomitus differendus, atque eius consuetudo mutanda, ut interpositis diebus parum demus aliquando cibū, & appositione cucurbitarum eius adiuuemus descensum, qui solitis suis insertus teneatur. Alia uero uomitū permittamus, ac deinde paucis interpositis diebus prohibeamus, uel iterum adhibeamus, sed in adiutorij uicem, hoc est ex radicibus: tum etiam ex helleboro, quo regulæ curationis adiutorijs localia concurrant recorporatiua uirtute medentia, & partes ad fortitudinem naturalem ducant: quorum usu ex supradictis, atque in alijs passionibus ordinatis accipiendum ducimus.

De iecorosis, quos Græci Epaticos uocant, & lienosis, quos splenicos dicunt. Cap. IIII.

VTRAQVE passio à locis patientibus nomen accepit: siquidem fit in iecore, uel in liene constituta, tumore scilicet effecta siue collectione, uel duritia atque saxitate, quam scirrhosin uocant. Sed de tumoribus libris febrium docuimus. De collectionibus uero, siue uomicis specialiter docemus. De duritia uero aut saxitate, quæ cedente tumore efficiuntur, nunc prosequemur: sequentur enim quædam communia iecorosis atque lienosis, quædam specialiter propria, sed communia, grauedo, spirationis difficultas, & magis in itinere ambulationibus cliuosis. Tum piger motus, atque anhelatio, & sitis, & oris siccitas, coloris mutatio, pedum inflatio. Aliquando etiam febricula latens, & hydropismi suffusio, cum continua cibi corruptione. Propria autem, uel specialia iecorosos hæc sequentur, extans durities, siue scirrhosis in dextera parte præcordiorum, schemate rotundo costis ex aliqua parte subiecta, & propterea ueluti decisa. Ex alia uero parte circunscripta atque rotunditate terminata, color sæpissime æruginosus, siue

ſiue arquati ſimilis,quem Græci icteron appellant,urina turbata, uelut ſandarachæ colore. Et acceſſio=
nis tempore dolor tendens uſque ad dexterum iugulum,atque palam,& difficilis ſupra latus ſiniſtrum ia=
cendi copia : ſiquidem adducantur dexteræ partes ſuo pondere pendentes,& propterea grauedine atque
doloris punctione ægrotantes afficiant. Tum felloſa ſtercorum egeſtio. Lienoſis uero extans duritia
atque ſaxea ſub ſiniſtra parte pręcordiorum inuenitur ſchemate longo porrecta,& ueluti pectus inuadēs,
uel umbilici ſæpiſſime tranſgrediens finem,atque latitudine ſuperans,nunc minime,nunc uehementer,ut
omnia conata uideantur,& inſpicientes eo falluntur,ut membranam tumere,ſiue extare putent,quā Gręci
peritoneon uocant,colorem plumbeum,atque acceſſionis tempore dolor tendens ad iugulum ſiniſtrū,
& palam,& difficilis ſupra dextrum latus iacendi copia. Memorant plerique, etiam multitudine pedicu
lorum ægrotantes affici,& grauiore per ſomnum ſudore, atteſtante ueretri in officium uentris erectione,
& aſſidue è naribus ſanguinis fluore: præterea oris fœtor ægrotantes afficit,cum gingiuarum putrefactio=
ne & defluxione. Sectarum principes meminerunt,tenuari etiam cutem uentris, & uenas nigras appa=
rere,atque craſſiores,& in cruribus ulcera difficile in cicatricem, uel indecenter uenientia. In ijs igitur
communiter oportet ſuperpoſitionum tempore tanquam in tumore curando calidum iacentibus proui-
dere locum : tum fomentis & cataplaſmatibus,& cibis laxatiuis uti tempore, quo ſæpiſſime docuimus,
ſed tenuibus ac ſorbilibus : tunc cucurbitæ atque ſcarificationes, & ſanguiſugarum conuenit appoſitio,
quas hirudines appellant,& uaporationes : ac ſi uehemens fuerit,adhibenda phlebotomia ijs omnibus an
tepoſita : tunc clyſter,ſi uenter officium non agnouerit,ſed ex decoctione fici ſingularis,impreſſi patien=
tibus locis : flectetur enim,& exercitio quodam durities reſoluetur. Conueniunt etiā frequentes cyclo
rum mutationes : denique inter paucos dies adhibenda drimyphagia : tum radicum uomitus cum aceto
ſquilletico,uel certe helleboro erunt diſijciendi : tum alia mutatione reſumendi ægrotātes, adhibito uſu
aquarum naturalium, atque natatione maritima,& uaporatione locorum natura ſpirantium, quo etiam
ſudores moueantur,non ob uirium fatigationem, ſed quo poſſit calida ſpiratione ac naturali corporatio
fieri patientium partium. Conuenit præterea etiam in litore ſicco ex harena ſole ignita paropteſis.
Tunc malagmata quę corpus ualeāt papulare : & primo leuiora,ut eſt polyarthion, ex caphiſo fonte &
ſalibus confectum,quod diahalos appellāt. Item ex tribus reſinis,quod diaretiſmum uocant: tum etiā
ut eſt quod appellant diamyrepſicen balanum. Item diaoriganum,& diacardamum, uel diathapſias, &
diaſbeſtum : quorum omnium compoſitiones Reſponſionum libris explicauimus. Sed ijs quæ ſunt
uehementia,ut eſt diathapſias,ita erit utendum,tanquam ſinapiſmo uti ſolemus. Hæc eſt ſecundum nos
curatio eorum qui duritiam,ſiue ſcirrhoſin in iecore uel in liene habuerint. Apud ueteres autem medi
cos plura, atque diſſonans & turbulenta curationis ordinatio inuenitur : alij enim phlebotomiam recu=
ſarunt in lienicis,ut Apollonius Citienſis : alij probauerunt. Atque horum alij ex dextro brachio ieco
roſos,& ex ſiniſtro lienoſos phlebotomandos dicunt : alij ex talo eius partis quę patitur : alij ex medio
digitorum omnifariā uarijs extimationibus tentati : ſumit enim atque depoſcit ex ijs partibus,quę facile
diuidi poſſint,phlebotomiā faciendā,hoc eſt brachiorum uenis,niſi forte ipſę tumuerint,& ob hoc opor=
teat longe à patientibus partibus phlebotomiam adhibere, quod iniuria lateat adiutorij. Item alij de
uſtionibus adhibendis certauerunt,& quidā ſolis aiunt lienoſis conuenire : quidam autem iecoroſos ex
medicaminibus ſcaroticis adhibitis,ſiue cauteribus,& horum alij urenda,alij ſuperurenda probauerūt, at=
que altius in lienicis cauteres infigendos:quorum quidam ſimplices,quidam triſulcos,quidam ſerratos ap=
probant frigidos : tum uſtionis ulcera humectantes, atque in fluore humoris longo tempore prouocan-
tes ſcirrhoſin defluxionibus auferendam crediderunt,ex quibus tumores atque indignationes & conſen=
ſus cum uehementibus febribus neceſſario ſequentur : ſiquidem peritoneos membrana, quę eſt natura
neruoſa,ignis uſtione uexetur. Fit etiam ſecundo impoſſibile plurimis atque uehementibus adiutorijs
uti medicātem,ut ſinapiſmo,cucurbitis rapidis,forti raptura motis fricationibus,dropace,& ijs ſimilibus,
cum cicatrices cęcitate uię,& hebetudine torpentes,tāquam mortuę uim nullam medicaminum accipiūt.
Diuiſerunt pręterea plerique etiam curationis officium,ut alia iecoroſis, alia lienoſis conuenire probarūt.
Hinc denique quaſdā lienicas uocauerunt : iecori etenim cataplaſmata aiunt adhibenda ex abrotono & ſe
ſamo. Item bibenda medicamina,ut theriacā quam dioſcoridian uocauerunt, diapatorion, uel diapy-
rion. Item anodyna,quæ nos indoloria dicere poterimus,ut ea quę ſcribunt diadion,pipereon,& lexy
pyreton,& chamæpityn,uel uiridis pini decoctionem ſingulatim,uel cum melle. Item urinalia medica
mina quæ diuretica uocant,ut eſt mulſum cum dauci decoctione,uel fœniculi radices, aut petroſelini, aut
abſinthij,aut mali cydonij cum œnanthe. Vtuntur etiam oleribus,ut lactucę coctę uel incoctę, aſpara-
go,radicibus oluſatri. Ventrem quoque deducentes antidoto quod hierā uocauerunt. In lienicis ue=
ro epithema aiunt ſpecialiter conuenire ex cappare & myrobalano & aceto,ſale admixto,quod oxyalmō
uocauerunt,& herba cui nomen aſplenos. Dant etiam bibendam aquam. Dicunt ſpecialiter lienem
deducere,uel defluxionem purgare,ex quibus eſt ad nutriendum noxię cuticulę,& aquę ex lacu, in quo
ſępiſſime candens ferrum fabricatores tingunt : de qua iubent dari cyathos tres, cum aceti cyatho uno.
Item polion herbam,aut formini ſemen in cotylę quantitatem,aut capparis radicem cum ſquillæ drach=
ma dimidia,aut chamædryos,uel herpilli acetabulum,& ex aceto mulſo cyathis tribus, uel hippoſelini ſe-
men cotylas duas,cum uini cyathis tribus : aut libanotida herbam,quam nos roſmarinum uocamus, cum
fœniculi ſemine in cotylæ quantitate ex uino mixto. Item ammoniaci guttę drachmam unam, cum
mulſo ex aceto confecto cyathis tribus,uel tamariſci ligno. Item cibum uel potum ſumere iubent ægro-

tantes in uasculis tamarisci ligno confectis. Quidam etiam decidendum, uel auferendum lienem ordinare ausi sunt: quod quidem uoce dictum, non officio completum accipimus. Sequentibus autem atque diuersis sese implicantibus potionibus, medicaminum uariorum stomachum uexant, uesicam commouent, atque totum corpus communiter in cachexiam mittunt, nescij quòd quædam ob acrimoniam proprię uirtutis, laceratione quadam communi potentia medeantur, & nos per quasdam inerrabiles proprietates, & neque alia iecoris, alia uenis esse medicamina, rectè senserint: omnia etenim omnium corporis partium sunt communia, quando simili fuerint affectę passione. Regulantur enim siue diriguntur eorum uirtutes, non natura patientis loci genere passionis extenta atque indulta pro modo morborum, hoc est peccantium iudicium, sed eorum causa, qui rerum magis historias amant. Cætera quoque à quibusdam probata, breui atque concinna oratione subijciam. Diocles igitur libro quo de passionibus atque causis, & curationibus scripsit, phlebotomat iecorosos, & dextero brachio: tunc uentrem resoluit helleboro nigro, atque papaperis succo. Dat etiam cum mulso rosmarinum, quem Græci libanotida uocant, & murram, & pini folia. Adhibenda quoque cataplasmata ex phoenicobalanis cum uino atque lini semine, & sesamo; & pollinibus, quos omphacomeli appellant. Dat præterea aquam bibendam, in qua sit cātabrum prælotum, & ptisana ex tritico: quæ omnia sunt inflantia, atque stomachi uexatiua, & digestione difficilia. Lienosos uero, quorum gingiuæ sudauerint sanguinem, phlebotomat: & similiter uexat medicaminibus felliducis, quę cholagoga uocant, atque urinalibus, quæ diuretica appellāt. Item Praxagoras primo libro Curationum iecorosis adhibet uomitum, & uentriflua medicamina, & sudorem mouentia, & urinalia, & phlebotomiam, atque fricationem. Vtitur etiam uino nō aquato, & ustione cauteriū, & ijs similibus: lienicos uero phlebotomat, & cataplasmatibus curat, utēs digestibilibus cibis, & uino potat redolenti, & aceto, adhibita fricatione atque unctione, & lauacro. Dat præterea bibendam mulsam aceto admixto, daucio, aut hysopo, uel thymo, aut capparis radice, uel folijs, aut semine, aut ætheriæ herbæ semine, quam eryngion appellant, aut chamæleę, uel chamæpitys, aut absinthij, aut marrhubij: adhibens etiam uomitum. Erasistratus autem in iecorosis pręcidens superpositas iecoris cutes atque membranā utitur medicaminibus, quę ipsum iecur late amplectantur: tunc uentrem deducit, audaciter partem patiētem nudans. Item aliqui Asclepiadis sectatores gestationes & lauacra, & uaporationes cataplasmatum atque malagmatum excluserunt in iecorosis, suspicantes tenuissimorum corpusculorum fore consensum hoc est spiritus, quem leptomerian eorum Princeps appellauit, atque in egestorum constrictione falsitate causarum adiutoria magna recusantes. Themison uero secundo libro Tardarum passionum plurima in ijs methodico rigore ordinauit, sed proterua atque caduca intentione, etiam ex talo eiusdem partis phlebotomari iubet ęgrotantes, atque alternis uel interpositis duobus diebus sanguinis interea fieri detractionem: uulnerandam quoque iecoris partem ex superficie medicamine uel cauteribus existimat: & cōcedit esse quędam propria lienis adiutoria, ob eius firmitatem, hoc est, quę fuerint uehementia, ut cataplasmata, uel ustiones, eo cōcedens, ut etiam ipsum quoque lienem igneo cautere transpungendum probet tribus uel quatuor locis: non aduertens, quia pro magnitudine passionis ac uirium corporis extendūtur, atque indulgentur adiutoria, & non pro specie patientis partis: siquidem quędam quę natura difficilem habuerint sensum, & propterea non facile tactum accipiant, morbo tentata sensibiliora cęteris fiant, ut est plantę cauum, quod tumore dolidum, atque omnino sensibile & attentum fiet: atque rursum ea quę natura facile sentiunt, difficilioris sensus passionis efficiuntur causa. Quo fiet, ut sit iuxta regulam methodicam explosum, ut qui intentione cœnotetarum ducitur, corporis facile ne aut difficile sentiant curent, sicut latius de cœnotetis scribentes docebimus. Thessalus uero secundo Regulari libro omni ex parte immutatam, atque eandem iecorosis & lienosis formam tradidit curationis. Sed quia plurimę atque uarię ijs uisceribus irruunt speciales passiones, ut arquatus, siue aurigo, quam Gręci icteron uocant, & cachexia, uel atrophia, atque hydrops, de ijs nunc ordinare curabimus.

De aurigine siue arquato morbo, quem uulgo morbum regium uocant, Græci icteron appellant. Cap. V.

PASSIO uocabulum sumpsit secundum Gręcos ab animalis nomine, quod sit coloris fellei. Fit autem ex antecedenti iugi indigestione, uel medicaminibus uentrifluis potu datis, atque permanentibus, & minime exclusis. Sequitur in passione constitutis mutatio coloris in fellis qualitatem, quę primo appareat, ac magis uideatur in albidis partibus oculorū, atque plātarum talis uel uenis quę sub lingua sunt. Ventris quoque abstinentia, uel egestio albida atque argillosa. Vrina etiam crassior & crocea, oris amarior sitis, cibi fastidium, grauedo, & piger atque segnis uisus, insolitus motus, animi difficultas, pruritus & ariditas corporis, & ueluti exustione solis aspera cutis superficies. Sępe etiam iecoris tumentis inflatio, siue saxea durities. Difficile autem ac rarissime splenis, uel stomachi consensus etiam: ex ijs enim plerisque uisum & istam fieri passionem, quę sit quidem facile sanabilis, cęterum neque ita felleum faciat corpus. Fit pręterea nunc cum febribus, nunc sine febribus, & nunc celeriter circunscripta, nunc corporibus imtardans, & propterea chronia appellata. Conuenit igitur cum primum corpus inuaserit siue tardauerit, & in superpositionem ueniens fuerit apprehensa, eam adhibere curationem quā de tumoribus in corporibus in corpore constitutis sæpe memorauimus. Denique si uehemens fuerit, etiam phlebotomiæ usus non reprobatur. In lenimento uero, corporis exercitio, atque cibis digestibilibus resumendos ducimus ęgrotantes: tum ad recorporatiuam uenimus curationem, prouidentes ut adiutorijs localibus,

bus,si qua durities in uisceribus fuerit, hoc est,in iecore,uel stomacho,aut liene, sicut superius docuimus, destruatur: sic enim cum passionis genus fuerit amputatum,etiã color naturalis corpori reddetur.Conijcienda sunt eius præterea accidentia,quæ Græci symptomata uocant,cum generali congrua curatione, id est,ut fel diffusum recorporatione adhibita detergens uarie deducamus, nunc clysteribus acerrimis, nunc absinthio poto dato, uel intybi agrestis succo uno uel duobus cyathis singularibus. Ac si declinationis tempus permiserit,etiam cum uino aliquando ipsa quoque intyba comedenda probamus cocta uel incocta. Item asparagum uel daucum,aut fœniculum,& ob plurimam oculorum infectionem erit sternutatio commouenda,medicaminibus scilicet,quæ Græci ptarmica uocauerunt. Item naribus infundendũ, priusquam in lauacrum ueniant ęgrotantes,ut quidam probant,struthium cum lacte,& ad speciem referentes, asinino uel humano. Similiter etiam elaterium quod appellant,hoc est cucumeris agrestis succum. Item cyclamini cum eodem lacte: fertur enim statim per nares,quæ uultum tenuerat fellis infectio, & magis si æger ingrediens calidas cellas feruens descenderit solium, atque requiescens diurno tempore aqua calida fuerit uaporatus,adhibitis aliquando etiam apophlegmatismis,quorum materiã sæpe memorauimus. Itẽ ijs quæ superficiem corporis lacessendo iaculare uidentur,quæ appellata sunt anastomatica, & propterea recorporatiua,in sudorẽ prouocantia fellis infectionem,hoc est,dropax iugiter adhibitus, uel solis feruor torridus,quem Græci heliosin appellant. Item naturalium aquarum exhalatio, uel medicaminũ sudorem mouentium usus. Aspergendum denique corpus struthio,nitro,sulphure,& ijs aspersionibus quæ ob pruritum corporis adinuentæ sunt,à Græcis sympasmata appellata,feruentiore aqua fouendi ægrotantes: sic enim seruata regula generali etiam accidentia passionis curabuntur: non enim hæc solis in acutis erunt passionibus obseruanda,uerum etiam in tardis,quas Græci chronias uocant. Vtendum etiam aeris mutatione & gestatione uaria, & litoraria moratione: animi quoque laxamento ac iucunditate, & aquarum naturalium uoluptate,natatione uaria,& assiduo uomitu,simplici,atque radicibus commoto. Item drimyphagia,in qua prę cæteris capparis magis usus approbatur,& acetum squilliticum,in quo sit infusa anchusa herba, & bulbi, & squilla igne torrida, id est subassata, cum melle electario data. Vinum præterea tenue probamus, & perseuerante passione helleboro decocto corpus agitandum: uel si oportuerit, bibendum damus medicamen ex herbo & ceruino cornu, in cotylæ quantitatem cum tribus cyathis mulsæ: in ijs qui adiuncta febre uexantur, uel conditi in ijs qui sine febre afficiuntur. Sed uitandam probamus frequentem & uariam medicaminum potationem,quæ fella deducere promittuntur, siue uentriflua,siue urinalia: etenim sitis extenditur,& solidioris cibi fastidium duplicatur, & corporis fortitudo minuitur,atque cibi accepti corrumpuntur,& omnis corporis materia adulterio medicaminũ deterior fit, cum habitudo,ut supra diximus,omnis fuerit immutata. Quod facere uidemus eos,qui sæpissime ac iugiter herpillum dari probauerunt,& absinthium,& aloen,& diagridium,& coloquintida, uel ex aloe & coloquintida hieram cõfectam. Item ex amygdalis,& absinthio,& aniso trochiscos confectos,& decoctiones recentis mulsi ex uino confecti,cum hyperico,uel aristolochia longa,uel herba adianto, quam Latini capillum Veneris uocant,uel cicere albo: aliquando etiam hæc mandenda probauerunt. Item rubea, quam Græci erythrodanon uocant,uel struthium tritũ cum fico arido,uel palmulis,aut sulphure in ouis sorbilibus in parui cochlearis quantitate: aut certe ceruini cornu elimatũ puluerẽ drachmã,unam, cum cyatho uno,& aquæ cyathis duobus,uel nepete,quam Græci calaminthen uocãt,aut radicibus pastinacæ, quã staphylen appellant,decoctis in uini heminam,& dimidiã, donec ad tertiæ partis liquoris ueniat quantitatẽ. Ex quo dandũ probant cyathum unum cũ aquæ cyathis tribus aut quinque,cum dauci semine: aut apiũ aut zingiber,meu,uel asarum,aut radicẽ herbę brionię. Itẽ seseli & libani herbę infusionẽ uel decoctionẽ & throchiscos ex herpillo uel fœniculo confectos,uel ex aristolochia,quos diherpillum,uel diamaratrũ, & diaristolochia appellant: horum enim uaria multitudo,uel usus frequens, causa sæpe ipsius fuit faciendæ passionis: non enim quoniam fellis detractio facta,illico curationis est causa,nisi totius quoque passionis fuerit destructio consecuta: sic igitur ijs utendum erit,ut supra demonstrauimus. Itẽ quidam Veneris probauerunt adhibendum usum,laxationem carnis faciendam æstimantes. Ex quibus est Titus, Asclepiadis sectator,& Themison. Sed est hoc neruositatis uexabile: quippe cũ fortitudinem corporis tollat,quę magis est ægrotantibus adquirenda. Item alij aurum iugiter aspicere uel intueri ægrotos præceperunt, siue aureos colores. Iis denique etiam operimentis utendum laudauerunt: siquidem similia rapiantur, & propterea morbi,siue colorum,aut fellis migrãtia in alias possit transire materias earũ concordantes colores: non conijcientes,quòd sit magis credibile, externa in ægrotum facilius transire: quippe cum uiarum tensitate superficie corporis clausa interiora teneantur, uel certe similitudo magis passionis possit prouocare uirtutem occultæ suasionis admonitione superata. semper enim memoratione passionum tristes ac mœsti necessario fiunt ægrotantes: quæ maxima causa est augendæ passionis. Est autem maximum adiutoriũ, & magis utilis ægrotantibus animi purissima laxatio,siue serenitas. Erit præterea perseuerante passione etiam longa nauigatio curanda,& unctio,adhibito præceptore,quo assidua defricatione & plenissima fieri resumptio possit.

De cachexia. *Cap.* VI.

CACHEXIA, nomen sumpsit à quodã corporis habitu malo: cacian enim uitiũ uel uexationem Gręci uocauerunt, hexin habitudinem. Sed principaliter eius curationem ante Themisonem nullus

ordinauit: ipsam nanque secundo libro Tardarum passionum, itemque primo atque quarto Epistolarū memorauit. Item Thessalus secundo libro regulari. Fit autem siue nascitur hæc passio intemperantia ægrotantis, uel curatione mala medicantis, aut post ægritudinem tardā resumptionis causę. Item ex medicaminibus sępissime potatis, uel ex saxea duritie iecoris aut lienis, hęmorrhoidis longissimi temporis, aut uomitu. Item ex febribus longo tempore corpus affectum, aut collectionibus, aut uomitu post uespertinos cibos, & ijs similibus. Est autem ipsa quoque passio sæpissime hydropismi antecedens causa, aut macularum simili in superficie corporis accidētium. Sequitur cachecticos pallor subalbidus: aliquādo etiam plumbeus color, debilitate tardus ac piger corporis motus, cum inflatione inani. Aliquibus etiā uentris fluor cum febricula in plurimis latente, quę circa uesperam magis augeatur: pulsus creber ac densus: cibi fastidium, & uini magis appetentia, urina fellea, & extensio uenarum. Est autem passio sępius stricturę, sicut ex supradictis conijcimus. Aliquando etiam complexa solutione ob plurimum uentris fluorem, uel simili quolibet fluxu. Quapropter conuenit complexa passione laborantis primo abstinere fluentia, & intemperantiam ęgrotantis corrigere, uel curationes malas, aut medicaminum potationes prohibere. In iecore uero aut liene si qua fuerit durities, siue saxositas, destruere, ut nup demonstrauimus: aut si fluor sanguinis fuerit plurimus, abstinere: hęmorrhoidas uero auferre, febres quoque soluere, ut de febribus scribentes docuimus: collectiones congrua curatione, sicut de ipsis scribentes monuimus, sanare, & consuetos eis post uespertinum cibum uomitus paulatim detrahere. Ac si horum nihil fuerit accidens, & sola in corpore uisa fuerit cachexia, erunt eius superpositiones ac lenimenta prouidēda, & uigilante sine ulla ratione ęgroto, aut cibo corrumpente, animi attestāte difficultate, cum pigro ac segni corporis motu superpositionē cognoscere: & propterea in requie retinere ęgrotum, cum abstinentia cibi, quo turbatio corporis resoluatur. Item ea, quę fuerint extenta, lanis contegenda, atque oleo calido fouenda: ac si uēter fuerit fluens, abstinendus. Item si plurima fuerit corporis tensio cum grauedine, erit adhibēda phlebotomia ex brachio mediocriter: sed non necesario in ijs qui hæmorrhoidarum causa inanes uidentur: ac deinde retentione facta constricti, sed non in omnibus qui communiter tanta, ac tali fuerint strictura possessi, tunc perunctos conuenit refici cibo digestibili ac leui, usque ad declinationis tempus, seruato genere accidentium, alia cataplasmatibus, alia cucurbitis recurare: cum declinatio apparuerit, plurimus ac uarius cibus erit adhibendus, & similibus superpositionem uergentem adiuuare, atque ita lenimento ueniente, quod facile approbamus, exercentibus asperitatibus passionis supradictis, hoc est, ijs quę superpositionē designant, erunt corpora resumenda atque fortificanda: tum recorporatiuis utendum curationibus, quo reformata corpora, uel, ut ita dixerim, resectis uitiosis carnibus, ac renascētibus nobis reparata ad memoriā redeant sanitatis. Quapropter æger, somno discusso, semet in lecto continere, iubendus etiam iacere paulisper, tum etiam neque repente cōsurgere, sed prætentato motu discere, utrum se leuem ac digestum sentiat. etenim si fuerit occurrens indigestio, erit requies adhibenda plurimo temporis spatio, donec grauedo digeratur: dehinc mediocri gestatione, atque paruo cibo utendum, si non ex accessione, sed ex aliqua causa manifesta temporalis acciderit corporis displicentia, quam Græci diarescesin uocant. Ac si nulla fuerit ægrotantis querela, erit à lecto leuandus, & ob expugnandam frigoris iniuriā oleo leuiter perungēdus: tunc gestatio adhibenda: &, si uires permiserint, uel aeris temperies, sub diuo, & magis intra muros motu uehiculi. Sin uero aliqua fuerit obstans causa, erunt hæc sub tecto adhibenda, & pro uirium modo aut uehiculo manuali, aut sella, aut cathedra exercendus ægrotus: tum gestatione perfecta parua deambulatio adhibenda, uel uocis exercitium, atque ad unctionem ueniendum, sed præcalefacto intra uestes ægro. Quoties calidum habuerit corpus, tum deposita ueste erit linteolis leui defricatione tergendus, atque statim oleo paruo ungendus, & summo tactu fricandus: primo ab alio, postea à semetipso, retēto spiritu: ut etiam alia teneantur: dehinc rursum ab alijs defricandus, tenacius quidem, sed non impressius, quo possit carnis inflatio coagulari. Sed hæc erunt adhibito unctionis præceptore facienda, quo secundum proprias mutationes omnium partium motus æqualiter, ac totius corporis integret exercitium: tunc permittentibus uiribus etiam raptorio machinamento gestetur, ac deinde recussabili sera, quam Italicam uocant: aliquando etiam harena asperso corpore, quā amon appellant, defricetur per interualla dierū adhibito lauacro. Conuenit etiā psychrolusia nullis obstantibus causis, quæ eam prohiberi permittant: tum uinum dādum austerum album, leue: dehinc iubēdus superbibere, atque siccum sumere cibum, uel certe quartā partem panis, siccam manducare, adhibito usu assorum pulmentorum, & neque curiose cōditorum, ut pisces, clunes, uel agrestium leuiora, & ijs omnibus iuxta regulam methodicam auctis aut minutis, interiecta uini abstinentia, & cibi parua sumptione: utendum etiam locorum atque aeris mutatione: tum heliosin, quā nos corporis torporem dicimus, ita dropacis adhibendus usus, & pulueris nitri fricatio, & sinapismus specialiter, & usus aquarum naturalium, uel natatio maritima. Item harena litoraria ignita circuntecto corpore torrendi sunt ægrotantes: nunc inter paucos, nunc inter plurimos dies, ut uires permiserint: tum nauiculæ exercitium atque peregrinatio, quemadmodum in præcedentibus ordinauimus.

De nutrimenti cessatione, quam atrophian Græci uocant. Cap. VII.

NVTRIMENTI cessatio, quā Gręci atrophian uocāt, ab accidēti nomē sumpsit: & cōtigit in passione cōstitutis plurimus cibi appetitus, tum corruptio, quibusdam fastidium: item tenues atque latētes tēpore sunt, neque febricula iugiter, & quibusdam inter plurimos dies soluta. Ducitur præterea quædā etiā per

per urinam corporis defluxio, quam syntexin uesicæ uocauerunt, cum plurima fuerit poti liquoris egestio, atque corporis subinde per dies singulos extenuatio etiam: nunc igitur cõuenit, sicut in Cachecticis diximus, prouidere, ne qua pars corporis principaliter patiatur, & oporteat congrua eidem morbo localia adhiberi adiutoria, ut iecoris, uel lienis duritiei, uel fluori uentris, aut intestinorum, uel uesicę, uel ulceri in interioribus constituto, aut collectioni, quam specialiter uomicam diximus Ac si etiã febres fuerint cõsecutæ, ijsdem quoque adhibenda medela. Si horũ nihil in corpore uiderimus, sed sola fuerit atrophia cõsecuta, conuenit ægrotum fortificari rationabiliter, atque resumi gestatione pro uirium quãtitate, scilicet quibus sępe memorauimus generibus & unctionibus ordinatis, plurimo oleo superfuso, adhibita fricatione, & ministris corpulentis, & mollibus, uel quales esse fricatores Salutaribus pręceptis docuimus, quo cõtactu corporum laxiore ægrotãtis exercitata membra soluantur: tum temperato utendum lauacro, atque uino tenui, & pane limpido fermẽtato, & pulmẽtis ex media materia, atque iuxta cycli regulam eorũ augmenta ac detractiones uariare non repetitis, nec perfectis ilico cyclis, sed unius tantũmodo qualitatis, ut de cataleptico scribentes docuimus. Denique cum ex uolantibus solis adhibemus, initium ex paruulis ordinamus: tum autem ex agrestibus, ex teneribus, cum porcina ex membrorum summitatibus. Conuenit pręterea locorũ atque aerum commutatio, & aliquãdo drimyphagia, uel simplex uomitus: tum etiã ex radicibus confectus, & localia alijs atque alijs locis adhibenda, & magis medianis partibus: non enim sine plurima uexatione partium, quibus digestio celebratur, inesse corporibus atrophia potest. Ipsis igitur, frequẽtius adhibẽdus est dropax, & cucurbitę, uel paroptesis, aut sinapismus, & sympasmata acriora, quæ à nobis aspergines nuncupãtur. itẽ malagmata eiusdem quantitatis. Vtilis pręterea litoraria nauigatio, atque natatio maritima, uel naturalium aquarũ: tũ post cibum animi laxatio, quam diachysin uocant, & articulorũ complexio adhibitis ministris, qui mollibus hoc manibus efficiant. Themison uero secundo libro Tardarum passionum plurima recte ordinasse probatur. Aliqua uero caduca intẽtione dixisse intelligitur. Iubet etenim ægros non ęqualiter ægrotantes duodecim stadiorum spatium gressu conficere, æqualem modum cunctis definiens. Item igneo in loco uel feruenti fricari iubet pręfatigatos sudoribus ægrotantes: item sole torrẽti, atque ita per interualla leuiter defricari, & in calida, atque oleo calido eorum manus infundi, ex quibus periculum perfricationis necessario sequetur. Item post interdianum cibũ deambulationẽ probat adhibendam, atque fricationem, & lauacrum. Tũ post uespertinum cibum iungenda crura, atque brachia, quod est dormituris anxiosum. Pręterea post cœnam imperat uomitum pręd ato passo, aut uino dulci, uel succo ptisanæ. Tum frequentato uomitu, oua duo danda sorbilia cum panis uncijs duabus, ex quo incẽsa altiora, atque exercitatis uomitu uisceribus facile corrumpuntur accepta. Hęc igitur recusantes, alia, quę recte ordinasse perspicitur, amplectenda iudicamus.

De hydrope. *Cap.* VIII.

HYDROPS ab accidenti nomen sumpsit: siquidẽ aquosus humor hanc passionem necessario comitetur: nam Gręci hydor aquã uocauerũt. Generatur autẽ ex accidẽtibus plurimis, atque diuersis causis, ut cachexia, febribus corpora tardãtibus. Item duritia, uel saxea densitate iecoris, uel lienis, aut stomachi, uel peritonei membranæ aut matricis. Item spirationis difficultate, quam Græci dyspnœan uocant, uel uentositate stomachi, aut coli, aut uentris passione, quam Græci cœliacen diathesin uocant. Item longi temporis dysenteria, uel in fœminis menstrualis fluoris retentione. Item hæmorrhoidarum ueterũ repentina atque incondita curatione, facta abstinentia, uel coaceruata bibentium transuoratione, & magis si salsa fuerit aqua. Item medicaminũ frequentata potione, & horum similibus. Græci igitur, uel aliarũ sectarum principes eius potestatẽ, uel differentiam nominibus uariandam crediderunt. Vocant enim hãc passionem etiam hyderon uel parecchysin, origini locorũ specialia nomina tribuẽtes: nam parecchysin appellant sensibilem, & manifestam liquoris superfusionem, quę fiet inter peritonei membranã, & intestina. hyderon autem, dispersum siue infusum per uiarum raritatem, atque carnis spiramenta liquorẽ. Itẽ dicũt hyderon ex renibus generari: hydropẽ uero ex duritate iecoris. Quod quidem nos iuxta sectæ regulã reprobamus: etenim infusio, siue superfusio liquoris est passioni communis: & neque antecedentes causæ passionis facere discretionem recte creduntur: siquidem etiam ex plurimis alijs partibus patientibus hydropes generantur. Eius igitur differentiam Hippocrates & Diocles duplicem dixerunt: aliam enim hyposarcan uocauerunt, aliam asciten. Item Heraclides Tarentinus secundo libro Internarũ passionũ totius corporis inflationem, siue humoris infusi perforationem catasarcã uocat. Inter peritoneum uero & intestina asciten uel tympaniten appellauit. Item Demetrius Erophili sectator undecimo libro de passionibus scribens, alium dixit hydropẽ constitui sine ulla humoris infusione, sed sola inflatione turgẽte: aliũ ex humore diffuso, & eum nunc per totum corpus, nunc inter peritoneum & intestina: cuius differentiã nunc plurimo uento tradidit. & est uanũ atque intellectu carens, sine ullo humore superfluo laborantẽ hydropem uocare. Item plurimi tres differentias tradiderunt: aliã enim catasarcan, aliam ascitẽ, aliam tympaniten uocauerunt. Asclepiades autem alium celerem dixit, ut eum qui repente constituitur: alium tardum, ut eum qui tarda passione uexet: & alium cum febribus, alium sine febribus. Hoc quidẽ cõmuniter etiam alijs specialibus passionibus adscribens, nõ aduertit, quoniã proprio nomine celer dicitur passio, non sola quę repente conficitur, uerumetiam ea quę celeriter solui posse monstratur. Hydrops autem fit quisquam repente ex coaceruata bibendi transuoratione, uel salsi liquoris potu. Celerem autẽ passionis

ſolutionem nullus ægrotantium meruit. Item Proculus Themiſonis ſectator ſecundum plurimos inquit hydropis differentias temporibus paſſionis adſcribendas. Initiũ enim atque augmentũ eſſe leucophlegmãtian, cũ adhuc ſecundum carnẽ fieri mutationẽ uiderimus: ſtatum uero tympanitẽ, cũ ſumma tenſio ſecũdum uentrem fuerit facta. Declinationẽ autem aſciten, cum quadã indulgentia fuerit inflatio relaxata: nõ ſecutus ueri regulam, neque aduertẽs quia omnis ſpecies paſſionis ſua quęque tẽpora percurrit. Denique etiam cataſarca uſque ad ſtatum, uel declinationem perſeuerat. At tympanites & aſcites ex initio factũ in augmentũ uenerint, & ſtatu ſumpto declinauerint. Item Apollonius Mẽphites aliũ dixit fieri hydropẽ cum retentione, ut ſi quid biberit, ſine dilatione tanquã per fiſtulam tranſiens egeratur: eius autem quem cum retentione fieri dixit, ſecundum plurimos tres eſſe differentias affirmat. Sed melius Demetrius Apameus ab hydrope diſcreuit, eum qui ſine dilatione potum liquorẽ per urinã egerit, diabetẽ appellãs, ſicut ſpecialiter de ipſo ſcribentes docuimus. Melius igitur, quantũ ad ſpecies hydropis, quanquam nõ generaliter, mutemus curationem, alium dicere in toto corpore conſtitutum, tanquam in papyro uel ſpongia inter uiarum raritatem inſertum, à liquore uocari leucophlegmãtiam, quã Latino nomine etiam intercutẽ recte dicemus: alium in parte corporis inter peritoneũ & inteſtina, ſubiecto liquore ſolo, uel admixto uẽto plurimo uocari, alterum aſciten, alterum tympaniten: ſequuntur quædam cunctos præterea communia, quędam ſingulis propria. Communia autẽ, ut inflatio, uel extãtia tumoris, & piger aut difficilis corporis motus, ſpirationis difficultas, quam Græci dyſpnœan uocant, ſomnus difficilis uel anxioſus, & magis poſt cibum ſitis, & urina comparatione ſumpti potus paruior, faſtidium, & aliquando febricula latens in plurimis: item quibuſdam etiam ueſiculæ, uel fiſtulæ, quibus eruptus humor feratur, ac deinde uulnera difficilia ſufficiant, uel quę in cicatricẽ uenire poſſint. Specialia uero, uel propria ſingulos ſequũtur, ut leucophlegmantian, uel intercutẽ mollis atque humida inflatio uentris ac uultus, & crurum, & folliculi genitalis, uel præputij, relucente liquore per cutẽ albido colore. Itẽ cum oris uel ſpiratione, ſiue anhelitus fœtore totius corporis grauedo, & impreſſioni digitorũ cedens tumor, ita ut paululũ caua permaneant loca. Aliquibus etiam alborũ atque craſſorum humorũ uomitus, uel per uentrẽ egeſtio: unde etiã nomen paſſio ſumpſiſſe à gręca deriuatione uidetur: leucõ enim albidũ, phlegma humorem craſſum uocauerũt: uel quod ęgrotãtis color albidioris imaginem ferat. Alij uero tãquam ex ſuperfluo humore generata paſſione, penetrans humor ſingula quæque ſpiramenta poſſederit: nos uero intercutem nominamus. Aſciten denique ſequitur uentris inflatio, uel extantia, & pro corporis motu liquoris conliſi ſonitus, uel ad cõcuſſum palmę reſonus, tanquã ſemipleni utris, ex quo nomẽ ſumpſit. Itẽ proſchematis mutatione, uel digitorum impreſſione demerſio, uel reſurrectio liquoris, & concluſio ſuperiorum partium, atque tenuitas tanquã extentæ cutis ſecundum ora uel colla, aut iugula, uel pectora. Iacentibus pręterea ægrotantibus diffuſa, atque elatior tumoris extantia fiet: ſurgentiũ uero uel ſtantiũ maior atque extenta, & increſcente paſſione corporis frigus atque torpor accedit; aliquãdo etiam tuſſicula, & ſtercorũ uel urinę abſtinẽtia, et per uentrem fluidior exitus, & apprehenſo folliculo, atque uirili ueretro extãs inflatio reduplicata, & aliarũ partium ſurgens tenſio, ſicut in leucophlegmantia. Vocatur autẽ hic hydropiſmus, ut Diocles, etiã epatias aut ſplenites à patientibus partibus nomen ducens, hoc eſt iecore uel liene. Item tympaniten ſequitur rotunda atque extans inflatio ſecundum gaſtera cũ tenſione plurima, & ad percuſſum palmę reſonus, uelut tympani, unde etiam nomen accepit. Item ructationes, & aliquando inteſtinorum tormenta, quæ incluſæ uento per podicem digerantur, atque grauedinis detrahant quidquã. Eſt autem paſſio communiter ſtricturæ omnis hydropiſmus, ſed complexa aliquando ſolutione ex alijs accedẽtibus, ut uentris fluore.

Pręterea eſt naturaliter tarda paſſio: ſiquidem nunquam celeriter ſoluta uel emota corporibus uideatur. Item generaliter magna. ſiquidem & difficultatem, & indecentiam, & periculum inferat ægrotanti. Denique ſemper difficilis curatione, nunc uehementer, nunc minime comprobatur: etenim magnitudine uehemens, & uarietate accidentium, & corruptione uirium magis incurabilis iudicatur. Parua uero magnitudine comprobatione ſupradicta, atque paucis & ſimplicibus accidentibus, quæ Græci ſymptomata appellant, & ſine nimia uirium læſione minime curationi difficilis approbatur, & quæ ſecundum aliarum ſectarum principes de effectus uel exitibus paſſionum ſcripta ſunt, ut etiam ſecundum cauſas ex quibus efficiuntur, & patientes locos, & naturas, & ætates, & annalia tempora, ut hiemis, uel æſtatis, & eorum medijs temporibus generationes paſſionis: alij difficiles curatione, alij faciles curatione, alij faciles hydropes approbantur. Quæ quidem omnia magnitudini paſſionis adſcribenda ſunt, ne infinitus modus differentiarum uideatur accidentium numero uariatus: etenim ſecundum cauſas difficiles aiunt curatione hydropes, qui ex ſaxitate magis quàm ex duritia fuerint facti. Item eos qui ex dyſenteria, uel coli paſſione, ab ijs qui ex coaceruato hauſtu bibendo uitium conceperunt. Item ſecundum locos difficiles inquiũt eos qui ex iecore, faciles uero: eos qui ex liene. Item ſecundum naturã uel ſexum difficiliores inquiunt curatione ſemper fœminas maribus. Item ſecundum ætates faciliores inquiũt curatione pueros, uel pubentes: difficiles uero, ætatis mediæ, uel ſenes: non ſolum quòd natura creſcere uel augeri, aliæ minui uel declinare uideantur: ſed etiam quod alij prohibeãtur, alij cogantur, alij neque ſuadere, neque cogi poſſe probentur. Item ſecundum annalia tempora, quæ Græci horas appellant, difficiles inquiũt curatione æſtatis tempore laborantes: ſiquidem multa ſiti afficiantur: alij uero è contrario faciles inquiunt curatione: ſiquidem exitum liquorum fieri prouocet feruor ęſtatis, & corporis pręterea faciat ſiccitatem. Difficiles uero hiemis rempore, ob corporum denſitatẽ uel frigus. Item uerno tempore: ſiquidẽ humidiora, atque liquorum redundantia fiant corpora. Autumni uero prima, ſimilia æſtati, ultima hiemi dixerunt.

runt. Item secundum generationẽ, siue fabricationem passionis difficilẽ inquiũt curatione leucophlegmã tiam, facilẽ uero asciten, & horum mediũ tympaniten. Dissenserũt pręterea etiã de patientibus partibus quę principaliter afficiantur. Erasistratus nãque iecur inquit pati: in apertionibus enim saxeũ semper inueniri cõfirmat: alij uero colum, sed consentire iecur: alij splenẽ, ac iecur, & colum: alij etiam peritoneum: alij renes quoque & matricem principaliter pati dixerunt. Et apparet, omnia necessario prætangi: quod quidem, etiã si latuerit, nullus timor curationis mutandæ medicantibus accedat: neque etiam ob localium adiutoriorum ordinem quidquam obesse monstretur, cum hæc eadem oporteat ceromate sole feruefacto infatari, uel pellibus sole ignitis inuolui. Adhibenda etiam acopa feruentia, & sudationes ex naturali materia prouocare: habet enim recorporandi uirtutem ex quacunque metallorum materia exhalatio naturalis. Item ex harena litoris sole ignita torrenda corpora. Hiemis uero tempore igne prætorrẽda, atque ita corpori admouẽda, ut ex ipsa, excepto capite, cætera corporis omnia contegantur. Itẽ sinapismus usque ad cutis humorẽ adhibendus, qui maxime uehemẽtem fortitudinem locis humore corruptis, atque ut ita dixerim, habentibus admouet ac ministrat. Itẽ locorum & aquarum mutatio adhibenda, & peregrinatio magis maritima: est enim lacerantior, atque corporis apertionibus efficax ob salsitatẽ maritimus aer. Conueniunt etiam uaporationes spongiarũ ex aqua maritima expressarum, uel aqua salsa decocta. In tympaniticis uero specialia, ut plerique uolũt, iuxta communem uirtutem recorporatiuę curationis, etiã decoctio centaureę herbę, & absinthij, & origani, & hysopi, & marrhubij adhibenda, & similis uirtutis epithema, ut est quod appellatur dianitrũ, ex fico atque nitro, & absinthio confectum. Tundendũ igitur aridum ficũ, sed quod sit pingue ac succidum. itẽ singulatim absinthium & nitrum admiscendum duabus partibus fici, & quarta pars origani. Aliquando etiã rutæ admiscenda particula: facit enim medicamen, quod appellamus diahysopum. Item uua passa cum cumino, uel farre, cum adipe ueteri, & uino. Hoc quidem plurimi magis intercutibus conuenire probauerunt. Itẽ bubulo stercore ungendos cum aceto ægrotantes dixerunt. Apponẽda etiam malagmata, quæ fortificare, ac recorporatiua uirtute mutare ualeãt corpora in meliorem habitudinem. Intercutes autem & ascitas ijs curandos probant, quæ siccare atque exiccare ualeant corpus, uel sudorem commouere. Sed erit cauẽdum, ne immodico usu medicaminum corporis superficies ulceretur. Est autem nostrum medicamen quod ex herba chamæleonte nigra conficitur. Item ex stercore caprino, quod appellatur diacapregias. Item diacentauream, & dioriganum, quæ ab herbarum nominibus uocabula sumpserunt. Item icesion emplastrum, quod magis post humoris detractionem adhibendum probamus, quo partes roborentur. Item diayteon emplastrum, & diadictamnum, & barbara, & diasycaminum. Oportet autem interpositis quinque diebus, uel eo pluribus detracto iandudum posito medicamine perspicere profectum, ac rursum imponere omnibus locis ex anterioribus ac posterioribus corporis partibus: singula enim medicamina erunt illinienda pellibus teneris, atque ita corpori addenda, superposita lana molli cum leuibus fasciolis colliganda, & pro uiribus corporis adhibenda gestatio, atque unguenta congrua, & defricatio. Tympaniten uero recorporatiua curandum probamus curatione, & conijcienda etiam inflationis medela, quam Græci empneumatosin uocant. Adhibenda denique resũtia, ut est quod appellamus diaspermaton, uel polyarcion, aut diartymaton, aut diasamsucum, aut diamelilotum: hæc enim ualent etiam uentositatem tollere: adhibenda pręterea in ijs ea quæ superius ordinauimus. Tum profectu accedente regula cyclorum adhibenda natatio maritima, uel aquarum naturaliũ. Alij uero non absurde etiam aquæ marinæ uaporationem probant adhibendam, quo sudores prouocantur: inquiunt enim implendum solum aqua marina feruenti: tunc quadrangulam compaginem immittendam præligatam loris, in quam erit includendus ægrotans: sed præliganda compago pelle, ut aquæ prohibeant ingressum, quo exhalatione uaporis calefactus ægrotans in sudorem uenire cogatur. Sed erit aqua calefacienda innouatione frequenti ferri candentis immissione massarum. Oportet autem semper ęgrum adhibito animi laxamento curari, quam Græci diachysin uocant. Quærenda denique animi desideria, quæ sine uexatione corporis præueniant uoluntatem, & amicorum conuiuia, quæ ciborum parcitate, animi tamen lasciuitate frequentent. Vtile etiam, si longi fuerint dies, partiri modum sumendi cibi: facilius enim accepta digeruntur duorum temporum oblatione diuisa. Ac si iuxta ordinem datum leuigati indulgentia passionis rursum fuerint accessionibus typicis ęgrotantes affecti, quo iterum impleri uideantur, erit melius uti prius radicum uomitu: dehinc ante diem radicum usus, album ueratrum immittere. tunc sequenti die hoc detracto radices dare, uel certe hellebori decoctionem. Sed horum usum uel confectionẽ dexteram, atque adhibendi modum Responsionem libris de adiutorijs scribentes docuimus, & nunc exinde hæc accipienda monemus. Hæc est mundior, atque uera hydropum curatio: etenim potui medicamina danda cauere decet: alia enim uesicam commouent, alia intestina lacerando ulcerant, uel dysentericam faciunt passionem: alia stomachum uertunt, & fastidium generant cibi, & sitim extendunt.

Quapropter si cogentibus rebus utendum uiderimus quibusdã aquiducis medicaminibus, quæ Græci hydragoga uocauerunt, ea dabimus ijs qui plurimo humore infusi aquoso corpora laborare uidentur.

Habere etiam conuenit curam, ne rursum corpora repleantur: ex quibus est euphorbium mulso cõmixtum poto datum, uel ouis sorbilibus aspersum, duorum uel trium cochleariorum quantitate, uel decoctio radicum, aut squillę. Oportet autem squillæ libras duas omni purgamento absolutas, quod ad unam libram redigatur, concisas in uas fictile nouum prælitum mitti, tum adiectis uini sextarijs tribus, quibus ad tertias decoctis, ex ipso liquore erunt ad duo cochlearia ęgrotãti dãda: & proficiente curatione usque ad uncię unius accedere modum. Sed hoc erit post gestationem adhibendum, uel post perunctionẽ

corporis,& ante ſumptionem cum plurimo interiecto tempore. Ex decoctione autẽ radicũ duos uel tres
cyathos dandos probamus. Sin uero etiã urinã quis uoluerit cõmouere,erũt omnia aromatica prohiben-
da,quę nõ curioſa,ſed magis ſimplicia eſſe uideãtur,ut eſt decoctio ſeminis cucumerũ,uel fœniculi,aut dau
ci,aut apij,aneſi,petroſelini. itẽ mentę,aſari,nardi,ſquinanti,zinziberis. Hęc ſingula uel cũ uino,uel ex ip-
ſis cõfecta erunt offerenda. Ac ſi ex ijs humor detrahi non potuerit,oportebit tanquã alienum paracente
ſin auferre. Sed nunc decet priuſquam ipſius officij uſum doceamus, ijs reſpondere qui iſtius curationis
adhibendæ diſſonantia iudicia poſuerunt. Antiquorũ igitur aliqui cõgruam paracenteſin dicunt, ut Eue
nor libro quinto Curationum, Eraſiſtratus libro quo de hydrope ſcripſit,& eius ſectatores, Theſſalus ſe-
cũdo libro regulari. Alij uero cõgruam laudauerunt,ut Aſclepiades libro quo de hydrope ſcripſit,& The
miſon ſecundo libro Tardarum paſſionum: quibus etiam nos iuxta Sorani ſententiam cõſentimus. adſer
tores tamen primæ ſententiæ,hoc eſt iſtius reprobandæ curationis,hæc dicunt: peritonei mẽbrana à natu-
ra neruoſa eſſe perſpicitur,& eſt omne quod neruoſæ fuerit qualitatis punctionibus inimicum,ſiquidem
conſenſus ingerat. Præterea ſpirationis naturalis cauſa,qua nos aerẽ recipere,atque reddere hauſtu poſſi
neceſſe eſt,inteſtina quoque cõmouentur,quibus ſuperficies corporis conſequenter tangitur. Et eſt peri-
culum,hanc paracenteſin uulnerare loca: quippe cum nõ ſolum corruptus humor detrahi uideatur,uerũ
etiam naturalis ſępe ſpiritus excludatur,quod eſt uehementer corporibus noxium. Dehinc etiam poſt ef-
fectum punctionis, aliqui ægris ſua uulnera reſoluentes uoto prius corporis deponendi uitã quoque li-
querũt. Itẽ neque tempus ſibi conueniens hoc genus adiutorij habere uidetur: etenim paſſione cõſtituta
uel ſuperpoſitione,ſiue lenimento aliud tẽpus mitigationẽ demonſtrat,aut aliam reſumptionẽ,uel recor-
porationẽ. Paracẽteſis uero cõturbat,atque uires corporis tollit,& nõ recorporatiua uirtute medetur,ſed
uſum recorporatiuum impedit. Ad ſummã,nemo,inquiunt,ſaluatus eſt eorum,qui per paracẽteſin curati
ſunt: quapropter adhibenda negatur. Item Eraſiſtratus ait, quo iecore in duritia conſtituto obeſſe paracẽ
teſis uideatur: ſiquidem grauatio iecoris tumentis toleretur humoris ſubſtantia ſubleuata,atque natãs in
liquidis,quibus effuſis omnis grauedo partiũ tumentium,quæ diaphragmati ſunt natura connexę, atque
uenę maiori,atque contendit,quam Græci quilen appellant, adductione ſui tumores ingerant uicinarũ,ac
deinde celerem faciant mortem. Item Ptolemæus Eraſiſtrati ſectator ait cauſam paſſionis eſſe iecoris duri
tiam,ſupercreatam uero humoris infuſionem. Paracenteſis igitur liquorum detrahens paſſionem mini-
me detrahere agnoſcitur: ſiquidem non auferat cauſam,ex qua humor creatus eſſe uideatur. Sed ſunt hęc
omnia facile expugnabilia: tunc enim uulnerata neruoſitas in tumorem uenire recte iudicatur,quoties na
turali habitu fuerit conſtituta. Nunc autem morbo uitiata, peritonei membrana contra naturam habe
re perſpicitur,& non ſimilia,atque eadem ſequentur naturaliter,uel contra naturam conſtituta. Itẽ inte-
ſtinorum uulnerationẽ metuere,inanis timoris eſt: etenim exercitatis atque prudẽtibus hoc genus officij
cõmittitur: dehinc plurimũ peritonei membrana diſtabit interiecta humoris cauſa ſubmota: ſpiritus uero
etiam phlebotomatis ſanguini iunctus excluditur. nec ilico tamen reprobãda phlebotomia, cum ſit ab o-
mnibus rectiſſime adiutorium comprobatũ. ferendum eſt enim leue damnũ naturalis officij, quoties ma-
ior utilitas excludendę paſſionis promittitur. Soluere uero ligationem ægrotantes,& immoderato fluore
acuto deponendæ paſſionis in mortem uenire,ſimile quiddam eſt,tanquam phlebotomatũ ligaturã medi
ci ſoluere,ac deinde plurimo ſanguinis fluore uitã finire: hęc enim nõ adiutorij eſt curatio,ſed ſtultitię æ-
grotãtis. Habet pręterea paracenteſis etiam aptiſſimum tempus,quod illi inueniri negãt, ſicut cucurbita
ſcarificatione adiuncta,atque hirudinũ appoſitio: quę non in acceſſione aut lenimẽto,ſed in dimiſſione ſu
perpoſitionis recte adhibẽda probãtur,ſicut in alijs docebimus de adiutorijs ſpecialibus ſcribentes. omnes
enim paracẽteſi curatos,ut aiunt,mori apertiſſime mentiuntur: nos enim quoſdam uidimus euaſiſſe. plu-
rimi uero moriuntur: ſiquidem medentiũ tardantes conſilia ſerius paracẽteſis adhibeatur,utque alij adhuc
tumentes peritonei membrana,& neque uſu dextero operãtes diuiſuram facendo mortis periculũ incur-
runt. Ex quibus eſt etiam Aſclepiades,qui diuiſo loco fiſtulam relinquendam putauit. Ex qua ſtirpis in
modum impreſſa,uel per puncta peritonei membranę graues cõſenſus,atque indignationes adferat: quip
pe cum ſępe etiam gelati ſanguinis corpuſcula irruentia uulnerum diuiſuris,uel quęque externa magnos
tumores atque indignationes commouerint. Eraſiſtrato uero cauſanti, quòd poſt detractionem humoris
ex iecoris duritia in paſſionẽ uenerũt ſuperiores partes,ac magis ſalutares, adductione quadã põderis indi
gnentur,erit reſpondendum,quia plurimi hydropes ſine ulla iecoris duritie in paſſionem uenire proban-
tur: etenim ex alijs cauſis fieri poſſe,ſuperius demõſtrauimus. Pleriſque etiã,quanquam iecur duruerit,nõ
neceſſario in hydropem uenire cõtingit: ac ſępe adductione partium,uel indignatione ſuperiorum uexari
perſpicimus,quo ſæpe tumor etiam perdiderit ægrotantes. Omitto quod iuxta eius ſententiã oportebat
ſupinis iacentibus ægrotis nullam querelam partium atteſtari: ſiquidem iecur nullo põdere ſuperiora di-
ſtendat,hoc eſt diſcrimen,quod Gręci diaphragma appellant. Aſclepiades uero repẽtinam effuſionem at-
que coaceruatam cum periculo fieri teſtatur: ſiquidẽ uiæ,quas Græci poros appellãt,interiecta mora blan
do ſe tactu cõtingãt,& propterea illæſi maneant ægrotantes. Detractione autẽ facta liquorum, aſpero ſe
tactu cõtingant,atque concidẽtes anguſtentur: ac ſimili ratione etiam ſpiritus uehementer irruẽs carni
dolorẽ faciat,atque inflationẽ,& tormenta inteſtinorũ. Eſt præterea facile expugnabile Ptolemęi dictũ,
quòd paracenteſis humorẽ detrahens paſſionem nõ auferat: etenim primo,neque ex alio quolibet adiuto
rio ſingulari hæc paſſio ſolui poſſe perſpicitur: quippe cũ ſit magna atque perſeuerans, dehinc quædam
adiutoriorum ob releuanda accidentia paſſionum,quę Gręci ſymptomata uocant,adhibenda probentur:

quanquam non totum soluere morbum uideantur, ut phreneticis luce commotis oculorum pretectio. Item alia quædam, quæ quanquam nihil per se medeantur, alijs tamen adiutorijs præparent corpus, uel patientem locum, quo facile adiutorij beneficium sumat. Ac tonsura uel rasura capitis fluore quolibet adfectis, quo detractis capillis illinienda medicamina constrictiua, uel epithemata, aut cucurbitæ appositione nullis obstantibus medeantur: quanquã sit detractio capillorum laxatiua: at uero paracentesis etiam per se plurimum medetur: releuat enim detractionem plenitudinis tensionis, atque spirationis difficultatem, quam dyspnœan uocant, & alijs adhibendis adiutorijs præparat partes: non enim potuerunt medicaminũ illinimenta, uel appositio syncera uirtute ad uiscera, uel patientes partes peruenire, cum interiecto humore peritonei membrana plurimum à cutibus distet, transeant autem facile ad ea, ad quæ destinata erant humoris interiecti ablatione permissa. Quapropter paracentesin adhibendam probamus, sed non ijs qui uiribus fuerint fatigati, aut adhuc in tumore peritonei membranæ constituti: addentes etiam, uel prædicentes periculum. plurimi enim quanquam alterius superesse uitę potuerint, & sine ullo dolore mortem capere, paracentesis cura celerem mortem pertulerunt.

CAELII AVRELIANI SICCENSIS CHRONION LIBER QVARTVS.

De Elephantiasi. Cap. I.

Deest principium capitis.

* heliosis, dropacismus, & lixiuij calidi perfusio, & psychrolusia, atque cataclysmus, hoc est, aquarum è supernis illisio, natatio maritima, & aquarũ naturalium, & magis frigidarum, quę aluminis naturam exhalent, quas stypteriazas uocauerunt: siue ferrugineas, quas siderizasas appellant. Item adhibenda smegmata alia, donec maculæ albescãt, quas supra memorauimus: uel cymolia terra subassata, cum hordei polline, & nitri quippiam, uel alia quę lacessere ualeãt magis, ac leuius, ut est cinis ustarum bucinarum, uel halcyonum: aut cum eodem pumex assatus, uel sulphur uiuum, uel sepiarum testa exusta cũ pumice & nitro, & cymolia subassata, atque gummi, & galla, ęqui hęc omnia põderis. Item acopa & malagmata mediocriter lacessentia, prę ter cutis ulcerationem, & ijs unguenta similia, ut myrobalani cum aceto: aut uinum cum ammoniaci gutta, & alumine. Ac si ulceratio fuerit locorum consecuta, erunt cõgrua pro differentia ulcerũ adhibenda. Quaproter ea, quę serpere per corpus uiderimus, amputabimus. Tumẽtia uero mitigatiuis temperamus & laxatiuis uirtutibus. Itẽ humecta atque fluida densamus, & sordida purgamus, caua replemus, & ęqualia in cicatricem ducimus, sicut Respõsionum libris chirurgiam scribentes monuimus. Ea autem, quæ in cicatricem uenerunt, sinapismis roboramus, prælatis metasyncriticis cyclis, & radicum uomitu, & cęteris quę sua sunt. Tum resumpto corpore uehementer utilis hellebori albi datio probatur, quo corpora dissecentur: quæ non semel adhibẽda, sed etiã sępissime per interualla præroborato corpore. Item nauigatio, & in aeres meliores transitus: sic enim passio soluetur, aut nõ ex ea deformatus ęgrotãs ad finem uitę perueniet. Veterum autẽ medicorũ nullus illius passionis curationẽ ordinauit, excepto Themisone, atque ex philosophis Democrito, si uere eius de elephãtiacis cõscriptus dicitur liber, quo sanguinis corruptionis causas cõscribẽs phlebotomãdos imperat ęgrotãtes: & potãdos decoctione herbę, quã in Syria memorat nasci & in Cilicia: sed neque hãc dicere possumus, neque passio tã difficilis ijs duobus adiutorijs solui creditur posse. Themison uero secũdo lib. epistolarũ ad Dimãtẽ scribẽs phlebotomari iubet, recte quidẽ, sed nõ stricturã considerãs potius q̃ conuiuantẽ causam sanguinis detrahendã: quod est æstimabile, atque, ut ita dixerim, dogmaticum, sicut secundo libro de cœnotetis scribens Soranus docuit. Vtitur præterea uomitiuis ieiunus, itemque radicũ eorum confundens tẽpus: oportet enim superpositionis tempore adhibere phlebotomiam, in lenimento uero uomitum. Itẽ uentrẽ inter paucos dies leuiter deducendum iubet, atque superficiem corporis constringendã unguento myrobalani, cum aceto & oleo rosaceo paruo, uel myrtino, & ammoniaci gutta cũ alumine. Deponit etiam ægrotantes in decoctione frigida ex herba perdicia cõfecta, uel plãtagine, aut murta, aut rubo, bis in die, atque sufficienti tẽpore quadã tarditate ægrotantes imperat immorari. Dat cibos facile reflabiles; & potu magis aquam: quę sunt incongrua. phlebotomia enim similiter laxatiuum genus est, & cibus reflabilis, & singula unguẽta quæ imperat adhiberi, constringunt. Item embasis, quã fieri ex decoctione herbarũ iubet supradictarum. Item unguenta condensant corpora. Sed hoc passus est, cum nondum limpide methodicã perspiceret disciplinam, & Asclepiadis secta circunseptus, passionis causam in extasin æstimaret, quam pręstabat fieri per ensem siue cutem: & ob hoc quærebat materiam à superficie ad altiora, uelut latius patientia, reuocare. Vtitur denique constrictiuis extrinsecus, & rapit ad interiora ea quæ fuerint appositorum uirtute depulsã. Prouocat etiam uentris fluorem & uomitum, utitur hellebori purgatione,

adhibito psilothro in tres uel quatuor dies,uel alio quolibet urenti medicamine usque ad cutis ruborem, quo magis perseuerantem faciat passionem. Adhibet præterea cataplasmata,ex quibus etiam succos adhibuit arnoglossę,uel perdicij herbę. Item malagmata adhibet constrictiua,ex quibus nunc plurimi laudant argagation appellatum medicamen. Item exercitium probat,& defricans cutem:declinat ungere: sed adhibet græcum,non conijciens hoc quoque esse laxatiuæ uirtutis. Adhibet etiam ammoniaci guttam cum aceto uel uino,aut quæ sunt intra se contrariæ qualitatis. Item post exercitium sudationem faciendam igne uicino,sed aqua frigida fouendos imperat ægrotantes : & usum hellebori geminum probat : quæ sunt quidem uera adiutoria,si tempora quoque seruentur, ut Responsionum docuimus libris. Item quidã Themisonis sectatores initia quoque passionis præuisa,coercentes pronos ac decliues,uel uẽturos in eandem,quos uiderint,phlebotomant, & helleboro purgant : eos autem, quos iam possessos acceperint,ijsdem negant curandos adiutorijs : siquidem corruptione quadam uel laxatione extremæ cutis in corporibus hęc passio generetur,et sit arifica carnis,atque mollifica corporis phlebotomia. Quapropter inquiunt esse frigorandã uel siccandam corporis superficiem,quo possit eius humor ad intestina uel uentrem recurrere,ac deinde clysteribus,uel purgatiuis medicaminibus,quæ catartica uocant, detrahendo cibum. Præterea præpotandos probant ægrotantes succo nepetæ,seruata moderatione quantitatis,quę neque minuenda,neque superanda sit tribus cyathis usque ad sex. Cibum etiam dandum frigidum,atque constrictiuum & paruum : potum frigidum,sed meratum, ex uino uehementioris acrimonię, atque albo,uel ueteri : & sępe tenendos ægrotantes,uel siccandos abstinentia bibendi,siccioribus reficiendos cibis : quę sunt utraque incongrua ac dissonantia siccandæ cutis,secundum eorum intentionem . sic enim, ut aiunt, è superficie transmittendus est humor ad altiora,atque eò prouocandus,ut clysteribus ac purgatiuis medicaminibus excludatur per uentrem: erit enim contrarium,siti atque siccioribus cibis,& uino superadicto altiora siccare. Item aliqui horum multitudinem intuentes frequenter adhibendam phlebotomiam,atque clysteres,& uentriflua medicamina,quę catartica uocant,iubent : & magis diacameleos appellant:quibus necessario corrumpentes ęgrotos,in peiorem habitudinem corporis uertunt, quem Gręci cachexian uocant. Item alij corruptione hoc fieri,atque mutatione ex uenenis effecta ęstimantes, temperatiuis uti medicaminibus decreuerunt : ex quibus magis asinino lacte ęgrotantes potandos imperat simplici,uel accurato,quod schiston appellant. Item uino dulci,& cibis similibus, quibus fœda digestione corruptis maior efficitur corporis corruptio. Ordinant pręterea theriacam dandam , quam cuncti Mithridatium appellamus : quę quidem recorporatiua uirtute mederi posse, perspicitur. Dant etiam uiperas mandendas,sed amputato capite atque cauda,mensura digitorum quatuor:cætera coquentes,atque obdulcantes sale & oleo,ęgris offerunt comedenda. Alij etiam aqua ex labris,quibus candens tingitur ab operantibus ferrum potandos dicunt: cum sit hęc passio secundum plurimos scriptores ex aqua graui,quę aut natura,aut aliqua corruptione fœdata sit, sępius generata. Alij quoque etiam cutis ulnerationem affectandam probant,qua corpus exhumoretur : neque cunctis commune iudicium,& ignaris cognitum prouidentes, quòd peiorante passione superficies corporis ulceretur. Item alij ęgrotum in ea ciuitate quę nunquam fuerit isto morbo uexata,si fuerit peregrinus,cludendum probant:ciuem uero longius exulare, aut locis mediterraneis & frigidis consistere ab hominibus separatum : exinde reuocari, si meliorem receperit ualeditudinem, quo possint cęteri ciues nulla istius passionis contagione sauciari. Sed ij ęgrotantem destituendum magis imperant,quàm curandum: quod à se alienum humanitas approbat medicinę.

De phthiriasi. Cap. II.

ANTECEDENTE cachexia etiam hoc symptoma generatur , quod nos accidens dicere poterimus. Sumpsit igitur nomen non à genere,sed à multitudine pediculorum : plurimi enim creantur nũc per totum corpus , nunc per eas partes quę capillatura conceptę sunt : & nunc consueti atque simplicis formę,nunc ignoti,hoc est latiores,& duri magis ac sęuientes morsibus uehementer , quos quidam ferales appellant : nam sępe etiam sub capillis inueniuntur corpora penetrasse. Sequuntur autem ęgrotantes uigilię,& pruritus corporis,atque pallor,cibi fastidium,& stomachi debilitas,& caluities : & est passio solutionis cholerę rubeę egestione plurima per tenues uias emergente,qua hęc animalia generantur. Denique superpositionis tempore iacere oportet ęgrotos loco mediocriter frigido,atque cibis constrictiuis, & temporibus iam sępe demonstratis refici . Fomenta uero & perunctiones,& cataplasmata membratim erunt adhibenda,qualia Themison elephantiacos curãs ordinauit. Sed ea loca, quę capillatura uestita sunt,erunt pręterea radenda,superpositione resumptio adhibenda,atque recorporatio , sicut in cachecticis,uel elephãtiacis ordinauimus: sed iugia adhibenda smegmata,quę nos lacessentes,atque purgatiuos puluere nuncupamus. Item unctiones magis, cum mox fuerit capillatura derasa pręfotis partibus aqua marina,uel aceto salso. Sunt hęc denique plurima speciatim posita, ut bulbi cum nitro atque oleo cõtriti,quo mellis faciat crassitudinem , ex quibus corpus erit illiniendum. Item staphysagria cum aceto atque oleo trita,uel infusa aceto & oleo,tunc contrita cum salis fluore , quem Gręci halos anthos uocãt, donec liquidi mellis similitudinem faciat. Nunc etiã cum sulphure uiuo atque aceto : uel ita ponderibus composita medicamina,staphysagriæ drachmas duas,sandaracæ drachmas duas,nitri obolos duos, admixto oleo & aceto,donec in mellis crassitudinem ueniat. Vel sandaraca cum oleo , & nunc staphysagrĩa,& abrotonum ęquis ponderibus admixta calce,quam Gręci conin uocant,& ijs similibus. Palpebris autem

autem erunt adhibendi sicci pulueres,atque collyria,quæ Græci blepharica uocant, nos palpebraria dicere poterimus,ex ære usto,atque aneso asso: sed & lapide scisso,& pipere,& staphysagria confecta. Hęc etiam in ijs,qui præter phthiriasin pruritu uexantur,sunt adhibenda, adiectis magis feruentioribus aquis in usu lauacri,& aspergininibus pulueris ex thure & nitro,& sulphure confecti. Item solicationes, quas Græci helioses uocant,adhibendæ sunt: dropaces quoque,& uomitus radicum, & ea quæ iã sæpe de alijs memorauimus scribentes passionibus,quę corpus recorporatiua uirtute fortificare,atque in meliorem habitudinem commutare ualeant: sic enim detracta corporis cachexia,quam nos malam habitudinem dicere poterimus, eius quoque comitantia depellentur.

De uentriculosis, quos Græci cœliacos uocant, & de cæteris defluxionibus. Cap. III.

VENTRICULOSA passio,quam Græci cœliacen uocant, à parte corporis,quæ patitur, nomen accepit. Generatur ex antecedenti digestione continua,uel tumore uehementi,aut dysenteria. Sequitur in hac passione constitutos uaria stercorum egestio qualitate atque colore,nunc tenuis ac soluta, nũc aspera & inæqualis,uel constricta,& nunc alba,nunc similis urinæ camelorum,nũc flaua & spumosa,nũc prasina uel liuida,aut nigra,aut purulenta,aut sanguinea,cum graui fœtore & rugitu intestinorum,quem Græci borborysmum appellãt, atque in exitu sonitum,& post effusionem factæ uelut scatentis stercoris uesiculæ: & nunc iugiter nocte atque die, nunc coaceruatim,sed interiecto spatio, ut per diem bis uel semel,aut interpositis uno uel duobus diebus,aut eo amplius: & nunc cum tensione atque uentositate, & tormento,uel dolore aut singultu considente,atque conducta cute quæ uentrem circuntegit,attestante siti,& ipsius uentris feruore,& leui in interioribus torpore frigido: sequuntur etiam uigiliæ, fastidium cibi,& aliquibus plurimus appetitus,uiriũ debilitas,pallor subalbidus,& nunc febres, dehinc corporis odor teter plurimus,ut etiam quæ suis manibus tetigerunt computrescant,& difficile careant odore concepto. Tum uultus inflatio atque pedum: quibusdam etiam dysenteria congeneratur, cum facile fuerint intestina ulcerata,ob defluentium acrimoniam. Est autem passio solutionis,& aliquando stricturæ complexa: siquidem aliqua eius uideantur esse coniuncta,ut ex supradictis conijcitur. sed discernitur à speciali rheumatismo uentris: siquidem plurimæ in ipso fiant egestiones,sed non uariatæ supradictis concursibus. Quapropter cum adhuc noua,uel emergens fuerit passio,nec plurimi temporis,sed in superpositione cõstituta,quam Græci epitasin uocant,erit eo tempore locandus ægrotans constrictiua ratione, ut sæpe docuimus,adhibita requie: & quantum uires permiserint,abstinentia: etenim ad perferendum atque corpori adpropriandum cibum sumptum, nunc uenter patiens indignatur, tanquam oculi patientes uisus officio: in qua ætati somnus etiam plurimus curandus,atque sitis, & lanis mollibus uenter contegendus, leuiter oleo Hispano prætactus,uel melino,aut rosaceo,aut murtino,aut lentiscino oleo. Ac si uentositate quoque,uel tormento affecti fuerint ægrotantes,dulci oleo dimissionis tempore lanæ tingendę sunt. Perunctio uero ex oleo uiridi adhibenda: facies quoque aqua tepida releuanda. Tunc cibus dandus,ut alica ex aqua frigida ita curata,ut sua caruerit difficultate, quod fiet ex farris tepore,aut decoctione palmularum Thebaicarum. Dandus etiam panis solus,aut cum eo oua hapala. Item pultes ex oryza,uel alica,aut farre,aut milio,ex paruo Hispano oleo confectæ,& paruo salis grano. Vel si dolor admonuerit, adhibenda cucurbita longior: procurandum tamen,ut si quid partis spongia ceperit solitæ, damnũ moderationi non sit: tunc leuiter oppresso liquore,quo folliculi reflatio fiat, erit tentandum,ne clysteris cauerna fuerit clausa.Dehinc apponenda podici fistula dextera manu usque ad eius uerticulum,quem Gręci aspidiscon uocant,impulsu leui,& neque recto ductu contra oppositas partes,neque superiora repentino,uel cum plurimo conatu: tumores etenim exinde atque collectiones efficiuntur. Quapropter sensim,atque paulo inferius inclinato ductu,iniectio fieri debet ad illam partem,in qua constitutum est os sacrum,quod Græci quoque uocãt hieron osteon. Tunc illic enim spatium latius longaonis cum appositione facta erit digitis detrahendus,quo cauerna fuerat obstrusa,atque sinistra manu continenda immobilitate seruata clysteris fistula,& dextra comprimendus folliculus leniter ac moderate,quoties inferiora intestina ulcerata noscuntur. Erit denique paruæ longitudinis,atque altioris cauernæ fistula procuranda, qua possit facili effusione patientibus locis medicamen tradere, ne suspensum ab ijs quæ patiuntur non solum nihil afferat commodi,uerum etiam sanis irruens officiat. Erit autem folliculi impressio uehemẽtius facienda,atque fistula longior procurãda in ijs, quibus superiora intestina fuerint ulcerata,quo medicaminis liquores eò ualeant peruenire. Et hortandus ægrotans,ne retento spiritu quodam recursu referiat medicamen. Ac si magna fuerit putredo,quam menomen appellant,non erit immodicum etiam ex utraque parte clysteris fistulam cauernare, quam Græci amphitreton uocant,quo possint medicaminum liquida per utranque partem intestinorum lateribus aduenire: tum cum omnis fuerit folliculus complicatione uacuatus,siue oppressione manus refusus,quo medicamina peruenisse sentiamus,erit detrahenda fistula suspensa manu,& distentis cruribus ęgrotantis spongię commodãdę podici expressæ ex decoctione calidi liquoris,in quo præcocta sint mala punica,quo constrictione quadã uirtutis herbarum quã Græci stypsin uocant,atque feruido tactu densatis partibus longaonis iniecta teneantur. Tum modico temporis spatio intermisso,erunt etiam illa,quæ clunibus fuerant supposita, detrahenda. Et si fuerit æger in uentris officium prouocatus,in inferioribus ulceratione constituta,& magis si in longaone fuerit perspecta,erit hortandus paulisper resistere,& iniecta continere,tangentibus nobis easdem partes, quæ pati

noscuntur, quoties prouocari ægrum in egestionem medicaminis uiderimus. Ac si in superioribus fuerint ulcera, erunt permittendi egerere, cum uolent: etenim medicamen iam recurrens atque defluens ad inferiora, longaonem sanum inutili uirtute adficiendo exulcerat: nam quibus alienatæ sordes detrahuntur, iisdem non ulcerata uitiantur exusta, cum admota corporibus tardius fuerint immorata. Exclusis igitur cum medicamine post sufficiens temporis interuallum muculentis humoribus, atque ramētis, & uarijs defluxionibus intestinorum, sufficienter operatum medicamen accipimus: quanquam non de perfecta curatione tuto pronunciare possimus, cum sæpe ulcerationis particula in superioribus constituta minime ualeat medicamen accipere, & propterea non omnibus commodata curatio uideatur. Vel si commixtum putredini medicamen cuncta purgauerit, hoc adprehendimus, cum solum præter aliqua purgamenta fuerit exclusum. At si hoc egestio secuta fuerit quædam aliena, minus quidem purgata, tamen accipimus ulcera, & propterea sanitatis spem pollicentia. Item si nihil fuerit exclusum, neque ipsius iniectionis quidquam, erit credendum necessario medicamen inhæsisse, quantum sua ualuit potentia: & propterea sui operis integrasse uirtutem, quanquam non perfecisse uideatur. Nec recte culpanda uirtus est, quæ una iniectione non dederit sanitatem, cum plenam fecerit futuræ perfectionis fidem, perseuerationē sui persuadens. Vnde si omnino nullum fuerit redditum, medicamen erit impauide accipiendum: atque è contrario si eius nulla particula fuerit retenta, & statim effusum, nullum sui demōstrauerit effectū, omnia desperanda: est enim plurimę debilitatis, atque alienatarum, uel mortuarum partium signum. Conijciendum præterea, ne ut sæpe contigit, uetustate medicaminum efflata uirtute nullus sequatur effectus: & propterea sicut iniecta sunt limpide reuocentur: quapropter etiam hoc intuendum esse mandamus. Tum post egestionem factam spongijs erit postea detergendus: uel si nihil fuerit exclusum, interiecto spatio unius horæ perunctum reficere ægrotantem cibis congruis, atque stomacho aptissimis, ut lactucæ thyrso, uel intybo cum aceto, quod sit ex murta confectum, aut oliuis fractis uel natantibus, quas colymbadas appellant, & ouis hapalis, & uolantibus nuper memoratis, quæ sint nutrita constrictiuis, ut murta, rosa, lentisco: etenim eorum pinguedo sic defluxit, atque caro constrictiua sufficitur: magis in eorum pectoribus quorum plus ossibus uicina aptiora probantur: sunt enim teneriora cæterorum. Dicta etiam pomorum quædam constringentia, atque olerum cocta, quorum superius, atque de alijs scribentes passionibus memorauimus, potui dabimus aquam frigidam: quod si minime tolerauerint ęgrotantes, dabimus feruentem plurimum aquam cisterninam: & si sine febribus fuerit ægrotans, dabimus uinū exercitioris paulo uirtutis, ut supra docuimus. Omnino enim inuitantes adpetitum, siue suscitantes, quem Græci orexin uocant, stomachi robur debemus custodire, nisi cum nausea etiam uenter fuerit resolutus. Oportet etenim curare, ne rursum plurimum cibum demus aut potum: uel priusquam solidum cibum sumpserint ęgrotantes, bibendum credant: nam conuenit neque grauata, neque humecta intestina seruari. Si igitur medicaminis iniectio aliquo fuerit peccato uitiata, ut non omnibus adiutorij partibus informata uideatur, mox medicamenti monstrabit errorem: nam quidam iniectione aliqua ex parte uomuerunt, aliqui stomachi ac uentris dolorem senserunt, singultibus atque nausea affecti, cum anxietate ac siti, & immitigabili ardore, & articulorum frigido torpore, & pulsu maligno, atque sudore uel defectu, aut pressura capitis, siue grauatione, quam carosin uocant: siquidem fit nimiæ uirtutis medicamen iniectum in febribus uel uiribus uitiatis, aut in alto tumoribus constitutis. Vomitus autem medicaminis iniecti si ex tumore uentris fuerit factus, uel teneriorum intestinorum, tanquam in iliaca passione, sæpius ægrotātibus intulit mortem. Si autem nullo tumore subiecto fuerit effectus, ingerit uexationem atque metū: aut, ut sæpe contigit, passionis significat depulsionem: siquidem nulla pars ulcerum in intestinis à medicaminis contactu uideatur immunis. Tardāte passione etiam recorporatiuis conuenit uti rebus. Quapropter oportet ea, quæ feruntur per uentris officium, celeriter auferre, & ora ægrotantium spongijs ex posca frigida siccatis reficere, articulos ligare, & stomacho cataplasma constrictiuum imponere, quod diadaphnidon dicunt, uel similis uirtutis. Odoramenta quoque resumptiua adhibere, & frequentius cibo nutrire ex supradicta materia. Ac si accepta non tenuerint, erunt secundo offerenda, adhibita articulorum fricatione, cucurbita ori uentris infixa: uel, si potuerit, etiam à tergo inter scapulas. Ac si dolor occurrerit, & singultus ob ardorem atque sitim, fomentis utendum est, & cataplasmatibus, & spongiarum uaporatione, & olei iniectione, quo possit medicaminis uexatio celerius obtudi. Perseuerāte incendio, et calida, & oleo, & lacte sunt inijciēdi: & si nulla fuerit humoris significatio, eorum frigidus adhibēdus est usus: & ob mitigandā sitim iugis adhibenda oris collutio, dandus interea potus. Item propter articulorum frigus adhibendi tepores cum blanda manuum tenacitate, quā diacertosin uocant, item unctio: sudores autem si expressura fuerint apparentes, erunt detergendi ex diaphoresi, & asperginibus cohibendi, & cōgruo cibo, & cæteris quæ de caroticis scribentes docuimus: quibus depulsis, hoc est pręsentibus periculis euadentibus ægrotis, si forte rursum in priscam dysenteriam uenerint, erit tentandum multo tēpore simplicibus uti iniectionibus, hoc est, ijs quæ sine calce, quam asbeston uocant, uel auri pigmento, quod arsenicon appellant conficiuntur. Tum si perseuerauerit passio, ad uehementiora transeundum, sed ex simplicibus rebus confecta, sollicitam habentes calcis uel auri pigmenti iniectionem: oportet enim putredini etiā cataplasmatibus occurrere: quorū sunt erui pollines posca decocti, & lentiscinū oleum acacia immixta, donec mellis sumat crassitudinem. Item lenticula molita, cum melle, uel rosaceo uel lentiscino oleo decocta. Ac si putredinis causa sanguinis effusio fuerit consecuta, erunt spongię expressæ ex aceto calido pubetenus, uel sub umbilico & coxarum summitatibus, quas Gręci ischia uocant, admouendæ: dehinc

ijſdem locis etiam cucurbitæ feruefactæ adfigendæ, articuli ligādi,dandus digeſtibilis cibus,& qui facile cor
pori inſinuetur : tunc uinum quod ſit præcoctum in cortice mali punici. Inijciendum autem acetum,
nunc ſolum,nunc cum thure maſculo,uel eius manna contrita,uel quod ex confectione ſuperat diatheon
emplaſtri,cum ſibi eius materiæ miſcentur. Imponenda etiam ſimilis uirtutis emplaſtra,uel acacia aceto
ſoluta : tunc donec ſcatere tētet coquenda,aut in amplo mali punici cortice ſupra tepentem cinerem ſen
ſim calefacienda, & ex ipſo liquore partes contegendæ. Dehinc cerotaria apponenda ex oleo murti-
no aut melino,aut uiridi contrita acacia atque conſoluta,uel ex omphacino,aut œnanthino,cum ruta aut
balauſtio,aut aliquando iis omnibus : uel ut Themiſon compoſuit,acaciæ partem unam, roſæ aridæ par-
tem unam,ammoniaci guttæ partem dimidiam,ceræ partes quatuor, & olei roſacei quod ſit ſufficiens.
Hæc contrita in uino amineo,& ſoluta cera cum roſaceo oleo miſcēda : ac ſi ſanguis fuerit retentus,quod
fiet aliquando cum gelatur,aliquando denſitate putreſcentis uenæ, erunt diſcernendæ cauſæ hoc modo :
nam denſatā intelligimus uenulam,quoties pulſus exurgit,atque frigus corporis reſumpto feruore mite-
ſcit,ægrotantis animus melior,atque ſpiratione corpus facillime releuatur: ac ſi gelatus obſtiterit ſanguis,
quod Græci thromboſin uocant,& propterea fuerit fluor celatus,ſupradictis contraria ſequentur,ut pal-
lor,iactatio,pulſus paruitas,uel amputatio,quam Græci aſphyxian uocant,grauedo,inflatio,frigus,torpor
pubetenus,ac paulo ſuperius : tum defectio cum ſudore. Quapropter erit aceti iniectio facienda tunc,
cum fluor fuerit abſtinendus,diurnis diebus cibo reficiendus ægrotans. Si autem plurima ex parte retē-
ta putredine parua excluſerint ægrotantes, quæ ſint ſanguinolenta & ramentoſa, & propterea profectu
apparēte melior eſſe curatione,adiuncto tamen metu ne retenta ſoluatur, oportet etiam ſecunda uel ter
tia die eundē trochiſcum inijcere,ſed ſolita,uel certe ſuccū plantaginis,aut acaciā cum aqua. Sin uero qui-
buſdam diebus ſine officio uentris fuerint ægrotantes, ac rurſum iniectionibus aſperati, conijcimus in ijs
non cicatricem ulceris factam,ſed medicaminum ſupraducto cortice fuiſſe obtruſa : & propterea poſt ef-
fectum uentris nuda atque ſordidata,rurſum humorem fluere ordinabimus. Item tribus diebus lenticu
læ coctionem craſſioris ſucci inijciendam: etenim inteſtina ui propria medicaminis coercentur,quā Græ-
ci ſtypſin uocant,& ulcerum miteſcit aſperitas,& ex anterioribus medicaminibus facta conglobatio, ſiue
cortex in ſaniem prouocatus cadit, & ſubiecta ulcera in cicatricem uenire coguntur. Ac ſi plurimo tē-
pore ulceratio perſeuerauerit cum corporis debilitate atque faſtidio,erit frequentia medicaminum euitā-
da,ſiue iniectionum,ſiue potionum : maior enim ex ipſis uexatio fiet,cum cibi appetitus extinguitur, &
in faſtidium ueniunt ægrotantes,niſi parua inſuetorum multis fuerint conſuetis admixta. Decoctionem
autem lenticulæ ſecundo uel tertio per ſingulos inijciemus dies : ex ipſa enim ſufficienter inteſtina coer-
centur,& latenter corpus nutritur, cū quadā particula digeſtioni uſurpata uiribus profecerit ægrotantis:
tum cum limpida ulcera ſenſerimus,erunt cohibenda ea,quæ uehementius conſiccare ualeant,quæ Græci
ſtyphonta uocant,& inijcienda mediocriter conſtringentia. Ac ſi quiſquam eorum non tulerit uirtutem,
erit diachylō medicamē oleo roſeo ſoluendum,ac diligenter liquefactum inijciendum,uel plūbeo morta-
rio plūbeo piſtillo circunducto imiſſo oleo roſaceo conterendū,donec in ſuccū ueniat, atque craſſius fiat.
Horum quoque ſimilibus utendum monemus. Tunc uino leni, atque carne uolantum uel marinorum
utendum,ut ſquillæ,mulli,carani: & pro modo uirium geſtatione reſumptionis cauſa. Dehinc cum o-
mnia tuta uiderimus,lauacrum adhibemus: ſed non properāter, & magis cum forte iniectio fuerit facta
trochiſci,niſi primo uentrem egeſſerint ægrotantes. Tardāte paſſione ſuperpoſitionis tempore,ijſdem
uti conuenit. In lenimento uero erit fortificatio adhibenda corporibus per uariam geſtationem,& uo-
cis atque corporis exercitium. Poſt ſingulas egeſtiones adhibenda ex oleo & aqua calida,& decoctione
lini ſeminis,aut fœnigræci,aut maluæ agreſtis,ijſdem partibus,hoc eſt ſeſſioni,quam Græci hedram uocāt,
& ſpecialiter admouenda uaporatio ex pollinibus cataplaſmate calido,uel ſaccello. Dehinc etiam radix
agreſtis maluæ decoctæ atque contritæ,& calida teſta calefacta erit apponenda. Ac ſi iugis fuerit dolor,
immittendus digitus uſque ad altiora, præunctus adipe anſerino cum fœnigræci ſemine cocto atque con-
trito,aut aliquo medicamine ex ijs quæ appellamus lipara. Ac ſi hæc minime fuerint inuenta, erit hoc
cerotario faciendum ſimplici atque limpido : & cum tempus cibi dandi occurrerit, adhibenda perunctio
ſtricturę congrua. Tum nutrimento dandus panis ex aqua calida, aut alica lota,aut pulticula ex melle
confecta,aut oua ſorbilia cum pane. Potui autem aqua calida offerenda. Perſeuerāte autem tumore
adhibenda cucurbita adiuncta ſcarificatione locis tumentibus,& uaporatio ſpongiarum :declinatione oc-
currente adhibenda cerotaria,& reſumptio cauta : ſic enim ſedātur iuges egerendi uentris delectationes,
cum tumor mitigatione conquieſcit : atque ille qui putatur rheumatiſmus indulgentia tumentiū facilius
abſtinetur. Ac ſi ęqualis tumori fluor occurrerit, utriuſque erit conijcienda curatio. Quapropter ſi
fomentum ex oleo hiſpano,uel melino,aut murtino,aut lentiſcino adhibuerimus, & cataplaſmata erunt
ex aceto atque melle, uel ſtymmatibus præinfuſis coquenda. Item præſcriptis iādudum iniectionibus
concoquenda quædam conſtrictiua,ut murta,uel roſa,aut mala punica : lacte autem & cæteris admiſcen-
dum amylum,& enatis matibus aliqua decoctio,ſtymmatum adiungenda, aut mali punici: & apponenda
rurſum ſeſſioni uaporatio ſtymmatum,aut cātabri conligati,uel in aceto decocti,uel quā omelſin uocant
ex pollinibus panno conligatis,atque ex ſtymmatibus confectis : perungenda etiam digito interiora lon
gaonis ex cerotario oleo roſeo confecto,aut adipe cum oleo roſeo. Tum poſt perunctionem ora lauā-
da aqua tepida,cibus dādus pulticula calida,ut de uentriculoſis ſcripſimus, quos Græci cœliacos uocant,
ex alica uel farre,aut oryza,aut milio,aut olyra,aut pane Alexādrino: hæc ſingularis uel aliquādo amylo

admixto,aut lacte,aut melle ex fauo expresso. Potus paruus dandus,sed calidus: tum effecta reclinatione resumptio adhibenda. Ac si solutio fuerit urgentior,uel sola,frigidus conuenit locus ægrotanti,& supina iacendi positio, paulo leuius capite locato, & suppositione lanarum, clunes uel inferiores longaonis partes subleuandæ. Adhibenda etiam requies,& impressus articulis manuum amplexus,uel ligatio paulo tenacior. Deponenda etiam omnis animi intentio, & magis cogitatio passionis auertenda: admonet enim egestionem,ac prouocat inquietudinem in memoriam reducta conscientia. Erit denique persuadendum,ne,quoties fuerint ægri in egestione commoti,ilico uentrem facere festinent: sed,quantum potuerint,resistendo differant motu. fit enim quædam meditatio, atque frequens egerendi consuetudo,& oportet effugere laborem motus,ac nutandi corporis frigus,nisi forte acrior, aut incendiosa fuerit defluxio: retenta enim sessionis in locis,quam Græci hedran uocant,longaonem exurit. Conuenit denique, si possibile fuerit,ægros ad sessionem egestionis deportari,aut humilius à lecto scaphia posita ad egestionē produci faciendam. Vel si plurima fuerit corporis defectio, qua iacentes non ualeant fluentia retinere, erunt egestiones spongijs suppositis excipiendæ,& medijs partibus apponendæ lanæ, nunc oleo constrictiuo prætinctæ,uel decoctione buxi,uel murtæ,aut mali punici,& horum similium stymmatum, uel succorum constringentium,nunc asperso rutherginario, quem Græci byrsodepsicon uocant, uel trita galla erunt media siccanda: hæc enim constrictionem sine ullo frigore fore promittunt. Dehinc apponenda ex palmulis epithemata,& malo cydonio,& balaustio,& alumine,& horum similium,sicut de cœliacis, uel sanguinem spuentibus,aut stomachicis scribentes docuimus. Inijciendus etiam per clysterem succus plantaginis,aut polygoni herbæ,uel intybi,aut uuæ lupinæ,aut herbæ caricariæ, uel semperuiuæ, aut mespilæ, maluæ,aut oryzæ,aut decoctione mali punici, uel eius caduci,quod Græci cytinonrhoas appellant,nos ampullagium. Et aliquando hęc ipsa erunt conterenda,uel rosa,aut rubus, quam Gręci baton appellant,aut lentiscus,aut galla,aut thallia,aut rubi uirgulta,uel uitis anuli,quos helicas uocant aut salicis folia,aut ex uino bunito ijs qui sine febri adficiuntur: ex aqua uero ijs qui febricitant. Item ros syriacus,aut omphacium,aut acaciæ succus,uel hypocistidos herbæ, aut balaustij drachmæ duæ,in quatuor uel quinque cyathis conijciendæ: est enim ea quantitas iniectionis redundans, hoc est siquidem plurima grauedine quadam prouocet uentrem. Item lenticulæ decoctio,aut licium indicum cum lacte. Sint autē amyli drachmæ quatuor,licij drachmę duæ,lactis cyathi septem uel octo: extendenda enim hæc singula atque minuenda sunt pro magnitudine solutionis,ac uirium ægrotantis. Ac si plurimus fuerit in ulceribus sensus,ut medicaminum constrictione lacessita indignentur, erunt inijcienda ea quę cum dulcedine admota partes ualeant præsiccare,quo neque ulcerationem prouocemus, neque fluorem negligamus. Ex quibus est in febricitantibus succus ptisanæ cum adipe caprino, contrito atque commixto tracanto, uel gummi,aut argillyrici radice. Sed illa duo infusione præmollienda: radix autem coquenda,aut rosaceo oleo ouum commixtum, aut lac coagulatum, uel cum amylo concoctum ad tertiam partem. In ijs uero qui sine febribus fuerint,passum conuenit Creticum, & uinum squilliticum supradictis speciebus. Tum refectionis tempore unctio adhibenda ex oleo hispano,ac deinde ora lauanda posca tepida. Cibus autem specialiter,ut in cœliacis ordinauimus,dandus. Similiter etiam potum conuenit dare Lac quoque bibendum præcoctum,quod appellant diacochleon,siue singulare: etenim fluores crassificando cohibet,& ulcera deterget,& acrimoniam humorum temperat,& sine ullo labore corpora nutrit. Est autem coctionis hic modus: lac sumendum ex agresti pastu perfectum: etenim in ciuitate nutritorum animalium reprobamus: siquidem capræ è salsiore pascua sitientes plurimum atque coaceruatim bibant, & multum lac,sed aquatum faciant,quod est constrictioni uentris incongruum. Quapropter magis ex caprea,quæ lentisci pascua,uel murtæ,aut rubi,aut uitis folijs,uel quercus,aut salicis,uel hederæ, aut terebinthi,aut herbæ calicaris,uel polygonij,aut plantaginis,& horum similibus fuerit nutrita,erit lac accipiēdum: confluxit enim constrictiua qualitas herbarum in lactis qualitem: nam sæpe diagridium, uel helleborum mandentes,purgatiuæ uirtutis efficiunt lactem,sicut procicolium comedentes lac generant, quod uisum pręstet accipientibus abunde. Denique erit primo probandum, atque eligendum quod sit albidius,atque sine ullo odore,& neque globosum,hoc est,frustis coagulatis uariatum, quod Gręci thrombodes appellant: neque in urinę similitudinem mutatum,quod ijdem uroides appellant: sed quod possit unguibus destillatum manere sua tenacitate collectum. Boni igitur,ut diximus,lactis quatuor uel quinque sextarios oportet in uas fictile mittere siue ęneum: immittendę & cochleę, quas nos lapides marinos, uel fluminales accipimus,non marinę igitur ob salsitatem,sed fluminales inustę: primo quo sint igne pellucidę,tum auferendę: & ex sufflatis omnibus,quę de se forte dimiserint,ac depurgatis supradicto uasculo immittendę,ac ferulis lac cum ijsdem cochleis mouēdum,donec ad mediam ueniat partem,siue tertiam: dehinc refuso lacte proijciendę priores cochleę,atque alię innouandę similiter exustę, sed p̄ pfectū numero atque forma minores longa per interualla. Hęc confectio lactis diacocleon appellatur. Sine ijs uero confectio erit longe simplicior, quam Gręci aperiergon uocant: uas enim lactis erit imponendum igni molliori,& imissa ferula metienda mensura totius ac dimidię,& tertię quantitatis,quo nō coniectura, sed uera dimensione coctionis quantitatem sumamus. Tunc ex ipsa ferula circulato ductu mouebimus coquentes,ne lateribus uel fundo iugi mansione insidant: dehinc ultimo coctionis tempore plurimus detrahendus est iguis: & cum ad partem dimidiam,uel tertiam uenerit, erit in aliud uas refundendum: exinde ęgro dandum,non frigidum,sed leuiter gelatum,quod galactodes appellant. Ac si forte stomachi fuerit euersio commota,cum accipere ęgrotantes horrescunt,erit frigidum dandum,prętecto uasculo niuibus:

ut enim

ut enim mel decoctum fit constrictiuum, sic etiam lac deposito atque excocto tenuissimo liquore, quem Græci orrhon appellant, & uapore concepto constrictiuum fieri necesse est. Conuenit denique etiam supradictus ex regula motus. Est enim uirtute cōstrictiua, & sui corporis raritate, tenuitatē lactis, uel aquarum à liquore ebibens. Accipere autem ægrotantes debent pro passionis magnitudine, & sumendi uoluntate, quam Græci orexin uocant, quidam plurimum, quidam paruum, & primo ex ea decoctione, quæ fit ad dimidiam partem redacta. Tum ex ea quæ ad tertiam uenerit partem: siquidem fit paulo plus cō strictiuæ uirtutis. Sed erit eius usus comparatione prioris minuendus. Tunc post bibitum lac nullū potum sumere debent ægrotantes: est enim ratione carens lac decoctione constrictum, supermisso liquore in aquam uertere. Præterea in ijs qui sufficienter, uel quantum uoluerimus sumpserint, nihil erit omnino superdandum: ijs uero qui minus accepisse uidebuntur, sicut de cœliacis ordinauimus, erit superdanda pulticula ex lacte confecta, ut destinatus impleatur modus. Tunc post intermissionem mediocrē si quisquam nauseauerit, erunt dāda mali punici grana, uel acinæ uuarum siccarum, quas fabriles appellāt, aut mespila, uel sorba. Quidam igitur primam decoctionem probauerunt secundæ præponendā: siquidem lac in semet uelut calcis qualitatem accepisse uideatur, qua possint putredines ulcerum abstineri. Alij uero secundam magis probauerunt, quibus etiam nos consentimus: non enim admixtæ supradictæ qualitatis causa est abstinendæ passionis: potest enim etiam quiddam calcis uiuæ, quam Græci asbeston appellant, lacti admisceri. Sed est incoctio siue insumptio aquosi liquoris, quo amisso syncerior lactis qualitas fiat, quæ neque curiosa confectio, neque nidorosa, uel fumosa sufficitur, si simplici coctione fuerit procurata: cum enim lac se à suo humore separauerit, quam Græci orrhon appellant, crassius effectum ac uiscosius insidens uentri, atque intestinis, & multo tempore immoratum liquida concrassat, & ulcera mitigāter amplectitur. Item alij tertiam partem aquæ lacti miscentes decoquunt, adserentes quòd sit decoctio melior, ne ullo nidore siue fumo, aut ustione lactis natura uitietur, ob aquæ admixtionem. Ii autem si usque eo coquendum iubent, donec ad modum præmixti redeat lactis, qui fuerat prius quàm aqua misceretur, & liquidius conficiunt, & non sine suo naturali liquore, quem Græci orrhon appellant, ægrotātibus dabunt, prisca lactis quantitate seruata. Sin uero ad partem dimidiam uel tertiam decoquent, non solū plurimum decoctionis tempus insumunt, uerum etiam tarditate coquendi diutina fumosum faciunt medicamen. Hæc sunt quæ in ipsorum erroribus respondemus: eius autem datio erit discernenda: nam primo gelatum bibi debet, siue tepens, quod Græci galactodes appellant: tum feruens. Sed cum primo fuerit profectus aliquis ex ante dato: hinc enim perfecta passionis fiet abstentio. Ac si quisquam ęgrotantium lac sumere noluerit, aut horrido uisu, aut stomachi supinatione recusans, erit alijs adiutorijs adiuuandus. Et si ulcus fuerit in superioribus ac densioribus intestinis, utendum medicaminibus potis, quæ Græci anoterica uocauerunt: etenim quæ inferioribus clystere inijciuntur, hæc magis patientibus aptanda sunt locis. Et cum cibi fuerint adpetentia seruati, nec ullo fastidio ægri uidebuntur adfecti, erit medicaminum consueta magis eligenda materia: ac si fastidium fuerit, sola probanda. Sed eorum compositionem atque ordinem ex ijs quę de cœliacis ordinauimus sumi mandamus. Licet præterea cum ijs etiā acaciæ, uel œnanthes ex aqua cisternina contrita; donec collyriorum faciat crassitudinem, rotundata frusta dare bibenda, aut resoluta cum uitello oui assi in quantitate dimidij cochlearij, aut aqua resoluta: in ijs, qui febre afficiuntur, tribus cyathis: in ijs uero, qui sine febribus sunt, cum uino erit offerendum. Pręterea communiter etiam hæc quæ sanguinem expuentibus dantur probamus: quorum est succus plantaginis, uel una die ac nocte rhus syriaci infusus uino uehementiori: quo detracto, oryza immissa uino coquemus: dehinc lenticulæ pulmentum decorticatæ atque subassatæ in pulticulæ modum cōficere. Item oua aceto cocta, uel ouorum uitella, quę sint carbonibus assata. Item decoctio ex plantagine, aut agresta, & intybo, quod cicorion Græci uocant. Sed hæc singula erunt duplici coctione curanda: nam post primam coctionem erunt in aliam aquam transferenda cum alijs nondum coctis: quorum coctione perfecta priorum secundum probamus effectum. Erunt præterea hæc condienda oleo uiridi, & aceto, & paruo sale, uel quod est melius, rhos. Et si sordidum tardauerit ulcus, iniectione mulsi perseuerandum probamus, nisi solutio fuerit adiuncta: uel decoctione mali punici etiam, si crebræ temporaliter uentris egestiones: quę quidem erunt terendæ. Item corticis pini, aut subassatæ interioris tunicæ, siue corticis glandis, quam sardianam uocant, aut pulenti, aut cuiuslibet materiæ uehementius astringentis. Ac si quisquā harum uirtutum recusauerit usum, horrens oblata, siquidem sensu torqueant acriore, erunt hæc mellis decocti atque durati latitudine cingenda, quo sub dulcedine lateant acriora, & nihil eorum uirtuti derogetur: siquidem etiam mel coctum constringat. Item malorum punicorum trium medię magnitudinis corticem sumētes, admixto uino lymphato, hoc est, aqua temperato coquemus, in ijs qui sine febribus afficiuntur, uel declinante causa melius habere uidentur: cū cisternina uero heminas sex, quas cotylas Gręci appellāt, in ijs qui etiam febribus afficiuntur, donec ad tertiam partem liquor deueniat. Tum ex ipso duos uel tres cyathos ante cibum dabimus ægrotanti, uel eadem mala omnia contusa atque colata, uino aut aqua immixta erunt offerenda non plus cyathis duobus. Item mala cydonia cum malis punicis decocta in uino dulci, aut squillitico, tunc fricatione siccata atque crassificata cum lacte dato conueniunt, uel aquę cyathis sex. Item ges aster cum aqua ducta curationi conuenit. Alia quoque plurima simillimę uirtutis infinita specie concurrunt. Item cibo danda alica cum uino melino aut murtino aqua temperato. Tūc plurimo profectu accedente dandi turdi, atque pulli gallinacei, uel columbarum atque uolātum quęque sicciora, ut phasiani pectora, uel perdicis, aut attagenę agrestis: quę singula erunt postea ap-

te coquenda, aut mediocriter assanda, ne lignosa fiant, & digestioni officiant. Aliquando etiam erunt hęc animalia reclusis pectoribus uirgultis murtæ penetranda, aut eis magis replenda. Tunc mediocriter coquenda, ac deinde farina conspersa tegenda, & cinere calido maturanda. Item maritima quæ sunt densioris carnis. Agrestium quoque, hoc est, leporis uel capreæ conueniunt pulmenta, uel pomorum, quæque uiuida uirtute constringere ualent, ut mala cydonia cocta uel assata. Item pira, sorba, mespila, quę nōdum fuerint maturitate dulcia, pruna agrestia, mali punici grana cum exterioribus membranis exiccata. Item uua, & magis fumi uapore siccata, quam fabrilem appellant. Omnis pręterea cibus erit diligenter masticatione exercendus, quo digestibilis fiat, ne uenter debilitate segnior plurimo laboret nixu appropriando corpori quę sumpserit. Melius autem partibus erit apponendum diatheon medicamē, & omne quod fuerit siccatiuum malagma, uel aceto confectum. Tunc etiam uinum dandum, quod fuerit natura plurimum constringens, ac pro regionibus cognitum, ut in Italia Pręnestinum appellatum, uel Surrentinum, & magis Signinum ac Marsicum: ex quo oportet etiam alicam myro curatam dari. Ac si forte hoc uini genus minime fuerit repertum, erit quiddam aquę calidę admiscendum, quod eandem ualeat imitari uirtutem, ut rhaponti cum, uel illud quod Græci appellant inter corticem quercus inhęrens, pertetam neruorum fila teneriora. Item rhus linteo ligato, uel galla uiridis quę appellata est omphacine, aut uitis amyli, quas elicas appellant, aut uirga rubi, aut cerasia, aut mala punica, aut fabę gręcę folia: nō hęc quidem erunt iugiter adhibenda, sed medicaminis uice. Tunc apparente magis profectu, adhibendum lauacrum, & corporum motus per gestationem, uel deambulationem insinuandus. Ac si passio perseuerauerit transacta superpositione, erūt ijsdem quę supra memorauimus resumendi ęgrotantes, adiecto uocis exercitio cum corporis uehementi defricatione, & magis uentris in locis. Item cyclus iuxta regulam, quę aut qualitatis solius habeat ductum, ut ęquali quantitate seruata descensus uel transitus ad parui nutrimenti mutationem ueniat, ut à tardis uel paruis uolantum animalibus ad palumbos uel perdices, & ijs similia. Aliquando per quantitatem solam, ut eodem pulmento seruato, exempli causa, perdicis, & paruo modo ueniant ad plurimum. Tunc erunt utraque iungenda, ut etiam qualitate ac quantitate uariatus formetur cyclus, cum uires ęgrotantis ualentes uiderimus. Quomodo autem initium sumendum sit, uel panis fieri partitio: uel quia in pulmentorum mutationibus uinum uel lauacrum detrahimus, & iandudum dictus accipiendum probamus: sed lauacra rara atque calida magis inuenimus aptissima. Tum confirmato corpore, ac resumptis uiribus uomitum conuenit adhibere: & primo ex simplici potu, secundo ex radicibus, quo partialiter locale adiutorium uētri pręstemus, & quodam uehementi motu, ueluti purgatione per uomitum effecta, omni impedimento digestionis officij liberetur. Tum trāseundum ad medię qualitatis pulmenta, & cętera cyclorum ordine suo reddenda usque ad porcinę pulmēta. Itaque agrestium, hoc est, leporum atque capreę danda iandudum docuimus. Dehinc adiungenda drimyphagia, quæ sine uomitu erit adhibenda uno uel duobus diebus, ac deinde cæterę cycli partes integrandæ. Conuenit præterea oliuas nigras aceto decoctas, cum mali punici cortice contritas, admixto pipere albo, & oleo hispano modico, atque recenti ieiuno ægrotanti dare: nunc nulla addita specie, nunc adiuncto pane. Ordinanda etiam cætera resumptiua atque recorporatiua uirtute medentia, ut gestatio uaria, deambulatio, uocis exercitium, perunctio, defricatio, quæ nunc exercitij tempore, atque uncto nunc arido uel sicco erit aptissima. Item sicca cibatio, & cucurbita recorporatiuæ uirtutis secundum medias partes, dropax illitus usque ad uentris confinia atque uertebrorum, psilothra, sinapismi, & paroptesis usque ad cutis ruborem, cum defricatione ex oleo atque nitro. Item arena sole ignita, acopa acriora, ut ex euphorbio, & opobalsamo, & simili uirtute medentibus confecta. Item malagma secundum uentrē, quod appellatur diathapsias, uel diacapaneos, & diaeuphorbium, & aliquādo parua sumptio medicaminis poti, quod appellamus diatrion pipereon. Et sunt hæc cuncta medicaminum libro conscripta Responsionum. Item peregrinatio atque natatio maritima, & naturalium aquarum. Ac si fortificatum corpus rursum fuerit humoris fluore tentatum, quod Græci rheumatismum uocant, conuenit hellebori dati decocti, uel radicibus inserti, quod catapaston appellant: dissecat enim corpus, & quadam nouitate confirmat. Culpandi præterea etiam nunc ueteres medicinæ conditores. Hippocrates enim libro quem ad sententias Cnidias scripsit, helleborandos principio ęgros ordinauit, ultimum adiutorium cæteris anteponens. Dat præterea panem ita curatum, ut neque ab hominibus recte ualentibus posse digeri facile uideatur. Item pulentum, atque fœnigræci semina, cum sint hęc qualitate contraria: alia enim astringūt, alia relaxant. & nulli adiutorio tempus adiunxit. Diocles quoque libro quo de passionibus atque causis, & curationibus scripsit, prouidens siccandum corpus urinalibus medicaminibus, utendum iubet quibus non solum humor uentris siccari minime posse perspicitur, uerumetiam uesica in morbos cogi inuenitur. Item Erasistratus tertio libro de uentre prohibet cibos digestibiles ac nutribiles, æstumans hæc facile posse corrumpi, non conijciens quoniam omni ægrotanti digestibilium rerum usus conuenire perspicitur: quo minime & in laborem mediæ partes, quibus digestionis celebrantur officia, cogi uideantur officia. Prohibet præterea specialiter lenticulam, atque mala cydonia, & si quæ similis fuerint uirtutis, quo una uoce omnem congruam uideatur recusare curationem: nutribilia etenim, quæ ob resumendas uires principalem tenuerunt locum, superfluum est, ut æstimat, adhibere. Lisius etiam quarto libro Tardarū passionum principio adhibendum uomitum post cibum probat. Sed cum noua ac recens in corpore fuerit passio, sine dubio dupliciter nocens: primo quòd intemporaliter, etenim nouellæ passiones suasu quodam, & non agitatione uehementi sunt depellendæ: dehinc quòd incongruæ, siquidem sit uomitus

post

post cibum grauabilis capiti. Inquit preterea: Si humoris perseuerauerit fluor, atque longo tardauerit tempore, & typico motu uentrem fecerit humectari, occursibus periodicis tribus uel quatuor interpositis diebus uentrem conuenit prouocare. Vnde plurimi etiam lac offerendum probant, quod schiston appellatur, siue catarticum, quo in acutum potius, ac periculosum ueniant morbum: exinde possit medicina tanquam celerem facilius curare passionem.

De uentris debilitate. Cap. IIII.

ETIAM hoc quidam symptomatis genus, quod nos accidens appellare poterimus, scripserunt: & aiunt debilitate uentris acceptum cibum plurimo tempore in eodem permanere: aliquando corrumpi: & magis cum intestinum, quod Græci nestin uocant, fuerit quoque debilitate uitiatum. Fieri etiam inflatione secundum uentrem existente, attestãte paruo dolore, & rugitu intestinorum, quem borborismõ uocant, cum plurimo sputu ac ructatione iugi. Sed erit accipienda curatio ex ijs quæ cum dolore, atque intestinorum tormento ægrotantibus adhibenda scripsimus.

De uentris tumore ac duritia & uentositate, inflatione, ac saltu. Cap. V.

TVMOREM uentris extantia sequetur secundum præcordiorum media, resistens atque dolorosa attestante feruore & iugi saltu, & aliquando febricula, cum fastidio & siti, anxietate, & iactatione. Sequẽtur etiam uigiliæ, & cibi corruptio. Sed discernitur à superiorum tumore, hoc est peritonei, siue cutis superpositæ. Primo, quòd transuoratus cibus uelut percussum præstet circa stomachi finem, uel uentris initium. Secundo, quòd adducta cutis digitis, conduplicata sequatur: duritiam uero uentris sequetur extantia, plurimum resistens sine ullo feruore atque pulsu, uel dolore, sed sola spiratione difficili, & digestionis impedimento paruissimo. Item uentositatem sequitur tensio cum rugitu intestinorum, quę facile relaxetur, ac rursus colligatur: & si palma fuerint partes pulsatæ, ut tympani resonum fingant: impressæ uero recessum faciant tardum, & detracta manu facilius surgendo concaua repleant loca. Inflationem uero, quam Græci oedema uocant, sequetur extantia partium. Sed facile atque plurimum impressioni cedens, & neque tympani resonũ fingens, neque feruoris ingerẽs sensum. Itẽ saltus cõmotos iugis sequetur, sicut etiam cor salire perspicimus, cum nimio uel timore, uel gaudio afficimur. Sequitur etiã sensus tanquam uolantis interius ab ijs omnibus, attestãte inani tussicula longa per interualla, & thoracis pungente tensione: sed erit accipienda curatio ex ijs quę de strictura stomachi conscripsimus.

De dysenteria. Cap. VI.

A DIFFICVLTATE officij passio nomen accepit dysenteria. Est autem intestinorum rheumatismus cum ulceratione. Sed fit antecedente fluore, quem Græci diarrhoean uocant, aut cholera, aut tumore uentris. Et est difficile celer, frequentius tamen tardans passio. Sequitur in passione constitutos muculenta uentris egestio, atque è ramentis innexa, & humore crasso: primo, cum naturalis intestinorum defluit corpulenta soliditas: dehinc uaria, atque sanguinolenta, & fellosa, aut saniosa, atque feculẽta, aut cum gelati sanguinis corpusculis, quæ thrombos appellant, & liuida, aut carnosa, & mẽbranis plurimæ longitudinis innexa, attestante graui foetore, cum dolore ulcerum, & fastidio, & siti, atque interiorum ardore. Sequentur etiam uigiliæ, & aliquando febricula, anxietas, iactatio, hebetudo, & aliquibus intestinorum rugitus, & tensio cum uentositate, & impedimento urinæ reddendæ. In quibusdam etiam uomitus, & saltus præcordiorum, aut torpor frigidus, lingua humecta, aut plurimum sicca, aut aspera, colore cinereo, aut liuido. Item corporis defluxio, & accepti corruptio cibi feruens, cum iugi atque incessabili egerendi uentris desiderio, & in eadem admonitione mordicatio intestinorum omnium, uel podicis, aut uicinarum partium. Fit autem ulceratio aut in tenuissimis intestinis, ut pyloro, nestidi, typhlotero: aut in crassioribus, ut in colo, uel longaone: in omnibus enim eodem tempore fieri, uel esse ulcerationem minime posse accipimus: siquidem mors præueniat ægrotantes. Interioribus igitur intestinis factam ulcerationem adprehendimus ex doloris sensu supra umbilicum constituto, siue ex eodem loco initium sumẽtem, & egestionibus uentris semper tenuissimis. Ac si in crassioribus intestinis fuerit ulceratio constituta, sensus doloris secundum umbilicum efficitur, & egestiones uentris carnosæ apparebunt, & frequenter coagulata magis atque coacta stercora egeruntur, cum solus fuerit passione longao uexatus, & magis eius inferiora: præuenit enim, atque non sinit cibi digestionem in stercoris uenire qualitatem. Aliquando denique ultimo egestionis tempore ulcerum tactu sanguinatio fiet, ut guttarum distillatio appareat, & insignia tenesmi demõstret. Quod iuxta sessionis finem, quam Græci hedran appellãt, longaonis pars ulcerata intelligatur, manifestis atque promptis concurrentibus signis: nam delectationes frequenti ęgrotantes afficiuntur uentris egerendi, atque ipsa egestio cum quadam uoluntate, & labore nimio efficitur tẽsio duntaxat, & pectinis pubetenus cum sensu, tanquam quiddam corporis solidioris inesse putetur. Ipsa quoque stercora, uel eorum egestio parua, atque leuiter muculenta uideatur, & humore crassiore cõfecta. excluduntur enim primo pinguia, dehinc sanguinolenta cum stercore coagulato. Nos denique tenesmon dysenteriæ adiungendam probamus: siquidem fit ulceratio partis intestini, nisi quis uoluerit ante

ulcerationem solum tumorem appellare tenesmon: quod est quidem inconsequens omnium scribentium dictis, quibus tenesmus necessario fuit prouidendus, ut sola proteruitate medicamina pota danda alui temeritate confingant: sed etiam nobilium multi, ut Diocles libris quos de passionibus atque causis, & curationibus scripsit, lac ordinat cum melle bibendum uentrem prouocans in fluorem. Item murrham cum ouis atque uino commixtam, cum necessario stomachum murrha euertere uideatur. Item utitur ptisana cum adipe sorbenda: item galla cum opio, neque discretionem qualitatum, neque temporum memorans usum. Praxagoras libro primo Curationum statuit uentrem deducendum peplio & lacte plurimo, cum mulso, potans & aqua salsa, & succo betæ, & oleo cum mulso. Hoc condimento iniiciens, & oleo, & liquido cerotario cum aqua, quibus uenter magis in fluorem prouocatur. Item nutrit bis cocto pane, qui sit necessario digestione difficilis, cum plurimum torretur. Item piscibus saxatilibus, & carnibus teneris, cum debuerit densioribus magis ob stringendam solutionem: dat aquam bibendam, & uinum dulce, quod etiam sanos inflare perspicitur. Offert farinam cum lacte coctam, quæ indigestibilis probatur: sic etiam tritici ptisana cum cantabro. Ordinat etiam secundam & tertiam curationem, nullam adijciens discretionem. Item Erasistratus secundo libro de uentre plurima recte componens, solis utitur constrictiuis, cum sint plurimi dysenterici laxatione indigentes. Themison primo libro Tardarum passionum plurima recte memorauit, aliqua uero correctione indigentia: laxamenti enim causa, atque lapsus faciendi aquæ, & arnoglossæ succo iniectionem faciendam probat, & hoc aptum etiam tumoribus memorat, quod ob constrictionem siccare perspicitur. Adhibet etiam naribus atque auribus, & angulis oculorum sanguinis detractionem, nihil propositis profuturam, & post cibum unctionem, quo tempore quies est adhibenda, ob digestionis perficiendæ facilitatem. Dat etiam uinum asperius, cum fluorem uehementescere uiderit atque febrem. Et meratum probat offerendum, quo tempore ob augmentum passionis aqua uino infecta conueniat, maxime cum merata potio uexare neruos approbetur, quos Græci cremasteras uocauerunt.

De colicis passionibus. Cap. V.

Principium huius capitis deest.

*

Concurrit præterea grauedo, sitis fastidium, & incessante passione, siue accessionis tempore articulorum frigidus torpor & liuor, attestante sudore, & mentis hebetudo, cum pulsus paruitate ac densitate. Item sequitur singultus, & uentris abstinentia, aut cum dolore egestio urinæ reddendæ difficultas, capitis grauedo, intestinorum rugitus scatens, quem Græci borborigmon uocant, & augmento passionis uomitus humorum crassorum, quos Græci phlegmata uocãt, tum felineorum, cum tensione membranæ quæ uentrem intra cutem circuntegit, & appellata est peritoneon, quæ perseuerans faciat inflationis causa resonũ tympani, cum palma fuerint loca pulsata: tum extantia cum rugitu plurimo, & dimissionis tempore uenti per podicem egestio cum magno sonitu. Ac si tumor fuerit insidens atque roboratus, erit extantia durior, ac puluoso attestante feruore, cuius circunspectio simplex, sed inæqualis esse uidebitur: quod discernitur à iecoris ac splenis, uel peritonei tumoribus, qui in peritoneo sunt æquales: in iecore uero ac liene quadam circunspectione finiti. Est autem passio aliquando continua, ut plerosque tanquam ileicos interficiat: aliquando deficiens, ut sæpe tarditate perseuerans difficile curabilis fiat. Sed eius curatio etiã nunc stricturæ coueniens probatur. Quapropter si acuta, uel celer fuerit passio, uel in superpositione constituta, conuenit ægrum iacere loco calido, contectis partibus in passione constitutis lana limpida atque calida. Adhibendus etiam fotus olei dulcis calidi, & sæpe memoratæ uaporationes cucurbitæ apponendæ leues, quas Græci cuphas appellant. Item uascula, quæ ambigas uocãt, & sunt materia testea, uel uitrea confecta: tum requies atque abstinentia cibi usque ad tertium diem: & si causæ poposcerint, adhibẽda phlebotomia. Ac si sumpto cibo quisquam dolore fuerit affectus, uel nausea, erit uomitus prouocãdus sumpta primo aqua tepida, uel aqua & oleo, quibus potis immissis digitis accepta reddantur: uexationem enim uomitus, sumptorum perseuerans pondus atque tensio, & mordicatio tumentium grauior uexatio iudicatur. Adhibenda etiam clysteris iniectio ex olei calidi cyathis quatuor, admixto & consoluto adipe anserino, uel gallinaceo, uel ouorum uitellis, aut decoctione lini seminis, uel hybisci radicis, aut maluæ usualis, aut fœnigræci succo. Injciunt autem aliarum sectarum principes etiam rutatium, aut anethinum, aut panacinum, uel ex cymino atque castoreo, & bitumine. Secundum Themisonem uero etiam cum absinthio: castorei nanque uel bituminis duæ drachmæ cyathis olei quatuor miscentur. Ruta uero & anethum, & absinthium, & cyminum linteolo illigata oleo coquentur. Sed sunt hæc acerrima, & propterea tardis passionibus congrua, quas Græci chronias uocant, uel uentositate laborantibus, & non causa tumoris dolentibus. Bitumen autem sæpe etiam fastidium ingessit euerso appetitu, quem Græci orexin uocant. Cibus dandus conueniens dimissionis tempore, atque alternis diebus, donec passio declinet, & sorbilis, leuis, calidus. Dandus etiam potus non plurimus, ne intestina grauentur, etiam ipse calidus: tum post fomenta cataplasma adhibendum ex lini atque fœnigræci seminibus, & polline, quod Græci magton appellant, aqua mulsa coctum mel decoctione fici pinguis, & hybisci radicis, & maluæ usualis, uel horum similium, cucurbita apponenda adiuncta scarificatione, uel hirudines admouendę omnibus partibus in tensione constitutis: ac deinde uaporatio spongiarum expressarum in aqua calida, & oleo, & de-

coctione foenigręci, & maluæ. Tūc post unctionē ex iisdem etiā encathismata adhibent. Quidam medici in iis qui uento fuerint inflati, ex decoctione stercorum cum aromatibus coctorum uaporationem adhibendam probauerunt, ex quo liquorem etiam oxymelitos miscuerunt cataplasma cōficientes, admixtis etiam tunc aromatibus, uel nepeta herba, aut pulegio, aut hysopo, aut cymino. Sed hęc in tardis passionibus adiuncta ratione locum sumūt perseuerante morbo. Cōuenit in accessionis statu etiam bibere cyathos duos uel tres calido oleo diligenter admixto: etenim incendia leuigat, & uentrem mollit, & tumorem mitigat. Quapropter magis hoc melius mulso probamus: siquidem sæpe conflammet atque inflet. Dantur etiam plurima alia bibenda composita uel simplicia, ut est Zenonis diasticon appellatum codicum medicamen. Item Cassii ex gingibere confectum, quod diagingibereos appellant: & mille præterea, quæ concurrenti tempore lacessendo medeantur: præter tempus uero grauationem ingerentia aliquos in periculum grauiter mittant, aliquos errore releuationis fallant, ob præsentis temporis perditum sensum, quod Græci anæsthesian appellant, hebetudine partium suffecta. Item simplicia, ut decoctio apii, uel nardi celtibe-rici, aut herbæ saluiæ, aut polii, aut cymini ægyptii, uel rutæ, aut dauci, magis cretici, aut petroselini tribus cyathis aquæ calidæ admixto cochleari, uel asperso succo polii, aut cymini Aegyptii, aut petroselini, aut cochleari castorei, itemque foeniculi. Sed est semper horum datio in tumoribus uitanda: siquidem sint acria uel lacessentia uirtute. Conuenit præterea cum totius passionis fuerit status, solio oleo calido pleno ægros dare, & firmata declinatione gestationem adhibere, aucta moderatione ciborum. Tum uinum, atque communiter resumptionem, & mediis partibus cerotaria ex oleo sabino, uel cyprino, aut sicyonio, uel glaucino, aut amaracino, aut laurino, aut panacino, aut rutino, aut anethino, samsucino, uel qđ diatessaron appellatur, resina terebinthina, cera, iri illyrica, hysopo, omnibus æqualibus: siue quod diapente uocant, pice, nitro, alumine, sulphure, cera. Sumendæ denique picis liquidæ heminæ duæ, & ceræ libra: quibus solutis atque leuiter refrigeratis aspergendum nitrum rubrum tritum, & alumen scissum, & sulphur uiuum singulæ selibræ. Cum autem in lenimento tardauerit passio, conueniunt ea quæ fortificare ualeant corpus sine recorporatione demutare, ut uaria gestatio, & deambulatio, uocis exercitium, atque perunctio, adhibito monitore, siue fricatio cum retentione spiritus, & sphæræ lusus, uel cursus, & humerorum additus motus. Item cibus qui inflare minime possit ex mediæ materiæ qualitate, & tenue uinum, atque lauacrum longa per interualla: hinc enim facile corpora perfrigescunt. Item rubor faciendus uentris in partibus, atque inter scapulas & clunes ex dropace, uel sole, & flammæ paroptesi, uel parietibus, uel ceromate, aut pellibus, uel arena litoris sole ignita. Item strigilis rasio adhibenda corporibus, & sicca defricatio ex asperis pannis, & cucurbita recorporatiua apponenda. Item unctio acoporum feruentium acriorum, ut sunt diaeuphorbium, aut cacritum, nitri fricatio, & sinapismus, & uaporatio ferues ex aqua marina, uel salsa, uel supradictarum acriorum uirtutum decoctionibus, uel sacellis sale repletis: quibus præstitis, uel corpori admotis, erunt aliquando cauteres superponendi, & circuminoluendi: item farina circumclaudendus locus in passione constitutus, & implendus item cauliculis, & oleo: tum immittendi cauteres igniti sensim, non usque ad loci scarificationem, siue ustionis effectum, sed usque ad ruborem faciendum. Tum malagma quod appellatur diaspermaton, uel polyarchion, aut diadaphnidon, diachylon, aut diaeuphorbium. Item aquarum illisio patientibus locis, quam cataclysmon Gręci uocauerunt, & iniectio clysteris rutacii, aut anethini, aut panacini olei, uel extenta uirtute aquæ salsæ. Et cum olim futuram superpositionem uiderimus, uomitus ieiunio adhibendus ex radicibus. Tum perseuerante passione etiam ex helleboro radicibus inserto: tum infuso, ac deinde cōciso iuxta ordinem cycli partium cęterarum. Dandum etiam potui medicamen, quod Gręci theriacen antidotum uocant, uel diagingibereos. Peregrinatio quoque adhibenda, & longa nauigatio, & usus aquarum naturali uirtute medentiū, & magis sulphuris ac medicaminis uirtutem redolentium. Item maritimarum, & primo feruentium, tum frigidarum. Ac si retentio uētris fuerit, ob egestionem faciendam adhibenda iniectio ex melle atque sale: quę si minime compleuerit effectum, etiam ex aloe admixto succo coliculi agrestis uel usualis, uel lapatii: ex quibus erunt catapotia facienda in erui magnitudinem, quorum quatuor uel quinque dabimus transbibenda. Item marini coliculi offerendi. Erunt pręterea pręcauenda magis quę passionem ualeant refricare, ut frigus, indigestio, libido, uel quę inflare ualeant cum sumuntur: item frigida plurimo scilicet tempore. Veteres autem, & magis Erasistrati sectatores uentrem mouere medicaminibus certauerunt uentrifluis, quę catartica uocant, uel pessulis, quos balanismos dixerunt.

De lumbricis. *Cap.* VIII.

ITEM alii ad acriores clysteres confugerunt ex initio adhibendos, uelut Asclepiades: & aliquibus etiam fluor uentris efficitur sine lumbricorum exclusione, aliquando attestante fastidio & debilitate, & pallore cum tenacitate corporis: & nunc tussicula arida leui ex occasione commota: nunc solutione atque defectu corporis & animæ, quem lipothymian appellant. Pueris uero dormientibus turbatio membrorum efficitur, gemitu attestante cum iactatione, & stridore dentium, & sępe contra solitum morem prona positio iacendi: tum clamatio sine manifestatione, exiliente cum uocibus ęgrotante. Quibusdam etiam repentinus casus occurrit, ut oppressi obmutescant, nunquam similiter affecti. Item aliquando conductione uel contractu membrorum rapiuntur, & quidam per interualla conticescunt, & in febribus demersione lethargorū simili premuntur. Itē totius uultus paulatim

nimia insinuatio, nunc detracto rubore mutantur, & aliquando articulorum frigore cum difficili responsione, siquidem interrogentur, manibus elatis iactantur, attestante sudore. In pueris uero lumbricorũ conuersio, siue connexio sæpe occurrit, ut etiam tactu sentiatur durities in ea intestini parte, quæ fuerit magis in ultima tenuitate. Tum denique eorum euersione ægrotantes interficiuntur. Pulsus uero, ut etiam Themison libro nono Epistolarum designat, est inæqualis ac plurimum deficiens. Excluduntur autem nunc per uentrem, nunc per stomachum atque os, uel nares, & aliquando sponte connexi in sphæræ similitudinem: plurimi amplexu mutuo uinculati, aliquando singulares. Item sanguinolenti, uel fellosi, aut cũ stercore per podicem, uel humore felleo, uiui aut mortui, pleni aut inanes, & omnes, aut ex parte albi, uel fului. Alia denique plurima sequentur ægrotantes, quibus designari supra memorata necesse est: & nunc parua, nunc plurima pro quantitate animalium ac forma: uel quod nunc plurimum, nunc parum noceat, locorum differentia uariante, cum nunc ad stomachum ascendunt, nunc in intestinis perseuerant, & ęgrotantium uires nunc debilitate, nunc fortitudine habituantur, & nunc cum febribus, nunc sine febre. Sed quoniam multa ex accidentibus alijs quoque similia passionibus inueniuntur, ut alienatio mentis furori, atque phrenetidi, uocis amputatio, lethargo, & præfocationis matricis, & apoplexię, & epilepsię, atque apprehensioni sensuum. Qui autẽ ex lumbricis patiuntur, nunquã spumas excludunt. At uero pręfocatio ex matrice cum ascensu matricis efficitur, quem Græci anadromen uocant, & magis in ætatibus perfectis, antecedente matricis ęgritudine. Ex lumbricis uero facta uocis oppressio magis ętatibus imperfectis adscribitur, antecedente uentris atque intestinorum querela. Item à catalepticis discernuntur lumbricis laborãtes: siquidem illi in febribus obmutescant maiore atque percussibili pulsu testantes. Qui autem à lumbricis id patiuntur, etiam sine febribus uocis amputationem sustinent, cum pulsu paruo atque crebro. Item ab ileicis discernuntur, qui lumbricorum tormento uexantur: siquidem neque uentris officium in ijs abstineatur, uel pallor antecedat, aut contra consuetudinem iaceant proni, uel dormiant cum gemitu, & irrationabili exclamatione. Item à stomachicis discernũtur, cum nullus fuerit humor in stomachi partibus inuentus, & intestinorum tormenta sustineant. A' syntecticis uero discernuntur, quòd nulla querela tormentorum, uel conuersionis, aut doloris in intestinis, uel uentre afficiantur: quod necessario lumbricis laborantes sequetur. Item ab ijs qui naturaliter, uel ex multitudine cibi per somnum labia conducunt in similitudinem sorbentium, uel sine ulla ratione aut exiliunt, quòd moderatione accedente, atque cibi facta deductione releuantur. Ii uero qui lumbricis afficiuntur, magis uexentur parcitate ciborum. Hęc est similium discretio passionum. De exclusione uero siue egestione lumbricorum ueteres medici præsciam significationem posuerunt, & appellauerunt prognosin: in quo diuersa senserunt: nam Hippocrates libro Prognostico significare inquit lumbricos interfectionem ægrotantis, quoties mortui fuerint exclusi omnibus in morbis. Item quidam communiter mortuos lumbricos aiunt grauia denunciare: siquidem ostendant inesse corpori ruptionem. Diocles libro Prognostico euomitos inquit lumbricos nihil alienum significare, nec esse absurdum: per inferiora uero excludi quoque lumbricos non admirandum, sed mortuos & inanes esse melius ac salutare: uiuos uero atque plenos & sanguinolentos perniciosum. Item libro de egestionibus scripto, uiuos uel plenos, ac sanguinolentos febribiles dixit. Erophilus uero libro quem ad Hippocratis Prognosticum scripsit, siue uiuos, siue mortuos excludi negat incongruum. Apollonius Glaucus libris quos de Interioribus scripsit, reiectos rotundos lumbricos initio significare indigestionum frequentiam, ultimo uero ægritudinis properare iudicium, quod crisin appellant. Item uiuos ac plenos, & sanguinolentos non recta portendere. Appollonius Memphites percunctatiuo, siue uniuersali modo, quem Græci catholicon uocant, omnia inquit in intestinis animalia nata in morbis grauia significare, & magis mortua, quàm si uiua excludantur. Item Antiphanes libro quem Panopten appellauit, melius esse per inferiora, quàm per uomitum lumbricos excludere, & solos magis quàm cum stercoribus. Chrysippus Asclepiadis sectator, libro tertio de lumbricis, solis in celeribus causis, siue periculosis mortuos inquit lumbricos egestos interfectionem ægro portendere: ostendunt enim mortui aciem uehementem inesse, quando magis ægri periclitantur. Sic inquit denique Hippocratem ferri, dicentem suo libro, eos qui in ægritudinis declinatione cum stercoribus egeruntur, nihil graue significare. Sed neque inquit Dioclem Hippocrati contrariam protulisse sententiam, dicendo mortuos uel inanes esse meliores: siquidem hic in febribus solutionum hoc dixisse uideatur: Hippocrates autem mortem significare, sed in febribus stricturæ. Nos uero communiter significari aliquam ex lumbricis dicimus corruptionem, quam lientericis irruentem bonum quidquam portendere iudicamus, de ipsis scribentes docuimus: in omnibus uero cæteris noxiam. Item sanguinolentorum exclusio etiam debilitatem significat: albi etenim, & nondum mutata aut corrupta materia nutriuntur: sanguinolẽti uero uellendo ex ipso sanguine nutriuntur. Item in augmento accessionis febrium exclusi turborem altiorum partium ostẽdunt, & magis si fuerint sanguinolenti: declinatione uero laxamentum, sicut cætera, hoc est stercorum uel urinæ, uel quorumlibet officiorum egestio: etenim laxatis corporibus reddi uidentur: quippe cum quorum adiectio grauet, eorum detractio necessario releuet. Hæc est lumbricorum significatio, sed ob curationem in ijs quos ascaridas uocauimus, si tumor in longaone fuerit constitutus, oportet iniectionem olei adhibere: quæ cum fuerit reddita, erit infusio aut decoctio centaureæ, uel absinthij inijcienda: ac si ramenta fuerint exclusa sanguinolenti coloris, decoctio mali punici corticis, uel gallæ conuenit iniectioni. Aut si perseuerauerit, chartæ exustæ, & auri pigmenti, quod Græci arsenicon uocant, æquali pondere, quod sit in quantitate drachmarum sex, cum succo arnuglosse. Ac si putredo apparuerit, quam Græci me-

nomen

nomen appellant, erit aqua salsa iniiciẽda, atque congrua medicamina, sicut nuper docuimus: ex ijs enim & animalia interficiuntur, & alij trochisci prohibentur, & ulcera cicatricantur. Ac si rotundi fuerint lumbrici, qui nunc stricturæ accidunt, nunc solutioni, nunc ulceribus intestinorum: & nunc in celeribus passionibus, nunc in tardis, quas chronias uocant: nõ ex supradictis, sed sua in corpore alienitate uacantes ex corruptione ciborum effecta, oportebit curationem pro supradicta curari differentia: & si ipsa animalia corrumpenda uiderimus, erunt medicamina adhibenda, aut tanquam aliena, atque indigentia detractione auferantur. Ac si passionibus fuerint appenditia, quæ sæpe generandorũ animalium fuerunt causæ, erũt congrua ijsdem passionibus adhibenda: ijs enim conuictis, etiam animalia interficiuntur. Quapropter si strictura fuerit in corpore, fomentatio competens est adhibenda, atque cataplasma laxatiuum: & si ratio coegerit, phlebotomia: quę singula suis temporibus aptanda probamus. Tum cucurbita adiuncta scarificatione medianis partibus admouenda: ijs enim laxatis sine ulla medicaminum uirtute, atque facile animalia decidunt oleo poto, aut aqua calida, & oleo uel decoctione noxarum, aut glycyrrhizę, cuius libra infusa in aquæ heminas sex, usque ad tertiam partem erit decoquenda: & ijs præterea cibi tempore dari potest sorbile quidquam, ut illud quod Græci appellant oleoptisanon: ex ijs enim & tumentia relaxantur: & animalia, quæ inesse uidentur, lapsu quodam ac desertione tumentium dimissa fundentur. At si solutio fuerit in corpore, erunt constringentia adhibenda, & exercitatius cataplasma, sed ex lupini pollinibus confectum, & aceto cum melle tribus uel quatuor cyathis aquæ commixtis, cum ceruini cornu ferragine aspersa, quam Gręci rhinen uocant, in cochlearis pleni quantitatem, si tarda fuerit passio, quam Græci chronian uocant: quoniam indiget recorporatione, atque lacessentium medicaminum uirtute. Sed in lenimento constituta erit uaria coniectura facienda, quo animalia excludantur. Quapropter adhibenda medicamina, harum partium fomentatio ex oleo ueteri: & apponenda unctio fellis taurini ægrotantis umbilico, uel lanæ ex ipso tinctæ particula: tum cataplasma ex polline lupini conspersо ex decoctione absinthij, aut santonici. Admiscendus denique etiam succus earũdem herbarum. Si uero uehemẽtius oportuerit animalia alia sauciare, conuenit etiam tanquam acriores cibos, & propterea aptos, uel ut in drimyphagia, dare cepã, alliũm, quæ nunc incocta, nunc mediocriter cocta, quo minima eorum uirtus erũt offerenda: nunc enim, urgente lumbricorum exclusione, ijs uti cogimur rebus. Facit idem sinapi exuccatum, uel adiuncto pani comestum. Item nasturtium cum aceto contritum, siue ut Græci uocant, cardamũ, immisso atque infuso pani. Item laser aceto solutum, siue sinapi, quo comedenda tinguantur, uel ouo sorbili admixtus iste liquor detur in oui modo: item absinthium cum uino poto datum. Ac si ulceratio fuerit intestinorum, congrua probamus adhibenda pro ulcerum differentia. Ac si febres non fuerint, neque alia quælibet passio lumbricis confuerit, nihil oportet conijcere, sed ex medicaminum uarietate eorum interfectionem atque detractionem efficere: sunt enim bestiolæ, quæ Græci theridia uocauerunt. sed producenda atque extendenda erit magnitudo curationis pro accidentium modo: & quoniam aliquando sunt in uentre constitutę, quod probatur ex ęgrotantiũ querelis, cum locorum sensus tanguntur: aliquando in intestinis, & necessario quæ in uentre sunt celerius afficit medicaminum cibus ac potus. Intestinis uero, quæ per clysterem fuerint iniecta: nam & ex uentre ad intestina hæc sæpe animalia, & ex intestinis ad uentrem refugiunt. Erit sanabilius ergo, ut ubi apprehenderimus esse copiam lumbricorum, usum primo adhibeamus cõgrui cibi ac potus, similiter epithematum usum seruantes, & cataplasmatum, deinde clysterem. Oportet igitur potum dari absinthij pontici decoctionem, siue marini, aut santonici usque ad modum duum cyathorum uel trium: & nunc nulla alia admixta materia, nunc oleo adiuncto, uel decoctione lupini, aut noxarum cum cornu ceruini ferragine, & laser aqua solutum uel aceto, & admixto sinapi, aut ouo sorbili trãsuoratum. Item alica in qua fuerit infusa aloe, siue ipsa trãsuorata: necnõ etiam trochiscus dandus, qui appellatur picros, uel illa hiera quæ dialoes appellatur: quorum compositiones Responsionũ libris de medicamine scribentes tradidimus. Item cardamum quod nasturtium uocamus, torridum ac tritũ cum aqua uel mulso, aut cum melle in electario datum. Item lupini sicci decorticati atque transuorati cũ melle quindecim numero, uel uiginti: quod si minime quisquam transuorare ualuerit, eorũ polline conspersum atque tritum, quantum tres digiti capere potuerint aquæ bibendum admiscemus, siue mulso aut decoctione noxarum, aut electario admixto melle dabimus. Item gentianæ succum in cochlearij modum cum mulso conuenit dare, atque horum similibus uti uirtutibus. Itẽ absinthium cum uino, & castoreum cum mulso. In paruis uero pueris, quo latere possint, nasturtium frixum siue tritum cum melle atque lacte dabitur potui, uel cõmixtum pani. Iis igitur rebus erunt cibi ponendi: pultibus enim atque sorbilibus conuenit absinthium concoquere, uel similes herbas. Hoc etiam si ficco fico atque pingui, uel palmulis, quas patetos appellant, quę concisę atque immissę, & cibo datę, mederi ualebunt. Faciũt prętere a mora cibo data, quæ uulgo celsa Latini uocauerũt, Gręci uero sycamina. Itẽ ex amygdalis amaris sorbilia cõfecta, quæ Gręci trophemata uocauerunt, & communiter cuncta quę uentrẽ deducere ualẽt. Hinc denique etiã pinnę aridę ueluti atque tritę potui sufficientem modũ miscuerunt. Conuenit etiam urtica, siue sola, siue cum aliqua decoctione confecta: nam ob celebrandam curationẽ uehementer utilia probamus catapotia ex squilla atque chamęlea cõfecta. Sumpta igitur squilla erit acriori aceto concoquẽda, ne fluida fiat. Tum terenda diligenter, ac deinde chamęlea, anchusa atque creta admiscẽda squillę, quantũ res patiuntur, ut ad emplastri ueniat qualitatẽ. Tum facienda catapotia in fabę magnitudinẽ, & pro uiribus ęgrotantis danda, ut fortibus octo uel nouẽ, imbecillis sex uel septẽ, pueris uero tres uel quatuor ex aqua calida. Potest etiã ipsius chamęleę cõcisę atque cõtritę cũ mulso quippiã dari transbibendũ, uel cũ lẽticulę paruo modo sor

bendum: sed pueris obolus unus, maioribus uero oboli duo sunt dãdi. Itẽ fortibus tres. Perfecta tamẽ potio drachmę unius cõtinet modũ. Vtẽdũ prẹterea epithemate circa medias partes ex lupini pollinibus aut melãthio, & decoctione absinthij, aut fuluo liliorum, aut cerotario cedrię admixtis lupinis tritis, aut absinthio, aut agrestis peponis ĩteriora, quæ Græci colocynthida uocãt, cũ melle atque lupinis, aut cẽtaureę uel aloes partibus duabus, & diagridij parte una cũ melle & felle taurino. Erũt prẹterea omnia quę potui ordinauimus dãda, etiã per clysterẽ inijcienda, & magis adiũcto uel admixto oleo plurimo calido, & succis prẹscriptis, quo plurima mordicatione ĩtestina afficiãtur. Ac si lati fuerint lũbrici, erit adhibẽdus uomitus ex oleo, nõ ex radicibus, & alia die clystere utendũ, admixta nitri parte, uel salis. Danda etiã aqua salsa potui, aut glycyrrhizę radicis decoctio, aut similiter incocta glycyrrhiza. Alij uero tres drachmas glycyrrhizæ cũ nitro probauerunt. Alij diagridij obolos tres, cum polypodij herbę drachmis duabus. Alij ex pinnis medicamen confectum. Sed erit semper tentandum, ubi res patiuntur, ut ijs utamur medicaminibus, quæ minime stomachum afficiant. Tum cum sensum acceperint ægrotantes animalium carendorum, ut interpellatione uentris admoneantur, subijcienda erit aqua calida, quo & loca relaxẽtur, & animalia procedant, ne frigore percussa fugiant. Erit prẹterea curandum, ne frequenter hęc animalia renascantur, ut unctione regulari corpora fortificemus, adhibito præceptore, adhibita etiam recorporatione cyclica, quæ fit uomitu radicum, et drimyphagia, & dropace, & sinapismo, & paroptesi, & horũ similibus uirtute rebus.

De mollibus, siue subactis, quos Græci malthacos uocant. Cap. IX.

MOLLES, siue subactos Græci malthacos uocauerunt, quos quidem esse nullus facile uirorum credit: non enim hoc humanos ex natura uenit in mores: sed pulso pudore, libido etiam indebitas partes obscœnis usibus subiugauit, cum nullus cupiditati modus, nulla satietatis spes est, singulis spartanum sufficiunt sua: nam si nostri corporis loca diuina prouidentia certis destinauit officijs. Tum denique uolentes ueste atque gressu, & alijs fœmininis rebus, quæ sunt à passionibus corporis aliena, sed potius corruptæ mentis uitia. nam sæpe timentes, uel quod est difficile, uerentes quosdam, quibus forte deferunt, repente mutati paruo tempore uirilitatis quærunt indicia demonstrare: cuius quia modum nesciunt, rursum nimietate sublati, plus quoque quàm uirtuti conuenit faciunt, & maioribus se peccatis inuoluunt. Constat itaque etiam hoc nostro iudicio, hos uera sentire: est enim, ut Soranus ait, malignę ac fœdissimę mentis passio: nam sicut fœminæ Tribades appellatæ, quòd utranque Venerem exerceant, mulieribus magis quàm uiris misceri festinant, & easdem inuidentia penè uirili sectantur: & cum passione fuerint desertæ, seu temporaliter releuatæ, ea quærunt alijs obijcere, quæ pati noscuntur, iuuamini humilitate duplici sexu confectam, uelut frequenter ebrietate corruptæ in nouas libidinis formas erumpentes, consuetudine turpi nutritas, sui sexus iniurijs gaudent: sic illi comparatione talium animi passione iactari noscuntur: nam neque ulla curatio corporis depellendæ passionis causa recte putatur adhibenda, sed potius animus coercendus, qui tanta peccatorum labe uexatur: nemo enim pruriens corpus fœminando correxit, uel uirilis ueretri tactu mitigauit. Sed communiter querelam siue dolorem alia ex materia tolerauit. Denique etiam à Clodio historia curationis data ascaridarum esse perspicitur, quos de lumbricis scribentes uermiculos esse docuimus longaonis in partibus natos. Parmenides libris quos de natura scripsit, euentu inquit conceptionis molles aliquando, seu subactos homines generari. Cuius quia græcum est epigramma, & hoc uersibus intimabo: latinos enim, ut potui, simili modo composui, ne linguarum ratio misceretur.

Fœmina, uirque simul Veneris cum germina miscent,
Venis informans diuerso ex sanguine uirtus
Temperiem seruans bene condita corpora fingit.
Nam si uirtutes permixto semine pugnent,
Nec faciant unam permixto in corpore diræ,
Nascentem gemino uexabunt semine sexum.

Vult enim seminũ prẹter materias esse uirtutes, quæ si se ita miscuerint, & eiusdẽ corporis faciãt, unam congruam sexui generent uoluntatẽ. Si autẽ permixto semine corporeo uirtutes separatę permãserint, utriusque Veneris natos adpetentia sequatur. Multi præterea sectarum principes genuinam dicunt esse passionem, & propterea in posteros uenire cum semine, non quidem naturam criminantes, quæ suæ puritatis metas alijs ex animalibus docet: nã sunt eius specula à sapientibus nuncupata, sed humanum genus, quod ita semel recepta tenuerit uitia, ut nulla possit instauratione purgari, nec ullum nouitati liquerit locum, sitque grauior mentis culpa, ut cum plurimæ genuinæ, seu aduentitiæ passiones corporibus infractę consenescãt, ut podagra, epilepsia, furor: & propterea ętate uergente mitiores procul dubio fiant: omnia etenim uexantia ualidos effectus dabunt firmitate opposita subiacentium materiarum: quæ cum in senibus deficit, passio quoque minuitur, ut fortitudo: sola tamẽ supradicta, quæ subactos seu molles efficit uiros, senescenti corpore grauius inualescit, & infanda magis libidine mouet, non quidem sine ratione: in alijs enim ætatibus adhuc ualido corpore, & naturalia uentris officia celebrante, gemina luxuriæ libido diuiditur, animorum nunc faciendo, nunc facie iactata. In ijs uero qui senectute defecti uirili Veneris officio caruerint, omnis animi libido in contrariam ducitur appetẽtiam: & propterea fœmina ualidius Venerem poscit. Hinc denique conijciunt plurimi etiam pueros hac passione iactari: similiter enim senibus uirili indigent officio, quod in ipsis nondum & illos deseruit.

CAELII

CAELII AVRELIANI SICCENSIS CHRONION

LIBER QVINTVS.

De ischiadicis & psoeadicis. Cap. I.

A PARTIBVS quæ dolore uexantur hæ passiones nomina sumpserunt. nam uertebrorũ summitas ipsorum initio terminatur, Græci ischia uocauerunt. Item musculos clunium sub spinæ finem ex interioribus atque exterioribus adhærentes psoeas uocauerunt. Generantur istæ passiones nunc ex manifestis, nunc ex occultis causis; ut est perfrictio profunda, uel terrena cubatio, aut casus, uel repentinus percussus, aut iugis atque immodicus usus uenereus; aut quilibet longissimi temporis morbus. Item uehemens abductio, uel raptus in exercitio factus, aut longissimi temporis hæmorrhoidarum fluoris tentus, uel insueta humi fossio, aut cuiusdam ponderis leuandi ex interioribus conatio. Fit præterea in omnibus ætatibus, sed frequentius in medijs. Sequitur ischiadicos dolor uertebrorum: quam passionem multi duplicem ischiada uocauerũt, attestãte grauedine & difficili motu, cõtra solitum morem, & quibusdam cum leui torpore ac formicatione: quibusdam cum uehementi atque pungenti, & feruido dolore, & ad sensum patientis, tanquam serpẽtis conuolutus motus: aliquando etiã cum febribus, ut neque in lecto suam cõuentionem ferre ualeant ægrotantes, & primo in uertebro, dehinc partis suę penetrãs loca, & usque ad mediã natẽ, ac superius ad inguẽ, uel ad ancalen, perueniens atque surã, dehinc etiam talũ, & pedis summitatẽ. Tum cũ passio tardauerit, cessante nutrimento, cruris totius tenuitas fiet, quã Gręci atrophian uocãt, incipiens à clunibus, siue ab inferioribus locis, attestante debilitate, & sæpe cõductis partibus breuitate cruris; aut ultra naturã lõgitudine passionis distensione suffecta, ut in paralysin ueniat, aut ipsius uertebri duratę partes extãtiores fiant. Constringitur pręterea sępe ac retinetur uentris officium, aut cũ plurimo dolore perficitur, ob tensionem atque spiritus retenti percussum, & in itineris pressu, quibus forte permittitur, ut initia motus impediãtur feruore partiũ attestante: ac si perseuerans fuerit motus, facilior fiet: tum rursus subsidunt, uel intenti resistunt repẽte, tanquam fuerant nec dum gressu tentato. Tunc magis uehementem dolorem sentiũt, & ambulãt quidam capitibus digitorum gradientes: alij extenti quidem, sed sinuatis clunibus, ut neque se pronos inclinare ualeant: alij contracti atque conducti, qui peius omnibus habere noscuntur: siquidẽ passio apprehenderit etiam spinæ musculos, & propterea duritia quadam hęc inuasisse uideatur loca. Patitur autem principaliter membrana quę ossa circuntegit, quam Gręci periosteon uocant: item musculorum capita, uel summitatis. Denique augmento passionis intercreatus humor, & frequenti dolore corruptus, in saniem transiẽs partes aliquas collectionis afficit. Sed quoniam plurima supradictorum sequentur etiam eas quæ matricis uexatione afficiuntur, & magis cum eius fuerit inclinatio facta, quam paraclisin uocant, faciẽda est discretio passionum: & primo, quòd matrice patiente in eadem potius causæ inueniantur, atque ex ipsa initium sumant. Psoeadici uero clunium dolore afficiuntur, & tardo motu, ut se renitente dolore nec inclinare ualeãt, ac difficilius & dolentius subrigãt. Plurimis igitur dolor cito cõquiescit: aliquibus uero perseuerat, partes durescunt atque conducuntur. Iis denique usque ad pene cutem unicus sequetur gressus. Si itaque exteriores musculi fuerint in passione constituti, etiã tactu tentati dolescunt. Interiores autem ex interioribus dolorem accipiunt, tanquã in nephriticis cõtingit: quos propterea denique similes discernimus: siquidem alia multa eisdem propria concurrant, quę de ipsis scribentes memorauimus. Psoeadicis autem, atque ischiadicis, quorum nunc curationem scribimus, dolor efficitur nunc iugis, nunc deficiens, ordinatus aut inordinatus, ac lõgis uel paruis interuallis recurrẽs, ac puris, limpidis lenimentorũ uariatus spatijs, aut mediocres reliquias seruans. Vtilem inquit Hippocrates ischiadicis dysenteriam: habet enim imitationis quiddam recorporationis faciũdæ: quanquam plurima uexatione corpus afficere uideatur. Item hæmorrhoidas, uel uarices, ut alij dicunt, laxamenti causa. Sunt autem difficiles curatione magis, qui plurimo tempore fuerint passione uexati, & multis atque uarijs accidentibus signis affecti. In ordine itaque curationis hęc erunt intuenda, ut cũ recens fuerit passione uel ueterata. Sed in superpositionis tẽpore constituta, iacere faciamus ęgrotantẽ mollioribus stramentis calido in loco, adhibita abstinẽtia & requie usque ad primam diatriton. Tunc lanis mollibus ac limpidis oleo calido dulci prætinctis dolentia loca contegenda. Adhibẽda etiam fomentatio iugis ex oleo dulci calido. Item uaporationum commutatio, sicut in multis docuimus scribentes, & phlebotomia tempore consueto, atque ex brachio dolẽti parti è contrario, uel plurimum dolenti comparatione alterius. Ac si æqualis in utraque fuerit parte dolor, ex eo in quo fuerit facilior uena, erit detractio facienda. Si neque hoc occurrerit, ex sinistro brachio adiutorium adhibẽdum: siquidẽ minus officijs domini necessaria pars esse uideatur: nisi forte sinistri, hoc est scæui fuerint ægrotantes. Tum tertia die adhibenda perunctio ex oleo dulci atque calido. Dehinc ora lauanda; cibus dandus nutribilis, calidus, tener, tanquam stricturę cõueniens, & potui aqua calida usque ad declinationis tempus. Seruanda etiam cibi alterna dierũ oblatio. Tunc cessante dolore resumptio adhibenda. Perseuerante uero alia diatriti tempore, adhibenda iniectio ex decoctione foenigræci seminis, aut lini, aut

hybisci,quam Græci althæan uocant : quo pariter fota atque uaporata interiora laxamento consentiant. Admiscendum denique oleum calidum. item succus alicæ uel ptisanæ,uel oleum solum, aut admixto adipe anserino,uel gallinaceo inijciendum,uel iis quidquam simile consolutum. Ac si uenter fuerit abstentus,erit mulsum inijciendum. Tentanda denique & properanda sequentibus diebus facilitas uentris:quo conuenit,si hoc minime perficere ualuerimus, etiam linozostin herbam nunc solam cibo dare,nunc adiuncta malua: item agreste coliculum. Sed fugienda prædicimus quæcunque fuerint uehementiora,quantum quidem res admittunt,ut diagridium,helleborum nigrũ,chamęleę semen, quod Græci coccum Cnidiũ uocant,agaricum,agrestem peponem,quem colocynthida dicunt,singularia uel cõiuncta. Item hiera,quã dia scammonias appellant,ne plurima uexatio pro parua commoditate sequatur : nam post fomenta conuenit cataplasmata adhibere : quorum confectiones atque species sæpe conscripsimus. Ac si permanserit dolor,adhibenda scarificatio. Hirudines etiam adhibendæ,quas Gręci bdellas appellant. Hoc quidem secũdo uel tertio faciendum,si causæ poposcerint. Tunc uaporatio spongiarum ex aqua calida,uel aliqua decoctione laxatiua uirtute mitigantium materiarum adhibenda,quarum iam sæpe species memorauimus. Ex ipsis quoque encathismata facienda. Item cerotaria dolentibus apponenda partibus ex oleo pingui,uel cyprino,aut sicyonio,uel ex radice hybisci cõfecto,aut irino,aut malo batrino,singularibus atque cõmixtis. Ac si duritia emerserit ad miscendum adipem,aut medullam ceruinam,uel bubulam,aut melilotum,aut hybisci radicẽ percoctã in mulsa,ac diligenter contritam,aut decoctionem eiusdem hybisci,uel fœnigræci, & lini seminis triti in mellis crassitudine confecti. Ac si difficile passionem declinare uiderimus,erit embasis adhibenda ex oleo,& aqua calidis. Tum cum fuerit plurimum minutus dolor,uarius offerendus est cibus, ex mediæ qualitatis materia . adhibendum etiam lauacrum, dehinc lene uinum:tunc malagmata partibus in passione constitutis,ut diachylon,uel mnaseum,aut dioxeleum , uel nileos. Item unctiones quæ mitiganter emolliant,& neque perfrigescere partes permittant. Cerotaria quoque limpida,aut diasam sucum acopum,aut irinum oleum,aut samsucinum. Ac si passio fuerit tarditate inueterata, & plurimo tẽpore perseuerans,& in lenimento constituta,si hoc limpidum uiderimus, lenimẽtum erit pro modo permanentis doloris curationis facienda moderatio:tũc enim conuenit motus quidem, sed fertorio lecto,dehinc cathedra uel sella usque ad inanem penetrandus,sicut in phlebotomandis facimus : sed ab umbilico inferius ijs qui leuius afficiuntur,præcauentes uenarum diuisuras, ac deinde muliebri catethere liquorem detrahimus,qui sępe aquosus,sępe fuluus,aut sanguinolentus,uel spumosus excluditur : quod quidẽ etiã ante factam diuisuram plerique futurum signis apprehendere uoluerunt : quorum alij talem fore dixerũt, qualis urina fuerit ægrotantis : alij qualis color apparuerit cutis : alij quolibet uiscere patiente sanguinolentum : non patiente uero ex causa auidissimi potus hydropismo concepto , uel salis potu mundum atque perspicuum liquorem fore. Sed hęc pręter quod falsissimę sunt opinionis,etiam ad mutationẽ chirurgiæ inutiliter quęsita uidentur,nisi solum quod recte probamus,per catethera liquorem,si res patiuntur, semel atque eodem tempore omnem auferendum. Sin uero aliqua obstiterint,post primã detractionẽ mo tarium aqua infusum supra diuisuram res implicantes,spongiam desuper mollem apponemus: ac deinde leui fasciola amplexo loco paululum differimus , quo turbatio corporis resoluatur : ac deinde resumpto ægrotante eodem die residuum detrahimus humorem:sin minus, alia die manibus comprimẽtes subiectas partes congrue ægrotante locato , hoc est schemate competenti . Ac si forte rursum confluente humore fuerit repletus,uel uirium debilitas prohibuerit,eodem tempore totum detrahi , tunc interiectis duobus diebus,uel quantum uires permiserint,residuum retrahimus,sed alio in loco diuisuram facientes:uel si rursum oportuerit,tertio: etenim prima diuisura seruata distans aut cohærens soluta tumores uel consensus ingerit uehementes. Tum perfecta humoris detractione,neque abstinentia utemur,ut Asclepiades: neque plurimum damus cibos,sed pro modo uirium: etenim abstinẽtia omni ex parte adhibita uires uexat: quippe post plurimam detractonem. Multi item oblatio cibi grauans opprimit corpus potius,quàm resumit. Erunt autem ante cibum sensim perungendi atque reficiendi facilibus,& poto sufficiẽti . Ac si dolores aliqui emerserint,uaporationibus soluendi,atque cataplasmatibus mitigandi. Tũc indulgentia relaxatis,uel forte non emergentibus, adhibemus ea quæ tumorem fieri non sinant , & superimpositis spongijs conligamus. Transacto tumoris metu magis uentris folliculum uel cutem intestinis cogimur adserere, atque similiter cætera quæ in tumore fuerant cõstituta,ut nuper docuimus. Aegrotantes pręterea nauicula exerceri hortamur,& paulatim recorporatiuæ subijcimus curationi. Ac si neque ita fuerint resoluti, utemur helleboro ijsdẽ curationibus insistẽtes,donec corpus repetat fortitudo,atque dẽsior uel coacta noscatur attestante rubore. Hęc est secundum methodũ hydropum curatio. Plurimi autem earum sectarũ principes,atque nostrę ueteres,nihil ueri curantes,ac magis contemptu quodam astructiones corporũ aspernãtes,solius detrahendi humoris intentione traducti,quoquo modo id perficiendum crediderunt , immensa siti atque fame ægros afficientes,corpore concauo pectine decurso:& mille præterea urinalibus medicaminũ, quę diuretica uocant, uesicam cõmouendam probant,& uentrifluis potionibus,quæ catartica appellant,uentrẽ prouocandũ dicunt cocco Cnidio,atque lepida cyprina,& chamæleæ & hippophaę herba,& ex crotonibus confecto oleo cicino:item neoro. Ex quibus cunctis stomachus uexatur,atque cibi appetitum amittit,sitis incẽditur,corpus defluit, sanguis corrũpitur,atque humor detractus renascitur,uires auferuntur:siquidem neque potestas moderandæ detractionis sit in artificis manu. Itẽ quidam tanquam siccabile humoris ophitẽ lapidem ligauerunt,expertis ægrorum salutem credentes. Singulatim denique nobiliũ medicorum historiã ordinamus. Herodicus igitur,ut Asclepiades memorat,uẽtris adhibet purgationem,

nem,

nem,atque post cœnam uomitus,qui sint implebiles potius,quàm siccabiles. Tunc uaporationibus tepidis aceti decocti exhalatione cōfectis utitur,uel aquę marinę,admixta thallia herba,atque hysopo,& ijs similibus,uesicis bubulis repletis corpus uaporandum probat,uel alijs quibusque maioribus inflatis tumentia loca pulsari iubet: sic etiam antiquissimus Euryphon. Hippocrates uero libris,quos ad sententias Cnidias scripsit,magis utendum dicit egestate atque uaporatione,& continentia:& danda sicca uel arida quęque & acriora mandenda.si enim ęquibilis ęger fiat,hoc est urina facilior,ac si spiratio difficilis fuerit, quā dyspnœan uocant,& tempus ęstatis,& ęstas media,dicit ex brachio phlebotomandos:& post detractionē factam dat panem calidū uino infusum atque oleo,& carnem suillam ex aceto decoctā. Dat etiam cantharidas tres detracto capite,& pedibus,& pinnis in tribus cyathis aquæ cōtritas:sed neque quo tempore exercitio utendum sit manifestans:neque usque quo mandenda sint acriora,uel quando uaporationes adhibendæ. Dehinc si phlebotomare oportuerit,non solū æstiuo tempore,ac media æstate, sed etiā omni tēpori atque ætati conuenire probamus. Est præterea importunum uinum,ac repugnans eo tempore commodis phlebotomię. Item cantharides humorē commouent:carnis quoque offerendę tēpus significare neglexit. Diocles libro quo de passionibus & causis,& curationibus scripsit,siccādos inquit, ac mediocriter uaporandos,& deambulationi tradendos ægrotātes,& plurimos sudores cōmouendos,uel uomitū & urinā prouocandam diagridio,& apij semine resoluto succo herbæ saluiæ. Itē cardamomū, quantum uentrē ualeat semel deducere,& in aceto panem,solutum,& piscem salsum,uel pisces elixos & assos, uel silurum piscem,olera,radices,allium,origanum,rutam,satureiam,uinum album,& non aquatum,& ferarum carnē in deambulationibus uentrem iubet contineri,cęteras corporis partes defricari,exceptis cruribus. Sed hic quoque communi cæterorum subijcitur accessioni: solum prædamnamus, quod humorem detrahens purgatiuis atque urinalibus medicaminibus,& uomitu,& sudoribus prouocatis: quibus ex rebus sudor mouendus sit,tacuerit,uel uomitus. Itē deambulatio sæpe laboriosa,& piscis silurus bromosus, & allium inflabile,& plurima ferarum carnium malos habere succos probantur. Inde item,quę sint olera deligēda, memorare neglexit:& neque fortificari uentrificationē,uel crura aut totum corpus recte potest,cum nullū modum uel tēpus memorauit. Praxagoras secundo libro Curationū cataplasmatibus utitur, & malagmatibus sudorē mouentibus,& urinalibus medicamentis alijs atque alijs,& uentrē deducētibus. Similiter cono,& folijs hederæ,& semine coliculi agrestis,aut nasturtij,aut centaurea,uel allio,pipere, & pseudodictamno,aut dauco,& chamępitys herbæ,& petroselini semine,uel graminis,uel quolibet horū similium,& sudorum diurna prouocatione corpus deducit. Vtitur uomitu non solū ieiuno,uerum etiam post uespertinū cibum,et ęgros plurimum potat,ex quibus sensuales uię implentur. Vtitur etiā cataplasmatibus aromaticis,quorum species non designat,sed solum cum moromeli, uel lini semine adhiberi iubet, uel malis cydonij,aut caricis,uel adipes, & aqua,aut uuæ lupinæ,uel apij succo: equidem uirtutis repugnatione omnia cōfundens: siquidem alia sint constrictiua,ut mala,alia laxatiua,ut plurima cęterarum specierū. Deinde post oris collutionem sorbiles dat cibos, quibus uentrem facilem se facere pollicetur: item potum repugnante mordicatiuo: dat enim acetum uel poscam,uel ijs rursum contraria,ut mulsam,quibus confusa regula etiam secundū ipsum approbatur. Erasistratus libro quo de hydrope scripsit,deambulationē ordinat adhibendam prius,quàm aeris æstus ardescant,tanquam curans. Sed si uentris inquit facilitas nō fuerit,prohibenda medicamina atque legumina,& olera,cum sint plurima olerum quę molliant uētrem, sine ulla corporis uexatione. Item plurimo cibo ægros nutriendos probat,cum sit ex paruo sæpe indigestionis metus.si neque,inquit,uenter fuerit motus,adhibendum clysterem,simplicē,hoc est,qui nulla sit acriori materia confectus:cibum partitur cibo uel cœna,& ante uesperam ęgros deambulatione moueri iubet. Tunc initio noctis reficit,quando etiam sanis metus est digerendi. Post cibum præterea perungit in lectulo,& certo numero utitur fricationum:dat catapotia medicaminū ante utrāque cibi refectionē in faui modo pro uiribus ægrotantis,neque plus decē,neque minus quinque numero,& eorum materiam tacet,solū memorat quod iecorosis hæc catapotia congrua uideantur,atque ad urinales partes uenientia plurimum faciāt mictum:tum post catapotia dari iubet cibo panem ex farina sesami,& salsum obdulcatum, ne sitim faciat,non discernens tempus drimyphagiæ:tum inquit dandos pisces,atque carnē gallinarū,uel ferarū, & agnorum,& hœdorum,& sorbilia plurima cū melle uel lacte:non aduertens lactis & mellis qualitatem in corruptionē facile uenire:nunc dat potum paruum,& nō post prandium,sed post uespertinū cibum hoc conuenire dicit,ut etiam similiter memorat Philistionis frater: probat etiam ante alios cibos accipienda aridi fici pingnia duo uel tria, mox contusa atque oleo tincta. Sed hæc omnino digestione difficilia iudicantur. Prohibet præterea lauacrum, uel plurimo temporis interuallo permittit:& non designat, quod illud, uel quantum sit tempus. Vtitur etiam malagmatibus cataplasmatibus, cum somno cubauerint ægrotantes:non tamen designāns eos, qui coaceruatam ac uehementem humoris detractionem reprobant, quam Græci cenosin uocant, & propterea etiam paracentesin, quod quidem congrue dictum superius docuimus. Item tumore in iecore constituto, attestantibus febribus ob tumoris medelam cataplasmatibus utitur ex malis cum uino,constringens ea quæ laxamentum poscere uidentur, & à digestione facienda ex fici atque chamælea & chamæpity utitur cataplasmatibus. Item ad eliciendum quidquam in locis constitutum utitur diapegano,quod ex ruta conficitur,& nihil de temporibus memorat adiutoriorum. Asclepiades etiam libro quo de hydrope scripsit paruo humore collecto,siue plurimo, necdū tamē pedibus aut cruribus infuso, athletarū regulam adhibendā probat,ex plurima deābulatione atque cursu,& refricatione retento spiritu. Tunc cibo dandum panē diligenter elaboratū atque exercitū

cum piscibus natura duris. Ac si inferiores humor occupauerit partes, plurimos prohibet motus, & medicamina uentriflua atque urinalia. Vtitur autem paracentesi, sed omnino ex angusto atque paruo foramine. In leucophlegmantia uero fricationes & cataplasmata frigerantia ex malo cydonio, & murra, & uitis anulis, quos helicas uocant, & malo punico, & lenticula, & herbo, atque pulento ueteri, & alumine, uel ruta, & bulbo, & melle, & origano, & thymo, & nitro, & caricis, & ex uesicis illisionem adhibendā probat. Laudat etiam punctionem quatuor digitis à talo distantem faciendam superius ab interiore parte, sicut in phlebotomia seruatur, ut per eandem punctionem humore effuso corpora releuentur: si minus, scarificatione altiore utendū referens, scilicet uehementiore atque efficaci adiutorio, & neque declinans uulnerationes, quæ necessario in huiusmodi passionibus difficiles curatione probantur. Socrates Chirurgus omni ex parte diuisuras faciens easdem adussit, extemplo corporis ingerens raptum, quem Græci spasmon appellant. Themison secundo libro Tardarum passionum utitur gestatione & defricatione, atque exercitio, uel communiter regula exercibili, salibus ac nitro fricans corpus, & frigida perfundens: ex quibus non æqualiter adficit: membra quippe cum interpositis tribus uel quatuor diebus aqua marina feruenti perfundat. Item iubet post gestationem tribus uel quatuor cyathis uino mixto ægrotantes potari. In ordine, inquit, medicaminum, non designans quem esse uelit ordinem medicaminum, aut nutrimenta digestione difficilia. In uespertino inquit cibo utendum, mediocri potu, ut nec sitis ęgros afficiat, neque plurima liquoris ingestio, sed uinum eligat acrioris uirtutis, & neque confusum: sed temperandi moderationem tacet, ut mediocriter quidem dicat quod est impropriè dictum: etenim extendit temporandi moderatio neruos, nocet, & ingerit sitim. Prohibet præterea idem uentriflua medicamina atque urinalia, quę catartica atque diuretica uocant, & per singulos menses ternos radicum ordinat uomitus: sed erat regulæ medicinali conueniens ad lenimentorum latitudinem, siue spatium uomituum designare quantitatem. Vtitur etiam in utroque talo scarificatione, ut Asclepiades. In ascite uero initium ex uomitu sumit, quē helleboro faciendum probat: Si, inquit, metuerit quisquam radicum uomitum, & est præceps, atque ut ita dixerim, periculosum non medicatum corpus magno adiutorio discere: aliam quoque regulam similem dicit ordinandam, sed passionis initio neque ungentis tangi, neque fricari uentrem permittit. Cæteras autem corporis partes si multa, inquit, fuerit humoris infusio, defricandas, initium ex uentris finibus augēdūm curationis modum: sed oportebat ob æquandum corpus totum fricatione curari. Item interpositis quatuor uel quinque diebus aqua calida, & magis marina tribus uel quatuor uasculis foueri: sed neque hoc æqualiter. Item ante unctionem utitur sinapismo: post singulas gestationes lambendam dicit scillam in electarij uicem: & si plurima fuerit humoris infusio, utitur paracentesi. Sed primo die, si uires patiuntur, abstinet cibo. Quod si minime ferre potuerint ægrotantes, partem tertiam panis solitæ quantitatis aqua infusam offerendam dicit. Tum alia die articulos ungens, atque ora lauans, simili panis reficit modo, cum pulmento uolantum: cæteris quoque diebus omni æqualitate augens, atque ægros resumēs. Thessalus autem secundo libro Regulari plurima Themisonis similiter probat, sed quinque uel tribus cyathis uini aqua temperati, ante cibum potat ægrotantes, & paracentesin prohibet, * tanquam Apollophaniō, aut diaephorbium. Vtile plerique ueteres huic passioni etiam macerinos emplastrum memorant. Item icesion usque ad quinque dies imposita linquentes laudauerunt. Cōuenit recorporationi etiam solis igniti uaporatio. Oportet autem saccellum linteum implere sale torrido, & apponere patientibus partibus. Tunc superaspergere aquam salsam calidam, & superimponere cauteres latos, aut ex igne repletum congruæ latitudinis: sic enim calefacto saccello instillans humor, & cum feruore acerrimo decedens, atque artus singulos inuadens, quos Gręci poros appellant, lacessendo demutant, recorporatiua sine dubio uirtute: facit enim tanquam de sinapismo partium ruborem, quem Græci phœnigmon appellant. Prodest denique etiam ex oleo rubor effectus hoc genere farina conspersa, atque manibus exercitata, quo facilior fiat, erunt partes in passione constitutæ circulatim ambiendæ, cuius spatiū, siue medium oleo replendum. Tunc cauteres longi atque igniti immittendi, qui quidem cutem tangere minime debent: hoc faciendum alterna uice, donec oleum calefactum feruorem corpori tradat. Iubendum pręterea ægrotanti, ut se immobilem prębeat, cum oleum summo feruore coierit, ne se mutando adurat. Tentandum denique etiam cauteres sine olei motu submittere, atque lauare supposita spōgia statim, ne distillatione cauteris uicinæ partes adurantur. Tum cum mediocrem senserit ęger ustionem, ei uas erit supponendum, uel adiungendum, ut se repente inclinando unam faciat olei refusionem, ne uicinantia usta pustulentur: alij cacabuli, uel uasis fictilis fundum perforantes, labia uel ora pertusuræ patientibus locis adfixerunt, supradicto more farina conspersa circundantes, sic oleo cacabulum impleuerunt, cætera supradicto ordine gerentes: alij usque ad ustionem uaporibus igneis usi sunt: alij diuersis generibus pustulationem locorum faciendam probauerūt, uel extemplo escharas patientibus ingesserunt partibus aliquando solo sinapi cataplasmantes, quo superficies cutis pustulescant. Item sinapi admiscentes glebæ calcis æquis ponderibus & sulphuris partē, atque simul conterentes, paruo oleo & aqua admixta linteolo illita, prostrato alio linteolo tenui eidem parti quam curamus superimponemus illitum, quo sensim atque per triplicem materiam transiens uis medicaminis pustulationem faciat loci. Item non aliter etiam ex cinere salicis hæc facere poterimus: eius enim corticem inurentes, atque ex eius cinere puluisculum facientes in umbra siccari sinimus, tunc locis præulceratis adponimus, super distillantes liquefactum calcem, quam uulgo colatam uocāt, sed paulatim. cum enim fuerint humectati puluisculi, cutis superficiem pustulabunt. Quod si quisquam plurimū perseuerauerit, etiam altiora inusta putrescunt, &, ut Græci appellant escharam faciunt. Alij denique ex radice

dice

dicæ herbæ, quam struthium uocant, loca ulcerari præcipiunt: usta etenim radix concepta flamma cuti apposita pustulationem necessario facit. Sed alij hanc ustionem tanquam imbecillem reprobantes cauteribus aiunt faciendam: quos quidem primo tepidos probant apponendos, donec cutis pustuletur, tunc igneos: sed ijs omnibus interiecto spatio trium digitorum loca dicunt inurenda, & esse cauteres semper aduncos in modum gamma literæ. Sed alij hanc appositionem metuentes anchistris ex utraque parte cutem prætendunt, & inter eos cauteres imponunt, ne ulla ustione nerui tangantur. Alij ligneos fungos interius ac superius angustos formantes patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt cōcremari, donec cinerescant atque sponte decidant: est enim hæc ustio leni penetratione moderata. Item alij linteolum aqua tingentes partibus resimplicatum apponunt. Tunc tabulę tiliari apponentes struthiū herbam concidunt in breues particulas, ac deinde ferramento igneo singulas partes oleo tingentes accensas imponunt tabulæ scilicet tiliæ: hoc secundo uel tertio facientes per interualla, donec materia carbone fiat, atque pustulas cutis efficiat. Item alij, ex quibus sunt Demetrij sectatores, eius partis quæ patitur manum inter pollicem & demonstratiuum digitum, quem Græci lichanon siue dicticon iuxta inferiorem articulum inuolutis inurunt cauteribus: quos quidem nunc nudę cuti apponunt, nunc præmisso linteolo oleo tinctos. Modum autem ustionis constituunt, cum in alia manu, hoc est quæ sit contraria parti patiēti sudor emergens apparuerit. Tum post supradictas ustiones imperant ulcera reseruata in saniem prouocari. Alij denique statim lana succida eadem contexerunt loca: alij marrhubij coma contrita cum sale uel oliua nigra, aut sesamo infuso, siue nucibus. Tum tertia die lenticula multa, atque mulso decocta, donec ulceris cadat eschara. Tunc œnomeli aiunt imponendum, uel ea quę ualeāt lacessendo puris exitum prouocare. Item florem æris cum nigro helleboro apponunt: & quidem aliqui releuantur interuenientis recorporationis causa. Sed quoniam istiusmodi ustionibus plurima uexatio coniuncta est, erit melius alijs adiutorijs mederi. Ausi sunt præterea quidam etiam Venerem adhibere, in ijs qui non ex usu uenereō ischiadici facti uidentur, quo magis uexata neruositas geminet causam. Item alij cantilenas adhibēdas probauerunt, ut etiam Philistionis frater idem memorat libro XXII de adiutorijs, scribens quendam fistulatorem loca dolentia decantasse: quæ, cum saltum sumerent, palpitando discusso dolore, mitescerent. Alij denique hoc adiutorij genus Pythagoram memorant inuenisse: sed Sorani iudicio uidentur ij mentis uanitate iactari, qui modulis & cantilena passionis robur excludi posse crediderunt. Item plurimi ex talo atque ancala eiusdem partis quę fuerit passione possessa uenam diuidentes sanguinem detraxerunt: sed magis partes impletæ grauantur, cum repente uacuata loca in semet materię fluxum inuitant. Nobilium uero principum Hippocrates libro quo de locis cōscripsit, cucurbitam iubet sine scarificatione apponi. Vtitur etiam feruentibus medicaminibus potis: quę, si essent uere congrua passioni, minime tamen ad excludendam uetustatem ualere crederentur. Diocles libro quo de passionibus atque causis & curationibus scripsit, item secundo libro de curationibus, regulam dixit siccam & frigidam & nutribilem ægris conuenire, cum humida atque calida prodesse huic passioni demonstrauerimus. Vtitur etiam urinalibus medicamentis, quę diuretica appellauit, & probat conditum bibendum, quod plerique Latini mulsum uocāt. Vtitur etiam cibo è uisceribus asinorum, & clysteribus sanguinem prouocantibus, & uino nunc albo, nūc nigro, neque ordinis, neque temporum, neque congruę qualitatis memor. Item Themison secundo libro Tardarum passionum in quibusdam peccare perspicitur, phlebotomans talum uel ancalen, atque lanis succidis cum oleo & aceto, & sale statim patientia contegens loca, articulos astringens, & intestina per clysterem exulcerans, & os ipsum quod ischion Gręci uocant. Ante hęc omnia & equitare imperat ęgrotantes, quo magis ob uehementiam motus partium faciat uexationem. Item alternis sinapizat diebus, quod est immoderatum, & in omnibus ulcerationem cutis existimat faciendam, qua plurima congrua prohibētur adiutoria adhiberi, cum partes ulceratę apposita tolerare non possint. Thessalus uero uaporationem faciendum improbe recusauit: est enim recorporatiuę uirtutis, neque initio recte constrictiua probat adhibenda: etenim ischiadica passio uehementi atque difficili strictura confecta perspicitur.

De articulorum passione, quam Græci arthritin uocant: & de pedum dolore, quem podagram appellant. Cap. II.

VTRAQVE passio à parte corporis quę patitur nomen accepit: altera communiter ab articulis omnibus, altera specialiter à pedibus. Sed podagram Græci etiam ab impedimento, uel retentione pedum aiunt nominatā, uel à ferali dolore: siquidem omne quod immite fuerit, abusiue agreste uocamus. Earum denique passionum discretio promptissima atque manifesta esse perspicitur: nam podagra pedum tantummodo dolor est. Arthritis uero etiam cunctorum articulorum, siue multorum, & aliquādo à pedibus sumens dolor exordium cęteros articulos implicauit: aliquando in alijs incipiens pedes inuasit: nā quidam medici arthriticam passionem genus uocant, podagricam uero speciem: etenim quod Gręcis hamarthritis recte nuncupatur: siquidem fit in articulis dolor, quāquam in pedibus constitutus: arthritis uero non ilico podagra dici potest: siquidem genua uel manus tenens gonagra aut chiragra, uel tenontagra dici potest, si maiores tenuerit neruos. Sed de ijs nominibus quę locorum causa discreta uidentur, unius tamen esse uirtutis intelligantur, in curationibus certandum non est: sunt enim harum passionum antecedentes causę uarię, ut uinolentia, frigus profundum, cruditatio, libido uenerea, labor immodicus, uel repentina desertio solitę exercitationis in ante actum morem: aut rursum non ex infantia, sed secunda & se-

ra ætate affecta, cum mollibus neruis atque insuetis fuerit illata quassatio. Item percussio antecedens ex palæstra forti exercitio: frequentat autem in uiris magis atque medijs ætatibus: difficile uero in mulieribus atque in eunuchis, & pueris, & iuuenibus fieri inuenitur. Videtur præterea plurimis antiquis medicis etiam genuino cursu in posteros migrare cum semine, & propterea succedētes inuadere, de qua re principaliter Responsionum docuimus libris. Item per aliquas probatur frequentare regiones, ut Cariam, & Alexandriam Aegypti uicinam: nec non temporibus certis nasci, item magis asperari uidetur, ut primo uerno, secundo autumno, tertio hyeme, æstate uero difficile. Sequitur autem passione articulari tentatos, torpor, atque formicatio eorum articulorum qui tanguntur, & difficilis flexio, atque rursum extētio. Item grauedo & uacandi dulcedo, & ad paruum motum uehemens labor, atque dormientibus sensus quidam resonantium articulorum, & cum de somno surrexerint, ueluti saltu earundem partium afficiuntur. Tum horror uel rigor, atque tremor sine ulla manifesta ratione partium sequentur. Dehinc cum passio se extollere cœperit, in podagricis dolor alterius pedis, aut utriusque cum punctionibus nascetur, incipiēs à uestigio aut plantæ cauitate, uel sæpius à maiore digito, attestante torpore & grauedine, & difficili motu cum horrore rigido, atque inæquali per membra, & aliquando plurimo feruore, aliquando frigore: ut alij refrigerantia, alij calida desiderent ægrotantes, & propterea quidam alteram calidam, alteram frigidam podagram putauerunt nuncupandam. Item initio, ut sæpe contigit, similis color patientium atque sanarum uidetur partium, attestante æqualitate, nullo emergente tumore. Dehinc inflatio partium fiet cum rubore. Quapropter releuatio altiorum sæpe sequetur. Tum peiorante passione arthritica sufficitur passio, cum in unum omnium cogitur articulorum consensus, & facile ex articulo in articulum uenit dolor, nec desinens prius, quàm cunctos inuaserit nodos. Sæpe denique prioris articuli dolore declinante secundus inuaditur, atque eodem similiter mitescente tertius sumit exordium, consentiente etiam uesica atque spinæ maioribus neruis, quos tenontas appellant, & in stomacho etiam nausea uel uomitu iactantur ęgrotātes. Tunc articuli tumentes inflantur, ac deinde durescunt, & solidati saxeam faciunt qualitatem. Tum etiam nigriores efficiuntur, atque contorti, ut in obliquas partes digiti uertantur, aut reflexi supinentur, aut uicinis adfixi incumbant, & aliquando humore purulento uel mucilento collecto, aut uiscoso generēt poros, quos nos transitus dicere poterimus: dehinc etiam lapides sufficiant, qui quidem articulos soluant, & cutem distendant, atque erumpentes promineant, & chirurgia detrahantur: aut exilientes cyathis, quo ferramenti tollantur, quod nos laureolum dicere poterimus, & rursum renascantur. Tum crura dolentiū partium cessante nutrimento tenuata languescunt, & arida efficiuntur. Erunt præterea ægrotantes paruis ex causis mobiles atque iracundi, siquidem motum uel actum non sine querela accipiant. Principaliter autem hæc passio constituitur in neruis, uel eorum colligationibus, tum cætera morbo consentiunt, atque contiguos uel superpositos lacertos, & maiores neruos pati demonstrant. Est præterea passio non facilis curatione, & aliquando magnitudine insanabilis, non ut plerique putant naturæ: causæ autem difficilimę curationis, uel ut sæpe contingit impossibilis, manifestę atque plurimæ reperiuntur: est enim passio in neruis constituta qui sint natura densissimi, & inter articulorum nodos constituti, quorum angustia comprimuntur, & ad omnem motum asperantur magis in pedibus: ij enim plurimas conligationes nodorum naturaliter habent, & totum corpus sustinendo laborat. Pręterea hæc passio initio paruitatis causa negligitur, & contempta conualescit: quippe cum à multis minime credatur emergere. Alij denique digiti luxati, aliqui pedis uersionem, aliqui cuiusdam rei calcatæ, uel offensæ duritiam aut feruorem queruntur: tum necessitate coacti augmenti temporibus in confessionem ueniunt ægrotantes. Ob hoc igitur passio perseuerare, atque corpora possidere meditatur. Non autem minus etiam longorum lenimentorum causa, quibus recessisse putatur, cum sanos ęgrotantes fingendo promittit, adiuuante etiam intemperantia, qua cum sæpe concipi passio perspicitur, manere posse non dubitatur: quod dicam diatrito, si uenter officiū non agnouerit, clyster adhibendus simplex: atque ita totius passionis statu accepto, ut inflata uel tumentia loca uideantur, scarificatio adhibenda: & ubi permiserint partes, cucurbita figenda, uel hirudines admouendæ. Est autem omnium leuior præter cucurbitam scarificatio: siquidem nulla quassatio partium fiet, quæ necessario cucurbitę coniuncta est. Item hirudinum morsibus consensus adiungitur: & propterea, ut supra dictum est, simplex conflatio lenius probatur. Adhibenda etiam uaporatio spongiarum, tū aquę calidæ fomentatio, uel aqua & oleo, aut decoctionis fœnigræci, aut lini seminis, uel hybisci. Item cataplasma mitigatiuum, quod iandudum minime posse adhiberi uidebatur: siquidem tumentia pondere grauari non debeant. Sit igitur panis diligentius emollitus, solus, aut admixta radice argallici, quod Gręci symphyton uocant, uel hybisci decocta, uel cuiusquam similis uirtutis, quorum probauimus adhibendas uaporationes. Tum cum firma declinatio fuerit constituta, adhibenda lauacra, atque uarius cibus, & aqua potu danda, & propter passionis nequitiam adhibenda etiam cerotaria ex oleo dulci uel cyprino, aut ex adipe confectum medicamen, quod Græci diasteaton uocant: tunc malagma diachylon uel mnaseum, aut quod appellant diateleos, uel dioxeleon, uel diathalassestum: paulatim fortificandum corpus deambulatione liberis calciamento pedibus, & cum cautione aduersantium rerum, ut ne quid nimis, maxime uini, aut indigestionis, aut Veneris. Arthriticis uero conuenit etiam digitis ceram emolliendam dare, uel manipulos tenendos, quos palęstritę alteres appellant: tum mouendos cereos, uel ligneos primo cum paruo plumbo interfuso: tum pro modo profectus grauiores, & in tardante passione superpositionis tempore supradicta seruanda simplicitas curationis. In lenimento uero adhibenda fortificatio, tum recorporatio. Sit igitur primo gestatio pro modo uirium, tum deambulatio molli stramine coæquato solo,

adiecto uocis exercitio, cum corporis unctione: etenim uacatio crassificat corpora, adeo etiam & in ijs qui
ex alijs forte plurimo tempore iacuerint causis, hac ratione articuli commoueantur, cum nerui non exer-
citi ualidiores efficiuntur. Adhibenda etiam lauacra per interualla dierum, & uarius cibus ex mediæ mate
riæ qualitate, uinum paruum, liene, & semper post cibum: tum dropax simplex atque compositus, paro-
ptesis ex igni uel ex sole, atque pellibus feruefactis, & ex arena litoris: tum aspergines, quas Græci sym-
pasmata uocant, ex nitro & adarce, & euphorbio, & sæpe memoratis speciebus: tum unguenta & acopa
ex squilla confecta, & agresti cucumere: item euphorbio, & adarce. Dehinc malagma adhibendum, ut est
quod appellant diahalon, aut diadaphnidon, aut diadarces, aut diastactes conias, uel quidquam similium.
Item rubor cutis ex sinapi faciendus, quem Græci phœnigmon appellant. Item drimyphagia, & cyclorũ
regula, & radicum uomitus, & hellebori, & embasis facienda, sicut de ischiadicis scribentes memorauimus:
uel fomentatio ex decoctione artemisiæ herbę, aut marinæ feruentis aquæ. dehinc natatio feruens uel frigi
da. Item usus adhibendus aquarum naturalium calidarum: tum frigidarum, ut sunt in Italia quæ appella-
tæ sunt Albulæ, uel Cotiliæ: & omnium supradictorum affectanda repetitio. dabit enim curatio alijs in-
tegram sanitatem, alijs raram doloris admonitionem, ne iugi superpositione uexentur. Veterum quidam
annalia medicamina potanda probauerunt, ut est quod appellant diacentaurion. Item diascordeon biben
dum anno continuo iudicantes in ijs qui nõ plurimo tempore fuerint passione uitiati, hoc est intra quin-
quennij temporis cõstituti, adijcientes quod bibi debeat medicamen prædigesto corpore, & omnino nul
lo obstaculo impedito: sin minus, repræsentandum numerum dierum, quo integer compleatur annus,
quanquam longo tempore porrectus. Secundum nos autem iuxta Sorani iudicium est metuenda diutur
na medicaminis sumptio, cum neque soliti cibi iuges atque ijdem utiles recte probentur. Sic denique legi
mus quosdam ueteres memorasse, ex iugi medicamine poto in celeres uel acutas uenisse passiones, & alios
apoplectos, alios pleureticos, alios peripleumonicos interisse. Item quosdam cõtinua difficultate spiratio-
nis affectos, quam Gręci dyspnœan uocant. Ii uero qui se isto medicamine profecisse testantur, non aduer
tunt seruatæ digestionis causa id fuisse permissum: quippe cum cæterarum rerum excessus declinãdo qui
dam seruauerint sanitatem, cum interrumpere metuerint sumptionem medicaminis sui: & propterea ijs
intentionibus occupati, alias sibi nesciuerint profuisse rationes. Item alij ustionem nodorum faciendam
probant, quam nos reprobamus: siquidem consensus faciat tumorem. Item alij transeũdum ex alijs in alia
probant unguenta & cataplasmata, nunc specie, nunc genere differentia, donec ægrotantes releuentur:
siquidem alia pro alijs corporibus uideantur conuenire, & propterea doloris mitigatio sequetur. Ordina-
uerunt denique etiam contrarias uirtute materias laxatiuas simul atque constrictiuas, & recorporatiuas,
ut mnaseum malagma, uel diachylon. Item è contrarijs uehementius cõstringentia, ut diayteon, & cyzice-
nem, & Erasistrion emplastrum. Item ex panici polline, & lini semine cataplasma, & ex coliculo agresti,
uel herba erigeronte, & bramite, & mandragora, & alterco, & lenticula, & citri medio, uel peponis, & ori-
gani, uel thymi, aut uuæ lupinæ, aut portulacæ, aut betæ, aut mali punici folijs uiridibus, uel eius caduco,
quod Latini ambulacium uocant, decocto cum aceto, aut ruta agresti cum aceto singulari, uel cum simpli
ci alica, aut aceti sedimine, cum apio: aut uitis folia, cum simplici pulento, uel ex herbi polline, aut fabæ,
uel hordei, aut lolij, aut lupini, cum fece uini uel aceti, uel ex fico decocto cum aqua & uino cõtrito, donec
mellis sumat crassitudinem: ex quo detractis durioribus partibus imperant coquenda rursus residua.
Item ex papaueris coliculis, quos Græci cocias uocant, uel eorum folijs, & malis cydonijs & punicis in ui-
no decoctis, & bulbis cum melle, uel alterci radicem cum storace, uel iaquintio, & marrhubij. Item calce
melli concoctum, & opiostoraci, & amygdalis amaris cum cyprino oleo, & aceto iugiter coctis partes un-
gendas docent, ex dissimilibus rebus sine ullo ordine materias admouentes, insanabiliter simul atque indo
cte descensum ab alijs in alias species faciendum iubent, donec ut æstimant iudicia reperiantur: siquidem
sit pro corporibus alius ex alia specie liberatus. Et est hæc experimenti tentatio, quam Græci schediasti-
cen pirant uocant, quæ non destinata passionibus adhibeat adiutoria, sed probanda. Fit præterea ut ac-
cessiones tempora percurrant, & sua sponte leuigentur, atque ita occurrens declinatio, uel paulo proxi-
mius lenimentum euentum curationis afferat: quod si forte uere profuisse putaretur declinationi adhi-
bitum, rursum initijs noxium necessario comprobatur: siquidem non suo tempore uideatur admotum.
Alios igitur ex alijs releuatos rebus existimant. Sed hoc temporum fieri causa respondere debemus, quæ
corpora urgentius obtinere necesse est: conueniunt enim in istis mediocriter constringentia. Augmentis
uero atque statui mitigantia uel laxantia, declinationibus emollientia, lenimẽtis fortificantia, atque recor-
poratiua: frigida uero uel coercentia, quę agrostica uocant, etiam igne sacro uexatis admixta congrua ef-
ficiuntur. Sed aiunt aliqui nunc quoque tanquam laxatiua incensos, nunc frigerantia releuare. Feruori
etenim ex tumore uenienti admota eius factu tepefacta conueniunt, & tunc temperata mitigant, tanquã
aquæ feruenti admixta frigida. Sed est hoc falsa conclusione collectum: quam Græci sophisma uocaue-
runt: oportebat enim, quantum ad hanc, ut putant, rationem omni tumori frigidas conuenire materias.
Igitur secundum passiones ac tempora nos discretas aptamus. Alij uero acopum ex rana rubea in poda-
gricis admirantur, alij marini uituli, alij pedes unxerunt ex eius tergo calciamenta facientes, alij uiuentem
beluam oleo coxerunt, alij lupum, & specialiter unctionis genus conuenire probauerunt. Multa enim fi-
cta fide sine ratione creduntur, cum forte passio non fuerit insidiosa, & cum corpus tardauerit, non in uno
atque eodem tempore perseuerans. Item plurimi uomitum post cibum laudauerunt, secundo uel tertio
per menses singulos adhibendum: siquidem & materiam redarguat, & indigestos esse non sinat, non ad-

uerteres quòd magis uexabilis approbetur, cum hoc adhibito gingiuę putreſcant, dentes moueantur, oculi confundantur, & totum impleatur caput, ſtomachus quoque grauiter afficiatur, & propterea omnes conſentiant nerui. Eſt igitur conueniens magis parua cibatio, atque initium ex abſtinentia ciborum ſumendum curationis. Multi autem medicinæ ſcriptores purgatiuis & acrioribus pollent clyſteribus, & urinalibus medicamentis, quæ diuretica uocauerunt. Sed oportet cauere ſtomachi uexationẽ, quæ uarietate facile medicaminum fiet. Item ueſicam quæ ſit neruoſæ qualitatis prouocare: tradit enim neceſſario uniuerſo corpori uexationem per ſibi cognatam neruorum qualitatem. Specialiter autem ueterum peta tranſiendo errores, uanum puto atque prolixum quod de podagricis ſcripſerũt, & propterea faſtidioſum maxime, cum ſufficiat communis materiarum memoratio ſupraſcripta, tacitis dominis qui nunc dicentur. Diocles libris quos de paſſionibus atque cauſis & curationibus ſcripſit: Praxagoras tertio libro de morbis: Eraſiſtratus libro quo de podagra ſcripſit, prohibens tamen purgatiua adhiberi, quæ catartica uocauerunt, malagma uero Ptolemæo regi promittens, cuius ſcripturam non edidit: quanquam quidam ſibi uiſum Eraſiſtrati nominent medicamen. Item Erophili ſectatores multi, atque Aſclepiades libris ad Eraſiſtratum ſcriptis, & Heraclides Tarentinus, & Themiſon ſecundo libro Tardarum paſſionum aliqua ut methodicus, aliqua ut non methodicus decurrerit: phlebotomat enim ex pedibus, & nihil approbat, & cataplaſmatum qualitates confundit, non diſcernens conſtrictiuis laxatiua. Quibus reſpondere quid oportet? cum uinolentia neruos amputet, phlebotomia patientes impleat partes. Theſſalus autem ſecũdo libro Regulari, imperfecte quidem, ſed conſequẽter methodicis intentionibus curationem ordinauit.

De renali paſſione, quam Græci nephritin appellant. Cap. III.

RENALIS paſſio à patientibus partibus nomen accepit. Eſt autem intellecta paſſio tarda renis aut renum: paſſio, inquam, tarda: ſiquidem cum inſidenti atque perſeueranti querela renalem intelligamus paſſionem, & non ex nouello atque recenti tumore, ſicuti neque cuiuſquam oſſium coxæ, ni fuerit perſeuerans, iſchiada intelligere poterimus. Item adiecimus renis aut renum, ſiquidem nunc alterum, nũc utroſque teneat renes tumentes ac duratos, & in ſaniem ſæpe uenientes, & ulceratos, & humore fluentes. Igitur de cunctis purulentationibus uel uomicis communiter ſecundo dicemus: nunc de cæteris ſupra memoratis ſcribemus, & primo de tumore. Antecedentes itaque cauſæ, quæ renalem faciunt paſſionem, aliæ manifeſtæ, ut perfrictio, indigeſtio, percuſſus, caſus uehemens ſuper clunes, acres cibi plurimi contra conſuetudinem, libido uenerea uehemens, uel urinalia frequentata medicamina, aut uenena, quæ ſpecialiter ipſas afficiant partes, ut ſunt ex cantharidis confecta. Afficiuntur autem hac paſſione, iuuenibus magis grauiores atque ſenes, & uiris mulieres, & habitudine plenis tenſiores: ſiquidem fit in ijs grauior, & generaliter curatio difficilis, ob anguſtiam locorum, quæ paſſione uexantur, & ob acrimoniam urinæ, quæ inſuete aliquando renibus immorata in ueſicam tranſit. Sequitur autem patientes, cum adhuc leuis fuerit tumor, dolor leuis, & magis cum proni fuerint inclinati ſecundum clunes circa ilia, alterius aut utriuſque partes, & priorum in clunibus nodorum. Cum autem tumor uehementeſcere cœperit, dolor etiam plurimus fiet cum grauedine & feruore clunium omnium, atque iliorum, & pubetenus, uel umbilico cum cõſenſu uſque ad ueſicam tendentem, ob tumorem urinalium uiarum, quas Græci ureticos poros appellant, quæ quidem à renibus uſque ad ueſicam ſunt porrectæ, atteſtante urina tenui & aquata, & ita ſubalbida, ut colaturæ liquidæ colorem fingat, quam Græci charopon uocant, & primo parua, dehinc plurima, aut coaceruatim effuſa, quæ nullam faciat releuationem, peiorante tumore in feculentum colorem ueniens, cum iam nimia tenſione tenuiſſimæ uenulæ fuerint ruptæ. Item in uini tranſiẽs qualitatem uiſcoſæ craſſificationis cauſa: tum oleoſum ueluti adipis qualitatem ſimulans cum renum fluor pinguis acceperit. Dehinc per incrementa etiam febres accedunt, cum conſenſu iecoris, ut quidam etiam fellis colorem ſumant, atteſtante uentris abſtinentia cum tormento & ructatione inflatione cogente. Tum hebetudo ſequetur, & articulorum frigus & uomitus: & tardante paſſione corporis tenuitas nimia, adeo ut quidam uncati permaneant, & ſemper proni ambulare cogantur, nec unquam ſe erigere poſſint. Eſt præterea ſignum declinationis ſupradictorum in contraria mutatio, ut urina aquata in craſſitudinem ueniens: craſſior uero uel uiſcoſa in tenuitatem. Item quæ paulatim atque cum mordicatione ferri ſolebat, ſine labore adueniens, & ſi plurima, mediocris effecta, & ad ſummum omnia cum naturæ ſolita uel ſimilia fuerint, uiſa aiunt, aliqui eos qui ex caſu uel percuſſu, aut uehementi libidine fuerint tormenta, irruiſſe uideantur, colicos uero maior interior, uel uentri uicinarum partium dolor ſequatur, atque inde ſumat exordium, conſentientibus uel compatientibus clunibus. Item renali uitio extemplo difficultas urinæ coniuncta ſit: colicis uero per conſenſum atque ſecundo concurrat. Hæc eſt ſimilium paſſionum diſcretio. Accidunt hęc item ſimilia etiam in urinalibus uijs uitio conſtituto ex renibus, quę uſque ad ueſicam ducunt, quibus eadem quę ſupra diximus recte concurrunt, ſed dolor uel eius ſenſus erit inter renes & inteſtina, & ueſicæ fundum, nulla inflatione uel extantia in externis renum partibus prominente. Hęc eſt omnis atque perfecta ſignificatio. Sed oportet ſanguinis mictu adfectos ſimiliter curari tanquam ſanguinem ſpuentes. Alios uero qui cæteris fuerint paſſionibus adfecti, ſicut de ueſica ſcribentes demonſtrabimus, pro ſuis concurſibus uel accidentibus, quę Gręci ſymptomata uocant, partita curati ratione: non enim ſola generalis, ſed etiam ſpecialis eorundem conuenit adiutoriorum curatio, ſolum differens, quòd ea quę localia ſunt adiutoria in ijs qui renalibus laborant uitijs magis clunibus adhibeantur. Illis uero qui ueſicę, pectini, uel pubetenus, quòd Gręci peritoneon uocant.

De tardis uesicæ passionibus. Cap. IIII.

IN uesica speciales plurimæ passiones eueniunt, tumor, collectio, ulcus, durities, phthiriasis, item psoriasis, quam scabiem, uel scabrum appellamus, capillatio, debilitas, paralysis, calculatio, quam lithiasin uocant, sanguinis fluor, siue effusio, quam hæmorrhagian appellant, mictus tarditas aut difficultas, aut in toto guttæ aquatiles, quas hydatidas uocant. Sed ne porrecta longitudine fastidiosa curatio uideatur, una præceptione omnia apprehendere festinandum. De paralysi igitur superius docuimus, cum de ea specialiter diceremus. De collectionibus uero & ulceribus secundo dicemus, cum de singulis corporis partibus cōmunem trademus curationem. Tumente igitur uesica, sequitur dolor secundum pectinem atque ueretri radicem, & ilia, & clunes, & magis initio ac fine urinæ reddendæ: tum feruor incendiosus: item pulsus & extantia partis in passione constitutæ, cum iugi ac frequenti urinæ reddendæ desiderio, & repentina cessatio, ac rursum egestio fiet cum dolore intolerabili per singulos mictus, ut extenti ægrotantes etiam uētum per podicem reddant, aut ipse podex præcadens excludatur: & præterea ægrotantibus supinus exitus urinæ facilior. Quidam denique necessitate coacti defixo capite super latus pedibus sese locauerunt, ut lapis angusta deserens loca, atque uesicæ aditum repetens, mictus tribuat facultatem. Mulieres denique etiam digitis immissis in muliebrem sinum sibimet ipsæ hortatione quadam lapidem prouocando dimiserunt. Pueris autem magis prominens ueretrum fiet: sæpe etiam extantia quædam ægrotantibus occurrit, si suo digitum iniecerint podici. In ipsa præterea urina sedimina inueniuntur, aliquando crassiora & calida, aliquando arenosa & saxosa. Item quibusdam asper lapis, aut sanguinolentus excluditur, & saniosus. Sed quoniam signa communia sequentur ulceribus uesicæ atque lapidibus generatis, & ijs qui gelato sanguine impediti mictus difficultate afficiuntur, confirmabitur apprehensio lapidis generati, adhibita melotide, cuius rationem atque usum Responsionum libris chirurgiam scribentes plenissime tradidimus. In quibus etiam auferendi lapides opus docuimus: nunc enim correctionem demonstramus cuiusdam in corpore morbi, quo uesica lapidum generatione uexatur, & non ut alium masculum appellemus lapidē, alium fœminam, ut quidam leuium medicorum, sed quodam corporis uitio, non adhibita recorporatiua curatione, cum solius auferendæ alienitatis intentione medici capiantur, cuius plurimæ sunt differentiæ. Est præterea urinæ reddendæ impedimentum, quod Græci stranguriam uocant, mictus officium retardatum. Difficultas autem quā ijdem dysuriam appellant, quę id adiūcto dolore ingesserit. Impossibilitas autem, quam urian uocant, perfecta eius officij negatio. Sed hæc tria accidentia quæ Græci symptomata uocauerunt, nunc stricturæ sunt appenditia, cum tumor uesicam tenuerit, siue durities, aut paralysi, uel tēsio, ut quidam uolentes urinam usu solito ac naturali deponere, obstantibus causis longo tempore continentes officij dilatione uexantur: aliquando alienitatis obtrusione uesicæ impedito meatu, ut lapidis, aut arenæ, aut capillorum, aut squamularum cantabri similium, uel quocunque sedimine crassiore. Fluor autem sanguinis per uesicam, quem Gręci hęmorrhagian uocantes manifestus, cum aceruatim per urinę meatum sanguis excluditur. Sed quoniam non solo ex ambitu uesicę fluor iste fiet, sed etiam ex collo uel mictualibus uisco aceruatus sanguis excluditur: aliquando etiam de renibus erit locorum discretio facienda: nam renibus patientibus dolor in clunibus demonstratur. Vesicę autem ambitu patiente sub umbilico, uel pubetenus apparet dolor, & sępe urinę commixtus sanguis excluditur. Item collo uesicę patiente circa ueretri initium, quod Gręci peritoneon uocant, dolor sentitur. Mictuali autem uia patiente, ipsam ueretri radicem dolor afficit, attestante sanguinis puritate, cum iugi ac nō intercapedinata emissione, etiamsi digitis loca, quę iuxta sessionem ueretri sunt, presserimus. quo in loco est ultima mictualis uia, quam, ut supra diximus, uręam Gręci uocauerunt: nam si ex alijs locis sanguis feratur, digitorum impressione magis abstinetur, cum supradictis locis, hoc est, peritoneo, uel podici uicinis renititur impressio. Tunc ex uesicę collo impedimento repressus feretur, ex superioribus uero abstinetur. Aliorum autem medicorum signa de ijs discretionibus conscripta Responsionum libris chirurgiam scribentes elogiauimus. Sunt autem uesicę uitia, uel passiones generaliter curatione difficiles: est enim natura neruosa, & altioribus insita locis, atque celata, & quę corporis superflua sustineat acriora. Sed ne rationem uariare uideamur, erit demonstrandum, quoniam fluori siue solutioni uesicę, quam Gręci rheumatismon uocant, sunt adscribenda plurima, quę specie discrepare uidetur, ut plurimus mictus cū arenoso uel capilloso sedimine: item sanguinis fluor. stricturę autem adscribendus tumor est, atque durities, uel saxea duritas, quā Gręci scirrhosin uocant. Horum duplicem generaliter in superpositionibus curationem demonstramus. Fluente igitur uesica, hoc est, solutionem patiente, locandus ęger frigido mediocriter in loco, adhibita requie cum abstinentia & articulorum tenaci ligatione: & si sanguinis fuerit fluor, clunibus prominentius subleuatis, & officio mictus admonente, quantum datur imperandum ęgro, ut neque id retento faciat spiritu, neque ui quadam uel conatu excludi cogat aliena: apponenda etiam spongia noua aceto tincta secundum clunes uel umbilicū, ac pubetenus, quod Gręci etron appellant, usque ad ueretri initium, quod ijdem peritoneon uocant, addita tenaci cum amplexu ligatione: tum epithemata ijsdem locis, atque cucurbita constrictiua: potus dandus frigidus, paruus cibus: species de sanguinis fluore & sputo scribentes docuimus. Similiter etiam quę prębibenda conscripsimus, eiusdem scilicet qualitatis, & sessionem ex uino uehementiori confectam, quā encathisma uocant, in qua sint pręcoctę murtę bacculę cum rosis, uel in posca, aut aceto facta decoctio herbæ talliæ, uel rubi, aut mali punici corticis, & horum similium: uel per ferramentum, quod Gręci catethera

uocant, iniectio secunda, quæ similiter medendo constringant, acaciç, hypocistidis, aut plantaginis succo, uel polygonij herbç, aut intybi, uel poscç frigidç singularis, aut adiuncta thuris drachma una cum çquali pondere hypocistidis, uel gallç, cum nigro uino, uel talliç herbæ aqua cœlesti concoctæ: quæ cum fuerit expressa & abiecta, erit aqua coquenda, donec ad mellis ueniat crassitudinem. Mulieribus uero etiam pessaria adhibenda, quæ ad fluorem matricis Responsionum conscripsimus libris, muliebria uitia curãtes. Est autem curatione correctior, ac facilis eruptione factus, uel oscitatione sanguinis fluor, uel percussu, aut saltu confectus: etenim influxio abstinetur, & rupta conglutinantur: difficilis uero correctione ex putredine effectus fluor: retento enim sanguine, uel abstento, ulcus permanebit. Est præterea ex putredine sanguis ater, & male redolens, atque purulentus ex ulcere præfecto, & dolore antecedente, qui putredinis causa aduenisse uideatur. In eruptione autem flauus, & non antecedentibus supradictis, sed excussu uel saltu, aut percussu effectus. Solent præterea sicut in podice uel fœminarum sinu, aut matricis collo etiam in uesica hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstent, quibusdam interuallis uariatum, quod oportet apprehendere prudentem, cum non coaceruata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interiectis defectionibus, ac sæpe retento sanguine doloris pubetenus admonitione cessante cum tẽsione inguinum, & grauedine clunium, uel renum consensu: & cum sanguis eruperit, supradictorum relatione sequente: siquidem aliquando inflatæ actumentes hæmorrhoides difficultatem, uel abstinentiam faciant mictus, quam Græci dysurian uocant, uel uriam. Hæc sunt quæ de ijs necessario dicenda credidimus. Declinante autem passione conuenit adhibere cerotaria, ex murtino, uel uiridi oleo, & alumine, cibũ uarium dare atque uinum, ac deinde lauacrum adhibere. Ac si strictura fuerit uentris uel uesicæ, conuenit iacere ægrotantem loco mediocriter calido atque lucido, adhibita abstinentia usque ad tertium diem cum requie. Item locis in dolore constitutis manuum calidarum cum blando amplexu uaporatio adhibenda, uel pubetenus, ac ueretri initio & clunibus calida linteamina, aut uascula ex aqua calida, uel saccelli ex pollinibus calidis, aut uesicæ oleo calido plenæ admouẽdæ. Ac si uehemens fuerit dolor, phlebotomia adhibẽda: & partes in passione constitutæ lanis limpidis oleo calido ac dulci infusis contegendæ, ex eo etiam totum corpus ungendum: tum ora fouenda. Adhibenda etiã encathismata ex aqua calida, uel aqua & oleo, aut decoctione laxatiua ex ijs quæ sæpe memorauimus. Tunc cibus dandus sorbilis, & potui aqua calida moderatione dominante, & usque ad declinationem passionis interuallis dierum nutrimenta offerenda. Ac si dolor minime cessauerit, conuenit usus cataplasmatis laxatiui, & cucurbitæ appositio leuis, quã Græci cuphen appellant, cum adiecta scarificatione, & uaporatione spongiarum aqua calida expressarum. Ac si uenter retentus fuerit, clyster conuenit simplex: & secundo cucurbita clunibus adhibenda, ac pubetenus præraris capillis. Tunc hirudinum appositio, quas sanguisugas uocant, atque embasis adhibenda ex calida & oleo: sic enim laxatiuis tensionibus non solum dolores soluentur uesicæ, sed etiam consequens urinæ difficultas, uel abstinentia. Cauendus præterea usus urinalium medicaminum, quæ diuretica Græci uocãt: sunt enim quæ uesicam prouocant, & propterea tumores faciant commoueri. Ac si minutis doloribus urinæ fuerit retentio, uel in toto conquieuerit dolor, tanquam factis superpositionibus repetant lenimenta, adhibenda fortificatio per uariam gestationem, & uocis exercitium. Vnctionibus quoque ac defricationibus admotis, quæ superiora corporis magis exerceant, interiecto lauacro, & uario cibo ac uino, & iuxta methodicum modum adiectiones cyclicæ ac detractiones faciendç: tum ad recorporatiua atque uehementia redeundum adiutoria, ut ex resina uel dropace, ac paroptesi, & solis torrore, uel arena ignita, & appositione cucurbitç, forti raptu atque tractu quodam circũducto remota corpora roboremus morborum pulsa segnitie, adhibito usu aspergimum, quç sympasmata Græci uocauerunt. Tunc malagmatum atque acoporum lacessentium usus adhibendus, adiecto etiam sinapismo, & fricatione partium quç passione afficiuntur. Tum encathismatibus utendum ex aqua marina, uel salsa calida, & magis ijs qui mordicatione quadam locorum in ijsdem passionibus tanguntur: tum cataclysmo utendum, cuius nominis uim prçscriptis libris sçpius latinauimus: ita natatio adhibenda aquarum sua uirtute medentium, quibus magis erit in solutionibus utendum: eligendæ sunt nanque specialiter quç aluminis habeant qualitatem, ut sunt in Italia Albulæ appellatæ, & Nephesinæ, & Cotiliæ, & Auguriæ: ijs uero qui lapidibus, uel scabro uesicæ afficiuntur, erunt eligendæ aquæ salsæ, uel quæ nitri habeant qualitatem, ut apud Tçnariam insulam, quæ potandæ, atque lauacro adhibendæ sunt. Tum residuus adhibendus est cyclus, & acriora medicamina potanda, ut ex radice lapathi, & capparis, & struthij, uel polij herbç. Itemque panacis, & horum similium, & lithotomia in ijs qui maiorem generauerint lapidem. Item in omnibus hellebori adhibendus est usus, si passiones supradictæ permanserint. Tum nauigatio atque peregrinatio, & earum uarietas appetenda. Erit prçterea longo tempore, ut cætera quæque nimia, Venus præcauenda: ijs enim qui ob uesicæ paralysin propter officium sciscitandum usum venereum probauerunt, consentiendum non est: trahit enim secum totius corporis uexationem: ob quam causam erit probanda etiam ferularum tenerarum uel tabellarum, usque ad ruborem cutis ab ijs probata percussio. Itemque ustio & scarificatio faciendç pubetenus atque clunibus, & circa initium ueretri circulatim, quod Græci peritoneon uocant, debilitate afficiens. Sunt præterea aquosa semina quæ excluduntur, & magis cum se pronos fecerint ęgrotantes, uel celeri ambulauerint gressu. Irruit autem corporibus, cum longa fuerint debilitate uexata, aut immodico usu uenereo affecta. Sed est accipienda curatio ex ijs quæ è uesica sanguinem fluente memorauimus. Item ex ijs quæ in lenimentis passionum fortificãdi corporis causa, ac demutandis sæpissime probauimus: est enim hæc passio seminalium uiarum paralysis.

De somno uenereo, quem Græci onirogonon appellant. Cap. VII.

PER somnos inanibus uisis affecti ægrotantes seminis lapsu uexantur. Nomen autem sumpsit ab accidente: siquidem effectum uenereum prouocando perficiat. Sed generaliter neque illico passio est, neque accidens passionis, quod Græci symptoma uocant: sed est consequens uisis, quam Græci phantasian uocauerunt, per somnum ægrotantes afficiens, ob desiderium uenereæ uoluptatis, uel iugem atque continuam libidinem, siue è contrario longam usus dilationem uel continentiã. Sed hoc frequentius accidens in passionem sæpe deueniet. Itemque alterius passionis aliquando antecedens fiet, ut epilepsiæ, furoris, quam Græci manian uocant, aut cuiusquam similis morbi: quoniam uexationem ostendere probatur, atque præmoueri corpus, siue prætangi accessione uentura. Item aliquando antecedens causa supradictæ passionis, quam seminis appellamus lapsum, fuisse probatur, à qua discernitur: siquidem illa passio etiã per diem uigilantibus ægris fluere faciat semen, nulla phantasia in usum uenereum prouocante. Somnus autem uenereus eo solo tempore quo dormiunt ægrotantes inanibus uisis concubitum fingat. Aliqui etiam aiunt oniropolesin ab onirogono discerni: siquidem oniropolesis illa fit quæ per somnum concubitum fingat, cum operantium sensu, sed sine seminis iactu. Onirogonos uero usque ad defectum deducit seminis lapsum. Sed Milesius nihil inquit supradicta differre: unum est enim, atque eundem fluorem dicit esse seminalium uiarum. Sed quod inquit nunc exclusio perficitur seminis, nunc impeditur, quanquam uisa per somnum eadem fingantur, ob alias inquit irruentes fieri causas, sed non est plurima discretio, nisi intentio adhibenda: quippe cum neque necessaria comprobetur. Eos igitur qui ratione futurę accessionis epilepsiæ, uel furoris, aut cuiusquam alterius morbi commouentur, ex ijs quę suis sunt passionibus tribuẽda mitigamus: eos uero qui specialiter hoc uitio afficiuntur, tanquam parua gonorrhoea affectos curamus: supradictorum enim augmentum in istam cadere passionem facit ægrotantes fluentium seminalium uiarum, uel paralysi uitiatarum causa. Quapropter conuenit primo ægrotanti ab intentione uenerea uisa mẽtis auertere, quæ Gręci phantasmata uocauerunt, atque aliorsum applicare intentionibus externis admotis: siquidem facile quæ uigilantes accipiunt somniorum uisa ad actiua cum ijs motibus exerceant ægrotantes, & propterea corpus seminis discussione uexetur. Tum stramenta duriora atque frigerantia procuranda. Iubendi etiam supra latus iacere, cum se somno dederint, & ante se uel supponẽda tenuis ac producta lamina plumbea clunibus, uel spongiæ circundandæ posca frigidæ infusæ, uel inijciendo loca rebus frigidę uirtutis ex anterioribus, ut balaustio uel acacia, aut hypocistide, uel psyllio herba, quę sunt singularia, uel cum palmulis adhibenda. Cibus etiam constrictiuus dandus, uel densabilis & frigidus, ut de sanguinis fluore conscripsimus. Poto quoque frigido nutriendi, uel constrictiuis, non quidem curiose confectis constringendi. Tum adhibenda fortificatio ex communi resumptione, & facienda consuetudo frigidi lauacri, quod Gręci psychrolusian appellãt. Loca etiam in passione constituta forti impressione fricanda: sunt enim hæc sufficientia constrictionis faciundę. Aliqui uero conuenire dixerunt etiam mictus dilationem tendere, ne frequenti officio causa refricetur. Sed completa uesica se somno ægrotantes dare, quo neque in altum somnum uenire sinantur, & intercessu frequenti excitentur, quo uisa uenereæ uoluptatis quæ somno finguntur, amittant, & extenta uesica seminales uias sibi uicinas cõprimendo semen retineãt. Alij maiorem digitum ligandum atque constringendum forti filo uel lino iusserunt, quo dolore interueniente altior arceatur somnus: & neque animorum uisa in ueneream uoluptatem soluantur. Sed erunt hæc utraque à nobis excludenda: uexant enim uigiliæ ægrotantem, & ultra modum urinæ retentio difficultatem mictus sępe refecit, ut alterius passionis illatæ causa uideatur, ut supra docuimus.

De debilitate seminalium uiarum. Cap. VIII.

MILESIVS debilitatem fieri dixit seminalium uiarum, uel sequi in usu uenereo pro semine sanguinis emissionem. Sed hoc commune est etiam ijs qui in osculo uesicę, quam uretan uocant, ulcus habuerint: & est harum manifesta discretio: in ijs enim qui ulcus habuerint, cum mictum fecerint, sanguis fluet, attestante mordicatione & dolore, & aliquando egestione corpusculorum quæ ephelcydas Græci uocauerunt. In ijs autem qui debilitate seminalium uiarum afficiuntur, solo tempore Veneris exercendæ sanguis excluditur, attestante iucunditate, nullis corpusculis: & cùm mictum faciunt, nulla mordicatione uexantur. sed etiam nunc curatio ex supradictis accipienda, ubi uesicam fluentem sanguine curari conscripsimus: constrictione enim atque densitate fluentia retinentur. Tunc resumptio adhibenda, ac deinde recorporatio, ut sæpe memorauimus.

De priapismo. Cap. IX.

SINE ullo dolore uel consensu uertigo ueretri fiet, & appellatur priapismos. sed uocabulum sumpsit à similitudine priaporum, quòd ita formentur, ut recto ueretro fingantur. Huius autem passionis meminit Demetrius Apameus libro Signorum: ait enim semen in semet manu operantem nec quidquam potuisse peragere: tensionem autem fuisse ueretri nimiam cum paruo dolore, ut cornu putaretur, & ita perseuarasse multis mensibus. Nullo quoque adiutorio medicinali cessasse, ac tarde atque longo tempore

quieuisse : quo fiet, ut à satyriasi discernatur priapismus : siquidem illa celer sit, & non tardet in corpore, fiet sanè cum contractu neruorum, & stimuloso desiderio uenereæ uoluptatis : nam intelligitur priapismus paralysis esse seminalium uiarum, atque aliorum neruorum ad ueretri partes ducentium : quorum contractu ægrotantes afficiuntur. Sed etiam nunc curatio sumenda est ex ijs quæ de uesicæ strictura longo tempore tardante conscripsimus.

De uomicis, siue internis collectionibus, quas Græci empyemata uocant. Cap. X.

PLENA igitur de ijs tradenda est ratio : hæc enim sunt quę in occultis nata collectiones nuncupātur, ut in splanchnis, ac membrana, quæ latera cingit, uel in pulmone, aut discrimine thoracis ac uentris, quod Græci diaphragma uocant. Item stomacho uel uentre, iecore, liene, intestinis, renibus, uesica, aut mictuali uia, uel matrice, aut peritoneo. Sed de ijs quæ in matrice generātur libris quos de muliebribus uitijs conscripsimus Responsionum docuimus, de cæteris uero nunc dicemus. Harum igitur alię solo medicamine curantur, atque medicinali delectu gubernante usum chirurgiæ non exiguunt : siquidem sint occultis in locis, et plurimis superpositis membris, & sit impossibile atque illicitum plurimas īcidere partes, ne sanguinis pomposus fluor periculum faciat ęgrotanti : ut sunt quę in pulmone generantur, uel diaphragmate intrinsecus, uel in ipsa altiore altitudine, aut in stomacho superius scilicet à diaphragmate, uel in uentris sessione, aut intestinis, excepto fine longaonis. Item in posterioribus uesicæ, uel in renibus : alia uero accedente chirurgia curantur, quoties ad exteriora corporis collectionum liquorem erumpendo feruntur, uel magis ab altioribus recedūt, ut in hypozygo membrana, uel diaphragmate forinsecus, atque stomachi fundo, & uentris circa eius superiorem altitudinem. Item iecore & liene, & longaoni ad eius exteriora, atque sphinteri uicina, & uesicę in anterioribus, uel sub umbilico pubetenus, quod Græci etron appellant. Item in uesicæ collo, uel in prima eius parte, quam Græci uretan uocant, & in peritoneo : communiter autem omnis uomica, uel collectio, antecedente tumore nimio, generatur denique empyicis, quos nos uomicosos appellamus, alij ex pleuretico morbo, alij ex pleumonico in supradictā passionem deuenerunt, sequentibus signis, nunc communibus cuiusdam partis in uomicam uenientis, nunc specialibus pro singulis corporis locis. Sed ne longa hac oratione extimemus omnium communia simul ordinanda probamus : tum singulatim specialia designantes etiam munia adiungemus. Omnibus igitur collectionibus generatis, uel cum tumor in liquore uertitur, sequitur febricula uehemens, inordinata, & sæpe cum rigore & torpore frigido, uel iniquitate corporis. Tunc loci feruor incendiosus, grauedo, tensio : & exceptis quæ in pulmone fiunt sæpe stimulans dolor, & pulsuosus. Tum celer pulsus, atque humilis, & sæpe sudor magis capitis, atque collorum. Dehinc perfecta purulentatione rigor corporis, atque tremor circunscribetur, & febriū recedit inquietudo ac dolorum, sed specialiter ac proprie in communibus, si in membrana quę latera circū tegit, hypozygos appellata fuerit generata collectio, difficultas spirationis sequetur, quam dyspnœan uocauerunt, sed difficilis iacendi potestas supra contrarium patienti latus, hoc est, quod causa non tangitur, cum sensu quodam interno ueluti pendentium membrorum, & sæpe commotus corporis quasi sonus auditur, uelut inclusi atque collisi humoris : nam Græci hydatismon appellant. Sequitur etiam displicentia post acceptum cibum, quam Græci dysarescesin uocant, & plurima tensio medij lateris, aut uerricosa inflatio impressioni digitorum cedens ac resurgens. In pulmone uero emergente uomica, spirandi plurima difficultas sequetur ęgrotantes, tussis uehemens, uox obtusa uel rauca, & odoris tetri spiratio, thoracis grauedo, & adductio superiorum ad inferiora. Item grauatio atque tensio supinatis ægrotantibus, & releuatio sedentibus : denique se ipsi sustollunt ad partes lecti superiores, quo leuatius habeant caput. Sequitur etiam cauitas oculorum, & genarū rubor, & albedo sub lingua uenarum : & si eruptio tardauerit, inflatio quoque articulorum sequetur, uultus pallor, & macies ora deformans. Item in diaphragmate emergente uomica dolor supra præcordia sequitur, penetrans per latera utraque usque ad posteriora, & aliquando inflatio uel tensio iuxta finem pectoris, uel sub extremis costis, atque ossibus ultimis perseuerans usque ad alia : & si collectio forinsecus fuerit, sonitus aliquando humoris inclusi sequetur. Tunc tussicula, & in spirationibus difficultas plurima, ac respiratio lōga, & forinsecus spiritu attracto dolor, quod nunquam sequetur eos qui pulmonis uomica uexantur : etenim pleumonici hauriēdo magis spiritum releuantur. In stomacho autem emergente uomica ructationes tetræ, atque difficultas spirationis, sed minor ægrotantes sequetur, & aliquando tussicula paruo fine ullo tumoris excreatu : tunc torpor frigidus articulorum, animi defectio, sudor in summitate cutis, pulsus paruus, & corruptio sumpti cibi, atque acidæ ructationes, & nausea, & aliquando uomitus, siccitas linguæ, uel asperitas sitis, transuoratio difficilis, plurima uel parua pro collectionis magnitudine. Quod si fuerit in superioribus stomachi, donec cibus transuoretur, pressuram sentient ægrotantes. Post effectus uero releuentur. Ac si in inferioribus erit facilis transuoratio, ac deindè dolida cibi perceptio sequetur, cum ad destinata peruenerint quæ sumantur, dolore ex anterioribus partibus in ore uentris attestante, cum inflatione uel extantia quæ impressione digitorum cedat ac resurgat. Si uero in superioribus fuerit collectio, nulla uidebitur prompta inflatio uel extantia, sed dolor atque grauedo inter scapulas, uel ex posterioribus ceruicis ptibus sentietur. Ac si in uētre fuerit collectio, & magis in eius ambitu, erit inflatio inferius à diaphragmate, quod discrimen appellamus, circa medium præcordiorum sinistrorsus flexa, & impressioni digitorum cedens ac resurgens, attestante fastidio, nausea, siti post cibi sumptionem, cum ructationibus acidis, atque sumptorum corruptione, & aliquando liquidis

per

per uentrem egestionibus. Ac si in aliquo intestinorum fuerit collectio, erit extantia, uel inflatio uomicæ secundum eius positionem in pyloro: denique constituta in ultima parte uentris sub dextro latere, atque ilio, uel sub iecore. Sin uero in nestide fuerit collectio, erit in sinistra parte extantia supradicta atque inflatio ueluti sub liene. Alijs etiam intestinis tẽnioribus collectione uitiatis inter umbilici atque pectinis regionem supradicta reperiuntur. Ac si in colo fuerit collectio, secũdum ilium dextrum, circa umbilicum usque ad sinistra loca, antecedentibus ijs quæ sunt solita colicos afficere, supradicta reperiuntur. Item in longaone collectione suffecta clunium dolor sequetur, cum difficultate mictus, & abstinentia uẽtris, & aliquando egestione muculenta uel sanguinolenta. Inflatio autem uel extãtia erit in superficie occulta: sed immissis per podicem digitis sentietur, & ad inferiora uenientibus liquidis commixta stercora putria egerantur, adeo ut plerunque lateat, utrum ex pyloro uel nestide, aut tenerioribus intestinis hæc ferri uideãtur. Sed erunt purulenta separatiora à stercore, atque discreta, cum ex colo referuntur, aut ex longaone. Item in iecore uomica constituta, inflatio uel extantia, & pulsuosa sequetur ægrotantes appositio, & tangentibus nobis sana principaliter occurrunt: & circa confinium interaneorum, quæ, ut supra diximus, Græci splanchna uocant, circunscripta collectio sentietur, cum nunquã tantum latens, atque ita submersa in peritoneo collectio comprobetur, neque ita circunscripta ac decisa uideatur, sed paulatim deficiens suos fines sanis partibus iungat, ut non deiecta atque decisa uideantur. Hæc est uomicarum omnium specialis significatio, sed earum eruptiones aliquæ ad thoracis inania fiunt, aliquæ inter regionem peritonei & intestinorum, aliquæ ad stomachum uel uentrem, ut liquida atque purulenta euomãtur: aliquæ ad pulmonem, siue arteriam maiorem, uel rhumam, quam Græci bronchon appellant, quo liquida & purulenta etussiantur: aliquæ ad intestina, uel eorum spatia, quo per podicem liquida excludantur, uel purulenta: aliquę ad matricem, quo per muliebrem sinum profundantur: aliquę ad renes uel mictuales uias, ac uesicam, quo per mictum ferantur: aliquæ ad cor, ut Erasistratus ait. sed harum omnium eruptionum plerique aliquas rationabiles dicunt, aliquas irrationabiles: sed rationabiles, aiunt, ut ad stomachum uel uentrem uenientes per os excludi: ad pulmonem uero per arteriam maiorem. Item ad intestina uel uentrẽ, uel podicem ferri, ad renes uero uel uesicam per mictuales uias. Item ad matricẽ per muliebre ueretrum. Irrationabiles autem dicunt eas, quæ in diaphragmate, uel hypozygo membrana, aut iecore & liene generatæ rumpuntur per arteriam maiorem, uel stomachum, aut uesicam, aut matricem excludi credãtur; cum nullæ sint ab ijs partibus quæ collectione affectę sunt naturales uiæ ad supradicta loca ducentes. Alij uero etiam in ijs se repertos quædam uascula demonstrant, anatomica ratione adprehensa, quæ ad hæc penetrant loca. Alij aiunt uias esse latentes, quas logotheoretas appellant, per quas limpida, uel purulenta quadam exudatione ferantur. Sed non oportet de ijs plurimum disputare: sufficit enim ad disciplinam significationis faciundæ manifesta comprobare. Item aliqui etiam in singula loca ex alijs factam susceptionem puris, quam metalepsin uocauerunt, signis explicare conati sunt: quæ quidem non necessaria, sed frequentia probauerunt: etenim ad arteriam maiorem, siue gutturis cannam, quam Græci brõchon appellant, facta eruptio spirationis ingerit difficultatem, & tussiculam: ad stomachum uero nauseam atque fastidium, & euersionem, uel uomitum ingerit ægrotanti. Item ad intestina, uel uentrem tormentum facit partium cum inflatione ac uentositate. Ad uesicam uero delectationem facit frequenter urinæ reddendę. Ad inania autem thoracis, atque inter peritoneon membranam, & uitalia interna nulla sunt antecedentia eruptionis signa, sed utranque factam intelligimus, sed pro ægrotantium motu, uel conuersione iacendi sonus quidam efficitur uelut inclusi humoris, quem Græci hydatismõ uocauerunt. Præstantius autem, si inter peritoneon atque intestina id euenerit: sequetur etiam prominentia partium hydropem fingens, cum mordicationibus ac doloribus repẽtinis. Sed si inanis fuerit ruptio thoracis facta superiorum partiũ à discrimine, quod Græci diaphragma uocant, cum difficultate spirationis, ac tussiculę querela sequetur. Sin uero in regione, quæ intestinis atque peritoneo interiacet, fuerit facta, inferiorum partium querela sequetur cum intestinorum tormento: nouitate enim repentinę effusionis acriorum humorum, atque corrupti puris edacitate ea quæ naturali habitu custodita manebunt, uitalia uehemẽtissime uexabãtur. Præterea repentina, atque coaceruata ruptio fit, aliquando paulatim, tenuatis primo uomicæ tegminibus, ut præliquatum, atque paruum liquorem mittant, quod apprehendimus, cum tussicula desiuerit esse sicca, atque sputa pollui admixtione puris uiderimus: uel in egestionibus uentris quidquam saniosi liquoris fuerit repertũ, uel in egestionibus urinæ sedimina purulẽta fuerint inuenta. Sed post supradictas eruptiones, si omnis fuerit facta liquoris effusio, febres illico soluũtur, atque loci prominẽtia reflatur, & grauedo circunscribitur. Sin uero ex parte fuerit effusa collectio, quod fiet debilitate ægrotãtis, aut crassitudine liquidorum, aut nõ in fundo uomica osculatione suffecta, sed è lateribus, aut supernis partibus paulatim liquidam inuenturum: sed erit approbãda significatio nõ in fundo factæ ruptionis, cum inter aliquos dies repleta uomica siue eruptio tensionem rursum atque grauedinẽ cum febre mouerit ęgrotãti. Tunc post effusionem superflui liquoris omnia lęuigãtur, ac similiter per interualla dierum easdẽ difficultates repræsentet. Communiter autem omnium eruptionum tutior est cõparatione cęterarum illa quæ in uesicam uenerit, atque mictuales uias: etenim naturaliter creduntur hę partes iugẽ acrimoniã liquidorum excipere ac reddere. Quapropter neque nunc ulla nouitate facile uexari posse uidentur, cum in se aliena atque acriora susceperint, quæ eruptione uomicæ descendunt. Dehinc, quòd naturali urinæ cõmixta purulenta, quæ collatione corrupta uidentur obtusa mitescunt: ultimo, quòd neque coaceruatam, sed paulatim redditam ac requiescentem sumant egestionem urinæ per exitum tractum. Item facilitate secunda est

quæ ad inteſtina ruperit : hæc enim quoque creduntur tranſitum ſtercorum ſuſtinere,ſed ad primam minus tuta iudicatur:ſiquidem poſſit coaceruatæ effuſionis cauſa per podicem ægrotanti defectionem facere,& propterea mortem. Tertia eſt,quæ ad matricem ruperit,& magis in ijs quæ iam naturali lege purgãtur : didicerunt enim loca materiæ & tranſitum ſuſtinere , minus quidem à prioribus tuta eſt : ſiquidem neque ex initio natiuitatis,neque per dies ſingulos naturalem meatum ipſæ ſuſtineant partes , neque ita acria ferre conſueuerint liquorum : ſiquidem nihil in ſe ſanguis habeat mordaciſſimæ qualitatis , omniũ tamen periculoſior iudicatur,ut Eraſiſtratus ait,quę ad cor fuerit facta,eius ſecunda quę ad arteriam gutturis,quam Gręci bronchum appellant,& eius repentina magis atque coaceruata ab ea quę paulatim fuerit effuſa . Siquidem defectiones ingerat ęgrotanti,atque difficultatem ſpirationis, & tuſſiculam & præfocationem,cum neque naturalibus liquidis ulla conſuetudo per ipſam partem tranſeundi uideatur: tertia quę ad ſtomachum fuerit facta : ſiquidem pręfocationem minus ingerat , minus quidem à ſupradicta appetitum quoque cibi extinguat : & propterea fame ęgrotantes afficiẽdo debilitet. Item poſt hanc ſecunda eſt,quę ad inanitatem thoracis fuerit facta : ſiquidem circunfundatur pulmoni humor corruptus : atque cordi ultima eſt, quæ inter regionem peritonei & inteſtinorum uenerit : ſiquidem circunfundatur humor iecori & lieni,& uentri atque inteſtinis:quæ cum fuerint uexata,ingerant periculum.Cõmuniter autem,ſiue uniuerſim dicendo,quod Græci catholicon uocant,omnium uomicarum, uel eorum qui ijs afficiuntur,ſalutarem intelligimus ductum fore,ſi poſt eruptionem factam febres ceſſauerint,& magis extẽplo,uel eadem die,ſiti quoque recedente,atque perfecto appetitu cibi : uentris quoque officio parua atque congeſta reddente,ipſius etiam puris albedo,atque eodem colore apparente : & cum lenitate,ac ſine dolore ſuarum egeſtionum : & ſi per ſuperna egeritur ſine uehementi tuſſicula,neque coaceruatim , ſed per partes excluduntur liquida : peſſima autem aut difficulter,aut ut ſæpe contingit interfectiua ferri iudicamus eis quibus poſt eruptionem febres annexę perſeuerauerint,atteſtãte ſiti cum faſtidio cibi & uentris fluore,uel ipſius puris felloſo,uel liuido colore,coaceruatis egeſtionibus,cum uehementi tuſſicula uiribus depurgatis. Hęc eſt uomicarum ſignificatio . Sed oportet ob earum generationem fugiendam congruam tumoribus adhibere curationem : horum enim augmẽta collectiones faciunt generari, ut ſæpe in pleureticis uel peripleumonicis,uel ſimilibus morbis,quibus ita formauimus curationes,ut minime ſinantur initia fieri uomicarum. At uero ſi iam perfectã uomicam uiderimus , & humore corrupto in toto aut ex parte tumoris caruerit nomine,oportebit ſimilibus adhuc perſeuerare adiutorijs , ut cataplaſmatibus ex polline tritici,uel ſeminis lini,aut fœnigræci,uel hordeacij confectis,uel ex aqua mulſa, aut hybiſci decoctione,cuius etiam radix erit conterenda,addita uaporatione ſpongiarum. Vel ſi in inferioribus corporis partibus fuerit collectio,encathiſmatibus quoque iugibus erit utendum ex aqua & oleo calido, ac decoctione cuiuſquam ex ijs cataplaſmatibus congrua quæ ſupra diximus . Ante cibum præterea olei calidi quidquam poto dandum:dehinc etiam mulſi mediocriter cocti: tunc ſorbilis offerẽdus eſt cibus,atque calidus : eſt enim improprium ex parte adhuc manente tumore quidquam acrius adhibere, quo magis labor ægrotãtibus geminetur,ſcilicet tumore aſperato,unde maiores collectiones efficiuntur. Pauſante igitur tumore omni ex parte, & nondum erupta collectione,oportet eius adiuuari celeritatem , ut primum perſcriptis cataplaſmatibus ficum faciamus admiſceri cum hybiſco : tum reſina terebinthina,adiũcto uſu malagmatum,quæ congrua Reſpõſionum docuimus libris,ut eſt mnaſeum : item ex tribus reſinis, quod Græci diatrion retinon uocant : tum etiam diagalbanes,uel melinen,uel quam appellant ſerapionos,aut dictamnum,uel quidquam ſimili promiſſione conſcriptum . Cibo autem dandus ſuccus ptiſanę cum melle. Item porri capitati,uel atriplex,quam Græci andraphaſin uocant : itemque urticam. Iubendi præterea ægrotantes magis ſupra latus iacere,ſi in ſuperioribus à diaphragmate partibus collectio fuerit generata : Cauenda enim ſupina iacendi poſitio : ſiquidem extenta arteria anguſtetur,quo & magna difficultas ſpirationis fiat,& minima liquidorum excluſio perficiatur . Sed ſi ijs adhibitis collectionis nõ prouenerit eruptio,oportebit uehementioribus eam prouocare, ne humor incluſus plurima tardando membra corrumpat . Quapropter præpotandi ſunt ægri decoctione fici,uel hyſopi,ac rutæ, & origani, & tragoriganí,& thymi,uel ſatureię,aut abſinthij,uel centaureæ,aut marrhubij,aut ſemine radicum,aut ſinapi,aut naſturtij cum melle,quorum aliqua etiam uiridia erunt mandenda . Item medicamen quod appellatur diatrion pipereon potu dandum,uel diaſcordeon, aut zopirium : multi tamen etiam hieram dandam probauerunt,& magis illam quæ appellarur diacolocynthidos. Adiuuat quoque eruptionis celeritatem ſternutatio adhibita,& aliquibus etiam excreatus quidam hinnibilis iugiter affectatus . Ac ſi neque ita eruptio fuerit conſecuta,erit ieiunus,uel dato poto,aut radicibus comeſtis uomitus adhibendus. Aliqui uero in ijs quæ ſuperioribus à diaphragmate partibus uexantur fumationes adhibuerunt:tardante eruptione, hyſopum uel thymum,aut origanum incendẽtes,uel ſulphur,& ſandaraca,aut aloe, uel ſtorace impoſitis igni ægros hiſcere iuſſerunt,& raptu quodam potili nidorem tranſuorare. Tunc dandum uel thymminum probant per diem bis uel ter : ſimilare enim inquiunt curationis genus chirurgiæ : ſed uehementer caput grauat implendo. Ac ſi in inteſtinis fuerit collectio,erunt per clyſterem inijcienda ea quæ præbibenda nuper ordinauimus . Tum eruptione facta ſpeculandum,utrum per partes , atque depoſito liquidá excludantur : an uero coaceruata , aut omnino difficulter & paulatim. Sed ſi partim, & nullis obſtantibus excludi uiderimus,erit à cibo abſtinendus ægrotus,uiribus permittẽtibus. Tum alia die adhibita corporis unctione prępotandus ijs quę ſupra memorauimus,cibis quoque adiuuare collectionem,quo omnia liquida detrahantur,dato mulſo,uel ſolo melle bibendo,cum reſina terebinthina, aut butyro non

ueteri.

neteri. Tum sorbilem dabimus succum ex alica uel ptisana melle admixto. Item porros coctos cum oleo atque garo & ptisana. Tum etiam ex tritico ptisana confecta, aut cum protropo uino, aut squilliticо: itē lac cum mulso. Et si eruptio liquidorum ad mictuales uias peruenerit, erunt adiungēda supradictis etiam mictualia medicamina quæ urinam prouocent, à Græcis diuretica appellata, ut asparagi, olus atrium, lactucæ nunc coctæ, nunc incoctæ. Item radices & sorbilia, lacte quoque confecta. Sin uero ad intestina eruptio peruenerit, quo per podicem exitum habeat, cum supradictis communiter erunt adhibenda quæ uentris officium non densent, neque plurimū laxent: quapropter mictualibus prohibiti cibo ordinauimus maluam dandam, betas, cauliculos, cucurbitas. Sed si coaceruatim, ac nimis liquida ferri uiderimus, erit abstinentia recusanda. Dandum mulsum poto sufficienter decoctum, & plurima sitis ægrotantibus indigēda. Dandus præterea cibus qui uentris teneat officium, ut oryzæ succus sorbilis, aut lēticulæ. Item pisces duri corporis, quos sclerosarcos Græci uocauerunt, & uolantum ficciora, & poto aqua imbrialis offerenda, quam uulgo cisterninam uocant, calida. Item medicamina quæ ad humectam tussiculam cōscripta sunt. Tum uinum mediocriter asperum. Sin uero difficulter atque paulatim liquida fuerint exclusa, erit inquirenda causa, utrum'ne ob debilitatem ægrotantis id euenerit, quo minime ualeat excludere aliena: an uero ob crassitiem liquidorum, uel ob eruptionem nō in febribus factam, uel in fundo collectionis. Etenim si ob debilitatem ægrotantis id aduerterimus fieri, erunt subleuandæ uires per resumptionem. Si autem ob crassitudinem liquidorum, tenuantia adhibenda, atque prępotanda quæ supra memorauimus, adiectis quoque similibus electarijs, ut sunt ex melle, resina, uel lini semine cum melle confecta, ac nucleo pineo, uel strobylis, & urticæ semine, præbibendum sinapi cum paruo pipere longo. Tūc hellebori adhibemus purgationem. Ac si ex uomicis ulcera tardantia perseuerauerint, ea quę supra diaphragma fuerunt, quod discrimen appellauimus, ita curabimus, ut est de phthisicis scriptum: in stomacho uero uel uentre, ut de cœliacis: item in intestinis, ut de dysentericis: in renibus uero ac uesica, uel mictualibus uijs potis medicaminibus atque clystere iniectis, uel per catethera immissa utemur: etenim si sordida apparuerint ulcera, lacte atque melle potamus, semine cucumeris pręfuso, aut mulso, aut pinguibus palmulis cū passo, aut nucleis cum amygdalis & amylo. Similia etiam per catethera immittenda, aut tetrapharmacum medicamen diligenter solutum. Sin uero limpida fuerint ulcera, erunt encathismata adhibenda, quibus præcocta fuerint aliqua constringentia, atque extrinsecus apponenda emplastra, quæ cicatricem facere ualeant, à Græcis epulotica appellata, potui dandum lac cum amylo, & cucumeris semine, cum decoctione phœnicobalani, aut papaueris fixi, atque constricti cum uino protropo, & amygdali decoctione, uel mali cydonij, sorbarum, & palmularum thebaicarum, uel succo mali punici, uel ijs quæ in pharmaceutico Responsionum tradidimus libris, ex quibus est quod appellatur carui, & œnocraton, & ex tracharo atque amylo, & glycyrrhiza. Vtendum etiam aquis sua uirtute medentibus, quas supra memorauimus. Itemque ijs quæ in Aria insula, & Theanitorum prouincia esse perhibentur, cæterarum quoque resumptiuarum materiarū usum adhibentes, ut mitribiliorum succos. Vbi uero inter intestina & peritoneum eruptio fuerit facta, siue ex iecore, siue ex aliqua ueniens collectionis parte, quæsitū est quo modo puris detractio fieri possit: utrumne per tenues uias uesicæ ueniens, atque in intestina acceptum uideatur, & propterea per urinam, uel per uentris officium excludi possit: an uero sectis inguinum locis detrahi facilius uideatur, quod quidē Erasistratus demonstrauit: Sed apparet nunc chirurgia exitum puris faciendum, incisa secundum inguen peritonei membrana, quo corruptis liquoribus prolapsio inferioribus aperte præbeatur. Tunc congrua adhibenda curatio: etenim incisa peritonei membrana, in cicatricem facile conducitur, & sine ullo periculo ægrotantis sanitas datur, ut est conijciendum ex hydropum paracentesi, atque chirurgia ramicis, quam Græci enterocelen uocant. Neque impossibile putandum, etiamsi quid remanserit, facta detractione chirurgiæ per superficiem cutis, ac tenues uias, & per intestinorum cauitatem sudari: quippe cum etiā in hydropibus circunfusus humor intestinis sæpe fuerit exiccatus, quibusdam per uesicam, fœminis per matricem, sed omnibus cōmuniter fortitudinem conuenit per nutrimenta præstare. facile enim corruptio partium depulsa passione fiet, cum corpus fuerit naturali fortitudine possessum.

De superflua carne, quam Græci polysarcian uocant. Cap. XII.

ACCIDVNT corporibus superflua carnis incrementa, quæ Græci ob nimietatem polysarcian uocauerunt. Sed est hoc passionis genus contrarium nutrimento cessante: siquidem cessans nutrimentum tabida faciat corpora. Idem ultra naturę modum uehementius elatum plurimam faciat carnem generari, ex qua corpora grauata premantur. Pręterea hoc quoque speciem accipimus cachexiæ: siquidem indecens difficultas patientes afficiat: nam sequitur nimia ac superflua multitudo carnis, quæ in pinguem prominentiam erigatur cum tardo motu, atque grauatione, & debilitate, & ex paruo gressu anhelatione ac sudore, ut suo se corpore præfocari sentiant ægrotantes, quo neque leuia ferre ualeant uestimenta. Multi igitur medicorum atque aliptarum salutaribus præceptis adiungendam diligentiam detrahendæ carnis putauerunt, intuentes cœnoteta, quam epidosin uel euexian uocant, hoc est, habitudinis augmentum: sed hoc à Sorano repulsum. Nos igitur solam habitudinem intelligimus, quæ fuerit cum modica carne fortitudo, & seruanda magis, quàm repellenda. Polysarcia uero, quiā nunc passionē dicimus, recte cachexian nuncupamus, quæ multis accidentibus denunciet periculū: Etenim quæ sequetur animalia nutrimento dedita, uel custodia reseruata, ut flato atque extēto & prominēti corpore uideātur:

hęc eadẽ cuncta patientes sequentur: similiter accidentia corporibus ulceratis, quibus uana caro cõcrescit, uel eorũ labijs q̃ fuerit acie circuncisa renascantur. Sed istius passionis duplex traditur differentia curationis. Alia quæ cohibeat fieri plurimum corporis nutrimentum: quæ quidem ponitur in gestatione celeri, & cibis non multum nutribilibus, ac moderatis, ne plura corpus quàm insumit accipiat: alia quæ cyclica regula atque operosa recorporatione formetur demutandi corporis causa. Sed ut docilis sermo, ac manifesta tradatur præceptio, partium erit memoranda curatio. Conuenit igitur corpus exercere gestatione plurima ac perseueranti, animalium iugo, uel curriculi motu, & equitatione ac nauicula. Item lectione & uocis exercitio uehementi, uel meditatione modulationis agonisticæ, & celeri gressu, quo magis labor sudarum fiat. Item cursu, atque sicca fricatione manibus puris, uel aspero linteamine, & arenæ aspergine. Tũ uolutatio in palæstra uaria, quam Gręci celadian, atque choricomachian uocauerunt, quæ sunt specialiter ab ipsius artis præceptoribus imperanda. Tum hoplomachia, hoc est armorum ficta confrixio. Item alienis laboribus exerciti, hoc est colluctantium, uel coexercentium, quam Græci haterocopian uel trachelismon uocant, atque longo uel raptorio machinamento, quod macron sparton uocauerunt. Item Italica sphęra, & luctatione celeri, & dura atque multa uel sicca fricatione: Etenim oleo labentibus manibus fortitudo soluetur exercitij. Conuenit etiam sole corpora torrere, quod Græci heliosin uocant: tum paroptesi ex flãma, uel carbonibus, & siccis uaporationibus prouocatur sudor: & nunc feruentia lauacra, quæ plurimum detrahant, nunc frigida, quæ corpus in densitatem cogant: denique psychrolutarum corpora densa, ac ueluti testea sentiuntur. Conuenit etiam arenæ littorariæ adhibendus feruor: Tum natatione maritima, uel aquarum naturali uirtute medentium, & in lauacris sudore perfecto asperginem salis adhibere: qua sępe condita caro animalium ciborum uoluntati sicca seruatur, atque densior, nec collecta marcescit. Tum fricamentum adhibendum, quod Gręci zegma uocant, ex nitro tuso, atque in puluerem redacto, & post lauacrum longa cibi dilatio, uel potus: tunc enim appetitio minima marcescit, & eius acies temporis obtunditur dilatione, cum etiam digestionis parata proteruitas detracto fomite languescit. Erit præterea potus semper ante cibum prohibendus, uel in toto paruus dandus, & magis cum cibi sumũtur: Etenim immisso liquore plurimo fluidãtur accepta, atque caro mollitur, & digestione facile solidiora propriantur. Sed si plurimum quisquam sitierit, paruum dabimus mediocriter asperum. Pulmentum uero alicam, amylum, lac, nucleos, cerebrum, oua: pisces autem teneros, uel pinguia quæque reprobamus. Panem dabimus frigidum, fermentatum, autopyrum: est enim minus nutriens: & magis, si fuerit ueteratus. Specialiter autem siccus probandus est cibus. Item pulmento danda sunt olera & pisces durioris naturæ, uel auium sicciora, uel agrestium, ut leporis, capreę, porcina ex deposito, hoc est, longo tempore sale siccata. Conuenit præterea unum cibum sumere, & post sumptionem plurimum uigilare: In requie quidem, quo multa corpus exhalatione insumatur uigilando: additur enim plurimum somno: denique dormientium corpus ualidius fiet: Potus dandus frigidus: & perseuerante carnis multitudine erunt initia cycli adsumenda, nunc ab omni abstinentia, nunc à paruo cibo & aqua, nunc augmenta ordine regulari. Item à ieiuno uomitu sumendum est initium, uel ex radicibus. Tunc ad drimyphagian ueniendum, ac mediæ qualitatis materiam. Tunc uolantum atque agrestium: quæ quidem erunt celerãda per dies minoris breuitatis, quo urgentius initia repetantur: & in oleribus erunt urinalia prouidenda, ut asparagus, pastinaca, apium, fœniculus, daucus, porri capitati, & horum similia: sic enim communia seruantes corpus ualebimus demutare. Accidentium quoque coniecturam facientes, quo elimatio carnis atque diductio procedat. Aliqui medici phlebotomiam probant, atque purgatiua medicamina, quæ catartica appellant, & clysterem, & post lauacrum illico Venerem adhibendam ante cibum, atque ipsa die paruum nutrimentum, poto aquam dandam. Item uomitum post uespertinum uinum. Alij quoque ueluti passioni contrariam corporis expansionem ex thalamo fieri probauerunt, & appellant antipalon. Itemque nocturni roris auram ante solis ortum bibendam. Sed horum deliratio manifestis proditur rebus. Nam phlebotomia uires depurgatę uexantur, & corpora pallescunt: nam Græci raccosin uocãt. Item purgatiuis medicaminibus ex clysteribus, cum supradictis etiam liquida corrumpantur, cum alius habitus corporis fiat: nam Græci cachexian uocant. Venereus uero usus effœminat membra, atque fortitudinem tollit. Item aliquibus bis in die ordinatum lauacrum, & somnum prius quàm cibus sumatur: quod quidam uoluerunt: crassificat enim somnus, non tenuat corpora. Item uomitus post cibum: uires enim tollunt: & quanquam corpori detrahant carnem, implent tamen necessario caput, atque sensuales uias uexant, & gingiuas in putredinẽ mittunt, atque os odore fœtant, retro stomachum limant, & ipsum hominem sibimet faciunt displicere: nam Græci dysaresceſin uocant, cum inæqualitate febribus uicina. Est & improprium, atque praua ratione æstimatum, ob corruptionem paruorum maiores corporis uexationes inferre. Sed si forte uinorum fuerit excessa moderatio, tunc erit uomitus adhibendus: eius enim uexatione maior est immodicæ sumptionis grauatio. Item præ cęteris uehemens, & maior quàm ut oportet animi officijs siue curis adplicatio. Videmus ob has causas etiam studentium corpora fieri tenuiora, limatione quadã animi iugium cogitationum atque disputationum. Eorum uero qui segni ac pigro ductu uitam trahunt, solidiora atque pleniora fieri corpora, ob contrariam rationem. Iis de superflua carne conscriptis, omnium tardarum passionum curationes explicauimus, intentione neglecta.

FINIS.

Aurelianum hunc ex altero volumine à me restitutum, hic refer.

THEODORVS

Admonitio. Cape epistolam nostram sub finem operis Prisciani, initio Alexandri, qui inscribitur Ἰατρος.

THEODORVS PRISCIANVS MEDICVS TIMOTHEO FRATRI.

NVPERRIME collegæ Olympij exhortatione prouocatus, confeci nõnullos præsentaneè libellos, quos uel mediocris fama retinet; sed græco stylo, quam medendi industriam sermone claro hæc natio publicauit. In his igitur uoluminibus non studium teneo gloriæ; neque enim eloquentiæ hic opus est, sed laboris. Quippe quia fragilitas humani corporis remedium efflagitat, & celeris beneficij natura consentiẽte componi. Nõ omnis enim ualetudo medendi patitur tarditatem. Quapropter amice charissime, quæ ornatui nostri corporis, uel saluti procurandæ, custodiendæque cõueniant ordinata remedia, nunc in tuã gratiam nostro sermone digessi, non sine famæ lucro, ut arbitror. Ipsum enim in utroque genere opus plures testes habebit, quàm iudices.

THEODORI PRISCIANI, IN PRIMVM OPERIS SVI LIBRVM, QVI LOGICVS DICITVR, AD TIMOTHEVM PRAEFATIO.

SI MEDICINA minus eruditi ac rustici homines, natura tantùm imbuti, non etiam philosophia occupati essent, leuioribus ægritudinum incommodis uexaremur, & faciliora remedia caperentur. Sed hęc uia ab illis omissa est, quibus eloquentiæ studiosis, scribẽdi ac disputandi gloria maior fuit. Nam scire uelim, quî fieri possit, ut cùm quid rectum, aut cõtrarium, quid salubre, aut incõmodũ sit, huiusce artis professores inter se dissentiant, diuersorumque sententias singuli seruare conentur, iactetur æger magna tempestate morbi: tunc nostri collegij caterua concurrit, tunc nos pereuntis admiratio possidet: nec communis naturæ conditio conuenit, sed tãquam in circo & agone, alius eloquentia, alius disputando, alius adstruendo, alius destruẽdo, quisque inanem gloriam captat. Interea dum hi inter se luctantur, atque æger sic casui proprio datus, nonne uidetur natura ipsa rerum hæc dicere? O' frustra occupatum mortalium genus: occiditur æger, non moritur, & mihi fragilitas imputatur? Sunt infiniti morbi, sed desunt remedia? Latent in fruticibus uenena, sed non germinant salutis officia? Absit hoc. Nescio quæ perturbat rerum disputatio, atque iste loquacitatis uanus amor. Hæc ego saluti mortalium remedia non dedi, sed magna seminum, ac frugum, herbarumque potestates, & quidquid propter homines genui, certandi studium, & infructuosa uerba deferimus. Hinc est, quòd ego huiuscemodi opus aggressus sum, ut facilioribus potiùs, naturalibusque medicemur remedijs, ut disputatione garrula careat medicina, quàm iactanti oratione miseros & afflictos teneamus: hoc est, euporistis, succis, tritico, farina, & hordeo, herbisque uarijs, uel metallis, & similibus cæteris, quibus manifesta remedia natura signauit. Neque enim cùm ægrotus quispiam afficitur, adhibendus est Pontus, aut interioris Arabiæ ostrea, uel styrax, uel castores, uel reliquæ fruges, quas orbis longinquus familiares habet. Ideo medicinam etiam in uilibus herbis parens natura disposuit, ut nullo bello, uel tempore medendi desit officium, cùm ubique possit esse remedium. Hoc igitur uolumine bonam hominis ualetudinem expediui, &, ut aiunt, rusticis curationibus firmatam, in uulgus exposui. In quo gratior est ægris medicina, quàm celeritas ac facilitas famulatur officij. Qua de re est nobis de capite, tanquam ἐξ ἀρχῆς, ad reliquam curam corporis descendendum: in quo quantò pretiosior est sanitas, tantò est molestior ægritudo. Si quis igitur in sene, & quantulæcunque scientiæ medico, hanc simplicem curationis uiam, illaboratamque miratur, nouerit me in utroque genere facere, quàm docere potius elegisse.

De infectionibus capillorum. Cap. I.



AD DENIGRATIONEM capillorum. Spumæ argenti, terræ cimoliæ, calcis uiuę, sing. semiuncia, trita cum aqua. Identidem conteri facies usque in pinguedinem mellis, & capillos linies. Linimentum uerò cùm siccare cœperit, loca fricando discuties, & lauabis ex posca in qua terram cimoliã tritam commiscueris. Ne autem ustionem incurras, procura frequẽter, ut cùm lauare cœperis, loca ipsa oleo roseo irrigentur. Aliud. Ferri purgationem, & rasuram plumbi uncias senas, in sextarijs tribus aceti uiscidi coques, ut ad medietatem coctura perueniat. De hac coctione frequẽter loca lauabis, et oleo anethino continges. Ciconiarum oua in uas plũbeum adijcies, & agitabis: ex hoc capillos unges. Cùm uerò linimenta siccauerint, ex aqua, in qua betæ decoctę fuerint, tepida delauabis. Aliud. Capparis radicem confringes, & tribus diebus in lacte infundes asinæ: post uerò coques molli uapore, usque in mediã partẽ, & frequenter loca cõfrices. Aliud. Fungos arboris nucis cõburi facies, ut carbo fiat: postea uerò teras, mixto oleo quoad libuerit. Aliud. Hoc utaris unguento diurno, ut ulterius albi nõ nascãtur. Betarũ rubearũ cũ radicibus suis lib. I. teras cũ ammoniaci salis unc. II. & admisces olei cedrini unc. III. ut confectio siccari non possit: & uteris. Flauos uerò capillos si facere uelis, lupinos amaros in aqua per dies XII. infundes: & postea ex hac aqua in balneo caput assiduè lauabis. Aliud. Alumen, quo infectores utuntur, cum aqua conteres, & capillos ex his infundito: quod permanere facies diebus tribus: postea lauabis ex aqua in qua nitrũ resolueris. Sanè si tibi multũ rubri uisi fuerint, ex

ea aqua lauabis, in qua cimoliam terram resolueris. Si candidare autem uelis, hirũdinum stercore, cum felle taurino contrito, loca continges frequentius. Sed hæc superfluè nos ordinare, certissimum est. Cæterùm albi prohibendi sunt potius, quàm procurandi. Sanè si crispare intẽdis, Asphodeli radices in uino teres, & ex hoc frequenter infundes.

De capillis cadentibus. Cap. II.

INSTRVAM etiam de capillis cadentibus, qui aut longa ægritudine, aut abundantia uaporis cadentes, ante senilem ætatem nudare caput consueuerunt. Ordinamus itaque confectionis genus, quo nõ solùm candentes retineri, possideri'ue possint, sed etiam fortè qui ciciderint, reparent[illegible]ccipies quamplurimas napas, & in uase fictili clausas incendes: & postea cum oleo conteres, & cap[illegible] illinies: sanè sollicitus, ne frontem tangas, ob tumores emergentes: licet falsò tumore terrearis. Aliud. Melãthion super carbones cùm torrueris, teres, & cribrabis, & cum aqua commixto, caput illinies. Hoc & alios innasci faciet quammaximè. Si supercilia curare uelis, Ladanum cum uino teri facies, & oleum myrteum admiscebis, & utêris ut pinguissimo linimẽto. Aliud. Nuces uirides immaturas quassabis, & eas in oleo fremiali infundens, & aluminis humecti tertiam partem, & in uase fictili nouo repones diebus 40. in subdiuali: & pòst utêris unguento probato. Aliud. Nigræ myrti foliorum uncia I. gallarum quassatarum unc. II. similiter in oleo infundes ut suprà, & utêris. Hoc etiam superciliis utile est, quod Græci τριχίασις appellant. Aliud. Herbam Peristereon cum radicibus suis siccatas teres, & cribrabis, & oleo commiscebis, & uteris. De experimentis. Aliud. Adeps ursinus, cum ladano & adianto subactus, illitusque, capillos effluere non patitur. Et sandaraca cum aceto contrita, idem facit. Aliud. Capita muscarum cum melle contrita, par beneficium faciunt in continendo capillo, ut capilli etiam post combustionem exeant, si fieri uelis. Ficus folia sicca tundes, & cribellabis, & ex eo puluere loca confricabis; aut cum aqua dulci decocta proderunt. Aliud. Alcyonii radices combures, & teres similiter, & præuaporatis locis asperges. Sed quoniam aliquando supercilia, uitio imminentis elephantiæ, aut siccitate nimia corporis cadunt, ut in capite sæpe contingit, hi sic constringendi erunt. Cedrinum militrum combures, & eius nidoris puluerem colliges. Vnde hoc supercilia tangere debebis.

De crementis capillorum. Cap. III.

ALIVD generaliter omnibus ad capillorum crementa. Polytrichi herbæ radices pondo duo, flores eius pondo II. cedrini olei pondo III. oua gallinarum decem, olei hispani põdo triginta, gallarum pondo tres. Radices herbarum in aqua infundes, flores uerò supradictos in sole siccare facies, oleum uerò utrunque in uas mundum mittis cum ouis, & cæteris speciebus, & agitas, quandiu ueluti calefactum proprium odorem exhalet, & similiter quotidie agitas diebus octo. Postea uteris unguento. Attamen gallico sapone caput lauabis. Aliqui uerò consultius agentes, post capitis loturam, hac usi sunt unctione. Olei cedrini pondo I. uini libra, ouis III. Nardini olei pondo V. commiscebis, his omnibus mixtis, & agitatis.

Ad defectionem capillorum, quibus ægritudine prolixa carere sæpè contingit. Cap. IIII.

CORIANDRI seminis uncias II. cimini anatolici uncia I. herbæ peristerei uncia I. Omnia infundes in olei myrtei, & uini cretici sextariis II. Et post tertium diem, molli uapore coques usque dum materia consumatur, & ita uteris. Adipis ursini uncias II. ueretri asini combusti uncias II. polytrichi unciam unam, polygoni uncias IIII. myrtei olei pondo duo. Omnia tusa, & cribellata, cõmisces, & uteris psilothro. Capillos locis propriis defugabis, si uespertilionum cerebra lacte muliebri contrita commisceas, & adhibeas. Aut si marrhubii succo lac asinæ commisceas, & similiter loca contingas. Hoc & thunni piscis fel, ladani lacryma commixtum facit. Et si lèporis sanguine recenti loca contingas. Sandaraca, & hyoscyami succo æquis ponderibus mixtis, loca continges, & capilli cadẽt, nunquam ulterius exituri. Cicutæ herbæ succum cum aqua diligenter contritum, euulsis ex oculis pilis, adhibeo diebus tribus, & ulterius non nascentur. Cimicis sanguine quammaximè mulieribus loca continges. Vespertiliones quamplures uiuos accipias, & eos in uas cum cedria infundas, quandiu illo tempore putrefieri possint, & ex eo loca contingas, quæ à capillis semper immunia esse uolueris. Agrestis urticæ semine cum oleo contrito, loca continge. Pini arboris [illegible]as accipies, & cum melle conteres, & repones. Cùm uerò uti uelle cœperis, loca confricabis.

De pediculosis. Cap. IIII.

STAPHYS agriæ unciis II. sandaracæ unc. I. cum oleo, & aceto postquam contriueris, omne corpus perungendum est. Sic gærasteros, & nitrum, & oleum facit. Folia tamarisci in aqua bulliantur, & ex ea decoctione fricentur. Et aliud. Postquàm capillos abstuleris, aut melle, aut cedria loca continge. Lupinos amaros in aqua infundes per plenum diem: alia uerò sequenti, coqui facias, & ex ea decoctione loca frequentius delauabis. Hoc pyrethri, & gallarum puluis ex æquo cõmixtus, in balneis adhibitus, facit. Pòst hunc uerò puluerem, succo betarum loca lauabis. Staphysagriam tundes, & oui album admiscebis, & commixtione loca fricabis.

De acoris.

De acoris. Cap. V.

ACORAS, papillas dicimus, quæ per cauernas breuissimas, humorē pinguissimum mittunt. Hæ frequēter in capite, uel facie, & cæteris mēbris emergūt. Quibus & cæteræ papillę sunt similes, quas Ceriones appellamus. Sed & distāt, quod Ceriones plures cauernas egestionis hñt, & humorē multò pinguiorē emittut: Acora aūt, unā cauernā hēt, & humorē egerit aquatiorē. Est nāque utrisque cā una, uitiorum nascendi necessitas. Quæ cū se plenam mōstrauerint, ordine tali curādę erunt. Primò purgatione totius corporis uti conueniet, ut origo quę hęc effecerat, egeratur purgatione inquam, tali. Scammoniam, aloe, colocynthida æquis ponderibus contritas, succo cauliculorum temperamus, & catapotia in modum erui grani conficimus. De quibus erit nobis plena datio, grana VII. Secundę V. & ut se ratio ętatis, & causę qualitas attulerit. Incipientibus uerò causis, etiam sola unguentorum frequenter beneficia suffecerunt. Terra cimolia cum aceto contrita, seu creta argentaria similiter. Sic pompholix cum aceto adhibetur: sic spuma argenti: sic chartę combustæ cinis cum aceto medebitur. Quibus uerò hęc uulneratio obuenerit cum dolore, primò ex aqua calida fouendi sūnt, in qua decocta sint aut rubus, aut sparagi radix, aut saluię folia. Hoc & lenticula cocta, & cum melle contrita curare consueuit. Antè tamen lauanda loca erunt succo betarum, mixtis fœnigręci pollinibus. Pini corticis cōbusti cinis mixtus cerotario, & oleo roseo adhibetur. Sic & cadmia, sic & cerussa, sic & spuma argenti adhibetur in balneis. Certum est nanque, in fœminis cauendam esse aceti adhibitionem. Vnde magis eis uino omnia medicamenta temperanda erunt. Item nitrum combustum uino stiptico extinguis, & cōtritum in balneis adhibebis. Similiter & mirobalanum oleo coniungas: Quod apud Apollonium probatum esse cognouimus. Aliud. Olei rosei, uel myrtei unciam mittes in mortarium plumbeum: Accipies etiā pistillum eiusdem metalli, & teris, quandiu oleū pinguescat & nigrefiat. Item in aliud mortarium cuiuslibet metalli, mittes spumæ argenti libram unam, tantundem ex cerussa, & eorum puluerem combures cum oleo supradicto. Ex hoc omnes acoras, ubi fuerint, linimento curabis. Hoc medicamētum & in papulis, & in pudendis ragadijs, uel cōdylomatibus, quæ semper pro loci natura, acrioribus medicaminibus commouētur, etiam prodest. Apud aliquos hoc genus medicamenti Ricotia appellatur. Aliud rutatum. Spumę argenti uncias octo, rutę uiridis foliorum uncias quinque, olei myrtei uncias octo, acori libram unam, misces omnia contrita diligenter, & loca fricādo curabis. Priùs succo betarū similiter ut superiùs, loca lauanda sunt. Cerussę uncias tres, spumę argenti uncias duas, olei myrtei quatuor, sulphuris uiui unciam unam soluta commisces, & simili modo uteris; non solùm hoc capiti, uel quoquo loco emergentibus exanthematibus prodest, Apollonij iudicio comprobatum.

De alopeciosis. Cap. VI.

CONTINGIT dupliciter passio cadentium capillorum, ut aliquando defectu quodam cadant, & nudando partem capitis turpent: & aliquoties, ut illis ueluti uulnerum horridus plerunque uisus occurrat. Ergo defectus, ut priùs diximus, cùm contigerit, caluitiem facit. At fœditas illa, uulpini uulneris similitudinem quandam exhibet: deinde etiam serpentis squammosi superficiem mētitur. Vtrunque genus passionis fœditatem exhibet capillorum. Sanè hęc passio comparanda est fructibus ex malis succis terrę nascentibus. Quorum causa aliquando esse poterit, qualitas nutrimenti: & si fortè sterilis terra fuerit, fructus cum raritate degenerat: sin uerò humor corruptus, etiam fruges degenerāt. Ad hanc ergo formā, etiam in capillorum uitijs debemus aduertere. Talis enim erit eorum positio, qualem qualitas ostenderit capitis. Est ergo utriusque accedentibus uitijs, manifesta & æqualis origo nascendi; unde simili curatione iuuari debebunt; licet diuersa cognomenta sortita sint, pro sui accidētis qualitate: ut alopecia ex cognomento uulpium; ὀφίασις, ex serpentium squammis cognomentum acceperit. Est nanque huius passionis distantia, quæ profectò ex humorum colore originem causarum attestatur: ut aliquando alba, aliquando rubra, aliquando etiam nigra uideatur. Purgantur adeo proprijs purgationibus suis. Nam suadeo propriam totius corporis curam & diligentiam decernendam, quoad ulteriùs acerbi & corrupti humoris pertinaciam, per inferiora depositam, à capitis hactenus inquietudine deuocemus. Sūt itaque, si de phlegmate, causa uel origo peruenerit, apophlegmatismi adhibendi tales. Pyrethrum, & staphysagria, cum granis masticheѕ, æqualibus ponderibus mixta, & contusa adhibeantur, & sales cum pulegio contriti similiter, & cum oxymelle mixti, ore diutius teneantur. Ergo quoniam singula accidentia proprijs suis purgationibus liberantur, superaddo purgationis genus, quod in commune, sine alterius humoris præiudicio, operetur: quo omne corpus diuersis humoribus infestatum releuari possit. Colocynthidos interiorū unc. I. aloes unc. I. scammoniæ unc. I. absinthij unc. I. omnibus contritis & mixtis cum succo cytoniorum, catapotia conficimus, quæ pro qualitate corporis atque causarum adhibeo. Accipi autem debebunt, si breui accidit, in modum lentis, aut VII. aut IX. aut certè XI. Si autem in anu, aut homine uetusto fuerit, maior cura exigitur, unde cum aqua calida competenti, intermissis etiā diebus, dabo quod post ordinabitur. Post beneficia itaque harum purgationum, quę toto corpori prodesse priùs potuerant, etiam particulis, hæc sunt adiutoria socianda. Euforbiū tritū cū oleo, pro linimēto adhibemus, aut oleū solum laurinum, aut nasturtij semen cum oleo, aut sulphur uiuum cum nitro combustum, æquis ponderibus cum aceto,

aut erucæ semine cum oleo, aut ursinis adipibus tantummodo confrixentur. Similiter etiam alcyonium combustum cum aceto, uel cedria, operabitur. Hoc etiam murium fimus cum aceto, hoc amygdala amara, hoc cepe tritum cum oleo, hoc raphani cortex cum melle contrita facit. Nam etiam ferri purgatio cũ aceto, uel hordeum combustum cum murium fimo, & aceto siccare potest. Omnes confectiones, quæ mediocriter calefacere possunt, mediocribus & delicatioribus corporibus adhibendæ sunt. Prius ergo loca linteolo usque ad ruborem, ante curam confricentur mediocriter, ne uulnerentur. Quæ si uulnerabuntur, oleo roseo, uel adipibus anserinis recuranda erunt.

De aurium causatione. Cap. VII.

AVRIVM dolor uarijs frequenter ex incommodis excitatur. Nam & frigora, & lauacrum importunum, & quassatio eiusdem cauernę, uel sordium conspiratio, aut altior nerui tactus, aut si per longam ægritudinem humor uitiosus illic aggregatur, æque molestiam auribus faciunt. Si de frigoribus etiam dolentibus emerserit, in oleo cepas coqui facias tepido, aut piper tritum cũ oleo, similiter & rutaceum: Sic etiam laurinum curat. Si de humore balnearum aures fuerint inquietatæ, oleum tepidũ infundito, & postea lana mollito. Sed & ceparum succum, cum anserinis adipibus mixtum: similiter initio, & oui alborẽ cum lacte mulieris. Et si dolor innatus fuerit, basilicon in nardino oleo solutum adhibeo, & castoreum cũ lacte muliebri similiter. Vtile est interea, ut spongia molli uaporetur ex aquis calasticis: & post lana detergatur. Sanè si cum illa indignatione doloris, etiam deriuatio fuerit saniosa, alumen melle & oleo resolutum infundito. Et galbanum in oleo similiter resolutum inijcito. Ventositas uerò si interclusa erit, aphronitris in aceto resolutis excluditur. Hoc & draconteæ herbæ succus, & centaureę facit. Si uerò sonare aures cœperint, oxyrhodone tepido curãdę erunt. Si autem idem ex ęgritudine sonitus obuenerit, ex aqua primo uaporabis aures, in qua absinthium ponticum coques, & continuò oxyrhodonem infundes; aut raphanorum succum cum oleo, aut hellebori nigri puluerem cum aceto; aut solum acetum tepidum cum melle commixtum: aut porri succum cum lacte muliebri, & oleo roseo, aut amygdala amara cum aceto & oleo. Hoc & cepæ, & allium cum adipibus anserinis, uel porci felle infusum remedium procurabit. Si uulneratæ aures fuerint, glauciũ cum aceto cõtritum infunde. Si tamen dolor non maior fiat, uel etiã humor, lamina ferri purgati cum aceto trita iuuat. Si audire tardius cœperint, quod difficile nouimus purgari posse, puluerem nitri marini contriti commisce, & antea caput purgabis. Deinde uẽtrem purgatione procurabis. Auribus uerò absinthij herbæ decoctionem tepefactam infunde. Lauri quoque folia, & betarum costa superpone. Aliquando nitrum in posca resolutum infundimus, aut bouis, uel tauri, aut caprarum, siue porcorum fel, cum oleo roseo, uel laurino, uel rhaphanorum succo, similiter tepefactũ profuit. Quibus uermes innati fuerint, bouillas carnes in carbonibus superpone, aut humorem ex hinc manãtem collige, quem auribus tepidum frequenter infundes.

De parotidis. Cap. VIII.

TVMORES repentinos sub auribus innatos, Parotidas uocamus: quas aliquando ex ægritudine, aliquando etiam spontaneè apparuisse cognouimus. Easdem frequenter per initia mollientes spongia in poscula infusa compescimus, assiduè humectando. Quæ uerò ex ægritudine emergunt, æque per initia, cucurbita mediocri imposita, ad superficiem prouocandæ sunt. Si uerò cum grauiori augmento minaces accesserint, tunc neque cucurbitę, neque similia adiutoria, quę ex altitudine aliquid euocare possint, adhibenda sunt. Frequenter enim ex doloris acerbitate, febres, & uigilię procuratæ, eliminatis uiribus uitę periculum intulerunt. Paragoricis uerò ijsdem adiutorijs, sic morigerãdum erit, ut ex pane mundo cũ oleo infuso, contritoque cataplasmentur: quod frequentius mutari debet. Similiter etiam de tritici pollinibus faciendum est; sic de hordei, superadditis tamen porcorum adipibus. Sic oryza mutata cum butyro. Si autem ijs adhibitis quæ mitigare cõsueuerũt, locis iam maturatis sanies apparuerit manifesta, (quod ille ait) continuò culpam ferro compesce. Post uerò resectis causis, uulneribus solenni diligentia seruiemus, curationibus tamen euacuaturis, & extenuantibus. Ad hoc maximè etiam tunc medicinæ incumbat industria, ut frequentibus etiam fomentationibus, doloris illis penitus inquietudo quiescat. Sunt autem adiutoria hæc, quæ post doloris impetus adhibenda sunt. Arnoglossa contrita, cum salibus, aut lapatij radicibus in uino decoctis, & rutæ folia uiridia, trita, ac mixta cũ cerotario, & oleo roseo temperata, & sulphur uiuum cum cymolia, æquis ponderibus, iuncta axungia. Sic fici pingues decocti & contriti, similiter causas latentes euocauerunt; quibus in principio hæc adhibenda sunt adiutoria, quando per saniem digestionem uolumus procurari, post fomentum aquarum calasticarum ex seminibus lini, uel fænogręci, & hordei pollinibus cum mellicrato facto cataplasmate seruiemus. Sunt nanque adiutoria quę & euocare, et ad maturitatẽ cogere parotidas uel apostemata ualeant. Hordei farina cum mellicrato, aliquando etiã cũ aqua marina, & oleo roseo aut cyprino teperatũ cataplasma adhibetur. Et fici similiter pingues, in muria, uel in aqua marina decocti, & cõtriti imponũtur. Et betæ coctæ in aqua, & cõtritæ similiter operantur; & agrestis cucumeris radix, in mellicrato cocta & contrita adhibetur. Aliud de experimẽtis. Rutã & hysopũ teres æquis ponderibus: & ficis siccos contusos sub duplo pondere commisces, mellis quippiam adijciendo; idipsum operabitur, ut apostema ex interioribus ad maturitatem prouocetur. Aliud. Capparis corticẽ

in aqua

in aqua elixa,& cum uino commisces,& cataplasma facis. Aliud. Irios Illyricę puluerem,cum hordei farina in mellicrato coques,& uteris. Aliud. Guttā ammoniacam teres,& similiter cum farina hordei in aqua cocta adhibebis;hoc & alumen scissum,contusum,cum hordei farina faciet.

De furunculis. Cap. IX.

SVLPHVR uiuum,tusum,cum resina terebinthina misces, & in lineo linteolo inductum imponis;aut uuam passam enucleatam tundis,& mediam quantitatem salis immisces,& uteris.similiter ut facilius erumpant,soli adipes caprini,uel bubuli colati efficiunt:origanum uerò,myrrha, & sal simul tusa, & commixta cum aqua,continuò ad maturitatem perducunt;& caricæ contusæ cum resina : deinde cùm ijs adiutorijs adhibitis collectiones maturatæ eruperint,ulceribus medeberis his medicamentis, quæ solennis edocuit consuetudo. Sin uerò,magno phlegmate superueniente,solui nō potuerit furunculus, uel parotida,sed callositate permanente,choeradas fecerit,ad duriores choeradas,alia disputatione,pro sui difficultate,curā & operā adhibemus. Choeradas quas frequēter in collo,uel sub mento,uel sub ascellis nasci nouimus,hac cura uisitamus,qua durities indigestibiles soluere possimus : ut præeūtibus catholicis adiutorijs,q̄ & capitis rheuma cōstringere,& corpus reliquum catarticis purgare possint,sic easdē soluere ualeamus. Lenticulam coctam in aceto tritam,imponere perseueremus. Vtamur etiam caprificis in aqua decoctis,et contritis.Similiter etiam lupini in aceto cocti faciunt.Hoc fici folia in aqua cocta,et trita,sicut cataplasma. Hoc asphodeli radices in uino tinctę. Scylla quoque,si contrita in uicē cataplasmatis imponatur,quatuor diebus permanens continuis,duritias soluit. Et erui puluis,cum aceto,& cyminum conteritur,& similiter operatur. Immaturas uerò,& in tarda duritie permanentes,per prasij uiridis folia, porcinos, aut bubulos adipes,rutam æque uiridem,simul omnia contundi,& immisceri suadeo,ut in linteolo locis maturādis adhibeatur. Hoc etiam sordes de parietibus palęstræ collectæ,in panno inductæ faciunt. Hoc calcis flos,cerotario mixtus,facit. Hoc lapis molaris tusus & cribellatus,& resinæ commixtus. Sic puluis ammoniaci, & manna thuris cum resina commixtus terebinthina,saniem maturiùs procurabitur. Sic sandarachæ puluerē cum adipibus miscentes adhibemus,aut calcem uiuam cum adipibus similiter. Quòd si tibi durum emplastrum uisum fuerit,oleum competens misceamus,ut temperari bene possit. Sic puluis etiam pumicis, & asphodeli radices coctæ,uel crudæ,cum hordei pollinibus,ut cataplasma,adhibendæ erunt; aut hyoscyami folia cum oxymelle,corrumpunt interea,uel putrefaciunt choeradas. Si allium tritum cum cataplasmate,seminibus mixtum coquas,& perseuerare permittas diebus quinque,hoc de expertis habemus. Aut si chamæleontis herbę radicibus tusis,puluerem locis asperseris;aut si betas coctas cum oleo contritas imposueris. Aliqui etiam unctionibus perseuerantes,choeradas frequēter fugarunt,sic, ut cineribus uitium aut ficis cum oleo mixtis ungerent. Sed & ferri,uel æraminis purgamenta, contrita cum oleo . Ignoranti escā dabis lacertos uirides coctos,amputato caput & pedes. similiter & stercus bubulū, aut asini combustum, & cum oleo mixtum,commodius adhibetur. Et origani puluis contritus cum aceto idem facit. Hoc hysopi,hoc thymi,uel absinthij,uel centaureæ,uel abrotoni,chamæleæ, aut singulæ,aut certæ coniunctæ,& mixtæ cum aceto,perficiunt. Iuuant sanè,ut superiùs memorauimus,ad hæc implenda, etiam totius corporis catholica beneficia. Nam & ciborum continentia,& potionis,exercitia quoque,& lauacrorum diligentia,& uomitus,uel purgationes,capillorum releuatio , sanguis de naribus prouocatus,hæc omnia choeradas duras,& difficiles,& in cura positas,adiuuerunt.

De oculorum causis. Cap. X.

OMNES particulæ corporis,proprijs indigent curationibus. Oculi autem curationes multæ, magnæque sunt. Ii nanque cum primò leuiter,seu uapore,seu frigore,uel cæteris quibusuis originibus fuerint attentati,frequenter frigidæ pustulæ,fomentatione nos conuenit obuiari. Si de frigore ergo obuenerit,uini mixti calida potionē fouendi sunt. Quibus uerò commotionibus tam doloris, quàm grauedinis, aliquando etiam uenæ frontis inflatæ,plenitudinem sanguinis attestabuntur, ijs phlebotomo subuenire conuenit : si tamen nulla aut ætatis, aut temporis,uel reliquarum causarum certa ratio prohibuerit. Si uenter constrictus fuerit,clystere,seu purgatione prouocandus est. Iisdem uerò oculis impatienter dolentibus,foenograeci succus,palmarum indulcatus decoctione,aut oui recentis tenuis liquor tepidus infundatur. Similiter etiam lac muliebre infusum iuuat. Est etiam cataplasmatis utilissimum adiutorium, quod de oui uitello,& melliloti puluere,pane quoque infuso in aqua,& oleo roseo,simul mixto,adhibetur. Nos etiam croci,& opij quippiam coniungimus. Si uerò collyrij experimento uti placet , cuius probationem habeas,in ipsis commotionibus,cum oui albore tepidum infundendum esse suadeo : ita tamen,ut aut dialibanum,aut aptō de libano,contra graues commotiones adhibeamus,præmundatis interea oculis, molli, & tepido penicillo à pituitis ægrotis oculis inhęrentibus,iuuatis ciborum continentia,& uini detractione. Sanè si capilli nimis onerosi fuerint,detondendi sunt : ut sub maiori beneficio,cucurbitarum adhibitione & sanguinis detractione facilius liberentur. Aestiuas nanque perturbationes oculorum,etiam decoctio rosarum sola curat calida. Curat etiam gargarisma,cùm per initia adhibetur. Origani in aceto decoctio. Si autem declinantibus quidam tumor circa interiorem oculorum angulum apparuerit, quem hypopium dicimus,hoc modo reprimendus erit . Posca frigida frequenter infrigidetur : post uero pollinibus hordei ex

oxymelle coctis cataplasmetur. Similiter etiam de lenticulę pollinibus fiat. Aeris flos tritus & infusus in lotio inuestis pueri per VII. dies, postquam siccauerit, ex eo puluere, melle mixto imposito, competens beneficium præstat. Nam & caseus recens, tritus, & impositus, sæpe illum tumorem repressit; & absynthij herbæ puluis, cum cerotario, hoc idem facit. Si ex moro pingui locum primo foueamus, etiam cyclaminū, cum uua passa commixtum, & cōtritum, curat. Et bulbi candidi cum melle contriti, similiter operantur. Sic rhaphanorum cortex cum uua passa medetur. Sic & rosæ folia, cum felle taurino, uel porcino. Sic fici pingues, in moro coctæ sæpius profuerint. Ad repentinas autem sanguineas maculas oculis inhęrentes, flores, uel semen hysopi herbæ, in limpido linteolo colligabis, & in aqua calida infundes, & agitando exiccabis: qui succus uelut sanguineus fiet. Ex quo, infundendo, illas sanguineas maculas depurgamus. Postea thure masculo, & aphitā æquis ponderibus, carbonibus impositis, fumigandi sunt. Si uerò cæsi, aut percussi hanc maculam sanguineam cum dolore procurarint, iis columbi matre subducti, repentinus sanguis infusus prodest quàm maximè, si de pēnis mollioribus exprimatur: ubi liquor tenuis, tepidus infundendus est. Item si in eadem hora, ouium lana infusa superponatur. Idem puluis rosarum facit, uel semen earum cum aphitis, si in uino conteratur, & superimponatur. His etiam & sulphuris ui[...] fumigium prodest, si idem fumus patētibus oculis hauriatur. Si oculi rheumatizauerint, quod grauissimum est tædium oculorum, iis uini & carnium parcitas indicenda est. Ventris purgatio frequenter fiat, & posca frigida oculi foueantur, & æris flos in eadem posca resolutus, satis iuuat. Odores acres & putentes effugiant lucernarum, uel solis claritudines uitent. Fumi, uel pulueris declinent commotiones. In nocte uerò aqua frigida, uel uino infusas superimpones fasciolas molles, iisque continēdo oculos lauas. Si his adhibitis, rheuma cum dolore perseuerarit, phlobotomandi sunt. Ciborum, uel potus continentia custodienda erit. Sitire etenim omnibus rheumatizātibus satis prodest. Fronti uerò peponum uiridia folia frequenter imponantur. Similiter & de rapi folijs. Nam & succus earum frequenter fronti illinitus & sambuci folia, & cotoniorum, & portulacæ similiter, & ex his cum aphitis & uini cataplasmate sæpe curati sunt. Et caseus recēs cum apiorum folijs contritis impositus, sæpe oculos liberauit: & panis mundus uino infusus, & cum oleo roseo tritus, par beneficium præstitit. Omnes species supradictæ, generaliter quæ oculis rheumatizātibus ordinatæ sunt, cum uino & aphitis semper in cataplasmate profuerunt, & decoctiones earum: quibus sæpe oculi fomentandi sunt. Sanè si calidus fuerit rheumatismus, ex caulium folijs & aphitis, cum aqua cataplasmandi sunt. Sic de ocimo, sic de [...]osuço, sic de agresti papauere, sic de cicutæ succo, sic pulicariæ, uel apiorum, uel strychni. Si uerò siccitas palpebrarum emerserit, linteolum mundum butyro infusum superimponito. Aliquibus uerò humorem conuenit procurare per lacrymas quas aut fumo, aut terrore, uel plagis extorquendas esse credimus. Sanè si in prima oculi tunica sangu[...] nimia ueluti caro apparuerit, quam Chæmesin appellamus, hoc adiutorio curatur. Muscas quamplurimas, cum oui uitello cōterimus, & in linteolo mundo superimponimus. Licet etiam collyri[...] huius causæ competētibus sæpe curati sint. Derbiosos oculos, quos nos impetiginosos dicimus, asperit[...] uitiis laborantes, sic curare consueuimus. Allium accipimus, cuius interioribus melle contritis, oculis, postquā ex eo humore, uel succo rapuerint inungito: & ex eo pruritus & supradicta uitia depurgabis. Aliud. Grana tritici, in lamina ferri calida impones, & similiter ex succo qui manauerit, cum uino commixto, inungito. Aeris flos tritus cum melle, frōti illitus, iuuat. Si pruritus maior pa[...]oras occupauerit, ut etiam capillos amittant, has oportet ex oleo cedrino ungere, aut ærugine, cum aphronitis, & melle contritis, aut asphodeli succo cum passo commixto. Nam & murica decocta, & mixta cum oleo, adustionem curat, & capillos reparat: & murium fimus, & hircorum cornua, utraque combusta, cum melle, & eodem modo adhibita. Si pruritus simpliciter ex sole, uel puluere fuerit, aquæ calidę fomenta sufficient, aut rosarum, aut rubi, aut lentis decoctio. Et rosa sicca, cū uino trito imponitur, & in nocte, oleo simplici loca tangūtur. Caligantes uerò oculos hoc modo curamus, si uulneris aliquid non interfuerit præiudicium. Herbæ pariatariæ succū, bitumine iudaico trito, æquis pōderibus miscemus, oculos inungentes. Et perdicum fel similiter facit. Et marrhubij succus, cum felle taurino, & melle attico, æquis ponderibus commixtus ita curat. Et ursinum fel, cum aquæ dupla mensura, similiter purgat. Si autem obscuritas hæc senectutis magis quàm oculorum uitium fuerit, succum maligranati, melli attico æqua mensura commisces, & uteris: uetustatum tamen magis operabitur: sanè si quamplurimo tempore uas sub diuo facias permanere. Hoc etiam scriptoribus & pictoribus sæpe profuit. Etiam uinum optimum uetus in nocte adhibitum, oculorum aciem reformauit. Aliud. In oleo mundo folia marrhubij miscemus: & cū tempore illic macerauerint, proiectis folijs, ex solo oleo obscuritates expellimus. Hoc beluæ fel mixtum melli facit. Hoc succus rutæ cum melle similiter. Nam & chelidoniæ succus, & foeniculi, lactucæ quoque agrestis, & meliloti, cum æqua mensura, caligines & obscuritates, aliquando etiam suffusiones liberauerunt. Et taurinum fel mixtum melle, sic profuit. Nyctilopes uerò qui per noctē uident, & per diem obscuritatem patiuntur, sic curandi sunt. Accipies hirci iecur, & scarificabitur: humor uerò qui ex scissuris emanauerit, oculis diebus duodecim infundendus est, & uitium corrigitur. Aut idipsum iecur in carbonibus ponitur: cumque exudauerit, de eodem humore inungēdi sunt. Hoc item iecur coctum etiam inter cibos accipiunt comedendum. Et columbi sanguis infusus oculis, iuuat: & fimi asinini recens succus proderit. Alboribus uerò oculorum, nitrum bene tritum cum oleo infundendum est, aut anethi semen cum aqua tritum. Et succus cucumeris dulcis. Et raphanorum succus sic medetur: & ammoniaci cum aqua contrita. Nam & lactanti suo mater guttam ammoniaci masticando, & exhalando, albores oculi, similiter & albas maculas filij, sanguinem femoris sui infundendo, sæpius permūdauit. Glau

cos

cos uerò oculos si denigrare uolueris,sic facies. Gallarum puluerem tenuissimum,cum aqua bene coctum misces,& leporis fel,mixtum melle,glaucos oculos renouat in naturam. Si hordeoli in palpebris nascātur, hordei decoctione calida oculos fomentabis,& post cera liquefacta locum tanges. Et si muscarum capitibus locum confricas,hoc idem facit. Prætermissum fuerat item aliud. Erungium campanum unc. I I I I. guttam ammoniaci unc. I I. gummi unc. I. aqua pluuiali trita supradicta commiscebis,& teres,ut collyriū facias. Capillos uerò contrarios sic non nasci facies: si his euulsis,loca sanguine cimicis tangas: & sanguisugarum combustarum cinis locis appositus,eodem modo curabit. Et chamæleontis herbę folia sicca trita in puluerem,& commixta sanguine ranarum uiridium,post euulsionem capillorum,pro collyrio inūgimus;fel uulpis solum similiter. Staphylomata uerò,hoc est,cùm in modum uuę crepantis,prioris tunicæ tumor quidā erumpit,sic curabis. Alumen scissum ferri facies diligēter,& adipes anserinos admiscebis,& uteris pro collyrio. Nam & melli commixti adipes,supradicta staphylomata diligenter curant. Et soli adipes bene colati sufficient.

De narium morbis. Cap. X I.

OZAENIS, & polypis,uno eodemque modo cura est adhibenda. Cōstringendus in primis est detonsis capillis rheumatismus. Post rasuram uerò,emplastrum Diatheon,aut Barbarum. Et de cochleis simile est adiutorium. Accipias cochleas minutas,albas nu[illegible] ducentas,tritas;admisces myrrhæ,& thuris masculi uncias singulas,pro cataplasmate,raso capiti diebus nouem permansurum. Naribus uerò specialiter sic medeberis. Succum nepitæ,quam Græci calaminthen uocant,frequenter infunde,aut eiusdem siccatæ & contusæ puluerem,per cānalem exufflato: aut batrachi[illegible]bæ succum,cum melle commixtū. Et succus rosarum,contusus usque ad pinguedinem,item prodest. Sic irios Illyricæ,& sandaracę pulueres ex æquo cum melle commixtos adhibebis. Polypis itaque eminētibus,æris florē,& synopidem ex æquo combures,& ex eo puluere sanabis loca. Et cornu ceruini combusti puluis,cum sandaraca similiter spargendus est. Sic bryoniæ herbæ radices combustæ;sic auripigmenti puluis cum melle. Ego uerò sic è naribus polypos cecidisse probaui. Puluere ex calcite,admixto æris flore, æqua ponderatione confecto, & locis adhibito per cannulam,sicut suprà memoraui. Fœtori uerò narium succum hederę frequēter infundas,& draconteę succum cum melle similiter.

De fluxu sanguinis narium. Cap. X I I.

PRIMVM instrato melle,in extremo baculo,molli lana obuoluto,glebas sanguinis è naribus purgare nos conuenit,pòst lana idētidem obturando procludere. Aliud. Linteolo combusto, & infuso in acri aceto,aut in succo polygoni herbæ,aut cymæ,uel porri sectiui similiter. Si perseuerauerit,sine mora phlebotomandus erit; & fimi asini combusti puluere,cum oleo roseo mixto, collyria facta supponimus. Et de siliquæ mollibus folijs contusis facta similiter collyria profuerunt. Sic portulacæ,sic strychni,sic terræ alexandrinæ cum succis supradictis puluis sæpe profuit. Caput eorum s[illegible] lini seminis frigido fouēdum est. Circa frōtem uerò,gypsum cum ouo,uel luto figulorum similiter mixtum,inlinire debemus. Sic æris flos,sic pini cortex combustus, sic fimus asini,ut suprà significatum est. Si uerò istis adhibitis adhuc perseuerauerit fluxus,ignita cucurbita,si ex dextra nare manauerit,dextro lateri admouenda est: si ex sinistra,sinistro lateri: sin uerò de utrisque,& utrisque igneas cucurbitas applicabo. Aliqui uerò fasciolis lineis naturam,& testes eorum alligando mollius constrinxerunt: si in fœminis,femoralia.

De labijs crepitantibus. Cap. X I I I.

GALLAE tunsæ puluerem,resinæ terebinthinæ limpidæ admisces,& ut emplastro uteris,aut hysopo ceroto,cum melle,aut adipibus caprarum colatis tantummodo. Aliud. Sulphur uiuum,myrrham,& thus masculum,ex æquo,succo herbæ paritariæ commisces: & sic trociscos conficies,quos cum aqua resolues,& linies. Aliud. Mel terebinthinum,adipem anserinum,oleum roseum,hæc omnia ex ęquo mixta uteris. Si odor insuauis oris fuerit,posca frigida os frequenter colluere oportet, & cimoliæ pulueribus, cum salibus tostis,simul mixtis,& tusis,dentes & uicina loca fricare. Aliud. Hordeum & sal,in linteolo collectū,comburis æquis ponderibus,& teris,& cum melle commisces,& mundas. Siligo,cum illyricę puluere similiter commixta operabitur. Aliquoties etiam cum uino melius commiscentur. Masticare autem frequentiùs his conueniet aut arboris pini folia molliora,aut anethum,aut glycyrrhizan,aut herbam quę Sonchora appellatur. Sed & cornu ceruini combusti puluis,& fœtorem oris,& dentium semper compescuit imbecillitatem.

De dentium curationibus. Cap. X I I I I.

DOLORES dentium fimus [illegible] siccatus,& tritus,pro dentifricio,sine dilatione cōpescit. Mixtus quoque cum aceto,ori diutius remorando, æquè profuit. Et betarum succus tepidus similiter profuit. Et decoctio ex cucumeris agrestis radice in uino,similiter. Et nitrum cum oleo tritum;& decoctio rosarum in uino,uel rubi in aceto,& cypressorum fructus,tedæ pingues in uino decoctæ;sic etiam glycyrrhizæ in uino decoctio, sine cunctatione dentibus relaxatis atque dolentibus profuerunt. Si omnes interea

doluerint,

doluerint, cedriam in ore teneant, continuò mitigantur. Sin uerò malæ dolent, herbæ paritariæ radicis succus, in balneo ore contine[...]r, & statim medetur. aut si eiusdem radix coquitur. Similiter & pyrethri radix profuit masticata continuò. Item alcyonij radix, in carbonibus posita, dentes dolentes fumigando compescuit. Physicum. Canis dens combustus, similiter profuit. Et si æris florem in oleo tritum, dentibus admoueas; & lac asinæ recens ac tepidum, constringit & mitigat. Similiter quibus putres cauernæ obuenerint, Melanthium elixum in aceto commixtum, & si solo puluere aluminis scissi easdem cauernas impleas. Hoc & gallarum puluis cum melle commixtus facit. Si uerò percussus quidem dens, uel mala fuerit, resolutum coralli puluerem apponito, & continuò constringitur. Si longo uitio laborantes, spōtaneos cadere uolueris, pyrethri, uel artemisiæ puluerem, cum aceto commiscebis, & dente circumlinies, & spontanei exilient. Aut succo tithymali cauernam adimple, & spontanei cadent. Physicū. lacerta solanea, & coccum gnidium tūsum in galbano similiter operatur. Lacertum solum exseca, & sicca, & eius puluere dentem, uel cauernam attinge, & continuò cadet. Post scarificationem coccus gnidius tunsus, cum galbano, similiter operatur. Et apophlegmatismum hoc profuit. Si staphysagria ad masticandū detur; aut si cum pulegio misceatur; aut cera cum gallarum puluere contusa; aut salicis, uel myrti folia uiridia in aceto coquantur, & in ore contineantur. Postea uerò si nausea consequatur, oleum tepidum roseum in ore contineant; & origanum in oleo coque, & ex hoc dentes calefacito. Et saccellus calidus impositus de salibus, uel milio, forinsecus adhibitus, prodest. Omnia hæc calida, secundum Hippocratis præceptum, dentibus profuerunt. Nam & dentrifricia hæc, & saluti & ornatui, & semper uitiosis dentibus profuere. Salibus melle commixtis, & combustis, & contritis, quippiam myrrhæ miscendum est, & utimur, ut moris est. Hoc & marathri puluis solus facit. Nam & lanæ succidæ combustæ pulueri, tertiam partem salium cōbustorum commiscemus, & utimur similiter. Post uerò, uinum, in quo irim Illyricam decoxeris, os colluere conueniet. & Tithymalus in uino decoctus, multùm proderit. Si ex hoc bis per mensem tepido collueris dentes, facies eos candidos, & semper sine uitio permanere. Gingiuas uerò cum gargarismate ex aceto tepido, in quo herbæ mercurialis radices decoxeris, sine mora mitigabis.

De uitijs faucium, uel oris. Cap. XV.

PER initia cùm commoueri aliquid in faucibus senseris, generaliter omnibus ex decoctione siccatarum rosarum, uel dactylorum elixorum, aut lentis, aut cātabri, uel cęterarum stypticarum mediocriter specierum, conuenit tepidum gargarisma: cui etiam mellis quippiam despumati commiscemus. Nam & lac ouillum, uel caprinum, cum melle tepidum iuuat. Similiter rhodomel, similiter diamoron. Quod sic conficere consueuimus, ut ad duas partes succi mororum, una mellis adhibeatur. Sic etiam aliquid ex succo rubi & melle, ueluti diamoron confecerunt. Alij etiam de citoniorum succo eadem asserunt. Item de malo granato, sed styptico. Alij uerò eadem mala quassantes, in passo coegerunt, quę omnibus querelis faucium prodesse putant. Hæc omnia licet specie dissimilia esse uideantur, uirtus tamen una omnibus, idemque beneficium. Succos ptisanæ accipiant, & cibos, qui magis sorberi, quàm masticari uideantur. Si his adhibitis, faucibus adhuc perseuerauerit molestia, sic ut ulcerare partes attentet, quæ etiam synanchen minetur: tunc nos fortioribus oportet occurrere cataplasmatibus, partibus è foris uel gutturi adhibitis, hordei, uel lini seminibus paragoricis, mixto aliquanto nitro, uel salibus: quò Hippocratis nostri præceptis custoditis, sic curando, ab interioribus euocare sollicitudines ualeamus. Præstant interea cataplasmatis beneficio, etiam fomenta calastica ex similibus suprà dictis, & sinapi [...] confecta. Vlceratio uerò si faucibus apparuerit, sic à nobis sollicitè curanda erit. Fimus canum alb[...]ritus cum melle, & tumorem reprimit, & ulcera delicatè permundat. Et hirundinum combustarum cinis, cum melle similiter proderit. Aliud. Omnibus ulceribus, & tumentibus, & sordidis, utilissimum multorum ueterum auctoritate probatur hoc, quod conficitur sic. Thus masculum, irin Illyricam, herbam & radices aristolochiæ; omnia æquis ponderibus tunduntur, & melli miscentur, uel mellicrato, & sine molestia eduntur aliquoties pinna molli liniēdo, aliquoties per gargarisma. Item, Athiræ, quæ omnibus nota est, irios illyricę, sandaracę, cyperi uncias binas, aluminis scissi, myrrhę, croci, crocomagmatis semuncias singulas, in ūno omnia tunsa, & cribellata adhibebis: & cùm necessitas coegerit, aut cum puluere, aut cum melle commisces, & uteris liniendo. Nam & Musæ trocliscus, ubique diffamatus, cum succo roris syriaci, & melle, uel mellicrato adhibendus est. Si uerò uua demissior fuerit, & faucibus indignatis rheumatizauerit, gargarismate ex speciebus stypticis confecto tepido mouebis, ut ex aqua uel mellicrato gargarizet, ubi dactyli decocti fuerint, aut ros Syriacum, aut uitiū turiones mollissimi, aut sorba, aut mespila, uel certè gallę, aut similia uirtutibus cętera. Raucos uerò sic corriges. Tragacanthum mundum sub lingua teneant: & quod emaduerit, glutiant. oua uerò recentia incocta frequenter accipiant; aut hac theriaca utantur; crocum, thus masculum, myrrham, & tragacanthum ex æquo cum passo commiscentur, & teruntur, ut pro eligmatio adhibeantur. ego etiā succum glycyrrhizæ semper admiscui. In tumore uerò positæ, cùm amplius rheumatizauerint, sales triti cum melle multū prosunt adhibiti, & dactylorum ossa: & si nuces uirides immaturas comburas, & ex his puluerem facias, & admisceas. Similiter aut modicum mellis, aut mellicratum, & alumen humidum, in uase fictili coquas. Sic de puluere radicum caulium combustarum. Sic etiam de anetho, & postea puluere facto uuam siccabis: & continuò desiccata, si inflatum os fuerit, quod asatham appellamus, nimia ustione accedente, rosam siccam cum melle tritam, locis impone. & portulacam in melle similiter infundimus, & manducandam damus:

mus: & oliuæ folia uiridia in uino decocta, ex quo tepido os frequenter colluendum est. Nam & auellana cum despumato melle contrita, pro electuario semper adhibenda est, ut oris ustio purgetur.

De papulis minutis ubique nascentibus. Cap. XVI.

QVIBVS in facie quammaxime, ueluti leuissimus tumor repente innascitur, humorem aliquando pinguem, aliquando aquatiorem mittens, pruritus & ulcerationes procuramus oxymelle, ex aceto acri, & melle, æquis ponderibus confecto, & frequenti confricatione curantur. Item amygdala amara cum aceto acri contrita, similiter operantur. Nam & trocisci ex hoc confecti, & in aceto soluti, medentur: post uero etiam saponato lauare linimenta conueniet. Si uerò ueluti exanthemata, quas scabies dicimus, in facie, uel genis, ex humorum acredine, uel plenitudine apparuerint, hederæ agrestis folia ex melle cõtrita, pro linimento adhibenda erunt: aut certè allium cum salibus tritum, mixto oleo roseo similiter adhibetur. Sic galbanum cum oleo resolutum. Sic fæces uini, & iris Illyrica, utraque cõtusa, & cum oleo roseo commixta medebuntur. Et cedria cum resina, & cera, æqua ponderatione commixta; & adipes anserini similiter cum resina, & oleo, & melle operantur. Nitrum quoque cum porcinis adipibus. Nam & myrrha, cum tripla ponderatione albi mellis mixta, continuò id præstat. Et spuma argenti, cum folijs rutæ uiridibus, & acri aceto mixta, papulas suprascriptas & scabies totius faciei percurat. Si uerò tumor permanserit post curationem, sales fossiles triti cum aceto compescunt; aut taurinum gluten cum synopide, & aceto. Si impetigo ex hoc faciem, uel cætera membra occupauerit, per initia triticum in lamina candentis ferri superimponito, & succo qui ex hoc emanauerit adhuc tepido, pẽna frequẽtius perungito. Et myrrha similiter operatur. Frequentiùs & gutta ammoniaca, cum aceto contrita perungenda est. Sic succus menthæ. Sic thus masculum. Sic apium contritum cum salibus & aceto. Sic gluten taurinum in aceto resolutum: cui manna & thus admiscendum est, & puluis similiter adhibendus. Aliud. Sulphur uiuum, cum aceto & pice commisce, & utere. Si papulæ plures innatæ sint, aceto tepido primò foueto: postea nitro cum aqua colluito. Item de supradictis linimentis. Si autem longi temporis fuerint, aut acres, tunc plumbi rasuram, sulphur uiuum, gluten taurinum in aceto uiscido coctum, & solutum inungamus. Aliud. Lilio agresti, lacrymarum loca perunge; aut lapathij radicis corticem cum aceto conterimus., & cataplasma adhibemus: antè tamen nitri puluere loca defricando. Aliud. Maluæ agrestis semen immaturum colliges, & ex hoc succum elicies; quo cùm frequenter linieris, & antiquatas, & agrestes percurabis. Aliqui ex diuersis suprascriptis componẽtes trociscos, ad maiores curas hoc modo composuere. Alcyonij combusti semiuncia, chamæleontis nigræ radicis uncia I. asphodeli radicis uncia I. sulphuris uiui, thuris masculi, pyrethri, afro nitri, ana semunciæ singulæ: glutinis uncia I. omnia cum aceto coquantur, & operantur. Cùm uerò mundatæ fuerint & percuratæ, tunc asini adipibus loca perunge, ita maculis colorem restitues naturalem. Hęc omnia quò fieri possit, catholicis primò purgationibus releuandi sunt.

De ustione calidæ, uel ignis. Cap. XVII.

VSTIONES antequàm uesicas erigant, murium oliuarum frequenter infunde, aut easdem oliuas salsas contritas imponito. Et lactucæ tritæ cum salibus, pro cataplasmate impositæ, continuò curant. Et fel taurinum cum aqua plurima infunditur. Aliud. Alumine scisso cum aceto contrito omnes ustiones ungo. Nam & thus masculum cum aqua tritum similiter operatur: & sales cum oleo roseo triti inliniuntur, & betæ elixæ contritæ imponuntur: & pollines tritici, cum ouis crudis mixtis superimponuntur. Sic etiam hederę agrestis folia in uino cocta curant. Si uerò post easdem ustiones, uesiculę inquietarint, myrrham cum uino tere, & imponito: aut calcis uiuæ puluerem cum cerotario tempera, & in linteolo linitum impone. Si uerò etiam ulcera fecerint, porros terito, & locis impone: aut maluarum folia elixa, & cum oleo superintrita impones: aut lenticulę puluerem, cum melle commixtum induces. Sic & columborum stercora combures, & in linteolo lini cum oleo conteres; quibus omnes exustiones uenientes procurabimus. Sic etiam stercus ouium curat incensũ similiter cum cerotario mixtũ, & canis ossa capitis incensa aspersa operatur. Sic cochlearum incensarum cinis; liquamine suillo post ustionem frequenter loca usta lauare conueniet, & cancrorum fluminalium incensorum cinis cum oleo curat. Sic & tostę cucurbitæ cinis cum oleo adhibetur. Et lenticulæ semicoctæ ex aqua bene contritę cataplasma competentius adhibetur.

De carbunculis. Cap. XVIII.

GENERALITER his omnibus per initia phlebotomo subueniendum est. Specialiter uerò locis superimponendum est cataplasma, de arnoglossa cum pane mundo, & lenticula cocta. Vlceribus uero acriora & calidiora medicamenta ordinamus: ut Andronici trociscos, aut Polybij: qui sollicitis cum dulci uino, aut pingui infusus, & in mortario contusus, sub cataplasmate ulceri imponatur. Aliqui uero è nostris ijs probatis adiutorijs carbunculos curauerunt: mollium salsamentorum combustorum cinis adhibitus iuuat. Rutę uiridis folia cum aceto, erui puluis cum uino tritus: stercus ouium tritum, ulceri imponitur; ficus siccę & in uino coctę & cõtritę imponuntur, ut ex altitudine euocare possint; nuces uetustę contritę imponuntur. hęc adhibita bene nouimus operata. Si uerò his adhibitis, ulceris radix occupaue-

rit altiora, cauteres admouendi eidem loco: si nullum obstiterit præiudicium, ut loca uitalia periclitetur, quæ sunt in musculis, aut neruis, neque ignis poterunt sustinere tormenta. Qua de re frigido cautere utimur, quod frequenter approbauimus. Aquam, in qua calcis uiuæ puluerem extingimus, miscemus fęculæ, nitro, & saponi, æqua ponderatione: & ex eo linimus loca, quę comburi placet. Super cataplasmata, loca tegenda sunt, quandiu sordes eius ulceris cadant, quæ altiùs inhærebant, & alia, quę ex hoc ueluti da uos possint euellere, ut uuę passę, enucleatæ, solæ contritæ. Aut ficus siccæ in uino decoctæ, & tritæ. Sic lupini in uino similiter cocti & purgati teruntur, & imponuntur. Sic stercora columbarum cum melle contrita. Sic mentha cum aqua contrita. Sic nitrum cum ruta uiridi, & aceto tritum. Sic sapo, cum uua passa, & porcinis adipibus, admixta etiam pice liquida, omnibus sub æqua mensura temperatis, & adhibitis, ulcerum semper loca periclitantia liberata sunt.

De uulneribus uarijs casibus infixis. Cap. XLX.

SI TELO, seu morsu canum, aliarum'ue ferarū, seu ex quolibet casu, neruo uulnerato, quos neurotrotos appellamus, impactis uulneribus omnibus, generaliter continuò hoc adhibendum erit, quod glutinare & curare ualeat membra uulnerata. Myrrhę puluerem aspergo, quem permanere faciam sine aliquo humore: continuò etenim glutinat, & colligit. Et rubus elixa & trita, hoc facit. Hoc iris illyrica tunsa, & melli mixta, atque in panno lineo imposita. Et aristolochię puluis cum aqua mixtus hoc idem facit. Idemque ossa sępius colligabit. Et omphacium tritum cum uino sic curat, per initia adhibitum. Sic puluis thuris masculi. Et myrrhę puluis, cum uino & melle coctus, & temperatus, continuò medetur. Sanè sub his adiutorijs, quæ semper futuris obstant feruoribus, utilis est sub uno schemate etiam patientia uulnerati. A' lauacri uerò, à foci, à solis calore, uel aeris frigore, à clamore, uinolentia, usu uenereo, iracundia custodiantur: ne quod iam aut collectum, aut glutinatum est, his occasionibus soluatur. Hæc etiam prætermittere non debui amice, per omne corpus recentibus uulneribus frequenti approbatione laudata. Allij igitur combusti puluerem uulneri asperge. Sic etiam scyllam tritam impo[...] & sub utrisque adiutorijs quatuor continuis diebus penitus maneat inquietatum, quo continuò per[...]ri possit. Nam & myrrhæ, & lanarum succidarum combustarum cinis uulneri aspersus, similiter operabitur. Item aliud. Malogranati folia, cum melle trita, mixto uino, imponito, desuperque linteolum infusum resina & terebinthina superaddito. Item lanis operiantur, uino & oleo diligenter infusis. Item aliud. Fabæ syriacæ radicem siccā tundis, cribellas, & loca eius puluere aspergis. Item aliud. Oliuarum amurcam coques primùm igne fortiori, ad primam mundationem, secundo, & tertio molli uapore, quo pinguescere possit. Cum uero coagulauerit, reponis in uas mundum: & cùm frigescere cœperit, linteola infusa loco percusso opponimus. Operabitur uerò fortius medicamentum, si gallarum pulueres admisceamus. Aliqui eandem amurcam cum eodem puluere coquunt, & sulphuris uiui, & origani puluerem ęqua mensura uulneri aspergunt. Qui uerò ferro in altum uulnus suscipiunt, fel bouis unciarum II. & ficus nigræ lacrymam unc. II. & adeps caprinus un. III. in unum commiscetur, & temperatur, & hoc medicamento curatur. Aliud. Baccas l[...] cū resina tunsas, locis imponimus. Glutinantia uerò adiutoria hæc sunt. Resinę Syrię puluis, capilli [...]nū, æqua ponderatione cum thure masculo tunsi, & cribellati. sed cùm puluerem aspergere cœperis, præungendum est uulnus picræ solutione. Particulam utris uinarij, & resinam ex æquo comburis, & uteris puluere collecto, qui & sanguinis fluxus ualeat prohibere. Et mandragoræ folia trita cum uino, & aqua cataplasmabimus. Aliud. Malogranati dulcis grana cocta in uino diligenter terimus, & in uicem cataplasmatis adhibemus, adiutorium approbatum. Sed & betarum surculos, exceptis folijs, elixos & tritos imponimus similiter. Si canis morsu quis fuerit uulneratus, continuò spongia, aqua frigida infusa, aut oxymelite imponenda est, quæ frequenter ex hinc irriganda erit. Primò uerò eiusdem uulnerati lotio uulnus, secundum physicos, fomentandum est. Et porri cum melle triti, & impositi, eodem modo medentur. Et lacryma arboris ficus continuò si ungas, hoc idem præstas. Et spongiæ rudis combustę cinis cum liquamine mixtus, optimum beneficium facit. Sales triti, ac in linteolo ligati, aceto infunduntur, & ex hoc uulnus tādiu apoximandum est, uel infundendum, donec sanguinem eliciat: Postea uerò cùm sanari cœperit, eruum tritum cum melle uulneri impone, aut lentis puluerem cum melle despumato similiter. Quæ uerò in feruore fuerint, spuma argenti cum melle trita, & imposita, continuò mitigat: præfomentanda sunt interea uulnera aqua gelida. Etiam qui humanos morsus patiuntur, adiutorijs supradictis percurantur. Si uerò hjs accidentibus uulneribus, etiam neruus fuerit uulneratus, in quo graue periculum frequēter euenit, cuiusque patefactio prius custodienda est, ad humoris ex uulnere uenientis digestionem quo ex hoc impetus & dolores auerti possint. Frequenter etiam ferro hanc anastomosin procurare debemus. Conuenit interea prę omnibus, etiam his phlebotomum adhibere: conuenit etiam eos uentris purgatione iuuare. Aquarum sanè calidarum fomenta fugienda sunt, quæ putredines & indignationes sępe procurarunt: sed oleo sabinensi, uel dulci, tepido, aut certè uetusto, frequenter uulnera ipsa fouenda sunt. Viride uerò oleū uel gremiale penitus uitandum est. Vtimur tamen post fomentationem olei calidi supradicti, sola terebinthina resina, linteolis infusis & appositis: utilius, si terebinthinæ etiam euforbij quippiam pulueris admisceamus. Fœminis uerò, uel pueris delicatiora corpora habentibus, etiam solius terebinthinæ sufficiet beneficium. Cæteris uerò, ut superiùs comprehendi, terebinthina cum euphorbio, & oleo miscenda est: addenda & cera propolis, addendum sagapenum, addendum laser, addenda & opopanace: quibus coniunctis

beneficium

beneficium attestamur. Item aliud, quod in experimentis, ad neruorum uulnerationes adhibemus, iuuat. Calcis puluerem diebus canicularibus ex aqua marina lauamus, quam custodiemus. Huic medicamẽto miscuri euphorbium, sulphur uiuum, puluerem calcis lotæ diligenter in uncijs singulis, terebinthinam, cerã, picem, in uncijs tribus. Interea per initia ad uirorum uulnerationes cataplasmate tali uti nos conuenit, ex melle, aceto, oleo roseo modicè admixto, cum fabæ pollinibus coctis, & temperatis. Post cataplasmatis uerò beneficium, hoc est aptissimum adiutorium. Euphorbium, cera, resina, in singulis libris: oleum in duabus: sed euforbium cum aqua priùs terimus, & superioribus solutis, ut moris est, admiscemus. Superaddimus interea etiam salis quippiam, ut os patulum humoris noxij digestionibus procuremus. Nam & Melanchlorus trociscus semper his utilissimus fuit, cum aceto tritus, & aliquando cum cerotario temperatus. Sunt etiam alia adiutoria his causis aptissima, sub una uirtute uariè composita: sed paucis magis, & probatis uti nos conueniet, quarum perseuerantiæ, effectum facillimum potuerunt procurare.

De uulneribus ex se nascentibus. Cap. XX.

VVLNERA uaria, aut ex humorum acredine, uel plenitudine generantur, aut præeuntibus diuersis ictibus acquiruntur: quæ imperitia medicorum frequenter, aut adiutoriorum inopia procurata, uetusta & Chironia fiunt. Igitur cum uulnera recentia, & caua fuerint, sic curanda, uel replenda erunt. Mel, & resinam terebinthinam æqua ponderatione in cacabo facies solui: item addes butyri tantundem, & ex hoc infusis linteolis utêris. Aliud. Resinæ puluerem, ceram, & adipem misces; & similiter adhibebis. Cũm æqualia in superficie fuerint, hoc utêris medicamento. Spumæ argenti unc. III. resinæ unc. II. olei unc. IX. conficies, ut moris est, ad emplastri temperamentum, quò cicatrices utilius ualeas procurare. Sin uerò transcendens planiciem, plus excreuerit acrior eruptio, phrygium lapidem tundis, & eius puluerem aspergis. Aliud. Aeris purgamentum tunsum similiter adhibẽdum est: id aceto temperabis, humore importuno permanente. Et dum uulnus à sanitate prohibetur, hoc adiutorio percurandum est. Plumbi purgamenta, æruginis uncias singulas: aloe, & calcis uiuæ uncias binas tundis, & cribellas, & uulneri aspergis. Si cicatricem ferri sanare uolueris, hoc emplastrum facies. Ceræ unc. II. resinæ unc. I. thuris, & æruginis uncias singulas, olei cyprini unc. VIII. conficies, ut moris est, & impones, emplastrum probatissimum. Si nimis antiqua uulnera fuerint, ceræ in sole liquefactæ commiscẽdus erit puluis floris æraminis, ut ad temperamentum emplastri perueniat, & uteris: neque frequenter soluere, sed etiam fasciola custodire debebis. Item Chronicis, uel Chironijs uulneribus, hoc emplastrum approbauimus. Lapidis chalcitis, cera in uncijs singulis: aluminis scissi uncia I. his commixtis & temperatis utimur. Sunt & alia uulnerum genera quæ serpunt ad loca uicina, atque his adiutorijs percurantur. Lenticula cocta, & melli commixta, & folia caulium cum melle similiter. Et coriandrum uiride cum melle. His etiam lini seminis ex puluere cocto in uino, & oleo cataplasmata semper adhibui. Sic ex milij pollinibus feci. Sic etiam hederæ folia in uino coxi, & cum melle trita superimposui: foui etiam de eadem decoctione uulnera frequenter. Si callositas emerserit, in qua semper est tarditas uulneribus ad sanationem, æris florem coctum terimus, & ex eo puluere uulnera sanabo; & tithymali lacrymam cum uino & melle mixtam in uicem cataplasmatis adhibeo. Si madefactio permanserit, his adhibitis, sales tritos cum melle imponam, & desuper ficubus tritis, & incoctis cataplasmabo. Et amygdala amara sic curant, locis adhibita, & cum melle contrita. Sic porri in uino cocti eodem modo curant. Sic erui puluis cum melle, & oliuarum uiridia folia in uino cocta, & trita adhibentur: ex quo uino priùs fomentari loca suadeo. Similiter ex aqua etiam in qua alumen scissum infundendum est.

De igne sacro. Cap. XXI.

HVIC multiformis est cura deligenda. Aliter enim in febricitantibus emergens curatur. Aliter in eo, cui febres superueniunt, uisitatur. Nam & omnibus partibus corporum generaliter adiutoria adhiberi similia possunt: excepto tamen capite, uel facie, quorum est quammaximè causa sollicita. Vicinitatem enim appetendo ignis ille serpens, oris aliquando, uel linguę, aut gutturis partes faciliùs pulsat, & ueluti superficiem derelinquens, continuò instat interiora molestare, in quibus uitę periculum formidandum est. Nam & Hippocrates hac eos sententia uisitat. Ignis sacer, ait, si interiora appetiuerit, molestum erit: si in cutibus perseueret, curari poterit. Ergo si cùm febribus, & in supradictis partibus apparuerit, intra tertium diem phlebotomandi sunt, & purgandi, à cibis penitus abstinendo, si tamen uirium non occurrerit fœtosa debilitatio. Dabis adhuc cataplasmata calida, & fomenta humectantia fugienda sunt, ignem, causęque dolorem augentia: sed lenibus linimentis, euocatorijs, & curãtibus, quę sine grauedine possunt afferre utilitatem, ungendi sunt. Si phlebotomus sanè, uel catartica, certa de causa prętermittenda sunt, dysteribus assiduis imminebo: quò competentibus, & assiduis purgationibus uentris, quod phlebotomo negatum est, possimus compensare. Frigidi tactus, & acres, uitandi sunt. infrigidatę enim partes faciliùs commouentur. Declinantibus febribus hoc trocisco uti consueui, omnibus temporibus & locis aptissimo. Spuma argenti, cerussa, sulphure uiuo, croco, opio, sub ęquo tunsis, & cribellatis, & cum passo, uel succis strychni temperato. Nam istorum euporistorum frequentium semper beneficia profuerunt. Butyrum cum strychni succo adhibetur: & acacia cum aceto, uel aqua: & spuma argenti cum succo porrorum, uel betarum; & gutta ammoniaci cum aqua, & cimolia cum aphita, & strychni succo; & oua recen-

tia in aceto, cum oleo, & bulborum combustorum cinis cum melle. Oleum cyprinum cum melle mixtum, & cerussa cum aceto, & uasorum fictilium puluis cum aceto, & thus masculum cum cerussa: omnibus, aut singulis commixtis, aliquibus mixto pane: aliquibus ex aqua coctis, & contritis. Nam & folia in uino cocta, & contrita, imposita sæpe profuerunt igni sacro. Si etiam post hæc ignis ille sacer adhuc insanierit, & ruboris sollicitudo perseuerauerit, iam cataplasmatibus de seminibus cum melle coctis imminendum erit. Adhibeo etiam locis scarificationẽ: adhibeo fomenta aptiora, & ex eisdem desuper cataplasmatibus frequenter requiro beneficiũ. Periculosum est etenim, causa permanente, adiutoria uariare.

De apum percussibus, uel scorpiorum, cæterorumq; serpentum. Cap. XXII.

APVM percussus, maluarum folia imposita continuò curant: & sisami folia, uel ipsum tritum, & appositum. Et lauri folia molliora trita cum uino, potui data, sæpe curauerunt. Scorpionum uerò percussus, sales frixi, & cum oleo contriti, loco appositi. & cinis cum aceto mixtus, & impositus. similiter & allium cum oleo tritum, & origanum cum aceto coctum, calido saccello, continuè medetur. Et porrum tritum impositum, & sardinia trita, & folia oliuæ trita cum salibus, & imposita, & scylla cruda trita imponitur, & statim curat. Sed & his semper potionibus liberantur. Aristolochiam rotundam, gentianam, myrrham trogloditen, baccas lauri, omnia tunsa ex æquo, & cribellata: aut puluerem, cum uino, & calida identidem in tempore dabimus. Hoc etiam contra cæteros serpentes usi sumus. Aliud. Piperis, & papaueris semiunciam unam tundis, & cribellas: ex his cochleare cum aceto dabitur; & bacca lauri cum folijs rutæ uiridibus tunsa, cum uino, aut aceto semper datur: & irios illyricæ puluis cum uino calido similiter. Quin & fraxini folia cum uino trita, bibenti dantur.

De turpibus receptis, & latentibus. Cap. XXIII.

TITHYMALI ma[illegible] molles & uirides ex acumine turiones tolles, & hos calidis cineribus subijcies: & postq̃ combusti fuerint, projectis sordibus, in mortariolo contundis, & eorum pulueri aphitam similiter immittis: & uino commixta, patefacto orificio, uulneri imponis, & cõtinuò telum, aut aliud quod diu latuerit, excludetur. Aliud. Aristolochiæ puluis patefacto uulneri similiter imponendus est, & uelocius exiliet. Sic etiam de dictamni folijs, uel radicibus contusis, uelocius fieri consueuit, secundum ueterum testimonia. Et eusesami semen contusum unà cum calchanto, uulneri appositum, similiter operatur. Et lacerti caput contunsum, & impositum, secundum physicos, similiter facit. Si uerò in fauces aliquid transiuerit, aquam & oleum calidum contineant in ore, & spontaneum exibit sine mora. Sunt & alia physicorum beneficijs publicata, sed suo loco & tempore conscribentur.

De testium indignatione. Cap. XXIIII.

FERVORES testium, uel indignationes, cyminum cum melle & oleo tritum, et appositum curat. Et semen lini frictum, & cum uino similiter uice cataplasmatis temperata. Sic faba in uino cocta, aut in mellicrato cum melle trita, operatur. Sic ex coriandro uiridi cum faba in aqua cocto, & simul trito cum melle cataplasmabimus. Sic etiam de hyoscyami folijs. Similiter & uuam passam enucleatam, ex æquo cum nitro adhibemus. Et nasturtij puluerem cum lini semine ex æquo cataplasmabimus. Sic rutæ, & lauri folia uiridia in uino cocta, cum aphitis profuerunt. Et cymini puluerem mixto butyro, & resina, & pampinos molles tritos cum aphitis adhibemus.

De ueretri, hoc est de naturæ uitijs. Cap. XXV.

VERETRI dolores, fel taurinum cum nitro contritum curat: & butyrum cum terebinthina ex æquo mixtum. Similiter ex lini seminis puluere, & myrrhę ex æquo, resinæ quippiam superadditum, in aqua coctum cataplasma imposuimus. Quibus uerò tumuerit, pampinorum folia molliora triginta, thuris & cerusæ semuncijs singulis commixta, pro cataplasmate imponimus, antè tamen ex aqua marina frigida fomentabis. Nam & testes tumentes cimolia trita frequenter cum aqua perunges: pòst uerò myrti siccæ pulueres, & myrrhę similiter aspergendi sunt. Vulneribus uerò in eodem cole, lepidos cyprinæ puluerem satis confidenter aspergo. Et aphronitri solius triti puluis eodẽ modo operatur. Et alumen scissum contritum, similiter & myrrha cum passo trita. Si ueluti carbunculus innatus fuerit, lycium cum melle tritum suppono: frequenter per diem inspergo mel tepidum. Fomentandum est interea ex aqua de seminibus, quæ in aqua coqui debent, aut myrti uiridis, aut lentisci folijs, aut rubi, aut oliuæ, aut rosæ siccæ: cuius puluis si post fomentum aspergatur, continuò operabitur. Sic etiam de herbarum supradictarum cataplasmate innuendum est, cum melle commixto. Nam & uini & mellis species prætermittenda non est. Continentia uerò ciborum, & uentris purgatio frequenter prouideri debet. Elaterij quoque puluere tangendum erit. Aliqui minimorum piscium capita trita imposuerunt.

De herniosis.

De herniosis. Cap. XXVI.

HERNIAS uerò infantum frequentiùs emergentes sic curabimus. Resinã pityinam siccam, nitrũ, cyminũ, ex æquo cum melle miscemus, & sub emplastri temperamento imponimus, superaddita ligatura quæ contineat medicamentum. Et uuam passam pinguẽ purgantes, in uncijs VI. nitri unc. I. cymini uncijs II. cum melle contriuimus, & ita usi sumus. Vitandi cursus, & saltus, & auster, uentris quoque conatus, & ciborum nimia præsumptio. Aliud probatissimum. Caduci malogranati unc. I. gallarũ semiuncia, asphodeli radicis unc. I. narcissi radicis unc. I. hæc omnia in uino coquenda, & tundenda, & malaxata in primo adhibenda sunt. Hoc herniarum perseuerantiam intus sub ligatura, etiam ueterum, percurabit: & hydrocelas, & sarcocelas, & enterocelas similiter. Item cinopoli emplastri expono maximum & probatissimum remedium. Spumæ argenti unc. VI. aceti unc. XVIII. olei & opij, spuma argẽti plenẽter comburis, & supradicto aceto restinguis, & teris diligenter. Omnia simul mixta coques, agitabis spatula holosidera, & ita ut diacylõ coques, ac in linteolo adhibendum diebus continuis V. imponis. Hoc hydrocelas, & similes collectiones sine dilatione curabit. Carnes cochlearum teris, & his myrrhæ puluerẽ misces, & in linteolo inductum impones sub fascia, ut faciliùs reprimatur: & passum cum acacia tritum, & aqua similiter temperatum supponendum est. Item etiã cochleas ex arbore lauro collectas comburimus, & tritas imponimus, ut umbilicum in naturam propriam reuocemus.

De diuersis uitijs in ano nascentibus, uel syringis, hoc est fistulis. Cap. XXVII.

DIFFICILES in his locis causæ euenire consueuerunt, pro accidentium qualitate. Est enim loci natura delicatior, & qui ad omnes acerbos quammaximè contactus, facilè commoueatur. Nascitur ergo in hoc sæpissime indignatio, uel feruor: fit rhagadium, fit cõdyloma, erumpunt hæmorrhoidæ, nascuntur exocadia, fiunt & syringæ, frequenter etiam intestinorum effusio, & cętera, quibus omnibus suo ordine remedia designabo. Quando ergo indignatio uel feruor locum attentauerit, pingues dactyli in passo uel mellicrato infusi teruntur, superaddito quopiam de oleo roseo; e quibus factum cataplasma tepidum adhibemus. superimposita tamen ligatura, quæ adiutorium continere debet. Nam etiam de musteo similiter faciendum est, sed quod piper non habuerit. Sic etiam de bulbis albis, cum melle contritis, loca commora frequenter curata sunt. Et lycium inde contritum cum cerotario, & ex oleo roseo temperatum adhibuimus, & sępissime sulphuris uiui quippiam triti superadijcimus. Est & hoc genus adiutorij utilissimum. Spuma argenti, & cerussa, uncijs singulis: thus masculum, & crocum in semuncijs singulis, cũ uino & oleo tritum, & commixtum adhibendum est. & oui uitellum coctum, tritum cum melle & oleo, commixtumque, loca indignantia satis iuuat. Sic butyrum cum medulla ceruina, & sepum ceruinum, & thus masculum; omnibus ex æquo tritis, immixtis oleo & uino, similiter temperatis, curati sunt frequenter. Huic medicamento etiam lycium indicum admiscendum est. Si rhagadium factum fuerit, hoc medicamento uti nos conueniet. Oleum roseum solum, tritum in plumbeo uase, & ex pistillo simili, usque in pinguedinem, & caricarum pinguium combustarum cinis, uino tepido prælauatus, ac impositus, prodest. Sic rosæ flos, & pompholyx simul trita, similiter spargitur. Et molybdæna cum folijs rutæ uiridibus teritur, & cum oleo myrteo pingui temperatur, & similiter iuuat. Sic hyoscyami folia, sic corij puluis aspersus, similiter loca curauit. Sic etiam linteorum combustorum cinis cum amylo, ex æquo succo foliorum oliuæ temperatur, ut subpingue fiat linimentum. Quibus condylomata fiunt, uel exocadia, hoc adhibẽdum est medicamentum. Ceræ libra una, picis unc. IIII. medullæ unc. II. adipis taurini unc. III. mellis unc. III. uini unc. II. guttæ ammoniacę unc. I. thuris masculi unc. II. myrrhæ unc. V. sicca cũ uino teruntur, & solutis calentibus commiscentur. Aliud. Calcis uiuæ unc. III. nitri unc. II. utraque teruntur, & cum aruina miscentur, & ex eo pingue facies linimentum. Quod cùm siccauerit, identidem superaddis, & hoc modo perseuerando, faciliùs consumentur exocadia. Sic chalcãthum teris, & eius puluerẽ cum oleo dulci, molli uapore coques, & pinguefacto, loca frequenter tangantur. Nam & alumen missum in uase nouo, coctum, atque tostum, puluerem facit. Hoc tacta exocadia, spõtanea frequentius ceciderũt. Hemorrhoidas uerò erumpẽtes sic cõpescere uel temperare cõsueuimus. Butyrum, crocum, cerussam, mel ex ęquo omnia cõmiscenda sunt, & oui albore temperanda, & imponenda. Sic arnoglossa trita cum aceto facit. Sic pulueres cerussæ cum aceto cõtritæ. Fomentabis uerò loca ex aqua, ubi alumen scissum tritum nitri facies, & æris florem excoques in tertiam partem, & ex hoc fouendi sunt ante linimentum. Sed ut etiam in tempore aliquando de physicis adiuuentur, in ea aqua coquẽdæ sunt species supradictæ. unde ægrotus is, qui hæmorrhoidas patitur, frequentius eleuatur, & ad supradictas species in uncijs senis aquæ sextarios decem mittis. Si uerò conclusas resoluere uolueris, thapsię succum, & apij similiter ex ęquo conterimus, & loca contingimus, quæ solenni digestione fuerint impedita. Laser cum aceto contritum imponendo, frequenter usi sumus. Nam & musa trocisco, omnibus approbato, in aqua, in qua calcẽ uiuam extinximus, resoluto, imminuimus, & profecimus. Qui trociscus hoc modo à nobis conficitur. Aluminis scissi unc. III. aloe unc. III. croci unc. II. crocomagma unc. II. chalcãthi unc. III. caduci malogranati unc. II. uino omnia trita cõmiscemus, ut trociscos faciamus. Etiã hic puluis nobis experimẽtũ dedit, omnes syringas & expurgãdi, & glutinandi: qui ista ratione cõficitur. Iris illyricæ unc. V. erui.

unc. III. mannæ thuris unc. III. lepidos calcis unc. III. aristolochiæ unc. III. s. omnia tunduntur, & cribellantur, & fictilis puluis, cui nomen est cephalicu, commiscetur eodem modo, ad linimentum, quem admodum musa trociscus supradictus. Quibus uerò intestinum exierit, mori syluestris dolori fomentatio adhiberi debet: & post acacia trita cum aceto linimẽtum facit: & cyclamini succus cũ melle ex æquo mixtus, & coctus usque in pinguedinem. Aliud. Puluis hellebori albi, qui cum aceto coctus est, admixto cerotario ex oleo roseo, satis iuuat. Et hyoscyamus in aceto tritus, & similiter adhibitus, intestinum effusum similiter reprimit.

De pernionibus. Cap. XXVIII.

PERNIONIBUS quæ cum pruritu sunt, aquæ marinæ fotus satis prodest. Similiter etiam si uino calido styptico foueantur. Sic si etiam decoctiones betarum, quibus alumen scissum infuderis. Post quod fomentum, cera liquefacta linire conuenit. Nam & ex aluminis puluere, cum hordei farina, & uino cataplasma adhibendum est. Sic ceræ, & picis resolutæ sola unctione curatæ sunt. Et gluten solutum in aqua profuit liniendo. Sic oliuarum uiridia folia cataplasmate adhibita profuerunt. Sic gallæ cum aceto contritæ; sic uini fęces impositæ curauerunt. Quibus uerò iam uesicauerint, rhaphanos tundes, & ex eorum succo bene proderunt linimenta. Et lenticulæ coctæ, & tritę cataplasma proderit. Et caduca malogranati in calidis cineribus tepefacta, & trita adhibita, conuenerunt. Sic etiam scylla cocta, similiter contrita, profuit. Quibus uerò increpuerint, & uulnerati fuerint, his spuma argenti trita, mixto adipe porcino, pro emplastro apponi debet. Sic adipes anserini cum cera & oleo tepidi adhibendi sunt. Et cochlea cum testa combusta, & trita, & in puluerem redacta, si aspergatur, continuò medetur. Eruum in uino coctum cum cerotario similiter curat contritum.

De rhagadijs pedum, uel digitorum. Cap. XXIX.

OMNES crepidines in calcaneis pix liquida illinita percurat. Et spuma argenti, cum cerussa, & alumen scissum ex æquo contusum, & uino mixtum, medebitur similiter. Quibus uero pili inhærentes molestiam fecerint, ferro subtili loca antè purganda sunt, & melantherium cum lotio pueri tritum apponendum. Et gutta ammoniaci cum aceto trita similiter adhibetur. Et mysi, & aristolochia ex æquo cõtusa cum melle adhiberi debet. Hoc & rasura cucurbitæ trita faciet.

De paronychijs. Cap. XXX.

PARONYCHIAE in initijs lana ex aqua infusa imposita curantur, eaque frigidiore frequentius irriganda erunt. His etiam alphita cum aqua trita adhibenda erunt. Sic & thuris masculi puluis cum melle mixtus medebitur. Sic etiam gallarum. Si saniem sanè collegerit, locum pungis: ad eius uerò digestionem, & lenticulam coctam cum melle cõtritam superimponis. Et myrti folia uiridia trita, similiter cum melle adhibentur. Sic etiam rosarum, & sic oliuæ folia similiter. Sic cadmiæ puluis aspersus curat; sic erui, sic etiam thuris masculi. Quibus uerò etiam ungues passauerint, folijs myrti uiridibus, uel malogranati tunsis cataplasmandi erunt. Quibus autem fortè aliqua loca nigrescunt, farina tritici, cum pice soluta admixta curantur. Et sulphur uiuum hoc cum porcino adipe tunsum, & cõmixtum præstat, ne ipsi ungues exiliant. Et lini seminis puluis. Simul etiam & asturacus cum melle commixtus imponitur. Et cera sola liquefacta superimposita. Sed his omnibus adhibitis, diutius perseuerãdum est. Calefacti etenim perseuerantia adiutorij ungues, melius gubernantur. Scabiosos, ueluti elephantiosos, si quis fortè ungues habuerit, uini fæx sicca, trita, & cum cerotario imposita curat. Et ficus sicca, purgata, & tunsa, superimposita, æquè medetur. Et lapathi agrestis radix in aceto cocta, & contrita; & sulphur uiuum cum sandaraca, ex ęquo tritum, & aspersum, cõtinuò curat. Interea sub his omnibus adiutorijs, ungues ipsi primò ex pice liquefacta ungi debent: quos superiori medicamento & fasciola munire & gubernare oportet.

De pruritu, uel scabie totius corporis, uel uarijs maculis in corpore. Cap. XXXI.

SI IUUENIBUS hoc bene habentibus obuenerit, phlebotomo prius sub gemina detractione, subueniendum est. Item uentris purgationes frequenter deinde adhibendæ erunt. Cibis planè sorbilibus nutriendi sunt. Lauacris frequentibus uti conueniet, in quibus thuris masculi, sulphuris uiui, & nitri puluere aspergendi erunt. Si hoc adhibito adiutorio, aut pruritus, aut scabies perseuerauerit, lapathij agrestis radix trita, & cum aceto commixta, in balneo similiter adhibenda est. Sic linimentum cum melle commixtum. Quo linimento frequenter etiam in sole adhibito liberati sunt. His frequenter etiam frigida lauacra profuerunt: & postea oleo roseo, uel lentiscino, aut myrtino, admixto uino, se utilius perfuderunt. Scabies uerò si ulceratas habuerint, mirabolanum, & sulphur uiuum, ex æquo tunsum, cerotario ex oleo myrteo liquidiori commisceo, ut leui unguento, eorum in balneis uulnera pertractetur. His sanè calidum lauacrum aquarũ dulcium procurãdum est, in quo supradicta linimẽta adhibẽda sunt. Nã & thuris masculi, & pulegij ex æquo puluis, ibidẽ in balneis cõmodissimè adhibetur. Cõmodius, si ẽt cum uino, capnitis succus; sic nitrum cum uino; sic capnitidis succus, qui frequenter etiam cum aceto mixtus, plus profuit.

De elephantiosis. Cap. XXXII.

VSNT quibus certis ex accidentibus, maculæ in corporibus frequentiùs inhæserunt. Sunt nigræ, sunt albæ, uelut elephantiasin aliquando annunciantes: quibus hoc modo medendum erit. Myrti folijs uiridibus in uncijs duabus, nitri, & aluminis singulis, contritis, in balneis fricandi erunt. Aliud. Sulphuris, nitri, & aristolochiæ puluis ex æquo contritus, in balneis adhibendus est. Sic gutta ammoniaca, trita cum oleo, profuit. Sic fici folia cum sulphure uiuo, & cum aceto medentur. Nam & sub sole de hac confectione curantur. Et cyminum, cum aceto tritum, sæpe sic profuit: & quinque diebus superaddendo linimenta, non delauatis prioribus. Sic cimolia, nitrum, & bacca lauri cum aceto commiscentur, & similiter, ut priora, medetur. Aliud. Fœnogræci puluis, aphronitri in uncijs binis, & alcyonium, & cyminum in uncijs singulis, similiter cum aceto adhibendum erit. Et ex betarum folijs coctis, & tritis, cataplasma his imponendum est. Et piper cum myrteis folijs uiridibus tritum, & sub sole in balneis adhibitum, utrasque maculas permundabit. Sæpe his perseuerantibus maculis, ad elephantiæ uitium, frequentius declinatũ est, cui per tempora nunc ordinabo remedia. Per initia huius passionis, cùm sanari plenè uitium supplices orauerint, phlebotomandi erunt, & purgandi frequentius. Faciem uerò, in qua huius uitij magis horret imago, mirabolano cum aceto, & oleo roseo, uel myrteo, uel lini semente fricare conueniet. Aquis naturalibus frequenter utantur, & marini lauacri. Continentia sanè uitijs his quamplurimùm prodest. Cibis digestibilibus, & dulcioribus frequenter iuuantur, lactis acceptatione, quammaximè si aquæ eius accipiant quod Græci ὀῤῥὸν appellant. Nam & succus neptæ herbæ frequentissimè hoc uitium releuauit: & hæc eadem herba, par beneficium præstitit sæpe cibo data: & coagulum νεβροῦ, id est hinnuli, quem nos ceruum lactentem dicimus, cum oxymelle, ieiuno datum, uel temperatum, sæpe profuit. Si ijsdem adhibitis, morbus ille adhęrescens, omnino fuerit publicatus, tunc neque phlebotomo, nec catarticis uti conueniet. fieri enim non potest, ut humor corruptus insaniens, quique omne corpus suo horrore funestarat, his adiutorijs purgationum adhibitis, ad interiorem originem identidem reuocatus, uenenati sanguinis geminatis effusionibus arceatur. Sed uomant frequentiùs, & lactis beneficio per cibos, per potiones enutriantur, & educentur. Locis uerò contaminatione uulneratis, omnia styptica adhibenda sunt, quibus illa caro corrupta & effœminata, ualeat durari, uel stringi. His frequenter Ciros trociscus profuit, qui cõficitur ex sinopi, alumine scisso, ærugine, & cymino sub æqua ponderatione in aceto dispositus. Omnia etiam linimenta, uel fricamenta, quæ pruritui in superioribus, nec non etiam scabiei conuenientia significauimus, etiam his apta, seu utilia asseueramus. Aliqui uerò etiam illis carnes uipereas ministrauerunt, quaternos digitos in mensura, tam in capite, quàm & à cauda pręcidentes, quæ oleo & salibus cõditæ profuerunt. Addis de græco quamplurima.

De luxationibus. Cap. XXXIII.

PER initia, ut moris est, primùm auulsa reponenda sunt locis suis. Item embrocis uti necesse est ex herbi pollinibus, uel certè cineribus, oleo, sapone, & ouis commixtis, lanisque mollibus, infusis succis loca munienda sunt, & pro locorum natura, fasciolis continenda, & constringenda. Si sub hoc adiutorio, loca naturaliter custodita quieuerint, eisdem usque ad perfectam sanitatem imminendum nobis erit. Si uerò aliqua aduersitate, locis proprijs auulsa, minimè potuerint reuocari, tunc adiutorijs catholicis, doloribus crescentibus, subueniendum erit: ut est phlebotomus, uel catarticum, & cataplasmata paragorica. Quibus perseuerantibus, si dolorum declinauerit inquietudo, fomento lauacri, cerotarijs, uel certè emplastris calasticis imminendum est. Postea uerò malagmatibus perseuerandum, quibus curanda loca possint perpetuò solidari.

THEODORI PRISCIANI AD TIMOTHEVM FRATREM LIB. II.

NVNC secundi operis partes aggrediar, quibus prodendæ, discutiendæque rationis delegauimus functionem. Quæ quoniam oculis comprehendi non potest, quod officium liber superior occupauit, idcirco passiones interiora possidentes, in hoc uolumine, aut accidentibus conuincentur, aut prodentur indicijs. Studio quippe ueritatis nolui frustrà disputationes ingerere; quin potiùs in utroque opere, certis, deprehensisque morbis remedia constitui, uel curis medendo facilioribus, uel tuendo materiam uitiorũ. Quandoquidem in Logico opere obscurisque periculis, non opus est assertore, sed iudice. Omnes acutæ febres uel ægritudines, de quibus nunc dicere constitui, aliquando passiones præueniunt, aliquoties consequuntur; quæ certa produnt indicia, quibus morborum possit materia comprehendi. De chronicis uerò secundis partibus promissos sermones expediam. Hæc est itaque sub omnium ueterum authoritate febrium diffinitio, quibus etiam nos assensum libentissime accommodamus. Inest nobis calor ignitus, qui cùm se in altioribus præcordiorum locis, repentina aliqua necessitate commouerit, & uelut aduectus tẽpestate, loca aliqua naturaliter quieta turbauerit, uaporem acriorem procurat, & tum quidem ex altitudine stomachi febrium serit originem.

LIBRI II. PARS PRIMA, DE OXYORIS, SEV ACVTIS PASSIONIBVS.

De febribus. Cap. I.



SIC IGITVR quammaximè omnibus in locis, siue climatibus, omniq́ue ætate, morbis omnibus certa ex necessitate uel imminentibus, uel præeuntibus, hæc sociantur. Febricitantibus itaque generaliter omnibus, unum magnum remedium, cunctorum cautum est authoritate, præcipuè seruire temporibus: ut per conditionem causarum, ęgri omnes adiutorijs competentibus releuentur, similiter etiam cibis congruis nutriantur. Cõueniens profectò, in utrisque aliquando, congruum, bonum tempus. Possunt enim in ijs officere, quæ æquè utilia iudicarentur, si in competenti tempore suggerantur. Docuit enim natura omnium gubernatrix, initijs omnium exagitationum, sub quacunque sorte causarum aduenientium, quando præsentis commotionis tempestate, naturalis ille uapor turbatus, recessus interiores petierit, & cùm ex materia articulos frigus uel tumor quassauerit, uel occupauerit, tunc nihil penitus à medicis tentari, uel adhiberi debere. At uerò imminente declinatione, transactis augmentis, cùm paulatim uapor exasperatus, omnia illa exteriora membra perfuderit, tunc adiutorijs potiùs competentibus seruiemus. Ergo quo modo aliquando sub certis accidentibus manifesta declarantur nomina passionum; sic aliquando simplex febrium imago conspicitur, quę uentris semper constrictionem procuret, capitis dolorem, linguæ asperitatem, aliquando insomnietates, cum leuibus mentis erroribus. Hęc etenim ex eadem febrium origine, uapore naturaliter superiora appetente, præcipuè capiti sollicitata contingunt. Quæ accidẽtia licet etiam in cæteris passionibus, cum alijs signis plurimis misceantur, tamẽ cum per se sola fuerint, febribus sociata, febrium magis simplicium quàm figuratarum speciem designare noscuntur. Ergo cum simplicium febrium causa constiterit, per initia commotionum, cum adhuc articulos possidet frigus, manibus calidis, uel uaporibus, cætera omnia membra calefacta contineo: tunc etiam somnos inhibeo, nihilq́ue aliud inhiberi permittam. Cùm uero ex altitudine uapor exiliens, corpus omne calefecerit, & emergens inflammatio impatiens, uiscera uniuersa siccauerit, tunc post clysteris simplicis beneficium, etiã enemate, quod ex sicco lini seminis, & oleo roseo, uel chamæmilo temperatur, in uncijs tribus, igneis illis ardoribus succurrendum est. At uerò quinta transacta die, & primis iam temporibus ægritudinis refrenatis, cùm sub quadã maturitate qualitas causæ humanior apparuerit, tunc post augmenta cõmotionis pręsentis, lini semine, & hordei pollinibus, cum aqua & oleo, ut moris est, præcordiorum loca iuuanda sunt: ex quo, aut ignem illius commotionis temperemus, aut sudorem opportuno tempore procuremus. Monitum te interea uolo, ex urinarum inspectione, supradictę ęgritudinis maturitatem, sic considerari debere. Aduertendum est itaque, ex urinis naturalibus & consuetis, quãtum in cõtrariam partẽ natura deuiauerit: ut ex hoc, quid aut pñs status, aut futurus ægritudinis exitus allaturus sit, instruaris. Est aũt urina naturaliter, quæ corporis eius qui emittit, sanitatẽ manifestat, rubra mediocriter, & subpinguis, & tactu calida, hñs naturaliter nebulas, in aquam maximè appetentes. Quantitatẽ uero ex accepto nosse cõueniet. Hęc itaque cùm inspexeris, de maturitate ęgritudinis bene cõfidens, adiutorijs cõpetentibus uisitabis. Superueniente igitur declinatione, tẽporales commotiones, et prioribus adiutorijs procurato. Tunc & linguę curationi, & cæteris, quę cibos impedire consueuerunt, seruiendum erit. Aliquando etiam lixoperita pro cataplasmatis adhibita, quammaximè profuerit, quæ infundere ac nutrire magis, quàm infrigidare corpora ardentia uideantur. Quæ conficere hoc modo consueuimus. Spuma argenti unc. III. mellis unc. III. succi lini seminis unc. VIII. ceræ unc. III. olei rosei, uel chamęmelini lib. II. cõficis ut moris est, & uteris in uicẽ cataplasmatis, cõmotiones cõpetenti tẽpore iuuaturus. His igitur adhibitis, simplices ægritudines sic uisitare consueuimus, usque in plenam uisitationem: quo etiam lauacris adhibitis, & reparare sanitatem, & reparatam custodire possimus. Igitur

Igitur postquam illius ægritudinis species, quæ solis febribus cum proprijs accidentibus designantur, hac pagina compendiose composui, in sequenti ordine acutas omnes passiones proprijs nominibus, atque etiam accidentia designabo. Sumimus itaque initium de phreneticis, febriũ acutarum necessitate fluctuantibus, adiungentes adiutoria competentia.

De phreneticis. *Cap.* II.

PHRENETICORVM causam certa accidentia manifeste designant. Sunt enim acutæ febres, cũ terribili mentis alienatione: sunt iuges insomnietates, ex miningæ tensione, uel indignatione uenientes. Vnde cùm speciale accidens hos tantummodo manifestauerit, uel si floccos intensiùs legerint, commotionum temporibus, uti iam antè præmonuimus, feruiendum est. Docet natura, exasperatis nulla penitus adiutoria admouenda, ex his præsertim, quæ importunis temporibus quammaximè adhibita, nocere probata sunt. Per initia atque huiusce passionis, lucidum ac temperatum primò cubiculum prouidendum est. Ciborum obseruanda continentia. Et si prædicta adiutoria, quibus passio publicata est, intra tertium diem apparuerint euidentia: & si nulla nos aut ætatis, aut temporis ratio remoretur, phlebotomo subueniemus, licet ad detractionem sanguinis, cunctatior non facilè peccauerit. Cùm enim sanguinis, commodissimi elementi, copia laborantes, etiam alienis possint iuuari remedijs, eo sanè detracto, uel amisso, difficile reparantur. Ventris item si cõstrictum fuerit officium, per clysterem simplicissimum procurabo, mellicrato calido, oleum tantummodo admiscens, nihil asperum, neque diureticæ qualitatis adijciens. Certum est enim, febricitantibus omnes collectiones miningæ sociari. Vini, uel aceti penitus in his odor fugiendus est. Cibus humectus & lenior est adhibendus. Aptis temporibus caput oleo roseo infundendũ. Et si his adiutorijs contemptis, passio augmenta perceperit, ita ut extensioribus uigilijs, & febribus, & alienationibus adhuc molestissimis terreamur, oleum chamæmælinum, uel anethinum calidum, in quo papaueris, uel lactucę femina, uel menthę, uel hederæ succos coxeris, miscebis, & eorum capita frequẽtiùs irrigabis. Si uerò impatientiùs se luctando quassauerint, quod est omnibus uigilantibus accidẽs speciale, mollibus ligaturis fasciarum alligatos quiescere faciemus. Etenim plus incommodi accidere poterit ex uigilijs inquietis, quàm si inter luctationes nimias intercepti, uiribus fatigẽtur. Vultus eorum ante cibos aqua calida, ubi agreste papauer, aut lactucæ semen, & cætera illa quæ significamus decoxeris, fomententur. Similiter etiam articuli eorum, lingua quoque, ex melle, & oleo mixto rosaceo, aut certè ex succo lini seminis irrigentur. Febribus etenim perseuerantibus, ægri ampliùs siccitate linguæ quatiuntur. Lectus eorum suspendendus est, & ad uicem gestationis agitandus. Frequenter enim, ex illa lecti motione, ueluti & mentis oculis, & mentibus occupatis, somnos his dulcissimos procurabimus. Media eorum, consideratis temporibus, oleo dulci calido fomentanda sunt, aliquando mixta aqua calida pertigmatibus infundenda. Similiter etiam inguen eorum huic quãmaximè compatiens ægritudini. Frequenter etiam seminum cataplasmatibus media eorum iuuanda erunt. Iuuat interea multùm detonsio capillorum, aut si raso capite admotæ cucurbitæ, cum sanguinis detractione adhibeãtur. Ex hoc etenim adiutorio, quantũ sæpe probatum est, ad plenam causę perductæ sunt digestionem. Hæc est, amice, simplex phreneticorũ medicina, quæ naturæ beneficijs & adiutorijs sic ordinatis, competenti tempore adhibitis, continetur. His etenim ritè custoditis, faciliùs potest ægritudo uicta succumbere.

De lethargicis. *Cap.* III.

LETHARGICIS & phreneticis simile est capitis aut miningę sub extensione uel constrictione periculum, utrique acutis febribus agitantur. His tamen accidentibus differunt, quòd phrenetici, manentibus insomnietatibus & alienationibus, eriguntur. Lethargici uerò sub simili incõmoditate uigiliarum, grauedine molestissima, & falso ueluti somno, molestiùs deprimuntur. Sunt hæ differentiæ, ex simili passione subortæ, ita tamen, ut plus lethargici periclitẽtur. Nam phrenetici ampliùs grauati, lethargici fiũt: lethargici uerò releuati, in phreneticos mutantur. Vna est ergo & æqualis in utrisque causa uitiorum, eadem etiam in uisitando diligentia esse debebat. Sed phreneticis quies & patientia indicenda est: lethargicis uigiliæ procurandæ sunt. Ergo lethargicis fotus capitis simplex adhibendus est, ut phreneticis: exceptis herbis illis, uel seminibus sapores afferentibus, qui media præcordiorũ similiter adiuuanda sunt. Linguæ siccitas eodem modo riganda, riteque uentris officium procurandum. Caput quoque sic detractione sanguinis releuari debebit. Vno eodemque modo, uel tempore, etiam ciborum qualitate nutriendi sunt. Vnum tamen præcipuè curandum, ut si per spinæ tantummodo admonitionẽ febres adhuc acutas perseuerare intellexeris, frequentibus eos sternutamentis releues, tunc acerbis adiutorijs ptarmicis imminere nos conueniet, in lucido sanè & temperato cubiculo. Articulos uerò eorum ungo frequẽter oleo ueteri, uel cucumeracio, mixto nonnunquam nitro, aut pipere, aut castoreo: & uncta sollicitius defricabo. Et si frigidi adhuc fuerint, etiam sinapi puluerem admisceo. Nam & aliqui etiam sanguisugas frõti eorum, uel temporibus rectè adhibuerũt. Perseueranti uerò grauedine, & sensus occupatione demersis, expedit accipere ad mensuram cochlearis unius cum mellicrato, castorei puluerem. Expedit etiã apophlegmatizare ex oxymelle, & hysopi, aut origani, aut thymi, aut pulegij, aut rutę decoctionibus. Et si adhuc ista ueterem capitis depressionẽ non deponant, etiã sinapismus adhibendus erit, unguenta quoque ex ca-

storeo, & oleo sicyonio. Iam tunc etiam odores naribus admouendi ex castoreo, pulegio, origano, thymo, & baccis lauri. Hoc & ex cornu ceruino, & galbano fieri, commodum probauimus. Hæc igitur grauatis lethargicis adhibenda sunt, ubi febrium acutarum non interuenerit necessitas, quæ quidem nos omnia eis quæ phreneticis accommodari solent adiutoria, uel illis similia adhibere compellit.

De pleureticis. Cap. IIII.

PLEVRETICORVM hæc est certissima definitio. Dolore insustentabili, & perseuerãti, circa interiora lateris afficiuntur, febribus æquè acutis minimè desistentibus: & tussi molestissima compressi, sputa uaria eijcient. Super quod latus iacuerint, tolerabilius asseuerant. Nam, loco dolente, ad saniores partes in tempore demigrat pressa materia, ac tum loca ipsa languentia releuantur. Febrium itaque temporibus feruientes, adiutoria & cibos congruos adhibebo. Cubiculum procurabo calidum & lucidum. Ex initio mellicraton ex despumato melle suggeram, omni ægritudinis tempore ministrandum. Interea si statim nos augmenta terruerint, retractantes ægrotãtis ætatem, temporis qualitatem, prouinciarum naturã, intra tertium diem phlebotomo subuenire nos conuenit. Item uentris officium procurandum est, aut balanum supponendo, aut clysterem simpliciorem. Lateri uerò dolenti, ex oleo samsucino calido fomẽtum adhibeo, & ex samsuci puluere, uel rutæ siccæ, loca affatim aspergo dolentia. Post uerò succidas, aut sulphuratas calefactas lanas appono, uarijs & frequentibus cæteris uaporibus loca mitigabo: & aliquãdo saccellis ex cantabro: aliquando ex milio, uel salibus calefactis; aliquando oleo supradicto samsucino, uel rutaceo adiecto, uesicam uaporamus. Adhibemus etiam uentosarum suis temporibus aptissimum adiutorium. Perseuerãtibus uerò doloribus, etiam cataplasmata calastica cum melle de seminibus addo, detrahens semen fœnogræci. Febrientibus caput semper dolore & inflatione sollicitatur, quod expertus es. Cibos uerò usque ad ægritudinis digestionem, commodis temporibus, matutinis quammaximè, sorbiles ministrabo, & calidos. Semper enim naturæ certa ratione, uespertinæ horæ crassiores accessus, ęgros animos ad tristitias quasdam adducunt, & uitia ueluti renasci cogunt, commotionem interea addẽtes. Eóque faciliùs ægritudinem refrenabis, si per dies singulos semel tantummodo cibos adhibeas. Sub hac igitur uisitatione, si nec dum ægritudinis augmenta recesserint, diebus pluribus ex mellicrato, aut hysopum, aut rutam uiridem decoquam, & ex hoc frequenter eos potabo. Locis uerò impatienter dolentibus, etiam τὸ χάρας ustionis impono. Ita enim frequenter ad peripleumoniacorum non permittetur æger uicina peruenire pericula. Dolentes uerò latus sine febribus, & cæteris accidẽtibus pleureticorum remotis, quos iam non pleureticos, sed latus dolentes propriè appellabo, ex subiectis alia diligentia uisitamus. Piper, uel cyminum, uel castoreum, aut rutam siccam terentes, mellicratoque miscentes, potui dabimus. Oxyporia adhibenda erunt. Item acopo calido, commixto opobalsamo, aut glaucino, aut laurino, latus ipsum est perungendum, & fricandum. Quibus adhibitis, si nec dum dolor quieuerit, super illam decoctionem quã superius ordinauimus, fraxini radicem, aut capparis admiscebo. Dabo interea etiam antidota apta frequẽter pleureticis, superaddens samsuci puluerem, iisdem semper adiutorium commodissimum. Nam & emplastra, uel malagmata, his sæpissimè profuerunt, ex rutæ foliorum uiridium contritorum, cum axungia; & cætera quamplurima, quæ sibi quisque in tempore causæ probatæ utilia esse cognouerit.

De peripleumoniacis. Cap. V.

PERIPLEVMONIACOS hæc accidentia manifestãt. Febres acutæ, thoracis pondus, quod etiã laterum sollicitet uicinitatem. Iacere supini non facilè patiuntur, sed magis sedendo releuantur; facies attestantur infectas ueluti quodam rubore genas: Anhelitum tardum, & suspirium patiuntur. Tussiunt frequenter, sputa sanguinea & sordida digerunt, pulmonis periculum designantia. His primò lucidum, & calidum, utpote calasticum cubiculum prouidendum est. His febrium temporibus feruiens, adiutoria, & cibos moderatius administrabo. E succis ptisanæ, aut alicæ, mellis quippiam despumati habentibus, mellicraton faciendum est: sicuti etiam in pleureticis ordinatum est: cui concoqui debet ruta uiridis, hysopus, uel origanum, aut iris Illyrica, quæ quammaximè perseueranti tussiculę mederi consueuit. Si uerò digestio sputorum tarda & difficilis fuerit, uel si pectora eorum, uiscosa quadam pinguedine percludantur, ad mensuram cochlearis, ieiunos recentis butyri frequenter acceptione iuuamus. Ventris officium assiduè procurabo. Thoraci eorum, hoc est, pectori, adiutoria omnia pleureticorum adhibeo, tam in fomẽtis, quàm in cataplasmatibus, cæterisque uaporibus constituta. Cerotaria quoque ex oleo cyprino, habentia sinapi puluerem, adhibenda sunt: quibus ad exteriorem cutim, pulmonis laborãtis causa interior prouocetur. Nam & uentosæ impositæ, par beneficium etiam mitigando præstiterunt. In declinatione uerò huiusmodi ægritudinis, emplastris, & malagmatibus amycticis pro tempore aptis uti nos conueniet; nec non & humanioribus lauacris, cæterisque, quibus ex tanta ægritudine, reparare membra lassiora, & roborare possimus.

De synanchicis. Cap. VI.

DVPLEX synanchicorum species. Vna, quæ cum tumore nimio, uel indignatione gutturis, & uuæ,

& uuæ,& faucium,& uicinarum partium efficitur. Altera fine tumore, iifdem tamē inhærentibus fignis, uel accidentibus: quæ plus periculi facere confueuerunt. Meatus utrifque in trāfglutiendo difficilis fiet, & de conclufione eorum locorum, uel fufpirio, uel etiam naufeando periclitantur. Hi hoc modo curandi erunt; cubiculum maius,& calidum procurandum eft. Clyfteris ardore officium uentris cogemus. Et fi ætas eorum adhuc calidior fuerit, phlebotomo liberantur ex uenis fub lingua apparentibus, eo fanè tempore, quo neceffitas coegerit detractionis. Vbi enim febrium timor defuerit, etiam poft tertiā diem fanguinis detractio non negatur. Gargarifmatis uerò has caufas faucium, frequentiffimè tali modo nouimus releuari. Mellicrato, in quo aut cantabrum coquendum eft, aut ficus ficcæ, aut gallæ quaffatæ aut rofa ficca, aut lenticula, aut omphacium, aliqua ex his, aut certè omnia, ut fuperiùs conteximus, concoquenda erunt. Nam andronici trocifcus omnibus meritò approbatus, fi cū paffo, aut careno teratur, & molli penna his locis adhibeatur, fatis iuuat. Sic etiam de flore rofarum,& alumine fciffo, & de phrygio lapide fimul combufto, cōfectus puluis, fimiliter temperatus,& commodiùs adhibetur. & cætera medicamenta, ut anthera,& his fimilia, anteriorum compofitione probata. Interea faccellis, uel fomentis, cataplafmatibúfque calafticis,& paragoricis, locis faucium periclitantibus,& pectoris uicinis partibus imminebo. Cibis uerò temporibus competentibus humidis, calidis,& tenuioribus nutriendi funt. Acutæ enim ægritudines utilius gubernari non poterunt.

De apoplecticis. Cap. VII.

APOPLECTICI appellati funt eò, quòd ueluti ictu quodam repentino percutiantur: uel quòd frigidiffimi cum totius corporis defperatione,& grauedine iaceant, fine fenfu etiam. Hæc quidem paffio acuta eft,& nunquam penitus fociata cum chronicis, nimiùm follicita, fine febribus tamen. De his igitur Hippocrates nofter, huius profeffionis auctor, fic fua fententia iudicauit. Apoplecticos (inquit) grauiter occupatos, nullo penitus pacto curari poffe: leuiores attamen, licet difficilè, liberari. Huic etiam ego obediens, hoc fi fuadeo obferuari, ut eos quos fine fenfu penitus iacentes infpexeris,& nimiùm frigidos, anhelantéfque, tantummodò plena fub defperatione agere pronuncies. Quos uerò leuiores, ut dixi,& aliqua parte fenfum proprium continentes, fono narium refpirare confpexeris, penna prolixiore interiora faucium attingendo, fi fieri poteft, cibos, aut phlegmata per uomitum reijcere compelles. Sternutamētis acrioribus eorum capita commouenda funt. Vnguentis, uel fricamentis acrioribus,& calidis, omnes eorum articulos, mixto nitro,& pipere, infundere fuadeo. Extremitatem uerò inteftini, taurino felle tāgendam, aut puluere ftaphyfagriæ, quam fyluaticam uuam appellant. Balanos fupponimus acres, & thermanticos. Confueuerunt enim his adiutorijs coacti, ercreta, uel urinas, uel phlegmata frequenter extrudere. Cognofcentibus uerò,& refpondentibus, intrepidè phlebotomum adhibeo: Si tamen nimiùm fenes non fuerint, fuccis eos ptifanæ, uel alicæ, cum oxymelle gubernabo. Aquā calidam potui dabo. Cùm uero tranfacto periculo præfenti, ad paralyfin, ut frequenter contingit, caufa fuerit deriuata, fuo tempore cùm de paralyfi tractaturi fumus, etiam eorum ordinabo remedia.

De hydrophobicis. Cap. VIII.

HYDROPHOBICORVM caufam, aliqui ex morfu canis rabiofi, aliqui ex ferpentium uenire affeuerant. Sed has origines follicitè nos fcrutari fuperfluum eft. occupatos etenim hoc morbo molefto, nil iuuat originem didiciffe. Igitur cùm initia huius manifefta fuerint paffionis, emergit primò ueluti quædam irrationabilis animi refpiratio repentina,& frequentes iracundiæ. Item pigrefcunt ad omnia, infomnietates, uel certè fomnos terribiles patiuntur. His & ftomachi grauedo, cum corruptela ciborū emergit, lauacrorum inconfueta uitatio. Aerem ferenum, ueluti plumofum perhorrefcunt. Vitare etiam bibēdi confuetudinem tentant. At uerò, cùm paffio eos plena poffederit, quātum in defideranda potione hic acceſſerit defiderij, tantùm timoris in accipiendo generatur. Ad hæc phlebotomo prius occurrendum eft, fi nos nulla prohibuerint cætera præiudicia, ut fuperiùs dictum eft, quando neceffitas coegerit temporis. Vbi enim febrium timor defuerit, etiam poft tertium diem detractio fanguinis non negatur. Itē dabo gentianæ radicis puluerem, in meflicrato cochlear unum: diatheriacon dabo, coagulum leporis tritū, fimiliter cum meflicrato. Dabo etiam canum catulorum coagulum. Dabo etiam cācrorum fluuiatilium puluerem combuftorum. Vulnera autem eorum à plena fanatione, ut poffumus, differemus, admouendo medicamenta quæ debent mitti, & fordida eadem uulnera faciam permanere. Admoueo interea eis fanguifugas, admoueo cauftica. Patentium enim locorum uenenati humores minimè poterunt prohiberi, redigeftionem. Pectus eorum, uel ftomachum, feminum chalafticis cataplafmatibus adiuuabo. Iuuabo etiam cerotario, ex aloë & maftiche,& nardino oleo temperato. Caput eorum oleo anethino, uel chamemilino tepido infundo. Vomitibus & clyfteribus releuandi erunt. Stomacho uētofas impono frequenter cucurbitas, & unguentis ex famfuco herba, uel abfinthio confectis, præcordia perfricabo. Cogo interea & fuadeo per interualla, ut ad balneas accedant, & folo fomento calido eos poffe iuuari affeuerabo. Procurabo cibos cum faporiferis fpeciebus: fed fi in tempore non deerit, etiam fagapenum, aut lafer admifcebo.

De iliacis, colicis, & strophicis. Cap. IX.

ILIACORVM, colicorum, & strophicorum similis est omnibus doloris molestia, diuersis attamē accidentibus separantur. Strophus, est leuis uentris tantummodo dolor: & leui adiutorio aut uaporū, aut uentris expositione, aut lauacrorum fomentatione compescitur. Colicorum uerò intestini unius querela grauissima est, & frequenter lege chronica, statutis & præfinitis ueluti temporibus cōmouentur: ut iam temporis magis molestiam, quàm uitæ periculum reformident. Iliacorum autem passio, de qua nunc nobis tractatus interponitur, acuta est, & sub augusto tempore periculosa. Primò, quod uentosus illis est stomachus, uentositate tenduntur: uesicæ, inguinum, coxarum, & omnium uicinarum partium doloribus opprimūtur: Scybalorū interclusione nimia cōligantur, usqueadeo ut ēt clystere acri adhibito, nō fimum, sed uentositatem solam inutilem egerere uideantur. Saliuarum frequenti profluuio perseuerantī, coguntur in nauseam: ut non solùm phlegmata, uel humores, sed etiam horribili uisu stercora cogantur egerere. Ad hæc igitur accidentia quantis possumus adiutorijs, hoc ordine succurrēdum est. Vaporibus frequentibus, & cataplasmatibus de cymini puluere, & sinapis semine temperatis immineo: iniectionibus quoque ex supradictarum specierum decoctione confectis: admiscēs succos fœnogræci, quibus ruta uiridis concoquenda erit. Item etiam ex oleo roseo, mixtis anserinis adipibus, aut castorei puluere, cum oleo uetustissimo. Vtilius fit ex laurino, uel glaucino temperentur. Vtimur uentosis cucurbitis, ignotioribus, uiolentius euellendis. Etsi adhuc doloris molestia perseuerauerit, phlebotomum adhibeo, perseuerando tamen fricationibus, uel sabanis calidis. Scybalorum uerò egerēdorum causa primò eos chalastico clystere compello. Qui si contenti fuerint, in secundis acrioribus imminebo, colocynthidas decoquens cum succo betarum, & similibus cæteris, asperè prouocantibus. Si uerò ex sumptione potionis uenenosæ perceptæ hoc euenire cognoueris, theriacam cum uino dare conueniet. Ventrem prouocabis ex lacte decocto, quod schiston aliqui uocauêre, in quo coqui facies, uel dissolui, aut aloe, aut scāmoniam. Addis etiam adiutoria de græco euporisto compendiosa.

De spasmis. Cap. X.

SPASMVS appellatus est ex tensione, uel protractione neruorum, & uicinorum musculorū, ceruicis quammaxime impatiēte dolore compatientis, ut etiam ad respondendum os facilè aperire non possint. Nam sub hoc titulo spasmi, uariæ sunt huius passionis figuræ. Spasmus, per omne corpus extēsionem rigidam temporalem quidem habet: sub qua ita tenduntur, ut sub uno schemate iacentes, tensione molesta & inflexibili teneantur. Quos uerò pronos cōtractio habet, emprosthotonicos dicimus: quos autem ad posteriora reclinatos, opisthotonicos appellamus. Hæc accidentia corporibus frequenter sine febribus euenire consueuerunt. Quòd si febres spasmis superuenerint, causam soluunt. Spasmi autem superuenientes febribus, uitæ semper periculum minitantur. Sed hæ supradictæ discretiones una eademque medicinæ diligentia uisitantur. Primis diebus cōmodiùs phlebotomo suaui utēdum est: ita tamen postea etiam omnia adiutoria competentia minimè prætermittas. Fricamentis, uel unctionibus omnia loca diligentiùs mitiganda sunt, uino & oleo temperatis, cubiculo calido & lucido procurato. Neruis uerò tensis, & flexibilibus, fomenta uel sola ex oleo caustico, & calidissimo temperabo. Cucurbitas, cū detractione sanguinis, competenti tempore adhibeo, uentrem procurabo ex clystere simpliciore. Cibis congruis digestibilibus nutrio: ut sunt oua tomatula, buccellæ candidæ, in aqua calida maceratæ. Frequēter etiam mellicrato infusę, inferendæ erunt. Etsi adiutorijs supradictis releuati, etiam oris cœperint impedimento carere, maluas & minutos pisciculos anethino iusculo discoctos, plena iam confidentia subministrabo. Frequenter etiam cum emplasmate ex hydromelle temperato, lactis his copia neganda non erit. Omnibus uerò tensionibus, post fomenta chalastica, ex oleo sicyonio unctionem adhibeo, & acopa calidiora, & cataplasmate chalastico loca diutius mitigabo. Post clysterem uero chalasticum, expositis scybalis, œnemate uti nos conuenit, ex oleo rutaceo, commixto castoreo. Conueniet etiam locis ipsis, de salibus calidis adhibere saccellos. Nam & carbonibus proximè calentibus, lectos & stramina calidiora procurabis. Cerotaria uel acopa ex oleo cyprino his frequenter adhibenda sunt. Et adionū galbano commixti, par beneficium procurant. Dabo etiam interea potiones huiusmodi. Castorei puluerem cum mellicrato, aliquoties his piper intermiscens. Silphium cum pipere, & mellicrato similiter. Dabo etiam diureticas potiones. Dabo somniferas. Curabo etiam per aquarum naturaliter calidarum beneficia. Nam post declinationem ægritudinis, natura ijs uentris beneficia procurare consueuit.

De satyriasi, uel impedimento usus Venerei. Cap. XI.

SATYRIASIS, gonorrhœa, uel priapismi, similis est sub immoderata patratione molestia, quæ his accidentibus disterminantur. Gonorrhœa, sine ueretri extensione, uel usus desiderio, spermatis affluentissima sub effusione, corpora debilitat, & per chronica tempora producitur. Satyriasis uerò, ex certa corporis incommoditate, quæ etiam mulieribus aliquando contingit, desiderium insatiabile, & tensionem particulę, cum assidua patratione auidissimā facit: & licet sine febribus, attamē inter acutas

& temporales ægritudines numeratur. Hanc passionem priapismō aliqui appellauerunt. Sic itaque curandi erunt, qui de utriusque cognomentis ęgrotant. Frequentatione palęstre, per initia omne eorum corpus exerceo. Post identidem penitus quiescendum est. Vapores stypticos, ubi iam sub tegmine, uel munimine totius corporis bene fuerint dispositi, supponimus, uaporem calefactum ex acacia, uel hypocisthide, uel cicutæ herbæ succo, contrito, & resoluto. Tunc ipsis partibus superaddimus fricationem unam sabanorum paulò asperiorum. Cibos stypticos omneis cum aceto ministrabo, uitans calidos, & qui inflationem poterunt concitare corporibus. Hi etenim frequenter usum erigere uenereum consueuerunt. Sic etiam potus subministrandus erit. Sed tamen omnia hæc mediocriter, & rarius exhibenda sunt, ut ex hoc ueluti famem, uel sitim procurare possimus. Si uerò passionis huius molestia diutius perseuerauerit, ut tensio & desiderium impatientissimè protendantur, laminam plumbi, renibus & partibus uicinis appono. Nam & uentosis cucurbitis assiduis, eadem loca fatiganda sunt. Dropaces quoque imponendi erunt. Ab omnibus carnosis cibis, & multùm nutrientibus abstinendi sunt. Ab odoribus bonis, uel thymiamatibus: ab aspectu, uel communione pulchrarum penitus figurarum, ut neque tangendi, neque uisendi eis copia præbeatur. Quibus uerò aut ætatis uergentis defectio, aut morbus locis residens, ueluti iam frigentibus, usus uenerei officium pernegarint, ijs contrarijs adiutorijs famulabor. Conuenit exercitio uti mediocri, fricationibus quammaximè locorum inferiorum, & inguinū, ex pipere, uel euforbio, uel similibus speciebus, quæ erigendo uigorem, desiderium, uel usum ualeant ministrare uenereum. Etiam horum dropaces adhibeo renibus, uel inguinibus, & ex eodem balanos. Cibis calidioribus utar, inflantibus, uel erigentibus membra frigentia. ut est uinum boni odoris, uel hydromel, alica, amylum, pinei nuclei, porri, erucę, bulbi etiam, & similia, quæ per potiones accepta, uirile semper officium reparauerunt. Et piper, satyrion, & stinchus, & erui semina, & cætera adiutoria, par beneficium ministrantia, quæ in libro Physicorum commodiùs disponimus. Interea eos quiescere conuenit, non solùm noctis spatijs, uerumetiam diei: uti plumis, & mollioribus opertorijs, uel straminibus conuenit. Interea puellarū speciosarum, uel puerorum similiter seruitium procurandum est. Vti sanè lectionibus animum ad delicias pertrahentibus. ut sunt Amphipolitæ, Philippi, & Herodiani, aut certè Syrij, Amblij, uel cæteris suauiter amatorias fabulas describentibus.

De cardiacis, qui etiam diaphoretici. Cap. XII.

LICET quamplurimorum sententiæ ita definierint, sicuti hæc eadem professio nominis attestatur cordis initio hanc ægritudinem fieri; ijs ego tamen non facilè accomodabo sensum. Nunquam etenim claruit indicium manifestum, quo tentari in aliquo naturam cordis intelligerem. Est autem totius corporis, & uirium plena resolutio, quam καρδιακὴν διαφορητικὴν appellamus. Hanc sudor uiscosus & frigidus perseuerās, interemptis uiribus manifestat, præeuntibus attamē acutis febribus, & flammarum interiorum ardoribus. Quem morbum aliqui Causon appellauerunt. Hęc igitur passio frequentiùs iuuenibus, quàm cæteris ætatibus euenire consueuit, in augmento ægritudinis, hoc est circa diem sextum, & quammaximè eo tempore, quo æstas calidior incanduerit. Licet ergo in omnibus generaliter malarum ægritudinum necessitatibus, ualde promouerit, si gubernantibus temporibus seruiamus: attamen magna ui, & periculo interposito, dum sudoris illius emerserit iniquitas, cum uirium defectu, & ex eo pręsens uitę periculum, tunc confusis & pretermissis temporum rationibus, adiutorijs competentibus imminemus: & nunc cubiculū frigidum, nunc lectum stramentis ueteribus lineis dispositum, nunc flabella, nunc quoque pannos nardo & uino infusos, pręcordijs eorum ordine imponimus. Cataplasmata quoque frigida, & styptica imponēda sunt eorum pręcordijs, strichnon, aut aizoō, aut rubus, aut thebaicus dactylus, aut caducea mali granati, uel œnanthes grana. Certissimum est etenim, singularum specierum merita, quenque medicum bene cognoscentem, uel etiam temperamenta, siue commixtionem adiutoriorum, facilè posse disponere. Faciē ergo eorum ex posca frigida, uel uino styptico fomentabo. Pulueribus aspergo membra sudantia, mēthę, uel rosarum folijs, siccis, contusis, & cribellatis, gypsi, naxi, mannæ thuris, gallarum, singulis tunsis, & commixtis, cum uino styptico, uel eius fęcibus: simul mixtis odoribus bonis, uel thymiamatibus, uires labentes, & mēbra desidentia reparabo. Articulos eorum oleo cucumeracio, uel nimis uetusto, mixto puluere nitri, uel piperis, pyrethri, uel adarces, uel urticæ seminibus defricabo, uel infundo, quo calorem ingenitū emorientem reparare aliquatenus ualeamus. Nutriam succis modicis, sed frequentioribus, frigidis tamē, quibus sudoris feralis abundantia uires emorientes exuscitem. Nutrio potando, ut potero: nutrio similiter per clysterem, aut alicę, aut ptisanę succis, ut suprà dixi, in quibus ungulas porcorum, usque in plenam earum decoctionem concoqui suadeo. Aquam frigidam per interualla similiter subministrabo: & si ætatis adhuc uapor calidior coēgerit, niuatas non aspernabor.

De cholera. Cap. XIII.

CHOLERA, passio molesta, sub angusto tēpore sollicita, omnibus acutis ęgritudinibus uelocior. Nam hęc sub uno die desperata, ut frequenter experti sumus, uitę terminum fecit, dum subitanei uomitus, uentris quoque immittere effusiones, sub dolore nimio pręcordiorum, uel totius corporis, interiorem omnem sępe substantiam effuderunt. Est etiam hoc simile in diarrhœa periculum. Sed eo distat, quòd diarrhœci sola uentris molestia, & sub longo tractu temporum, aliquoties fatigantur. Cholera uerò, ex

utrisque effusionibus sæpe, & sub angusto tempore homines pernecauit. Ergo cum interiora præcordiorum, humorum minacium prius occupauerit conglobatio, ut ecthlipses, uel angustias, nimios quoque dolores efficiat, tunc nos aquam calidam in tempore porrigimus, & per uomitus, procurabimus digestionem. At cùm per uias expulsionis, eorum impetus torrens & repentinus eruperit, ita ut ex utrisque terribilis effundatur, sic, si possumus, præsens periculum remouemus. Oleo calido omne eorum corpus infundimus, articulos fasciolis astringimus: neruos omnes, & loca contrahentia, lanis infusis eodem oleo calidissimis munimus. Vtimur quoque etiam cerotario, & nardino oleo, & cyprino, & glaucino, aut irino tẽperato. Si uerò interceptis uiribus, plena fuerit desperatio, odores, uel thymiamata his propter reparationem adhibebimus. Cibos dabimus competentes, succos lentis cum aceto, oua hapala, ... fabriciam, buccellas mero infusas, ungulas porcorum, uel iuscellum gallinarum, concoques ... , uel aizoó, aut rubum. Dabo potum frigidum, dabo niuatam, columbos matri subductos. His etiam perdices eodem modo conuenit ministrare. Cataplasmata uerò omnia adhibenda sunt, quæ diaphoreticis ordinata sunt. Febribus uerò interpositis, consideratis temporibus seruiendum est. Intensius tamen effusionum sollicitudini militabo. In quibus sæpe etiam sanguinis superuenientis effusio, uitæ periculum procurauit.

Libri II. Pars secunda. De passionibus Chronicis.

OMISSIS acutis passionibus, quæ certa lege ægritudinum propriarum, febribus aliquando sociantur, eisque iam partim publicatis, ad Chronicas descendemus, quibus aliquando febres superuenientes, sub longo tractu passionum, ueluti temporales commotiones assimulant. Etiam in ipsis ordinem dispositum custodientes, initium de capitis querelis accidentibus ordiemur.

De querelis capitis. Cap. I.



QVERELAE capitis, uarijs frequenter accidentibus superueniunt. Aliquando de uapore, uel de frigore, uel cæteris rationibus accidere uidentur. Igitur quando de uapore dolor insederit capiti, tunc accidens ille dolor, cum uapore quodam, & uenarum inflatione concutitur: Tunc oculi sanguinei, tunc etiam insomnietates nimiæ procurantur. His gremialis olei infusio adhibenda erit. Quę si forte dolorem non compescuerit, oleum roseum adhibemus. Cuius si copia defuerit, gremialis supradicti quatuor partibus, rosea uua erit aceto miscenda. Si uerò maior iis uaporis frigidiora exegerit adiutoria, superaddimus auxilio, aut polygonij succum, aut arnoglossę, aut portulacę, aut uuarum immaturarum. Quiescere autem debebunt locis frigidis, quorum pauimentis spargenda erunt folia uiridia, aut rubi, aut hederę, quæ graueolentia non sint, & competenter infrigidare sufficiant. Si uero de frigore caput fuerit inquietatum, tunc grauedo quædam cum turbore uenarum, & interceptione contingit, tunc effusio lacrymarum, tunc falsi somni graues existunt. Hos anethino oleo, uel rutaceo calido cõueniet fomentari. Et si superaddi aliquid adiutorio debere caloris aduerteris, aut agrestis cucumeris radix, aut euforbium, uel certè castoreũ superaddendum est. Nam & laurinum oleum, uel irinum, uel glaucinum similiter adhibendum est. Quando autem ab exhalatione inferiorum, quam ἀναθυμίασιν appellamus, caput fuerit sollicitatum, tunc ille dolor per interualla subcutiens, cum saltu quodam uenarum, caput sollicitat: tunc quammaximè uertigines, tunc oculorum obscuritates emergunt, querelis attamen aliquibus pulsantibus etiam præcordiorum loca. His ergo primò uentris solutio procuranda est, & cubiculi temperies prouidenda, & ad releuationem eius, post cibos uomitus procurandus, sternutamenta frequentia: si tamen nullum febrium indicium interuenerit. Caput uerò oleo dulci calido adiuuandum est, cui aceti quippiam commisceri debet: unde superuolantis ad superiora uaporis inquietudo, aliquatenus reprimitur. Somni arcendi sunt, diurni quammaximè: & ciborum prohibenda præsumptio. Frequenter hęc uitia indigestionis causa emergente cõtingunt. Nam & doloris tunc uehementia, atque subita uocis interclusione periclitantur. Quibus hoc pacto subueniemus, si eo tempore uomentibus, pòst continuò eorum auribus oleum myrtinum, uel anethinum, uel nardinum infundatur. Capiti etiam, ex his fomenta calidiora adhibeantur. Si uero ex uini potione caput fuerit dolore pulsatum, quod ex natura huic frequenter euenire consueuit, ea conueniet adhibere, quæ his adhibentur, quibus ex anathymiasi caput fuerit inquietatum. Olei etiam rosei fomentum est applicandum. His lauacra serotina permittenda sunt, somni uel quiescẽdi patientia procuranda. Tunc cibi competentes, ut ptisanę succus, & oua recẽtia, panes ex aqua calida, caules decocti, aquę calidæ potio, & lactucarum beneficium frigidarum. His etiam adiutorijs adhibitis, uaporis ad caput ascendentis deprimi importunitas consueuit. Sed quoniam his causis, aquę calidę potionem diximus posse beneficium ministrare, frequentius intendendum est, ne ex ea resolutio stomachi procuretur. Quę si euenerit, tunc apiorum, uel citoniorum decoctioni uinum est immittẽdum, quod stomachum ualeat reparare. Omni modo, omnes uitandi sunt dactyli. specialiter etenim ex natura sua contrariãtur, quęcunque ex suauibus fuerint confectę potiones. Tunc ad lauacrum calidum protinus festinandum est, in quibus ore aquam calidam, in cellis calidioribus sustinentes, uaporem omnem transfigant lauacrorum. Si ad ciborum ergo continentiam, frequentiamque lauacrorum, & cętera supradicta adiutoria, minus fuerint releuati, olei tunc rosei ulterius adiutorium euitandum est, atque chamemilini, uel anethini beneficium est apponendum. Si uerò

causis

causis ueluti incertis, caput doluerit, fronti linimenta hæc superadhiberi suadeo, omnibus superioribus obseruatis. Cornu ceruinum cum oleo roseo fronti contritum adhibetur. Nam & lapathij folia uiridia, cum gallarum puluere trita, ex aqua, similiter illita iuuabunt. Sic iris illyricæ puluis, cum aceto illitus præstat. Et hellebori albi puluis, mixtus cerotario olei rosei, & fronti īpositus, & acaciæ puluis mixtus, similiter catarrhosis medetur. Item etiam hemigranicis hęc sunt adiutori[illegible] adhibēda. Sinapi tritum, & urticæ semen excoctum cum aceto, frequentissimè profuerunt. Et decoctio [illegible]thri, cuius uapor naribus si hauriatur, continuò medetur. Et fumigia eodem modo hos iuuare cognouimus, si melanthium cum fimo bouis, uel asini, carbonibus impositum, [illegible]ribus hauriatur. Nam & unguenta hæc, ut experti sumus, capitis dolorem sedāt. Oniscos, quos porce[illegible]nes appellamus, si in oleo decoqui facias, & ex eo tepido caput infundas. Sic peristerion herba oleo infusa, medetur. Et si storacē oleo resoluas tepido, & ex eo caput infundas, multùm iuuabit. Sunt & cætera adiutoria πολυπλοκα, quæ multarum specierum congregatione compacta sunt: ut trocisci diuersi, emplastra, uel antidota, uel cætera, quę ex uarijs simplicibus componuntur: sed hæc magis facilia adiutoria adhiberi suadeo, quę sufficere arbitror causis supradictis capitis & querelis. In διαλείμματι uerò, hoc est, eo interuallo temporis, quo causæ uel passiones chronicæ publicantur, dū quiescente dolore causa latet, dum commotionibus ueluti transactis, æger sollicitus alias iterum reuersuras attonitus formidat, tunc his catholicis adiutorijs imminendum est, quibus secūdum naturam, sanitatem reformando, futuras confidit commotiones minimè nocituras. Ergo omnibus querelis, uel causis capitis, indifferenter hoc temporis interuallo, uno eòdemque modo, hoc est, cura & diligentia ministranda. Omnibus modis est indicenda uini continentia, quæ supradictis omnibus querelis capitis prodest: lactis æquè, similiter dactylorū omnium. multò magis uentris purgatio frequentissima procuranda est: fricatio totius corporis: quammaximè emplastrum capitis longa doloris ualetudine laborantis. In dialēmate, ficus pingues in uino infundes unc. VI. laseris drachmam I sagapeni I. storacis II. galbani II. omnia trita sic commisces, & uteris pro cataplasmate, præcalefacto capite post rasuram nouaculæ, inferioribus partibus femorum, uel surarum, æquè exercitio calefactis, ut ex superioribus causam omnem deuocare ualeamus. Apophlegmatismos, quibus caput purgandum erit, conuenit adhibere. Conuenit de narib[illegible] uel ex fronte sanguinis eos detractione releuari. Nam & post rasuram capitis, cucurbitas cum scarific[illegible]e sępe adhibuimus. Conuenit & emplastrum infrascriptum. Et frequentius etiam sāguisugas app[illegible]cari cōueniet. At ego in hoc ordine curę, etiam cycli beneficia non aspernabor, omnia penè uetusta uitia percurantes: si tamen recto ordine peragatur, ut ieiunia in tempore uomitus ex radicibus salsis, aliquando perceptio παρoρτριο, dropacę, synapismi, secundum usum & autoritatem ueterum adhibeantur omnibus. Attamen proprijs temporibus custoditis, ciborum quoque qualitatibus & ponderibus moderatis, utilia tamen esse censeo etiam aquarum calidarum naturalium beneficia. Peracto igitur cyclo, aliqui hieram adhibuerunt, quam alij picram appellauerunt, aliqui ἀρτηριοτομίαν, aliqui etiam cauteriam. Ex his omnibus adhibitis, constat supradictarum causarum sanitatem fuisse plenam capiti reformatam, ne uariarum curarum, uel beneficiorum merita confunderentur. Sed quoniam aliquando aut ægrotantium impatientia, aut imperitia medicorum, aut certè dum causarum magnitudini, adiutoria non sufficiunt competentia, minimè percurā tur, & ex eo ad ἐπιληψίαν capitis uitia deuoluuntur, his etiam, quibus nunc possumus, remedia uel adiutoria componimus.

De epilepticis. Cap. II.

VARIIS nominibus hæc passio, pro sua magnitudine, nuncupata est. Nam cum sit sola capitis causa Epilepsis, ideo sic appellatur, quòd statum sensus penitus alienet, & quòd mens à propria sede exterminata, grauiùs attentetur. Vnde antiquiores sub cuiusdam religionis imagine sacram passionem nuncupauerunt. Hos ante commotionem aliquando certa signa preueniunt: aliquoties casus occupat repētinus. Quos ergo in hac passione uiolentiùs exagitari cognouimus, ij commotionibus imminentibus nūc sua membra grauari pręsentiunt, nunc crebris oscitationibus resoluuntur, & ad omnes motus pigriores fiunt. Tunc etiam oculos terribiles habere incipiunt. Tunc stridor prosequitur dentium, cum precordiorum tensione: distenti uel contorti cadescunt citius, atque colliduntur. Tunc omnium musculorum uel neruorum spasmis, & saltibus confringuntur: & uocis articulatæ quadam confusione, sonos magis & ululatus excludunt, ore & naribus, & sacrabiliter spumant, & ueluti dormientes, cum sonitu pectoris graui us comprimuntur. Desistentibus uerò commotionibus, pręteritorum omnium immemores fiunt. His licet difficilè succurri possit, & tamen pro causę magnitudine, & pro ipsius professionis compatientia, adiutoria quę competentia didicimus, aut exercuimus, non negabuntur. In initijs ergo huiusce passionis, frequenter eos uomere compellam: sternutamentis etiam prouocatis, eorum capita commouebo, uentrē acri clystere procuro: frequenter adhibeo phlebotomum, semper huius causę competens adiutorium. Temporibus uerò commotionum, ora spumantia uili spongia detergo: membra sollicitè continebo, spasmis commota uel saltibus, quæ frequenter in ipsis commotionibus contorquentur: & lanis infusis oleo sicyonio calido, fouebo correcta. Pennas admoueo nitro & oleo īfusas, ex quibus faciles uomitus procurabo. Poterunt etenim ex hoc aut cibos, aut pinguia phlegmata digerentes, ualociùs releuari. Exactis tribus diebus his, est in principio ieiunum indicendum. Succis tantummodo nutriendi sunt. Aquam fontanam calidam bibent, in hydromelle uel apiata si fuerit, non negetur. In hac enim sollicitudine, uini penitus præsumptio inhibenda est. Quiescentibus itaque commotionibus, ciborum humanior ordinatio,

simplex attamen & digestibilis ordinanda erit. Iam fricari, uel exerceri debebunt. Cursus tamen uehemes penitus inhibendus. Solis calidioris, & balnearum calidarum uapor arcendus est. Cucurbitarum beneficia cum sanguinis detractione, capiti adhibenda ordinamus. Ordinabo dropaces, ordinabo etiam sinapismum, & omne cyclicum adhibendum esse suadeo: sed locis imponendæ sunt ustiones: arteriotomiæ faciendæ, quibus forte, si possimus, funestæ huius passionis perseuerantiam remoueamus. Huius etenim causæ magnitudini maiora sunt & frequentia adiutoria prouidenda. Nam quamplurimi sapientiores, etiam physicorum, adiutoria prouidere, in quibus (ut etiam nostro libello physicorum comprehendimus) magna, & ueluti religiosa remedia procurauere.

De scotomaticis. Cap. III.

SCOTOMATICORVM, & epilepticorum penè similis est in ijsdem casibus sollicitudo: similí enim mentis confusione alienantur: Quantitate causæ, & magnitudine accidentium solum terminantur. Iuuenibus hæc quammaximè & otiosis euenire consueuerunt. Contingit etiam quibusdam, qui hęmorrhoidarum solennes euitauerunt digestiones. Iis licet cura epilepticorum sola sufficiat, attamen hoc ordine uisitandi sunt. Cùm ergo commoueri cœperint, manibus continebo, auribus eorum inclamabo, easdem fortiùs desfricabo, capillos euello ex temporibus, odores naribus admouebo. Ex pulegio tunso, uel origano, aut sinapi cum aceto cōmixto, procurabo sternutamenta. Cibos in tempore competenti leuiores dabo, & adjcętera quę epilepticis adhibenda erunt. Vnum superaddo, quòd hos frequenter hellebori acceptio liberauit.

De menomenis. Cap. IIII.

SVNT certa insignia quę μαινομένους produnt. Primò, ut cùm sit sine febribus, caput sibi grauiter dolere assueuerent, sonos aurium suarum expauescant. Cùm autem commoueri cœperint, aliquando cum hilaritate commouentur, aliquoties irascuntur. Hos sollicite custodire conueniet, & eis phlebotomos adhibere. Item post totius corporis uarias purgationes fomentandum est caput eorum oleo nardino: & ordinandum est, ut frequentiùs uomant. Ex cibis leuioribus, & aqua calida nutriātur. Ab alienationibus uerò eorum, quæ cum risu fuerint, terroribus coercendi erunt. Furorem uerò mollioribus blandimentis lenire cōueniet. Interea eos ligaturis cōmodius custodiemus. Cubiculum eis in inferioribus procurādum est, ne per commotiones pręcipitentur. Caput eis post fomenta olei nardini, uel chamæmilini, radendum est. Item etiam scarificandum. Conuenit interea etiam sanguisugas admouere. Transactis uerò commotionibus, etiam quietis passionis temporibus, hordei scisci ecori ordinandi sunt, ut ex eo magnum beneficium consequantur. Et si post hęc adiutoria, causę uel commotiones adhuc in suo statu permanserint, in illo nil asperius attentetur: sed quæ sunt priùs adhibita, identidem repetantur. Sin uerò plura augmenta causę concreuerint, incisio uenarum in capite, & ustio celebranda est. Danda hiera, dandum helleborum, & cætera quæ epilepticorum curis ordinata sunt. Hanc curam etiam in ἐνθουσιαστικοῖς adhibere debemus.

De melancholicis. Cap. V.

ACCIDENTIA Melancholicorum manifesta sunt. In principio huius causæ, salutis suæ desperatione, primò proponentes mortis desiderium, frequenter coguntur in lacrymas: & deserta loca potiùs appetentes, hominum incipiunt uitare consortia. Aliquando rursus suam sententiam redamnantes, uitæ solatio delectantur. Circa præcordia uerò de assidua inflatione queruntur: & cum sudore totius corporis importuno, frigidos articulos sæpissimè patiuntur. Priuari se ob hoc etiam uiribus naturalibus asseuerant. Indigestione frequenti stomachi fatigantur: ructus suos uarios & insuaues perhorrescunt. Calor illis intrinsecus fiet, & interiorum uiscerum doloribus frequentiùs attentantur. Vnde omnem curam quammaximè stomacho delegabo, fomentis, uel cataplasmatibus calasticis imminendo. Ventris officium priùs inoffensè procurabo, quò facilius etiam catarticis depurgentur. Palæstra, uel gestationibus solidius exerceantur. Vini ueteris, & bene olentis, accipiendi copiam præbemus. Cibos aptos stomacho, maturiores, & largiores conuenit ministrare. Declinantibus uerò doloribus, absynthij pontici decoctione utendi sunt. Et aloes iubeo puluerem ieiunos in Maio unius cochlearis in mellicrato accipere. Similiter etiam hieram quam picram ueteres appellant. Si his adhibitis causa diminuta non fuerit, phlebotomum sub gemina detractione adhibeo. Vomitus eis cum radicibus frequentiùs procurabo. Etiam inter cibos, helleborum aliquando dabo. μισανθρώποις uerò, & adhuc hominum fugientibus societatem, longas indicio peregrinationes, & aut marina, aut naturalia lauacra calidiora exhibebo frequentiùs.

De paralyticis. Cap. VI.

PARALYTICI multis ex caussis fiunt. Etenim aut ex se hæc passio nascitur, aut præcedentibus ægritudinibus comparatur. Quę grauior & difficilior fuerit, ea in prefatis corporibus consequitur. Igitur si paralysin passus fuerit, caput priùs est detondendum. Dehinc oleo sicyonio fomentādum, præcedentibus interea fricationibus calentium sabanorum. His cucurbitæ uentosæ sunt imponēdæ, & apophlegma

tis

tis competentibus medendi frequentius. Sternutamenta assiduè procuranda sunt ex odoribus acrioribus quibus faciliùs possit pressa altitudo cerebri suscitari. Nam & allia naribus eorum supponenda sunt, ex uiuo sulphure, uel lasere, uel castoreo temperata. Κωφόπτωμος præterea, cui ex uicinitatis molestia, linguæ, uel uocis officium frequenter intercipitur, proprijs curis corrigendus erit specialiter: gargarismatis hysopi, thymi, sinapi, cum oxymelite: salsioribus nutriendi sunt, & catarticis assiduè releuandi. Si sub hac sanè diligentia parum medicina profecerit, uenam eis sub lingua secabo: nec non etiam tardas confusasque eorũ locutiones, sub disposita prouocatione cõpello, timorem incutiendo uel ignis, uel serpentũ, ut correctiorem uocem tandem cogantur expromere. Caput eorum liquido cerotario frequenter infundo, ex castoreo, peucedano, & oleo laurino, uel irino temperato. Potionem temperatam ieiuno dabo ex castorei puluere ad mensuram cochlearis unius cum mellicrato. Dabo hieram ex more. dabo theriacam tempore competenti. Si autem ex frigoris causa, paralysis obuenerit, ut lepra aliquando corpus attentatur, fricatione calida, cubili tepefacto, & acopis bene olentibus imminebo. Conficio è ruta uiridi, uel marrubio, aut artemisia oleum non solùm ad unguendum, uerùm etiam & lanarum infusionem, quibus mẽbra post curam semper calidis muniẽda sunt. Cucurbitas interea locis pinguioribus admouebo: aquis chalasticis fomentabo, pulegio, nepita, iri Illyrica, hybisco, uel seminum decoctionibus. Acopa uerò adhibeo ex pice, oleo laurino, resinaque, pipere, uel euforbio & adarce, coniectura medici temperata. Exercitijs cõpetentibus membra recolligo. Frequenter hieram his dare conuenit. Quibus uerò sensuum partes attentatæ perierunt, ijs hiemis tempore, senili ætate laborantibus, unguenta hæc adhibenda erunt. Ex scylla, euforbio, thapsia, pyrethro, adarce, & oleo glaucino. Si loca emarcuerunt, diu hoc morbo uexata, cucurbitas, dropaces, lauacra, & cætera adiutoria similia, post cibos adhibebo quammaximè. Significo præterea aliquando paralysin per solutionem obuenire membrorum: aliquoties per cõtractionem. Et quomodò hæc accidentia sibi inuicem contraria, sic non una diligentia uisitanda sunt: eorum itaque nunc curas determinabo. Collecta ergo membra, & ex causæ ui, repentina contractione diminuta, omnibus chalasticis adiutorijs resoluenda sunt, mollibus manuum fricationibus, & unguentis ex diuersis adipibus, & medullis, quæ possint loca contracta relaxare. Vtor fomentis similiter aquarum chalasticarum, ex seminũ decoctionibus, & altheę radicibus. Indico interea, solam aquam calidam esse bibendam. Sanè concedendũ est, aut apritum, aut hydromelite. Resoluta uerò membra, omnibus stypticis adiutorijs, & frigidioribus colligenda sunt, siccis fricationibus, unguentis quoque mordentibus, ex oleo cyprino, uel calce uiua, eusorbio, castoreo, adarce, & similibus cæteris temperatis. Nam & ligna iacentia, subinde eos suadebo transcendere debere. Sanè si pes ex hac resolutione dimissus, usum penitus denegauerit, laminam plumbi priùs unciarum trium, articulis eius pedis admouebo; in tertium diem uncias singulas superaddens. Hoc diebus XL. seruabo: ut illam ponderationem, quæ eo tempore creuerit, usu nouerint sustinere. Post uerò, similimodo quę superaddita fuere plumbi, detracturus sum: quò pes, qui cùm colligaretur, pondera sustinebat, eadem subductione releuetur. Interea quotidie horis matutinis lamina detracta, unguentis, & cæteris adiutorijs imminebo. Hoc uitium plerunque etiam in oculis euenisse uidimus. Nam phthisis & mediasis, certissima paralysis oculorum est. Quæ phthisis ex contractione uel diminutione pupillæ contingit: ex resolutione uerò uel dissolutione pupillæ, medriasis, quam medici platocoriasin appellauerunt. Diuersis ergo eorum accidentibus, diuersæ curæ disponendæ erunt: ut altera fomentis, & inunctionibus stypticis, & constringentibus colligatur: altera chalasticis omnibus & nutriẽtibus relaxetur. Sed de utrisque difficilior est medriasis. Etenim generaliter in omnibus causis, faciliùs restricta resoluimus, quàm resoluta constringamus. De aquis uerò naturalibus certissimum est, quomodo dulcia semper & calida lauacra, corpora relaxarunt. natura uerò salsa uel bituminea, uel sulphurea, relaxata corpora collegerunt.

De catarrho. Cap. VII.

OMNIS κατάῤῥος sollicitè uisitandus est: cui origo & principium de capite nascitur. Deriuatio etenim ex eo defluens per uarias arterias, continuò quæ attigerit loca perfundit, & sic perseuerantia neglecta debilitat. Nam sub tribus differentijs ex hoc causæ fiunt. Fit in naribus, cui nomen est Coriza. Fit in faucibus, quòd dicitur Bronchos. Fit in thorace, qui si diu permanserit, & pulmones inusserit, phthisin penitus insanabilem facit. Præterea cùm ad inferiora se præceps demerserit, secum trahens ui & pondere materiam uitiorum, lęsis frequenter præcordiorum uitalibus locis, aquas passionis transitu infigit, & tandem desperata pedum loca occupat, difficilè remouendus. Sed primùm cùm omne corpus inquietat, & ueluti quoddam pondus cum dolore, omnes particulas corporis sine febribus apprehẽdit, descensu eiusdem rheumatis è capite, similiter etiam antea, quammaximè sollicitabo: cui cum cæteris uicinis & proximis membris, hanc diligentiam interim ordinamus: insequenti etiam specialem, pulsatis, uel occupatis partibus designabo. Omne igitur corpus calidis & siccantibus unctionibus perungimus, cubiculo munito & calefacto. Operimentis insuper lanarum mollium infusarum, caput, morborum omnium causam, calido oleo cyprino, uel laurino, siue glaucino frequentiùs curo. Conueniet interim per initia rheumatizãti diurnam quietem interdici. Conueniet similiter etiam potionis detractio, sub qua sitis procurata multum profuit. Sed magis obest salsus cibus, siccãs autem sub utriusque coactione ebrietas protinus arceatur. Ventrem præ omnibus purgandum moneo. Sanè cum his adiutorijs humaniùs causa profecerit, unguẽtis tunc supradictis, cum tali fricatione imminebo. Vt palestræ exercitio inuetur quammaximè opus est;

ut inferiora fortiùs defricentur. Euocatus etenim de superioribus rheumatismus, sollicite superiora loca, quę cum periculo attentare poterat, derelinquit: & sic ciuili medicinę iam beneficio, ægritudini repugnamus. Vnguenta supradicta cum o balsamo temperata dabo: potionem uini, & mellis ex æquo, ubi ritã uiridem coxi dabo. Ibi et pyret do: ibi piperis puluerem aspergam. Interea cùm nares occupauerit, admotis odoribus ex melanthio, mitigabo, & itidem frequenter cum unctionibus superioribus ungendi sunt. Si fauces inquietauerit, gargarismatis stypticis imminebo, quæ in primo Phænomeno ordinata transegimus, perseuerantibus sanè adiutorijs, capiti totoque corpori unguentis superioribus. Si thoracem occupauerit, loci naturam, uel uicini pulmonis intuens sollicitius uisitabo, instans & cæteris supradictis unguentis confectis cum opobalsamo: quò de altitudine ad thoracis superficiem reuocare possimus rheumatismum. Si tussicula superuenerit, quæ mala uicinitate, quasi quadam contagione sollicitat: habita cõsideratione, si humor ille in thorace diu resideat, deponendus est: perseuerantibus attamen prioribus adiutorijs, superaddo, plantas eorum pice liquida tangi debere, & fricari unguentis supradictis eam partem pectoris: admotis proximè carbonibus, quò plus aut euocare in superficiem, aut loco siccare rheumata ualeamus. Interea licet etiam contritionis molestia sæpe præualeat, ita ut phlegmata difficilius egerantur, quorum digestio tussientes releuare cõsueuit, his ἐκλέγματα, uel potiones dari faciam, ex origano, thymo, ruta uiridi cum mellicrato, aut melle despumato confectas, & pinguium ficorum decoctionem cum oxymelle. Et si identidem, humoribus multùm solutis, fluxus sputorum inquietudine, & uigilias procurabit, tunc ad eorum coagulationem, uel digestionem, succum ptisanæ, uel alicæ dabo, aut lentem cum melle coctam. Dabo omnes pultes cum pipere. Dabo salsamenta quæ uolet. Dabo in nocte antidota, piper & myrrham, storacem, galbanum, apium, cum melle attico temperata: quæ & coagulare ualeant phlegmata, & somnos inuitent: quæque sui natura & soluta constringant, & beneficio præstanti tussire minus faciat dormientes. Igitur cùm diu pertinax rheumatismus, adiutorijs medicinæ desistentibus, quod aut locorum aut substantiæ, aut certe medicorum inopia contingere solet, pulmonibus ustionem fixerit, phthisin incurabilem facit. Huic nunc pro causæ magnitudine, uel præiudicio tẽporis, curam ut possumus, & diligẽtiã ordinamus.

De phthisicis. Cap. VIII.

PHTHISICVS & apoplecticus una sub sorte, uel conditione medicinæ disperat, quod & ueterũ sententia sic fuit diffinitum. Vnde per initia eos ut possumus, medicinæ remedio iuuamus. Chronicos uerò plena sub desperatione, non iam ut medicorum medelis, sed magis amicorum solatio uisitamus. Ergo per initia spe, sub qua futuros nos omnes labores impendimus, hoc ordine phthisicos curabo. Febrium ergo frequenter his, & necessitate accidentium tempora considerans, cibos & adiutoria ministrabo. Consueuerint etenim sub quodam ueluti typico charactere, uespertinis magis febribus commoueri, ut aliquãdo cotidie, aliquoties circa diem tertium moueantur. Cibos itaque sorbiles dabo: & si uirium alia nos cura constrinxerit, concedo etiam solidiores pultes, quas uolent, agnorum cerebra uel hoedorum, ungues caprarum siue porcorum, uel succum, ubi supradicta decoxerint: aut certè apozima, ex salibus, oleo, & anetho, & aqua, ubi eædem ungulæ supradictæ maduerint. Dabo caponum maiorum testes: dabo columbos matri subtractos: dabo pisces aspratiles: dabo conchylia in ἐμβάμματι, ex aneso, libistico, pipere, & similibus cæteris, melle, & aceto commixtis. Desistentibus aliquando iam febribus, etiam salsamenta ministro: tunc totius corporis exercitamentis, ut priùs in palestra, pro uirium consideratione uti cõueniet: quammaxime autem capitis, gutturis, uel thoracis adiutorijs immineo: sicubi, natura consentiente, corpus omne iam rheumatismo plenè possessum, aliquatenus ualeam desiccare. Dabo antidota ex pipere. dabo theriacam cum mellicrato: dabo diaprasion: adhibeo epithemata simili sub uirtute operantia, quæ calefaciendo loca desiccare contendant. Caueant uerni & autumni tempestates: caueant æstus & frigora. Et si sub summa desperatione iam eos obsederit naturę fragilitas, ἐσχάρα, & cauteria partibus thoracis infigo: si fortè patefactis uulnerum meatibus, eorum digestionibus releuentur.

De sanguinis effusione interiorum. Cap. IX.

SANGVINIS effusio, licet pro locorum qualitate aliquando salubris existat, attamen generaliter omnes, cum horrenda & terribili inspectione uisitantur. Fit itaque locis diuersis sanguinem emittentibus sub trina uulneratione causatio. Fit primò crepatio. Fit deinde putredo. Fit ex utrisque superioribus, eiusdem loci uel uenæ patulum orificium incurabile. Locorum itaque emittentium nomina, curis interpositis designabo. Cùm ergo ex miningæ partibus sanguis eruperit, qui uapore quodam, cum saltu uenarum, cum sudore, & dolore totius capitis publicatur, hoc pacto constringendus, uel cohibendus. Thuris, uel mannę thuris, aut naxi, aut amyli, aut puluere terræ lemniæ aspergendus est: aut cum aceto mixto illiniendus. Huic fotus ex oleo roseo infrigidato adhibendus est, aut de succis herbarum, & specialiter stypticarum: ut est arnoglossa, & nigra portulaca, rubus, rosa sicca, uel cætera. Cibi uerò calefacientes miningam prohibendi sunt. Cùm de oculis hemorrhogia emerserit: aqua frigida, uel posca defricãdi erũt: consequenter uerò moris pinguibus inungendi sunt, & cæteris quæ in subiectis uenis crepantibus adhibuimus. Cùm de auribus sanguis eruperit, aqua his, uel posca frigida infundenda erit, & cætera quæ oculis facienda esse ordinauimus. Cùm de naribus eruperit, Phænomenus libellus superior, omnem earum

curam

curam edocebit, & instructionem. Cùm de faucibus, uel gutture, uel de palato eruperit, succis frigidis, uel stypticis insistemus. Cùm de uua, posca primo frigida imminendum erit. Quæ si minimè ualuerit prohibere, uirgulã auri, uel argenti igne calefactã, loco sanguinanti suppono: ut ex hoc cautere protinus cõpescatur. Cùm uerò de stomacho obuenerit, dabo ad masticãdum glycyrrhizæ surculũ, dabo symphyti radicẽ, dabo gũmi, dabo dragatum: dabo poscã frigidã, ubi naxi puluerem aspergo: dabo similiter amylũ tritum, dabo rhaponticũ, dabo etiam cum succis herbarum stypticarum, quas superiùs memorauimus, cibos stypticos, aut ex oryza, aut ex lente, uel succis eorum, in quibus illa styptica coquenda erunt. Dabo interea mala citonia: dabo pira, corna, sorbaque, & castaneas, uel horum decoctiones. His etiam diacodiõ conuenit in nocte accipere. Nam & eclegmatia styptica conueniunt: ut est aut diatheon, aut diastheacõ, aut certè barbarã, quæ de bitumine iudaico conficitur. Cùm de thorace emerserit, quod sollicitè uisitãdum est, primùm phlebotomus adhibendus, & cibi ordinandi sunt. Eorum uerò articulos, uel extrema femorum, fasciculis competenter astringo: spongiam uerò posca frigida infusam, thoracis partibus adhuc calentibus superimpono. Imminebo huic adiutorio, diebus continuis, quandoque frequentiùs immutãdo. Pòst uerò emplastris uti nos conueniet, superiùs ordinatis de stomacho accidentibus: quibus commodiùs lanas succidas superimponimus, oleum quoque myrteum, uel lentiscinum mixtum cum aceto. Si his adhibitis, sanguinis adhuc perseuerauerit insolentia, detracto aceto, uinum est commiscendum. Accidentibus uerò febribus, si etiam tussicula cœperit inquietare, cataplasmandi sunt de subiectis: ut sunt dactyli, sorba, rosa sicca, flos maligranati, acacia, hypocistis, alumẽ. Omnia hæc simul, aut quæ inueniri potuerint, in succis roris syriaci coquuntur. Horis uerò, quibus sanguinem detraho, ex decoctionibus supradictarum specierum, aut immaturarum uuarum, aut uitium acerbarum, aut polygonij, aut castanearũ ingero potiones. Cùm autem de pulmonibus hoc emerserit, quod ualdè periculosum est, sub gemina, uel trina sanguinis detractione, phlebotomum adhibere conueniet. Et his omnibus imminebo, quæ de thoracis partibus eminentibus ordinata sunt, tam in cibis, quàm in cæteris adiutorijs. Hos interea, cùm aliquid proficere cognouerimus, unctionibus, quibus membra inania nutriantur, mediocriter perungimus. Cùm de partibus sanè muliebribus sanguis eruperit, his in inguina iniici quid expediat, libelli sequentis lectione disposui. Vnum interea hoc generaliter edico, omnibus ex locis interioribus, ex quibus sanguis poterit eructare, per initia cuncta adiutoria, uel præcepta frigida, quę constringere, & glutinare poterunt, adhibenda esse: in sequenti uerò, cùm humanior præuentus caussarum arriserit, calidis & nutrientibus imminendum est.

De empyicis. Cap. X.

EMPYICI frequenter fiunt, ulcere in interioribus, uel apostemate præeunte. Quibus cùm febres superuenerint, temporibus consideratis, & adiutoria, & cibi parciores, sunt ordinandi. Tunc cùm maximè hora eos accipiendi coëgerit, cataplasmandi sunt. Interea ex hyssopi puluere, uel abrotoni, mixtis seminibus, in decoctione pinguium caricarum. Dabo frequenter mellicratum simplex: Dabo etiam in quo pulegium, aut hyssopum, aut thymum, aut ruta uiridis, aut marrhubium decoctum fuerit. Aspergo sanè in mellicrato, ad uulnera interiora purganda, puluerẽ irios Illyricæ: & eclegmate utor, quod ex lini semine frixo, cum nucleis, & melle despumato conficitur. Hippocrates uerò, nucleos cum galbano, & melle attico, in his similibus causis, ad depurganda uulnera dari præcepit. Similiter etiam terebinthinam mundam in mensura unius cochlearis, ieiunis quammaximè, & uiribus iam reparatis, atque his adiutorijs releuatis. Etiam hieram dari conueniet. Iam tum etiam exercitia, & fricationes, ad reparanda corpora, adhibenda sunt, quibus reliquiæ caussarum possint mundari faciliùs. Hos etiam aëris mutatio multùm iuuat. Cibos uerò, siue pultes frequentiùs accipiant, quibus piper admiscendum est. Hoc etiam in cęteris dari conuenit. Nam & antidota, quæ fortè de experimentis empyicis danda sunt, mixto pipere conficiuntur.

De syntexi, uel atrophia. Cap. XI.

MVLTIS pręcedentibus caussis, nascitur syntexis, uel atrophia. Fit ex uentris solutione prolixa. Fit ex febribus similiter chronicis. Fit ex ustione thoracis. Fit ex capite rheumatizante frequenter: quæ licet difficilè, attamẽ curari potest. Fit etiam per sanguinis emissionem, pulmonibus uulneratis, in quibus frequenter phthisis illa insanabilis generatur. Aliqui uerò iactantiores habiti, ueluti suam peritiam uel diligẽtiam diffamantes, συντηκτικοὺς curauerunt, quos phthisicos mentiebantur. Nã & præter sanguinis emissionem hi syntectici, uel ἄτροφοι, ex proprijs accidentibus fiunt, quos tussicula exagitat perseuerans. Hos indeficiens sollicitat sudor, hos certè macies, & tenuitas corporis, circa dies singulos, uires simul eliminando consumit. Quibus curam maiorem impendo in illorum reparandis uiribus. Sicut illis uinum leue, & album, balneæ, deambulatio, uel gestatio, unctio, uel fricatio, cibi aneleptici mediocriter administrentur. Frequenter enim membris & uiribus reparatis, phthisis imminens, uel hæc eadem perseuerans ægritudo, depulsa est. Iuuantur locorũ uel aëris mutationibus: & his utiliùs longas peregrinationes indicimus. Dropaces, & cætera quæ cyclo cõsueta sunt, adhiberi partibus præcordiorum, & capitis, uiribus reparatis adhibeo. Aquis naturalibus uti plus conueniet. Et si aliquod adhuc ex superioribus accidentibus perseuerauerit, syntoma superiorum ægritudinum remedijs adiuuabo.

De aſthmaticis, uel ſuſpirioſis. Cap. XII.

ASTHMATICIS, uel ſuſpirioſis querela pulmonum eſt. Pingui etenim & frigido phlegmate pulmonibus adhærente, cauernæ, uel meatus, quibus naturaliter ſpiritus redditur & accipitur, concluduntur: & ex hoc impedimento, ſuſpirium, uel anhelitus moleſtiſſimus naſcitur, ut ſedendo magis quàm iacendo reſpirent. Hieme ſenibus quammaximè hoc uitium familiare eſt. Contingit aliquando etiam medijs ętatibus, adhuc calidis: quos phlebotomo liberari neceſſe eſt. Attamen ſi etiam & à phlebotomo certa ratione prohibemur, tunc ieiunijs frequentibus, in uicem detractionis ſanguinis, uti conueniet. Proderit etiam potandi continentia: proderunt cibi cum oxymelle, & pipere temperati. Dabo interea hyſopi, aut oryzæ, aut rutę, aut abſinthij, aut irios Illyricæ, aut caulis decoctionem, ex meſlicrato calidam. Item conficio ex his etiam eclegmata commoda ſuſpirioſis. Conuenit etiam guttam ammoniaci dari, tritam cũ meſlicrato, uel oxymelle. Abrotoni puluis ſimiliter datur, & caſtorei puluis commodiùs operatur. Et illa decoctio, in qua fœnogræcum cum uua emucleata, & rutam uiridem coquimus, frequẽter danda erit. Sunt etiam trociſci magna approbatione diffamati, & conficiuntur ſic. Aneſum, ſulphur uiuum, guttam ammoniacam, caſtoreum, & melanthium, ex æquo omnia tunſa, cum aqua miſcentur, & fiunt trociſci: quos poſtea tritos cum oxymelle dare conueniet. Cubiculum his calidum, in ſuperioribus procurandum eſt, relaxandis enim corporibus ſemper ſunt inferiora contraria. Lectus accerſendus eſt, & pectus eorum calidis unguentis, & uaporibus defricandum. Cucurbitas continuò cum detractione ſanguinis admouebo. Proderunt per interualla amyctica: etiam dropaces adhibiti proderunt. Sinapiſmus proderit. Aſthmaticos iuuat peregrinatio longior: iuuat uomitus radicis cum oxymelle acceptæ. Conuenit exercitium: proderit currere cum ueſtibus laneis quammaxime, ſi hoc in procliuitate procuretur. Vtatur emplaſtris circa pectus amycticis, confectis ex nitro, pipere, abrotono, & caſtoreo, & cyprino uel laurino cerotario. Ex quibus ſupradictis, etiam potiones & unguenta conficio. Conuenit acetum ſcylliticum ſorbere in nocte. Ex eodem confectum oxymel, potui dare plus conuenit.

De epaticis. Cap. XIII.

EPATIS indignãtis moleſta querimonia eſt. Cuius ad curam adiutoria magis etiam ſtyptica conueniunt. Sępe enim nonnulli methodici calidis tantummodo uel chalaſticis adiutorijs imminentes, ipſam epatis ſubſtantiam diſſoluerunt. Oportet itaque in fomentis, uel cataplaſmatibus, cerotarijs & emplaſtris aliqua ſtyptica chalaſticis admiſcere: ueluti œnanthinum, nardinum oleum, uel melinum, mala citonia cocta, uel thebaicos dactylos, & cætera ſimilia. Fit interea hoc cerotarium competens cerebrimis. Nardini olei uncia I. maſtiches perſicæ unc. I. aloës ſemiuncia I. Hoc epaticis non modò conuenit, ſed ſtomachi etiam ſolutione laborantibus: ita ut aliquando & uentris ſolutione, & uomitu, & frequenti nauſea commoueantur. Quibus ſi hæc adhuc perſeuerent, admiſceo cerotario ſupradicto aut lycium indicum, aut œnanthinon facio in ſingulis ſemuncijs admiſceri. Articuli eorum tunc faſciolis conſtringendi ſunt, & ſtomachus alphitis cum uino cataplaſmandus. Si illa indignatio epatis ex conſtrictione magis obuenerit, ut cum tenſione, uel cum duritia loci, dolor nimius partes inquietet, qui & iugulo, & omni parti dexteræ moleſtiam ferat, febres acutas commoueat, uentris quoque procuret conſtrictionem, digeſtionis licet ex leuibus cibis non exhibeat officium naturale, interea ructus frequentes inſuaues habeant, cum uirium fatigatione, pallore quoque corporis deformentur: hos primò conuenit iuuari phlebotomo. Item oleo, ubi ruta, ſchæneanthon, papauer, lini ſemen coctum fuerit, calido fomentari. Cataplaſmandi ſunt tẽpore competenti commotionis, de hordei pollinibus, ubi diuretica aliqua commixta fuerint: ut aſarum, ut petroſelinum, aut pulegium, aut daucus, aut fœniculi ſemen, & cætera ſimilia in meſlicrato, in quo hybiſcus, uel ficus pingues priùs coqui debent. Vtimur centaurea poſt cataplaſmata, ex oleo ſamſucino, habente quippiam ſalis, uel nitri, uel naſturcij, aut ſinapis: ſemper attamen ſamſuci neceſſarij omnibus epaticis fuère. Vti tunc conueniet etiam diachylon chalaſtico, cui adipes commiſcendi ſunt: aut certè diaſpermaton. Declinantibus uerò accidentibus, tunc etiam malagmate imminebo tali. Guttæ ammoniacę libra I. nigellę unc. III. orobi unc. I. myrti ſemũcia I. cerę libra I. olei cyprini ſiue irini unc. VIII. aceti quod ſufficiat: in quo gutta ammoniaci & ſoluenda eſt, & terenda etiam. Tunc fricamentis, & exercitijs competentibus opus eſt: tunc potionibus, & decoctionibus abſynthij, centaureæ, rutæ agreſtis, ſiue petroſelini, cyperi, uel hyſſopi, thymi, & cęterarum diureticarum, æquis ponderibus. Quæ potiones etiam uitioſis ueſicis ordinatur. Sed etiam aloën ſolam tritam frequenter in meſlicrato dedi. Declinante penitus uitio, hanc inſtanter potionem dabo. Caſtoreum, petroſelinum, piper album, cyperum, omnia æquis ponderibus tunduntur, cribellantur, & in meſlicrato unius cochlearis pleni, dantur. Omni probatione firmatum, frequenter etiam lupini iecoris combuſti puluerem dedi. Aliqui uerò amygdala amara, cum cymino & apij ſemine, æqua menſura omnia cum uino ieiunis dederunt, ad menſuram unius cochlearis: & ſemen intyborum cum aqua calida, uel meſlicrato ſimiliter adhibuerunt. Sic & anethi ſuccum cum meſlicrato, & cætera, quæ huic paſſioni alij collegæ proba eſſe fuerunt atteſtati. Nam & intyba frequenter comeſta, ſemper, epaticos iuuere. Si duxerit longum tractum morbi neglectus, omnia adhibeo, quæ difficultatem calloſitatis reſoluere ualeant: omni tempore paſſionis, exercitijs omnibus ſuperioribus imminebo,

nebo, omnia superiora lauacra concedo, salsos cibos & acres ministrabo. De oleribus autem accipiant cauliculos, lapathum, radices quas raphanos appellamus. De piscibus, aspratiles sumant. De carnibus, quæ inueniri poterunt pinguiores. Oliuas colymbades, omnia salsamenta, capparon, uinum quod mare transierit. Et omnibus supradictis adiutorijs, emplastris, uel malagmatibus, unguentis, uaporibus, & cæteris uti conueniet. His etiam ardor solis, cum aeris mutationibus multùm prodest. Aquarum uerò omnium naturalium, uel maris lauacris, eos frequenter iuuari assero.

De ictericis. Cap. XIIII.

IAM multis in locis, ictericorum descripsimus passionem. Fit enim ex epatis indignatione frequenter, quorum nonnulla similia sunt accidentia, sed coloris deformatione sola determinantur. Fiunt etiam ex stomachi uitio: fiunt plerunque etiam ex uentre inferiore. Ergo cum febribus si de epate est ictericus, phlebotomandus est: & mox omnia epaticorum adhibenda sunt adiutoria. Si autem à felle fuerint icterici, purgationibus cholagogis releuãdi sunt, euforbio, epithimo, aloe, petroselino, pipere. Hæc omnia ex æquo miscẽda sunt: & ex eorum puluere, unum cochleare in mellicrato, uel oxymelle dari debet. Purgat eos etiam ciceris albi decoctio: utilius, si etiam ipsum cicer coctum accipiant. Iuuantur absinthij potu decoctionibus. Iuuantur etiam, si aphronitra alba in uino soluta accipiant: & sulphuris [illegible] puluerem in ouo ego frequenter etiam dedi. Sed fortè aliqua ratio dare cathartica prohibuerit, quæ semper his nouimus non leuiter profuisse, saltem uel uomitibus releuandi sunt. Sollicitius interea præcordiorum cura gerenda est, fouendo epar tumens & incitatum, oleo nardino, melino, œnanthino. Ex lanis succidis fomentans, in balneis cataplasmabo: interea admiscens seminibus, aut absinthium, aut rutam, aut centauream, aut cardamum, uel cætera, quæ epaticis ordinata sunt: quibus urinas pruocantis, tumorem epatis possimus remouere. Vtor specialiter etiam cyprino cerotario, admiscẽs terebinthinam, melilotum, irin illyricam, & reliqua similia, quibus aut diameliloton, aut polyarchion confici consueuit. Cibis nutriendi sunt ut epatici, exerceri, similiter & fricari. Vitio adhuc perseuerãte doloris, omnibus amycticis imminere peregrinationibus, & solis calidi beneficia sustinere suadeo. Aquis naturalibus æquè uti conueniet. Si remotis accidentibus, adhuc ille æmulus labor perseuerauerit, naribus infundo elaterium, infundo elaterij succum: utrunque muliebri lacte commixtum. Iuuantur interea utiliùs, si hæ digestiones uel purgationes in balneis procurentur: in balneis inquam, ubi quammaximè potiones, & cętera semper adiutoria profuerunt. Nam & illic etiam præcordiorum fotus continuò profuit adhibitus, & cortex colocynthidos in uino calefacto datus profuit. Et struthij puluis in œnomelle similiter, & anchusę puluis ad mensuram unius cochlearis cum aqua calida, & lapathij succus in mellicrato, & decoctio radicũ fœniculi, & cæterorum, quorum est præsidium diureticum. Hanc autem peculiariùs potionem in balneis dare consueui. Euforbium, baccas lauri, nitrum, piper, ex æquo contusum, pro causa, uel uirium qualitate in mellicrato: & cùm profuisset, in plenam sanitatem imminui.

De spleneticis. Cap. XV.

IN PLERISQVE passionibus, catholicis, siue generalibus curis prius adhibitis, specialia uel particularia adiutoria meliùs adhibentur: unde spleni nunc adiutoria priùs ex catholicis ordinamus. Oportet initium curæ ex ieiunijs & patientia inchoare. Item cathartico, uel phlebotomo. Post uerò his specialibus adiutorijs splenem sic curare conueniet. Aceto, & oleo æqua mensura, cõmixto calido, infusis lanis succidis fomentandus est. Et spongijs posca calida infusis similiter locus uaporandus, cui cinis ex foco tenuis aspergendus erit: & lapides molares ignifacti, aceto extinguuntur, & operti pannis loco imponuntur. Et sacelli de salibus ignitis impositi prosunt, & cataplasmata de hordei pollinibus in oxymelle, cui admiscendus est radicis capparis tunsæ puluis. Et emplastra hæc utilia superaddimus. Guttam ammoniacam, nitrum, mirabolanum, myrrham, sinapi, æqua ponderatione omnia miscenda, & temperanda sunt, cum pinguibus ficubus, priùs aceto coctis & contritis. Aliud emplastrum. Hordei farinę unc. III. fœnograeci unc. III. cartami unc. I. herbæ paritariæ unc. I. ficos pingues unc. VI. cum aceto temperãdum, sicuti superiùs ordinatum est. Aliud de expertis. Cardami unc. I. iris Illyricę unc. I. guttæ ammoniaci unc. I. quod mirabolanum appellamus, resinæ pityinæ frixæ ana uncia semis, sulphuris uiui, auripigmenti ana unc I. olei sicyonij unc. III. aceti unc. III. Datum aliud simile. Resinæ pityinæ, picis briciæ ana libras II. auripigmenti, aluminis scissi, ana lib. II. aceti unc. III. olei lib. I. tantùm conficies, & uteris. Est consuetum aliud, & spleni, & epati cõueniens in feruore utrorumque, tum etiam præcordiorũ. Crocomagmatis unc. I. ceræ lib. I. olei rosei unc. VIII. guttã ammoniaci lib. I. aceti quãtũ sufficit ad guttam ammoniacam dissoluendam. Hæc omnia emplastra, uel malagmata conueniunt splenibus indignantibus. Quibus expedit ab omnibus dulcibus abstinere. Sanè si splen duritiam adduxerit, quæ de hydrope superuentura plus terreat, etiam his potionibus imminendum est. Acetum scylliticum sub noctẽ ad mẽsuram unius cochlearis sorbei debet. Garum calidum bibant, ubi ferrum calidum igneum extinguitur. Aut de utrisque poscam temperatam accipiant, & utãtur decoctionibus capparis, aut lapathij, aut tamarici: aut ubi fortè myrrhã infuderis. Ad modũ palęstrę fricari eos conuenit. Cõmodiùs tamẽ, si saponẽ libentiùs sustinẽtes, suis quãmaximè manibus defricẽtur. Gestationes, cursus, & cæteros labores appetere

oportet. Dropaces impono tempore competenti, & cætera quæ cyclo conueniunt. Vti lauacris salsis, uel bitumineis naturalibus expedit. naturæ etenim frequenter mare plus placet. Ieiunos acceptis radicibus cum oxymelle uomere cogo. Prouidebo omnes diureticos cibos. Vinum stypticum sumant. Dabo antidota diuretica, quibus & splen, & epar frequentiùs procuratum est: ut sunt apium, cicer, gramen, fœniculum, aut semen eius, asarum, daucus, meū, petroselinum, pulegiū, & reliqua, quibus antidota uel decoctiones conficiuntur. Febricitantibus spleniacis, uinum, uel acetum parciùs ingerendum est. Apyretos uerò his subiectis potionibus iuuo. Lupini amari tribus diebus in aceto infundantur, & post ex eorum decoctione unum cochlear, uel duo in nocte accipiant. Hoc etiam ieiunis proderit. Purgati uirides lupini cocti, atque combusti satis iuuant. Aliud. Cortex salicis, arboris semper infructuosæ, in aqua coctus, & datus ut suprà, continuò medetur. Thuris masculi puluis, cauliculorum succo cōmixtus, loco appositus, perseuerando satis proderit.

De stomachi uarijs accidentibus. Cap. XVI.

STOMACHO, de quo nunc mihi tractatus interponitur, origo est, & occasio facilior uitiorum: quòd omnium sortitus sit reliquorum membrorum sibimet famulantium potestatem, quibus aut deficitur, aut rectè ualetur. Hic, de subiectis accidentibus primò quantam molestiam sustineat, aduertendū erit. Patitur defectum causis aliquando incognitis: Patitur etiam post ægritudinem. Sustinet constrictionem, dolorem cum indignatione, uel febribus, duritiā, uentositatem, fastidium, solutionem, bulimum, uomitus. Ex corruptela autem, & ex continua uentris effusione fatigatur. Item ex calore immenso, uel ardore, ut est causon, unde sitim sustinet molestissimam. Frigore quoque, & singultu. Aliquando eum etiā cholera cum inflatione sollicitant. Ex eo lumbricorum origo frequenter fuit procurata. Quibus omnibus, ex ordine adiutoria sic ordinare curauimus. Ergo stomachicos, quos post ægritudinem prolixam, stomachi defectus tenet, & quod leue est, adhuc febriculæ infestæ, oleo absinthiaco calido fomētamus, aut nardino, aut sicyonio, aut œnanthino, aut lentiscino, cum uino mixto. Item epithima impono unicum ex dialtheá, & mastiche, & nardino cerotario. Sic cataplasmo de dactylis, uel citonijs coctis in uino, cum stypticis speciebus, sicut in epaticorum ordinauimus solutione. Sed considerandum est præcipuè, nec ubi ciborum sit præsumptio, quorum & qualitate & quantitate lædantur, & ex quibus cibis uires nihil proficiant: intendendum itaque, ut & congruos, & moderatos temporibus competentibus sumant. Sin uerò nihil sub hac ciborum moderatione proficiant, purgatione opus est, qua humor quidem ille superiùs enarratos defectus efficiens, omni modo depurgetur. Hos etiam ex attico melle, uel oxymelle curo. His & fœnogræcū in uino coctum, & tritum cum adipibus anserinis impono. Moneo interea, odores insuaues uitādos, stomachum semper peruertentes. Attestatione enim manifesta cognouimus, hos semper bonis odoribus iuuari. Cùm ergo sine febribus plena sanitate esse cœperint, uiribus consulentes, gestationes competentes indicimus, uina, lauacra, & cætera quæ post ægritudinem possint corpora reparare. Quos uerò repentinus dolor stomachi comprehenderit, qui cum grauedine etiam scapulis, & dorso immineat, faucium quoque inclusionem, & rictus difficiles faciat, interpositis etiam febribus, his phlebotomo conueniet subuenire. Item quietem & patientiam suademus, cibos uti febrientibus leues, proprijs tēporibus subministro. Fouemus calidis & mediocribus stalticis, non tamen frigidis. Cataplasmandi sunt hordei farina, in melle citonijs coctis, uel dactylis immixtis: aliquādo etiam meliloto. Item cerotario cyprino, habente mastichē, & castoreum. Vtor polyarchio, quammaximè in dorso, uel scapulis, quibus partibus commodius adhibere conueniet. Frequenter etiam cucurbitas uentosas imponimus. Declinantibus febribus, etiam potiones iam paregoricas dabo: ut cyminum frixum, cum apij semine ex æquo tunsum, uel cribellatum, cochleare unum cum aqua calida. Sic abrotonum cum uino dabo. Ipsi uerò stomacho, pingues dactylos in œnomelle coctos & tritos impono. Si adhuc dolor remanserit, lac bubulum, & asinæ, ijsdem secundū consuetudinem confectum adhibeo. Si nulla sanè præeunte querimonia, repentinus occupauerit dolor, eosdem crebrò post cibos uomere conueniet. Tunc etiā uentosas accipere, & supradictis potionibus propensiùs imminere. Declinantibus uerò doloribus, gestationes, exercitia, uel palęstras, balneas, & uinum cū moderatione concedimus, quibus uexatum corpus, ad plenam ualetudinem ualeat peruenire. Si duritia innata fuerit stomacho ex prioribus languoribus, ficus pingues in mellicrato coctas, & tritas, seminibus misceo, & ex his cataplasmabo. Cerotario pòst cū nitro, & salibus utor naturalibus. Vti cōuenit holeribus, cū cibis cæteris, nec nō & uinū parcius dabo. Si uentositatis molestiā senserint, sicca fricatione iuuandi sunt. Ieiunos uomere conuenit, cibos pinguiores & calidiores accipere: potiones quoque ex aneso, dauco, & castoreo, absinthio pontico, sine pipere, baccis lauri, ruta, cymino: contusis, aut singulis ammixtis sibi inuicē, aliquibus in aqua calida, in modū cochlearis unius adhibeo. Etiam epithimata cōfecta de seminibus potionū supradictarū mixtis, cerotario impono; dropaces adhibeo prōptos in utroque. Tamē & cętera adiutoria cyclicriā in dorso uel scapulis applicabo. Fastidio incidente, locis cōueniet habitare aeri salubritate temperatis. Ab exercitijs uel fricationibus commodis non quiescant. Absinthij decoctionem, uel uinum absinthites frequenter accipiant. Salsamentis omnibus nutriantur, acrimonijs, sinapi, & aceto squillitico, & similibus cæteris, quæ stomacho hanc ciborum recusationem ualeant extergere. Preter consuetudinem uerò edacibus, hoc est, βουλιμιακοῖς, ieiunantibus, somni procurandi sunt, largiores cibi, insuaues & inflationem procurantes: & uini meri potiones dabo. Si nauseando frequenter phlegmata & cibos

incoctos

incoctos excluserint, quò corpus non nutriendo tabidum fiat, hos cibis nutrio siccis, & acrimoniam habẽtia concedo. Potum frigidum per momenta parcè dabo: ieiunos uomere cogo: per uentrem humorẽ deduco catharticis, calidis unguentis omnia membra pertracto: absinthij decoctionem dabo. Succum styptícum malogranati, aut solius, aut hoc modo confecti. Succi menthæ uiridis partem unam, tribus malogranati succi partibus admisceo, & coquo, ut paulatim pinguefiat, & ex eo unũ cochleare ieiuno pro eligmatio dabo. Si etiam choleram cum cibis uomuerint, omnia cum aqua frigida dabo, ubi myrrha uiridis cocta fuerit. Si nimia etiam uentris effusione fuerint fatigati, malogranata X. citonia X. in aquę sextarijs quinque coquuntur, ut penitus mollescant. Cumque postea exuccata fuerint, separantur: succus uerò qui remanserit, cùm ad mensuram partem mediam mellis acceperit, coquitur, ut eligmatium fiat: & operabitur similiter. Aliud. Myrrha uiridis in uino coquitur, ut tertia remaneat; cui partem mellis similiter addimus, & conficimus, & utimur. Quibus uerò phlegmata supernatant, frequenter acescunt cibi: his bubulam dari suadeo, & ceteras agrestes carnes similiter. Post quæ, continuò aceti unum cochleare dari conuenit. Omnes amarissimæ ex absinthio expediunt potiones. Iterum hæc. Piperis, & anethi semiuncias singulas, cymini unc. IIII. tunsas, & cribellatas reponimus, & ex hoc puluere unum cochleare cũ aqua calida potui damus. Cùm autem ijs profecerint, dabo picrã. Exercitijs & gestationibus competentibus imminebo, fricationibus, dropacibus, sinapismo, quibus stomachus à phlegmate liberari possit. Qui calore nimio inquietantur, ut hæc eadem inflammatio stomachum etiam & superficiẽ faciet plus calere, ita ut etiã choleram frequenter emittãt, his hoc remedio succurrendum est. Mastiches uncias II. rutæ siccę unc. I. euripicen unc. I. ut trocisci fiant, arnoglossæ succum admisceo, & eos in singulis drachmis paro: ut ex his unum cum aqua calida accipiant. Si nimius ardor fuerit, quem causon appellamus, sub quo angustijs interuenientibus, & febrium augmenta fiunt, his aquam frigidam per interualla dari conuenit, & similes cibos frigidos. Articulos eorum manibus calefacio: decoctiones dabo cydoniorum, mespilorum, sorborum, malogranati, menthæ uiridis, uel œnanthis. Si etiam sitire uehementiùs cœperint, hoc remedio potiantur. Semen cucumeris dulcis unc. II. draganti I. in ouo albo infunditur: & cùm se resoluerit, tunc seminibus supradictis puluis admiscetur, & collyrijs ex eo factis, unum sub lingua datur habendum: cuius paulatim humor uel succus liquefactus, perueniens ad stomachum, sitim compescere ualeat. Aliud est, quod ardoribus expediat, quodque cuiusquam uexatione, etiam febricitantibus frequenter ingessi. Sub glycyrrhizæ uncijs quatuor, unam semis supradicti pulueris misceo, & ouo similiter temperabo, & adhibeo. Nam etiam sola oua cum uino data par beneficium præstant. Quibus autem phlegmatis infestatione stomachus infrixerit, chalasticis unguentis calidis curandi sunt, & potione iuuandi superiore ex mastiche, mentha, & arnoglossa: cui piperis & castorei singulæ unciæ admiscendæ erunt. Nam & cortex radicis fœniculorum, in aceti uncijs decem & octo coquitur, ut illic omnem succum dimittat: & postquam corticem proieceris, huic aceto partem mellis misces, & coquis, & uteris, ut eclegmate. Similiter iuuabunt & oxyporia confecta ut solent: hoc est, ammeos, careum, lybisticum, apij semen, in uncijs singulis cribellantur, his miscentur piperis unciæ duæ, & mellis despumati quod sufficiat, ut pinguescat: & oxyporium temperetur ex hoc: & ieiuno, & post cibos unum cochleare quotidie ministretur. Sanè singultus frigidus, phlegmate in stomacho permanente, si obuenerit, confectus puluis ex piperis uncijs tribus, & castorei uncia I. simul commixtus, ad unum cochleare, in aqua calida dandum erit. Si de feruore autem, etiã tempore digestionis, odor fumosus quidam, quem aliqui carbunculum appellant, & dolor hos singultus procurauerit, continuò aquam gelidam bibentes, uomitus & sternutamenta prouocent, & acetum si sorbeant, continuò sedatur. Etiam papyri radix masticata, frequenter singultus compescit. Item ad stomachi uaporem in posca sex folia uitium trita impono. Cùm uerò nigrã cholera stomachum attentarit, ut ex inflatione molesta, cum aliquibus melancholicorum accidentibus publicentur, continuò inter initia spongiam cum aceto uiscido infusam, eidem stomacho conuenit adhiberi, & hederę folijs in uino coctis, & tritis, cataplasmari. Cibis nutriantur competentibus, ouis, alica, iuscellis pinguium gallinarum, & ungularum porcorum: phasianorum, uel perdicum carnes accipiant. Si uerò inflatio illa necdum digesta, adhuc perseuerauerit densior, pulegij herbæ decoctionem cõueniet accipere, aut calaminthes, mixto melle despumato.

De lumbricis. Cap. XVII.

CVM uerò corruptis stomachi humoribus incompetentibus, sæpe quoque cibis præsumptis, seu per ægritudinem, seu certè sine febribus, lumbrici innati fuerint, qui aliquando eundem stomachum, aliquoties inferiora possident, hos sic excludendos suadeo. Primò aduertendum est, tres esse differentias lumbricorum. Sunt rotundi, & rubri, sed minùs noxij. Sunt latiores, & albidiores molesti. Sunt minuti, & tenues, ut uermiculi, sed sollicitiores. Hi licet omnibus ætatibus semper nasci possint, attamen infantibus frequenter familiares sunt: quibus dare conuenit centauream, uel labruscam, uel santonicum, & epomphalion ex lupinorum farina, aut absinthium ponticum, aut melanthium, aut abrotonum, in mellicrato temperata imponi: cui decoctio ficuum admiscenda erit. Dabo mixtarum decoctionem, & easdem mixtas comedendas permitto. Iuuenibus uerò nasturtium cum melle coctum dabo. Raphanos expedit accipere, & succum eorum. Dabo diamoron pro eclegmatio: & eadem hora conuenit sinapi, cum oleo tritum. Bene datur & hydromel tepidum, ex ueteri oleo temperatum.

Et ſuccus ptiſanæ, in quo polypodium coqui debet. Et cornu ceruini combuſti puluis, cum melle datus, continuò lumbricos excludit. Sic menthæ uiridis decoctio, ſic erucæ, ſic caulium, ſic roris ſyriaci, & malogranatorum immaturorum. Cataplaſmata autem adhibeo ex pulueribus, ſicut ſuprà, lupinorum, abſynthij, pennarum combuſtarum, abrotoni, & melanthij: & puluis eorum cum aqua calida datus ſatis iuuat. Ἐπομφάλιον uerò his ex ſubiectis adhibeo. Fel taurinum cum melanthio, abrotonum tritum cum lacte mulieris, ficus pingues, aut dactylos tritos cum melle deſpumato, commixtos: & cerotarium, in quo cymini puluis, uel abſynthij commiſcendus erit. Exercitia pro modo uirium adhibita proderunt. Cibi dādi ſunt digeſtibiles: & per interualla clyſteres acerbiores adhibiti, ſatis iuuauerunt. Si illi latiores infeſtauerint, hos myrrha pinguis accepta continuò excludit: & allium, frequentius ſi comedatur. Sic his etiam omnia acria profuerunt. Nam & uomere cogendi ſunt, & continuò ſcammoniæ purgandi cathartico: ubi elaterion, euforbium, piper, nitrum, coccum gnidium admiſces. Ego uerò & magiſtrorum experimento & noſtro, longo prolato iam tempore, cathartico cum his ſemper utor. Scāmonię unc. III. combuſtarum pennarum puluerem unc. I. euforbij unc. III. nitri partem ſemuncię unius, & omnibus tunſis, cribellatis, cum mellicrato, aut uino dulci unum cochleare ſemper dedi. Salubrius autem contingit, ſi ante diem allium, uel cætera acria edant: allium quidem maximè comedere conuenit. & oleum bibere calidum, ſed uetuſtum: ut ſuperiùs ſignificaui. Minutos uerò & tenues uermiculos myrrha pinguis ſemper accepta excluſit. His etiam clyſterem expediet adhiberi, & omnes decoctiones ſuperiores calidas, & oleum calidum, acceptum, in roris ſyriaci ſucco, cum aqua calida: Et ſeſeli cum melle, infans felle taurino, uel cetino perungendus erit. Si ſtomachum uerò diutius attentauerint, & ibidem frequēter inquietudinem fecerint, ſemper ſales in ore ferre conuenit; ex quibus humor liquefactus, defluat in ſtomachum, qui & omnia inteſtina à lumbricorum moleſtia liberare poſſit. Omnia itaque ſupradicta accidentia, quæ cum ſuis proprijs remedijs expoſui, aut indignanti ſtomacho obueniunt, aut quieto ſedantur.

De dyſentericis, uel neutericis. Cap. XVIII.

DYSENTERICORVM fit cauſa moleſtior, temporis prolixitate. Frequenter enim uentris effuſio, corpora aſſidua uexatione debilitat. Eſt nanque dyſenteria, inteſtinorum uulneratio, cum rheumatiſmo, quæ conatibus, & ueluti deſiderio, & egeſtionum ſuauium debilitate, membra conſumat. Dyſentericorum ergo adiutoria ex ſubiectis compēdioſè percurram, & cibos, & potus, ſeu potiones, uel antidota, & cætera, quæ nonnullis ordinanda erunt. Cibus inquam, conuenit, panis mundus, ſiccus, aut Cyprius, aut Alexandrinus, uel potius Africanus: ſucci alicæ, milium, oryza: quibus concoqui debet aut caprarū adeps, gummi, aut ſymphyton, aut ros ſyriacus, aut certè ichthyocolla: ſic etiam lac bubulum conuenit; oleum uiride his frequentiùs miſceo. Expediunt caules decocti, plantago, portulaca, polygonon, ſymphyton. Horum omnium quammaximè folia, uel mellis cymi, ex oleo & aceto conditi: oua in aceto cocta ſorbilia conueniunt: & ex uitellis eorum patellæ, perfuſæ cerebellorum puluere, aut gallarum, aut roris ſyriaci. Piſces, aut capones, aut lepores, aut mugiles, & cæteri ſicciores. Caſeus uetuſtus proderit, niſi tibi magis recens libuerit. Lac aſinæ in dyplongio coctum profecit, & bubulum ſchiſtc   uat, & confectio ex lapid   s fluuialibus. Sic lac caprinum ſyluestre facit. Si carnes dandæ ſunt, iuuat phaſianus in poſca decoctus, palumbus matri ſubductus, turtur, & lepus, & cætera ſyluestria ſicciora, maximè uolatilia. Quæ enim neque uillarum, neque urbanorum uſum habent, natura profectò ſicciora conſiſtunt. Mala citonia conueniunt in uino cocta, meſpila, malogranata, paulò immatura, amygdala, dactyli thebaici, & his ſimilia. Potus uerò, licet primis diebus aqua bibenda ſit, parciùs attamen communicandum fuerit Tyburtinum, Surrentinum, Marſicum, Siculum: in quibus primò ferrum ignitum infundendum eſt. Sin uerò confici uiua placuerit, fit myrtinum, fit œnanthinum, fit cum meſpilis, fit cum ſorbis, fit phœnicite. Quæ tamen omnia in uaſis pic   reponenda erunt. Omnia quidem de cibis percurri; ſed melius, ſi unius ſpeciei ſubminiſtrētur. Nam ſi de ſingulis in ſimul commixtis reponas, in ſtomacho digeſtiones impedient. Potiones uerò, uel antidota, cornu ceruini combuſti puluis, in aqua, aut in uino ſtyptico datus iuuat. Sic coagulum leporis in uino ſimiliter. Sic uentrium caponum, uel anſeris, uel ceterorum agreſtium, membrana combuſta, interioribus conueniunt, & ros ſyriacus tunſus, & roris ſyriaci flores, & malogranati, & ſucci herbæ polygonii, & arnogloſſæ, acacię, hypociſtidos, ut tibi uiſum fuerit, miniſtrandi ſunt. Trociſci uerò, aut emplaſtra, andronius, aut diaſpermaton, & cætera de experimentis. Et ſi putredo uulnus attentauerit, iniiciēdus eſt atheneus ueluti cauſticus puluis ex auripigmento, calce uiua, ſandaraca, charta combuſta confectus, cum uino ſtyptico, uel ſuccis herbarum ſimiliter conſtringentium. Adiungitur frequenter etiam lac, in quo lycium indicum ſoluitur, & uinum, in quo cantabrum coquendum eſt, aut ros ſyriacus, & cætera ſimilia prædictis. Potionibus uerò ſupraſcriptis, conuenit aromatica commiſcere quamplurima, quæ ſtomachi uires nutriant. Omnia etenim hæc etiam uentris poterunt continere reſolutiones. Et diuretica dyſentericis proſunt, maximè dum meatus fit illius rheumatis. Deriuatio etiam hypnotica conuenit, quæ ſomno ſuperatis uiribus corpora dimiſſa cōſtringit. Semper enim importunæ uigilię, corpora rheumatizantia fatigarūt, ſi his uſtio innata fuerit. Eius remedium in Euporiſto noſtro inuenies. Nam etiam unguenta dyſentericis frequentiùs profuerunt ex oleo melino, nardino, œnanthino, maſtiche, myrrha, œnanthe, acacia. Et cætera ſimilia commiſcendo: cataplaſmata ex dactylis, citonijs, & cæteris mixtis ſtypticis temperata: adhibeo, & emplaſtra, uel malagmata, ut diatheon, aut bar-

baron,

baron, & cætera xerantica. Hæc omnia dysentericorum, etiam cœliacis conuenire manifestum est. Si commotiones, uel pondera perseuerauerint, quæ tenasmodeis appellamus, hæc frequenter procurant uētris exponendi suauitatem: sæpissime mitigata sunt iis, quæ aut in fœnograeci decoctionibus, aut altheæ radicibus conficiuntur. Nam & cerotario hoc frequenter curati sunt: Ex adipibus anserinis, cera, & butyro, & pice brutia, sępe sedentibus post uaporum fumigia, profuerunt. Iniiciendi sunt aliquando oleo roseo, uel myrteo, & in continenti lemnisci supponendi sunt, in basilicon infusi cerotario ex oleo plumbeo confecto. Lanam interea succidam superimpono: quam anadesmos ex more continere debebit. Iuuabunt sanè etiam saccelli, uel cataplasmata, eodem anadesmo perseuerantia, de dactylis in passo tritis, aut hordei pollinibus cum oxymelle. Lac bubulum potui datum cū [illegible] umbilico impositum, sine mora medebitur. Lienteria si obuenerit, quæ ueluti quendam l[illegible] in intestinis obducit, transitu rheumatismi, ex quo nulla penitus ciborum solennis ualeat digestio celebrari, sub alio nobis ordine curanda erit. Vtor acerbo clystere ex succis ptisanæ, ubi aut colocynthides, aut betæ coquendæ sunt, aut scammonia soluenda. Vtor cum his catharticis. Dabo cibos acerbos, & cætera quæ fuerint acria: ut allium, & raphani, & cepæ, napæ, sinapi, piper, & omnia salsamenta. Imminebo interea exercitiis, quibus uoluero. Impono uentri cerotaria ex oleo laurino, cyprino, uel sicyonio, habentia rutam uiridem, cyminum, baccas lauri, nitrum, uel certè castoreum. Impono polyarchion, aut diaspermaton, quæ tunc iam conueniant: aut naturale sulphur, uel bitumen; & dropaces, & sinapismi, & cætera staltica adhibenda sunt. Ex dysentericis etenim lienterici facti, & uirium fatigatarum intuitu, & temporis prolixi præiudicio, difficilè sanabuntur. Nam ex his hydropes frequentius emerserunt.

De hydropicis. Cap. XIX.

HYDROPICI, uel cachectici simili sub diligentia uisitantur. Qui enim propè ex similibus accidentibus sunt, æquali sub indignatione tumescunt. Hydropicorum ergo difficile, & periculosum negotium est: eoque difficilius, si indigestio totis corporibus superueniat. Labore attamen nimio, & cōtinuis quassationibus exercitiorum, forsitan curabuntur. Hos frequenter febres pertinaces comitatur: quarum opportunè temporibus seruientes, nos etiam adiutoria ordinare conueniet. Febribus itaque sub hac obseruatione desinentibus, iam exercitiis ex paruo labore crescentibus, iminendū est: subinde fricationibus, solaribus quammaximè, & cæteris uaporibus sudorem prouocantibus: sub quibus, omnibus tumētibus locis nitrum, aut sales tritos aspergo. Post exercitia, uel labores continuò oxymeliten dabo, aut raphanū eodem infusum. Quibus acceptis, ex parte uomere cogendi sunt. Lauacris tunc uti conueniet, sed marinis, quibus ueluti membra laborantia foueantur. Interea acria omnia, & salsos cibos conuenit accipere, caules elixos cum salibus. Parcitas cibi, & potus quammaximè continentia instet. Etenim his procuratis, si animosius sustineatur, grande remedium est. Vinum, licet per interualla, austerum tamē, & quod sit diureticum, dandum est. Si uerò multus humor ex putrefactis eorum carnibus aggregatus, uentrem satis adimpleuerit, membris ceteris minutatis, saccellos ex tostis salibus, uel milio similiter, sub umbilico locis admoueo. Et de arena calida in litore hæc loca detergere, maximum interdum est beneficium. Aliqui etiam tritico sic tecti, iuuati sunt. Interea acetum scylliticon frequenter dedi, & siccis fricationibus imminui. Imposui emplastra reuocatoria, amyctica, maximè autem infantibus competentia adhibenda cataplasmata, desiccātia, ex flore malogranati, & cæteris stypticis, cum lenticulæ pollinibus, passo, & aceto temperata. Aliqui uerò scarificauerunt suras eorum, & altiores plagas fixerunt, de superioribus humorem deriuare cupientes; & sub umbilico paracenteses frequentius adhibuerunt: per quæ conueniet exinanire paulatim, ac per interualla dierum, ne subitanea effusio, secundum Hippocratem, continuò periculum faciat. Sanè potiones, uel emplastra probata sæpissime profuerunt, ex quibus aliquod compēdiosius designabo, emplastrum quod etiam spleneticis sæpe profuit, hoc est. Fœnograeci pollinis unc. IIII. hordei unc. IIII. stercoris columborum unc. IIII. resinæ frixæ libram I. ceræ unc. VIII. acetum quod sufficiat terendo pulueri, qui postea solutis admiscendus erit. Aliud, Semen myricæ, & galbanum ex æquo tunsa miscentur, superaddito quippiam olei, ut emplastri temperies fiat: quod perseuerantius adhibendum est. Aliud. Pilæ cypressi in uino coctæ, & tritæ, axungiæ ueteri colatæ ex æquo miscentur, & imponuntur. Quod si permanserit, satis iuuat. Aliud. Ficus pingues tusas libra unam, & nitri, & absynthii unc. III. hyssopi ceroto admisces, ut emplastrum temperetur, & uteris. Nam & stercoris bubuli puluere, hordei pollinibus mixtis, & cum oxymelle coctis cataplasmabis. Similiter de caprarum stercore frequenter adhibui. Et unguenta sunt utilia hæc, quæ tumentibus partibus, sub sole adhibita profuerunt. Cimolia in aceto contrita, boum stercora cum nitro, & oleo sicyonio mixta, & quippiam uini. Nam etiam has potiones accipientes, sæpe iuuati sunt. Sambuci radicis succus, cum oxymelle datus est, & continuò purgando profuit competenter. Et euphorbii granum, in ouo datum cum pane, corpora hydropicorum, aliquoties similiter depurgauit. Aliud maius purgatorium. Stercus columborum drachma una, rutæ semen drachmis duabus, in oxymelle similiter datur. Inter hæc omnia adhibenda erunt, perseuerantibus exercitiis & laboribus, catholicè salutem procurantibus, sub quorum perseuerantia, hydropum poterit abigi periculum.

De renum uitijs, & uesica. Cap. XX.

RENIBVS longo tempore dolentibus, semper uapores, fomenta, & cataplasmata paregorica conuenerunt. Diuretica uerò sub initijs obfuerunt. Indignantibus etenim & rheumatizantibus renibus, potionum transitus aduersatur. Declinantibus uerò doloribus, beneficijs primò catholicis adiuuandi sunt, fricationibus, & unguentis paregoricis, & siccantibus: etiam cyclicus ordo percurrendus est. Adiutorium emplastri polyarchion, aut diaspermaton sæpe cõuenit. Calamintha tunsa cum axungia, & imposita, multùm profuit. Dabo etiam potiones ex storace, galbano: uuam passam, pinguem, purgatã: mixtis diureticis aliquibus, ut petroselinum, ameos, asarum, cyperum, daucum, amygdala amara, cum mellicrato. Dedi ego frequenter etiam hyoscyamon. Interea oportet aquis uti dulcibus, & naturalibus, & cibis nutriri omnibus digestibilibus. Dabitur etiam hæc potio omnibus uesicæ, uel renum causis, & pectinis. Semen lini, papaueris dulcis, draganti, in uncijs singulis, amyli in duabus tunsis, & cum aqua diuretica temperatis, ut trocisci fiant in drachmis singulis. Sit autem aqua diuretica omnibus probata, in qua coqui oportet radices fœniculorum, apiorum, graminis, & cicer uenereum. Sæpe etiam masticet de superioribus speciebus, quas ad tempus aut locum habuerit. Aliud, quod & uulnera curet, & urinæ difficultatem aperiat. Ocimi, & agrestis maluæ semina, in drachmis semis, & apij seminis unc. I. amygdalarum, uel auellanarum semunciæ singulæ. Omnia trita, melle temperentur. Sunt & cæteræ potiones sub renum & uesicæ occasione, etiam splenis, uel epatis, aut hydropis molestiam refrenantes, quarum in his omnibus experti sumus efficaciã. Phu unc. I. celticæ unc. I. dauci unc. I. cinnamomi unc. I. piperis drach. VI. meu drach. VI. asari unc. I. petroselini drach. VI. opobalsami drach. VI. croci unc. I. liquiritiæ drach. VI. picis idicę dr. VI. cassiæ drach. IIII. amyli drach. VI. uuę passę unc. I. draganti drac. IIII. uino & melle potio tẽperatur, & dabitur. Interea licet ex oĩbus diureticis speciebus superius cõprehensis, oẽs uesicæ uel renũ causas posse curari significatũ sit: attamen cùm speciale sit & hoc uitium, uidelicet urinę conclusionem sustinere, huic etiam adiutoria specialia ordinãda sunt. Herba parietaria aqua cocta teritur cum pauco oleo, & renibus inligatur. Hoc etiam de gramine semper factum est, & sãmsuco in aqua cocto similiter. Nam ex his omnibus etiam sedentibus, uaporem pati conueniet. Cotyledon herba in uino cocta, potui datur, & continuò dysuriam sanabit. Nam etiam mulieribus butyrum uetustissimum per pessum adhibitum, dysuriam curauit: & mellicratum in quo immaduerint ireos & fœniculorum radices, & carduus coquitur, & datur ad urinarum impedimentum.

De arthriticis, podagricis, & ischiadicis. Cap. XXI.

EX VNO fonte uitiorum hæ passiones deriuatæ sunt, sed locorum uarietate, & nominibus determinãtur. Nam arthriticis omnibus, ex articulorum commutationibus, subitò initium passionis emergit. Podagricis uerò ex uno prius articulo est principium: paulatim uerò serpẽdo, grauius omnes postea neruos, & articulos possidens dominabitur. Ischiadicis autem, ex uno coxæ articulo tormenta suppeditantur. Fit itaque rheumatismus, licet de phlegmate speciali, natura frigidã quammaximè fiat, attamẽ alijs ex humoribus calidioribus aliquando efficitur: & sic effectus, calefacientes aliquando cõmotiones exuscitat. Frequenter autem hoc phlegma licet naturã subpingue sit, uelut est uulnerum sanies: attamen cum se inter articulorum coniunctiones usu commotionum uiscauerit, tunc tardi gressus, tunc dolores uitãdi, tunc tormenta grauiora succedunt. Curantur autem hęc omnia contrarijs suis: ut quod forte & sensu, & tactu calidum commotum fuerit, frigidis interim adiutorijs ab augmentis prohibeatur. Postea uero cessantibus commotionum temporibus, calidis, chalasticis, & amycticis recuperentur ij, quibus ille humor uiscosis, & pinguis interiora iam possidet calefactus, uel tenuatus ab articulis per commotiones frigentibus: quibus uero tumor est semper inflatus, & pallidus color, calidis supradictis adiutorijs, & amycticis imminẽdum nobis erit. Monitum te intereà uolo, amice charissime, quòd quando generaliter interioribus mẽbris dolor innatus, nexu quodam, ex collisione humoris uentositatisque colligatur, tum in frigidis plerũque difficulter deprimi poterit, uel depurgari: ergo cùm uarię emergunt species motionum, quæcunque expediunt, medicorum coniecturis, uel iudicio, indulgenda erunt. Licet iam ex cõsuetudine sibi adhibita, meliùs is qui patitur, possit iudicare, quem frequentes commotiones, & adiutoria famulantia, medicum effecerunt. Quanquam autem rationabiliter omnia adiutoria, quæ ueluti calidis commotionibus adhibẽtur, uirtute chalastica & paragorica esse debeant, quò neruorum & articulorum nutriri, & foueri ualeant loca: concedo tamen, ut ea frigida interim adhibeantur, quę turborem magis in tempore, quàm mitigationem præstare possint. Quibus quidam, ut ille ait, primò releuari uidentur, postea grauius, uehementiusque affliĉtantur. Hoc etenim etiam nostri Hippocratis nos instruxit auctoritas, quòd neruos omnes, semper frigida nocuerunt. Ergo quoniam & causas, & origines compendiose digessi, curę nunc rationabiles, & adiutoria ordinanda nobis erunt. Est nanque in professo, quòd omnes ægritudines particulares, sub corporibus, membra nexu quodam familiari amplectuntur: mysterio naturali ut in singulis, totius corporis substantia constet, & altera alterius auxilio gubernetur. Ideoque nisi præceptis & adiutorijs catholicis primò iuuentur, aliter particulares causæ curari nõ poterunt. Qua de re erit nobis nunc curarũ, pręceptorumque exordium in sequẽti, etiã particulis disponere.

Conuenit

Conuenit in principio arthriticis, podagricis, uel ischiadicis, quibus de capite rheuma resolutũ descẽdens has passiones fecit, prius ipsum caput oleo roseo frigido, uel cæteris similibus stypticis fomentando constringi, & solidari: dehinc inferiora transitu eiusdem rheumatis, uel sedulitate uexata, aut ex oleo calido resolui, uel depurgari. Item cucurbitis, uel fricatione, uel perunctione phlebotomum præueniendo, uno penitus, uel pleno anno utendum est. Sic à carnibus polytrophis, sic ab usu uenereo continendo, stomachi præ omnibus bona ualetudo custodienda est, quò accepti cibi faciliùs transigantur. Vomitus hos nõ longa per interualla multùm iuuat, aliquando post consuetos cibos, aliquoties etiam ieiunos, acceptis radicibus cum oxymelle. Hoc modo etiam bulbi ex aqua cocti operabuntur. Hoc si etiam post cœnam allium accipiant, quod paruo interuallo aqua calida accepta, uomitum faciet. Mutationes aëris, uel prouinciarum sæpe conueniunt. Aquæ naturales calidæ, uel uapores earum similiter. Exercitia sanè, & labores, uel fricamenta totius corporis & procuranda sunt, & appetenda utentibus. Etenim humores supradicti pinguiores effecti, etiam uexatis articulis dominantur. Igitur quo modo hæc adiutoria compendiosè digesta sunt, ita moneo & suadeo custodiri debere. Experti enim sumus, quòd plerique ea cautius ab initio custodientes, podagræ uenturæ, seu potiùs iam præsentis uiolentiam uitauerunt: præiudicantes uerò iam tempore, & manifestis podagricis, cataplasmatibus semper his causis competentibus, unguentis quoque uel emplastris, seu cæteris adiutorijs consuetis uti rectius est: uel certè aliquibus physicis magnam semper potestatem præstantibus. Nunc uerò transactis preceptis, uel beneficijs catholicis, quibus custoditis, etiam adiutoria singulis partibus laborantibus ordinabo. Ischiadicis conueniunt prę omnibus, uomitus, & cætera præcepta omnium superiorum. Coxę uerò dolenti fotus olei sicyonij, rutacei, uel laurini adhibendus est: cataplasmata quoque naturâ calidiora. Cucurbitis uentosis frequenter locus releuandus est, acerbius clystere inijciendum. Ex hoc enim frequenter sanguis prouocatus, ischiadicos liberauit. His phlebotomus in talo adhibendus. Vaporibus, uel sacellis imminendum est, ex pulegio, salibus, uel milio salso. Si uerò uel stare, uel ambulare potuerint, acopis calidioribus, sole sub ardenti fricandi sunt, in quibus & pix liquida, & oleum sicyonium, uel cætera superiùs comprehẽsa miscenda: ut sal ustum, thapsia, nitrum, uel opopanace. Itineris interea laboribus coacti iuuãdi sunt. Expedit etiam equi uectatio: expedit iniectio in modica quantitate ex oleo amaracino, aut syrino, uel laurino, uel glaucino. Si uigiliæ sanè interuenerint, doloribus perseuerantibus, soporiferas ingero potiones. Cùm uerò minoratis doloribus causa mollior fuerit, tunc uelut per dialemma, dropacibus, sinapismis, & cæteris causticis imminendum est. Dabo hieram, dabo per cibos helleborum: quæ omnia prodesse poterunt, si catholicis præceptis rectiùs seruatur. Hæc etiam phœalgicis ritè conueniunt, quibus lumbi dolere consueuerunt. Igitur quoniam ijs passionibus supradictis, ex una origine descendentibus, ueluti diuersas cognouimus euenire cõmotiones, ut aliqñ calidas, aliqñ frigidas patiũtur, singulis hęc adhibẽda erũt. Quibus uerò sub calido tactu, pedũ dolor obuenerit, caulium folia in aceto cocta, & cõtrita, & ouorum coctorum media duo, pro cataplasmate adhibita, ueluti commotionis uaporem retemperant, superaddito quippiam olei rosei: sed sæpius tepefacta immutanda sunt. Etsi cataplasmati consueto, hyoscyami folia elixa, & trita superaddas, par beneficium præstas. Aliud. Ad impetus eorum uaporeos, draganti uncia I. ex pridie in aqua infundes: Item alia die teris, & superaddes æruginis, & aphronitri albi uncias singulas, & impones. Aliud. Lenticulam coctam teris, cum oleo roseo mixtam, & similiter adhibebis. Nam & lactucarum folia trita cum infuso pane, & adhibita, magnum ad refrigerandum beneficium præstant. Et opium, & crocus æqua mensura, cum lacte bubulo, uel caprino contritus, & impositus, similiter operatur. Et si ex oleo roseo cerotarium misceatur, hoc idem erit. Hæc de uapore dolentibus ordinaui: cæterùm refrigerantibus commotionibus, uapores, cataplasmata, unguenta chalastica, uel paragorica, omnibus & nota sunt, & consueta.

IN THEODORI PRISCIANI LIB. III. AD VICTORIAM, DE PASSIONIBVS MVLIERVM, ET CVRIS EARVNDEM, PRAEFATIO.

INTELLEXISSE te non minus nobis arbitror Victoria, artis meæ dulce ministerium, omnem mei operis efficaciam; in quo immemor non sum præfationis meæ, quando duobus libris pares causas proposui euporiston, officium uidelicet meum in logica disputatione: sed non longe abest ab utroque gynæciorum uisitatio. Et quoniam hæc ratio tota medendi indiget diligentia, solitaneum libellum confeci de mulierum curis: solitaneum inquam, & remotum à publico spectaculo. Et ego quidem te scientia iuuabo. Tu uerò, cui communis arridet sexus, & secretum facilè inuenit tua conscientia, cum fiducia exercere sedulò gynæciam propositam meo tractatu, & tua diligentia adhibeto medicinam.

THEODORI PRISCIANI GYNAECIA, SEV LIB. III. DE MVLIERVM PASSIONIBVS.

De mammillis post partum dolentibus: Cap. I.

MAMMILLAS cum tensione tumentes, uel dolentes, quod post partum quãmaximè mulieribus euenire consueuit, quas ex eo etiam grauis dolor inquietat, hoc ordine curare debemus. Per initia mediocriter constringentibus uti conueniet: ut est spongia molli, infusa in posca, quæ leui anadesmo continenda erit. Sic etiam dactyli, cum pane in posca infusi, & contriti, sæpe par beneficium præstiterunt. Si uerò certa ratione lac prohibendum erit, cataplasmati superiori admiscendum est aut alumen scissum, aut herbæ pulicaris semen, aut coriandrum, aut portulaca. Nam & unguenta ex solis earum succis frequẽter adhibuimus, cum penna molliore loca tangentes. Si indignatio illa his minimè potuerit prohiberi, & lactis aggregatio maximum feruorem locis incusserit, tunc cataplasmatibus chalasticis conueniet imminere, ut est panis in mellicrato infusus, & cum oleo dulci contritus. Similiter etiam de seminibus tam lini, quàm fœnogræci, uel hordei farina, aliquando singulis, aliquando commixtis, & cum adipibus sæpe porcinis recentibus, in mellicrato temperatis. Sanè si pondus cataplasmatis tolerare non potuerit, spongijs mollioribus infusis in aquis chalasticis, dulcibus, & paragoricis, quæ ex hybisco, & seminibus lentis, & fœnogræci conficiuntur, loca tantũmodo uaporanda sunt: & impositis continuò lanis, oleo dulci calido infusis, fouenda erunt. Si saniem fortè collegerint, iam suis temporibus, & proprijs adiutorijs maturata, aperienda erunt, ut sub una egestione possint penitus percurari. Si uerò minimè percurari possint, transacto impetu, uel indignatione mammarum, simplex cerotarium adhibẽdum est, usque in plenam sanitatem. Sanè si eadem infantem nutrire minimè decreuerit, tunc cerotario supradicto puluerem contusi lapidis molaris admiscebo, anadesmum quoque mediocriter stringo, lactis impetum prohibiturus. Quòd si lactandi arripuerit uoluntatem, tunc anadesmus laxior, tunc fomenta chalastica adhibenda erunt, quæ lactis non prohibeant copiã ministrari, sed magis præeuntibus fomentis, & uaporibus supradictis, cypero, oiio, & croco in unum contritis, mammillas ungendo adiuuabo. Alij pumicem cum oleo cyprino tritum imposuerunt. Alij cyminum cum aqua contritum. Alij uerò fabæ pollinibus uuam passam purgatam, & contusam miscuerunt, & ex his cataplasmando, lactis auxerunt fœcunditatem. Sic sesamo trito cum oxymelle, sic cantabro cocto similiter in oxymelle, sic de hederæ folijs contritis, sic de ficis pinguibus tunsis, sic de caseis recentibus, tritis cum oxymelle, cataplasmata confecerunt. Quibus omnibus lactis secundũ officium procuratum est. Si lactis interea nimium pondus etiam duritiam procurarit, folijs apiorum, uel menthæ, uel caulium cum pane tritis, & mellicrato, illam duritiam resoluimus. Ergo per initia generaliter omnibus mediocriter stypticis obuiandum est: per augmenta, uel impetus, chalasticis uel paragoricis: & licet hac lege medendi omnibus seruiendum sit, attamen mammillarum mollium intuitu, omnia moderatius fœminis adhibenda sunt.

De præfocatione matricis. Cap. II.

SVNT uariæ & diuersæ causæ matricem frequentius attentantes, quæ licet sub duabus præcipue principalibus passionibus constrictionis uel laxationis comprehendantur; tamen etiam partim sub certis accidentibus alias causas efficiunt. Huic ergo sub definita lege professionis, quæ cõstricta sunt, soluo, resoluta uerò (quibus quammaximè & lassitudo sociatur) stypticis potissimum, atque mediocriter frigidis stringo. Quibus autem repentina commotio matricis innascitur, hæ musculorum omnium contractione, & totius corporis dolore nimio quatiuntur: & hac ui sæpe interceptum uocis officium, sub horrore casus, ueluti paralyseos mentitur imaginem: quam passionem in græco opere appellamus. Quo tempore ad illa duo præsidia principalia, omnibus cõclusionis necessitatibus subuenientia, recurremus, phlebotomi præsens beneficium, & uentris purgationem. Specialia uerò fomenta olei dulcis calida, & aquarum consueta chalasticarum cataplasmata de seminibus paragorica, cum mellicrato. Emplastra, ut diachylon, cerotaria simplicia ex adipibus temperata, & medullis. Pessaria ex melle & butyro.

Item

Item liuianum, & cera, quorum confectiones subiectis adiungo. Ex encolpismis, succis aut ptisanæ, aut fœnograeci, aut olei dulcis. His articuli & calefaciendi sunt, & mollius constringendi. Ventosis quoque admotis inguinibus, uel femoribus, recursui, uel inclinationi matricis occurremus. Fumigijs bene olentibus ad inferiora, matricem prouocabo; odoribus enim grauibus repercutitur. Minoratis uerò supradictis accidentibus, plena quoque declinatione, manifestò conuenit iam exercitijs aptis sexui commoueri, & aeris, uel locorum mutatione iuuari. His cibi humaniores, his iam lauacra concedenda: uinum attamen sub moderatione.

De inflatione, uel tensione matricis. Cap. III.

INFLATIONEM, uel tensionem si longo tempore matrix ægra conceperit, omnibus superioribus chalasticis & aptis constrictionibus imminebo, superaddens cataplasmatibus ficus tunsas, absinthij puluerem, uel eius decoctionem, epithimata amyctica ex puluere lauri baccarum, pyrethri, castorei, nitri, & cæterorum similium, cerotario commixtorum. Expedit frequenter polyarchion uti. Encathismata uerò, uel uapores ex decoctionibus staphylini, dauci, pulegij, uel cæteris similiter diureticis procurabo. Inflationibus diu permanentibus, artemisia admiscenda, aut marrhubium, hysopus, aut baccæ lauri: aliquando casia, & celtica: ex quibus etiam pessaria conficienda erunt. Nam ex ruta uiridi, trita cum melle, pessario semper utor temperato: Superaddo nitrum, uel aphronitrum, pulegium, ficus pingues purgatas, & contusas, cyminum: sed ad eorum sensum mordacem, & calidum temperandum, lactis temperabo commixtione. Si uerò duritiã contraxerit, quam alibi myden appellamus, hanc primò sicuti contra inflationem ordinando contexuimus, adiutorijs chalasticis imminens soluere laborabo. Omnibus supradictis constrictionum accidentibus minoratis, iam conuenit ex paruo leues attentare gestationes, & sub certa declinatione passionis, appetere lauacra, cibos humaniores præsumere; & post resumptionem corporis, anechicis temporibus, omnes ex ordine cyclicas disponere curationes inguinibus adhibendas. Has semper persolidabit etiam lauacrorum frigidorum consuetudo disposita.

De arthriticis. Cap. IIII.

CONTINGIT interea frequenter certa, & specialis passio fœminarum, ut aut naturaliter aliquãdo clausæ nascantur, aut uulneribus præeuntibus, ac cicatrice interueniente, clausæ fiant, aut præsenti indignationis interuentu penitus concludantur. Si ergo ex causa præsentis indignationis obductæ fuerint, omnibus chalasticis adiutorijs, ex lege resoluendæ erunt. Sed si ex uulneribus obductæ cicatrices, aut nescio qua illa lege nascendi clausæ fuerint (quod tamen aut digitis, aut oculorum possit fide probari) tunc à chirurgicis considerata mensura, referandę erunt: ea tamen intentione, ut hæc patefactio linteolis, aut alijs adiutorijs patefacientibus diutius disterminetur, ne obductæ in se identidem scissuræ recentiores, occasionem claudendi protinus sortiantur.

De conceptione. Cap. V.

ALIQVAE mulieres, quæ uoto posteritatis, longo tempore desideratæ, afficiuntur, medicos accersunt, quas effectus elaboratæ cõceptionis, felices & peritas exhibuit. Nosti itaque ò Victoria, professionis communis hoc magis esse necessarium ministerium, quę ex officijs sedulis in his magis rebus experimẽtum habes, quantum aut gratiæ, aut gloriæ accrescat medicæ promittenti, si suscepta conceperit. Vnde licet inscia non sis huius curæ, conceptionem procurantis: attamen disposita tibi, consideratis omnibus, ordinaui, per quæ curandum erit. Priùs inquirendum est, necubi officium matricis, aut inclinatum sit, aut conclusum: unde aut modicis purgationibus aperientibus impeditur, aut tempore purgationis, internorum dolore nimio conquassatur. Quòd si fortè ita res habet, phlebotomanda erit, de talo quammaximè: quò ad inferiora uicinior materia prouocetur. Sic deinde ad ordinationem curæ aduertendum nobis erit, quæ conclusum priùs moderatè orificium patefaciat, ut purgatione solenni citra offensam disposita, & desiccari, & calefieri matrix possit. His etenim rebus ita dispositis, conceptionis uota facilius subsequetur. Si phlebotomo adhibito, necdum tempus sua secreta cognouerit, tunc oleo dulci, uel anethino, uel rutaceo inguina fouenda erunt: & post lana, in eodem oleo calido infusa, contegenda. Tunc cataplasmatibus chalasticis calefacienda: quibus admiscebo aut artemisiæ puluerem, aut dictamni: quarum etiam in aqua coctarum frequenter uapores exhibeo. Nam & fumigia uaporatis partibus supponi cõuenit ex supradictis herbis, lapide gagate adiũcto. Si his omnibus ritè adhibitis, naturalis circa purgationem ordo permanserit, matricis officio mediocriter relaxato, iam adiutorijs conceptionem procurantibus imminendum est. Continuò igitur cum se purgatio citra offensam transegerit, ex diachylon, uel liuiano pesso cum nardino, uel roseo priùs resoluto, encolpismo uti cõueniet. Et post matricis delauationem, ex eodem medicamento, & pesso priore, pessarium adhibere continuis diebus triginta conueniet, usque in diem uenturam alterius purgationis. Quibus transactis, liuiano nitrum conuenit commiscere, quod adhibendum erit, post encolpismum, ex subiectis speciebus disponendum, cardamomum, dictamnum, artemisiam, irim, rutę semen, omnia contusa & cribellata, oleo dulci & plurimo miscenda sunt: ut ex his ante pessarium, fomentum adhiberi possit. Commodius interea fiet, si huic fomento recentes porcinos adipes, aut anserinos ad-

misceamus. Post quod, continuò pessario tali uti expediet. Ficus pingues in aqua decoctas, & tritas melli misceamus: & ex hoc pessario iniiciamus. Desuper uerò liuianum superimponi conueniet. Deinde interfecti nitri glebam accipimus, & in modum balani collyrium factum, molli lana contegimus, quod superillitum liuiano iniiciemus. Nullo etenim remedio meliore & magis innoxio, aut corrigi matrix poterit, aut purgari, quàm usus nitri suppositione. Postquàm uerò his adhibitis, quę sufficere arbitror ad omnia corrigenda, quæ impedimento conceptui esse possunt, iam uti conueniet his duobus sequentibus pessarijs aromaticis, conceptionem maturantibus. Fit autem prius hoc modo: Cera alba, adipe gallinarum, terebinthina, & nardino oleo. His omnibus ex æquo solutis, coagulum leporis admiscemus, & hoc post encolpismum supponemus. Aliud uerò omnibus experimentatum usibus, sequens hoc est. Cassiam fistulam, folium, spicam indicam, amomum, in uncijs singulis, omnia cribellata cum staphylino, aut nardino oleo, accepto coagulo leporis admiscemus: & hoc pessario, ordine adhibito, ritè est maturata conceptio. Iam nunc & superiorum pessariorum conuenit subiungere compositionem. Pessarium diachylon contra omnes conclusiones utilissimum & probatum. Lini semen, altheam, fœnogræcum, omnia æquis ponderibus in uas nouum mittimus, ubi oleum dulce, & aquam ęqua mensura adijciemus, ut semina pertegantur. Quæ cùm molli uapore coqui & bullire cœperint, undatio, uel spuma quę supernatauerit colligitur. Cui anserinos, uel gallinaceos adipes, & cętera iungimus, ut pessario moderamentum faciamus. Sic nos diachylon pessarium cōficimus: quod, sollicitiùs si fuerit temperatum, unguentum magnum chalasticum, uel paragoricum faciet. Liuianum uerò sic facimus. Ceræ ponticæ unc. IIII. mastichis unc. I. storacis unc I. adipis anserini unc. III. butyri unc. III. medullæ ceruinę unc. IIII. nardini olei unc. IIII. Hæc omnia secundum consuetudinem tunsa, soluta autem miscebimus, ut pessarij temperies procuretur. Hęc est ordinatio curę, omnibus mulieribus adhibenda concipere cupientibus, quam breuiter contexuimus. Sunt etiam alia quamplurima, ab alijs, uarijs coniecturis composita, quę magis causticis adhibitis, forsitan possint purgationem sanguinis extorquere. Commodius est autem, sic impendere officium medicinę, ut cùm susceptam causam curare cœperis, alia non creetur. Sunt alia duo genera pessariorum: at ego magis blandis, quàm causticis, conceptionis causa procurandæ, purgationem sedare uolo, quàm extorquere: quibus etiam magister meus, & purgationem absque offensa se procurasse frequentiùs testabatur, & conceptionis officia perfecisse. Ea sic conficiebat. Opobalsami un. I. peucedani unc. I. aristolochię unc. I. myrrhę et croci semiuncias singulas, medullę ceruinę, & adipis anserini semuncias singulas: semina seorsum quę addenda sunt, cribellantur, & solutis ex more miscentur; & sic tusis pessarium fiat. Hoc primo pessario exempto, mox tempore secretorum post balnea supponendum est: quod duabus horis continendum erit. Aliud pessarium, cuius sequens ista confectio est. Opobalsami uncia I. opopanacis unc. I. thuris masculi unc. II. cinnamomi unc. II. myrrhę unc. I. costi semuncia I. croci, cassię ana semuncia I. hęc similiter contrita, oleo irino commiscentur, ut paulū pingue fiat: cùm uerò utendi tempus aduenerit, post purgationē & balnea, & pessarij prioris usum, utèris necessario linimento. Peregisse me arbitror quamplurimas sub constrictione mulierum ęgritudines, è quibus si quas fortè minimè comprehendimus, sub uno & simili relaxandi beneficio uisitandę erunt. Varię etenim pro causarum temporibus, adiutoriorum species poterunt adhiberi, eadem attamen medendi omnibus uirtus.

De abortiuis. Cap. VI.

ABORTIVVM dare nulli unquam fas est. Vt enim Hippocratis attestatur oratio, tam duri reatus conscientia, medicorum innocens officium non decet maculari. Sed quoniam aut matricis uitio, aut ætatis impotentia, sub qua præproperè frequenter partus euenit, fœminæ periclitantur: expedit prægnantibus in uitæ discrimine constitutis, sub unius partus sæpe iacturā, salutem mercari certissimam. Sicut arboribus arescentium ramorum accommodatur salutaris abscisio: & naues pressæ onere, cum graui tempestate iactātur, solum hūt ex dāno remediū. Vnde breuiter huic loco adnectenda, continuò designabo. Si ergo necessitatibus, aut ætatis immaturitate, aut uitijs superiùs comprehendis, pecus molliter subtrahēdum erit, his quammaximè consentio faciendum, ut cataplasmatibus chalasticis artemisiæ succos, aut rutæ puluerem misceamus: dictamni quoque similiter. Sic aristolochiæ, sic rutæ seminibus: sic & fomentis, & supradictarum specierum decoctionibus factis uti conueniet, quę scripta sunt in cura conceptionis, ac sanguinem innoxiè prouocantibus. His uerò sequentibus aliqui usi remedijs, duris forsan, corporibus minùs obfuisse uidentur, qui sanguinem extorquentes, simul etiam uenientia pecora pertraxerunt. Succum rutę uiridis potui dederunt, ad neophyta excludenda. Hanc eandem rutam uiridem, cum rancidis nucibus, & cum melle tritam dederunt, asseuerantes pro pessario apponendum. Interea etiam myrrham, & artemisiam, & leucosemen, ex æquo cum succo menthæ, potui similiter post balnea dari debere asseuerauerunt. Item lupinorum amarorum puluerem, myrrhæ, & leucosemen: quæ omnia ex æquo cum menthæ succo temperauerunt, ut trocisc*us cōficerent: quos cum decoctione artemisiæ, aut dictamni dari constituerunt. Alij radicem panacis, myrrhæ, aloes, ex ęquo, similiter succum menthę uiridis temperauerunt. Alij collyrium suppositorium faciētes, sic se hęc innoxiè extorsisse testati sunt. Myrrhę, & absinthij, irios Illyricę, radicis panacis uncias singulas, gummi unc. II. quas in succo fœnogręci infuderunt. Ex quo mixto cum puluere supradictarum specierum, collyria, uel balanos confecerunt, quos post balnea supponebant. Nam dictamnum cum uino tritum post balnea potui dabant, & continuò penè immaturas animas excludebant.

exdudebant. Sed & ouium fel, in mellicrato dederunt, æque uiolētum. Sic fel taurinum cum nitri combusti puluere, hysopi ceroto miscuerunt. Aliud. Hysopi cerotum, Nitrum tostum, ciminum, singularum uncia I. ficus pingues albas bene tritas unc. II. cum lacte muliebri pessarium supponendum temperauerunt. Sed & nostro pesso utebantur, ex foliis pinguibus ficubus tusis, balanos, uel collyria supponentes: quibus nos etiam speciem nitri admiscuimus: sed innoxie etiam purgatio procuratur hoc modo. Aliud exclusorium uiolentum. Myrrham tritam, & helleborum, felle taurino miscentes, & temperātes, pro pessario supponebant. Aliud. Myrrhę uncia I. ficus pinguis tritę lib. I. galbani unc. I. aphronitri unc. III. omnia trita, tusæ ficui commiscebant: & cùm usus forte fuerat necessarius, cum melle pessarium ab iisdē temperabant. His etiam ptarmica adhibuerunt ex helleboro, struthio, castoreo: ut membris omnibus exagitatis, pecus facile extorquere ualuissent. Coacti etiam aliorum scripta elegimus, inclyta quidem sub illis necessitatibus, si saltem uel non importunis mensibus ingerantur. Sed quoniam his inconsiderate frequenter ita rebus gestis, ut & uapore adhibito specierum, hæmorrhoiæ uenerunt, per quas & uulnerationis penè incurabiles fluxus læsas fœminas occupauerunt, ad hæc nos quibus ualemus, tandem adiutoriis salubribus obuiamus.

De hæmorrhoia matricis. Cap. VII.

HAEMORRHOIAE matricis (licet etiam ex aliis fieri soleant) attamen, quoniam omnes una lege medendi curandæ sunt, subiectis earum caussis, adiunctisque omnibus, ut arbitror, sub cōstrictione passionibus, eisque pertractatis, ad resoluta, & sub effusione laborantia descēdimus. Quæ, quamuis sæpe chronicarum more causarum difficile liberentur, uaporibus constringendæ sunt, ex decoctionibus specierum omniū stypticarum, quas etiam nunc subiectas admoueo. Myrti uiridis flore, malogranati cortice, & arboris pini, siliquarum foliis, uel baccis lentisci, similiter rosa sicca, & galla, rore syriaco, & ceteris similibus. Itē encolpismis imminere cōuenit ex troco, hypocistide, acacia, omphacino, lapide hæmatite, lemnia sphragide: omnibus tusis, & mixtis decoctionibus supradictarum specierum, aut succis polygoni, uel arnoglossæ temperatis. Post uerò, spongia infusa in posca, & supposita, muniendę erunt. Inguinibus uerò, lanas infusas succis supradictis imponi suadeo. Expedit interea omnibus superioribus locis usque in mammillas, cucurbitas stalticas ignitas imponere: sic etiam interscapulas diu perseueraturas, sed molliter detrahendas. Epithimata uerò staltica, quæ dysentericis ordinauimus, imponenda sunt, quammaxime ex dactylis thebaicis, in uino uel aceto decoctis, ex cerotario commixtis: speciebus quoque, quas nosti competenter posse constringere.

De uulneribus matricis. Cap. VIII.

SI VULNERATA ex his matrix fuerit, quibus uulneribus interius putredo frequentius sociatur: aduertis ex egestionibus, quatenus debeas causæ succurrere, adhibendo aut trociscos ex auripigmento, calce uiua, sandaraca, puluere chartæ combustę, & cæteris similibus: quos ita conficito & temperato, ex succis omnium specierum supradictarum.

De fluxu rheumatis, quem ῥοῦν appellamus. Cap. IX.

SI EX his fluxus perseuerans sanguinis, uel humoris, calorem uariātis, molestiam fecerit, quem nos ῥοῦν appellamus, his omnibus superioribus imminendo, constringendus erit, uel desiccandus. Si quis uerò etiam potionibus curare uelit, habet has potiones, à nobis similiter ordinatas. In his autem qui sanguinem uomuerunt, aut dysenteriæ uitio laborarunt, si humanius res profecerint: ut, ueluti in chronicis mos erat, aliquando commoueantur, aliquando sub blanda dimissione releuentur: quo tempore cycli nobis iā omnis ordo intendendus erit, & arripiendus. Vomitus priùs frequentior adhibendus, quammaximè per radicum acceptionem. Exercitiis paulatim crescentibus imminendum est. Aeris mutationes appetendæ. Locis iisdem psilothra, paropteres, dropaces, & sinapismos appono: quibus omnibus perseuerando, uim magnam rheumatis magnis ualeamus adiutoriis superare. Sanè si sanguineus & cum dolore fluxus fuerit, etiam phlebotomo eas expedit releuari, omnibus supradictis stypticis imminendo.

De gonorrhœa, id est spermatis effusione. Cap. X.

EFFVSIONE aliquando etiam spermatis spontanea, & importuna fœminæ fatigantur, quod in græcis nostris γονοῤῥοίαν appellamus. Hæc quæ in uiris, hoc uitio laborantibus, superiùs ordinata sunt, etiam fœminis conuenit adhibere. Ordinata gynęciarum dispositione, sufficere arbitror principalium passionum constrictionis, & relaxationis causis, ex paruis omnibus adiutoriis, competenter adiunctis. Cætera uerò quæ artis officio, parturientibus aut disponenda sunt, aut facienda, usu magis, quàm lectione debes aduertere: ut intelligas quę pertineant ad salutem mulierum.

THEODORI PRISCIANI LIB. IIII. AD EVSEBIVM FILIVM DE PHYSICA SCIENTIA.



CRIBENTI mihi de Physica scientia, qua te maxime delectari intelligo, sufficere arbitror Menandri comici insigne argumentum. Apud ciues suos cum studiorum annis, magnę scientię laboraret inuidia, produxisse in theatrum fertur suem, partu plenam (hoc enim in loco celeberrimum Atheniẽsis eloquentię auditorium erat) produxisse inquam, expectantibus auditoribus, plenam suem, ibique eius exectum uterũ, in euripo fuisse proiectum. Cumque interfecti penè, ductu tamen naturę agerentur, Atheniẽses, inquit, uiri, si in paruis annis scientiam meam miramini, istos natare quis docuit? Hinc aduertere datur, Eusebi dulcissime filiorum meorum, gratum mihi testimonium. Valde enim in te amo laboris mei operęprecium, & quòd tu mihi nunc scribendi contigeris auditor. Dixi, datur aduertere, quantum naturæ uis pateat in omnibus elementis, eorumque semine, atque animantibus; cuius uirtutes non frustra inter se dissentiũt, aut secum copulantur. Alcyonio herba pastę oues periclitantur: mox, radice eius assumpta, liberantur. Mulorum sanguis potus, uenenum est: carnes eorum cibo datę, sunt remedio. Medentur uentris tormento canes, pastę gramine. Et horrida sus nebulam discutit, campo pabulata: & iacta per dictamnum, excluduntur tela. Et cerui longęui uita, adesis mutatur cornibus. Et communes chelidonię, communibus herbis, pullorum suorum declarant oculos. Ad postremum, natura omniparens, ueluti adiuncta charitate, cuncta animantia prosequuta est. Quę enim nascendi sortem tribuit, uiuendi ac ualendi substantiam non negauit. Est enim in omni mundo natura, quę operetur grande secretum. Sed illud mirari non desino, cur irrationabilia, & uagę aues, & agrestes feręad beneficia naturę proprius accedant. Supra cõtexti dabitis mihi ueniam operis, patres, priores. Disputationum enim uestrarum rationes, morbidorum animaliũ genus, & his similis ætas mundi rudis ignorauit. Pythagoras Aegyptię scientię grauis auctor, scribit singula nostri corporis mẽbra, cœlestes sibi potestates uendicasse. Vnde fit, ut aut contrarijs, quibus uincuntur, aut proprijs, quibus placantur, conemur. Hinc est, quòd & Romani, Febri ædẽ statuerũt, & quòd Quartanas Saturni filias affirmauit antiquitas. In quarum curatione, Democritus inquit, pollutione opus esse: ut sunt cædes, & culpę, & menstrua mulieris, & sacrarum auium, uel uetitorum animalium carnes cibo datę, & sanguinis potus. Nam & epilepsin, quã hieran noson appellauere, sic curare pręcipit: efficacię potentiam pręferens, & uitans inquiri rationem. Sed hęc non nos primi prodimus: fateri non pœnitet: communia sunt, quę cum ueteribus sentio. Atqui mea quę scripsero in ijs duntaxat & nos magis posteris placebimus. Nec mirum, si nulla circa uiuos fama est. Sua tempora lector non amat. Hinc est illud clarissimum satyrici distychon.

Parũa coronato plausêre theatra Menandro.
Riseruntque suum secula Mœoniden.

Nam & magister meus, quo me usum esse pręceptore pręmiseram, dum uiueret, bellũs habebatur, qui nunc orbo toto Vindicianus celebratur. Et profectò nullius unquam uirtus, dignè suo seculo honorata est: uel quòd inuidię, fortunęque locus inter uiuos maneat; uel quòd à miserię orto desiderio celebretur post fata probatio. Herba polygono coronatus, quam quis luna decrescente sustulerit, dolore capitis caret. Similiter etiam herba illa, quę fortè inuenta fuerit in capite ęnearum statuarum. Nam & reliquias bouis potantis si quis biberit, molestia capitis releuabitur. Spuma uerò eius, fronti illita, lege secretiore naturę, graues inquietudines capitis sedat. Et cornicis cerebrum, quolibet genere acceptum, paria facit. Similiter etiam muris cerebro comesto, natura omniparens, magnum remedium caput dolentibus pręstitit. Ferulæ quoque combustę, cinis, oleo mixtus, frõti uel capiti illitus, inquietudines capitis sępe sedabat. Tantùm etiam de uulturis cerebro, mixto oleo peruncttum caput, frequentiùs liberatum est. O quantũ naturæ uenerationis debetur! Nam magnes lapis admotus capiti, ex altitudine latentes morbos eripuit & nidis hirundinum mox expositus, atque cum aceto contritus, frontique illitus, par beneficium procurauit. Hęc Physica remedia sufficere arbitror caput dolentibus, & hinc etiam de epilepticis quędam ordinamus. Remediorum rectè adhibitorum efficacia, semper causarum bonos exitus confirmauit. Latentes epilepticos, gagatis lapidis admotum fumigium, semper repentinis casibus publicauit. Hoc de araneis parietum, hoc de stercore canum fumigium similiter facere constat. Nam & opertos caprarum pellibus, si in aquam ingredi facias litoris, infusis plantis, & tectis, epilepsiæ passio commouebitur. Similiter etiam si nares eorũ opobalsamo tangas, sollicitius epilepticos publicabis. Et acaciæ pulueres si cum aqua calida acceperint, & si continuò correpti fuerint, insanabiles erunt. Sin uerò febrierint, faciliùs liberantur. Hoc de prodendis, cognoscendis epilepticis scripsimus, remediorum nunc opus est ordinatione. Pęoniæ radix magnum præsidium præstat, si continue potata, frequentiùs odoretur. Sic, alicacabi, sic nycteridis radices medentur. Ex corio frontis asini, facta ueluti fasciola, eorum articuli constringendi sunt; & dextri eius pedis ungulæ portatus circulus, pari conditione medebitur. Interea caprinas tunc tantummodo carnes comedentibus, camelorum medulla, oleo roseo resoluta, tempora capitis, stomachus, & totum pectus matutinis horis perungendum est. Ex sanguine mustelarum unguentum commodè adhibitum, par pręstitit beneficium. In ipsis uerò commotionibus, si sanguinem de eius pedum digitis elicias, quoquo pacto, & eius frontem ex eo tangas, & labia, continuò exurgit. Tunc etiam asini lotio aspergi conuenıet. Addo interea, quod ille ait, si mihi fas audita loqui, quod necessitas procurandę sanitatis extorquet, eodem lotio asini potarreos debere; & hirundinum sanguinem, cum thuris masculi puluere, sub æqua ponderatione,

cum

cum oxymelle similiter sumere. Sic alij ueteriores sub certo secreto naturæ, excepto capite ac pedibus, cæteras mustelæ reliquias, atque partes corporis obtulerunt; ex cuius cibi beneficio, molestiam passionis frequentissime declinauerunt. Aliud. Vina multum acria, horis matutinis data diebus triginta continuis profuerunt. Pari forma, etiam ex testa cerebri asini combusta cinis datus profuit. Sic altheæ succis, sic coagulum leporis, in modum grani erui per dies XXX. ministratum horis matutinis, epilepticos liberauit. Nam & mulieribus menstruatibus, hoc uitio laborantibus coire conueniet. Hęc epilepticorum præcepta, & probata remedij cura disposita, deinde reliqua, ut potero, uaga, & disseminata remedia collecta designabo. Hybiscum, & caricas discoctas, & tritas diligenter, ubi admiscueris, admisces passi calicellū plenum, modicum axungiæ porcinæ, quasi unciam, & pollinem de hordeo, ita ut hybisci triti uncias II. caricarum unc. II. non febricitanti admisceas, cum quantum merum est. Febricitanti autem, aquam de hybisco, & caricis ubi bullierit, hoc cataplasma impones, & usque in alterum diem manè habeat. Et item alia similiter facias, per dies quinque. Postea diameliton solues cum ceroto, & pones: deinde iunges in ipsa diameliton, etiam aliquantulum diaspermaton: & cùm meliùs habere cœperint, das potionem athanasiam in aqua calida, & cochlear unum mellis, & cochlear unum aceti. Hoc per triduum facis: & si usus exegerit, iterum repetis cataplasma. Ad uesicæ autem dolorem, coquis aquam de fœnogræco cum hybisco, & fomentabis super pectinem, de aqua calida, ita ut antè oleo calido omnia loca quę patiuntur, perungas. Quę cum facis, sedebis super peluim maiorem, & leuiter fomentabis, ne loca contundantur. Postea detergis diligenter, & facis cataplasma de fœnogræco, & lini semine, & polline hordeaceo, in aqua & oleo, ac modico melle cocta, cataplasma inducis, & ponis. Omnia loca cum ipsis quoque testibus percooperis. Hoc tandiu facis, donec dolor recedat. Deinde decoquis adarcem, origanum, & petroselinum, & sic dabis potionem cū modico melle. Medicamen autem diameliton solues cum ceroto mollissimo, & cum adipibus pollinis, uel porcellinis, & medicamen basilicon, ita ut antè clysterizes eum qui patitur, exinaniendo stercus totū, & sic curabis eum. Confectio medicamenti ad matricem curandam, uel menstrua prouocanda. Primò diffumigatur mulier sedens, de storace, ante quinque dies quàm menstrua ei solent uenire, & encolpizatur pigmentis, quæ inferius scripta sunt. Diachylon unc. I. basilicon semuncia una, ceræ punicæ unc. I. adipis anserini unc. I. oleo libyacio quantum necessarium fuerit. Species autem solues cum oleo liliacio, ita ut medietas cum aqua supra focum bulliat, & alteram medietatem cum supradictis medicamentis, & olei uapore facias calescere, ut sic soluantur. Et cùm cœperis uelle encolpizare, antea uentrem eius cura de succis ptisanæ, fortiter discoctæ, immixto clysteri oleo anethino. Et post istam iniectionem si purgatio menstruorum plena non fuerit subsequuta, dabis ei puluerem picræ cum uino, & melle, & calidè permixtum. Sed ante quartum diem consuetæ purgationis, ita cura, ut antequàm encolpizes, primò de succo ptisanæ decoctæ cum anethino oleo, uentrem cures, & sic encolpizes: & hoc usque in diem purgationis, si necesse fuerit, bis in die facies, & nunquam anhelitum uel dolorem stomachi patietur. Hygna dicitur solutū collyrium: Et dicitur panchriston. Facit autem ad multas passiones, & est approbatum. Ad synanchem, penna illita faucibus, eam soluit. Vlceribus uerò aurium prodest cum melle attico, & uino, æquali pondere solutum, calefactumque, ad aures immissum, & non effusum. Vlcera locorum omnium emendat, præcipuè tamen oculorum, foris illitum: duritijs etiam palpebrarum sic confectum, quoquo modo se habeant, si penna molliter inungatur, uel tangatur. Asperitates uerò deintus ueteres palpebrarum sanat: albedines, suffusiones membranarum, de oculis expurgat omneis. Morsus omnium serpentum curat: siue intrinsecus potui datum in uino, & oleo bono, pari mensura, quantum sufficiet calefactum; seu deforis penna illitum, bene sanat. Cuius compositio talis est. Aeraminis combusti unc. II. mysi assati semunciam, myrrhæ troglodjtis unc. I. croci semuncia, passi cretici heminam, piperis communis semūciam, uini aminei cādidi quod sufficit. Vniuersa cum dimidio uini in mortario teris, per dies numero XXII. Proinde reliquū uinum permiscens, cum passo cretico coque. Agitatum transcolas in trullionem, sed immittis simul suprà memorata de mortario, in ipsum trullionem: tunc uerò leuioribus carbonibus impositum trullionem, omni hora agitas, ne illa, quæ grauiora esse uidentur, in fundo remaneant, & comburantur: ergo mouenda sunt sine intermissione. Et cùm feruendo in modum mellis deuenerit, infrigidatum, uase uitreo seruare debebis. Ad conceptionem. Lépor[illegible]nam assatam teris, & dabis in uino mero, in balneo sabanis insidenti bibere, ieiune. Si ipsa die uel no[illegible]a fuerit à uiro, concipiet. Ad conceptionem, experimentū. Nardum asianum, uuam uerò passam cre[illegible]am purgabis, ut tollas grana quæ habet, & myrrhæ troglodjtis modicum, teris diligenter more collyrij: Sic enim probabis. Ad rostrum applicas, & labia inde fricas; si dulce est: sic mulier utatur. Si uerò amarum, adauges uuam passam, & cum lana pessarium factum suppones per dies XXX. Etiam si [illegible] est, concipit. Et pariter præparamus uiro. Rutam agrestem tere, & inde ueretrum line, statim excalescit. Postea si non pausauerit ueretri tensura, idem ueretrum oleo unges. Inguina si à caballo indoluerint, oleo rosaceo tanguntur in balneo, & extra balneum. Si autem cum rubore nimio, aut ustura fuerint, cum cerussa permixta liniantur. Ad perniones. Alumen scissum in aceto acri infundis, & post diem agitabis, & pedem perunges. Ad lumbricos. In ollam fictilem mittis mētham usque ad medias, & desuper myricas, usque ad summum, & implebis ipsam ollā aqua, & decoques omnia. Bibere dabis habenti lumbricos ieiuno, omnes per inferiora egerit. Ad menstrua mulieri prouocanda. Rutę succi cyathum unum calefactum ieiuna bibat. Fortiùs autem prouocat, si ieiuna lauetur, & sic biberit, antequàm balneum intret. Sanguis si huic currere cœperit, surculus ipsius rutæ, de cuius folijs succus expressus est, in ignem mittatur, & sanguis se stringit. Potio ad luem. Cucumeris syluatici radicem quan-

tum habueris,mittis in mortarium,& teris cum folijs tenerioribus ſemperuiuæ,apij,& coriandri. Cùm bene triueris,adijcies mel,& grana piperis imparia,quot uolueris: & uniuerſa temperabis,& ſtanno ſeruabis,& ieiunus uteris. Et ſi quis apprehenſus fuerit,hanc potionem cùm acceperit,ſtatim foris exit omnis lues ab illo,& ſanus erit. Sed & qui epulatione uſus fuerit,aut qui ſeruierit ei,qui lue tenetur, nunquam noceri poterit. Chalaſticum quod oſtendit Titianus uir clariſſimus,imponendum in aluta pedibus dolentibus,& ligandum faſciola,& deſuper udones induendos. Ceræ punicæ unc.I. reſinæ frixæ, pon.I. reſinæ terebinthinæ unc.I. axungiæ porcinæ ſine ſale,de porcella uirgine,uel etiam de pluribus pond.I. hæc omnia in cacabo ſoluis : mittis poſtea ceram,& deſuper nitri alexandrini bene nitri unc.I.& agitando bene commiſcens,ſeruabis in fictili. Ad hemitritim, unde fiunt cardiaci, & phrenetici. Mala cytonia ſicca trita lauato,& mittes in ollam nouam cum aqua fontana,& decoques,& ipſam aquam bibere dabis. Antidotum diarobum facit ad pectoris dolorem,& ſtomachi,& iocinoris,ſplenis,ueſicæ, ad hęmoptoicos qui ſanguinem uomunt,uel expuunt,ad indigeſtionem,inflationem ſtomachi,tuſſim ſiccam: & ad tuſſim ſuſpirioſam,id eſt,qui fortiter ſuſpirant : nauſeæ prodeſt, & ſaliuis abundantibus. In his neceſſitatum uniuerſis doloribus,cochleare plenum ieiunus manducet : per triduum ſenties beneficium. Cuius compoſitio talis eſt. Maſtiches,petroſelini macedonici,oxypiperis,quod in uſu eſt,unciæ ſingulæ. Item hyſopi cretici,irios Illyricæ,rutæ uiridis unciæ binæ,nuclei pinei unc.IIII. Quę ſicca ſunt,tundi & cerni debent: ruta autem cum nucleis pineis,& maſtichem,in mortario fictili aſpero detere. Hæc,cùm bene fuerint malaxata,poſtea quæ ſicca ſunt,iũgantur,& terantur ſimul. Deſuper autem mitti oportet mellis ſummi,quantum ſufficit : uniuerſa confecta in uas uitreum miſſa,ſignataque ſeruari debent. Decomai antidotos Terentij Eutychiani diateſſarō. Facit ad digeſtionem,& ad urinam prouocandā,& colum. Cuius confectio talis eſt. Petroſelini macedonici,piperis,inulæ, fœniculi ſemina ęquis ponderibus tuſa,& cribellata,melle bono ſufficienti deſpumato,terendo iunguntur,& dolio uitreo ſignata ſeruantur: cùm neceſſe fuerit,dabitur ita. Ad digeſtionem,cochleare plenum comedendum. Si autem manè ſtomachum indigeſtũ habet, ſimiliter cochleare plenum comedat. Ad urinam uerò prouocandam,in balneo,uel in ſole ſtanti,cochleare plenum ſoluis,in duobus cyathis aquæ calidæ,& bibendum dabis. Colicis quoque in aqua calida, ubi apium fuerit decoctum,ſolutum plenum cochleare bibere dabis: triduum tribus poſt cyathis aquæ ſalſę. Antidotos faciens ad omnes dolores interaneorum. Hyſopi cretici unc.II. calaminthes creticæ, pulegij ſine fumo,petroſelini macedonici,ſeſeleos uncias ternas,apij ſeminis unciam I. libyſtici ſemũciam, thymi hiſpani florum unc.I. piperis ſemunciam, gingiber, ſemunciam tuſa & cernita commiſceș cum melle bono deſpumato,& confectum,uitreo ſignatum ſeruabis. Ex hoc,ieiuno dabis cochleare plenum. Diamoron ἁπλοῦν.i.ſimplex. Mora ſyluatica triduo in cacabo mundo habentur: Poſtea exprimuntur ex his ſextarij ſex : quibus iunguntur mellis ſextarij tres commixti : ſimul colantur,& in cacabo ſtannato coquuntur ad tertias. Seruatur in dolio uitreo. Datur ex hoc ad uulnera faucium,dentium dolori. In acerrimis febribus cōſtitutis,tēperatus ex aqua calida,uel ex frigida. Sed in aures ulceratas ad cochleare fundetur,& obturabitur lana. Diamoron ſebaſti,id eſt,ſuccus de moris ſyluaticis, quæ collecta, in cacabo triduo ſint, quarta die experimendi : ex his ſextarijs ſex,croci unc.II. alumnis ſciſſi unc.II. corticis malogranati unc.II. ſuccus de moris,& mel,& ſuccus labruſcæ bene commiſcentur,& colantur;& deſuper imponunt trita,& cribellata, & iungunt. Crocus ante triduum infunditur in ſucco labruſcę,ut facilè teri poſſit. Decocta ſimul uſque ad tertias,uitreo ſeruanda ſunt. Facit ad faucium uulnera,& totius oris : ſed & ad carnes,quæ ſupra dentes naſcuntur. Acopum diaciſſum. Baccas lauri numero c. pilas cypreſſi numero XX. herbæ ſauinæ foliorum libram I. reſinæ pituinæ lib I. germinis hederæ unc.IIII. olei ſabinenſis lib.IIII. fœnograeci ſextarium I. ceræ rubræ lib.I. præter hæc,gummi,reſinam, & ceram,in cacabo infundis in aquę fontanæ ſextarijs II.& olei libris IIII. per triduum : quarta die decoques,quæ infuſa ſunt,leui foco,quandiu aqua abſumatur. Gummi uerò teres cum oleo modico iam cocto,uſque ad leuitatem reſinam autem,& cętera cum reliquo oleo reſoluta,leui foco,colabis,& repefactũm ſupra gummi immixtum,agitabis de ferula. Quod medicamen,dolio uitreo ſeruabis. Facit autem ad totius corporis frigorem & ad iſchiam,& podagram utiliſſimè prodeſt. Ad ſanguinem uomentes. Semen ſalicis unc I. tritum cum uino auſtero permixtum ieiunus accipiat. Sanguinem reſtringit,& uitium emendat. Confectio ſaccomellis. Vuæ acerbę ſuccum ſextarios II. quem ſuccum cacabo ſtanneo per triduum ſeruabis, ſuprà miſſis granis ſalis marini tribus;ita,omnes fæces in fundo reſideāt. Exinde mittis ſucci limpidi ſextarios II. mellis deſpumati ſextarios III. Coques leui foco uſque ad tertias: Quod de ferula agitabis, frigidum factum, uitreo ſeruabis. Facit ad nauſeam reſtringendam,& uentris fluxum,& initia eorum qui ſanguinem uomũt. Sed & dyſenteriæ incipienti,cum aquæ puræ menſura dabis : febrientibus tepidum,cęteris frigidum. Ad ſanguinem de ano fluētem. Malogranati corticem tuſum,& bene cribellatum, in aquę calidę cyathis II. totidemque uini;& cochlearia ſingula pulueris per triduum da bibere,& reſtringit. Ad dyſentericos. Ouum gallinacium cum aceto friges,& dās manducare ei,qui patitur, per dies ſeptem. Ad dyſenteriam. Fragmenta de mola ignifera facies : & cùm bene incaluerint,lapides ipſos in lacte caprino extingues : & illud lac bibere dabis. Ad eos qui cum tormento,urinam faciunt. Siſymbrium ex aqua coque,& tere limpidè,& da. Bibat cum careno ieiunus,ex aqua ſuprà memorata. Ad lumbricos. Herbam centauream decoques ex aqua, in olla noua,& dabis per triduum : bibat cyathos ternos,uel quinos. Ad omnia etiam interanea facit. Ad capillos in capite raſos,ut ſpiſſi renaſcantur,qui ex infirmitate graui ceciderunt. Caput nouacula eradendum,& liniendum ex hac unctione,cuius compoſitio talis eſt. Thus dacicum, gallas, inulam, myrti nigri

ſeminis

ſeminis uncias ſingulas;omnia tundis,cribellas. Poſt ladanum in uino uetere infuſum, unc II. per triduũ deſuper in mortarium miſſum adijcis,& ſimul cõteris uſque ad limpiditatem. Cumque ſpiſſare cœperit, tantum nardi boni campani deſuper mittis,ut in modum ceroti ſtrictioris deueniat. Perfectum,plumbeo reponitur uaſculo. Vtêris poſt raſuram,quouſque capilli denſentur. Ad denigrandos capillos. Gallas acerbas numero X. ſpicam celticam,muſcum gallicum,myrti nigri ſemuncias ſingulas: oua coruina tria; gallas,ſpicam,ſemen myrti,tundis,cribellas,& poſtea in mortario medicinali teris,cum uini ueteris quartario uno,per triduum:quarta die,deſuper adijcies oua,& in uino commiſcebis. Confecta,plumbo ſeruabis. Quando uti opus eſt,oleo lẽtiſcino,& uino ueteri reſoluta infectione utêris,ita ut ſolutior ſit,& poſſit omnibus adhærere capillis. Sanè ſub hora infectionis,oleum intra os habẽdum eſt,ne dentes nigrentur. Medicamentum Philoſophiani,quod dicitur cyſopharmacum,unicè faciens ad paſſiones has. Ad ulcera chironia,ad ulcera recentia,ad luxatum,ad præciſuram,ad ſcabiem in capite,ad parotidas,ſeu glandulas, ad ulcera naturæ,ad contuſionem & tumorem,ad deiecta,& fracturam,ad carbunculum,& furunculum. Etiam ſi in mammillis mulierum ulcera,uel durities natæ fuerint: Ad faucium tumores aforis,ad ſcabiem, ad rhagadium,ad exochadium. Cuius medicaminis compoſitio talis eſt. Ceræ rubeæ,& ceræ punicæ, libras ſingulas,opopanacis uncias II. Oleum aũt ſecundarium,pinguiſſimum tantum mittere debes,ut pigmenta tegantur: reſoluta in cacabo mundo colabis,& ad ſuprà memorata utêris. Diaherpillum acopum. Serpillum,fœnogręcum,iunci radicẽs,roriſmarini libras ſingulas. Hæc omnia in uini ueteris ſextarijs quinque infuſa ſint diebus quinque; die ſexto,olei ſabini mittis ſextarios quinque, leui foco impoſitum, eò uſque coquitur, ut uinum abſumatur. Poſtea mittis ceræ punicæ uncias XIIII. Facit autem podagricis, arthriticis,ſpinę dolori,iſchiadicis omnibus mirificè prodeſt. Et diacitriũ acopum,cuius confectio talis eſt. In cacabo aquæ feruentis deponitur alia ollicula ærea,ita ne aqua illic intret olliculæ: cui hęc,mittenda ſunt. Citreum uiride acerbum,peucedani uiridis pond. I. olei ſabini ſextarij II. ſub ipſa die ſimul coquuntur ad feruorem aquę bullientis: ollicula habeatur,ubi citreum eſt cum cęteris. Poſtquã hęc decocta fuerint,oleum colatur in cacabo,& deſuper mittitur cerę punicę libra I. agitatur,quouſque ſoluatur cera. Confectum,in uas uitreum reponatur. Facit ad ea,ad quę & diaherpillon,id eſt,podagricis,arthriticis,ſpinę dolori, & iſchiadicis. In aure uulnus ſi fuerit,excauas malũgranatum,& mittis illic myrrham,pediaſimos,mel,& acetum,& ad dimidium coquis,& eò mittis tepidum,per folium lauri,oteniten,ſanat. Alij pro myrrha,aphronitrum mittunt. Ad hydropem. Vituli maſculi ſtercore cum aceto acri permixto, ſpiſſè uenter liniendus eſt:ita tamen,ut antè ipſe hydropicus toto corpore dropacetur. Ad hydropem. Squilla,id eſt,bulbus ſub prunis furno aſſatur: Deinde circumpurgatur,& medietas eiuſdem bulbi in aqua coquitur: poſteaquàm coquendo colorem mutauerit,tollitur. Ex quo bulbo ſcrupulus unus, & dimidius teritur cum oxymelle: tribus cyathis calefactum,bibendum datur. Omnem calamitatem per urinam euacuat. Ad hydropem. Lomentum fabacium bene cernitum,& cineres de fornacibus optimè cernitos, æquis ponderibus adunatos,in aqua calidiſſima conſpergis,& facis cerotum in modum cataplaſmatis: induis pannis duobus,ita ut unum habeat in antè, & alterum retrò: omnem calamitatem humoris, aut per anum digerit,aut per urinam. Ad hydropem,quod monſtrauit leoparda. De lupo,ſi uiro,de maſculo; ſi mulieri,de lupa,remedium faciendo,cor ſeca totum,& pulmones. Omnia ſimul comburis,ita ut carbones fiant: quę teri,cerni,id eſt,cribellari,& in puluerem redigi debent,& uitreo ſeruari ſignata. Cùm neceſſe fuerit,uinum bonum,ſed non uetus,mittis in ollam fictilem nouam, & de pulegio,quod fumo tactum nõ eſt,facies faſciculum,& ex eo facis agitari ipſum uinum. Poſteaquàm perbullierunt,facies potionem,& tepefacta potione,cochleare plenum pulueris das bibere ei,qui patitur,per triduum. Ad hydropem. Quod monſtrauit uxor nomenclatoris. In ollam fictilem nouam mittis unam radicem de coſto,& de folio malobathro tres ſurculos craſſos,& faſciculum qui de publico emi debet,fœniculi: bulliant hęc omnia in olla cooperta. Ex eo manè unam potionem bibat,& ſerò,qua hora ſe collocat,unam. Ad hydropem, potio expermentata Cornelio. Scyllę purgatę,id eſt,bulbi crudi minutatim cõciſi pond. I. uini aminęi uetuſtiſſimi ſextarios III. in fictili per triduum infundis,& uas die quarto foco leui imponis, & coquis,quouſque uinum ad tertias ueniat. Sublato uaſe de foco,partes ſcyllę proijcis expreſſas, ſuccum uerò uitro ſeruabis. Ex hoc,quando opus fuerit,quartarium hydropico ieiuno calefactum dabis. Locis autem externis tumentibus,aut inflatis,aut humore plenis,ſtercus bubulum cum parte aceti reſolutum, ſpiſſè imponis tandiu, quouſque ad limpidam ſanitatem patientia loca perducas. Sanè de ſucco priore ter ſingulos quartarios dabis,id eſt,triduo,intermiſſis ſingulis diebus. Ad hydropem,quam frequenter experimentauit Eugamius, Confectio. Columbi agreſtis,uiui,integri,cum pennis ſuis exuſti,in olla fictili in cineres conuerſi: & ex ijs quantum tribus digitis leuare potueris,& herbę ſabinę,tuſę,cribellatę tantundem,& myrrhę trogloditicę quantum tibi uidebitur,in uini meri aphri calefacti cyathis duobus,ieiuno digeſto bibendum dabis. Primo tamen die ſentiet beneficium potionis,ita ut per urinam ſatis mittat. Alij incipiunt ſubitò, & per nares mittere humorem. Ad dolorem uentris,& ad tortionem,experimẽtatum à Cornelio. Calaminthę, (nam ſic eſt herbę nomen) pulegij ſicci ſine fumo,petroſelini,libyſtici, uncię ſingulę: ſiſeleos,apij ſemen, gingiber,iuniperi,thymi hiſpani,piperis,quod in uſu eſt,uncię binę, mellis optimi deſpumati quantum tibi uidetur;omnia hęc tunduntur,cribellantur,& in melle deſpumato coniunguntur. Reponuntur in uitro. Quando uerò opus eſt, in aquę calidę cyathis tribus,ubi apium fuerit decoctum,dandum antidotũ modo nucis auellanę. Τὸ διαλθαῖον, ſi ſub hirco ſcabies exierit,aut duritias facit, & ad loca dolentia uniuerſa,pręcipuè tamen ad humores,& duritias,& apoſtemata prodeſt: ęquè carbunculis, clauulis, & furun-

culis. Cuius compoſitio talis eſt. Spumæ argenti, olei communis, libras ſingulas, galbani unc. IIII, ceræ rubeæ, reſinæ terebinthinæ libras ſingulas, hybiſci radicis faſciculos IIII. Spumam argenti cum oleo in mortarium mittis, & teris uſque ad ſummam limpiditatem. Reſinam, ceram, cum galbano, foco leui impoſita ſoluis in cacabo: deinde colas, & iungis cum ſpuma argenti & oleo detritis. Hybiſci autem radices detergis, & poſtea lotas, in pila tundis, & in mortario fictili, piſtillo ligneo teris, quouſque bene ſit detritum. Paulatim iungitur cum ſuprà memoratis, & terendo adiuuantur: confecta, in fictili ſeruantur. Muſæ trochiſci uirtus prodeſt his paſſionibus: capitis dolori, & oculis ſæpe rheumatizãtibus, ſi ex aceto reſoluto, tota frons liniatur: Auribus humore plenis, aut uulnera habentibus, ex uino auſtero, & melle reſolutum, auribus infunditur. Gingiuis putridis, aut ſanguine plenis, uel dentibus luxatis, in puluerem detritus aut digito, aut melle intra os mittitur. Narium ulcera inueterata diuturno humore, ex uino auſtero reſolutum, & intermiſſum ſanat. Vlceribus omnibus foreſibus, cum linteolis linitum, & impoſitum prodeſt. Fluxui uentris ex ſanguine aſſellantibus, ſeu raſuram cum putredine facientibus, ex uino auſtero cocto in myrto, quantum æſtimaueris, uel certè quaſi merum, per peſſarium inijcis, mirificè prodeſt. Ad ulcera chironia, linteola infuſa imponuntur: & ad carcinomata, & ad omnia uulnera uetera. Ad naturam dolentem, in aqua tritus ſpiſſus linitur, & linteolum infuſum ponitur. Paronychijs ex aqua tritum ſæpe inunges. Cuius trochiſci compoſitio talis eſt. Aluminis ſciſſi unc. III. aloës indicę unc. III. myrrhę unc. II. croci unc. II. crocomagmatos unc. III. calchanthi II. malogranati caliculos, qui primi naſcuntur, antequàm poma fiant, unc. IIII. æris floris unc. II. Cortices tundis & teris: crocum aut uino amineo, aut phalerno infundis. Quod alio die tollis de uino, & in mortario teris. Cùm tritum fuerit, adijcis & cęteras ſpecies deſuper, & ad menſuram cochlearis conteris, cum melle ſufficiẽte, & uino bene ſubactum. Ex eo trochiſcos facis ſiccatos, & in aluta molli ſeruabis, & loco ſicco repones in uitro: ad ſupradicta de experimentis.

Ad lumbricos. Cornu ceruinum ſecas, & ſcobem ipſius cum mellis modico, in aquæ calidæ cyathis tribus dabis bibere. Ad profluuium, à me tertiò hæc duo remedia ſunt experimentata. De capillis ipſius mulieris, qui excidunt, quando ſe ornat cum mataxa, facit in medio nodum, & in arbore quacunque pomifera liget de ipſis capillis unum nodum; quos capillos illic relinquat in arbore aliena. Mulier manifeſte ſanatur, arbor autem arida fit. Ad ueſicam. Carbones de arbore perſica unc. I. pice pond. I. reſina pond. I. oleo unc. II. ceræ unc. II. aceti potionem, laminam cyprinam unc. II. quæ terenda ſunt cum aceto in mortario medicinali per triduum: Quarto autem die decoques. His in cacabum miſſis, ac reſolutis, & cum oleo tranſcolatis, miſceri illud oportet quod in mortario fuerit tritum; adunatum exagitatur, quouſque in modum emplaſtri deueniat: linteolo inductum ponitur. Ad epar, & ad ſplenem. Eupatorium, coſtum, gentianam, ariſtolochiam longam, ariſtolochiam rotundam, baccas lauri mundas ſine cortice, piper, omnia æquis ponderibus tundis, cernis: uitro ſeruabis. Cùm neceſſe fuerit, dabis in tribus cyathis meri uini, ueteris, chalaſtici, cochleare plenum. Si autem febriunt, in aquæ calidæ cyathis tribus. Ad coli dolorem. Thymum hiſpanum tundis, & molliter cernis, & das die primo cochleare I. die ſecundo II. die tertio III. Si febriunt, in aqua calida: ſin minùs, in uini ueteris cyathis tribus. Ad dyſentericos. Cõchylium, anchuſam, amylum alexandrinum æquis ponderibus tuſa, & cribellata, in ouo ſorbili cochleare plenũ ieiuno, & poſt cœnã dabis. Aliud Euſebij, ad dyſentericos. Vuæ ſyluaticæ adhuc acerbæ, folliculos cum granis ſuis, proiectis uerò ſuccis, ſicca utraque tundis, cernis, & in uitreo dolio ſeruabis: ex hoc, in tribus cyathis uini ueteris meri, cochleare plenum. Febrientibus uerò cum omphaco & melle. Ad idem. Membranam exterioris uentris gallinacij, quam coci ſemper proijciunt, ad ſolem ſiccabis, ita ut ſint XXV. tundis, cernis, cum gallis aſianis II. ex quibus puluerem factum, pariter miſcebis cum amylo alexandrino: cochleare plenum ſemel. Ad colum. In balneo poſteaquàm te lotus per ſabana ueſtiueris, & ſederis, dicito intra te, per te diacholon, diacholon, diacholon. Ad calculum, Porphyrij. Braſſicam bene ſiccatam teris & piperis pondus duplum: itaque cribratis, & in ſe mixtis, cochleare plenum dabis in potione. Ad fluxum ſanguinis de naribus, experimentatum. De ipſo ſanguine nomen eius cui fluit, literis latinis in fronte ſcribis ad cannam, & ſtatuiſti. Ad idem, experimentatum. Calcitide trita ſi linteolum in cortinę extremitate tetigeris, & intra nares miſeris, ſtatuiſti. Hoc & ſi de diacharto feceris, idem ualet. Si autem nimius ſanguis currit, hominis pedes in aquam frigidiſſimam depone, & ſtatuiſti. Ad idem, experimentatum. De cacabo, ſiue ęreo, ſiue fictili, fuliginem tritam, per cannam infuſam, ſi intra nares miſeris, ſtatuiſti ſanguinem. De commai, ad hordeolum qui in oculo ab ſe naſcitur. Galbanum, thus, & manna in ſe, ex ęquo pondere commiſces, in linteolo inductum pone. Ad epar. Coctum eupatorium, lupinum crudum, æquo pondere tunſum, creta commixta dabis cotidie in uino cochleare plenum, in tribus cyathis meſſicrati calidi. Ad idem. Guttę ammoniacæ unc. III. coſti unc. I. petroſelini macedonici unc. I. fœniculi unc. II. Hęc quatuor tunduntur, cernuntur. Mellis autem attici libras II. ſemotim bulliant, & ſic deſuper ſupramemorata mittuntur. Ex eo, ieiuno danda ſunt II. cochlearia. Intermiſſis duobus diebus, accipiunt uſque quater. Ad lateris dolorem, ad perfrictionem, ſed tamen recenter bibendo. Hyſopum, origanum coquis pultario nouo. Bulliat ter, aut quater. Et mittis acetum in mortarium cum melle, & manè cochlearia duo, uel tria ſumat. Ad calculos expellendos, etiam infantibus. Vnum calculum porcinum, ſemen cauliculi, cyminum, baccę lauri ſiccę mundę, piperis unc. binę: hęc ſeparatim tunduntur, & bene cribellata, in unum rediguntur, in dolio. Interea dabis cochleare plenum in codera mixto cyathis tribus. Ad cordis dolorem, etiam ſi ſpina doluerit. Laſeris cyrenaici grana tria, detrita mellis, & aceti ęquo pondere, ut faciat cyathos tres, bibat. Ad auriginoſum. Herbam ariſtolochiam, muſcum de tecto, quem fumus non tetigit, in ſe teris, & ſpargis

in corpore

in corpore: uel puluerem ipsum dabis cum uino ueteri bibat. Ad auriculæ dolorem. Malũ granatum sicum exinanis, & mittis mellis cochlearia duo, & aceti glutum unum. Bulliat in se ipsum malũ granatum: de argilla deforis linis, ut bene bulliat: etiam tepidum per folium lauri mittis in auriculam. Ad intestinorum dolorem. Brassicam britannicam conteris, & succum eius in aquæ calidæ cyathis tribus dabis bibere; aut cyminum hispanum dabis. Corpus igitur hominis diuidimus in quatuor partes, caput, pectus, uentrem, atque uesicam. Si autem incipit circa caput causa consurgere, necesse est, ut tenebræ malæ, & dolor capitis consequantur: Supercilia sunt grauia, & cerebri, & temporum pulsus: Oculi manè lacrymantes, hos caligo complectitur, auriumque pulsus. Quando igitur aliquid horum indiciorum ostenditur, conuenit adhibere capitis purgationem sine ullo medicamine cathartico. Nanque aut hysopi comam & origani, & pulegium in melle, uel in mulso datam, ad mensuram heminæ dimidiæ gargarizare expedit. Hac enim nulla circa caput lenior potest esse medicina. Tantum ergo mensuræ colatum in mulsis tepidum gargarizari expedit ab homine ieiuno. Negligentibus autem hæc indicia, consueuerunt ista contingere. Imbecillitates luminum, aures rumpuntur extrinsecus, strumæ in cõfinio colli, in cerebro pulsus, perfrictio, suffocatio in guttur descendens, uua distillat, glandula inflatur, capilli defluunt, caput ulceribus impletur, consequitur etiam dentium dolor. Quando autem circa pectus causa obdurata est, constat ex plurimis, & hęc permonstrari solent. Primùm superius in pectore, & lingua crassior solito, & sputa fellita. In lateribus autem, & in scapulis, dolores sine ullis præcedentibus causis, oscitationes assiduæ, sed & aliàs suffocatio & sitis. A' somno autem, anima non læta, pulsus pectoris, in brachijs & in manibus tremor, & sicca tussis. Quisque aduersum hæc sapienter instans, hanc consuetudinem seruet, ut à cœna uomat sine ullo medicamine. Conuenientes sunt etiam uomitus, quos & ieiuni facere solent, quibus noxius insidens pectori humor extrahitur. Conuenit igitur maiore uomitu, tenues radices manducare, carthamum, semen erucæ, confusam semper & tepentem aquam superbibere. Indicia autem negligentes harum causarum, hæ ægritudines consequuntur: pulmonum labor, phthisis, & nigri fellis ira, acutæ febres, & semper pestilis somnus. Cùm autem circa uentrem ualetudo consurgit, quæ multifariam constat, ista prænunciãt. Torquetur uenter, & turbatur, cui se importunè febris infundit. Potus autem in uisceribus amarescunt, & ex ipsis dolor in omni corpore, nulla necessitate, torpedo in uiribus, & quædam subtilitas febrium. Quando igitur hæc indicia præcesserint, conuenit uentrem sine ullis medicamentis procurare molliorem. Est autem curatio uera tibi præscripta, nihil derelinquas, aut lapatho ueteri, aut mercuriali herba, quæ uirginalis uocatur: Est enim indignationi uentris accommoda. Si autem superior causa protraxerit, quodcunque sit illorum indiciorum, oportet decoctum urticæ haurire succum. Est enim cæteris sæuior, & periculosa res. Illa quoque utilis ratio curandi est, ut caules in mulsa aqua decocti penitus exudẽt. horum aqua melle dulcatur, asperso sale, usque ad heminas IIII. Modicum utile est bibere. Hæc autem negligentes causæ ualetudinum consequuntur. Fiunt cœliaci, sine fine profluit dysenteria, sequitur iliaca, apoplexia, & in inferioribus defluens sanguis, & hærens morbus articulis. Quando autem per uesicam uentura est causa, æque & ipsa multifariam constat, & prænosci solet. Ab escis plurimus uetus emittitur. Crebrã eruptio, fœdus corporis color, grauis somnus, collectum decoloratum, quod tamen difficulter effunditur: circa uentrem tumor excitatur. Quando ergo horum indiciorum aliquid fuerit deprehensum, futuram causam conuenit præuenire: Maximè autem ante dies decem. Quibus curam oportet adhibere, fœniculi & apij radices, maceratas in uino candido, & bene olenti da ieiuno. Duobus cyathis cõuenit bibi: debet tamen aqua permixta esse mensuræ. Quos modicè urina persequitur, ex hoc indicio causæ ingrauescunt, hydrops, iecoris dolor, phrenesis, stranguria sicca. Scripseram autem tibi de temporum curriculis, quę cùm recurrunt, per maximè certa indicia ualetudinem in hominum corporibus ostendũt: unde illis adhibere obseruantiam oportet, ut scias quibus rebus utaris, & quibus rebus abstineas. Faciamus igitur exordium ab hyberno tẽpore. Solstitium est VIII. Calen. Ianua. ex qua die corporibus humor increscit. Quam causam hybernum æquinoctium præstat. Vtere igitur calidissimis, & optimis, & indulge uino: ne peperceris ueneri. Sunt autem ex suprà scripta die in æquinoctium uernum, dies nonaginta duo. A' sexto autem Calen. April. die, usque ad memoratum, incrementa gignuntur. Vtere igitur bene olentibus, & acerrimis cibis, ut impleatur humor. Tuncque à suprà scripto æquinoctij die, quo sol orietur, dies quadraginta octo demonstrat. Ortus enim pleiadum pridie idus Maias habentur. Inde sanguis increscit, febres humoresque gignuntur, in æstiui temporis permutationem. Vtere dulcibus, & minimè consueta uenere exercere, & ieiuna. Sunt autem usque ad permutationem æstiui temporis, ab exordio pleiadum, dies quadraginta tres. Incipit tempus æstiuum VIII. Calen. Iulij. Ipsa hora incrementum fellis admittitur: quod crescit in æquinoctium autumni. Frigidis utere, & dulcibus, & cunctis bene olentibus, & minimè ieiuna: & consuetis ueneris in totum abstine, in dies nonaginta unum. Aequinoctium autem autumni à sexto Calen. Octob. intenditur. Ipsa hora uis nigri fellis augetur, humorum crassitudo consequitur, in occasum usque pleiadum. Vtere calidis, & acerrimis omnibus, & abstine à uenere, minimumque ieiuna. Sunt autem in occasũ suprà scripto dies XLII. Occasus pleiadũ quarto idus Nouemb. Eadem hora rursus hominibus sanguis increscit. Conuenit igitur & te reliquis uti, & indulgere uino, consuetis ueneris insistere. Dies sunt in tẽpore hyberni XL. Istis si uteris, ut missa scriptura demonstrat, integra salute reliquum tempus facile trãsiges, sine uallatione medicorum. Ad capitis dolorem, ut in sole non doleat, radicem pulegij post aurem sinistram baiulabis. Item quando te lauaueris antequam solium descendas, de manu sinistra haurito aquam, & supra cerebrũ ter mittito. Item aliud. Papyrum tenes in manibus tuis, & nominas septem uiduas, quas nosti, &

facis septem nodos in eo,& in fronte ligabis. Item uitis albæ corticem comburito,& miscens cum uitello oui, linias in fronte. Ad morsum serpentium. Gentianam, aristolochiam rotundam, lauri baccas purgatas, myrrham, æquis ponderibus tunsas admisces melli optimo. Ad hemicranion. Canis mortui capillos de capite tollis, de duobus digitis,& pulli mortui,& die sequenti nunimo in linteolo de licio in collo suspendis. Item radices salsas raphani tere, quæ adhæserint tolle,& tere cum aceto acri,& lini hemicraniam. Ad grauedinem aurium. Fel caprinum, mel atticum quātum & fel fuerit, myrrham, oleum rosaceū simul in carbonibus calefacis,& in aurem mittis. Ad uermiculos qui in auribus nati fuerint. Amurcam calefacies,& mittis in aurem. Ad auriculæ dolorem. Porri succum, intybi succum cum nardo calefacies,& intus mittes. Ad aurium dolorem,& uulnera. Herbæ sanguinariæ succorum cochlearia duo, mellis cochlearia II. olei cochlearia II. sicci porri uirginis cochlearia II. hæc omnia simul cōmisces, coquens igni leui,& intus mittis. Ad infirmum, ut dormiat. Semen sesami cum aqua teris,& facies grana minuta, in modum ciceris,& ad causas supradictas, ut dormiat, grana bina uel terna glutiat. Ad tussim. Semen canabis, fabam combustam, pulegium, irin illyricam, piper, hysopum, semen de urtica,& anethi radicem, omnia hæc ad scrupulum semis mittis,& teris in aqua calida. Ad tussim. Herbam marrhubium decoques ex aqua ad tertias,& cum melle despumato dabis bibere. Ad tussim, electuarium. Petroselini unciam unam, gingiberis unc. I. piperis unc. citoniorum coctorum pondo duo, mellis II. pariter omnia cōmisces,& coquis, dabis ieiuno cochleare. Ad tussim. Nuces grandes sine nucleo coques in olla noua,& aquam quantam uolueris, dummodò sextarium bibat ex uino, sanabitur. Item sinapi alexandrini unc. friges,& piperis unc. atque in unum conteris,& contritum in pultarium mittis, adijciens mellis pondo I.& coques usque dum spissum sit,& refrigescat: ex hoc ieiunus sub lingua teneat,& dum se cœperit soluere, transglutiat. Hoc & noctu, cum dormire cœperit, faciat. Ad idem facit,& maximum remedium est. Equi saliuam ex aqua calida bibat per triduum: is qui tussierit, uiuet, equus morietur. Ad idem. Anethi seminis cyathi tres, piperis scrupulos XII. mellis sextarium I. tundis,& cribras, in melle commisces,& sic uteris; manè cochlearia tria,& alia die similiter. Ad idem. irin Illyricam drachmam I. mellis quod sufficiat, quousque sit eliquata spissitudo. Ad coli dolorem. Azymum panē tundis,& per cribellum cernis,& das die primo in uino cochleare unum, die secundo duo, tertio tria; febricitanti in calida: sano, ut dictum est, in uino ueteri. Ad colum. Siliquas aphras tres, piperis albi grana XXI. costi scrup. IIII. post omnia hæc trita,& cribellata, in uino ignito potionem facis,& dabis ei cochleare unum. Hoc per triduum si dolet, ignitum ferrum sic in uino extingues. Item Canabis radicem combures, grana LXXIX. in mortario teris, in uino,& dabis potionem diebus IX. Item lignum nodosum sambucinum mittis in focum,& dum cœperit exuri, paulatim fauillam de eodem extinguis: colligis in uasculo mundo:& rursus apposito ligno ad ignem, iterum & frequentius hoc faciendo colligis, usque ad cochleare plenum: cuique pulueri adijciens canabis grana XIIII. cymini grana XIX. Contrita simul cum puluere adijciens, in calida potione facta, da ieiuno, ut bibat plurimis diebus. Item testas ouorum gallinę, cū primum oua fuerint supposita, post exclusionem collecta: omnia uris,& teris diligenter in mortario: adijcies piperis grana XXI. simul diligenter conteris:& dabis in aqua calida cochleare plenum. hoc facis per triduum. Item caput sardi decoques diligenter in aqua nymphali, quam colatam calidam dabis ei bibere. Item sanguinem anguillæ, cum rubello uino, æquis mensuris cum aqua tepida mittis. Item ad colum. Aphronitra matronalia duo in aqua dabis. Ad mammillarum dolorem. Terræ tubera uiridia,& axungiā ueterem sine sale tunde,& panem: facies cataplasma,& impones. Quibus ungues dolent, siue ad paronychia. Mel coquens despuma, spumam argenti,& æris florem tritum simul commiscens,& unguibus in linteolo impones. Ad eructationem, uel stomachi inflationem. Myrrhæ nigræ baccam contritam dabis cum uino ueteri. Ad stomachum confirmandum, diatessaron. Ciminum, rutam, baccam lauri ęquis pōderibus trita, melle mixto, cochleare plenum ieiunum bibat. Ad formidinem cordis,& spasmum. Folia persici trita ponantur ad cor,& succus horum. Item rutam ex aceto & melle, cum farina hordeacea pectori impones. Ad cordis dolorem, etiam si spina doluerit. Laseris cyrenaici grana tria, detrita in melle,& aceto, æquo pondere, quod faciat cyathos III. bibat. Ad formidinem cordis & spasmo. Rutæ fasciculos in rosaceo oleo,& aceto decoquito,& unge eum, ut sudor desinat: quia cordis, uel animi angustiæ sudorem frigidum generant. In uino mero spongiam macera,& sinistræ mammillæ imponito. Ad fluxum uentris. Gallam,& testam de locusta teris,& mittis in ouum sorbile,& dabis ad uentrem. Betam ex aqua mulsa decoques, sparso nitro. Cum manducauerit, aquam ipsam bibat. Ad lumbricos. Coriandri semen cum melle dabis manducare. Ad fluxum uentris. Lenticulæ agrestis semen teris,& dabis in aqua calida,& mox restringit. Etiam si infans lateris patitur dolorem, bibat nutrix ex hoc,& lactet infantem,& statim infans sentiet. Ad uentrem faciendum. Rubricam mittis in aquam calidam, iuxta modum potionis: dabis potum, etiam si lumbrici sint, subsistent. Ad eos quibus uenter iuxta consuetudinem non facit. Blitum, uirginem herbam, siue mercurialem, apium, damascena quinque in aqua nymphali discoque: quam diligentissimè colas,& facies ex ipsa aqua potum, in quo modicum olei adijcis, datur ei. Ad duritiam uentris. In tribus caricis pinguissimis exprimis lac,& dimit[illegible] in ollam, ita ut penè sit plena, dabis hoc manducare. Qui sunt pinguissimi corpore, ut extenuentur. Tifragi auis uentriculum sicci ad uentrem alligabis, ita ut corpus contingat,& cum homine maneat: a[illegible] xtenuationem quantum uoluerit, ueniet. Ad uentris strictionem. Castaneę coria tria,& mali, ac piri,& rosæ flores, in aqua calida dabis bibere. Ad solutionem uentris. Ouum,& butyrum in se coques,& in linteolo inductum, ad præcordia imponis. Ad suspirium. Lapidem modicum de fluuio qui teri potest, de manu sinistra tollito,

& in

&in uino dabis : aut certè tria grana allij ad tertias decoquito,& bibat. Ad ſuſpirium. Aquam quæ in arbore inuenitur in lacunis, cauiſque corticibus conſiſtens, ſuſpirioſo potum dabis. Item betonicam cernis,cernitam repones:cùm opus fuerit,drachmas tres cum lacte caprino ieiunus accipiat. Item centauriæ herbæ ſuccum,nucis auellanæ magnitudine,in oxymellis cyathis tribus da: bibat,ſanus erit. Ad lateris dolorem,& ad perfrictionem,attamen arcentem nimium. Hyſſopum,origanum coques in pultario nouo,bulliat ter uel quater : acetum mittis in pultarium, & mel,& manè cochlearia duo uel tria ſumat. Ad lateris dolorem. Petroſelini faſciculos ſex ſemis,piper tritum dabis in uino,& in ipſo latere recumbat. Item ſemen abſinthij tundis,& facis puluerem, & commiſces cum axungia ueteri, inducis in pannum,& imponis. Ad lateris dextri dolorem,& ad epar. Piper,coſtum,apij ſemen, æquis pōderibus tundis,& cribellas : in aqua calida potionem dabis,mittis autem cochleare unum. Ad lateris dolorem, & ſi quis pondus leuauerit. Sulphur uiuum,picem,reſinam maculoſam,bitumen tritum, in charta per ſe imponis in balneo in loco, ubi dolet,ſiquidem multùm dolet,& poſtmodū triduo à balneo ſe abſtineat. Ad lateris dolorem. Herbam chelidoniam tritam cum axungia imponito. Item tritam cum uino, da ieiuno,bibat,ſanus fit. Ad Epar. Linum,eupatorium,coſtum,gentianam,ariſtolochiam longam,ariſtolochiam rotundam,baccas lauri mundas ſine cortice,piper,hæc omnia æquis ponderibus tundis,cernis, ſeruabis. Cùm neceſſe fuerit,dabis in tribus cyathis meri uini ueteris calefacti cochleare plenum. Si autem febricitet,in aqua calida,trium cyathorum menſura. Ad epar. Coſtum, eupatorium,lupinum crudum, æquis ponderibus tunſum,cernitum,commixtum,ex hoc dabis in tribus cyathis mellicrati calidi cochleare plenum,per triduum. Hæc potio danda eſt ieiuno. Item guttæ ammoniacæ unc. IIII. coſti unc. I. petroſelini macedonici unc. I. fœniculi unc. II. Hæ ſpecies tunduntur ; mellis autem attici libra I. ſemotim bulliat,& ſic deſuper memoratæ ſpecies tunduntur. Ex hoc ieiuno dantur cochlearia duo: intermiſſis iterum duobus diebus,accipiant,uſque quater. Item piperis grana xxx. baccas lauri mundi ſine cortice,grana x. ſimul in mortario teris,& dabis in uino ueteri cyathos tres,& in eo latere recumbat. Hoc per triduum,ſi febricitauerit,in aqua calida dabis. Item corticem raſum auellanæ,in uino terito,& dabis. Item uulpis ſplenem ſiccas,& dabis tritum ieiuno incondito. Aut certè coſtum, fœnogræcum, oryzam, piper,æquis ponderibus tundis,& condita dabis. Ad ſpleneticos. Ficus, & pilulas cypreſſinas decoque cum aceto,& facis cataplaſma,& imponis. Item pulegium,quæ prius naſcitur,teritur,& in uino dabis. Item radicem ebuli ſiccā, aut certè radicem ſalicis in aqua coques,& dabis ieiuno uinum uetus. Styptitem nouiſſimè purgatum bene combures,& puluerem facies,& dabis. Si infanti,uel maiori ad aſſellandum inteſtinum deſcenderit,facies hoc. Stercus aſini comburis: inde facto puluere in olla, ipſo puluere inteſtinum aſpergis : de aqua non lauas. Poſteaquàm puluerem aſperſeris,uidebis ipſe,ne inteſtinum detergas. Hoc aſſiduè facis,uſque dum ceſſet deſcendere. Ad inteſtinorum dolorem. Braſſicam britannicam conteris,& ſuccum eius in aqua calida cyathos tres dabis bibere. Si infanti,uel maiori ad aſſellandum inteſtinum deſcenderit,ſiue ſanguine puro,ſiue cum ſtercore,aſſellatus,ſublauet ſe de aqua ſupraſcripta cum acacia. Poſtquā delotum fuerit, mittis ſeui hircini calefacti,in aqua calida,cochlearia duo; uel ſucci oryzæ cochlearia duo,& acaciæ cochleare dimidium,in clyſtere commixta mittis. Ad iocinoris dolorem. Lupi cor ſiccum teris cum pipere,coſto,petroſelino,ieiunus ex mero bibat. Item betonicæ faſciculum,& mellis ſextarium decoques ad medias,& dabis per triduum. Ad nauſeas,& uomitum. Oleum coſtum tritum ex melle,& cochleare manducet : uel anethum ex aqua mulſa dabis. Ad ſanguinis uomitum. Glutinis libram,ex aqua potionem dabis,bibat,& curatur ſine periculo. Qui eſcam non continet. Stercus paſſeris parietarij teris,dabis in uino ueteri,ad potionem cochlearis unius, mox eſcam tenet. Ad renum dolorem. Picem,bitumen iudaïcum,ſulphur uiuum,nitrum,trita omnia mixta in ſe imponis. Item herbam artemiſiā à pridie ubi naſcitur,inquires,& alia die ante ſolis ortum,inclinatus,de ſiniſtra manu euelle,ſine nodo concingis te. Ad hircoſos. Thus maſculum,& alumē tere,& aſcellas hircoſas line: aut myrta ſicca. Ad renum dolorem. Ieiunus poſcam tepidam bibat,& inambulet: aut certè ſeuum bubulum manducet;aut certè ſuinum uirginem,ad renem ligabis. Ad dyſentericos. Conchylium,anchuſam,amylum alexandrinum,hæc omnia æquis ponderibus tunſa,cribellata ſeruabis. In neceſſitate,dabis in ouo ſorbili cochleare plenum,manè ieiuno : in ouis tribus ſingula cochlearia, hoc eſt, per diem unum, ouum unum. Item coagulum leporis ex uino uetere delotū,tepefactum,dabis ieiuno bibere,& continuò ſanatur,etiam ſi carnes mittat. Item uuę ſyluaticæ adhuc recentis folliculos cum granis ſuis,prolatis ſuccis ſiccas,utraque tundis,cernis,in dolio uitreo ſeruabis : in neceſſitate,dabis ex hoc tria cochlearia in uino ueteri mero,frigido,uel tepido. Febricitanti,cum omphacino melle modico,ut ſuprà memoratur. Item membranas exterioris uentris gallinacij,quas coci ſemper proijciūt,maximè de plurimis pullis;has ſole ſiccabis,ita ut ſint XXV. tundis,cernis,cū pilulis quas dicimus anagallidos numero V. ex quibus puluerem factum pariter miſcebis in uino,& æquè amyli alexandrini cochleare unum. Permixta omnia in uaſe uitreo ſeruabis. Cùm neceſſe fuerit,in ouo ſorbili dabis cochleare unum in die ſemel. Si autem ita fuerit ſolutio uentris,ut cum ſtercore ſoluto, ſputa remaneant, & generēt conatus & libidinē, tunc oleum,ſiue uermiculus ad hęc dirimenda datur. Et huius clyſteris compoſitio talis eſt. Maligranati corticem,rubi cymas,myrtaſque leues,rorem ſyriacum: omnia hæc mittis in ollam,& excoquis,in uino ſuprà memorato;cochleare mittis cum puluere. Cuius pulueris compoſitio talis eſt. Acaciæ nigrę puluerem factum conteris unc. I. ſtruthij I. ſeminis aſparagi unc I. ligamen hederæ unc. I. rheupōticum unc. I. rheupontici cum pulegio unc. I. oĩa tundis,& cribellas ſubtiliſſimè;dabis cochleare unū cū melle calido. Ad ge

niculorum dolorem. Genestam tunsam, uel semen eius cum axungia malaxata impones. Ad omnem passionem interaneorum, uel febres. Spinæ minutæ flores, & rosæ, succo colligato, & siccato, atque contrito, & melli commisceto: grana etiam piperis parcè adiungito pariter. Si non febricitat, in uino dabis: si uero febricitat, in calida aqua. Ad impacta tibiæ uulnera, aut coti, siue geniculo, ijs occurrendum erit. Lomentum fabacium cerne, & acetum simul immixtum, & diligenter coagitatum: ut cœperit siccare, ex ipso suffundis usque in diem tertiam. Si autem cotis separata fuerit, reponenda est, & non temere mouenda: & hoc superimponendum quod scriptum est: ita, ut cùm cœperit siccare, acetum suffundēdum sit. Ad strophum dicis hæc uerba. Quid irasceris? quid sicut canis iactas te? Quid sicut lepus resilis? Quiesce intestinum, & sta crocodile. Ad talorum tumorem & plantæ. Pampinum uitis uiridem aqua feruenti perfunde: quem conteres, & superimpositum colligabis. Ad luxatum. Pumicem combures, facies cinerem, & cum oleo maceratum, calidum impones. Ad uentris dolorem. Minoris altilis pullos, qui sanguinem habent, teris, & potui dabis. Ad febres, uel hemitriteum. Oua frangis recentia, uinum & oleum rosaceum agitas in se, & cataplasmas uentrem ei, qui patitur: superimponis linteolum, & cùm siccauerit, aliud imponis. Ad hemitriteum, & ad omnem ardorem. Oleum rosaceum, & addis aquam, quam ad focum facies ut ferueat: supermittis lini semen tritum bene, ut fiat quasi cerotum: & in pannum inducis, & ad media imponis, & curabis. Ad febres. Accipis adipem de ansere, aut certè de porcello, crocū, oleum rosaceum, & chamæmelinon. Adipes bulliant, & oleum per linteolum colas. Ea omnia in mortario teris, & linis omne corpus ei qui patitur, & de sabano tergis. Vt non infirmeris. Violam cum uideris, digito medio & pollice decerpe florem, & unum deuorato, deinde alterum, & tertium. Quotquot annis hoc feceris, non ægrotabis. Ad febrem discutiendam. Nitrum & thus teris, & adijcies oleum, & uinum tepidum, & sic perunges. Ad febrem medullarem. Lacertum prendis die Iouis, oculos ei tollis, & in linteolo ligas per singula genua. Ad somnum. Vitem succides, & aquam eius suscipies ad potionem, & calidam adsumes cum uino temperatam. Item caput canis comburito, & puluerem eius ad caput ponito. Ad auriginem. Herbam aristolochiam, & muscum de tecto, quem fumus non tetigerit: in se teris, & spargis in corpus ipsius: uel puluerem ipsum dabis cum uino uetere, ut bibat. Item gith quod nascitur in segete, friges, & in testa teris, & bibere dabis. Ad panniculum. Meu, & cedriam cum axungia imponis. Item palas cypressi, si decoques bene, quasi cerotum, & semen eius deintus proijcies: cętera teris, & axungiam sine sale in se diligenter panno nigro imponis: aut spargit, aut rumpit. Ad siticulosos. Radicem syriacam da in balneo. Manducet autem de aue syluatica, & infriget. Ad tiniosos. Oleo de perna uetere facto, illi caluariam linas, tineas capitis persanat. Item facias ei caluariam, & de stercore bubulo linias caput tiniosum, etiam capillos restitues, ut ualetudinem deterges. Et si adipe ursino sæpius caput ungas, & muscarum sanguine perfrices. Aeris floris presegminū, aluminis scissi, unc. II. acetum acerrimum. In quod mittis squillam, & rutam syluestrem, & corticem pini interiorem: his omnibus diligenter contritis, & in unum redactis, nudum perfricabis: similiter & tertiò facies. Et illud quod primum imposueris, spongia deterges, & iterum fricabis: similiter & tertio facies: post hæc, oleo rosaceo perungas. Item ad eandem ualetudinem, ubi & uulnerati sint, etiam si caua sint uulnera, & medicamine replentur, & ad sanitatem perducuntur. Cerusæ lapides, cortices rorismarini, spumam argenti, æquis ponderibus tundis in puluerem delicatum, & ex eo puluere uulnera curabis. Etiā omne corpus perfricabis, sic sanus fiet. Ad ignem sacrum. Caseum mollem, coriandrum teras, & linas. Iterum bitumē iudaicum, & acetum bonum in mortario teris, & de penna linas. Si quis hæmorrhoïdas patitur, uiridia mora manducet, & cessat dolor. Item stercus bubulum, calido cum aceto mixtum illinas: & si post laueris, iterum linas, & sanus efficitur. Vulneribus antiquis, quibus humor assiduus, medicamenti impositi beneficijs obstat: facies hoc. Ex albo oui puluerem factum, ulceri imponito usque ad sanationem. Ad furunculum. D[illegible]ylos, & saponem teris, & pro cataplasmate calefacies, & imponis. Ad uulnera pedū. Heracleam car[illegible]folia septem sicca teris, & in uase plumbeo condis: & cùm cœperit humor ille curari, puluerem eius in uulneribus spargis, & ad pennam fricas, & saluus efficitur. Ad uulnera pedum, si in tibia. Bulbum liliacium coques ex aqua, donec fiat quasi cerotum: In ollam nouam mittis bulbum, & teris, oleum rosaceum adijcies, quasi cerotum, & inducis; & ponis ad uulnera stercus caprinum arsum, ac cum uino impositum, quamuis à medicis desperata ulcera persanat. Ad solutionem membrorum. Olei pernæ elixatæ pond. I. adipis taurini pond. I. hyssopi succi scrupulos IIII. medullæ ceruinæ scrupulos VI. semis, olei cyprini pond. I. ceræ uncia sex semis, resinæ albæ pōd. I. s. panacis II. casei caprini recētis unc. I. facies cerotum, & perunges loca quæ uidentur esse soluta. Ad somnum. Non dormientem saluabis sic. Opij unc. III. myrrhæ & rutæ, thuris singulos sextarios, & cera mixta pastillos scrupulares efficias, & pro chalastico umbilico imponas: tā somnum præstat, quā etiam uentrem mouet. Serpentes fugātur suffitu cornu ceruini. Idem facit sandaraca, & galbanum, & adipes caprini. Sanè non erunt in ædificio serpentes, si absinthium circa ædificium seras, uel artemisiam herbam, uel abrotonū. Si autem uasa calefacta, in quo putaueris loco, suffoderis, ita ut uasorum labra terræ æques, omnes illuc serpentes conueniunt. Quos cùm incluseris, & obuius feraris, ne intremueris ad scorpiones, & cætera similia: ijsdem enim remedijs pelluntur, quibus alia. De pilis oculorum. Euulsus oculo pilus niger, canos nasci non finit, si sanguis eius, loco pili euulsi imponatur. Ad renum dolorem. Muria renum dolorem tollit. Ad caliginem. Fel testudinis melli mixtum, caliginem tollit. Ad dentium dolorem. Iuncus appositus, dentium dolori subuenit. Ad stomachum. Vrsi natura,

Nota mirum.

stomachi

stomachi dolorem curat: & digestionem præstat, si concauitate, qua gracilius est, caput lupi ex auro accipiat, & uascione circa stomachum suspensa collo, lino portetur: ita, ut nec aqua contingat, nec terra ipsam naturam ursi. Ad conceptum. Gramen corio canis curato, ut oportet, illigatum, steriles cõcipere facit. Idem efficiunt mercurialis, & uerbena, herbæ quæ tam masculinę sunt, quàm fœmininæ. Ad dysentericos; qui nimium fluxum uentris patiuntur. Semen de lapatho agresti teris, & mundas, & in uino uetere nigro dabis. Quotiesque assellatus fuerit, totiens postea ex ista confectione dabis. Item cochleã cum testa & carne comburis, & teris; & lentem nostratem & ipsam comburis, & teris, piper simul tritum mittis, & dabis potionem in aqua calida. Ad dysentericos, uel quibus nimium uenter fluit, ita ut fatigati ad periculum perueniunt, facies, admiraberis. Mora syluatica tempore suo colligis cũ suis folijs, & reponis. Quo tempore aliquis necessitate retinetur, in cacabum rudem mittis, coques illud diligenter usque ad tertias, & das ei potum, & continuò stringit fluxum sanguinis qui in uentre est. Ad dysentericos, & qui sanguinem uel muscilaginem assellant. Gallam rubeam, & gummi album alexandrinum, æquis ponderibus tundis, & cernis, & dabis cochleare unum in ouo sorbili. Idem ex herba argemonia facies, ut eius succum uino mixto accipiat. Etiam si aliquis ferro fuerit percussus, cum axungia tunsa curabis. Idem plantago facit, ut aceto coquatur, si modicum exinde bibit. Ad calculum. Brassicam siccam, & piperis pondus duplum, utrisque cribratis, & simul mixtis, cochleare plenum das in potione, careni cochleare pariter. Ad calculos expellendos, etiam infantibus. Vnum calculum porcinum, seminis cauliculi, unc. II. piperis unc. II. hęc separatim tunduntur, cernuntur: & posteaquàm in unum rediguntur, seruantur in dolio uitreo. Cùm necesse fuerit, tribus cyathis mixtis calidis, careni plenum cochleare dabis. Item calculum quem primum miserit, tolle, & tere, & nescienti in aqua calida dabis bibere. Item semen de herba personaria tere, & dato siue oxymelle, siue in aqua. Ad calculum, & colum. Semen pastinacæ siccæ uentilatum, diligenter purga, deinde uigesimã partem piperis optimi in mortario teris, & in dolio uitreo conde, & signa. Ex hoc, si dolorem febrium habet, in aqua calida quantum tres digiti capiunt, ieiuno dabis. Sin uerò sine febre fuerit, lauet, & ea die in piscinam non descendat, & in sabano incondito sedeat. In diebus triginta ter hoc accipiat, omnino nunquam dolebit. Item semen cleomæ: nascitur autem in locis humidis, & similis est sinapi. Cuius semen, quantum digitis tribus poteris comprehendere, cum triginta granis piperis immittas in calida aqua, & da: bibat ieiunus per plurimos dies. Item semen cauliculi, cyminum, piper, baccas lauri sicca, munda sine cortice; æquis ponderibus singula tunduntur, & in unum miscentur: desuper adijcitur lapis, qui in uesica porcina inuenitur, & ipse teritur cum supradictis speciebus. Confectum seruatur in dolio uitreo. Cùm necesse fuerit, dabis in tribus cyathis careni, mixta calida per triduum cochlearia singula. Item herbam quæ appellatur gręcè petrocorpos: nascitur in petrosis locis: hanc tundis, & ipsam dabis cũ aqua bibere ei, qui necessitatem sustinet, & expellit lapidem. Huius autem experimenti gratiã, ipsam herbam in uesica porcina cum lapide, quouis modo liga: maneat illic triduo: & post triduum aspice, & inuenies uirtute ipsius dissolutum lapidem. Item ad calculum, uel qui cum tormento urinam facit. Lotium capræ montanę bibat, & sanabitur. Ad calculum & colum. Petroselini unc. I. saxifragæ unc. I. iuniperi unc. I. asari unc. I. cassiæ unc. I. pyrethri unc. I. ammoniaci unc. I. squinanti unc. I. prassij unc. I. rorismarini unc. I. rutæ unc. I. betonicæ unc. II zinziberis unc. II. sambuci unc. I. costi unc. I. piperis unc. IIII. inulę unc. II. opij unc. I. spicænardi unc. I. ameos unc. I. rheu pontici unc. I. baccæ lauri unc. I. tritis, & in unum redactis nudum perfricabis. In loco in quo erit, tepidũ facies, & illic quod primum imposueris, spongia detergis, & iterum fricabis, similiter & tertiò facies: Post hæc oleo rosæ perunges. Fabæ fœmininæ si in coitu mulieris præstantur, ad sexum, cui appositæ fuerint, intellectæ uirides bonæ sunt. Nam sponsæ fœminalis uis magna est, siquidem ex paucis infrascriptis nosci tur. Fabæ florentis summitates lectæ, ac tritæ, & uasi terreo mandatæ, & post nonaginta dies extractæ, caput infantis penè cruenti ostendunt. Quòd si per suprascriptos dies retexeris, corpus muliebre formatũ deprehendis. De eruca. Erucæ uiti inclusæ, cum feceris uirides farinas, si diu maneant intactæ, licurcium cum uite formatum ostendunt. De lotio. Lotium humectum aqua pluuiali, & madefactum, ita custoditum, ut non siccetur, firmatur in muros. De ocymo. Ocymum, luna prima tritum, & missum in ollam nouam, florebit, permanens usque ad plenilunium. Quòd si duplato tempore supradicto, condatur in nigra terra, generat spiphiones. Ad coli dolorem. Coli dolorem auertis, si caudæ lacertæ summitatem ipsam, auro clausam, ligaueris circa umbilicum: & si restem intuleris, in qua suspendio quis finierit uitã. Ad morbum regium. Regio morbo tentus, asinum diu & frequenter intuens, medicabitur. Mustelas à pullis auertit, os de armo asini casu inuentum, & in domo, uel in uilla collocatum. Ad scabiẽ equorum. Equo scabiem tollit, si uituli marini adipe, contra pilum unxeris; aut anethum cum piculæ pari mensura, æreo coquas uase, & eodem inducas modo. Ad rigorem. Antacotis lapis omnem rigorem ligatus auertit. Ad oculorum equi dolorem. Suffusionem oculorum equi tollis, si succo hederę, & melle attico inungas. Vt equo pauorem tollas. Equo pauorem tolles, si in dexteræ auris summitate, caudam caponi uiuo sublatã, suspenderis. Vt uinum bonum fiat. Vinum insuaue bonum facies, si decimã dulcis aquæ addideris, & coquas fortiùs ad focum, donec ad tertias coquatur. Oleum bonũ & clarum fit, si in fundo anethum, & salem colloces. Oleum nigrum & sordidum, clarum reddis, si nitri libram coctam carbonibus, tunsam, & cretam in uas miseris. Si autem uis idem iam bonum reddere, oleastri folia cõmodè tunde, & massam libralem in uas mitte. Si autem suauissimum uis facere, folia uiridia oleastri tunde, & in linteolum mitte, et per idem linteolum, oleum colato. Eodem modo iterum oleastrum tũsum macera, & patere dies aliquos

permanere,& traijce. Vt putorem oleo tollas. Si oleastrum sine semine tunsum, diligēter uasi submittas, &in sole colloces, ut calefiat,& post in aliud uas transferas. Pili ne nascantur. Corpus pueri, uel puellę, priusquam pilos emittant, ouis ortigarum linito, in perpetuum nitidum præstas, si sæpius in locis consuetis perfrices. Confectio liquaminis. Mororum partem unam, duabus uini dulcissimi permisce, liquamini bonum saporem facies. Confectio passi. Hyssopi fasciculum, mala orbiculata decem in melle coque per triduum igni lento, ita ut tribus horis diurnis ferueat. Ad hemicranium. Hemicranius pausat, si uermes pari numero sinistra manu lecti, & in aceto optimo permixti, eadem manu linantur loco dolenti. Ad alopecias. Muscarum capita caluis locis capitis illita, uestiunt capillis. Item muscarum capita combusta cum melle, alopecias tollunt. Murium etiam stercus aceto tritum auxiliatur. Si autem uolueris auxilium fortius dare, canis uenam ceruicis solue, & accepto sanguine inducis. Item de muscis supra scriptis inductum caluo, etiam capillos restituet. Ad dentitionem infantiū. Catuli dens, si casu decidat, dentientibus infantibus auxilium præstat. Et equinus dens, seu canis, uel uituli auxiliatur. Et si muri uiuo licium per acum in ore traijcias, & per intestini postremam partem adijcias, & filum collo sustendas.

Semen quid sit, & unde nascitur.

ALEXANDER amator ueri appellatus, discipulus Asclepiades, libro primo de semine, spumam sanguinis, eius essentiam dixit, Diogenis placitis consentiens. Item Erasistratus, & Herophilus, essentiam seminis dicunt sanguinem. Hoc idem Stoici philosophi de materiali semine senserunt, & demonstrationes alij alias deferentes, quasi in unum comprehensas enarrant. Primo igitur ut Herophilus ait, abruptio corporum hoc testatur, quam Gręci anotomē uocant. Etenim seminalium uasculorum interiora atque secretius remota, sanguinolenta uidentur: Sequentia uero, siue secunda, plurimum à præscriptis demutata sunt, inferiora ac proxima, seminis colorem habētia: quo probatur, in seminales uias sanguinem uenire, sed earum uirtutem albescere, atque mutatam in se ministrans ire, qualitatem: sicut etiam in fœminis post partum, si quid sanguinis nondum fuerit uteri nutrimento consumptum, naturali meatu suo, in mammas, & earum uirtute albescens, lactis accipit qualitatem. Secundo, cum illi, qui frequentius usu uenereo depurgantur, sanguinis sustineant per seminales uias emissionem: Siquidem celeritatis causa essentia sanguinis in seminales uenire non sinitur uias. Tertio, Summum quidquam ex summo fieri necesse est. Summum est autem semen ex omnibus in nobis liquoribus: summus est sanguis. Semen igitur ex sanguine generatur. Quartū. Quicunque plebotomati, sustinēt post sanguinis detractionem, pallorem, tenuitatem, debilitatem. Hæc etiam peractā uenere, corpora comitantur: siquidem semen ex sanguine fieri uidetur. Quintum. Semen matrici appositum congelatur, ut declarāt temporis abruptiones: quod est signum seminis atque essentiæ de sanguine uenientis, & ad suam originem redeuntis; quippe præter sua uascula constituti. Sed his omnibus, Diocles, sectator Hippocratis, quem Athenieses iuniorem Hippocratem uocauerunt, assertionibus respondens, contra primam dixit quo modo una atque eadem materies, descendens per quosdam uiarum meatus, uspiam plegma fiet, uspiam fel, id est, cholera rubea, uspiam melancholia, uspiam sanguis: Fit etiam sanguis, semen ex nutrimine, id est, ex cibo & potu, ex quibus & ipsi quatuor humores nutriuntur, & non specialiter sanguinis eius mutatur initium. Alioquin debuit etiam in pueris, seminis substantia seruari, cum materia sanguinis non desit. Item contra secundam, hoc est, quod frequenti uenere uexati, sanguinem quidam excludant, dicendum: quod iugi adfricatione aliquæ interioris colli uiæ, sanguineę uideantur. Denique illis maxime urinam facientibus, partium mordicatio sequitur. Contra tertiam, quod in nobis magis summus uideatur spiritus, non ut illi putant, sanguis, qui neque per se moueri potest. Contra quartam, dicendum, quia plebotomatis non solum sanguis egeritur, uerum etiam spiritus: & eosdem non pallor, siue fatigatio, uel cætera sequi uideantur. Hanc igitur essentiam seminis dixerit fel, aut stercora. Contra quintam, dicendum, quod sepius conceptione declinante, purgationes fiant: & propterea, si quid sanguinis in matrice remanserit, semine congeletur. Ipsum denique foras effusum, & non in matricem ueniens, nunquam in sanguinis reducitur qualitatem, aut cōgelari potuit in similitudinem sanguinis. Diogenes autem Apollonij, essentiam seminis, similiter spumam sanguinis dixit libro physico. Etenim spiratione adductus spiritus, sanguinem suspendit: cuius alia pars carne uiuit, alia superans, in seminales cadit uias, & semen facit; quod non est aliud, quam spuma sanguinis spiritu collisi. Aristoteles autem, semen inquit aliud principaliter uocari, aliud participio. Cuius primum semine feruens quidam in liquido spiritus, atque in complexum uenereum prosiliens, fit cum liquore, qui fit similis igni terreno: est enim corruptiuus. Ille autem, qui diurnus atque æthereus est, si quidem fit nutribilis, germinū atque animalium, clauso feruore seminis in liquido cōparabitur. Participio autem dicunt appellari semen, spumam ultimæ digestionis nutrimenti. Primum etenim cōsensum cibos in ore accipit: secundum in albo: tertium, cum in sanguinē mutatū est. Igitur superantia supradicta nō inutilia, ut urina, uel stercora, sed ut illud quod in panificio separant panifices, fermento relicto, alterius panis confectioni profuturo. Quærunt etiam, qua causa cōferuens atque crassum, post digestionem, aquatum atque frigidum fiat, cum necesse sit. Attendunt esse ex duobus, hoc est, aut terrenum, aut aquosum. Diocles his assertionibus rñdens, ait in libro trigesimo octauo: Hippocrates, quem primarium medicorum appellamus, suo testimonio affirmauit de seminis natura: eo quod ex nutrimento, quod græce trophin appellamus, sicuti & omnes humores, ut musculi, nerui, uenæ, & arteriæ,

& arteriæ, uel reliquorum membrorum, seu cordis, & cerebri, ubi principaliter anima consistit, suum alimentum, uel nutrimentum percipiunt ex cibo & potu: sic itaque & seminales uiæ, quas græce spermaticos poros appellamus, ex nutrimēto replentur, & sic calefacti, incitati à uenere, deriuatio seminis fit. Quę & ipsę uiæ seminales, à cerebro initium alimenti percipiunt, ad conficiendum animal. Ad hęc consentiens Diocles ait: Cur Aristoteles definiuit terrenum, aut aquosum esse semen? Inanem atque uacuam definitionē opposuit. Sed si aquosum, cur feruore nostro crassescit? cùm liquida magis frigore post digestionē soluuntur: etenim terrena feruore solidantur, nec tamē frigore soluuntur. Sed hanc quęstionem differens, ait, semē contineri terrenum ęqua liquoris & spiritus essentia. Efflato autē feruore suo, aquosa remansit quasi itas, sed gelatur: siquidem terrenam quoque habebat substantiam. Album siquidem fit spuma. Denique culpādum inquit historiographū Herodotum, & Theseum medicum. Historiographum Herodotū siquidem, quòd dixerat, semen ethicorum nigrum uideri. Theseum uero medicum, quòd elephantorum semen ita post egestionem solidari dixerit, ut electri similem substantiam sumat: sanguis etiam non paruus, & ita ueniens in uentrem motus, ut à plerisque epilepsia minor diceretur. Quo fiet, ut melius quisquam dixerit, quòd sit quidem alba spuma, sed non solida. Lac enim quoque eius coloris ostenditur, nec tamen ilico seminis essentia, seminis deriuatio. Ad hęc Diocles: Quippe cùm sit omnis spuma leuis, atque fistulosa, & inanibus capillis uacuata, & facilitate scissibilis, solubilis: semen autem, ut à cunctis prospicitur, uel intelligitur, est graue, tractuosum, glutinosum, & non facilè solubile, neque fistulosum: ostendo & alia multa non esse semen essentiam sanguinis. Omitto plurima, & à plurimis animalia sine sanguine memorari, ut puta, pulpas, sepias, lollia, ostrea, spondylos, pernecas, prosacines, qui sua uirtute nauim bellificantes, opposito ore, uel mordente immobilem retinent: Nec tamen hæc omnia sine suo semine procreari possunt: quomodo etiam in usu uenereo spuma generari. Persuadent autem cadentibus membris, cùm in apertionibus corporum, quas anatomas uocamus, pastus in suis uasculis reperitur. Asclepiades autem consentiēs, ait essentiam atque seminis uniuersalis hominum, uel animalium, itē principalis corpusculi intellectu sensim: subiectam autem sibi pastillitatis cruditatem, hoc est, nouum cibum acceptum, siue noua subinde nutrimenta. Vult enim ex crudis fieri redhibitiones: ut accepti cibi disiecta materies, in corpusculis minutata, seu cocta, & in lacteum humorem mutata, omnes per corporis partes ac particulas discurrat. atque ita in nares ueniens, mucilentum faciat liquorem; in uesicula iecoris. Fel non aliter etiam in seminales uias cadens, ea cum naturali uirtute, siue fabricatione, semen fieri, ut beatissimus Hippocrates affirmat. Lapidem dicit Hippocrates in uesica generari superatione feruoris, cùm attracta, seu descendentia urinæ fęx ore in uesica resident, ex feruoris densitate, nimio perfusa liquore, seu calore: sicut inquit, uidemus fieri etiam in fictilibus uasculis, quæ humecta admixto liquore molliore, fornacibus ingeruntur: tunc desiccata feruore, in lapideam soliditatem ueniunt. Quæ & ipsa uesica, uelut uentosa ab artifice posita, ad se humorem attrahit, & ex omni regione corporis, ad orificium eius decurrit; & sicut humor tenetur, à lacte secernitur: sic itaque urina à cibo iam cocta, atque in sanguineum colorem mutata, uel lactaneum secernitur, effluens ad inferiorem locum in corpore, ad id prædispositam uesicam, per uritidos poros, suscipiens, in se urinam uiridis coloris. Quæ & ipsa uesica habet super se duos renulos neruosos, non ad suscipiendā urinam, sed ad respirationem, uel uaporationem. Lacte autem fieri, uel nutriri dictum est ex nutrimento: quòd si quid fuerit crassius, ac pinguius, exprimit, uel excludit uteri per angustias, aut meatum: quo expresso, & in humecta ueniēte, pinguities egeratur, in mammarum, aut fistulosas uias ueniens, lactis accipiat qualitatem. Pubertatem & barbam nasci eodem tempore, laxamento cutis; quod laxamentum fiet emissione seminis: antè enim fieri non potest. Nunc igitur naturæ nutrimentum per laxatas uias corporis exiens, aeris frigido tactu, nimia dēsitate coactum, in capillos uenit. Denique eunuchi barbire nō possunt, quia semen non emittunt. Denique & infantes nati minimè ambulare possunt, ut reliqua animalia: quæ mox ut nata fuerint, ambulant, infantes uerò minimè: ob hoc. Quia omnis calor in capite est constitutus. Omnes uiri artus phlegmatico humore sunt corroborati: eaque ratione, neque nerui, seu musculi suum officium ritè adimplere possunt, nisi ex cibo & potu incitatus fuerit calor, qui in superioribus locis est cōstitutus, id est, in cerebro, qui durinando omnem corporis regionem calefacit, atque soluit. Neque mulieres barbire possunt. quanquam etenim semen emittere uideantur, non tamen ita emissionis tempore, ut uiri, mouentur, quò possit cutis fieri laxamentum. Hinc igitur delicatiora & frigidiora sunt mulierum, siue eunuchorum corpora: & non osculatæ, neque minimè incitatæ si fuerint, aut concussæ à puerili semine, ante hoc tempus semen emittere non possunt, ut uiri in fine uitæ: neque in his necessariò prohibetur usque ad superficiem corporis exire nutrimentum; & propterea supradictā loca capillis deseruntur. Hic de septem annorum causa nascendi, conijcit compendiosam fœtus perfectionem fieri, quotiens summo temperamento primordiorum, confectum semen in matricem uenerit. Ipsa quoque similiter temperat etiam nutrimenta minimè insidiosa. Etenim in nono mense, magis partum fieri, perfectionis est causa. Quæ cùm forte septimo fuerit mense commota, rarò quidem, sed rationabiliter fiet. Octauo tamen mēse non facilè nutribiles sunt; non est amilicatus fœtus, pro ratione ponderis. Septimo mense, ad inferiora loca descendit ex superioribus spatijs. Dehinc si fuerit perfectus, rumpens membranas, nutribiliter excluditur. Hinc quassat membranas, & totam matricem; qua ex quassatione, generatur tumor. Rumpere autē cum non potuerit supradictas membranas ac matricem, siquidem nondum conueniens habet pondus, ac perfectam fortitudinem, necessariò permanens, uenit in octauo mense, & laborem facit prægnanti, donec tumor quassatione gemens resoluatur. Qua desinente, nonus mensis rursum uenit. Leuior causa est autē

partus, secundum Hippocratem, uteri perfectio, ex qua fiet nutrimenti inopia, & eruptio membranarum. Quandiu enim paruus fuerit fœtus, sufficiens carpit ex matre nutrimentum. Cùm autem ad perfectam uenerit magnitudinem, plurimo necessario indigebit, quàm ualet grauida subrogare. Tunc incommodis affectus est nutrimenti. Ad quod acrius commotus, rumpit membranas: & celeritate eruptionis prominet. Fit etiam umbilici marcor, cùm iam non poterit ualere nutrimenta ministrare. Tempore autem instante concipi, atque collocari manifestum est, septidomum uerò septem spatiis contineri; septimo mense dētes nasci, aliquibus nono: septimo anno infanti dentes cadere: bis septenis pubescere & nucleantibus mamillis semen generare: ter septenis & uno anno barbam maturare, septidomis ægros periclitare. Quid minus? Septem stellis omnia ministrari, sic infantem in utero ferri atque componi; cursum solis & lunæ duo decadion terminare. Est autem numerus septies multiplicatus: Ita partum consummari. Sed figuram hominis infans accipit primo quadragesimo aliquando: aliquando & trigesimo die, sicut ait Hippocrates in libro quadragesimo nono de infantis natura. Et uidi quandam mulierem in partibus Gazæ, triginta dierū abortum fecisse masculum, cuius omnia membra ex integro confirmata conspexi. Nam & cor ipsius quasi granum papaueris magnitudine existimaui. Hos autem numeros, ut partus edatur, septies multiplicare oportet: ita ut quicunque die trigesimo in utero materno figuram hominis accipit, septimo mense nascatur: hos dies septies multiplicabis, & efficiuntur dies CCX. qui fiunt menses septem. Qui autem quadragesimo die figuram hominis acceperit, nono mense intrāte, decimo die nascitur. Septies multiplicabis, dies efficiuntur CCLXXX. qui fiunt menses nouem. Itaque die decimo, ut diximus, septimo, aut decimo mēse, qui nascuntur, uitales erunt. Manifestum est, infantem in utero temporibus firmari. Quomodo? Intendite. Primo mense iactus seminis nostri in utero materno congregatur in umbilicum, in hoc est congregatio. Secundo mense, expressio est corporis. Tertio mense, quia priore formatum est corpus, ei tribuitur anima. Quarto mense, ungues accipit, & capillos ducit, & motum facit infans in utero materno. Ideo, quarto mense prægnantes nascuntur. Quinto mēse facit characterem patris eius, aut matris, aut adulterū demonstrat. Sexto mense adijcit neruorum confirmationem. Septimo mense, medulla consolidatur. Octauo mense ossa durantur. Nono mense, maturatum mouet infantem effectus naturę rerum beneficijs. Decimo mense, de tenebris ad lucem exit, tardæ ætatis ingressu maturatus, & proficiens. Igitur cor aliquando cùm ex pulmone impletur, si quid per superficiem cutis uenerit, recusat, atque recludit: aliquando cùm pulmo deficiens, cordi non dederit; si quidem eo tempore, cùm accipiendum officium uisitatur superioribus haustibus, tunc rursus corpus ex toto corde sumit aerem sibi consuetum; atque ita respirationis perficit officium, differenti tempore inducens frigus, semper corpori necessarium. Sic enim supradicto exemplo ignei splendoris, seu radij, ex partibus loci in corde constituti, in quo anima consistit, usque ad omnes fines corporis istis superuenerit, & consensus in illis partibus fiet, in quibus etiam irruentia perficiuntur. Sed speciales quoque, uel quæ in ipsis geruntur, expones, aut unam esse ex corde, ad quam eandē uirtutem sensificant, quæ ad animam transmittet, sed pro uiarum diuersitate fieri differentem. Cùm enim inquit, unus suis uisalibus fuerit constitutus, uisus perficitur: cùm in audibilibus, auditus: cū in odorantibus, odor: cùm in linguæ partibus, sapor: cùm in toto corpore, tactus. Sicut enim una atque eadem cibi materia, prouidentia uiarum nutrimenta ministrans, nunc neruos, uel arterias, nunc uenas, aut ossa, uel musculos transit; non aliter sensificat uirtus animæ, secundum accipientium uiarum differentiam.[b] Si per omne inquam, corpus mundæ essent uiæ, ut in oculis sunt constitutæ, per totum corpus forsitan uideremus. Nunc autem, qui secundum uiarum differentiam, hoc fieri non potest; rectè uisum inquit, hoc genere celebrari: cùm ex corde sensifica uirtus limpida, atque splendens, ad oculos prouenit, infusa per humorē uitreum, quem Græci hyaloiden uocant: Exinde rursum redit ad sphæram, hoc est, oculi ultimam interiùs tunicam, quam Græci crystalloidem uocant, seu phacoidem, aut disaidem: tunc tenuans atque splendificans sphæram, ad eius centrum ac mediam partem, quam appellamus phacoidem, confugit. Exinde ad pupillam omnis concidens, celerrimo lapsu per eius raritates, accipit casum, tanquam ex suffecto secundum sphæram à uertice, ad tenuem pupillę uiam conductum: atque ita irruens uisibilibus rebus, hoc est, quas uidemus, earum facit apprehensionem. Sicut inquit, ignis uicina corpora exurit, distantia calefacit, remota illuminat: longiùs autem constituta, neque urit, neque calefacit, neque illuminat, dissoluta omnino seu perdita uirtute: sic etiam anima in cordis altitudine habens rationabilem uirtutem, quam tendit usque ad corporis fines, omnes sensus perficit: sed ab his decidens, in aërem eundem euanescens, in alios sensus scinditur, neque iam seruans sensificam uirtutem; dehinc quòd in uisu sensifica uirtus, per multa uenit corporis membra, ex angustijs ad mundas uias, & propterea pura atque illibata peruenit, & splēdens, proprio uigore seruato: Accedit etiam, quòd secum plurimum luminis ex anima trahat, ex corde perfecto, in similitudinem radij, per uisificas uias irruat, & ab hoc corpore in aërem cadens, longo itinere non intereat. Ad alios uerò sensus, uirtutes uenientes, per apertiores feruntur uias, ad plurimum spiritali ac ualida materia circunseptas, quorum admixtione obscurantur: ob hoc mox corpore in aërem uenière, intereunt, plurimo sibi aëre permixto.

De linguæ natura.

ETENIM linguam fine suo naturali esse constituit: dehinc mollem, atque laxiorem: siquidem gustandi capacem. sed sinu suo fabricatam: ne traducta ab aliquo, qui in se esset, succo, & rarefaceret, & iudicium eorum qui extrinsecùs irruerint, subuerteret. Mollem autem factam, quò facilius, seu celerius per eā

sensifica

sensifica uirtus currens gustata apprehenderet. Laxioris uero naturæ atque raram, quò celerius præuenta transuoratione eorum quæ sumuntur, iudicium fieret.

De cerebri natura.

ITEM cerebrum sine odore esse constituit, atque sine sono: siquidem in ipso fit apprehensio odorandi, atque tangendi, seu audiendi. Sed sine odore inquit, quid possit? nunc uero à supradicto officio ad suum odorem atque nuncians abiret. Irruentium iudicium autem sine sono, ut silentio, capitis, uoces acciperet ac probaret. De quo etiam testam natura iugem, omni ex parte circundatam confecit: ut sumpta sensuali uirtute, facile iudicium fiat ad irruentem uocem.

De uocis natura.

VOX nascitur ex totius corporis spiritu, uel pulmonum, qui sunt in modum follis ferrarij, in dando, & accipiendo spiritum uenientem & pereuntem in capite, & resonantem: & sic uocis densitas ab uniuersis auditur. Sic denique nocte uoces, densitate aëris perseuerantes, longiùs & à longè constitutis audiũtur, perdurante aëris laxioris causa. Dissipatæ, etiam proximorum, difficiliùs audibiles fiunt.

De tactu.

TACTVM autem esset inquit sensum capientem. Sed si lenia fuerint, atque ęqualia, & tenuissima, exterius, siue interiùs irruentia, corporum suauitem facere: si autem aspera & concissa, dolorem.

De purgatione fœminarum.

FIERI autem purgationem fœminis ait: Siquidem concaua, atque inanis, & feruens, & uenosa sit matrix: ut ad inanitatem humecta ueniens, materiæ ingerat feruorem. Venas quoque naturaliter materiosas corrigit: ut post implementum uasculorum, osculatione interiùs facta, sanguis excludatur. Vt autem per singulos menses hoc fiat, causa, inquit, extat: quòd tales sint uiæ, siue pori, ut mense repleantur, & post implementum, rursum osculatio fiat, ac deinde purgatio sequatur. Quæ adhuc nouellis ætatibus fieri non potest, neque declinantibus. Siquidem in nouellis nondum sint uiæ dilatatæ atque capaces materiæ plurimæ. Item in declinantibus, siquidem conciderint: uia etiam frigida atque torpens. Naturaliter autem suspicatur, matrici compati mammas.

De semine.

ITEM masculorum semen, suam habere naturam, ut ossa, uel neruos, aut carnem, & his similia, & non ex alienigenis fieri. Ostendit enim ad generandum mense nono, uel iam fœminam conuenire. Seminis aut iactum, ait, non nisi solùm iaculando fieri. Non enim sufficit hoc intantum penetrare, ut fundum matricis teneat; sed ipsum quoque iactum seminis, siue excussum rapere ad se adducendo, atque suæ inanitati concedere: ut iaculum piscaturus: & ut medicinalis cucurbita apposita, carnes ad se adducit, adiuuãte feruore: uelut lucerna & flamma oleum ducit ad se. Dehinc forsitan etiam, ut delectatione conceptio fiat siccitas, rapit eam. Quòd etiam ad pœnitetiam quandam seminis afficiantur fœminæ, probatur ex eo, quòd ante coitum agantur stimulis. Sic denique, si prior fœminini seminis cursus in uasculis concidat, masculi ex eo nascuntur, superueniente simili semine. Si uero antecesserit uirile semen, & in uasculis ceciderit priùs, superueniente fœmineo semine, fœminę nascuntur. Hinc est rationi humanæ consentaneum, quòd uirili semine puellæ nascantur: ex fœmineo semine, pueri nascantur. Si ita que utrorunque semen permixtum, obuiando sibi, in uasculorum cauitatem ceciderit, hos uiragines appellamus. Exinde prudentes atque pulchri nascuntur, ex uno consensu, nihil in se retinentes iracundiæ. Denique si ex uno consensu permixtio seminis non fuerit, sed uacanti animo incitatum fuerit, seu in uasculis ceciderit, debiles atque sine intellectu nascuntur: eò quòd ipsum semen minutum moueatur, non ut pingue rationabiliter, sed aut cholericum, aut aquosum, aut cœnosum, aut corruptum, sæpius muti, aut surdi, aut rari: eò quòd non sit integrum semen, nec tempore competenti. Geminorum genus nos dicimus; eò quòd in orificium uuluæ duo aditus abire noscuntur: ubi si uicissim, uel si diuisum in duas uel tres partes semen in uasculorum capita ceciderit, gemini, uel trigemini nascuntur. Icterum inquit fieri, quòd turgescente iecore, seu tumente uesicula, quam fel appellamus, debilitationem superatione nutrimenti causetur, & non potest ad digestorias uias, seu rationales peruenire: unde fit totius corporis obduratio, stomachi, epatis, splenis atque pulmonum, siue intestini cæci. Et propterea prohibetur fel ad uasculum permeare, quod gręce hoḋ ledon uocamus: & ita agitata siue perfusa corpora, aut uiridescere, atque deformes & pallentes cutes facere. Somnos inquit fieri, animæ atque corporis indulgentia, id est, sedato feruore, qui insomnietatem facit, qui calefacit & desiccat metucas cerebri. Temperatis & humectis itaque metucis, dulcis somnus corpora reformat. Bolinum inquit fieri ex ariditate & siccitate totius corporis, & obstrusis uijs ex melancholia, quæ est tardior ad curandum; ex quibus uijs fames, siue appetentia, ciborum fiet. Dysenteriam inquit

fieri, uel lienteriam, nimietate frigoris, ac liquidorum humorum, quam græce dacchodes uocamus: quæ descendendo & exurendo intestina, dysenterias, uel lienterias facit, ex defluenti carne uenientium atque uetre ruentium; quæ nutrimentis admixta, seu cibis sumptis, corruptione sua neque sursum carnis uias accipere sinat nutrimentum, aut corpori propriare. Cordapson autem & ileon fieri humore generato dixit in ore coli, argillosorum, liquidorum humorum obstrusione: sed cordapson inferiore osculo fieri dixit, quod est oppositum, uel spectans intestinum, cui nomen est arcon. siquidem neque stercora in ipsum, neque uentus irruat, neque clysteris iniectio accipiatur, omnibus concidentibus & obstantibus iniectionali. Aulisculeon uero in superiori osculo fieri, quo liquor tenue denique expectat intestinum; & inflationem seu uentos, & stercora aliquando irruentia accipiat, & clysterem quoque: siquidem inferius osculum non sit obstrusum; sed non liberum transitum ad ileon fieri, concepto seu retento spiritus iaculo, & prohibente nutrimenti naturalem meatum. Hoc sæpius continget incipientibus, & qui causas non intelligunt, aut per uerecundiam, seu potentem personam; sicut in clepsydris; cùm acceptus spiritus prohibet transitum liquidorum humorum; seu sursum exusto atque conglutinato nutrimento, transitus intestini atque eius fieri recessus non sinatur: uel duratis intestinis, nimia ui spiritus, ita ut prohibeatur irruere nutrimentum.

Quo modo esca, uel potus per omne corpus distribuuntur.

TRIA inquit officia, atque discretiones in corpore nutrimentum sustinere. Quorum primum in uentre mixtum constituit, calefacto atque decocto; secundum in uenis; tertium in particulis: quia pro mẽbrorum dispositione, supradicta accipiunt. Sed ex primo officio atque discretione, si quid inutile fuerit, in stercora per intestina deuenire. Ex secundo autem, quod uenis perficitur, superfluum in urinam transire, atque in uesicam decurrere: quæ sub uentosali artifice posita, ad se humorem attrahit, uel ex omni parte ad orificiũ eius decurrit; sicut humor tenuatus, à lacte discernitur. Item ex tertio officio, quod in partibus posuimus, quæ in se supradicta suscipiunt nutrimenta, si qua superflua fuerint, tanquam aliena per sudorem egerint. Tribus ergo, ut supra diximus, officijs ac discretionibus, non rectè constitutis, non digeri cibos, & in alborem inquit uerti, putredinem, seu fermentosam sumere qualitatem: quam zymosin appellauit: quod & ante ipsum cæteri probauerunt: & in exaltationem transire, seu mutari, ut neque adduci spiritus, neque humoris esse uideatur, sed inter utranque naturam, neutrum probetur. Horum igitur utrunque custodiens anima, externum frigus inducit, hoc est, aëre partitum est. Huncque adduci nõ solùm per nares, uerumetiam per totum corpus, officio commutato. Quando enim per nares inferius adducitur, per fauces ad pulmonem fertur: exinde pars cordi, pars thoraci transmittitur: tunc impletis locis, inductus aër, per uias totius corporis denuò totus regeritur. Quando autem ex pulmone, atque corde, & uentre redditur, rursum per fauces reciprocus fertur ad narium atque oris uias: tunc uia seruata, rursum per totam corporis superficiem inducitur per eiusmodi, quà per supradictas uias exierit. Sic etiam per podicẽ atque intestina, ac uentrem; quòd etiam per totam corporis superficiem, seu cutem respiratio fiat, manifestum est ex eo; quòd cùm medicaminum atque unguentorum uirtutes usque ad altiora uiscera perueniant, necessariò materiæ tenduntur, & oppressione uentris perurgentur. Etenim per superficiem, seu cutem corporis, & rationabiles uias, id est, digestorias, inuisibili dispendio insumptione facta, sequitur ut inanitas non ualeat substantiam retinere, id est, cibum, uel potum: cùm semper irruenti materiæ cedit: atque ita opprimente uentre, nutrimenta partis uniuerso corpori traduntur. Sic itaque compresso stomacho, idem domino corpori escas quas suscepit, crudas atque acidas seu limosas ad superiora reiactat, atque euomit, impellente feruore. Anedum inquit fieri, quem nos redhibitionem uocamus, cùm per inane in obstrusione uenæ, quæ ex corde sumit initium, seu pulmonem, cum cogitur transgredi per eam à corde, reciprocus ad materiam quæ spiritum spargit, per omnem corporis regionem: & ob hoc, non sinens spiritum recto ac solito cursu moueri, usque ad corporis finem; sequitur ut turbatus, mentem commoueat, & casum corporis faciat, atque adductiones & raptus diuersos. Aut si fortè omnia, quæ in nobis liquida, seu argillosa, & crassiora, & feruentia sunt, hæc fuerint obstrusa, secundum eos meatus, quibus & respiratio credita sequeretur. Certante autem inquit, interiore spiritu, seu feruore cum festinatione exeundi, & obuiante frigore festinationi intrandi, turbari mentem, & spiratione retentatos artus fieri, seu casum, seu malefactionem, uel clypsim animæ, usque dum calor ex altioribus locis mutatus, seu abductus, obduratas, uel clausas uias subtilitate caloris interrumpendo, peruias faciat, quà sanguis uel spiritus consuetudinarium sibi iter consequatur. Hinc fit epilepsia, compatiente sibi bulimi passione, quæ fit ex ariditate & siccitate totius corporis ab anno trigesimo usque ad quinquagesimũ. His frequenter ego carpision epithymo permixto, seu samsuco, uel abrotono, seu carui semen cum asaro, in hyssopi aqua decocto, ieiuno bibẽdum dedi, & ad meliora prouocaui. Opium cyrenaicum ad odorãdum naribus opposuimus. In locis refrigeratis, bene olentibus repausandi locum accipiant, seu ubi flores herbarum dispersi fuerint. Ab inquietudine uociferantium custodiendi erunt. Sternutatione reflationem inquit fieri limoris in cerebro constituti, cadentis per nares. Simili modo etiam aurium tinnitum, superantibus liquidis in capite ac reflatis, decidente spiritu. Hinc sepe etiam aurium dolorem nasci, uel ex concepto spiritu & assumptione, atque erumpente & extendente partes. Item fluẽtis humoris acrioris causa per auditorias cauernas, exulceratis finibus, trãseunte humore in loca uulnerato. Oscitationes item fieri, coaceruati spiritus atque erumpentis causa, & illati, per solitas uias decurrentis, mouente spiritu à parte, siue extra cordis pulsum. Ob hoc, cum lacrymarũ

fluore

...re ad superiora fertur. Tetanici uero fiunt in statione sanguinis arteriæ, qui ex corde fertur, fieri. Spa... opisthotonum fieri, inquit, spiritus conceptione, siue sumptione interius secundum spinam consti... & qui uenarum inferiores regat partes. Quando enim, inquit, conceptus spiritus in exitum cœperit ...urgeri, nec tamen ualuerit exire, angustiarum causa irruens, uenarum summotationibus, totius corpo... atque totis ceu sumptis alis, uiæ occlusionem, atque attractionem neruorum, musculorũ quoque facit. ...ripleumoniam uero inquit fieri, astante sanguinis plenitudine, aut nimio tumore facto, quę pulmonem ...netrant, unde & respiratio impeditur, oppressione pulmonis, & densatio in uasculis, hoc est, uenis: item ...am obstrusionem spiritus generari, aliam liquoris acrioris incerti, & transitum uiarum non habentis. Si... ...liter & pleureticæ passionis duplicem dedit substantiam. Ictericum inquit fieri, qui apud nos aurigino... ...s seu arcuatus uocatur: nam uulgus morbum regium uocant. Fit obstruso meatu, qui ad uentrem ducit ...ex eo, qui ad fellis folliculum tendit. Suspicatur enim, si quid in sanguine fuerit acrius factum, hoc per spi...tionem tenuem, ad iecoris ferri uesicam, quam fel appellamus: atque ex ipsa exuberatione facta, aliud ad ...esicam, aliud ad oculos, aliud ad superficiẽ totius corporis effundi, fortificandi corporis causa, seu per uim ...turalem pergere: quò extra corpora atque debilia, ex hac materia admonitionem atque deformationẽ, & fellis egestionem atque exuberationem in se suscipiant. Singultum uerò inquit fieri, spiritu accepto in ...uasdam uocales uias, & decidente paulatim in uasculis, ubi frigidus liquor repositus est; sicut ex aqua ui...demus uesiculas surgentes, descendente pluuia, atque stillicidio. Hydropem inquit fieri sanguinis corru...ptione per frigidum torporem. Feruore enim naturale nutrimentum in sanguinem cogi estimat: quo ex...stincto, per morborum tarditatem, supradicta materia inaquetur, destinata in sanguinis uentris substantiã: ...deinde in loca uenarum, quæ periton membranæ, & intestinis interiecta sunt, & diffuso liquore obstru...entẽ hydropem nasci siue persici ad tumorem totius corporis. Diuisam esse dicimus medicinam in partes ...quatuor: regularem, quam dię tam uocamus: manuum officium, quod chirurgiam uocamus: medicamẽ, ...quod pharmaciam uocamus: prænoscentiam, quam prognosin dicimus. Corpus autẽ nostrum ex tredecim ...commixtionibus constat: neruis, uenis, renibus alternis, pinguetudine, ossibus, unguibus, cartilagine, capil...lis, succo, sanguine, medullis, membranis. Animę regimen in corde consistit, quæ per subtilitatem spiritus ...seminata est per omnem corporis retentionem. Digestionem inquit feruore fieri; & separatas esse corpo...ris materias, sanguinem in uenis contineri, spiritum in arterijs. Sed pulmonem esse ueluti cellarium spi...ritus ad arterias mittendi, seu replendi omnem corporis regionem; ex quo spiritu omnes nostri arcus com...moueantur. Phreneticam passionem inquit fieri, tumore in corde suffecto, & suffocato sanguine, seu ca...lore consuetudinario, ex quo cerebrum sensum & intellectum præbet. Aliud est enim, quod intelligitur, ...aliud quod sentitur. Sic itaque duo cerebra sunt in capite constituta. Vnum, quod intellectum dat. Aliud, quod sensum præbet: idque quod in dextra parte iacet, ab eo sentitur: à sinistro uerò intelligitur: ...ob hoc, sub ea parte subiacente corde, & semper uigilante, audiente, & intelligente: quia & aures habet ad ...audiendum. Quod & præcordia habet uentris, id est, receptacula sanguinis, & spiritus singulis in parti...bus secundum aures, nunc ex uenis promere sanguinem, nunc ex arterijs spiritum. Nam arteria multũ ...habet spiritum, & modicum sanguinem. Vena autem multum sanguinem, & modicum spiritum.

FINIS.

Cape eplam e folio sequenti.

SERIES LITERARVM.

a ✱ b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z, A B C D E F G H I K L M N O P Q R.


Omnes quaterniones, præter i R ternionem, k quinternionem, & ✱ unicum folium.

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS, M. D. XXXXVII.

Et omnia quae transcripta [illegible]

Cape epistolam e pagina sequenti.



Merito [illegible] solent aut [illegible] [illegible] ... aut ... aut ... qui ... [illegible]